

TOMVS QVINTVS ET VLTIVS OPERVMDIVIO-

ANNIS CHRYSOSTOMI ARCHIEPI-
scopi Constantinopolitani, variorum argumentorum, in quo Exe-
gematica quadam, item Didactica ac Parænetica,
Apologeticæque complectuntur, quorum
seriem ex pagina sequenti
cognosces.



PARISIIS,

Apud Carolam Guillard viduam Claudij Cheuallonij, &
Gulielmum Desboys, sub sole aureo, in via diui Iacobi.

I 5 5 6.



7 400 40 *Stella* MADE IN JAPAN

2

TOMVS

QVINTVS ET VLTIVS OPERVMDIVIO.

ANNIS CHRYSOSTOMI ARCHIEPI-

*scopi Constantinopolitani, variorum argumentorum, in quo Exe-
gematica quadam, item Didactica ac Parænetica,
Apologeticæque complectuntur, quorum
seriem ex pagina sequenti
cognosces.*



PARISIIS,

Apud Carolam Guillard viduam Claudij Cheuallonij, &
Gulielmum Desboys, sub sole aureo, in via diui Iacobi.

I 5 5 6.

AD LECTOREM.



N hoc quinto ac ultimo tomo, deprehendes, studiose lector, Basileæ impres-
sum exemplar quidquid fuerit diligentia, nos omnino imitatos esse. In pri-
mis LXX ad populum Antiochenum Homil. De sacerdotio, De cordis
compunctione, De providentia dei seu fato sermones quinque, & sextum an-
tea desideratum ab illis additum esse: ac ea omnia fidelissimè repurgata: &
quæ sequuntur. Hi etiam quadantenus nostram ante hanc, editionem secu-
tos esse fatentur ingenue. E primis autem tomis multa è Græco Regis codice, vt nouisti, resti-
tuimus. Bene vale.

QVINTI TOMI CATALOGVS.

AD POPVLVM ANTIOCHENVM,	re, de oratione, & pœnitentia.	355
Homilia, LXXX. quarum argumenta sequuntur.	43 De vana gloria & ambitione.	261
1 Vino modico vtendum. columna 1	44 De inuore & inuidia.	264
2 De Theodosij magni imperatoris pij imaginum subuersione, & in dictum apostoli, Diuitibus hu- ius seculi præcipe &c. columna 15	45 De inuidia & liuore.	267
3 De legatione Flauiani episcopi pro ciuitate & de detractioe	46 Quod semper oporteat peccatum habere in me- moria.	271
4 De patientia & tolerantia, & de abstinentia à iura- mentis.	47 Quod supplicio peius est dei regno priuari, & de iudicio.	275
5 Quod mors non timenda, sed peccatum, & de iura- mentis omni studio fugiendis.	48 De tremenda iudicij die, & de dilectione dei.	280
6 Quod utilis est principum timor, & de iuramento- rum custodia.	49 De iudicio & auaricia, quæ non ex magnitudine, sed ex voluntate indicatur, & de his qui gehen- nalem pœnam non credunt.	284
7 Quod tristitia ad peccati destructionem utilis, de creatione, & de fugiendo iuramento.	50 De his qui gehennales pœnas credere nolunt, & de iudicio.	289
8 Ad virtutem exhortatio, & de fugiendis iuramen- tis.	51 De concordia & charitate, & de benefaciendo ca- lumniantibus.	294
9 De superstitione, & de non iurando, & de auscul- tatione verbi post cibum.	52 In mansuetudine Christus imitandus, de malorum obliuione, & quod in virtute positum lædere ni- hil potest.	297
10 Contra gentiles enarratio, & de euitando iuramē- to.	53 De charitate secundum deum, & inuido.	301
11 Gratiarum actio ad deum.	54 Contra eos qui ebrietati & deliciis vacant.	306
12 De creatione hominis.	55 Contra luxuriates & deditos deliciis & de præsen- tis seculi consummatione.	311
13 De mutatione tristiū, & de hominis creatione.	56 De monachorum vita.	316
14 De populo liberato ab omni angustia, & de iura- mentorum abstinentia.	57 De eadem, & de iudicio.	319
15 De calamitate ciuitatis Antiochia.	58 De vita monachorum, & scripturarū lectione.	324
16 De seditione eiusdem ciuitatis.	59 De beneficio quod indigentibus exhibetur, & de vi- ta monachorum.	328
17 Ad magistratus à Theodosio imperatore missos, pro inquirendis statuarum euerforibus.	60 De sumentibus indigne diuina sacramenta.	331
18 De ieiunio, & in illud apostoli, Gaudete in domino semper.	61 De sacrorum mysteriorum participatione, & quod communicare nolens nec orationi dignus est interesse.	336
19 Ad homines agros colentes.	62 Vtiles esse tentationes, & de tribulationum suffe- rentia.	341
20 De regis cum ciuitate reconciliatione.	63 Ob amorem Christi omnem oportere tribulatio- nem sufferre.	346
21 Catechesis ad illuminandos, de mulieribus se fertis & auro ornantibus & vaticinia, & incantatio- nes sectantibus.	64 Maximum in tribulationibus lucrum gratiarum actio.	350
22 De pœnitentia, continentia, & virginitate.	65 Deo gratias agere debemus, & quod nihil graue præceperit.	353
23 Quod Christianū oportet vitam rectā habere.	66 Regnum cœleste absque tribulationibus & labori- bus acquiri non posse.	356
24 De optima conuersatione.	67 Hic affligi, peccatorum exhibit remissionem.	361
25 De vita recta.	68 Infestantem magnanimitè ferre propter deū, ma- ius est, quàm benefacere.	365
26 Quod ex minimis incipienda virtus.	69 Peccatores lugendi viuentes & mortui.	368
27 De iuramentorum abstinentia.	70 Pro defunctis non lugendum, sed orandum po- tius.	372
28 De fugiendis iuramentis.	71 Nihil prodesse ieiunium, si reliqua desint merita, & de oratione.	375
29 Contra irascentes.	72 Dei beneficia cogitare maximum sacrificium, & de ieiunio.	379
30 De ira.	73 De sanctæ quadragesimæ ieiunio, & quod torpen- tibus nobis nulla excusatio.	382
31 De ira, & longanimitate & mansuetudine.	74 Utilem esse paupertatem.	Tomo 1
32 De elemosyna & misericordia.	75 In id Euangelij secūdum Matthæum, cum vidisset Iesus turbas.	Tomo 2
33 Quod ars est elemosyna, & omnium artium quæ- stuosissima.	76 In Euangelicum illud, domine quoties peccabit in me frater meus.	Tomo 2
34 Quod oportet multum circa dei desiderium stu- dium habere, & de elemosyna.	77 Quod ad finem vsque stantem concidere nō opor- tet, neque lapsum desperare.	386
35 37 De elemosyna & misericordia.	78 Melius esse iniuriam pati, quàm inferre.	390
36 Quod magnum est bonum dimittere peccata in nos peccantibus, & de elemosyna.	79 De oratione.	393
38 De humilitate & quiete.	80 De pœnitentia.	399
39 De humilitate, & quod præsentia, quasi nō sint cō- temnenda.		
40 De pœnitentia, & quod non oporteat de seipso lap- sum desperare.		
41 De pœnitentia, & quod magnum bonum est pro- pria peccata agnoscere.		
42 Quo modo propria animæ curam oporteat habe- re.		

DIDACTICA ET PARAENETICA.

De sacerdotio Lib. VI. 409

De compunctiōe cordis Lib. II. 478

De prouidentia dei ad Stagirium monachum Lib. III. 505.

De prouidentia vel fato, Sermones VI. 565

De orando deum, Lib. II. 586

De laude dei sermo. 596

De amore dei, & tolerantia in aduersis, Ser. 600

De gratiis deo reddendis, non solum uerbis, sed etiam operibus, Sermo. 603

De oratione dominica, Homilia. 607

In symbolum Apostolorum expositio, Homilia. II. 609

Ad neophytos, Homilia. 614

Ad baptifandos, Homilia. 618

De militia spiritali, Homilia. 625

De militia Christiana, Homilia. 628

De eruditione disciplinæ, Homilia. 631

De turture & Ecclesia, Homilia. 633

Quod nemo laeditur, nisi à semetipso, declamatio. 637

De uirtutibus & uiciis, oratio. 653

De charitate, quæ cuncta dirigit & perficit, Sermo. 663

De mansuetudine, Sermo. 664.

Diligamus omnes, etiam persequentes, Sermo. 669

Vt benedicamus maledicētibus, Christi & sanctorum exemplo, Sermo. 671

Ne scandalū cuiquam fratrum ponamus, Sermo. 672

De malis à nobis euertendis, Sermo. 675

De nequicia depulsa, & uirtute inducta, Sermo. 678

De excludenda uiciorum memoria. 682

Carnis concupiscentias ne sectemur, Sermo. 684

Virtutibus progenitorum ne confidamus, neque uiciis eorum trepidemus, Sermo. 688

Contra desperationem & superbiam, Sermo. 690

De tarditate bene operādi, ne desperemus, Sermo. 691

De nulla regni spe uel honoris, sed amore & charitate ingenti, Sermo. 694

De inanis gloriæ cupiditate, Sermo. 696

Contra luxum & crapulam, Sermo. 700

Contra gulam & ceteras uoluptates, Sermo. 703

De leuium peccatorum periculis, Sermo. 707

De uanitate & breuitate præsentis uitæ Sermo. 709

De pœnitentia, Homilia. X. 712

De pœnitentia, Sermo. 766

De pœnitentia & confessione, Sermo. 769

De confessione peccati, Sermo. 773

De ieiunio, Sermones duo. 774

De elemosyna & hospitalitate, Sermo. 781

De misericordia, Sermo. 784

De misericordia, & duabus mulieribus uiduis, Homi-

lia. 788

De dispensatione rerum tuarum per teipsum faciendā, & uita monachorum, Sermo. 791

Ne scrutemur pauperes curiose, Sermo. 795

Oratio calendis habita contra eos qui nouilunia obseruant, & in dictum apostoli: omnia in gloriā dei facite. 798

Quum presbyter esset designatus Ioannes Chrysofsto. de se, ac de episcopo, deq; populi multitudine, Sermo. 805

De expulsionē sancti Ioannis Chrysofostomi, Homilia. 810

Post reditum prioris exilij, Homilia. 813

De regressu sancti Ioannis de Asia Cōstantinopolim, Homilia. 814

Quum Sartoninus & Aurelianus acti essent in exiliū, & Gainas egressus esset à ciuitate, & de auaricia, Homilia. 817

De recipiendo Seueriano. 821

Seueriani episcopi de pace, Sermo. 823

EPISTOLAE SEPTEM.

Innocentio episcopo Romano. 824

Ad eundem Innocentium. 828

Cyriaco episcopo exuli. 829

Ad episcopos & presbyteros ob pietatem carcere inclusos. 831

Ad Theodorum lapsum parænesis prior, uel, de reparatione lapsi. 833

Ad Theodorum monachum. 859

Ad Olympiam fœminam illustrem. 866

APOLOGETICA.

Contra Gentiles Babylæ episcopi & martyris uitam continens, Lib. I. 880

Aduersus Iudæos, Orationes. V. 943

De incomprehensibili dei natura, contra Anomæos, Homilia. V. 978

De anathemate, Sermo. 1019

Aduersus Gentiles demonstratio, quod Christus sit deus. 1023

Contra Anomæos, Sermo. 1043

Aduersus Hæreticos, Sermo. 1047

Contra Iudæos, Gentiles & Hæreticos, Sermo. 1051

De comparatione regis & monachi, Lib. I. 1071

Aduersus Vituperatores uitæ monasticæ, Lib. III. 1063

In Eutropium, Sermo. 1129

Quod regulares fœminæ uiris cohabitent, Sermo. 1133

Contra concubinarios & eos qui fouent sorores adoptiuas. 1148

Missa D. Ioannis Chrysofostomi. 1165

CATALOGI FINIS.

D. IOANNIS CHRYSOSTOMI
ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI

Homiliæ LXX. ad populum Antiochenum potissimum habitæ, Bernardo Brixiano interprete, quarum bona pars nunc ad Græca est collata & emendata per Sigismundum Gelenium.

1. Tim. 5. d

Homilia prima Antiochiæ habita, cum adhuc Presbyter esset, in illud Apostoli: Vino modico utere propter stomachum, & frequentes infirmitates tuas.



VDISTIS Apostolicam uocem? tubam cœlestē: lyram spirituales? Etenim tanquam tuba terribile canens & bellicum, hostes quidem consternat, lapsos autem suorum sensus excitat, & multa implens fiducia mentem adhibentes, diabolo inexplugnabiles reddit. Et tanquam lyra rursum multa cum incūditate delectans, absurdarum morbos cogitationum sopit, & multam cum uoluptate nobis affert uilitatem. Audistis igitur hodie de multis & necessariis rebus Timotheo differentem: Etenim de electionibus ad ipsum scripsit, dicens: Manus cito nemini imposueris, neque communicaueris peccatis alienis. Et intolerabile talis præuaricationis periculum appofuit, demonstrans quod malorum ab aliis perpetratorū supplicium alij cum illis ipsi sustinebunt: quia propter potestatem electionis, pœnæ traduntur. Mox rursus inquit: Vino modico utere propter stomachum, & frequentes tuas infirmitates. Et de feruorum subiectione, & de auarorum infania, & de diuitum arrogantiā, & de multis aliis nobis hodie differuit. Postquam igitur omnia percurrere non possumus, quid uultis è cōmemoratis proponentes charitati uestræ dicamus? Velut enim in prato multos & uarios uideo lectionis flores, & amplum rosarium: multas uero uiolas, nec pauciora lilia, sed & uarium ubique & copiosum spiritus fructum disseminatum, & multam odoris suauitatem. Immo uero nō tantummodo pratum, uerum & paradisus est diuinorum lectio scripturarum: non enim fragrantiam solum nudam habent eius flores, sed & fructum, qui animam nutrire possit. Quid igitur de dictis in medium uultis agamus hodie? Uultis quod omnium uilissimum esse uidetur, & à quibusque intelligi facillimū, hoc in præfenti tractemus? Mihi nempe placet, sed & uobis, hoc bene noui, pariter placebit. Quid uero tandem est aliis facilius? Quid autem aliud, quàm quod & cui libet facile & dictu compendiosum esse uidetur? Quale quidem istud, Modico uino utere, inquit, propter stomachum, & crebras agritudines tuas. Eia igitur omnem orationem in hanc impendamus dictionem. Hoc autem facimus non ambitionis gratia, neque in dicendo facultatis ostentationem exhibere studentes: nō enim quæ dicuntur nostra sunt, sed quæ spiritus gratia indulferit: sed ut auditores & segniores excitemus, & quantum sit scripturarum thesaurus, & quod neque liberum, neque tutum eas prætercurrere, persuadeamus. Si enim tenuis hæc, & compendiosa dictio, & quæ nihil necessarium multis habere uidetur, multarum causarum diuitiarum, & disciplinæ profundissimæ occasiones nobis

præbere uisa fuerit: multo magis illa quæ & ex se domesticā ostentant copiam, infinitis thesauris animaduertentes implebunt. Igitur nec illas quidē, quæ tenues esse putantur, scripturarum sententiās prætermittamus. Nam & ipsæ de spiritus gratia sunt. Spiritus autem gratia nunquam parua est & uilis, sed magna & mirabilis, & dantis munificentia digna. Ne igitur ociose audiamus, quoniam & metallorū terram excoquentes, postquam in caminum ipsam iniecerint: non tantum auri massas tollunt, sed & paruas bracteolas multa cum sedulitate colligunt. Quoniam igitur & nos aurū Apostolicis haustum metallis excoquimus, non in fornacē iacientes, sed in animā nostrā cogitationes immittentes: non flammam accēdentes, sed ignem spiritus excitantes, & paruas micās cum diligentia colligamus. Si etenim breue uerbum, sed multa uirtus. Quoniam & gemmæ non in corporis mole, sic naturā pulchritudine precium habent: sic & scripturarum lectio. Externa uero doctrina multas iactans nugās, & multa detinens auditores loquacitate, uacuis remittit manibus, nullum neque magnum, neque paruū lucratos emolumentum. Spiritus uero gratia non huiusmodi, sed in contrarium tota, per modica uerba omnibus aduertētibz disciplinam affert. Et multis sæpe uerbum unum sufficit hinc excerpisse, ut totius uitæ initium habeant. Postquam igitur tanta adest copia, nos ipsos excitemus, & uigili mente quæ dicuntur, suscipiamus: ad magnam enim profunditatem sermonem dimittere paro. Multis enim etiam superflua, & superabundans esse hæc admonitio quodam modo uidetur, & talia dicunt uerba: Non per seipsum poterat Timotheus conuicere, quare uti oporteret, uerum à præceptore discere expectat: quid uero præceptor? non tantum imperauit, sed & literis inseruit, tanquam aræ columnæ, datæ ad ipsum epistolæ agglutinans: nec erubuit huiusmodi palam scripturæ mandare ad discipulum de publicis negociis scribens? Ut igitur discas, quod non tantum nō est inanis admonitio, sed necessaria & utilissima fuit: & non Pauli est hoc, sed spiritus gratiæ: non tantum dictum, sed & literis insertum esse, & omnibus posteris per hanc epistolam traditum esse: ad ipsam mox probationem ueniamus. Ad hæc autem & aliud nō minus quàm hoc, dubitant quidam intra se quærentes, quare de causa permisit deus uirum tantam habentem potestatem, ut eius ossa & reliquæ dæmones expellerent, in tantam agritudinem incidere? Nō enim leuiter agrotabat, sed continue, sed alternis & iugibus infirmitatibus, nec minimum quidem ipsum respirare indulgentibus. Unde hoc manifestum: ex ipsis Pauli uerbis. Non enim dixit propter agritudinem, sed propter multas agritudines. Neque simpliciter propter infirmitates:

sed ipsarum continuationem significans, dicebat: frequentes tuas infirmitates. Audiant qui modico traditi lāguori āgre ferunt & indignātur. Non solum autē hoc est quod queritur, quod cum esset sanctus āgrotabat, & sic continue āgrotabat, sed etiam quod publica negocia ipsi erant credita. Si enim vnus esset illorum, qui in montium vertices secesserunt, & in solitudine cellulas compegerunt, & ociosam huiusmodi vitam elegerunt, non esset tam dubium quod queritur. In medium vero prouectum, & tot ecclesiarum curas habentem creditas, & vrbes totas, & gentes, & totum terrarum orbem tāta cum sedulitate & studio administrātem infirmitatis necessitati traditum esse, hoc est quod maxime non animaduertentem omnino in stuporem agere potest. Et si enim, inquit, non propter se, saltem propter alios ipsum valere oportebat. Imperator erat optimus: bellum ab eo gerebatur, non contra infideles tantum, sed & contra dāmones, & contra ipsum diabolum. Multa cum vehementia hostes omnes imminebant, dissipantes exercitum, & in captiuitatem trahentes. Hic vero infinitos ad veritatem ducere poterat, & āgrotabat. Et si enim, inquit, nullum prāterea damnum ex hac imbecillitate rebus inferretur, ea ipsa fideles pigriores & torpidiores reddere poterat. Nam si milites ducem suum lecto detentum cernentes, segniores fiunt, & ad pugnam tardiores: multo magis par erat, & fidelem prāceptorem post tot signa operum intuentes continue āgrotabantem & corporis morbo laborantem, humanum quiddam esse perpessos. Nec vero hęc tantum, sed & aliud quiddam dubitantes quærunt, qua de causa rursus neque seipse, neque ipsius prāceptor, ita confectum curauit: sed mortuos quidem suscitabant, & dāmones expellebant, & mortem facile vincebant, corpus vero āgrotabantem non instaurabant. Et qui in alienis corporibus etiam mortuis tantam exhibere virtutem, stomachum lapsum non releuabant: & quod maius est, non veretur, nec erubescit Paulus post tot, & talia signa, quę vel nudo prāstitit verbo, Timotheo scribere, vt ab aquę potu confugiat ad vini medelam. Non quod vinum bibere turpe sit: Absit (hęc sunt enim hęreticorum prācepta) sed quod dedecus esse non putaret, non posse absque illius auxilio vnum laborans membrum erigere. Verum enim vero tantum absuit vt de hoc erubesceret, quod & omnibus posteris hoc fecit manifestum. Videtur in quantam sermonem egimus profunditatem: quo modo quod paruum esse videtur, innumeris quæstionibus scaturit: Eia igitur & solutionem afferamus. Idcirco enim ad inum descendimus, vt mentem nostrā excitantes, in tuto sensus collocemus. Concedatis autem mihi, quæso, priusquam his quæstionibus solutionem afferam, aliquid de Timothei virtute, & Pauli cura dicere. Quid enim illo fuit amantius, qui tanto absens interuallo, & tot circumuentus negociis pro stomachi sanitate discipuli tantam prouidentiam gerebat, & cum sedulitate de morbi correctione scribebat: Timothei vero virtuti quid æquale: Sic delicias aspernabatur, & lautam mensam deridebat, vt in morbum ex victus asperitate, & nimio caderet ieiunio. Quod enim natura talis non esset: sed ieiunio & aquę potu stomachi vim prostrasset, ipsum Paulum diligenter hoc manifestantem audite. Non enim simpliciter dixit, Vino modico vttere: sed cum prius dixisset, Noli adhuc aquam bibere, tunc bibedi vini consilium attulit. Noli adhuc: verbum est significantis, quod eousque aquam

1. Tim. 5. d

A bibebat, & propterea imbecillis factus est. Quis non admiretur ipsius disciplinam & diligentiam: ipsos attingerat cęlos, virtutis cursum consummauerat. Et hęc ipsi prāceptor attestatur, sic dicens: Mihi vobis Timotheum, qui est filius meus dilectus, & fidelis in domino. Quando autem Paulus ipsum vocat filium, & filium dilectum & fidelem, hęc verba omnem ipsius virtutem demonstrare sufficiunt. Sanctorum enim iudicia nec ad gratiam, nec ad inimicitiam fiunt, sed ab omni sunt dubitatione libera. Non fuisset tam beatus Timotheus, si Pauli filius à natura fuisset, quàm nunc est admirabilis: quoniam secundum carnem nihil ad ipsum attinens, per cognationem, quę est secundum religionem, in ipsum se adoptionem induxit, cum sedulitate disciplina illius characteres in omnibus seruans. Sicut enim vitulus tauro cōiugatus, sic iugū cū illo trahebat vbique terrarum, & nihilo propter ætatem deficiebat: sed studium vt cum prāceptoris laboribus contenderet, prāstabat. Et horum testis rursus ipse Paulus, sic dicens: Nemo ipsum contemnat: opus enim domini operatur sicut & ego. Vidisti quàm incommutatam studium ipsi attestatur? Mox ne hęc ad gratiam dicere videatur, ipsos auditores filij virtutis testes facit, sic inquit: Probationem autem ipsius nostis, quod tanquā patri filius, sic mecum seruiuit in Euangelio: experientiam vos cepistis virtutis ipsius, & probate animę. Veruntamen cum ad tantam officiorū altitudinem ascēdisset, neque sic confidebat: sed in certamine erat & in timore: ideoque cum instantia ieiunabat, neque illud passus est quod multi, qui decem tantū vel viginti menses ieiunio se tradentes, repente omnia dissoluunt. Sed ille nihil tale passus est, neque tale quippiam intra seipsum dixit, Quid mihi deinceps opus est ieiunio: Victor euasi, cupiditates superauit, corpus meum mortificauit, dāmones terrui, diabolum depuli, mortuos resuscitauit, leprosos mundaui, contrariis potestatibus terribilissum. Quid mihi amplius ieiunium, & vltior cautela? Nihil tale dixit, aut cogitauit: sed quanto magis innumeris affluebat meritis, tanto magis timebat & tremebat. Et hanc à prāceptore disciplinam discebat: etenim ille in tertium raptus cęlū, & in paradysum delatus, & auditis ineffabilibus verbis, & mysteriorum factus talium particeps, cum orbem totum percurrisset, tanquā alis quibusdam fultus, ad Corinthios scribens, dicebat: Vereor ne fortē cum aliis prādicauero, ipse reprobus sim. Si vero Paulus post talia, & tot officia timet, qui dicere potuit: Mihi mundus crucifixus est, & ego mūdo: multo magis nos timere oportet, & tanto magis, quanto maiora fuerimus beneficia consecuti. Tunc enim diabolus sēuior efficitur, tunc magis efferatur, cum viderit nos cum diligentia vitam nostram disponentes, cum viderit virtutis onera composita, & magnos aceros, tunc grauius inferre naufragium studet. Vilis enim & abiectus etiam si supplantatus fuerit, & ceciderit, non tantum cōmuni vitę cladis infert: in alta vero quadam tanquam virtutis specula, cum multa claritate constitutus, & qui omnibus manifestus & cognitus sit, & ab omnibus admirationi habeatur, quando tentatus ceciderit, magnam ruinam & iacturam facit: nō tantum, quoniam ex alto cecidit, sed quoniam & aliis multis scandali materia est in ipsam respicientibus. Et sicut in corpore, alio quidem membro corrupto, non magnum est damnum: oculis vero læsis, vel capite cōtrito, totum corpus inutile redditur: sic & in sanctis, & magna emeritis dicendū est. Quando illi extincti fuerint,

rint, cum maculam quampiam admiserint, totum & reliquum corpus intolerabile detrimentū patitur: Hęc igitur omnia nota habens Timotheus, vndique se inueniebat. Sciebat quod difficilis res est iuuenta, quę iactabilis, fallibilis, labilis est, & vehementioris indiget frāni: pyra enim quędam est exteriora apprehēdens omnia, facileque ac celeriter succendens. Idcirco ipsam vndique obstruebat, vt compesceret, & huius flammam omni modo extinguere studebat: & equum effrānem, & vix habentem parentem, multa cum vehementia angebat, donec ipsius lasciuas circūcideret, donec obedientem redderet, & traderet magna cum potestate rationis ipsum ducens in imperio. Infirmetur, inquit, corpus, & non infirmetur animus: refranetur caro, & animā ad cęlum cursus non impediatur. Ad hęc autem & illud maxime quisque in ipso mirari posset, quod tantum debilitatus, & tanta cum āgritudine luctans, dei negocia non negligebat, sed amplius quàm valentes, & corpore vigentes circunquaque volitabat, iam Ephesum, iam Corinthum, in omnique mari, in omni solo cum prāceptore apprensus, omnibus in certaminibus & continuis periculis cum ipso communicabat. Nec animi sapientiam redarguit corporis imbecillitas, tantum valet in deum zelus, tam leues efficit alas. Sicut enim corpora habentibus pinguis & valida, nullum erit valetudinis emolumentum, si animus deiectus fuerit & segnis, & degener: sic & confectis nullum erit ex imbecillitate nocumentum, si animus generosus & expergefactus fuerit. Videtur autem quibusdam hęc admonitio & consilium, liberioris vini potus potestatem indulgere. Sed non ita est. Caterum si quis dictionem hanc diligenter exquirat, de sobrietate magis est admonitio. Cogita enim quo modo non à principio, neque ab exordiis hoc consilium Paulus dederit, sed postquā vidit omnem virtutem deiectam, tunc cōsultuit: neque hoc simpliciter, sed cum prāfinitione quadam: non enim simpliciter dixit, vino vttere: sed, vino modico, nō quod hac admonitione & cōsilio Timotheus egeret, sed quod nos indigemus. Idcirco ad illum scribens, nobis bibedi vini mensuram & terminos statuit, tantum bibere iubens, quantum valetudinem adiunct, quantum corpori sanitatem prabeat, & non alterum morbum: non pauciores enim, quàm continuatus aqua potus, sed multo plures, & difficiliore animi & corporis morbos immodica vini parit potatio, passio-num bellum, absurdarum cogitationum hyemem mēti introducens, & corporis vim molliorem & solubiliorem efficiens. Non enim ita terrę natura vexata aquarum superabundantia cōtinue dissoluitur, vt corporis vis mollescit, & diffluit, & exilis redditur vini potu cōtinuo ingurgitata. Fugiamus igitur vtrinque intemperantiam, tum corporis valetudinem curando, tum ipsius lasciuas recidendo. Vinum enim à deo datum est, non vt inebriemur, sed vt sobrii simus: vt delectemur, non vt doleamus. Vinum enim lētificat, inquit Dauid, cor hominis: tu vero ipsum triflicia materiam facis. Etenim animo grauato sunt supra modum ebrii, tenebris multis menti offusis. Medicina optima est, quando commensurationē habet optimam. Hic locus & cōtra hęreticos utilis est, dei creaturā accusantes: si enim de vetitis esset, non permisisset Paulus, non vino vtendū dixisset. Non solum autem contra hęreticos, sed & cōtra fratrum nostrorum simpliciore, qui postquam aliquos prā ebrietate se deturpātes viderint, illos vituperare omittentes, fructum à deo datum calumniantur, Tomus quintus.

Psal. 103. d

A dicentes, Non sit vinū. Ipsis itaque dicamus, Non sit ebrietas. Vinum enim dei, ebrietas autem diaboli opus est: nō vinum ebrietatem facit, ne dei creaturam accuset, sed confertur insaniam argue. Tu vero peccantē punire & corrigere omittens, benefactorem afficis contumelia? Cum igitur quosdam hęc dicentes audierimus, obmutescere faciamus. Nō enim vsus, sed immodestia ebrietatem facit: ebrietatem, inquam, malorum omnium radicem. Vinū datum est, vt corporis imbecillitatem corroboret, non vt animi sanitatem exterminet. Noli igitur immoderate dei munere vtens, stultis & impudentioribus hominibus occasiones prębere. Quid enim ebrietate miserabilis? Mortuus est animatus, ebrius, dāmon est voluntarius: morbus veniam non habens, ruina excusatione carens, commune generis nostri opprobrium. Non enim in conuentibus tantum inutilis ebrius, aut in priuatis & publicis negociis, sed etiam solo est aspectu omnium grauisissimus, foetores exhalans teterrimos, eructationes, & oscitationes, & voces ebriorū insuauas atque molestę, eos qui spectant, & simul sunt, extremę abominationis implent. Et quod malorum caput est, cęlum ebriis inuisum hic morbus efficit, nec aterna bona assequi permittit, sed post vitę huius opprobrium, & illic tali morbo laborantes, pœna manet aterna. Hanc igitur improbam consuetudinem recidamus, & Paulum audiamus dicentem: Vino modico vttere. Etenim ipsum modicū propter infirmitatem permisit, quod nisi imbecillitas vexasset, neque modicum admittere discipulum coegisset. Necessarium enim est nobis traditos cibos & potus temporibus & necessitatibus semper metiri: & nullatenus necessitatem excedere, neque imprudenter & temere quid facere oportet. Sed postquam Pauli curam, & Timothei virtutem didicimus, eia deinceps ad ipsam quæstionum solutionem ducatur oratio. Quę igitur sint, quę queruntur, iterum dicere necessariū est, vt solutio manifestior efficiatur. Qua de causa sanctum talem, tractantem negocia in morbū deus incidere permittit, & neque ipse, neque prāceptor āgritudine curare potuerunt, sed bibendi vini auxilio opus habuerunt: Et quę sita quidem hęc erant. Oportet autem ipsam inferre solutionem, vt non tantū qui in morbum & āgritudinem talem, sed & quicūque in pauperiem inciderūt, & pestem, & vincula, & tormenta, tentationes & calūnias, omnia præsens vitę incommoda, sancti & magni & admirabiles ex rebus hodie dicendis idoneā & manifestissimam in illis quoque defensionē contra accusare volentes, inuenire possint. Multos etenim audiui talia quærentes: Quid tandem ille modestus & mansuetus homo ab alio quodā impio & improbo per singulos dies trahitur, & innumeras patitur molestias, & deus permittit: Quare alter accusat? iniuste mortu' est? Ille submersus est, inquit, alius prācipitatus? Et multos possumus referre sanctos, & temporibus nostris & maioribus nostrorum, qui multas sustinuerunt tribulationes, differentes & varias. Vt igitur horum omnium rationem videamus, & neque ipsi tumultuemur, neque alios scandalizatos negligamus, nunc diligenter dicendis intēdamus. Varię enim & omnimodę sanctorum afflictionis causas numero octo charitati vestrę dicere possum. Idcirco omnes vos ipsos cum diligentia colligite, scientes quod nulla deinceps nobis venia & excusatio dabitur, si de contingentibus scandalizemur, quippe qui cū sint multę occasiones, tanquā nullas sit, ita tumultuabimur & perturbabimur. Itaque prima a iij quidem

quidē est, quod cum facile in arrogantia propter meritō magnitudinē & miraculorum tollatur, ipsos finit affligi. Secunda, ne ceteri maiorem habeant de ipsis opinionem, quam humana patitur natura, & ipsos deos, non autem homines esse arbitretur. Tertia, ut & dei virtus appareat per egrotantes & compeditos, exuperans & prædicationem augens. Quarta, ut ipsorum illorum patientia manifesta fiat, non propter mercedē deo seruientium, sed & tantam exhibitum gratitudinem, ut & post tot mala sincera in ipsis beneuolentia ostendatur. Quinta, ut de resurrectione cogitemus: cū enim virum iustam, & multa plenum virtute, innumera passum mala, & sic hinc digressum videris, oportet ex hoc omnino aliquid de illo iudicio cogitare. Si enī homo pro se laborantes sine præmiis & retributione abire non permittit: multo magis eos, qui tantum laborauerunt, nunquam incoronatos remanere deus decerneret. Si autem ipsos laborum suorum retributione priuare non elegit, omnino necesse est quoddam aliud tēpus esse post præsentium finem, per quod præsentis vitæ laborum retributiones recipiant. Sexta, ut omnes in grauiā incidentes, sufficientem consolationem & mitigationem habeant in eos respicientes, & malorum quæ ipsis accidere recordantes. Septima, ne quando exhortamur vos ad illorum virtutem, & cuique dicimus, imitare Paulum, imitare Petrum, propter gestorū excessum alterius ipsos naturæ participes fuisse cogitates, ad imitationem torpeatis. Octaua, ut quando beatos vel miseros cēlere oportet, discamus quos quidem beatos, quos autem miseros & ærinosos putare debeamus. Igitur hæc quidem sunt causæ: sed oportet eas omnes ex scripturis confirmare, & diligenter demonstrare, quod omnia dicta non humanarum rationum adinuentio, sed diuinarum scripturarum est sententia. Sic enim & oratio erit nobis fide dignior, & meli⁹ animis nostris insidibet. Quod tribulatio quidem cōferat hoc sanctis, ut moderentur & humiliantur, nec inflentur ex gestis & signis, & propter hoc ipsam euenire deus permittat, Prophetam David & Paulum eadem dicentes, audiamus. Nempe ille quidem dicit: Bonum mihi domine, quia humiliasti me: hic autem præfatus, Raptus sum in paradysum, subintulit dicens: & ne reuelationum magnitudo extollat me, datus est mihi stimulus carnis, angelus satanæ. Quid hoc apertius: ne extollar, inquit, propter hoc permittit deus angelos satanæ colaphizare me. Angelos autem satanæ, non demones aliquos dicit, sed homines diabolo ministrantes, infideles, tyrannos, gentiles, qui continue ipsam tribulabant, & semper insequabantur. Quod autem dicit, huiusmodi est: Poterat, inquit, deus continere persecutiones & tribulationes assiduas: sed quoniam in tertium raptus fui cœlum, & in paradysum delatus, ne harum magnitudine reuelationum extollar, & altum sapiam, permisit persecutiones has, & angelos satanæ per persecutiones & tribulationes me colaphizare, ne extollar: quoniam igitur sancti, & admirabiles Paulus & Petrus, & omnes quicumque tales, qualescunque sunt, tamen homines sunt: & multæ cautionis, ne facile extollantur, indigēt, & maxime omnium sancti: nihil enim sic in arrogantiam extollere consuevit, ut officiorum conscientia & anima cum libertate viuens: ne quid igitur tale illi patiantur, tentationes & tribulationes esse concessit, quæ possent ipsos corripere & persuadere, ut in omnibus moderate agerent. Quod autem ad demonstrandam dei virtutem hoc magnopere conferat, &

Psal. 118. f.
2. Cor. 12. b.

A hoc ab eodem Apostolo disce, qui prius hoc dixerat. Ne enim dicas, quod infideles putant, deum talia permittere debilem esse, nec suos periculis eripere posse, quod ipsos affligi continue concedat. Hocq; considera, quo modo per hæc demonstrauit Paulus, quod non tantum quæ fierent, ipsius imbecillitatem non arguerent, sed amplius potentiam omnibus ostentarent. Cum enim dixisset: Datus est mihi stimulus carnis, angelus satanæ qui me colaphizet: & continuas propterea tentationes demonstrasset, intulit: Propter quod dominum rogavi, ut à me discederet, & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea: nam virtus mea in infirmitate perficitur. Tunc mea, inquit, potentia demonstratur, quando vos in imbecillitate estis, & per vos qui videmini esse debiles prædicationis verbū augetur, & ubique dispergitur. Quando igitur in carcerem, innumeris susceptis verberibus deductus fuit, carceris custodē vinxit. In ligno erāt pedes, in catenis manus, & carcer sub mediam noctem quatiēbatur, ipsis deum laudantibus. Cernis quo modo ipsius virtus in infirmitate perficiebatur? Si fuisset solus Paulus, & illud habitaculum concussisset, non fuisset tam mirādum, quod fiebat: idcirco inquit, Remane vinctus, & commoueātur parietes vndique, & soluantur cōpediti, ut magis virtus mea euidenter sit, dum per te cōstrictum & colligatum omnes vincti soluantur. Hoc ipsum igitur & carceris custodē nunc perculit, quod cū tanta teneretur necessitate, per orationem solam potuit fundamēta quidem quassare, fores vero carceris aperire, & omnes vinctos soluere. Nō hic autem solum, sed etiam in Petro, & in ipso Paulo & in aliis quoque Apostolis videre quispiam posset hoc iugiter euenire, & in persecutionibus dei gratiam efflorentem & apparentē in tribulationibus, & sic virtutem suam prædicantem. Idcirco dicebat, Sufficit tibi gratia mea: virtus enim mea in infirmitate perficitur. Quod autem & humana natura maiora multi sepius de ipsis suspicaturi erant nisi talia patientes vidissent, audi quo modo timuit Paulus. Nā & si voluero, inquit, gloriari, non ero insipiens: parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut audit aliquid ex me. Quid autem est quod dicit: poteram, inquit, multo maiora dicere miracula, sed nolo, ne forte signorum magnitudo maiorem de me hominibus suspitionē inducat. Propterea & Petrus postquā claudū erexit, & omnes ipsum admirabantur, seipsum corripens & persuadēs, quod nihil à seipso, & de proprio exhibuerat, dicit: Quid nos intuemini tāquam propria virtute vel potestate fecerimus hunc ambulare? Et rursus in Lystris nō solum erāt obstupescēti, sed & tauros coronatos duxerunt, & Paulo & Barnabæ immolare aggrediebantur. Vide diaboli maliciā. Per quos dominus ex mūdo impietate expurgare studebat, per hos ipsam ille inducere curabat, rursus persuadens deos homines esse putare: quod & priorib⁹ fecit temporibus. Et hoc maxime est, quod idololatriæ principiū, & radicē introduxit. Multi enim qui & bella bene gesserant, erexerant trophæa, & vrbes ædificauerant, & aliis huiusmodi demeruerāt sui tēporis homines, dii à multis existimati sunt, & templis & aris honorati. Et omnis gentiliū deorū numer⁹ ex his omnibus cōflatus est. Ne hoc & in sanctis fieret, permisit ipsos deus continue pelli, flagellari, in varios incidere morbos: ut nimia corporis imbecillitas, & tētionum turba præsentib⁹ persuaderet, quod homines erant talia edentes miracula, nihilq; de suo afferbant, sed nuda gratia per illos omnia operabatur. Si enim

parua

parua & vilia operatos, deos putauerunt: multo magis si nihil passi fuissent humanū, hos suspicati fuissent, qui talia fecerunt, qualia nemo inquam neque vidit, neque audiuit. Si enim cum ipsi flagellarentur, præcipitarentur, ligarentur, pellerentur, periclitarentur quotidie, tamen in hanc impiā opinionē quidam ceciderūt: multo magis si nihil humanum passi fuissent, huiusmodi fuissent existimati. Igitur hæc quidem tertia afflictionis causa. Quarta vero, ne sancti propter presentis felicitatis spem deum colere putentur. Etenim multi in lasciuia viuentium à multis sapius accusati, & ad virtutis vocati labores, & sanctos in hilari molestiarū tolerantia laudari audientes, ex his ipsis accusare aggrediuntur, & non homines tantum, sed & ipse diabolus hoc ipsum suspicatus est. Quoniam enim multis erat circumdatus diuitiis Iob, & multa potiebatur opulētia, exprobratus à deo per ipsum malignus ille dæmon, cū nihil haberet quod diceret, neq; quo de suis excusaretur criminibus, neque quod iusti virtutibus impingeret, ad hanc statim confugit confusionem, dicens: Nunquid gratis Iob colit te? circumuallasti interiora & exteriora eius. propter mercedem, inquit, ille virtutem sequitur tanta fruens opulētia. Quid igitur fecit dominus: volēs demonstrare, quod nō ipsum sancti colunt propter mercedem, omnem ipsius substantiam abstulit, & paupertati tradidit, & in grauem morbum incidere permisit. Mox illum redarguēs, tanquā temerē talia suspicatus, inquit, Adhuc innocentiam retinet: tu vero cōmouisti me, ut frustra ipsius substantiam perderē. Sanctis enim hoc in remunerationem & retributionē sufficit, deum venerari: quoniam & amanti hoc in retributionē sufficit, se amantem amare: & nihil amplius requirit, nec quippiam hoc maius esse putat. Si vero in homine hoc, multo magis in deo: quod quidē & deus demonstrare volens, plura quam diabolus petiit, concessit. Ille enim inquit: Mitte manum tuam, & tange ipsum: deus autem non ita. Sed tibi ipsum, inquit, trade. quemadmodum enim in exterioribus certaminibus corpore vigentes, & bonæ habitudinis athletæ, non sic apparent, cum vestimentum vndique oleo madidū fuerint induti, sed quando illo abiecto nudi in stadia feruntur, tunc maxime spectatores membrorum proportionē penitus obstupesciunt, cum nihil ipsam amplius obumbrare possit: sic & Iob, quando omnibus quidem illis diuitiis circumfusus erat, quis esset, non multis manifestus erat: postquam vero ipsas, velut vestimentum exutus athleta abiicit, & ad pietatis certamina nudus intrauit: sic spoliatus spectatores omnes perculit, ut & ipse angelorum dominus super animi eius tolerantia vehementer acclamaret, & victori illi applauderet. Quod enim superius iam dixi, non hominibus apparebat illis omnibus diuitiis circumamictus, sicut quando proiecto ipso pallio nudus exiit in medio orbe, tanquam theatro. Et omnes bonam ipsius habitudinem admirati sunt: nō solum autem ex rerum ablatione demonstrabatur, sed etiam ex patientiæ lucta circa agritudinem. Sicut nanque prædixi, non ipsum percussit deus, ne rursus diabolus diceret: peperisti, & non tantam, quantam oportebat intulisti tentationem: sed ipsi tradidit diabolo, & gregem perditionem, & carnis potestatem. Confido de certatore, inquit, idcirco nō prohibeo ipsi quæcunque velis inferre certamina. Sed quemadmodum spectati palestritæ, & arte & corporis robore fidentes, non recte aduersariis (vt plurimum) congregiuntur, neque de pari, sed ipsos illis medios apprehendendos præbent, vt illustrio-

Iob. 1.

1. Cor. 1.

Act. 17.

A rem victoriam faciant: sic & deus medium tradidit sanctum diabolo apprehendendum, vt cum ipsis tantam confictus prerogatiuam superarit, solūq; prostrauerit, clarior corona reddatur. Aurum est probatum: quo modo vis proba, in ipso maculam non inuenies. Non aliorum vero nobis tantum fortitudinem demonstrat: sed & aliam magnam affert cōsolationem. Quid enim inquit Christus? Beati eritis, cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes propter me: gaudete & exultate, quoniam merces vestra magna est in cœlis: sic enim persecuti sunt prophetas, qui fuerunt ante vos. Et rursus Paulus Macedonas consolari volens: Vos enim, inquit, imitatores facti estis fratres ecclesiarum dei quæ sunt in Iudæa: quoniam eadem passis estis à contribulibus vestris, quemadmodum & illi à Iudæis. Et Hebræos rursus ita consolatur, recēdens istos omnes in fornacibus, in lacubus, in solitudinibus, in montibus, in speluncis, in fame, in angustia degentes: molestiarum enim communicatio quandam lapsis affert consolationem. Quod autem & de resurrectione quoq; hoc ipsum cogitationes inducit, audi eundem Paulum dicentem: Si secundū hominem cum feris pugnaui Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? Et iterum: Si in hac vita tantū in Christo sperantes sumus: miserabiliores sumus omnibus hominibus. Innumera patimur mala in presenti vita, inquit: si igitur non speratur altera vita, quid nobis esse possit miserabilius? Vnde manifestum est, quod non solæ miserie nobis in presenti suppetissent. Et hoc clarum ex tentationibus efficitur: nunquam enim deus pateretur tot & talia passos mala, & presentem vitam omnem in tentationibus & infinitis degentes periculis, multo maioribus non remunerari muneribus. Si vero non pateretur, certum quod meliorum quampiā parauit alteram vitam, in qua pietatis pugiles coronare & laudare toto debet orbe spectante. Itaque cum videris iustum angustiari, affligi imbecillitate, pauperi, & innumeris aliis ærumnis presentem vitam transire, dic intra te ipsum: quod nisi resurrectio esset & iudicium, nunquam deus tāta propter se mala passum, nullo potitum bono hinc migrare permisisset. Vnde patet, quod alteram ipsis vitam presentem iucundiorē, & multo meliorem parat: nisi enim hoc esset, improbos quidem multos per hanc vitam gaudere, iustorum vero multos in plurimis ærumnis inquam dimississet: sed quoniam præparatum est seculum aliud, in quo secundum meritum, huic quidem improbitatis, huic vero virtutis præmia reddere debet: propterea tolerat hunc quidem affligi, illum vero deliciis indies diffuere. Verum & aliam ex scripturis causam astruere conabor. Qualis vero hæc est? ne dicatis nos in eandem virtutem non esse vocatos: quoniam illi alterius naturæ participes essent, quæ non erant homines. Idcirco quidam de magno loquens Helias, sic inquit: Helias homo erat in passionibus similis nobis. Vides quod à passionum cōmunionē demonstrat ipsum hominem esse secundum nos? Et iterum: Etenim ego homo sum in patiendo vobis similis. Et hoc naturæ cōmunionem spondet. Vt autem discas, quod & hic quos oporteat putare beatos nos docet, inde clarum est, quod quando audieris Paulum dicentem, Usque ad presentem horam & esurimus, & sitimus, & nudi degimus, & colaphizamur, & inquietamur, & laboramus: &, Quem diligit dominus, castigat: flagellat autem omnem filium quē suscipit: certum

Math. 5.

Heb. 11.

1. Corin. 15.

Iacob. 5.

Sapient. 7.

1. Corin. 4.

Hebr. 12.

pit: certum est quod non remissione fruente, sed propter deum angustiatos & contritos laudemus, & beatos censeamus in virtute viuentes, pietatisq; curam gerentes. Sic & Propheta dicit: Dextera eorum dextera iniquitatis, filia eorum composita, circumornata vt similitudo templi. Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud. Et oues eorum fetuosae abundantes in gressibus suis, boues eorum crassa. Non est ruina maceria, neq; transitus, neq; clamor in plateis eorum. Beati dixerunt populum cui haec sunt. Tu vero quid dicis? Beatus, inquit, populus, cuius dominus deus eius. Non pecuniis affluentem, sed pietate gloriantem: hunc ego beatum puto, inquit, & si innumera patitur mala. Si vero oportet & nonam dicere causam, illud dicere possemus, quod spectabiliores tribulatio facit tribulatos. **Roman. 5.** Tribulatio enim patientiam operatur, patientia vero probationem: probatio autem spes, spes vero non confundit. Vides quod ex tribulatione probatio futurorum spes nobis affert, & in tentationibus manere, de futuris bene sperare facit? Itaque non temere dicebam, quod haec tribulationes resurrectionis spes nobis designant, & vexatos meliores efficiunt. Quemadmodum enim, inquit, in fornace aurum examinatur, sic & homo acceptus in humiliationis camino. Possumus & decimam dicere causam. Qualem vero hanc? quam & iam sapius dixi superius, quod si aliquas habeamus maculas, & hic eas deponimus. Et hoc patriarcha declarans ad diuitem dicebat: quoniam Lazarus recepit sua mala: vnde consolationem accipit. Et ad hanc aliam rursus inueniemus. Qualem vero hanc? vt coronae & praemia nobis augeatur: quantum enim tribulationes intenduntur, tantum & retributiones ampliabitur, imo vero & multo plus. Non enim condigna sunt passiones praesentis temporis ad futura gloriam, quae reuelabitur in nobis. Tot igitur causas habentes de sanctorum afflictione dicendas, ne in tetationibus indignemur, neq; angustiemur, neq; tumultuemur: sed & ipsi nostros instruamus animos, & alios haec doceamus. Et si videris hominem in virtute viuentem, philosophiam sectantem, placentem deo, postea innumera patientem mala, ne scandalizeris dilecte. Et si videris aliquem spiritualibus vacantem operibus, & aliquid vtile expediturum, postea supplantatum: ne tumultueris. Etenim noui multos sapius talia quarentes. Ille, inquit, ad templum peregrinatus est pauperibus pecunias perferens, & in naufragium incidit, & amisit omnia. Alter rursus idem faciens, in latrones incidit, & vix animam suam saluauit, nudus inde discedens. Quid igitur dicemus? quod horum nullo tristari oportet. Et si enim naufragium fecit, sed & habet iusticiae fructum appensum: sua enim omnia impleuit, collegit pecunias, deposuit, cum recepisset, abibat, peregrinationem attigerat: naufragium vero de reliquo, non de ipsius fuit sententia. Sed quare hoc deus concessit? vt hunc spectatum exhiberet. Sed pauperes, inquit, priuati sunt pecuniis. Non tantam tu pauperum prouidentiam habes, quantum qui fecit eos deus: etsi enim his priuati sunt, tamen aliunde potest maiorem copiae occasione ipsi praebere. Ne igitur gestorum rationes repetentes ipsum reprehendamus, sed in omnibus glorificemus: non enim imprudenter & temere talia saepe fieri permittit. Sed cum ex his pecuniis consolationem habituros non despiciat, sed ipsis aliam pro his alimenti occasionem praebet, etiam naufragium passum probatiorem efficit, maioremq; ipsi parat mercedem: multo enim maius est, quam eleemosynam dare, quod talibus obrutus nego-

ciis deo gratias agat. Non enim tantum quae per eleemosynam damus, sed & ea, quibus ab aliis spoliari fortiter ferimus, multum nobis fructum afferunt. Et vt discas hoc illo maius esse, ex his quae Iob contigerunt hoc faciamus manifestum. Ille quando pecunias possedit, aperuit domum pauperibus, & omnia quae habebat elargiebatur: non erat tam illustris, quando pauperibus domum aperuit, quam cum ipsam cecidisse audiens non inique tulit. Non erat tam illustris, quando ex ouium tonsura nudos circumdedit, quam fuit clarus & spectatus, cum audiens, quod ignis cecidisset, & greges omnes consumpsisset, gratias egit. Tunc humanus fuerat, nunc fuit philosophus: tunc pauperum miserebatur, nunc deo gratias agebat. Nec intra se dixit, Quid tandem hoc est? Armenta consumpta sunt, quibus innumeri pauperes alebantur. Et si ego indignus eram hac rerum fructu copia, saltem propter communicantes parcendum erat. Sed nihil horum neque dixit, neque cogitauit. Narrat enim deum omnia utiliter dispensantem. Et vt scias, quod grauius postea vulnus intulit diabolo, cum spoliatus gratias egit, quam cum possidens miserebatur, aduerte. Quando possidebat, suspicionem quandam habuit diabolus, etsi falsam, habuit tamen vnde diceret: num gratis deum colit Iob? Postquam vero omnia abstulit, & ipsum omnibus spoliavit, hic autem eandem in deum charitatem praestitit, tunc demum obstructum est os impudens, & nihil amplius quod diceret, habebat: nam splendidior quam prius erat iustus ille vir. Omnibus enim priuatum, generose & cum gratiarum actione ferre multo maius est, quam in diuitiis degentem facere eleemosynam, sicut & in hoc contigit iusto. Tunc multa in conseruos fuit benignitas, nunc magnus in dominum amor demonstrabatur. Hunc vero non temere sermonem extendo: sed quoniam sapius eleemosynas facientes quidam, viduas alentes, omni substantia dispoliati sunt: alij facto quopiam incendio omnia amisserunt: alij naufragiis inciderunt: alij calumniis, & talibus quibusvis tentationibus, post multas eleemosynas in extremam redacti sunt pauperiem, & infirmitatem, & aegritudinem: & a nemine vllum adepti sunt auxilium. Ne igitur dicamus, quod saepe dicunt, quod nemo quicquam sciat, sufficiunt omnia dicta talem expellere trepidationem: cum ille nanque tot faciens eleemosynas omnia perdidit, si pro hac gratias egerit iactura, multo maiorem a deo benevolentiam hauriet: nec duplum sicut Iob, sed septuplum, & vitam aeternam recipiet. Si vero hic malum patitur, hoc ipsum maiorem illic thesaurum ipsi praebit, quod generose omnia ferat: ad maiores enim ipsum inde vocat exercitationes & luctas, & de copia in penuriam incidere deus permisit. Ignis ingruens sapius substantiam tuam absumpsit, & totam domum populatus est: reminiscere eorum quae Iob acciderunt: age gratias domino, qui prohibere potest, & non prohibuit: & tantam recipies mercedem, quantum si omnia illa in pauperum manus reposuisses. Sed in pauperie degis, & fame, & infinitis periculis? Recordare Lazarum, cum inopia & orbitate & innumeris aliis pugnans molestus, & haec post virtutem tantam. Recordare Apostolorum, qui & in fame, & in siti, & in nuditate debebant: prophetarum, iustorum: & omnes ipsos inuenies non de diuitibus, non de gaudentibus, sed de egentibus tribulatis, & angustiatibus esse. Haec apud te ipsum colliges, domino gratias age, quod te huius fecit portionis, non exosus, sed & valde diligens:

gens: quoniam & illos tot grauia pati non permisisset, nisi vehementer amasset, quoniam clariore ipsos per haec mala reddebat. Nullum gratiarum actioni par bonum, quae admodum blasphemia peius nihil. Ne admiremur, quod spiritualibus instantes multa patiamur aduersa. Quemadmodum enim latrones, non vbi fenum & palea & calamus, sed vbi aurum & argentum ibi fodiunt, & continue vigilat: Sic & diabolus his maxime instat, qui spiritualia attingunt negocia. Ibi multa insidia, vbi virtus: illic inuidia, vbi misericordia. Sed est nobis telum maximum quod omnes tales machinas repellere valet, qui per haec omnia deo gratias agit. Abel, dic mihi, nonne de primitiis deo sacrificans, frater na cecidit manu? Sed tamen deus concessit, non eum perosus qui se honorauit, sed valde diligens: & praeter speciosissimi illius sacrificij coronam, & alteram ipsi per martyrium praebens. Moses cuidam iniuriam affecto optulari voluit, & mori periclitatus est, & patria excidit, vt sanctorum patientiam discas. Si enim postquam nobis cauissemus, sic spiritualia attingissemus negocia, nihil magnum facere visissemus, tale securitatis pignus habentes: nunc vero hic maxime admirabiles sunt talia facientes, quod & pericula, & damna, & mortes, & infinita praudentes mala, tamen huiusmodi officiis non absistunt, neque timorum expectationibus segniores facti sunt. Sicut igitur tres pueri dicebant: Est deus in caelo potens eripere nos: & finaliter: Notum sit tibi rex quod diis tuis non seruiamus, & auream imaginem, quam erexisti, non adoramus: & tu igitur quando quid boni secundum deum operari debes, multa prospice pericula, multa damna, multas mortes, & ne abhorreas, neque tumultueris accidentibus his. Fili, inquit, accedens ad seruitutem dei, praepara animam tuam ad tentationem. Nemo nempe pugnare decernens, absque vulneribus coronam reportare expectat. Et tu igitur cum diabolo totis viribus pugnare aggrediens, ne vitam securam, & deliciis plenam sequaris. Non enim hic tibi retributiones, & promissiones, sed in futuro seculo omnia praecleara deus promissit. Cum igitur vel ipse bonum feceris, & contraria receperis, vel alium hoc videris patientem, gaude & laetare. Maioris enim tibi retributionis materia est. Ne concidas, neque soluas promptitudinem, neque segnior fias: sed magis instam cum maiori alacritate. Quoniam & Apostoli quando praedicabant, etsi flagellabantur, lapidabantur, carceres continue habitabant, non solum post periculorum liberationem, sed & in ipsis periculis cum maiore promptitudine veritatis praconium enunciabant. Et est cernere Paulum in ipso carcere, in ipsis catenis instruentem, in foro rursus idem facientem, & in naufragio, & in tempestate, & in periculis innumeris. Et tu hos sanctos aemulare, & a bonis operibus, quotiescunque incidas, & si millies interpellat te diabolus videris, nusquam abistas. Tu quidem pecunias perferes, forte naufragium fecisti. Paulus autem omnibus pecuniis preciosius verbum ferens, Romam abibat, & in naufragium incidit, & infinita subiit incommoda. Et hoc ipse manifestauit dicens: Sapius voluimus venire ad vos, sed impediuit nos satanas: & deus permisit ex superabundanti sua demonstrans virtutem: & ostendens, quod infinita faciente diabolo, & prohibete, nihil ex hoc praedicatio minuebatur aut interruptebatur. Idcirco in omnibus Paulus deo gratias agebat, sciens quod probabilior per haec se deus reddebat: & promptitudinis suae vehementiam in omnibus

exhibebat, impedimento nullo interruptus. Quoties igitur frustrati fuerimus, toties spiritualia aggrediamur: neque dicamus, quare deus impedimenta permittit: propter hoc enim permisit, vt promptitudinem tuam multo magis demonstrares, & multum amorem. Amantis enim maxime est, nunquam ab his quae amato complacent absistere. Mollis enim & ignauus ex primo statim impetu concidet. Vehemens autem & excitatus, & si millies interpellatur, tanto magis diuinis rebus instabit, quantum in se est omnia implens, & in omnibus gratias agens. Hoc & nos faciamus. Magnus thesaurus gratiarum actio, magna diuitia, inconsumptum bonum, armatura fortis: sicut blasphemia ingruentem iacturam intendit iis, qui peierare solent, plura insuper perire facit. Perdidisti pecunias? Si gratias quidem egeris, animam lucratus es: & maiores nactus es diuitias, quia dei benevolentiam hausisti amplius: si vero blasphemaueris, insuper & salutem tuam amisisti: & quam habuisti animam, & hanc occidisti. Sed postquam de blasphemia nobis verba nunc facta sunt, vnam vos omnes petere volo retributionem pro concione hac atque sermone: vt in ciuitate blasphemantes mihi castigetis: & si quempiam in biuio & foro deum blasphemantem audieris, accede, increpa: & si verbera infligere oporteat, ne recuses: ipsius faciem alapa percutere, contere os ipsius, percussione manum tuam sanctifica. Et si vlli accusauerint, & si in carcerem traxerint, sequere: & si poenas iudex pro tribunali repoposcerit, dic cum libertate, quod angelorum regem blasphemauit. Si enim regem terrae blasphemantes puniri oportet, multo magis illum contumelia afficientes. Commune crimen est, publica iniuria, cuique licet accusare volenti. Discant & Iudaei & gentiles, quod ciuitatis conseruatores sunt Christiani, & curatores, & praesides, & magistri: & idem discant dissoluti, & peruersi, quod & dei seruos ipsos timere oportet: vt etsi quid tale loqui aliquando eligant, sese vndique circumspeciant, & umbras timeant, anxij ne forte Christianus audiens insiliat, & vehementius puniat. Non audisti quid Ioannes fecerit? Tyrannum vidit hominem nuptiarum leges subuertentem, & cum fiducia in medio foro dicit: Non licet tibi habere uxorem Philippo fratris tui. Ego autem non ad tyrannum te duxi, neque ad iudicem, neque pro nuptiis temerarius, neque pro seruis contumelia affectus, sed pro furore in deum, & quale castigare deposco. Ergo si tibi dixissem, reges vel iudices prauaricantes puni vel corrige, non me insanire dixisses: Et tamen Ioannes hoc fecit: adeo non est id supra nos. Nunc vero saltem conseruum, vel aequali corrige, & si mori opus sit, castigare fratrem ne torpeas. Martyrium tibi hoc est: quoniam & Ioannes martyr fuit. Non sacrificare iustus fuit, neque idolum adorare, sed pro sacris legibus temeratis caput deposuit. Et tu igitur pro veritate usque ad mortem contende, & deus pugnabit pro te. Nec mihi illud dicas frigidum verbum, quae vero mihi cura est? cum ipso commune habeo nihil. Cum diabolo solo commune nihil habeamus: cum omnibus autem hominibus multa habeamus communia. Eiusdem enim nobiscum naturae participes sunt, eandem habitant terram, eisdemque aluntur nutrimentis, eundem habent dominum, easdem ceperunt leges, ad eandem nobiscum bona inuitatur. Ne igitur dicamus, quod nihil commune cum ipsis habeamus. Satanica est ista vox, diabolica inhumanitas. Ne igitur haec dicamus, sed congrua fratribus curam exhibeamus. Ego autem hoc cum omni polliceor diligentia, & vobis omnibus spodeo: quod si vos omnes hic praesentes, ciuitatem habitatum salutem curare volueritis, breui

tota nobis corrigeretur. Atqui nō minima ciuitatis pars est hic, multitudine minima, sed pietate summa. Dispēsemus salutem fratrum nostrorum. Sufficit vnus homo fidei zelo succensus, totū corrigere populum. Cum vero nō vnus tantū neque duo, vel tres, sed tanta sit multitudo, quæ negligentium curam possit attingere, non aliunde, sed per torporem vestrum, nō per impotentiam plures pereunt & labūtur: valde enim absurdum, si pugnam quidem in foro videamus, non accedere, & pugnantes conciliare: quid vero dico pugnam? Cum asinum cecidisse viderimus, omnes manum porrigere, & pariter erigere studemus: fratrum vero pereuntium curam habemus nullam. A finus est blasphemus, animi pondus non ferens, cecidit: accede, excita & per verba, & per facta, & per lenitatem & vehementiam, varia sit medicina. Et si sic nostra disponamus, & proximorū salutem suscipiamus, cito & illis ipsi correctionem admittentibus desiderabiles erimus, & amabiles: & quod omnibus maius est, repositis fruemur bonis, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, per quem, & cū quo deo & patri cum sancto spiritu gloria, potestas, honor nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

D. Ioannis Chrysostomi Antiochia in Ecclesia dicta veteri, habita in Theodosii magni imperatoris p̄j imaginum subuersione, & in dictum Apostoli: Diuitibus huius seculi præcipe non sublimē sapere: & contra auariciam.

Homilia II.

QUID dicam, aut quid loquar? Lachrymarum præfens tempus, non verborum: luctuum, non sermonum: deprecationis, non concionis.

Tanta patrum magnitudo, tam immedicabile vulnus, tam vasta plaga, & omni medicamine maior, & superni indigens auxilij. Sic enim & Iob omnibus amissis in fumo sedebat, & audientes amici accesserunt, & ipsum procul conspicati disciderunt vestimenta, & sibi cinerem insperferunt, & vehementer ingemuere. Idem nunc facere circumstantes omnes ciuitates oportebat, ad urbem nostram venire, & quæ ingruunt cum omni misericordia deslere. Ille in stercore tunc sedebat, hæc in magno laqueo nunc confidet. Sicut enim tunc diabolus in greges & armenta, & omnem iusti substantiam insiluit: sic nunc in omnem ciuitatem debacchatus est. Sic deus & tunc, & nunc permisit: tunc quidem, vt iustum clariorem redderet tentationum magnitudine: nunc vero vt nos modestiores tribulationis huius efficiat incursum. Date mihi, vt præsentia lugeam. Tacuimus dies septem, sicut & amici Iob. Date mihi hodie os aperire, & hanc communem lugere calamitatem. Quis nobis inuidit charissimæ: quis nobis zelatus est? Vnde tanta facta est mutatio? Nihil fuerat nostra ciuitate venerabilius, nihil factum est miserabilius. Populus tam compositus & mansuetus, velut equus manibus assuefactus, & domesticis semper accersentium manibus adueniens, repente tantum nunc nobis resiliit, vt tot mala gesserit, quæ neque dicere fas. Lamētor & lugeo nunc, nō propter expectatæ cōminationis magnitudinē, sed propter nimiam patrum insaniam. Licet enim nō irritaretur imperator, neque puniret & castigaret: quo modo, dic mihi, commissorum ignominiam ferremus? Luctu interciditur mihi doctrinæ sermo, vix valeo referare os, & labia aperire, linguam mouere, & emittere verba. Sic tanquam frænum doloris tumor impedit linguam meam, & verba corrūpit. Nihil ciuitate nostra prius erat beatus, nihil

nunc factum est miserius. Quemadmodū apes bombifantes alueare, sic forum per singulos dies habitates circūolabant, & omnes de hac nos multitudine beatos vocabāt. Sed ecce nunc hoc alueare solitariū redditū est: quæ admodum enim apes illas fumus, sic has apes timor fugauit. Et quod de Hierusalem Propheta lugens dixit, hoc & nos ad præfens tempus dicemus: Facta est nobis ciuitas, vt terebinthus abiectis folijs, & tanquam ortus aqua non habens. Quemadmodum enim ortus deficiente irrigatione, folijs priuatas & fructibus nudas arbores exhibet: sic & ciuitas nobis facta est. Superno enim ipsam destituente auxilio, solitaria remansit omnibus ferè habitatoribus nudata. Nihil patria dulcius, sed nunc nihil amarius factum est. Omnes terram quæ se tulit, tanquam laqueum fugiunt, deserunt tanquam barathrum, tanquam ab igne resiliunt. Et quemadmodum domo igne correpta, non tantum domum habitantes, sed & omnes proximi cum multa se recipiunt festinatione, nudū corpus saluare studentes: sic & nunc regia ira tanquā pyra quædam superne vt veniat expectata, priusquam per viam transiens ad ipsos perueniat ignis, quilibet prius exire, & nudum corpus seruare festinat. Et ænigma nunc facta est miseria nostra, sine hostibus fuga, sine pugna transmigratione & captiuitas. Nō vidimus barbaricum ignem, neque hostium vultus spectauimus, & ea quæ capti patimur. Nunc igitur omnes discunt calamitates nostras. Nostros enim exules suscipientes, ab illis ciuitatis flagellum discunt. Sed non super hoc confundor, nec erubescō: omnes intelligant ciuitatis pericula, vt matri condolentes communē ab omni terra ad deum vocem extollant, & vnanimiter communem omnium matrem & altricem, & a cœlorum rege deposcant. Prius conculsa est vrbs, nunc ipsa habitatorum animæ quatiuntur. Tunc domorum fundamenta quatiebantur: nunc ipsa cuiusque cordis ima circūuoluntur, & quotidie ante oculos nostros omnes mortem aspiciunt, & in continuo viuimus timore, & Cain pœnam sustinemus: olim carcerem habitantibus miserabilibus dispositi, & obsessione inuisitata quadam, & noua obsessi, & quam cogitatum sit grauiore. Etenim illi quidem ab hostibus hæc patientes, intra muros tantum concluduntur: nobis vero forū quoque inaccessibile, domo quisque sua inclusus est. & quæ admodum obsessis tutum non est muros transgredi, hostibus exterius circūfidentibus: sic neque multis urbem habitantium tutum domo exire, nec in medio apparere, propter eos qui vndique insontes venantur, & ex medio rapiunt foro, & in iudicium, vt accidit inuenire, temere trahunt. Propterea liberi cum seruis suis compediti intus sedent, quis comprehensus fuit: quis punitus hodie? quo modo & qua ratione solite quærentes, & curiose sciscitantes, a quibus talia secure discere possunt: & omni morte miserabiliorē degunt vitam, alienasque lamentari miseras quotidie coacti, & pro salute sua tremētes, & mortuis nihil melius habentes, quod dudum timore mortui sint. Si quis vero qui extra timorem & angustiam hanc sit, in forum procedere voluerit, tam tristi aspectu statim in domū suam retruditur, vix vnū fortē vel duos cernens inclinatos & cum multa incedentes tristitia, vbi ante paucos dies fluminum cursus multitudo superabat, sed nunc nobis omnes illi expulsi sunt. Et sicut ex arbusculo confito multis passim excisis arboribus, ingratus redditur aspectus, tanquam capitis multa habentis caluicia: sic & vrbs solum, hominibus ablatis, & paucis passim apparentibus in-

bus ingratum nunc factum est, & multam cernentibus tristitiæ caliginē offundit: non tantum vero terra, sed & ipsa aeris natura, & ipse solariū radorum circulus nunc mihi quodam modo mœrere, & obtusior lucere videtur: non elementis naturæ mutantibus, sed nostris oculis, qui tristitiæ nube turbati sunt, non valentibus pure, neque cum eadem virtute radorum lumē suscipere. Hoc est quod olim Propheta lugebat dicens: Occidet ipsis sol in meridie, & obtenebrabitur dies. Hoc autem dicebat nō quod planeta abscederet, neque quod dies euanesceret: sed quod mœrentes neque in meridie propter doloris caliginē lucem cernere possint: quod & nunc factum est, & quocumque quis respexerit, siue in terram, siue in parietes, siue in vrbs columnas, siue in proximos, noctē & obscuritatē profundā cernere videtur: sic omnia multæ plena sunt tristitiæ. Silentium vbiq; horrore plenū & solitudo, & desiderabilis ille multitudinis tumultus extinctus est. Et tanquā omnibus terrā subeuntibus, ita nunc ciuitatem taciturnitas continet, & saxi omnes similes sunt: & tanquā quodā linguæ vinculo calamitate cohibiti profundissimū retinent silentium, quantū, si hostes ingruissent, & omnes simul igne & ferro absumpsissent, factum fuisset. Nunc dicendi tempus est: Vocate lamentatrices, & veniant: & ad eas, quæ sapientes sunt mittite: & properent, festinent & afflant super nos lamentum. Deducant oculi nostri lachrymas, & palpebræ nostræ defluant aquis. Colles sumite mœsticiam, & montes luctum. Creaturam omnem in malorum nostrorum miserationē vocemus. Ciuitas tam magna, & Orientaliū caput è medio tolli terrarum orbe periclitatur. Nunc quæ multos habebat filios repente sine filiis facta est, & qui auxiliatur, nemo. Læsus enim est, qui non habet parem vllum super terram: summitas & caput omnium super terrā hominum. Propterea igitur ad supernum regem confugiamus, illum in auxilium inuocemus. Nisi supernā assequamur gratiam, nulla commissorum reparatio relinquitur. Voluissim hic concionem soluere. Nolūt enim gementium animi longos extēdere sermones: sed sicut nubes quædam condensata, & sub solarem radiū currens, omnem retrorsum splendorem auertit: sic & tristitiæ nebula, cum ante animum nostrum steterit, non sinit facilem esse rationis cursum, sed suffocat, & cum multa necessitate intus reprimat. Et hoc non dicē tibus tantum, sed & audientibus accidit: sicut enim ab animo dicentis non concedit ipsam cū facilitate exilire: sic nec in audientiū mentē permittit illabi cum propria virtute. Idcirco & Iudæi quondam luto, & lateritio operi seruiētes, Mosē magna de ipsorum salute dicentem audire non tolerabant, tristitia verbis inaccessibleam mentem reddente, & auditū obstruente. Igitur volebam quidem & ipse verba hic soluere, sed cogitās quod nō solum nebulae natura radij in anteriora processum impedit, sed & contrarium ipsa sæpe patitur: cū enim Sol calidior continue illapsus nubem contriuerit, medium ipsius sæpe dissipauit, & totus simul elucēs, splendidus cernentiū obtutibus incidit: hoc & ipse hodie me facturum spero. sermone in animis vestris continue versante, & amplius immorante, finitum iri spero tristitiæ nebulam, & mentem vestram solita rursus doctrina micaturā. Sed præbete mihi animā vestram, præbete mihi aliquantulum aures, tristitiam excutite. Ad priorem consuetudinem redeamus. Sicut confluuimus semper cum læticia huc aduenire: sic & nunc faciamus, omnia in deum reiciētes. Hoc & ad ipsam ca-

lamitatis solutionem nobis confert. Si enim dominus nos viderit sermones suos cum sedulitate audientes: & disciplinam nobis temporis difficultate nō respui, celeriter nos suscipiet, & tranquillitatem faciet, & ex præfenti procella bonorum mutationem. Christianum enim & in hoc ab infidelibus differre oportet, vt omnia generose ferat: & velut alatus se humanorum malorū impetu superiorem exhibeat. Supra petrā statutus est fidelis: propterea & vndarū ictibus inexpugnabilis est. Si enim tentationū vndæ eleuatæ fuerint, ad illius pedes non perueniunt, hic omni tali incursum sublimior firmatus est. Ne igitur concidamus dilecti: non sic salutem nostram curamus, sicut qui fecit nos deus. Non tantā nobis curæ est, nihil graue pati, quantā illi qui nobis animam donauit, & tost post hæc bona contulit. His nos ipsos spei rationibus velut alatos exhibeamus, & dicenda cum promptitudine solita audiamus. Longam nuper apud charitatem vestram extendi concionem, & omnes obsequentes cernebā, & nec ex media reuersos via: gratias vobis de illa promptitudine habeo, & laborum mercedem accepi. Sed & aliam a vobis tunc mercedem exegi. Fortē nostis & meministis. Quæ vero erat merces? ciuitatis blasphematores punire, & castigare deum contumelia afficientes, & impios cohibere. Non ex me ipso talia me dixisse arbitror, sed deū talia præuidentem in mentem nostram verba misisse. Si enim talia a vobis punissemus, nō talia nunc accidissent, quæ acciderunt. Quanto melius erat, si periclitari oportebat, ipsos castigantes & corrigentes aliquid pertulisse, quod & martyrij coronam nobis attulisset, quam nunc formidare & tremere, & ex illorum petulantia mortem expectare: Ecce paruum crimen commissum est, & culpa communis efficitur. Ecce propter illos nunc omnes pauescimus, & ab illis patrorū pœnas ipsi sustinemus. Si autem præuidentem ipsos ex vrbe expulissim, & correxissim, & ægrotum curassemus membrum, non præsentem timeremus pauorem. Noui quod ciuitatis mores a maioribus ingenti sunt. Sed peregrini quidam & promiscui homines scelesti & perniciosi, & de sua desperantes salute, ausi sunt quæ patrata sunt. Propterea clamare & contestari non destiti. Blasphemantiū furorē puniamus, ipsorum mentem castigemus, ipsorum saluti provideamus, & si hoc facientes mori oporteat, magnum nobis hoc afferet luctum, ne communē dominum contumeliis affici negligamus, Magnum ciuitati malum pariet talia despiciere. Hæc prædicebam, hæc nunc acciderunt, torporis illius pœnas pendimus. Deum contumelia affectū despexistis? Ecce permisit regem contumelia affici, & de extremis periculum omnibus impendere, vt in hoc timore illius negligentia pœnas demus. Num igitur frustra, num temere hæc prædicebam, & continue vestram charitatem interpellabam? Sed tamen nihil amplius factum est. Sed fiat nunc, & a præfenti calamitate castigati, inordinatum illorum furorē cohibeamus: obstruamus ipsorum ora, tanquam fontes mortiferos concludamus, & in contrarium mutemus, & penitus euanescent mala, quæ ciuitatem comprehenderunt. Nō est theatrum ecclesia, vt ad delectationem audiamus. Adiutos hinc recedere oportet, lucratos quæquam amplius & magnum, sic recedere expedit: quoniam temere & frustra proficiscimur, si ad tempus refrigerati, sic recesserimus vacui, & dictorum vtilitate inanes facti. Quæ mihi horum plausuum vtilitas, quæ laudum & tumultuum: Laus mea est, per opera vos omnia

1. Tim. 6. d

Iob. 2. c

Exod. 8. c

nia quæ dicuntur, exhibere. Tunc ego felix habedus & beatus, non quando suscipiatis, sed quando omni cum alacritate faciatis quæcunq; à nobis audieritis. Quisq; proximum corrigat: ædificate enim alter alterum, inquit. Nisi enim hoc faciatis, à quocunq; commissa præuaricatio, cõmune quoddam & intolerabile damnũ ciuitati afferet. Ecce nihil fecisse conscij non minus his qui peccauerunt, territi sumus & contremisimus, ne omnes imperatoris ira corripiat. Nec enim in excusatione nobis dicere sufficit: Non aderam, non cõsciũs eram, cõmissis nõ cõmunicauim. Ob hoc igitur, inquit, punieris, & vltimã pendes pœnam, quia non affuisti, nec prohibuisti, neq; cohibuisti tumultuantes, neq; pro regis honore periclitatus es. Non patris participasti: Laudo hoc & accepto. Sed neq; facta prohibuisti, hoc accusatione dignum. Hæc & de deo verba audiamus, quãdo cũ silentio contumelias & iniurias in ipsum commissas patimur. Quoniã & is qui talentum defodit, non pro reatibus suis tunc accusabatur, integrũ enim depositũ reddidit: sed quoniã ipsum non multiplicauit, quoniã non castigauit ceteros, quoniã argentũ ad numularios non detulit, non increpuit, nõ correxit proximos peccatores inordinatos, idcirco absq; misericordia in illas intolerabiles pœnas mittebatur. Sed si non antea, quod nunc saltem quidẽ hanc facietis correctione, & deum contumelia affici nõ negligetis, satis credo. Possunt enim quæ acciderũt, licet nemo sit qui admoneat, vel insensatos deinceps propria asserere salutẽ persuadere. Nobis vero iam hora est solitam vobis mensam apponere, dictione hodie nobis lectam promentes, & in mediũ omnibus proponetes. Quid igitur est hodie lectum: Diuitibus huius seculi præcipe, non sublime sapere. Qui dixit, Diuitibus huius seculi, demonstrauit & alios futuri seculi diuites esse: qualis ille Lazarus erat, in presenti quidẽ vita pauperrimus, in futura vero diues: non auro & argento, & vlla tali corruptibili & marcescibili materia affluens: sed arcanis illis bonis, quæ neque oculus vidit, neque in cor hominis ascenderunt. Hæc nãq; veræ diuitiæ, & opulentia: quãdo & immarcescibilia sint bona, & nullam capiant mutationem. Sed non talis erat ille contemptor diues, sed omnium pauperrimus factus est. Post hæc igitur stillam obtinere quærens, nec ipsius factus est compos, in tam extremam deuenerat paupertatem. Idcirco præsentis seculi diuites appellauit, vt discas, quod cum præsentis vita & copia pariter dissoluitur: nõ procedit vterius, non simul migrat cũ possessoribus migrantibus, sed ipsos sepius & ante finẽ deserit: quod & ipsum demonstrat dices, Neq; in incertũ diuitiarum: nihil enim tam infidũ, q̃ diuitiæ: quod cũ sepe dixerim, dicere non quiescam, quod fugitiuus est & ingratus seruus fidẽ non habens: vel si innumera ipsi vincula iniicias, sic quoq; cum ipsis vinculis aufugit. Sapius igitur pessulis & foribus ipsum possidentes concluderũt, seruatorũ adhibita custodia: ille vero seruis ipsis persuadens, cũ ipsis fugit custodibus, tanquam catenam eos trahens, & nihil profuit custodia. Quid hoc infidelius: quid vero his, qui circa hunc studium collocant, miserabilius: quando rem tam labilem omni studio colligere aggrediãtur, nec Propheetam audiant dicentem: Væ his qui confidunt in virtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum gloriantur. Dic quare væ: Theaurizat, inquit, & ignorat cui congregabit ea. Et quoniã labor quidem certus, fructus vero incertus. Sapius inimicis laboras, & erumnis conficeris. Sapius post mortẽ tuam ad eos qui te affe-

cerunt iniuria, & innumeris circunueniuntur insidiis, hæreditas veniens, tibi quidem peccata, possessionem vero aliis præbuit. Iam illud inquirere dignum est, quare non dixit, diuitibus præsentis seculi præcipe non ditescere, præcipe depauperari, præcipe quæ habent exhaurire: sed dixit, præcipe non sublime sapere. Nouit quod diuitiarũ radix & materia est superbia: & si quis modice viuere scierit, non multam earũ curam aget. Qua enim, dic mihi, causa multos circũducit seruos, parasitos, adulatores, & reliquam omnem pompã non vtilitatis causa, sed arrogantia folius, vt ex his venerabilior aliis hominibus esse videatur. Præterea nouit, non prohibitas esse diuitias, si quis in necessitatem ipsis vsus fuerit. Sicut enim dixi, non mala res vinũ, sed mala ebrietas: ita non mala res diuitiæ, sed mala auaricia, mala cupiditas. Aliud auarus, & aliud diues. auarus non est diues, auarus multorum indiget, indigens autẽ multorum nunquã diues esse posset. Auarus custos est, non dominus: pecuniarũ seruus, non possessor. Facilius enim alicui ex propriis carnibus, quã ex defosso auro communicaret. Velut enim iussus nihil de repositis tangere, sic cum omni diligentia ea seruat & detinet, a suis tanquam alienis abstinens. & certẽ sunt aliena. quæ enim aliis erogare nunquam pateretur, neq; in necessariis impendere, etiamsi infinitas sustineret pœnas: quomodo hæc esse propria putare posset? Quo modo vero eorum habet possessione, quorũ nec vsũ, nec fructũ cum libertate habet? Ad hæc vero non omnibus omnia Paulus imperare consuevit, sed & audientium imbecillitati condescendit, sicut & Christus fecit. Etenim illi diuiti ad se accedenti, & de vita loquenti non dixit: Vade, vende omnia quæ habes: sed hoc prætermittens, de aliis ipsum mandatis instruit. Deinde postquã ille ipsum inuitauit, inquit: quid adhuc mihi deest? neque tum simpliciter dixit, vende omnia quæ habes: sed si vis perfectus esse, vende quæ habes: hoc in tuo potest arbitrio, te electionis dominum constituo, non in necessitatem traho. Propterea & Paulus nihil de paupertate diuitibus loquitur, sed de humilitate: tum propter audientium imbecillitatem, tum quia optime sciebat, quod modeste agere, & à superbia alienũ esse, breui faciet ipsos & à studio diuitiarum liberari. Præterea nõ altum sapere admonens, & modum, quo non altum sapere possint, demonstrauit. Quis vero hic est? Si diuitiarum naturam animaduertet quã incertã sunt & infidã: quapropter intulit, neque sperare in diuitiarum incerto. Diues est, non qui multa possidet, sed qui multa expendit. Diues erat Abraham, sed nõ auarus: nõ enim huius domũ considerabat, nec illius substantiam curiose scrutabatur: sed egrediens contẽplabatur, num alicubi hospes, num alicubi pauper, vt paupertatẽ resarciret, vt peregrinũ exciperet: non auro tectum liniuit, sed apud quercũ illam tabernaculũ figens foliorum vmbra contentus erat. Et tam splendidũ ipi erat diuerforiũ, vt nec angelos apud ipsum manere pederet: non enim querebãt domus splendorẽ, sed animi virtutẽ. Hunc & nos imitemur, charissimi, & quæ habemus, in pauperes impẽdamus. Rudi modo paratũ erat illud tabernaculũ, sed regis aulis splendidus fuit. Nullus vnquam rex angelos suscepit: hic vero sub quercu sedens illa, cellamque figens, hoc honore dignus habitus est, non propter domus vilitatem honoratus, sed propter animi ornatũ & diuitias in ipso repositas hoc munere potitus. Et nos igitur ne domos ornemus, sed potius quã domum, animam nostram: quo modo enim

enim nõ turpe, marmoribus parietes frustra & temere cõtegere, Christum vero nudum circumeuntẽ negligere: Quæ tibi domus vtilitas homo? Nunquid enim ipsam tecum ducens abibis? Animã vero omnino ducens migrabis. Ecce nũc tale nos oppressit periculum. Assistant nobis domus, soluant periculũ nobis imminens: sed non poterunt, Vos ipsi mihi testes estis, desertas eas derelinqentes, & ad solitudinẽ exilientes, tanquam laqueos & retia timentes. Opitulentur nunc diuitiæ, sed non habent tẽpus. Si vero vbi hominis ira, peccuniarũ valor redarguitur, multo magis in diuino & inuitabili iudicio hoc fiet. Si homo est qui exacerbat, & argẽ fert, & nihil nobis nunc aurũ prodest: multo magis irascente deo pecuniarũ non indigente, auri potentia penitus euanesceat. Domo ædificemus, vt habitemus, non vt superbiamus. Necessitatem transcendens superfluum est & inutile. Calceare calceum pede maiorem, sed non tolerabis, te enim ad gressum impedit: sic & domus necessitate maior, in cœlos transitum impedit. Vis magnas & splendas domos ædificare? Non prohibeo, sed non super terram: ædifica tabernacula in cœlis, vt & alios suscipere possis, tabernacula nunquã deficientia. Quid infans circa fugietia, & hic manentia: nihil diuitiũ fallacias: hodie tecum, & cras contra te inuidorum oculos armant. Vndiq; hostis est contubernalis, inimicus domesticus: & vos possidentes testes qui omni modo ipsas infoditis & absconditis: quoniã & nunc nobis periculum intolerabilius diuitiæ faciunt. Nam cernis pauperes quidem succintos & expeditos ad omnia paratos: diuites autem multam habentes difficultatem, & circumeutes, & quærentes vbi aurum infodiant, quærentes vbi tandem deponãt. Quid quæris homo conseruos? Est Christus suscipere paratus, & deposita tibi seruare, nec tantũ seruare, sed etiam multiplicare, & cum multo fœnore reddere. Ex illius manu nemo eripit. Nõ seruat autem tantum deposita, sed etiam securum depositorem facit. In hominibus enim deposita suscipientes, gratiam se nobis prestare putant, si custodiant quæ susceperunt: in Christo autem contrarium. Non enim gratiam præstitisse, sed accepisse se dicit, cum deposita susceperit tua: & pro ipsa custodia, quam circa pecunias tuas exhibet, non te mercedem repetit, sed ipse tibi dat mercedem. Qua igitur sumus excusatione digni? qua vero venia: quando & custodire valentem, & pro custodia gratias habentem, & arcana & magna præmia pro hac custodia reddentem prætermittentes, hominibus circa huiusmodi custodiam debilibus, & gratiam nobis conferre se putantibus, & sola ipsa quæ dantur, postea reddentibus, nostra tradimus? Hospes es hic & peregrinus, patriam habes in cœlis. Illuc omnia trans mitte, vt & antequam fruaris, hic retributione capias. Qui enim bona spe alitur, & de futuris cõfidit, hic iam regnum gustauit. Nihil enim tantum animam reparare cõsuevit, & meliorem facere, quã bona futurorum spes, si eõ transmittens diuitias, animæ tuæ curam cum ocio congruo egeris. Omne enim studium in domus suæ ornatum impendentes, in exterioribus diuites interiora negligunt, & desertã & squalentẽ & araneis plenã animã suam despiciunt. Si vero exteriora negligentes circa mentem suam promptitudinẽ omnem impederint, vndique ipsam ipsam ornantes, tabernaculum Christo erit talium hominum anima: Christum autem habente inhabitatorẽ, quid vnquã felicius esse posset? Vis ditari? Amicum habeas deum, & omnium ditissimus eris. Vis

ditari: ne altum sapias. Hoc non ad futura tantũ, sed etiam ad præsentia vtile. Nihil enim tam inuidiosum, q̃ homo diues: quum vero superbia accesserit, duplex paratur præcipitiũ, difficilius ab omnibus bellum. Si vero modeste viuere scieris, succidis humilitate inuidiã tyrannidẽ, & cũ securitate habes quæcunq; habes: Talis enim est virtutis natura, nõ ad futura nos tantum adiuuat, sed & hic iam retributiones præbet. Ne igitur in diuitiis altum sapiamus, sed nec in vlla alia re. Si enim in spiritualibus altum sapiẽs labitur & perit, multo magis in carnalibus. Cogitemus naturam nostrã, peccata recenseamus, discamus qui simus, & hoc nobis in totius humilitatis materiam sufficit. Ne dicas mihi, tot & tot annorũ prouentus repositos habeo, auri talenta innumera, lucra per singulos adaucta dies. Quantacunque dixeris, omnia temere dices & incassum. Sapius vna hora & breui tẽporis momẽto, velut vento superne ne irruente iactabilis puluis, sic hæc omnia ex domo exufflantur. Et horum vita plena, plenã vero scripturã disciplinarum & exemplorum. Hodie diues, cras pauper. Idcirco sapius nisi testamenta legens, dicentia, ille quidem habeat agrorum vel domus dominũ, vsũ vero alius. Omnes enim vsũ habemus, dominũ autẽ nemo: etsi enim nobis per omnẽ permaneant vitam nullam facientes diuitiẽ mutationem, vsũ limus nolimus in fine aliis cedemus, ipsarũ vsũ solo decerpto, dominio autem nudi & orbatũ ad illam vitam migrantes. Vnde manifestum est, q̃ illi soli dominũ habet, qui & ipsarũ vsũ contempserunt, & fructũ deriserunt. Qui enim præsentibus abiectis, ipsas pauperibus erogat, in necessaria vsũ est, & ipsorum dominum habens obiit: neq; per ipsam mortem illa excidens possessione, sed omnia illo recipiens tempore, & illis multo plura, quãdo in die iudicij illorum præsidio maxime egebit, & quãdo omnes factorũ rationes repetemur. Itaq; si quis vult diuitiarũ & possessionem & vsũ & dominũ habere, ab omnibus præsentibus liberetur: quoniã hoc nõ faciens, in morte ab ipsis omnino separabitur: multo tẽporis & ante finem cum periculis & infinitis malis ipsas amittit. Nec hoc solum malum est, quod mutatio fit repente vniuersa, sed quod impræmeditatus ad paupertatis tolerantia diues deducitur. Sed non talis pauper: nõ enĩ auro confidit, & argento inanimatis materiis, sed deo omnia copiose præbenti. Itaq; diues magis in incerto q̃ pauper constitutus est, cũ frequentes & cõtinuas mutationes recipiat. Quid vero est quod dicit præbere nobis omnia abundanter ad fruendũ? Omnia cũ largitate dat deus, quæ sunt pecuniis multo magis necessaria, vt aërem, aquã, ignem, solem, omnia talia. Nõ licet dicere, quod magis splendore diues, minus vero pauper fruatur. Non licet dicere, quod copiosorem aëre, q̃ pauper respiret diues: sed omnia paria & cõmunia proposita sunt. Quare igitur maiora quidẽ & magis necessaria, & vitam nostrã contentia communia deus fecit: minora vero & viliora non sunt cõmunia? pecunias dico. Quæ de causa? Vt vita nostra conseruetur, & virtutis studia habeamus. Si enim non essent necessaria hæc communia, fortẽ diuites solita vsũ auaricia pauperes suffocassent. Si enim in diuitiis faciunt hoc, multo magis in illis fecissent. Rursum si & pecuniarũ communes essent, & similiter omnibus proposita, elemosynã occasio sublata esset, & charitatis opportunitas. Vt igitur secure viuamus, communes facta sunt nobis vitæ causa: rursum, vt habeamus coronarum & probabiliũ actionum occasione, non cõmu-

nes factæ sunt pecunie, vt auariciam exosi, & iusticiam sectates, nostra indigentibus erogantes, aliquod peccatorum nostrorum remediū per viam hanc capiamus. Diuitie te fecit deus, vt egenis auxiliaris, vt peccata tua soluas per liberalitatem alius exhibitam. Dedit tibi pecunias, non vt in mortem claudas, sed vt in salutem tuam effundas. Propterea & ipsarum possessionem incertam & non stabilem fecit, vt per hoc insanie circa ipsas intentionem dissolueret. Si enim nunc possidentes, qui de ipsis considerare non valent, quinimmo multas ex hac re nascetes insidias cernunt, sic circa illarum desiderium succeduntur: si & hoc propositum esset, vt stabiles & minime caducæ forent: cui pepercissent? Vnde abstinuissent? qua vidua: quibus pupillis: quibus pauperibus? Ne igitur magnum putemus bonum esse diuitias. Magnū enim bonum non possidere pecunias, sed dei timorem & reuerentiam possidere. Ecce nūc si quis esset iustus, & apud deum fiduciæ habens multum, & si omnium hominum pauperrimus esset, præsentia mala solvere posset: satis enim esset tantum in cælum manus extendere, & deum inuocare, & hæc nebula præteriret. Si vero aurum tantum repositum est, luto omni ad impendentium malorum solutionem inutilius est: nec in hoc tantum periculo, sed & si morbus comprehenderit, siue mors, siue aliud quid huiusmodi, redarguitur pecuniarum vis impotens, & nullam valens de proprio consolationem in aduersis afferre. Vnum est quo paupertatem diuitiæ superare videntur, quotidianis diffuere deliciis, & multa in conuiuio repleti voluptate. Hoc tamē & in pauperū mensa contingere videtur, & hos maiori quam omnes diuites voluptate frui. Et ne miremini dictum: ex ipsa enim rerum demonstratione hoc vobis faciam manifestum. Nostis quippe omnes, & hoc confitemini, quod voluptatem in conuiuio non ferculorum natura, sed conuiuantiū dispositio facere consuevit: puta, cum fame quis mensam attingens, omni obsonio & condimento, & innumeris ciborum illicebri iucundiorum escam gustabit, etsi omnium vilissima sit. Necessitatem vero & esuriam præueniens, quod diuites faciunt, si etiam placetas inuenerit appositas, non sentiet voluptatem, ipsius appetitu non excitato. Et vt discas, quod hoc ita habet, testes quidem & vos omnes. Audiamus autem & scripturam hoc ipsum dicentem: Anima saturata calcabit faenum, & anima esuriens etiam amarū pro dulci sumet. Et certè quid fauo dulcius & melle: Sed nō iucundum, inquit, nō esuriens. Quid vero amarum iucundius: sed dulcia sunt in pauperie constitutis. Quod autē pauperes cum necessitate & esurie ad cibum veniant, diuites vero eam non expectent, hoc cuique manifestum est: vnde legitimam & synceram voluptatem non capiunt. Nec in cibis tantum, sed & in potu idem accidere videre licet. Et sicut illic esuries supra escarū naturam voluptatem inducit: sic & hic sitis iucundissimum potum facere consuevit, & si pura sit aqua quæ bibatur. Et hoc ipsum Propheta demonstrans, dicebat: Et ex petra melle saturauit eos. Atqui hoc nusquam in scriptura lectū est, quod mel de petra Moyses eduxerit, sed ubiq; fluuios & aquas, & frigida fluuenta. Quid igitur tādē est quod dicitur: neque enim scriptura mentitur. Postquam enim sitientes & indigentia defatigati frigidioribus aquis inciderunt, ex potu voluptatē asserere volens, mel aquam appellauit: nō tanquam mutata in mel natura, sed bibentium dispositione fluuenta illa melle iucundiora faciente. Didicisti, quo modo & potum suauem sitiētium affectio reddere consuevit? Multi igitur pauperes sape la-

Prou. 27. 16

Psal. 80. c

borantes, & defatigati, & siti ardentes cum dicta voluptate talia libauerit fluuenta: diuites vero vinū suauem, & floridum odorem, & omnem virtutem habēs, quæ in vino optari possit, haurientes, non eandem sensere delectationem. Hoc & in somno fieri videas. non enim molle stratum, neque deargētatus lectus, neque quies per domum facta, neque aliud huiusmodi quicquā somnum dulcem & prolium facere solet: sicut laborare, & lassari, & vehemēter somni indigentes & dormitantes reclinari: & hoc quidem testatur & rerum experientia. Testatur autem & ante rerum experientiam scripturarum sententia. Deliciis enim innutritus Salomon idem demonstrare volens, dicebat: Iucundus somnus seruo, siue parum, siue multū comedat. Cur igitur addit, siue multum siue parū comedat? Ambo hæc vigiliam inducere solent, indigentia, & crapula: illa quidem spiritum arefaciēs, & palpebras corneas reddēs, nec claudi permittens: hæc vero anhelitū angens, & elidens, & multos inferens dolores. Sed tāta est laborum medicina, quod si etiam ambo adsint, seruus dormire potest. Postquam enim serui tota die ubique circuncursant, dominis suis ministrantes, vapulantes, laborantes, & ne minimū quidem respirantes, sufficientem lassitudinem & laborum illorum retributionem capiunt, in dormiendo voluptatem. Et hoc dei benignitate factum est, vt non aurū & argento, sed labore, & erumina & necessitate, & omni disciplina voluptates emi valeant. Sed non sic diuites, sed stratis mollibus iacentes, multoties totam noctem ducunt in somnē, & multa machinantes tali nō fruuntur voluptate. Pauper ex diurnis laboribus surgens, defatigata habēs membra, priusquam recubuerit, integrum & suauem, & legitimum somnū suscepit, non exiguum & hanc istorum laborum capiēs mercedem. Cum igitur cum maiori voluptate pauper & dormiat, & bibat, & comedat: qua gratia erunt amplius diuitiæ digna, quam videbuntur supra paupertatem prærogatiuam habere & hac priuate? Propterea & ab initio deus homini laborem alligauit, non puniens neque ipsum castigās, sed corrigens & docens. Quando illaboriosam vitam degebat Adam, paradiso excidit. Quando laboriosam & ærumnosam Paulus agebat vitā, in labore & erumina noctem & diem operans, tunc in paradysum raptus est, & tertium in cælū ascendit. Ne igitur labore respiciamus, nec operationē vituperemus. Etenim ante cælorum regnum hic maximum capimus præmiū, ex ipsa re voluptatē capientes: non autē voluptatē tantum, sed & quod multo voluptate maius est, purissimā sanitatē. Diuitibus enim in iucunditate & multæ ægritudines irruunt: pauperes autem à medicorum manibus immunes sunt. Si vero nōnunquam & in imbecillitatē incidant, breui seipos instaurant, mollicie omni liberi, & corpora robusta habentes. Magna possessio paupertas sapienter ipsam ferentibus, thesaurus qui nequeat auferri, baculus firmissimus, inculpabilis possessio, diuerforium ab insidiis tutū. At opprimitur, inquit, pauper: sed maiores insidias diues patitur. Contemnitur pauper & contumeliis afficitur, sed diuiti inuidetur. Non tam expugnabilis est pauper quam diues, infinitas vndique & diabolo & insidiatoribus occasiones præbēs, omniū seruus propter multam rerum abundantiam, in multorum necessitate constitutus, & multis adulari cogitur, & cum multa illeberalitate seruire. Pauper autem si philosophari sciat, neque ab ipso diabolo expugnari potest. Iob igitur & ante hoc cum fortis esset, postquam omnia amisit, tūc factus est fortior, & egregiā contra diabolum victo-

Ecl. 5.

Gen. 2. 2. c. 11

riam

riam reportauit. Præterea vero nec iniuriam pati pauper potest, si philosophari scierit. Quod enim dixi de voluptate, quod voluptas non in ciborū apparatu, sed in comedentium affectu sita est: hoc & de contumelia dico, quod contumelia non à contumeliantium sententia, sed à patientium affectu constituitur vel destruitur. Verbi gratia, Multa quispiam in te fanda atque nefanda conuicia dixit: si contumelias deriseris, si verba non acceperis, & vulnere superior sis, contumeliam non es passus. Et quemadmodum si corpus adamantinum haberemus, & si innumeris vndique telis percuteremur, non tamen vulnera reciperemus: non enim à manu tela torquente, sed à corporibus patientibus vulnera fiunt. Sic & hic non à petulantium insania, sed à patientium contumelias imbecillitate, iniuria & contumelia constituitur. Si enim philosophari sciamus, nec contumelia affici possumus, nec quicquam graue pati. Aliquis iniuriam intulit, non sensisti nec doluisti: non es iniuriā passus, sed & magis percussisti, quam percussus es. Cum enim qui contumeliam intulit, plagam suam ad patientium animam nō peruenientem viderit, ipse maiorem in modum roditur: & tacentibus contumeliam patientibus, sponte contumeliarum plaga contra mittentem conuersa inferitur. In omnibus igitur philosophemur, & nihil nos inopia ledere poterit: quin & maxime adiuuabit & clariores reddet, & omnibus diuitibus copiosiores. Quid enim, dic mihi, Helia pauperis: sed præterea omnes diuites vincebat, quoniā pauper hic erat: ipsam vero paupertatem ex mentis opulencia elegit. Quoniam enim omnem pecuniarum copiam animi sui magnitudine esse putauit inferiorem, nec philosophia sua dignam: ideo tantam pauperie amplexatus est. Quod si magna præsentia putasset, non solam meloten possidisset: sed ita vitæ vanitatem condemnauit, & tāquam lutum proiectum aurum omne despexit, vt præter amictū illum nihil amplius possideret. Idcirco rex pauperis indigebat, & verbis nihil plus quam meloten habentis inhiabat, qui tantum habebat auri: adeo splendidior trabea erat melote, & regalibus aulis iusti spelunca. Propterea & in cælū ascendens, nihil aliud quam meloten discipulo reliquit. Cum hac, inquit, cū diabolo pugnaui, & tu contra illum armatus hæc capies. Validum enim telum inopia, & inexpugnabile habitaculū, & turris inconcussa. Tāquam maximam hæreditatem Helias meloten suscepit: etenim verè maxima fuit hæreditas, omni auro preciosior. Et erat posthac duplex Helias ille, & erat sursum Helias, & deorsum Helias. Noui quod iustum illum beatum putatis, & velletis quisque esse vt ille. Quid igitur, si vobis demonstrauero quid aliud, quod illo multo maius omnes facris mysteriis imbuti recepimus: Helias nēpe meloten discipulo reliquit. Filius autem dei ascendens, suam nobis carnem dimisit: sed Helias quidem exutus, Christus autē & nobis reliquit, & ipsam habēs ascendit. ne igitur animo cōcidamus, neque lamentemur, neque temporū difficultatem timeamus. Qui enim sanguinē suū pro omnibus effundere non recusauit, & carnē suam, & rursus ipsum sanguinem nobis comunicauit, nihil pro salute nostra recusabit. Hac igitur spe fidentes ipsum continue rogemus, & precibus & supplicationibus vacemus, & reliqua virtutis cum omni diligentia curam habeamus: vt & instans fugiamus periculum, & futura assequamur bona: quibus nos omnes dignos censerit contingat, gratia &c.

Tomus quintus.

A In professione Episcopi Flavianii, pro ciuitate ad imperatorem legationem obeunus. Et quod detrabere quā humanum corpus comedere peius est. Et de iugulatis propter seditionem: & ad criminantes, quoniam multi non seditionis capi sunt. Homilia III.



VANDO ad sedem hæc derelictam & magistro vacuam respicio, gaudeo simul & lachrymo: lachrymo quidem, quod præsentem non video patrem: gaudeo autem quod pro salute nostra profectus est, & tantū abiit populū à furore regis erepturus. Hoc & vobis ornamentum est, quod talē sortiti estis patrem: & illi corona, quod circa filios tam benignus est, & à Christo dictum per opera confirmauit. audiēs enim, quod pastor bonus animam suam ponit pro ouibus: abiit pro nobis omnibus animā suā postiturus, & si multa erant ipsum abire prohibentia, & manere cogentia: & primo ætas ad vltimam prouecta senectutem, postea corporis imbecillitas, & anni tempus, & sanctæ celebritatis necessitas, ad hæc vnica soror in extremo constituta spiritu: sed tamen & consanguinitatē despexit, & senectutem, & imbecillitatē, & temporis difficultatem, & itineris asperitatem: & omnibus vos vestramque salutem preponens, hæc omnia vincula dirumpit, & tanquam iuuenis fertur senex, nūc alatus promptitudine factus. Si enim Christus, inquit, seipsum pro nobis dedit, qua essemus nos excusatione & venia digni, tanti custodiā populi creditam habentes, & non eligētes omnia & facere & pati pro creditorū nobis securitate? Si enim patriarcha, inquit, Iacob pecudibus prepositus, & oues irracionales pascēs, & homini rationes redditurus, & noctes ducebat infomes, & æstum, & gelu, & omnem aëris intemperie ferebat, vt nulla illarum pecudum periret: multo magis nos non irrationalibus, sed spiritualibus ouibus prepositos, & non homini, sed deo præsidetia huius rationes reddituros, ad nihil torpere & tergiversari oportet eorū, quæ gregem iuuare possint. Sed quanto melior grex iste grege illo, & brutis quidem homines, hominibus vero deus: tāto maius & nos vehemētiusque studium & promptitudinem exhibere oportet. Nouit ille planē, quod non pro vna sibi nunc ciuitate negocium, sed pro Oriete toto. Ciuitatum enim sub Oriete positarum caput & mater est ciuitas nostra: propterea omne periculum subiit, & nihil illum hic retinere potuit. Ideoque bonas fore spei opportunitates spero: nō enim tantam sedulitatem & curam deus despiciet, neque seruum suū infectis rebus redire permittet. Noui quod & tantū visus ille, & religiosum imperatorē conspicatus, ex aspectu solo statim iram corripere poterit. Sanctorum enim non tantum verba, sed & ipsi aspectus spirituali gratia pleni sunt. Hic vero & multa sapientia plenus est, & cum diuinarum legum sit peritus, ad ipsum dicet, quod & Moyses ad deum: Si dimittis quidem ipsis peccatum, dimitte: si non autem, & me occide cum ipsis. Talia enim sanctorum viscera, cum filiis mortem, quam sine ipsis vitam dulciorem esse putant, adiuciet à tempore patrociniū, & sacrum Pascha proponet, & commemorabit tempus, per quod orbi terrarum toti Christus peccatum remisit, dominum imitari exhortabitur, & parabola illius decem milium talētorum, & centum denariorum ipsum commonebit. Noui patris nostri fiduciam, nō recusabit ipsum per hanc similitudinem terrere & dicere: Vide ne forte & tu illo die audias: Serue nequā, omne debitum illud dimisi tibi, quoniam rogasti me, oportebat & te dimittere conseruis tuis. Tibi ipsi magis quam

Ioan. 10. 6

Tit. 3. d

Gen. 29.

Exod. 32. 8

Mat. 18. d

b quam

quàm illis prodes, in paucorū dimissione peccatorum maiorum obliuionem recipiens. Addet prædictis & orationem illam, quam qui sacris initiare mysteriis, orantem dicere docuerunt: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Ad hæc docebit, quod non commune ciuitatis fuit peccatum, sed hominum quorūdam externorum, & aduenarum nihil cum ratione facientium audacia & omnis preuaricatio. Nec iustum esse posse pro paucorum temeritate tantam diripi ciuitatē, & qui nihil iniuste fecerunt, pœnas luere: alioquin etsi omnes peccassent, dignas dedissent pœnas, tot diebus timore consumpti, & per singulos mori dies expectantes, pulsī exulantes, reis miserabilibus uiuentes, sanguinem in manibus gestantes, & de vita sua non confidentes. Hæc tibi pœna sufficiat, ne ulterius ira procedas, mitem tibi supernū iudicem per humanitatem in cōseruos redde. Cogita vr̄bis magnitudinem, quod non de vna, vel de duabus, vel tribus, vel decē animabus nunc nobis est consideratio, sed de milibus infinitis, de totius orbis capite. Hæc ciuitas in qua primum appellati Christiani, honora Christū, reuerere eam quæ prima nomen hoc omnibus desiderabile & dulce prædicauit. Apostolorum illa fuit tabernaculum, habitaculum iustorum. Nunc hoc primum & solum in principes facinus patratū est, & ciuitatis mores omne præteritū tempus testatur. Si enim continue seditiones moueret, improbitatem cōdemnare oporteret: si vero semel hoc omni tempore accidit, certum est, quod nō ciuitatis morum est peccatum, sed eorū qui impudenter & temerē in ciuitatem irruerunt ista infania fuit. Hæc sacerdos & plura his cū maiori dicit fiducia, hæc Imperator audiet: & ille humanus, & hic fidelis. Vnde vtrinque bonas habemus spes. Magis autem & supra magistrī fidem, & regis humanitatē, dei misericordiæ fidimus: etenim & rogato regi, & rogati sacerdoti ipse solus assistet, regis cor emolliens, sacerdotis linguam excitans: huius verba secundans, illius mentem præparans, dictis multa cum venia suscipiendis & petitionibus concedendis. Etenim ciuitatum omnium nostra Christo optatissima, tum propter progenitorum, tum propter vestram virtutem. Et sicut Petrus inter apostolos primus Christum prædicauit: sic inter ciuitates, sicut iam dixi, hæc prima tanquam coronam quandam admirabilem Christianorum tulit appellationē. Si vero vbi decem tantum iusti essent, omnes inhabitantes deus saluare promisit: vbi non decem & viginti, neque bis totidem solum, sed multo plures sunt, deum cum omni diligentia colentes, quo modo non oportet bona sperare, & de communi nostra omnium salute cōfiderē? Audiui multos dicentes, minā regis iræ Leonis similes, & concidentes & lamentantes. Quid igitur aduersus illos dicemus: quod qui dixit: Lupi & agni simul pascentur, & pardus cum hædo quiescet, & leo tanquam bos paleas comedet: & hunc leonem reddere ouem poterit mansuetum. Supplicemus igitur ipsi, & ad ipsum legationem mittamus, & regis animum penitus corripiet, & ab omni nos instanti angustia liberabit. Pater illic legationem obit, nos hinc ad cœlorum regem mittamus legationē, ipsum precibus adiuuemus. Multum ecclesiæ communitio potest, si anima dolente, si corde contrito preces emittamus. Non opus est mare transire, nō opus est longam subire peregrinationem: omnes & ad ecclesiam occurrentes, & domi manentes multo deū studio inuocemus, & omnino supplicationibus annuet. Vnde hoc manifestum: quod vehemēter

Gen. 18. d

Esa. 11. g.

cupit nos ad ipsum semper cōfugere, & in omnibus ipsum deprecari, & nihil absq; ipso vel facere vel dicere. Homines enim, quando ipsis cōtinue negotium facimus pro rebus nostris, languescunt & tergiuersantur, & egre ferunt. Deus autem prorsus in contrarium: non quando ipsi cōtinue occurrimus pro rebus nostris, sed quādo nō hoc facimus, tunc maxime indignatur. Audi igitur quid Iudeis obiicit, dicens, Fecistis voluntatem meam, & nō per me: & pacta, & non per spiritū meum. Talis enim amantium consuetudo: omnia adamatorum negotia per se fieri volūt, & nihil sine se illos neq; facere, neque dicere. Propterea & deus nō hic tantum, sed & alibi idem rursus exprobrans dicebat: Regnauerunt, & nō per me imperauerunt, & non significauerunt mihi. Ne igitur torpeamus continue ad ipsum cōfugere, & quidcunq; graue fuerit, omnino remediū accipiet conueniens. Terruit homo, curre ad supernum dominū, & nil graue patieris: sic antiqui calamitates auertebant, non tantum viri, sed & mulieres. Fuit quædam mulier Hebræa, Hester erat ipsi nomē: hæc Hester vniuersum Iudæorum populū internecione delendum sic eripuit. Postquā Persarum rex omnes passim Iudæos interimi iussit, & nullus erat qui cōtra iram illius obistere posset: pristinū vestitū exuta mulier, & sacco amicta, & cinerem substrata, diuinæ clementiæ supplicabat, vt secum ad regē ingrederetur, & talia orans verba ad ipsum dabat: Grata domine fac verba mea, & da sermonem ornatū in os meum. Hæc & pro magistro nos nūc deū oremus. Si enim mulier pro Iudæis supplicans Barbaricum corripere furore potuit: multo magis doctor noster pro tali ciuitate, & cum tanta ecclesia supplicās, benignissimum & mitissimum hūc regem flectere poterit: si enim peccata in deum soluendi potestate accipit, multo magis in hominē patrata destruere & delere poterit. Princeps est hic quoque, & quidē illo honoratior. Etenim ipsum regis caput sacras leges ferentes huius manibus subiecerūt: & quādo aliquid boni cœlitus requiritur, rex ad sacerdotē, non sacerdos ad regē cōfugere solitus est. Habet & hic iusticiæ thoracē, habet & loricā veritatis, habet & calceamēta multo honestiora ab euangelio pacis: habet & gladiū, nō ex ferro, sed spiritus: habet & coronā capiti impositā. Splendidior hæc armatura, preciosiora hæc arma, maior fiducia, maior vis. Itaque & pro principatus magnitudine, & propria magnanimitate, & ante reliqua omnia, pro firma in deū spe, cum multa fiducia, cum multa prudētia regem alloquetur. Ne igitur de salute nostra desperemus, sed supplicemus, precemur, petamus, oremus, ad supernum regē multis cum lachrymis legationē mittamus. Habemus & ieiunium hoc cooperās, in hac pulchra legatione nobis adhærens. Quemadmodū itaq; præterita hyeme, & astate apparente, nauta quidem nauigium dedit, miles vero arma deterget, equūq; ad bellum parat, & agricola acuit falcem, & viator fiducia plenus longum iter aggreditur, & ad certamina pugil expoliatur, seq; denudat: sic & nos ieiunio tāquam astate quadam spirituali apparente, & arma tāquam milites abstergamus, & falcem acuamus tanquam agricolæ, & tāquam nautæ contra vndas, contra absurdarum cupiditatum cogitationes opponamur, & tanquā viatores arduū ad cœlum iter inuadamus, & tāquam pugiles ad certamina spoliemur: fidelis enim, & agricola, & gubernator, & miles, & athleta, & viator est. Idcirco Paulus quoque dicit: Nō est nobis lucta aduersus sanguinē & carnem, sed aduersus principes & potestates: induite igitur armaturam

Ost. 24.

1. Cor. 3. b

2. Tim. 2. a.

Luc. 18. b.

Eph. 6.

maturam dei. Vidisti athletā, vidisti militem? Si athleta es, nudum in certamen te descēdere oportet: si miles, armatum ad pugnam consistere necesse est: quo modo igitur vtraque hæc simul esse possint, & nudum esse, & non nudum: & indutum, & non indutum? Exue vitæ negotia, & athleta factus es: indue arma spiritualia, & factus es miles. Te ipsum vitæ curis denuda, luctæ enim tempus est: arma spiritus indue, bellum enim nobis cōtra dæmones cōstitutum est graue. Propterea & nudum esse oportet, vt nullam diabolo nobiscum luctanti ansam præbeamus: & vndique armari, vt nullā letalem plagam accipiamus. Excole animā tuam, & spinas excide: semina verbum pietatis, pulchras disciplinæ plātas infere, & cum multa diligentia repastina: nam agricola factus es, & tibi dicit Paulus: Laborantē agricolā oportet primum fructus percipere. Hanc & ipsē artem tractabat: idcirco Corinthiis scribēs dicebat: Ego plātaui, Apollo rigauit, deus autē incrementū dedit. Acue falcem tuam, quam per crapulam hebetasti, acue per ieiunium, aggredere iter in cœlum ferēs, asperam & angustam viam attinge & ambula. Quo modo autē poteris & attingere & ambulare? Castigas corpus tuū, & in seruitutem redigēs: vbi enim via angusta, magnum impedimētum est carnis ex crapula obesitas. Absurdarum vndas cōcupiscentiarum reprime, repelle improbarum hyemē cogitationum, salua nauigium, multam ostende peritiam, & factus es gubernator. Horum autem omniū nobis materia ieiunium, & magister est, ieiunium autē dico, nō hoc vulgare, sed accuratum ieiunium: non tantum ciborum abstinentiam, sed & peccatorum: nō enim ieiunij natura peccata eximere sufficit, nisi congrua cum lege fiat. Etenim athleta, inquit, non coronatur, nisi legitime certauerit. Ne igitur inter ieiunij labore a ieiunij corona excidamus, discamus qualiter & quo modo huiusmodi negociū tractare debeamus: quoniam & phariseus ille ieiunauit, sed post ieiunium illud descendit inanis, & ieiunij fructibus cassus. Publicanus non ieiunauit, & phariseum ieiunantē præcessit, non ieiunans, vt discas quod ieiunij vtilitas nulla, nisi & reliqua omnia cōsequantur. Ieiunauerunt Niniuitæ, & dei misericordiam elicerunt: ieiunauerūt & Iudæi, & nihil profecerunt, sed culpato abierunt. Quoniam igitur tantum ieiunij periculum est nescientibus quo modo ieiunare oportet: ieiunij leges discamus, ne in incertum curramus, nec aërem verberemus, neque pugnantem cum vmbra dimicemus. Medicina est ieiunium: sed medicina licet millies utilis sit, per vtētis imperitiam inutilis sæpe fit: etenim nosse oportet & tēpus quo ipsam adhibere opus sit, & ipsius medicamēti quātitatem, & corporis temperiem suscipientis, & regionis naturam, & anni tempus, & cōgruum victum, & multa alia: quorū si quodlibet prætermisum fuerit, reliquis omnibus nocebit. Si autē vbi corpori mederi oportet, tanta nobis opus est diligentia: multo magis cum animā curemus, & cogitationibus medeamur, omnia scrutari, & cum omni sedulitate cōsiderare necesse est. Videamus igitur quo modo Niniuitæ ieiunauerūt, & quo modo ab illa liberari sunt ira. Homines, & iumenta, & pecudes, & oves ne pascātur, inquit. Quid dicis? Et bruta ieiunant & equi: & muli sacco vestiuntur? Etiam, inquit, sicut enim diuite aliquo mortuo, non seruos solos & ancillas, sed & equos necessarij sacco amicientes, & agasonibus tradētes ad sepulchrum sequi iubent, calamitatis magnitudinem ostentātes, & omnes ad misericordiam allicientes: sic & in ciuitate illa mori peri-

Tomus quintus.

clitante, & brutam naturam sacco circumtesserūt & ieiunij iugo subiecerūt. Nō licet brutis sermone dei iram discere, discant fame quod a deo infligitur plaga: etenim si dirueretur, inquit, ciuitas nō tantum nostri inhabitantium, sed & horum vna esset cōmunis sepultura. Pœnæ igitur partē habere debēt, & ieiunij partem capiant. Et aliud vero quiddam tunc fecerunt, quod & propheta faciunt: etenim illi cum flagellū aliquod intolerabile de cœlis ferri viderint, atque puniedos sine fiducia esse, cōfusione plenos, neque venia neq; excusatione vlla dignos, nec habeant quid faciant, nec vnde condemnatis præbeant patrocinium, ad bruta confugiunt, & illorum mortē deplorātes, ex his supplicationem faciunt, & miserabile & luctuosam ipsorum perditionē proponentes. Cum igitur fames olim Iudæos cōprehēdisset, & multa regionem siccitas premeret, & omnia cōsumerentur: hic quidam prophetarum dicebat: Resilierunt iuuecæ apud præsepia sua, fleuerunt armenta boum, quoniā non erant pascua: omnia iumenta terræ respexerūt ad te, quoniam exiccata sunt emissiones aquarum. Ille vero ex siccitate mala lugens, rursum sic ferē dicit: Cerui in agro pepererunt & dereliquerunt quoniā non erat herba, onagri in pratis subfiterunt, attraxerunt ventū sicut draco, defecerunt ipsorum oculi, quoniā non erat fœnum. Propterea & hodie Ioel dicentē audistis: Egrediat sponus è cubiculo suo, & sponsa è thalamo suo, infantes fugentes vbera. Qua de causa, dic mihi, immaturam ætatem ad supplicationem vocat? Nōne certum est, quod propter eandem causam: quoniam enim omnes viri ætate perfecti exacerbauerunt deum, & ad iracundiam cōcitarunt, ætas, inquit, peccatorum expers irato supplicet. Sed quid dicebam, videamus, quid tandem sit, quod inenitabilem illam iram soluerit. Num ieiunium solum & saccus: nequaquā, sed totius vitæ mutatio. Vnde hoc manifestū: ab ipsis propheticis verbis. De dei enim ira locutus & illorum ieiunio, idem conciliationē & conciliationis causam dicēs, sic inquit, Et vidit deus opera ipsorum. Qualia opera: quod ieiunauerunt? quod faccum induerunt: nihil horum, sed hæc omnia tacēs, intulit: quoniā conuersus est quisque à viis suis malis, pœnituit mali quod dixerat facere ipsis dominus. Cernis quod non ieiunium periculo eripuit, sed vitæ mutatio deum barbaris placatum & beneuolum reddidit? Hæc dixi, non vt ieiunium contemnāmus, sed vt ieiunium honoremus: honor enim ieiunij nō ciborum abstinentia, sed peccatorum fuga. Itaq; ciborum abstinentia tantum ieiunium definiēs, hic est qui maxime ipsum vituperat. Ieiunas? demonstra mihi per ipsa opera. Qualia, inquis, opera? Si pauperē videris, miserere: si inimicum videris, cōciliare: si amicum laudabiliter agentē videris, ne inuideas: si mulierē videris speciosam, prætereas. Non enim os tantum ieiunet, sed & oculus, & auditus, & pedes, & manus, & omnia corporis nostri membra. Ieiunent manus à rapina & auaricia mundæ: ieiunent pedes ad illicita spectacula cursum reprimētes, ieiunent oculi discentes nunquam formosis obtutibus insillire, nec alienas curiose pulchritudines spectare. Cibus enim oculorū spectatio: sed si illegitima sit & prohibita, ieiunio nocet, & omnē animæ salutem subuertit: si vero legitima & cōcessa, ornat ieiunium. Etenim absurdissimum esset, cibus & cōcessa abstinere esca per ieiunium, oculorum vero prohibita attingere. Nō comedis carnem? Neque lasciuiam per oculos haurias. Ieiunet & auris: aurium autē ieiunij detractiones & ca-

Hier. 14. a

Iona. 3. d.

b ij lumnias

Exod. 23. a lumias nō suscipere: Auditum enim vanum nō suscipies, inquit. Ieiunet quoq; os à verbis turpibus & cōuicio. Quæ enim vtilitas cū auibus quidē & piscibus abstineamus, fratres vero mordeam⁹ & comedamus? Detrahens fratrem carnes comedit, proximi carnē mordit: propterea & Paulus terruit dicens: Si autē vos inuicem mordetis & comeditis, videte ne inuicē consumamini. Nō infixisti dētes carni, sed animæ maledictum, improbā suspicionem infixisti, vulnerasti, innumeris affecisti malis, & teipsum & illum, & alios plures: etenim audientē peiorem fecisti proximo calumniās: siue enim peccator sit, segnior sit, peccati cōmunicatorē nactus: siue iustus sit, in arrogātiā tollitur & inflatur ex aliorū peccato, magna de ipso sentire persuasus. Insuper cōmunem ecclesiæ statum læsisti. nō enim omnes audientes peccatorē solum accusant, sed opprobria Christianorum gēti infliguntur: nec audiunt infideles dicentes, quōd ille leno est & dissolutus, sed pro eo qui peccauit, Christianos omnes calumniis infectātur. Ad hæc dei gloriā blasphemari fecisti: sicut enim nobis laudabiliter viuētib; dei nomen glorificatur, sic peccātib; blasphematur, & cōtumelia afficitur. Quartū malum, audientē confudisti, & sic impudentiorem reddidisti, inimicum & hostem reddens. Quintum, teipsum pœnæ & castigationis reum fecisti, negocia ad te nihil attinētia texens. Ne quis enim hoc mihi dicat, tunc detraho, quando falsa dico. Nā si vera loquens maledixeris, & hoc est crimen: etenim pharisæus ille publicano veridicus maledixit, sed tamen hoc ipsi nihil profuit. *Luc. 2. 18. c* Dic enim mihi, Publicanus nō erat publicanus & peccator? Cuiq; certum est quōd publicanus erat, sed tamē quoniam ipsum vituperauit pharisæus, abiit omnibus amissis. Vis fratrem corrigere? lachryma, ora deum, ex corde apprehensum admone, consule, exhortare: sic & *2. Cor. 12. g* Paulus faciebat, ne iterū cum venero, humiliet me deus apud vos, & lugeā multos ex his qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiā super immūdicia, & fornicatione, & impudicia quam gesserūt. Declara charitatem erga peccatorē: persuade ipsi, quōd consulens & curans, nō traducere volens, peccati ipsum cōmonefacis: comprehēde pedes, osculare, ne erubescas, si modo vere mederi vis. Hęc & medici faciunt sapius difficiles ægrotos habētes, deosculantes, rogātes persuadent salutare sumere medicinā: Ita tu quoque fac, sacerdoti vulnus manifesta: hoc est curantis, hoc prouidētis, hoc consulētis. Nō solos autē maledicētes, sed & alios detrahi audientes admoneo aures obstruere, & prophetā imitari dicentē: Detrahentē secreto proximo suo hunc persequer. Dic proximo: habes aliquē quē laudes & cōmendes? Aures aperio, vt vnguenta suscipiā: si vero male velis dicere, verbis ingressum obturo: non enim stercus & cœnū accipere sustineo. Quod mihi lucrum, si didicero quōd ille improbus? Maximū igitur nocuum ex hoc, & extrema iactura. Loquere ad ipsam: curemus nostra, quo modo peccatorū rationes demus, & curiositatē hanc & operosā indagatiōē circa vitam nostram exhibeamus. Quā enim habebimus excusationem, quā veniam, cū nostra ne in mētem quidem veniant, aliena vero curiosē scrutemur? Sicut in domū declinare, & interiora cōsiderare, prætereūti turpe est, & multa ignominia plenū: sic & circa alienā vitam fatagere, illiberalitatis extrema est. Hoc vero ridiculum magis est, quōd talem habentes vitā, & propria negligentes, cum aliquid arcanū dixerint, rogāt audientem & adiurant, ne cuiquā amplius alteri dicat: hinc decla-

antes, quōd rem reprehensione dignam cōmiserunt. Si enim illū, vt nemini dicat, rogas: multo magis te prioribus huic dicere nō oportebat. In tuto sermone habebas: postquā ipsum prodidisti, tūc salutem ipsius curas. si nō vis efferrī, neq; alteri ipse dicas: postquā vero alteri prodidisti sermonis custodia, superflua facis & inutilia admonens & obtestans pro dictorū custodia. Sed iucundū detrahere, immo iucundum nō detrahere. Detrahēs enim cōtinenter anxius est, suspicatur & timet, pœnitentiā agit, & linguā suam mandit, timens & tremiscens, ne fortē aliis enunciātū verbum, magnum sibi periculū afferat, & superflua & inutilē inimiciā his qui dixere operetur. Apud seipsum vero cōtinēs, in securitate plurima cū multa viuet voluptate. Audisti sermonem, inquit, moriatur in te: cōfide, non te distrūpet. Quid est, moriatur in te? extingue ipsum, defodito, nec exire, neq; penitus moueri permittas: sed maxime stude nec alios quidem dicentes male tolerare: quōd si quādo & susceperis, infodito, interime dictum, obliuioni trade, vt his qui nō audierint similis fias, & cum multa pace & securitate præsentē transigas vitā. Si delatores didicerint, quōd ipsos magis q̄ accusatos auerserunt: & ipsi tandē ab hac mala cōsuetudine desistent, & peccatum corrigent, & laudabunt post hæc, & nos ipsos suos saluatores factos & benefactores prædicabunt, sicut enim benedicere & laudare amicitie principū est, sic & maledicere & calūniari inimiciā, & odij, & iniuriarum principū est, atq; discordiarum materia. Nō aliud nostra negliguntur, quā quōd aliena satagimus, curiosēq; scrutamur: nō enim vacat homini accusanti, & alienos exquirēti mores, propriā quandoq; vitam curare: studio enim omni in alienorū curiositatem impenso, necesse est omnia eius temere & negligenter iacere. Etenim optandū omne ociū in propriorū curam peccatorū, & iudiciū impendentē proficere posse. Cum vero semper aliena cures, quando tua meditaberis mala: Fugiamus igitur dilecti, fugiamus detractiones, docti quōd est totū satanicum barathrum insidiarū eius hæc insessio. Vt enim nostra negligamus, & grauiores nobis reatus cōstituamus, in hæc nos cōsuetudinē diabolus duxit: immo vero non solū inest hoc malū, quōd tunc rationem dabimus eorū quæ diximus, sed etiam quōd peccata nostra sic grauiora faciemus, omni nos excusatione priuātes: acerbe enim aliena exquirens, in suis excessibus nullā vnquam veniā nanciscetur. Non enim tantum à peccatorū natura, sed & ex iudicio de aliis nostro sententiā deus proferet: idcirco admonuit dicens: Nolite iudicare, ne iudicemini. nō enim quale fuit peccatū, tale illic in futurū apparebit: sed quādam magnā & inuitabile additionē à iudicio in conseruū factō accipiet. Sicut enim humanus & mitis & clemēs maiorū peccatorū grauitatem succidit: ita acerbis & crudelis & implacabilis magnū p̄p̄riis p̄odus peccatis apponit. Eliminemus igitur omnē ex ore nostro detractionem, sciētes quōd etsi cinerem comedamus, nulla nobis asperē vitæ huius vtilitas p̄derit, nisi detractione abstineamus: nō enim quæ intrant, cōinquināt hominem, sed quæ exeunt ex ore. Si quis te prætereunte stercus commoueat, hoc facientem nō conuicio & contumelia afficias: hoc fac & erga detractores. Nō enim sic cōmotum stercus illum fœtorem suscipientem cartilaginē percellit, sicut aliena peccata excussa, & vita impura, audientium animos prodita cōtristare & perturbare solent. Abstineamus igitur detractione, turpiloquio, blasphemia, & neq; proximo, neque deo maledicamus:

camus: multi enim obtrectatorum in hoc furoris lapsi sunt, vt à cōseruis in deum linguā suam reuocauerint. Quātū vero sit hoc malum, ex rebus nunc nos vrgentibus disce. Ecce enim homo iniuriam passus est, & omnes timemus & tremimus, quiq; intulerunt iniuriam, & de nulla huiusmodi sibi cōscij: deus autem per singulos dies iniuria afficitur à diuitibus, à pauperibus, à quietis, à tribulatis, à calumniātibus & calumniam ferentibus, & nulla vsquā ratio. Propterea conseruum violari permittit, vt ex periculo per contumeliā exorto præsentem discas domini benignitatem. Atqui hoc nunc primum factū est, & solum: sed tamen nec propter hoc nos vllam assecuturos esse veniā, vel excusationem expectamus: Deum vero quotidie irritamus, & nullā facimus conuersionem, & adhuc cum omni longanimitate sustinet. Vidisti quāta dei sit clementia: Et in hac quidem præuaricatione qui peccauerunt, capti sunt, & in carcerem detrusi, pœnasq; dederunt: sed tamen adhuc timeamus: necdū enim facta læsus audiuit, neque sententiam enūciāuit, & omnes tremimus. Deus vero quotidie cōtumelias in se factas audit, & nemo conuertitur: & hic cum sit tam clemens & mitis, illi insuper peccatum dicere sufficit, & crimen soluitur. In hominibus vero cōtrarium penitus, cum peccatores confessi fuerint, tunc magis puniuntur: quōd quidem & nunc factū est. Nam hi quidem ferro, illi vero igni, quidā autem bestiis traditi, perierunt, non viri tantum, sed & pueri: nec ætatis immaturitas, nec populi tumultus, nec quōd dæmonū furore pleni hæc fecerint: nec quōd exactio intolerabilis esset visa, non paupertas, nō quōd publice cum omnibus peccauerint, non quōd promiserint nunquam se amplius esse talia aufuros, nō aliud quicquam omnino ipsos eripuit: sed absque omni venia ad barathrum abducebantur, militibus armatis vtrinq; ipsos agentibus, & obseruātibus, ne quis reos eriperet: & sequebātur matres, procul quidem filios conspicientes abstractos, calamitatem autem cōqueri nō audentes. Pasionē enim vincebat formido, & naturā superabat metus. Et sicut naufragos à terra cōtuentes homines, dolent quidem, accedere autē & submersos eripere non valent: ita quidem & hic tanquam vndis quibusdam, militū timore prohibita matres, non tantū accedere, & ipsos à damnatione eruere nō audebant, sed & timebant deplorare. An hinc dei misericordiam conuicis: quā ineffabilis, quā infinita? quo modo omnem transcendit rationem? Hic quidem læsus & eiusdē naturæ, & semel ex omni tempore hoc passus est, & nō coram, neque præfens & cernens & audiens, & tamen nemo reorum veniā assecutus est. De deo vero nihil horū dicendū est: etenim tantū est dei & hominis medium, quantum ratio adstruere possit: quotidie contumelia afficitur præfens & vidēs & audiens, & neq; fulmen immisit, neque mare iussit terram inundare, & omnes submergere, neque terram hiare & temeratores absorbere mandauit: sed tolerat, & lōganimitè agit, & ignoscere promittit contumeliæ autoribus, si tantum pœnitentiā agant, & non amplius hæc facere polliceantur. Vere nunc exclamādi tempus: Quis loquetur potentias domini, auditas faciet omnes laudes eius? Quot dei imagines nō tantum deiecerunt, sed & conculcauerunt? cum enim reum angas, cum dispolies, cum trahas, cum deiicias, dei imaginem cōculcas. Audi certē Paulum dicentem, quōd homo non debet operire caput, imago enim & gloria dei est. Et rursus ipsum deum dicentem: Faciamus hominem secundum imaginem & similitudinem

nostram. Si vero dicas, quōd nō est eiusdem substantiæ homo cum deo, quid tum: neq; enim es statuē eiusdem est cum rege substantiæ, sed tamen hanc ausi lædere pœnas dederunt: sic & in hominibus, etsi nō eiusdem cum deo substantiæ sunt homines, sicut neq; reuera sunt, veruntamen imago vocati sunt, & propter appellationis ipsos honorē recipere oportebat. Tu vero propter paululum auri, conculcas, angis, trahis, & nullā adhuc pœnam dedisti. Cōtingat igitur hodie quandam bonam & dexteram fieri mutationem: illud certē vobis prædico, & cōtestor, quōd etsi hæc præterierit nubes, nos autem in eodem manserimus torpore, rursus multo his quæ impræsentiarū expectantur, peiora patiemur: quoniam & nunc non tantum imperatoris iram, quantum segnicie vestram timeo. Nō enim duobus aut tribus diebus supplicasse nobis ad defensionē sufficit: sed potius vitæ mutationē fieri oportet, & à malicia desistentes in virtute permanere cōtinere. Sicut enim ægrotantes, nisi semper ordinate vixerint, nulla ipsi disciplina per tres aut quatuor dies seruata vtilitas: sic & peccantes, nisi semper sobrij sint, nihil proderit ipsi duorum vel trium dierū correctio. Vt enim dicitur, lotus postea in luto rursus inquinatus, nihil profecit: sic per tres dies agens pœnitentiā, & rursus ad priora reuertēs, nihil lucratus est. Ne igitur quod semper facimus, hoc & nunc faciamus. Etenim terramotibus sapius comprehendentibus, & fame & siccitate, tribus vel quatuor diebus moderati & mansuetiores facti, rursus ad priora rediimus, proptereaque hæc acciderunt. Sed si non prius, nunc saltem in eadem permaneamus pietate, & eandem mansuetudinem seruemus: ne rursus alterius indigeamus flagelli. Nunquid non poterat deus facta prohibere: sed permittit, vt se contemnes per conserui metum modestiores efficeret. Nec mihi quis dicat, quōd multi fontium effugerunt, multi vero infontium pœnam subierunt: etenim hoc dicentes multos sapius audio, non in præsentem tantum seditione, sed & in aliis multis huiusmodi negociis. Quid igitur talia obiicientibus dicendum? quōd & si in præsentem seditione infons erat reus, sed aliud peccatum aliquando grauius commisit, deinde non mutatus in præsentem pœnas dedit. Etenim hoc facere deus consuevit, & cum peccauerimus, nō statim peccatis irruit, sed remittit, dans nobis pœnitentiæ tempus præfinitum, vt corrigamur & mutemur: si vero quōd nō pœnas dederimus, peccatum deletum esse existimantes contempserimus, vbi non putamus, ibi post hæc capiemur omnino. Hoc autē fit, vt cum peccauerimus, & non fuerimus puniti, non confidamus, nisi fuerimus mutati: scientes quōd vbi non putamus omnino cademus. Itaq; si peccaueris, & punitus non fueris, ne cōtemnas dilectē: sed propter hoc ipsum magis time, sciens quōd facile deo est, quando velit, iterum retribuere. Propterea enim te nō puniuit, vt capias pœnitentiæ tempus. Ne igitur dicamus, quōd crimine carēs ille ceciderit, alter vero facinoris autor effugit. Innocens etenim punitus, vt prædixi, aliorū peccatorum pœnas luit: & qui nunc effugit, nisi mutatus fuerit, in alio capietur laqueo. Si sic dispositi simus, nunquam priorum obliuiscemur peccatorum: sed semper timentes, trementes, ne quādo subeamus iudicium, cito ipsorum recordabimur: nihil enim sic peccata in memoriam reuocare consuevit, vt pœna & castigatio. Et hoc manifestum ex fratribus Ioseph. Cum enim illi iustum vendidissent, & tredecim anni præterissent, puniri metuentes, & de vita timentes, peccati recor-

dati sunt, & inter se dicebant: Merito hæc patimur: in peccatis enim sumus propter fratrem nostrum Ioseph. *Gene. 42. d* Vides quo modo timor ille ipsos peccati sui commonefecit: & quando peccabant quidem, non sentiebant: quando vero puniri metuebant, tunc recordati sunt. Hæc igitur omnia scientes, vitam mutare velimus & corrigere, & ante instans angustia liberationem de religione & virtute cogitemus. Et interim tria vobis mandata commedare volo, vt hæc mihi in ieiunio præstetis: vt nemini detrahatis, inimicū habeatis neminem, & omnem profus ex ore malam iuramentorum consuetudinem expellatis. Et sicut cum aurum imperatum audierimus, abiens quisque domum, & vxorem vocas, & filios, & seruos, considerat cum illis & consultat vnde tributū illud erogat: sic & in mandatis faciamus his spiritualibus, domum quisque regressus, vxorem & filios vocet, & dicat, quod tributum spirituale hodie impositum est, tributū, inquam, per quod erit quædam horum malorum solutio & liberatio: tributum conferentes non pauperes sed ditiores faciens, vt neminem inimicū habeamus, detrahamus nemini, nec omnino iuremus. Consideremus, curam agamus, cōsultemus, quo modo hæc impleamus mandata, omne impendamus studium, nos alter alterū commoneamus, alter alterum corrigamus, vt non debitores abeamus illuc: deinde *Mat. 25. 4* mutuari ab aliis coacti, illud quod virgines fatue patiamur, & immortalī salute excidamus. Si sic nostræ institutum vite rationem, hic vobis spondeo, & polliceor, quod & presentis calamitatis aliqua solutio dabitur, & istorum malorū liberatio: & quod omnibus maius est, futurorum fructus bonorum. Oportebat quidem omnem vobis mandare virtutem, sed hunc esse correctionis optimum modum puto, per partes legem capientes implere, & tum ad alias ire. Sicut enim agro proposito, agricola paulatim fodiens, sic ad finē venit: sic & nos legem hanc nobis ponamus, vt per quadragesimā præsentem hæc tria mandata diligenter exerceamus: proculdubio cum bonæ cōsuetudinis custodiam prudenter exhibuerimus, cum maiore facilitate & ad reliquas veniemus, & ad ipsum disciplinæ verticem peruenientes, tum præsentem vitam bona cum spe transigemus, tum & in futura cū multa Christo fiducia assissemus, & arcanis fruemur bonis: quæ nos assequi detur, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, per quem, & cum quo gloria patri vnā cum sancto spiritu in secula seculorum. Amen.

Eiusdem exhortatio ad populum de patientia & tolerantia, ab exemplis Iob & trium puerorum: & de abstinentia à iuramentis. Homilia IIII.

BENEDICTVS deus, qui dolentes animas vestras consolatus est, & vacillantes mentes confirmavit. Quod enim congruam ceperitis consolationem, per studium hoc & audiendi promptitudinem demonstratis: nō enim datur, animā dolentem, & tristitia nube pressam posse quæ dicuntur, cum promptitudine audire. Vos autē video cum multa benevolentia, & acri studio nobis attendentes omnibus tristibus excusis, & audiendi desiderio instantē angustia repulisse: propterea deo vobiscū gratias ago, quod disciplinam nostram miseria non redarguit, nec rigorem nostrum timor remisit, nec alacritatē vestram extinxit tribulatio, nec labefecit zelum vestrum periculi magnitudo, nec superavit in deum desiderium hominum timor, nec studium vestrum temporis iniquitas

deiecit: nec tantum nō deiecit, sed & alis suffulsi: non tantum non remisit, sed & intendit: non tantū non extinxit, sed & amplius accēdit. Evacuatum quidē forum est, sed ecclesia repleta: illud luctus materia, hæc gaudij & laticia spiritualis occasio. Cū igitur in forum te cōtuleris dilecte, & solitudinem conspicatus ingenueris: cōfuge ad matrē, & statim te priorum filiorū multitudine cōsolabitur: & perfectum ostēdet tibi fratrum diuinum chorum, & omnem tristitiā repellet. In vrbe quidem viros cernere desideramus, tanquā deserta habitantes: in ecclesiā vero confugientes multitudine cōprimimur. Et quemadmodum mari astuāte, & multis procellis insaniente, ad portum confugere timor omnes cogit: sic & nunc fori procellæ, & ciuitatis hyems omnes in ecclesiā vndique compellunt, & charitatis vinculo membra inter se cōstringunt. Gratias agamus igitur & propter hæc deo, quod tantum ex tribulatione carpsimus emolumentum, quod tantam ex tentatione vtilitatem cepimus. Nisi tētatio, nec corona: nisi certamina, nec præmia: nisi studia, nec honores: nisi tribulatio, nec remissio: nisi hyems, nec æstas. Et hoc nō in hominibus tantum, sed in seminibus quoque ipsis intueri licet: & in his enim multam quidem pluuiam, multam vero nubium collisionem, multam denique glaciē fieri oportet, si vernas spica exurgere debet: vbi vero semētis tempus, tempus & pluuiæ. Postquam igitur & nunc ingruit hyems animarum, non aëris: seramus & nos in hac hyeme, vt in æstate metamus: seminemus lachrymas, vt metamus exultationem. Non meus hic sermo, prophetica denunciatio est: Qui seminant in lachrymis, inquit, in exultatione metent. Nō sic semina delatus imber germinare & crescere facit, vt pietatis semen excitat & vernare facit ex lachrymis ruens imber: hic animam deterget, irrigat mentem, doctrinæ germen breui progredi facit: propterea & profundum sulcum profcindere necessarium. Etenim & propheta hoc admonuit ita dicens: Renouate vobis noualia, & nolite *Mat. 7. d* seminare in spinis. Quemadmodū igitur aratrum mittēs infernē terram proruit, tutam seminibus custodiam parās, ne iacta in superficie remaneant, sed in ipsos terræ sinus condantur, & in tuto radices figant: sic & nos facere necessariū, & tanquam aratro tribulatione vtētes, cordis profundū scindere: hoc enim & alius propheta admonet, dicens: Scindite corda vestra, & nō vestimēta vestra. Corda igitur scindamus, vt si qua dolosa herba, & improba cogitatio nobis inest, radicitus eam vellamus, & puras pietatis seminibus terras exhibeamus. Nisi enim nūc renouemus, nisi nunc seramus, nisi nūc fundamus lachrymas, cum adest tribulatio & ieiunium, quādo vnquam in compunctionem veniemus: Num quando remissio & delicia fuerint: Sed hoc fieri nō potest. Remissio enim & delicia in segnicie inducere consueuerunt: sicut tribulatio ad industriam reuocare, & mentem exterius circa multa vagantem & occupatam ad sese cōuertere. Ne igitur de hac tristitia doleamus, sed deo gratias agamus: multū enim ex tribulatione lucrū. Nam & cum agricola semina cū multo labore collecta seminauerit, ignarus quidē omnia quæ sunt cernēs admirabitur, forteq; apud seipsum dicet: Quid hic homo tādē facit: collecta dissipat, nec dissipat tantum, sed & terræ cum multa cura cōmiscet ne facile colligi possint: nec commiscet tantum terræ, sed & optat vehementē fieri pluuiam, vt proiecta omnia marcescant, & lutū fiant, & turbabitur cernens fulmina & coruscationes deferri: agricola vero non ita, sed

sed lætatur & gaudet tempestatem cernens: non enim præsentia respicit, sed futura spectat: nō respicit ad fulmina, sed manipulos cōputat: non marcescentia semina, sed vernantes spicas: non grauē imbrem, sed iucundissimam aræ ventilationem: Itidē & nos, nō præsentem spectemus tribulationē, aut dolorem: sed oriētē ex ipsa vtilitatē, ex ipsa nascentem fructū. Expectemus arcam, manipulos: si etenim vigilemus, multum ex hoc tempore fructum congregare, & mentis nostræ penus implere poterimus: si vigilemus, nō tantum nihil graue ex hac patiemur tribulatione, sed & innumera bona capiemus: si vero torpeamus, remissio nos perdit. Non aduertentem enim vtraque lædunt: cum sedulitate vero viuenti vtraque profunt. Et sicut aurū, etsi quis immoretur, propriā præfert speciem: siue in conflatorium ceciderit, splendidius rursum apparet: lutū autem & fœnum, siue aquis immisceri accidat, hoc quidem marcescit, illud vero dissoluitur: siue in ignē ceciderit, hoc quidem frigitur, illud autē comburitur: Sic certē & iustus & peccator: ille quidē siue remissione fruatur, manet splendidus, sicut aurum aquæ immersum: siue in tentationem ceciderit, splendidior fit, sicut aurū igne examinatum: peccator vero siue remissionem nanciscatur, dissoluitur & marcescit, sicut fœnum & lutum aquæ immorans: siue tentationem sustineat, comburitur, & perditur, sicut lutum & fœnum ab igne. Nō igitur conficiamur præsentibus malis: si enim peccata habeas, destruantur & comburantur facile per tribulationem: si vero virtutē habeas, illustraris & splendescis per ipsam: si continue vigiles & sobrius sis, eris omni damno superior. Nō enim tentationum natura, sed tentatorum segnicies ruinas efficere solet. Itaque si vis gaudere, & remissione & voluptate potiri, neq; voluptatem, neque remissionem quæras: sed animam patientia plenam quære, & tolerantiam exhibere valentem: quod si hoc non habeas, non tantū tētatio te redarguet, sed & remissio perdet, & magis deiciet. Quod enim non grauium incurfus casuum, sed mentis nostræ torpor salutem nostram subuertit, audi quid dicat Christus: Qui- *Mat. 7. d* cunq; audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro prudētī, qui ædificauit domum suam super petram, & descendit pluuiæ, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & nō cecidit: fundata enim erat super petram. & rursum: Omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificauit domū suam super arenam, & descendit pluuiæ, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & erit ruina eius magna. Vides quod non tentationum inflatus, sed ædificantium stulticia ruinam fecit: Etenim illic pluuiæ, & hic pluuiæ: & illic flumina, & hic flumina: & illic vectorum incurfus, & hic idem: & ille ædificauit, & hic ædificauit: & eadem ædificatio, & eadem tētationes, sed non idem finis: quoniam non idem fundamentum. non enim tentationum natura, sed ædificantis imprudentia ruinam fecit, alioqui oportuisset & domum supra petram ædificatam cadere: nunc vero nihil tale passa est. Sed ne de domo hæc dicta esse putetis, de anima enim sermo est diuinorum verborum auditum per opera demonstrante, vel repellente. Sic animam suam Iob ædificauit: descendit pluuiæ, ignis enim de cælo cecidit, & omnes greges absumpsit: venerūt flumina, frequentes, continui, & indefinentes calamitatum nunciij: hic quidem gregum, hic vero filiorum interitū dicens: flauerunt venti, amara vxoris verba: Dic, inquit ver-

Iob. 1. d

bum contra dominum, & morere. Et non cecidit domus, non est supplantata anima, non blasphemauit iustus: sed & gratias egit, sic dicens: Dominus dedit, dominus abstulit, sicut domino visum est, sic & factū est. Vides quod non tentationum natura, sed torpentium ignauia iuinam facere solet? Itaque fortē virum tribulatio fortiorē reddit. Quis hoc ait? In tribulatione nutritus beatus Paulus ita dicens: Tribulatio patientiam operatur, patientia vero probationem, probatio vero spem. Et sicut firmas arbores ventorum impetus irruēs, & vndique iactans, non euellit, sed & solidiores & firmiores his incuribus reddit: sic & animam sanctam, & pie viuentem tentationum incurfus & tribulationum, non supplantant, atque etiam ad maiorem patientiam preparant: sicut & beatum Iob splendidiorē & venerabiliorem reddiderunt. Nunc igitur nobis quidē homo irascitur, & homo iisdem pœnis obnoxius, similisq; animæ, & timuimus. Tunc autem illi demon malignus & ferus erat iratus, nec simpliciter irascebatur, sed omnes mouebat artes, omnemq; adhibebat versutiam, & nec ita quidem iusti fortitudinē superauit. Et hic quidem cum homo sit, nunc irascitur, nunc conciliatur, & tamen timore mortui sumus. Tunc diabolus erat impugnans, qui nunquam hominum naturæ conciliatur, sed bellum sine fœdere, & pugnam sine induciis generi nostro indixit, & tamen ipsius sagittas iustus derisit. Quam igitur nos excusationem, vel qualem veniā habere possumus humanā tentationem non ferentes, tantopere in gratia cū disciplina versati, cū ille ante gratiam, & in veteri testamēto illud tam intolerabile bellum generose tulerit? Hæc igitur dilecti semper inter nos disseramus, & per hos sermones nos ipsos exhortemur. Etenim vos testes, conscientiaq; vestra, quantum ex hac tētatione vtilitatis habuim? Dissolutus enim modestus factus est, ferox humanior, segnis studiosus. Qui nunquam ecclesiā viderat, sed totos in theatris exigebat dies, nunc in ecclesia tota die morantur. Propterea ne igitur doles, quod te probum timore deus reddidit: quod te per tribulationem ad tuæ salutis sensum perduxit? Sed torquetur conscientia tua? Sed quotidie percellitur mens tua mortem expectans, & minas maximas? Sed hinc quoque nobis magnus ad virtutē accessus erit, crescente nobis per angustia religione. Potest enim deus omnia grauiā hac ipsa die soluere: sed donec nos purgatos videat, donec videat factam conuersionem, & pœnitentiā firmam & inconcussam, non dissoluit tribulationē. Etenim aurifex donec aurū bene purgatū viderit, de conflatorio nō extrahit: sic & deus non abducit hanc nubem, donec nos penitus emendauerit. Qui enim tētationem permisit, ipse nouit & tētationis soluēdæ tempus. Et sicut citharæ dus neq; neruum intēdit, vt non abrūpat: neque remittit vltra modum, ne harmoniæ concentū lædat: sic & deus agit, neque in remissione continua, nec in longa tribulatione nostram cōstituit animam, secundum suā prudentiam vtrunq; faciens. non sinit enim nos continua potiri remissione, ne segniores fiamus: non autē rursum sinit in continua esse tribulatione, ne cōcidamus, neue desperemus. Ipsi igitur aduersitatis finiedæ tempus relinquamus, nos vero tantū in sanctitate viuamus. Opus enim nostrū ad virtutē mutari, dei vero opus malis vrgentibus finē imponere: Etenim ipse magis, quā tu qui tentaris, hoc incendiū extinguere vult, sed salutem tuā expectat. Sicut igitur ex remissione tribulatio facta est: sic & ex tribulatione remissionē expectare conuenit. Neq;

Rom. 5. a

enim semper hyems, neque semper aristas, neque semper procella, neque semper tranquillitas, non semper nox, neque semper dies: sic neque semper tribulatio, sed erit & remissio, si tantum in tribulatione deo gratias semper agamus. Etenim tres in fornacem pueri coniecti sunt, & nec ita religionis obliti sunt, nec ipsos terruit flamma: sed in cubiculo sedentibus, & nihil graue patientibus, studiosius igne circumdatis, sacras illas preces emittebant: propterea murus ipsis factus est ignis, & vestis flamma, & fons fornax, & ligatos capies, solutos reddidit. Mortalia suscepit corpora, & tanquam immortalibus abstinent: non agnouit naturam, sed pietati reuerentiam exhibuit. Vinxit pedes tyrannus, & ignis vim pedes vinxerunt. O rem admirabile. Vincit soluit flamma, & ipsa de reliquo a vincit vincita est: mutauit enim rerum naturam adolescentulorum religio: imo vero non naturam mutauit, sed quod erat mirabilius, permanentis naturam vim repraesentat. non enim ignem extinxit, sed ardentem inefficacem reddidit, & quod est mirabile & stupendum, non in sanctis tantum corporibus hoc factum est, sed & in vestimentis ipsorum & calceamentis. Et sicut in apostolis, vestimenta Pauli agritudines & demones pellebant, & Petri umbra morte fugauit: sic quidem & hic puerorum calceamenta ignis virtutem extinxerunt. Nescio quo modo dicam, miraculum omnem verborum narrationem transcedit. etenim vis erat extincta, & non erat extincta: cum enim circa sanctorum illorum corpora versabatur, erat extincta: cum vero vincula dirumpere oportuit, non erat extincta: conpedes igitur dirupit, & talos non tetigit. Vidisti quanta propinquitas: neque mutatus, & vi sua priuatus est ignis, neque intra vincula procedere ausus fuit. Vinxit tyrannus, & flamma resoluit, ut & Barbari crudelitate discas, & elementis obedientiam. Qua vero causa in ignem missurus eos ligauit: ut miraculum fieret maius, ut mirabilius signum, ne putares esse oculorum errorem ea quae videbantur, nisi enim ignis ille ignis fuisset, vinctula non absumpsisset, non exterius sedentes milites (quod multo maius fuit) rapuisset. Nunc autem exterioribus quidem vim, interioribus vero obedientiam exhibuit. Tu vero mihi considera vbique, quo modo diabolus per quae dei seruos impugnat, per haec propriam vim destruit, non volens quidem, sed dei sapientia & prouidentia illius armis & artibus in ipsis caput vertente: quod quidem & hic factum est. Diabolus enim illic tunc tyranno se insinuans, neque ferro sanctorum capita abscindi permisit, neque bestias tradi, neque villo alio tali modo puniri: sed in ignem iniici suavit, ut neque reliquiae illorum sanctorum remanerent, ipsis corporibus consumptis, & ipsorum cinere cum sarmentorum cinere commixto. Deus autem hoc ipso ad impietatis destructionem usus est, & eo modo quem ego mox dicam. Deus apud Persas ignis esse putatur, ipsumque multo cultu venerantur Barbari etiam nunc regionem illam habitantes. Volens igitur deus radicibus impietatis materiam auferre, concessit huiusmodi poenae modum, ut praecipue oculis omnium ipsum colentium, seruis suis victoriam conferret: per ipsa opera ipsis persuadere volens, quod Gentilium dii non deum tantum, sed & dei seruos timent. Et considera victoriae coronam per contraria textam, & factos trophaei testes ipsos inimicos. Misit enim, inquit, Nabuchodonosor rex ad congregandum omnes magistratus, & duces, & praesides, principes, & tyrannos, & in potestatibus constitutos, & omnes regionum praefectos, ut veniret ad nouae dedicationem statuae. Et congregati sunt omnes. Inimicus spectatores

40
 cogit, & ipse spectaculum conuocat: & theatrum non vulgarium hominum, non priuatorum, sed omnium honoratorum, & omnium magistratum, ut & testimonium apud multos fide dignum fiat. Venerunt ad aliud vocati spectaculum, & alia conspici, omnes abierunt. Venerunt statuam adoraturi, & statuam quidem deserunt: abierunt vero dei potentiam admirati, per signa in pueris exhibitam. Et vide vbi stadium hoc statuerat: non in vrbe, nec in villo agro, sed plani & nudi campi hoc orbis theatrum suscipiunt: in campo enim de aure extra ciuitatem effigiem erexit, & praeco pertransiens clamabat: Vobis dicitur gentes, tribus, lingua, quacumque hora audieritis vocem, tubae, fistulae, & citharae, sambucaque, & psalterij, & symphonie omnis generis musicorum, cadentes adorate statuam auream (verum enim cadere erat simulachrum adorare) & quicumque non cadens adorauerit, in eadem hora proicietur in caminum ignis ardentem. Vidisti quam difficilia certamina parata sunt, & quod insidiarum necessitates, & quam profunda vorago, & precipitium vtrinque sed ne timueris. Quanto magis machinamenta inimicus auxerit, tanto magis puerorum fortitudine demonstrat. Propterea enim tot musicorum consuetudine, propterea caminus ardens, ut & voluptas, & timor assilenti animas obsideret. Asper adstantium quispiam est, & rigidus: Molliat ipsum, inquit, delectans omnisona musica melodia. Sed his insidias superior est: Terreat & percellat flammam aspectus. Et erat timor & voluptas, haec quidem per aures, ille vero per oculos animas subrepens. Sed adolescentulorum illorum generositatem, horum nihil redarguit: sed sicut in ignem proiecti flammam superarunt: sic omnem concupiscentiam & anxietatem deriserunt. Haec enim omnia propter ipsos diabolus praeparauerat: non enim de subditis dubitabat, sed potius multum confidebat, quod nullus regis legi se subiecturus erat. Postquam vero ceciderunt omnes, & victi sunt, tunc in medium pueri soli aguntur, ut sic quoque victoria fiat clarior, cum in tanta multitudine ipsi vincant, & praedicentur: neque enim tam mirabile fuisset, si nullo supplato primi viriliter egissent. Hoc autem maximum & mirabile est quod cadentium multitudo ipsos non terruit, non soluit, non intra se tale quid dixerunt, quod multi dicere consueverunt: Si primi nos imaginem adoraremus, id peccatum fuisset: si vero cum tot milibus hoc facimus, quis veniam non dabit: quis excusatione dignos non censerebit: Sed nihil illi tale aut dixerunt, aut cogitauerunt, tot tyrannos prostratos intuiti. Tu vero mihi & calumniantium ipsos malignitatem considera, & quam improbe & acerbe ipsos accusauerunt. Sunt, inquit, viri Iudei, quos constituit super opera regionis Babylonis. Non enim simpliciter gentem commemorauerunt, sed & honorem in memoriam reuocauerunt, ut regis iram accenderent. Seruos ciuitate carentes captiuos principes nostros fecisti: hi vero te pro tanto honore contumelia afficiunt, & in eum qui se honorauit, insolenter agunt. Ideo dicunt, Iudei quos constituit super opera regionis Babylonis, non paruerunt decreto tuo, & diis tuis non seruiunt. Maxima laus accusatio, & crimina laudes fiunt, & testimonium indubitatum inimicis ipsum perhibentibus. Quid igitur rex? Iussit ipsos in medium agi, ut ipsos vndique terreret. Sed nihil illos consternauit, non regis furor, non quod soli in tanta turba medio derelicti essent, non ignis spectatus, non canentes tubae, non omnes ipsos ardentibus oculis intuentes: sed haec omnia deridentes, tanquam in frigidum aquarum fontem mittendi, in fornacem ingressi sunt, beatam illam emittentes

41

emittentes vocem: Diis tuis non seruiemus, & statuam auream, quam erexisti, non adoramus. Hanc non temere recitavi historiam, sed ut discatis, quod licet furor instet regis, etsi militum insidiae, etsi inimicorum inuidia, etsi captiuitas, etsi orbitas, etsi ignis, etsi fornax, etsi innumera alia, iustum nihil redarguere, aut terrere poterit. Si enim vbi impius erat rex, non formidauerunt tyranni furorem adolescentuli, multo magis nos confidere oportet, humanum & mitem habentes regem, & de hac tribulatione deo gratias habere, ex praedictis doctos, quod tribulationes nos clariores efficiunt, & apud deum, & apud homines, si ipsas generose ferre sciamus. Etenim nisi serui fuissent hi, ipsorum libertatem non cognouissemus: nisi captiui fuissent, non animi nobilitatem didicissemus: nisi inferiori patria excidissent, non cognouissemus supernae ciuitatis esse ipsorum virtutem: nisi terrenus rex ipsis fuisset iratus, non audissemus benevolentiam, quam caelestis rex erga ipsos gerebat. Et tu igitur si illum beneuolum habeas, licet in fornacem cadas, ne desperes: sicut si succenseat, licet in paradiso sis, ne confidas. Etenim in paradiso erat Adae, & postquam deum irritauit, nihil profuit paradisos. In fornace erant isti, & postquam se bene egerunt, nihil obfuit fornax. In paradiso erat Adae, & quia segnis erat, supplatus fuit. Fimo insidebat Iob, & quia vigilabat, superauit. atqui quanto paradisos est fimo melior: sed nihil loci virtus inhabitanti profuit, postquam seipsum ille prodidit: sicut nec loci vilitas virtute vndique munitum laetit. Et nos igitur animam nostram muniamus, siue enim pecuniarum multa immineat, siue mors, pietate vero auferat nemo, sumus omnibus beatiores. Hoc & Christus mandauit dicens: Estote igitur prudentes sicut serpentes. Sicut enim ille reliquum obicit corpus, ut caput saluet: sic & tu siue pecunias siue corpus, siue presentem vitam, siue omnia amittere oporteat, ut pietate conserues, noli tristari. Si enim illam habens migraueris, omnia tibi cum maiori deus charitate retribuet, & corpus cum maiori rursus gloria restituet, & pro pecuniis bona omnem rationis potentiam transcendentia. Nam in fimo nudus sedebat Iob, innumeris mortibus grauiore sustinens vitam: sed quia pietatem non abiecit, omnia cum maiori copia redire priora, corporis sanitas & species, omnis filiorum ceteris, possessiones omnes, & quod omnium maximum, splendida patientia corona. Sicut enim in arboribus accidit, & si quis fructum cum foliis auferat, & ramos omnes amputet radice manente, tota cum maiori etiam ornatu arbor refurgit: sic quidem & in nobis, si pietatis radix permaneat, & si diuitiae auferantur, & corpus corrumpatur, omnia rursus nobis cum maiori gloria redeunt. Omnem igitur animae sollicitudinem, & superflua cura abiciunt, ad nos ipsos redeamus, corpus & animam ornemus virtutis ornamento: iusticiae arma, sed non peccati, corporis nostri membra exhibentes. Et ante omnia lingua esse spiritus gratia ministranda doceamus, omne virus & malignitatem ex ore proicientes, & turpiu verborum meditationem. Etenim in nostra potestate est, quodque membrorum nostrorum siue malicia, siue iusticiae instrumentum facere. Audi igitur, quo modo lingua, hi quidem peccati, hi vero iusticiae arma fecerunt. Lingua ipsorum gladius acutus. Alter vero quidam de sua dicit lingua. Lingua mea calamus scribae velociter scribetis. Illa morte operata est, haec diuinam legem scribebat: propterea illa quidem gladius, calamus autem haec erat: non secundum propriam naturam, sed secundum ventum electionem. Linguae enim natura & huius & illius vna erat, operatio autem non vna. Et

A de ore rursus idem cernere licet: etenim hi quidem habebant os sanie & improbitate plenum, propterea accusans dicebat: Os ipsorum maledictione & amaritudine plenum est. Ipsi vero non tale, sed os meum, inquit, loquetur sapientiam, & meditatio cordis mei prudentiam. Alij vero rursus manus habebant iniquitatis plenas, & hos accusans dicebat: In manibus ipsorum iniquitates, & dextera eorum repleta est muneribus. Ipse vero manus nihil aliud facere, quam in caelum erigi assuetas habebat, idcirco & de his dicebat: Eleuatio manuum mearum sacrificium vesperinum. In corde quoque licet idem videre. Horum namque cor vanum est, huius autem verum, propterea de illis dicit: Cor eorum vanum est: de suo autem, Eructauit cor meum verbum bonum. Et de auditu rursus idem videre licet. Hi namque bestiarum auditum habebant immitem & implacabilem, & ipsos vituperans, sic dicebat: Tanquam aspidis surda, & obturantis aures suas. Ipsi autem auditus diuinorum erat verborum receptaculum, & hoc ipsum manifestauit, dicens: Inclinabo in parabolam aurem meam, aperiam in psalterio propositionem meam. Haec igitur scientes nos vndique virtute muniamus, & sic dei iram repellamus: & corporis membra, iusticiae arma faciamus: & oculos, & manus, & pedes, & cor, & linguam, & omne corpus virtuti tantum utile esse doceamus: & illorum trium recordemur, de quibus ad vestram charitatem verba feci, rogans ut inimicum haberetis neminem, neque cuiquam eorum qui vos tristitia affecerint, maledicatis, & improba iuramentorum consuetudinem ex ore vestro eiciatis. Et de duobus quidem mandatis in alio tempore disseremus. Praesentem vero per hebdomadam totam de iuramentis vobis dicemus, a faciliore mandato initium facientes: nec enim labor vllus est iuramentorum consuetudinem vincere, si velimus vel parum impendere studij, nos iniuicem comonefacientes, admonentes, obleruantes, rationem & poenas ab oblitis repetentes. Quae enim, quae, ciborum abstinentiae utilitas, nisi improbas animi consuetudines expellamus: Ecce hodie totam ieiunij diem exegimus, & mensam in vesperis apponemus non hesternae simile, sed immutatam, & honestiorem. Numquid igitur quis nostrum habet dicere, quod vitam suam hodie sicut & mensam mutauit, quod & improba consuetudinem sicut & eseam conuertit? Quae igitur nobis ieiunij utilitas: Propterea exhortor & exhortari non desino, ut singulum quodque, mandatum assumentes, duos vel tres dies in ipsius adimpletionem impendatis. Et sicut quidam sunt inter se ciborum abstinentiam amulantes, & mirabilem contentionem facientes: & hi quidem integros duos dies transigunt ieiunij, hi vero non vini tantum & olei, sed & omnis ferculi usum a sua mensa reiciunt, pane & aqua utentes duntaxat, quadragesimam omnem expediunt: Sic & nos quidem inter nos contentiamus, ut iuramentorum frequentiam tollamus: hoc enim omni ieiunio utilius, hoc omni vita asperitate conpendiosius: & studium, quod circa ciborum abstinentiam habemus, hoc circa iuramentorum abstinentiam exhibeamus: quoniam extremae dementiae crimine subimus, prohibita quidem contemneres, circa indifferentia vero omne mouentes studium. comedere enim non est inhibendum, iurare vero prohibitum est. Nos vero concessis abstinentes, prohibita audemus: Propterea charitatem vestram exhortor aliquam facere mutationem, & hinc principium nobis ostendere. Si enim cum tanto praesens ieiunium studio transegerimus, hac quidem hebdomade, ut minime iuremus efficientes, sequenti vero iram extinguentes, vltiori autem detractionem radicibus destruen-

Act. 19. b

Danic. 3. a

Matt. 10. b

Psal. 56. a

Psal. 25. c

Psal. 48. a

tes, & post ipsam alia rursus plura corrigentes: sic per viam progredientes, paulatim ad ipsum virtutis culmen veniemus, & praesens fugiendus periculum, & deum placatum reddemus. Et multitudo rursus ad nos & ad urbem regredietur: & fuga lapsos tunc docebimus, non locorum munimini, nec refugio & recessui, sed animi pietati, & morum virtuti salutis nostrae spem committere. Et sic & haec & illa bona assequemur, quibus nos omnes dignos fieri detur, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, &c.

Eiusdem itidem exhortatio ad populum de genere ferendis imminentibus nimis, habens satis multa exempla, ex his quae euenere & Iob & Ninuitis, quod non oportet timere mortem, sed peccatum: & quid male mori: & de iuramentis omnino studio fugiendis. Et in terremotum. Homilia V.



RIVM puerorum, & Babylonicę fornacis enarratio aliquatenus, ut videtur, vestra heri charitatem consolata fuit: insuper autem & de Iob exemplum, & fimo omni tribunali regio venerabilior. Ex throni namque regii aspectu nullum erit spectatibus lucrum, sed temporalis duntaxat delectatio, nullam habens utilitatem: ex fimo Iob autem visum omnem quis capiet utilitatem, & disciplinam multam, & exhortationem ad patientiam rationem. Itaque multi nunc longam, & transmarinam peregrinationem a terrae finibus in Arabia abeunt, ut fimum illum cernant, & conspiciant terram deosculentur, quae illius victoris certamina, & cruorem omni auro preciosiorem suscepit. Neque enim tantum radiaret praetexta, quantum illud corpus tunc resplendebat, non alieno, sed proprio lotum sanguine. Vlcera vero illa gemmis omnibus erant cariora. Margaritarum enim natura nihil vitae nostrae prodest, nec vllum usum habentibus necessarium explet: vlcera vero illa sunt omnis tristitiae consolatio. Et ut discas quod hoc verum est, si quis filium legitimum & vnicentum amittat, ostende infinitas ipsi gemas, & non consolaberis dolorem, neque angorem lenies: commonefaciens autem ipsum vulnerum Iob, facile mederi poteris, sic dicens: Quid luges homo? tu quidem filium vnum amisisti: beatus autem ille, cum omnis filiorum coetus ablatus fuisset, in ipsa quoque carne plagam accepit, & nudus in fimo sedebat, vndique sanie diffluens, dum paulatim ipsius caro consumeretur, iustus, verax, in deum pius, omni mala re abstinens, deum virtutis testem habens. Si enim haec verba dixeris, omnem lugentis tristitiam extinxis, & omnem dolorem sustuleris: & sic iusti vulnera margaritis utiliora fiunt. Imaginamini igitur & vos athletam illum, & existimate vos cernere fimum illum, & ipsum in medio stercoris sedentem: statuam auream gemmatam, qualem dicere non novimus: neque enim tam preciosam valeo materiam inuenire, ut illi cruentato corpori comparari possit. Sic omni materia preciosissima carnis illius natura erat multo venerabilior, & vlcera solaribus radiis splendidiora: hi enim corporis oculos illuminant: illa vero mentis nostrae lumina illustrant, illa diabolum penitus excacauerunt. Propterea namque post illam plagam resiliuit, nec deinceps apparuit. Tu vero dilecte & hinc discite tribulationis lucrum quantum est: etenim quando diues erat, & ocio fruebatur iustus, vnde accularet ipsum habuit, mendaciter quidem. Verum enimvero habuit vnde diceret, Num te gratis colit Iob? Postquam vero ipsum spoliavit, & fecit pauperem, nec hincere quidem amplius ausus est: & cum diues quidem esset, cum ipso pugnare parabat, & supplantare minabatur: postquam vero pauperem fecit, & omnia ab-

stulit, & in extremum dolorem induxit, tunc repulsus est: & quando sanum quidem ipsum erat corpus, manus apponebat: ut vero ipsum carne vulneribus implevit, tunc aufugit victus. Vidisti quanto paupertas diuitiis, & imbecillitas & aegritudo sanitate, & tentatio quiete melior vigilantibus & utilior sit, & clariore & fortiores pugnantem faciat? Quis vidit, quis audiuit tam mirabiles pugnas? Prophanorum certaminum pugiles cum aduersariorum capita contriuerint, tunc victores sunt, & coronantur: hic vero cum iusti corpus contriuisset, omniformi vlcere ipsum perforans, & imbecillius fecisset, tunc victus est, & recessit: & postquam ipsius latera vndique confodit, ipse quidem nihil profecit: repositum enim thesaurum non abstulit. Nobis autem ipsum clariorem reddidit, & per illam confessionem, ut omnes hominem interiorem aspicerent, fecit, & omnes ipsius diuitias discerent. Et cum vincere speravit, tunc cum multa confusione recessit, & nullam amplius vocem emisit. Quid actum est diabole? Quare refugis? Nonne facta sunt quaecumque volebas? Non interemisti ipsius greges, armenta, equorum mandras, & asinorum? Non filiorum coetum perdidisti, & carnem omnem vulnerasti? Quare recessisti? Quoniam facta quidem sunt omnia, quae volui, inquit: quod vero fieri maxime volebam, & propter quod omnia feci, hoc factum non est: neque enim blasphemavit: propter hoc enim omnia illa faciebam, inquit, ut hoc procederet. Hoc non factum, nihil lucrifeci ex pecuniarum iactura, & filiorum interitu, & corporis plaga: sed contrarium quam volebam, euenit, splendidior reddidi inimicum, & clariorem effeci. Cognouisti quantum tribulationis lucrum charissime? Pulchrum quidem & integrum corpus fuerat, multo vero venerabilius factum est, ab illis vulneribus infectum: quoniam & lanam pulchram quidem, & antequam inficiatur: postquam vero purpureae factae fuerint, ineffabilem capiunt pulchritudinem, multumque decorum. Nisi vero ipsum expoliasset, bonam victoris habitudinem non cognouissemus: nisi ipsius corpus plagis perforasset, radij intrinsecus non renituisent: nisi ipsum in fimo constituisset, ipsum non cognouissemus diuitias. Neque enim tam splendidus in folio rex sedens, quam insignis erat ille & illustris in fimo: etenim post regium quidem solium mors, post finem autem illum caelorum regnum. Haec igitur omnia ratiocinantes, ex opprimente tristitia nos releuemus. Has etenim vobis historias appono, non ut dicta laudetis, sed ut virtutem imitemini & patientiam generosorum illorum & beatorum virorum: ut per ipsa discatis opera, quod humanorum nullum est graue malorum, nisi peccatum, non paupertas, non aegritudo, non contumelia, non calumnia, non ignominia, non quae omnium mors malorum extremum esse videtur. Haec enim calamitatum nomina, philosophantibus sunt tantum nomina rebus carentia. Vera autem calamitas, deum offendere, & eorum quae ipsi non placent, aliquid facere. Quid enim graue mors habet, dic mihi? Num quod te celerius ad tranquillum portum, & pacatam illam transmittit vitam? Et si enim homo non occidit, ipsa naturae lex irrepes non corpus ab anima resoluet: licet enim hoc nunc minime fiat, erit paulo post, quod nunc timemus: & haec dico, non graue quidem expectans aut triste, absit, sed erubescens mortem timentium causa. Tot expectans bona quae nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt: ad fruentium differens, & negligens, & torpes? Nec tantum torpes, sed & times, & horres? Et quo modo non tibi turpe propter mortem dolere? Paulus vero propter praesentem gemit

Roma. 8. d mebat vitam, & Romanis scribens dicebat: quod creatura cogemiscit, & non ipsi spiritus primitias habentes gemimus: & haec dicebat, non condemnans praesentia, sed futura desiderans. Gustavi, inquit, gratiam, & non fero dilationem: spiritus primitias habeo, & ad integrum festino: ascendi in tertium caelum, vidi gloriam illam ineffabilem, vidi auras splendentes, didici quibus hic immorans bonis caream, propterea gemo. Dic etenim mihi, si quis te in regias duxisset auras, & de parietibus aurum vndique fulges, & omnem alium ornatum tibi demonstrasset: postea te inde in pauperis cellam induxisset, & post breve tempus in regias reducturum illas, & perennem ibi mansionem se tibi daturum esse promississet, nunquid non deberes affici desiderio, ut vel ipsos paucos dies aegre ferres? Hoc quoque de caelis & de terra cogites, & ingemisce cum Paulo, non propter mortem, sed propter praesentem vitam. At, da mihi, inquit, ut Paulo similis sim, & nunquam mortem timebo. Et quid te Paulo similem fieri prohibet? Non pauper erat ille? Non tenentiorum futurus? Non idiota? Si enim diues fuisset ac nobilis, habuissent forte pauperes ad ipsius imitationem vocati paupertatem suam ostendendi causam. nunc autem horum nihil dicere potes: etenim operarius homo erat, & quotidianis pascebatur laboribus. Et tu quidem ab initio pietatem a parentibus suscepisti, a prima aetate sacris es literis innutritus: ille vero & blasphemus fuit, & persecutor, & contumeliosus, & ecclesiam vastauit: sed tamen ita penitus mutatus est, ut omnes proutitudine & feruore superauerit. Clamat dicens, Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Ille dominum imitatus est, tu conferuum non imitaris: tu qui a principio in pietate coaluisti, eum qui postea per mutationem ad fidem accessit? Non nosti, quod qui in peccatis sunt, & si viuunt, mortui sunt: qui vero in iusticia sunt, & si mortui sunt viuunt? Nec meus hic sermo, sententia est Christi Marthae dicentis: omnis qui credit in me etiam si mortuus fuerit uiuet. Non enim fabulae sunt dogmata nostra. Si Christianus es, Christo crede: si Christo credis, per opera mihi fidem demonstra. Quo modo vero per opera fidem monstrabis, si mortem contempnas? Et in hoc enim ab infidelibus differimus: etenim illi quidem merito timent mortem, resurrectionis enim spem non habent: tu vero ad meliorem vadens vitam, & de illius spe philosophari habes, qua dignus es venia, de resurrectione quidem confidens, ita vero sicut non credentes resurrectionem, mortem timent: Sed mortem, inquit, non timeo, neque mori, sed male mori, & obtruncari. Igitur Ioannes male mortuus est: fuit enim obtruncatus. Igitur Stephanus male mortuus est: fuit etenim lapidatus. & martyres cuncti misere secudum vos obiere, quoniam igne aut ferro vitam finirent: & hi quidem in mare, hi vero in praecipitium, hi autem in dentes bestiarum incidentes, sic mortui sunt. Non hoc est male mori homo, violenter morte finire, sed in peccatis mori. audi namque Prophetam de hoc ipso philosophantem & dicentem: Mors peccatorum pessima. Non dixit, mors violenta: sed quid? mors peccatorum pessima. Iuste sanè postquam hinc migrauerint, poena intolerabilis, tormenta semper piterna, vermis virulentus, ignis inextinguibilis, tenebrae exteriores, vincula insolubilia, dentium stridor, tribulatio & angustia, & aeterna damnatio. Cum igitur talia peccatores mala expectent, quae possit esse utilitas, siue domi, siue in lecto vitam finirent: sicut contra iustus nullum damnatum esse possit, quod ense vel igne praesentem vitam finirent, cum ad immortalia migrare bona debeant. Verè mors

A peccatorum pessima. Talis erat diuitis illius mors, qui Lazarum despexerat, qui domi, & in lecto, & necessariis assistentibus vita per propria soluta morte defunctus torrebatur, ne parua quidem consolatione ex praesentis vitae prosperitate nancisci valeret. At non ita Lazarus, verum in ipso pavimento canibus adstantibus, & vlcera lingentibus violentam mortem passus (quid enim fame difficilius esse possit) digressus illic aeternis potitus est bonis, in Abraham similibus gaudens. Quid igitur ipsum laesit violenter mori? At non violenter, inquit, sed iniuste mori timeamus: & quod ausi nihil eorum, quae existimamur, cum fontibus pariter puniamur. Quid ais, dic mihi? Iniuste mori times. An iuste velles? quis tam miser & arumnosus, ut cum iniuste mori imminet, magis iuste mori eligat? Si enim mortem metuere oportet, iuste quidem mortuus per hoc ipsum cum sanctis omnibus communicat. Apud deum enim probatorum & illustrium plures iniuste sustinere mortem, & ante omnes Abel. non enim in fratrem peccans, nec Cain laeso, sed quoniam deum honorabat, ideo iugulatus est. Deus autem permisit, nunquid ipsum amans, an exosus? Certum est quod amans, & clariorem ipsi coronam facere volens ex iniustissima cede. Vides quod neque violentam, neque iniustam mortem metuere oportet, sed in peccatis mori? Abel iniuste mortuus est, Cain vixit gemens & tremens. Quis igitur, dic mihi, beatorum fuit: qui cum iusticia requieuerat, an qui in peccatis viuere? qui mortuus est iniuste, an qui iuste puniebatur? Vultis charitati vestrae dicam vnde timeamus mortem? Non vulnerat nos regni amor, non nos futurorum amor accedit: alioquin praesentia despiceremus omnia, sicut beatus Paulus. Ad haec non timeamus gehennam, propterea mortem timeamus: supplicij intolerabilem grauitatem non nouimus, propterea pro peccato mortem timeamus. quod si ille animam nostram timor occupasset, iste subrepere non potuisset. Et hoc non aliunde procul, sed ex domesticis, & ex his quae nobis acciderunt in his diebus, manifestum facere conabor. Postquam enim ab Imperatore data sunt litera, tributum hoc, quod intolerabile esse videbatur, committere iubentes, omnes tumultuabantur, omnes contedebant, aegre ferebant, indignabantur, inter se occurrentes dicebant: haud vitalis nobis vita, subuersa ciuitas est, huic ius pensum magnitudinem sustinere poterit nemo, & omnes angebantur, tanquam de extremis ipsis periclitantes. Mox vero postquam perpetrata acciderunt, & quidam nefarii & sceleratissimi legibus conculcatis, statuas deiecerunt, & mortis periculum omnibus imposuerunt, & iam de ipsa vita timeamus exacerbato rege, non nos amplius pecuniarum iactura mordet, sed alia pro illis omnes audio dicentes: Capiat & substantiam rex, & agris & suppellectilibus libenter carebimus, duntaxat corpus saluum fore quis spero deat. Sicut itaque priusquam nobis mortis timor immineret, nos pecuniarum multa carpebat: postquam vero nefanda perpetrata sunt, hac causa mortis timor succedens, multa dolorem expulit: sic & si gehennae timor comprehendisset animas nostras, non mortis timor habuisset: sed quemadmodum in corporibus, quando nos duo dolores oppresserint, inferior potètor abscodere consuevit: sic & nunc factum est, si futuri supplicij timor in anima remansisset, omnem timorem humanum obscurasset. Itaque si quis gehennae semper meminisse laboret, omnem mortem deridebit: & non praesenti tantum angustia liberabitur, sed & ab illa flamma eripietur. Gehennam enim continue timens nunquam in gehennam

Gene. 4. b

1. Cor. 4. d

Ioan. 11. d

Mar. 6. d

Act. 7. g

Psal. 33. d

1. Cor. 4. d

1. Cor. 14. b

hennæ ignē decidet, cōtinue hoc castigatus metu. Da-
te nobis nunc, vt opportune vobis dicā: Fratres ne pue-
ri efficiamini sensibus, sed malicia infantes sitis. etenim
puerilē timemus pauorem, mortē timētes. Pueri enim
parui laruas quidem timent, ignē vero nō timent: sed
si ad lucernam lumen habentē portari cōtingat, incō-
siderate manū immittunt lucernæ & flammæ: & con-
temnendā quidem personā horrescunt, at verē timē-
dum ignem nō timent: sic quidē & nos timemus mor-
tem, quæ est larua contemptu digna: peccatū vero nō
timemus, quod est verē timendum, & ignis more con-
scientiam comedit. Et hæc non ex rerū natura, sed ex
ignorantia nobis accidere consueuerunt: q̄ si cogite-
mus quid tandem sit mors, nunquā ipsam timebimus.
Quid igitur tandē mors est? quod est vestimētū exue-
re. Tanq̄ vestimentum enim corpus animæ circunda-
tum est, & hoc breui per mortē deponētes, clarius ite-
rum resumemus. Quid tandem est mors: peregrinatio
ad tempus, somnus consueto longior. Itaque si mortē
times, time & somnū: si propter morientes angeris, &
propter comedentes, & propter bibentes angere: sicut
enī hoc naturale, sic & illud. Ne te naturalia cōtristēt,
cōtristēt te potius quæ sunt ex mala volūtate: neq; mo-
rientē luge, sed in peccatis viuentē. Vis commemorē
& aliam causam, propter quā mortem timemus? Non
viuimus cū diligentia, nō habemus conscientiā purā:
q̄ si hoc esset, nihil nos mors terruisset, non fames, non
pecuniarū iactura, non aliquid aliud omnīū quæ sunt.
In virtute enim viuentem horum nihil ledere poterit,
nec interna priuare voluptate: bonæ enim connutritū
spei, nihil in tristitia deicere poterit. Quid enim quis-
piam facere possit, quo generosum virū cogat contri-
stari: Auferet pecunias: Sed habet in cœlis diuitias. Pa-
tria eiiciet: sed in cœlestē ciuitatē mittet. Vincula ini-
ciet: sed habet conscientiā solutam, & exteriorem non
sentiet catenam. Sed interficiet corpus: at iterum resur-
get. Et sicut cum umbra pugnans, & aërem verberans,
percutere poterit nemine: sic & cum iusto pugnans, cū
umbra tantū pugnat, & vires suas dissoluit, nullam illi
plagā valens infligere. Itaq; da mihi de cœlorū regno
confidere, & si vis, hodie me iugula, cædis, gratias tibi
habeo, quod me celeriter ad illa bona trāsmittis. Hoc
est maxime, hoc est quod & nos lugemus, inquis, quod
peccatorū multitudine prohibiti, regnū illud nō asse-
quemur. Igitur mortem lugere omittens, luge peccata,
vt ipsa deleas. propter hoc enim tristitia facta est, non
vt in morte, nec in vlla alia re tali doleam, sed vt ipsa
ad delenda vtamur peccata: & quod hoc verū sit, ex-
plo facio manifestum. Remedia medicinalia propter
illos tantū morbos facta sunt, quos tollere possunt, nō
propter illos, quos nihil adiuuare possunt. Puta, adhuc
enim manifestiorē volo rationē facere, medicamentū
oculos lippientes tantum iuuare valēs, nullū vero aliū
morbum, propter oculorum ægritudinē tantum factū
esse dicere quis posset: non propter stomachum, neque
propter manus, neque propter vllum aliud membrum.
Transferamus igitur rationem ad tristitiā, & inuenie-
mus quod accidentium nobis nil adiuuat, peccatum
vero solum corrigit. certū igitur quod propter huius
sublationem tantū concessa est. Percurramus ingruē-
tium nobis malorum quodq; & tristitiam superaddu-
camus, & videamus quid ex hac fiat vtilitatis. Multa-
tus est quispiā pecuniis, tristatus est, multam nō emen-
dauit: filium amisit, doluit: mortuum non resuscitauit,
nec defuncto profuit: flagellat⁹ est quis, alapis cesus, cō-

tumeliis affectus, doluit, non reuocauit contumeliam.
Valeudinē quis incidit, & ægritudinē grauissimā: do-
luit, ægritudinē nō sustulit, sed & difficiliore reddidit.
Vides horū nulli prodesse tristitiā? Peccauit quis, tri-
status est, peccatum deleuit, dissoluit debitū. Vnde hoc
manifestum: ex domini sentētia. De quodā enim præ-
uaricato loquens, dicebat: Propter peccatum paulisper
ipsū cōtristauit, & vidi q̄ tristatus est, & incelsit mœ-
stus, & ipsius vias correxi. propterea & Paulus dicit,
Quæ enim secundū deū tristitia est, pœnitentiā in salu-
tem stabilem operatur. Igitur postq̄ manifeste oratio
demonstrauit, quod neq; pecuniarū multam, neq; con-
tumeliā, neq; calumniā, neq; flagella, neq; valeudinē,
neq; mortē, neq; aliud quid taliū inducta tristitia in-
staurare posset, sed solum delere peccatum, & huius est
destructiua, certum quod propter hanc solam causam
facta est. Ne amplius igitur pecuniarum iacturam do-
leamus, sed cum peccamus, tantum doleamus: multa
enim hic ex tristitia vtilitas. Multatus es? ne doleas,
neque enim proderit. Peccasti? dole, vtile nāque est, &
dei prudentiā & sapientiam considera. Duo hæc nobis
peperit peccatum, tristitiā & mortē. Quacūq; die co-
medes, inquit, morte morieris: & ad mulierē, In dolo-
ribus paries filios. Et per hæc vtraq; peccatum sustulit,
& a filiis matrē deleri curauit. q̄ enī cū tristitia mors
peccatum destruit, manifestum quidem & ex martyri-
bus, manifestum ex his, quæ dixit Paulus ad peccatores,
sic inquit: Ideo multi in vobis infirmi, & imbecilles,
& dormiunt multi, quia vos, inquit, morimini, vt mor-
te peccata soluantur. intulit igitur dicens, Si enim nos
ipso iudicemus, non vique iudicemur: dum iudi-
camur autem a domino, corripimur, vt cum mundo
non condemnemur. Et sicut vermis ex ligno nascitur,
& illud rodit, & comedit, suam ab ipso originem ha-
bēs: sic & tristitia & mors de peccato nata sunt, & pec-
catum absument. Igitur ne timeamus mortē, sed pec-
catum timeamus dūtaxat, & propter illud doleamus.
Et hæc dico non graue quicquam expectans, absit, sed
timeantes vos sic semper affici volens, & Christi legem
per opera implere. Si quis non tollit crucem suā, & se-
quitur me, non est me dignus, inquit. Hoc autem dice-
bat, nō vt lignum super humeros feramus, sed vt mor-
tem semper ante oculos habeamus. Sicut igitur & Pau-
lus quotidie morere, & mortem deride, præsentemq;
contemne vitam. Es enim miles, & semper in cōsictu
constitutus es: miles vero mortem timens, nunquam
generose se geret. Sic igitur neque Christianus homo
pericula timens, magnum quid & admirabile exhibe-
bit, immo facile expugnabilis erit: intrepidus autem &
magnanimus, inexpugnatus manet & inuictus. Sicut
igitur pueri tres ignē non timentes, ignem effugerunt:
sic & nos, si mortem non timeamus, mortem effugie-
mus. Ipsos non terruit ignis: non enim incendium, sed
peccatum timuerunt: crimen enim impietatem sequi.
Hos & nos imitemur, & omnes illis similes: & ne peri-
cula timeamus, & effugiemus pericula. Non sum pro-
pheta, neque filius propheta: futurum tamen manifeste
scio, & magna & clara voce proclamo, quod si mute-
mur, & aliquam animæ nostræ curam agamus, & ab
improbitate abstinamus, nihil molestum ingruet & tri-
ste. Et hoc manifeste noui ex dei clementia, & ex his
quæ in viros, & ciuitates, & gētes, & populos integros
fecit. Etenim Niniuitarum ciuitati minatus est, & di-
xit: Adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur.
Quid igitur, dic mihi: Niniue subuersa est, & destructa
fuit

fuit ciuitas: Contrariū totum, & exaltata, & clarior fa-
cta est, & tantū tempus præteritū ipsius gloriam nō de-
struxit, sed omnes eam cātamus adhuc quoque, & ad-
miramur: quoniā portus quidam optimus ex illo tem-
pore peccantibus omnibus extitit, in desperationē ca-
dere non permittens, sed omnes ad pœnitentiā vocās,
& per ea quæ fecit, & per ea quæ per dei prouidentiam
est assecuta, persuadēs nunquam de propria salute de-
sperare, sed vitam gerentes bonā, & optimam spē pro-
ponentes, de fine tanquā penitus bono futuro cōfide-
re. Quis enim non resurgat illorum exemplū audiens
etiam si omnium ignauissimus? Elegit itaq; deus pro-
phetiam potius suam irritā cadere, q̄ ciuitatē corruiere:
immo vero neq; prophetia cecidit. Si enim hominibus
in eadem malicia permanentibus non in opus senten-
tia processisset, posset quis fortē dicta criminari: quod
vero mutatis ipsis, & a malicia desistentibus, etiā deus
ab ira destitit, quis amplius prophetiā carpere poterit,
& dictorum mendaciū condemnare? Etenim legem,
quam ab initio deus cūctis hominibus posuit per pro-
phetam loquens, hanc & tunc conseruauit. Quam au-
tem legem? Exitium loquar, inquit, ad gentē & regnū,
vt eradicem, & suffodiam, & perdam: & erit, si pœni-
tentiam egerint malicia, & ego irā, quā locutus fuerā
facere illis, obliuiscar. Hanc igitur legē custodiens pœ-
nitentes saluauit, & a vicio discedēs ab ira liberauit.
Nouerat Barbarorū virtutē, & ideo prophetā induxit:
sic & tunc agitabatur ciuitas audita voce prophetica,
sed in nullo laesa est, quin & a timore adiuta. Timor e-
nim ille salutem peperit, comminatione periculo libera-
uit, subuersionis sententia subuersione cohibuit. O no-
uam rem & admirabilē. denunciatio mortē minans,
vitam peperit. Sententia postq̄ lata fuit, tunc inualida
facta est, contra q̄ apud seculares iudices. apud hos e-
nim in medium prolata, rata fit sententia. apud deū cō-
trā, pferri sententiā eā inualidā facit. nisi enim prola-
ta fuisset, non vtiq; peccatores audissent, si vero non
audissent, neq; egissent pœnitentiam: sine pœnitentia
vero pœnam non repulissent, nec fuissent illa salute po-
titi. Quo modo enim nō mirabile, quod quādo iudex
sententiā tulerit, per pœnitentiā rei sententiā soluerit?
Nō enim vrbē fugerunt, sicut nos nunc: sed manentes
sententiā repressere. Laqueus erat, & munimen ipsam
reddiderūt: vorago erat & præcipitiū, & tutela turrim
fecerunt. Audierunt quod ædificia corruent, sed pec-
cata fugerunt: non discesserunt quisq; de domo sua, si-
cut nunc nos, sed discessit quisque a via sua mala. Non
enim, inquit, muri irā pepererunt, nos vulneris autho-
res, nos medicamentū præparemus: propterea non lo-
corum permutationibus, sed morū conuersioni salutē
crediderūt. Hæc Barbari. Et nos nō confundimur, neq;
nos abscondimus, illis mores conuertētibus, nos loca
permutātes, & ebriorum hominū opera facientes. Do-
minus nobis irascitur, & nos iram soluere omittentes,
quæ in domo sunt circūferimus, & circūmus quærētes
vbi substantiam deponamus, cum esset opus quærere,
vbi animā deponeremus: imō vero nec oportet quær-
ere, sed virtute & vitæ rectitudine ipsi securitatem
præbere. Neque enim si seruo irascentibus nobis & in-
dignantibus, ille aduersus iram se excusare omittēs, in
cellulam suam descendēs, vestimenta & omnes colli-
gens sarcinulas & colligans de fuga meditaretur, hūc
ipsius contemptum facile ferremus. Desistamus igitur
ab hoc importuno studio, & dicamus quisq; ad deum:
Quo ibo a spiritu tuo, & a facie tua quo fugiā? Barba-

Psal. 138. b

rorum philosophiam imitemur: illi in incertis pœni-
tentiam egerunt: nō enim hoc habebat sentētia: quod
si cōuertamini, & pœnitentiā agatis, ciuitatē firmabo:
sed simpliciter, Adhuc quadraginta dies & Niniue sub-
uertetur. Quid igitur illi? Quis nouit an pœnitebit de-
um mali, quod locut⁹ est facere nobis? Quis nouit? Ne-
sciunt rei finem, nec pœnitentiam negligunt: nesciunt.
dei benignitatis consuetudinē, & in incertis mutatur:
nec enim habebant alios Niniuitas, ad quos respicerēt:
pœnitentiā acta saluatos: nec Prophetas legerāt, nec pa-
triarchas audierant, nec vñ sunt consilio: non admo-
nitionē nacti sunt, neq; sibi persuaserant, quod omni-
no deum pœnitentiā propiciaturi essent: neq; enim hoc
habebat comminatio, sed dubitabant, neq; de hoc cre-
debant, & tamen cū omni diligentia pœnitentiā ege-
runt. Quæ igitur ratio nobis erit, cum illi quidem nec
vnde de fide considerent habētes, tantā exhibuisse con-
fiderent appereant: tu vero de diuina benignitate con-
fidere habens, & qui multa sapius pignora cepisti eius
circa te curā, & prophetas, & apostolos audisti, & per
ipsas res instructus, nec ad eandem cum ipsis mensurā
virtutis peruenire cōtēdas? Magna igitur & horū qui-
dem hominū virtus, maior autem multo dei clemen-
tia, & hanc ex ipsa minarum magnitudine conspiciere
licet. Ob hoc enim sententiā non addidit: Si vero pœ-
nitentiam egeritis, parcā: vt indistinctā inferēs sen-
tentiam, & timorem augens, celerius ad pœnitentiam
compelleret. Et propheta quidem erubescit futurum
sciens & coniectās, quod infecta manebūt dicta: deus
autem non erubescit, sed vñ duntaxat, hominū scili-
cet salutem quærīt, & seruū suum emendat. Postquā e-
nim nauigiū ille ingressus est, statim excitauit mare, vt
discas quod vbi peccatū, ibi procella: vbi inobediētia,
ibi fluctuatio: & quatiēbatur quidem Niniuitarum
ciuitas propter peccata, quatiēbatur autem & nauigium
propter Prophetæ inobediētiā. Illi igitur Ionā in ma-
re deiecerunt, & stetit nauigiū: nos quoq; peccata sub-
mergamus, & ciuitas omnino stabit. Itaque fugā nulla
nobis vtilitas, sicut nec illum fuga quicquam adiuuāt,
quinimo & læsit. Fugiebat terram, & dei iram non
effugiebat. Fugiebat terram, & in mare tempestatē in-
duxit: nec tantum nullum ex fuga bonum nactus est,
sed etiam eos qui se susceperunt, in extremum periculū
adduxit. & quando nauigās quidem in nauigio sede-
bat, & nauā, & gubernatores aderant, & omnia nauis
arma, de extremis periclitabatur: postquam autem in
mare proiectus, & peccatum per supplicium deponēs,
in incompositum deductus est nauigium, ceti scilicet
ventrem, multa potiebat libertate: vt discās, quod si-
cut in peccatis viuenti, neque nauigiū prodest: sic pec-
cato exutum neque mare perdit, neq; bestiæ consumūt.
Ipsū igitur vndā susceperunt, nec suffocauerunt: ce-
tus suscepit, & non interemit. Verum & animal, & ele-
mentum incolume depositum deo reddiderunt: & per
omnia discebat Propheta esse mansuetus & humanus,
& neque stultis nauis, neq; feris vndis, neq; bestiis cry-
delior esse. Etenim nauā non in principio statim, sed
post multam necessitatē ipsū prodiderunt: mare ve-
ro & bestia cum multa beneuolētia custodierunt, deo
hæc ipsa dispensante. Rediit igitur, prædicauit, minā-
tus est, persuasit, saluauit, terruit, correxit a principio sta-
tim, & sola prædicatione: neq; enim multorū dierum
indignit, neq; cōtinuū cōsiliū, sed nuda illa locutus ver-
ba, omnes in pœnitentiam deduxit. Propterea ipsū
non statim de nauigio deus ad vrbē deduxit, sed nau-
ta mari

ta mari tradiderunt, mare ceto, cetus deo, deus Nini-
uitis, & per longum circuitum profugum reduxit: vt
omnes doceat, q̄ dei man^o effugere impossibile. Quo-
niam quocunq; quis proficiatur, peccatū pertrahens,
infinita sustinebit detrimēta: & si hominū nemo adfit,
ipsa vnde cunq; creatura cū multa resistet vehementia.
Ne igitur fugæ salutē nostrā credamus, sed morū mu-
tationi. Nō enim quia in ciuitate manes, propterea de-
us irritat, vt fugias: sed quoniā peccasti, propterea in-
dignatur. Igitur peccatū depone, & vnde vulneri cau-
sa inde mali fomité contrahe: cōtraria enim cōtrariis
curare & medicorū pueri iubent. Ex crapula nata est
febris, inedia morbū corrigunt: ex tristitia quis infir-
matus est, leticiā huic aptā medicinam esse dicunt. Sic
& in animæ ægritudinibus facere oportet: irā torpor
excitauit, industria hanc repellamus, multāq; præ
nobis feramus mutationē. Ieiuniū habemus auxiliatorē,
& cōmilitonē maximū, & præter ieiuniū instantē an-
gustia, & periculi timorē. Instemus igitur nunc animæ
in tēpore: etenim ipsi omnia quæcunq; velimus, facile
persuadere poterimus. Pavidus enim & tremens, & de-
licius omnibus absolutus, & in timore viuēs, facile phi-
losophari potest, & cū multa præp̄titudine virtutis fe-
mina suscipere. Primū igitur persuadeam^o, vt iuramē-
torum fuga in melius mutationē faciat: etsi enim heri
& nudius tertius de hac vobis locut^o sum materia, neq;
tamē hodie desistā, neq; cras, neq; perendie eadē per-
suadere. Et quid dico crastinā aut tertiā diem? Donec
vos correctos videā, non absistam: si enim legem præ-
uaricantes non erubescunt, multo magis nos iubentes,
ne præuaricemini, admonitione cōtinua confundi nō
est dignū. De iisdē enim continue cōmonefacere, non
dicentis, sed audientiū est crimen, cōtinue indigentū
disciplinæ super simplicib^o & facilibus præceptis. Quid
enim facilius q̄ non iurare: consuetudinis tantū opus
est: nō est corporis labor, non est pecuniarum impen-
dium. Vis discere quo modo viciū superari possit: quo
modo ab improba consuetudine liberari liceat? Ego te
quendā docebo modū: quē si tenueris, superabis omni-
no. Cum videris te ipsum, vel alium quenque, vel ser-
uorum, vel filiorum, vel vxorem hoc malo captos, &
continue commonefactos, neque correctos, iube non
pransos cubare, & hanc tibi que & illis damnationem
imponere, damnationem non damnum, sed lucrum fer-
rentem. Talia enim sunt spiritualia: & lucrum ferunt,
& celerrimā correctionem. lingua enim continue tri-
bulata, vel nemine cōmonente sufficientem capit ad-
monitionem à siti compressa, à fame angustiata, & si
omnium essemus stolidissimī, tota die huius tormenti
magnitudine commōniti, alterius consilij & admo-
nitionis non indigebimus. Laudasti dicta, verum &
factis laudem demonstrate. Quod enim alioqui hu-
ius concionis emolumentum? Si quotidie puerulus ad
scholam pergat, postea nil plus discat: num ad excu-
sationem sufficere nobis, ipsum illō quotidie pergere?
Non hoc ipsum maximum ducemus crimē, quod per
singulos dies illuc pergens, hoc frustra faciat? Hoc &
in nobis ipsis cogitemus, & intra nos ipsos dicamus:
Tantum temporis ad ecclesiam occurrentes, & con-
cione fruētes per quā mirabili, & multū lucrū habente,
si tales rursus discedamus, quales aduenimus, nullum
defectuum nostrorū corrigentes, quæ nobis erit huius
profectionis vtilitas? Etenim multa nō propter se sūt,
sed propter eueniētia ex ipsis. Quale illud est: Seminās
nō propter hoc seminat, vt tātū feminet, sed vt & me-

52
A tat: q̄ nisi hoc fieret, & damnū semētis pateretur, semi-
nibus temere & incastrum marcescētis. Mercator non
non propter hoc nauigat, vt tantū nauiget, sed vt pe-
reginando auctiorē faciat rem: quod nisi hoc adfit, &
damnū accidet extremū ex damnosa mercatorū pere-
grinatiōe. Hoc idē & in nobis ipsis ratiocinemur: etenim
& nos in ecclesiā conuenimus, non propter hoc ipsum
solū, vt hic immoremur, sed vt aliquod magnū lucra-
ti & spirituale lucrū discedamus. Si igitur inanes & ni-
hil adepti abeamus, condemnationē nobis hoc studiū
acerferet. Quod ne fiat, vtq; tantū damnū euitemus,
abeuntes hinc inter sese amici, cū filiis patres, cū seruis
domini meditamini, & laborate quo modo imperatū
expediatis: vt postquā iterū reueri fueritis, & de eis dē
nos suadentes audieritis, non confundamini, mordē-
te vos conscientia: sed gaudeatis, & lætemini admo-
nitionis maiorē vobis partē expletā conspiciētes. Hæc
non tantū hic philosophemur: non enim hæc momē-
tanea admonitio totū eradicare potest, verū & domi-
vir ab vxore hæc audiat, & vxor à coniuge: & æmula-
tio quædam fiat omnibus ad huius legis impletionem
præuenire studentibus, & præueniens & implens defi-
cienti exprobet, vt ipsum magis excitet. Deficiēs, nō-
dumq; implens præuenientem spectet, & ad ipsum ce-
lenter peruenire contendat. Si hæc meditemur, si hæc
curemus, breui nobis & alia prospere negocia dirigen-
tur. Tu quæ dei sunt, meditare, & ipse tuis prouidebit.
Nec mihi dicas. Quid autē, si quis iurandi necessitatē
imponat: quid autem, si non credat? Maxime vero, vbi
lex violanda, necessitatis meminisse non oportet. Vna
est enim ineuitabilis necessitas, deum non offendere.
Veruntamen interim illud præsta, superflua recide iu-
ramenta, temere & sine necessitate domi cum amicis,
cum seruis prolata: si hæc sustuleris, in illis mei nihil
amplius indigebis: ipsum enim os iuradi frequentiam
timere & fugere meditatū, neq; si quis millies coegerit,
in illam amplius cadere consuetudinē admittet: sed si-
cut nunc multo labore, & infinita inturbatione, ter-
rentes, minantes, admonentes, consulentes vix potui-
mus in aliā ipsum consuetudinem transmutare: sic &
tunc quidē, licet infinitam quis inferat necessitatē, hæc
transgredi legem non poterit persuadere. Sed sicut ve-
num quodpiā nunquam gustare quis eligeret, neque
instante necessitate: sic neq; iuramēta admittere. Hoc
autem vobis exemplum solamen erit, & hortamentū
ad reliquas vitutis partes attingendas. Qui enim nihil
omnino præstitit, torpescit, & facile recidit: sibi vero
consciū, quod vel vnū expleuit mādātū, ex hoc bene
D sperare doct^o maiori cū studio ad reliqua rursus pro-
cedet: postea aliud capiēs ad aliud celeriter veniet, nec
prius absistet, q̄ ad ipsum culmē perueniat. Si enim in
pecuniis quanto quis plures cōparauerit, tanto plures
cupit: multo magis in officiis spiritualibus hoc cōtin-
gere videas. Propterea festino, & vrgeo, vt res capiat
principiū, & animis vestris virtutis fundamētū iaciāt:
& precamur, & supplicam^o, vt nō tantū hora præsentī
horum sitis verborum memores, verum & domi, & in
foro, & vbi cunq; cōmoremini. Vtinam mihi dari pos-
set, vt vobiscū conuersarer, nō hoc longo mihi multi-
loquio fuisset opus: nūc vero postquā hoc nō licet, vos
per me verborū memores estote meorū, & ad mensam
sedentes ingredi me putate, & adstare, & omnia quæ
nūc vobis hic dico, insonare. Et vbi cunq; vobis de me
habebitur sermo, pro omnib^o huius memētote mādā-
ti, & hæc mihi amoris in vos mei retributionē reddi-
te: si

53

te: si hoc vos implese videro, totū recepi, dignā labo-
rum cepi mercedem. Vt igitur & nos reddatis promp-
tiores, & vos bonæ spei efficiamini, & maiorē ad reli-
qua exequenda mandata facilitatē paretis, multo hæc
legē studio in animis vestris reponite, & tunc admo-
nitionis vtilitatē scietis. Quoniā & aureum vestimen-
tum pulchrū quidem est etiā cum videtur, multo pul-
chrius autē nobis videbitur nostro circumpositū cor-
pori: sic & dei mādāta pulchra quidem sunt, etiā cum
laudantur, multo autē pulchriora, cū & explentur, ap-
parent. Etenim nunc quidem breui tēporis momento
laudatis prædicata: si vero res impleatis, per omnē diē,
& per omne tempus & nos & vos ipsos laudabitis. Nec
hoc est magnū, q̄ inter nos laudabimur, sed quod &
deus nos suscipiet: nec tantū suscipiet, sed & magnis il-
lis remunerabit & ineffabilibus donis: quæ nos omnes
assequi detur gratia domini nostri Iesu Christi, &c.

*Quod vtilis est principum timor, & narratio eorum, quæ per
viam acciderunt his qui nuncium afferebat: & quod indi-
gna patiens, & gratias agens permittenti deo, par est talia
propter deum patienti. Et exempla rursus à tribus pueris,
& de iuramentorum custodia. Homilia VI.*

MVLTOS quidem impendimus dies charita-
tem vestram consolantes, non propterea ta-
mē ab hac desistemus materia: sed donec tri-
sticia vulnus remaneat, & consolationis medicamen-
tum imponemus. Si enim corporis vulnera curare nō
desinunt medicorum pueri, donec desuisse dolorem
viderint: multo magis hoc in anima fieri cōuenit. E-
tenim animæ vulnus tristitia: & ipsam cōtinue lenibus
fouere verbis oportet. Nec enim sic carnis tumorē ca-
lidarū solet aquarum natura remittere, vt animæ æstū
consolantium copia sermonū sedare consuevit. Non
hic opus spongia, sicut medicis, sed pro spongia linguā
tractabimus. Non hic opus igne, quo aquas calefacia-
mus, sed pro igne spiritus gratia vtemur. Eia igitur &
hodie hoc ipsum agamus. Nisi enim nos consolatio-
nem vobis attulerimus, vnde solamen aliunde capie-
tis: iudices terrent, igitur sacerdotes consolentur: prin-
cipes minātur, ideo ecclesia confirmet. Etenim hoc in
puerulis fit pusillis, præceptores terrent, & verberant, &
lachrymātes ad matres remittunt, matres vero sinibus
susipientes continēt, & circumplectuntur, & lachry-
mas detergentes, osculantur, & dolentem ipsorū ani-
mam releuant, verbis persuadentes, quod ipsis vtilis est
præceptorum metus. Quoniā igitur & vos terruerunt
principes & anxios reddiderunt, ecclesia cōmunis om-
nium mater nostra sinus aperiens, & supinis suscipiens
manibus quotidie consolatur, dicens, quod vtilis est &
principū metus, ideo vtilis etiam hinc correctio. Il-
lorum enim metus non sinit nos torpore dissolui: hu-
ius autē consolatio sub tristitia succubere nō permit-
tit. Et per vtraq; deus salutē nostrā disponit, Et princi-
pes enim ipse armavit, vt lasciuientes terreat: & sacer-
dotes ipse elegit, vt dolentes consolentur. Et hæc vtra-
que scripturarū exempla, & ipsa rerū experiētia docet.
Si enim cum non desint magistratus, & milites in ar-
mis præsto sint, furor paucorum hominū promiscuo-
rum, & aduenarū in breui temporis momēto tantum
nobis incendiū inflammavit, & tantā excitauit procel-
lam, & de naufragio cūctos metuere cōpulit: si princi-
pū metus omnino sublatus fuisset, ad quid furoris isti
nō venissent? Nōne à fundamentis hæc nobis vrbem
euertissent, & omnia confundentes ipsas demum ani-

A mas nostras abstulissent: Si enim iudicialia sustuleris
tribunalia, omnem vitæ nostræ ordinem sustulisti. Et
sicut si gubernatorē à nauī separaueris, scaphā submer-
sisti: & si ducem ab exercitu abducas, vincētos hostibus
tradidisti milites: ita si principes de ciuitatibus abstule-
ris, feris irrationalibus magis irrationabilem degemus
vitam, inter nos mordentes, & nos deuorantes, paupe-
riorem potentior, mansuetiorem audacior. Sed horū
nihil nunc est per dei gratiā: in religione enim viuētes
nihil opus horū habent correctione. Iusto enim lex nō
est posita, inquit. Multi vero ad viciū spectātes, nisi ab
his timorem sibi superpositū haberent, infinitis vti que
malis ciuitates impleverunt, quæ Paul^o quoq; cognoscēs
dicebat: Non enim est potestas, nisi à deo: & quæ sunt
potestates, à deo ordinatæ sunt, Quod enim in domi-
bus faciunt lignorum contignationes, hoc principes
in ciuitatibus. Et sicut si illas sustuleris, dissoluti pa-
rietes per sese corruunt: & si ex mundo principes tol-
las, & horum metum, & domus, & ciuitates, & gentes
cum multa inter se licentia corruent, nemine existēte
qui contineat & repellat, & pœnæ timore eos quiesce-
re persuadeat. Ne igitur doleam^o dilecti propter prin-
cipum metum, verū & deo gratias agamus q̄ torporē
nostrū corripuit, & nos gnauiores effecit. Quod enim,
dic mihi, damnū factū est ex cura & sollicitudine ista:
quod honestiores facti sumus, & mansuetiores: quod
diligentiores, & attentiores: quod ebriū & meretricia-
canentem cantica videmus neminem: quod supplica-
tionis continue, & lachrymæ, & preces: quod risus im-
portunus, & turpia verba, & omnis lasciuia expulsa est,
& mulierem modestam, & liberam ciuitas nostra tota
nunc imitatur? Propter hæc doles: quin gaudere prop-
ter hæc & deo gratias agere magis oportet, quod tan-
tam molliciem paucis diebus formido resoluērit. Non
nego, inquit, sed si ad metū vsq; tantū periclitaremur,
fatis essemus vtilitatis lucrati: nunc vero timemus ne
vltius malum procedat, & de vltimis periclitemur
omnes. sed ne timeatis, Paulus vos consolatur dicens,
Quod fidelis est deus, qui non sinit vos tentari plus
quam potestis, sed faciet & cū tentatione prouentū, vt
possitis sufferre: ipse enim dixit, Non te dimittā, neq; te
derelinquā. Si enim rebus ipsis castigare vellet, & ma-
lorum experientia, nō tot diebus vos timori tradidisset:
cū enim punire noluerit, terret. Quoniā si puniturus
esset, timor esset superfluus, superflua minā. Nūc ve-
ro innumeris mortibus grauiorē vitā sustinuumus, tot
diebus trepidantes, & trementes, & ipsas vmbras ha-
bentes suspectas, & ipsius Cain pœnam luētes, & me-
dio somno præ continua anxietate exiliētes, ita quod
si etiā deum irritassemus, nūc tantam pœnā reddidisset
propiciū. Quamquā enim non dignum peccato supplicium
dedimus, dei tamen clementiæ suf-
ficere oportet. Non enim modica nobis bonæ spei pi-
gnora iam deus dedit: & quod est omnium primum, ma-
lum afferentes nunciū, hinc velut alati digrediētes, &
dudum ad castra se perieturos esse putantes, circa me-
dium adhuc iter morantur. Tot obstacula & impedi-
menta ipsi acciderunt, & equos dimittentes, nunc ve-
hacula agunt. Vnde necessitas est summa tardiorē ip-
sis eo profectionem fieri. Postquam enim pontificem
nostrum, & cōmunē patrē deus hinc suscitauit & per-
suasit abire, & obire legationem hanc, mox illos circa
medium itineris consecutus est, ne præueniētes ignem
succenderent, & in reliquum correctionem redde-
rent

1. Tim. 1. 6

Roma. 13. 6

1. Cor. 10. 6

Iosue 1. 6

rent inutilem doctore, regis auribus infamatis. Quod enim non sine deo factum sit hoc impedimentum, inde manifestum: homines totum tempus in talibus peregrinationibus impendentes, & hoc officium habentes equos continue agendi, nunc ab ipsa equitatione contriti defecerunt, & quae nunc accideret, Ionae rebus contraria facta sunt. Illum enim urgebat deus abire nolentem, hos volentes vetuit. O nouum & admirabile negotium: ille submersione praedicare volebat, & inuitum eum excitauit: hi cum celeritate euerfione annunciare festinant, & inuitos ipsos rursus prohibuit. Qua tandem de causa: quonia hic quidem tarditas, illic vero celeritas lucrum ferebat. Propterea & illum per cetum festinare fecit, & equis hos impediuit. Vides dei sapientiam? Per quae facta quisque, quod expectabat, expedire sperauit, per haec quisque impeditus est. Per nauigium ille euadere putauit, & nauigium illi vinculum factum est: isti per equos ocyus se regem visuros expectauerunt, & equi fuerunt impedimento: immo vero non equi, sicut nec illi nauigium, sed dei prouidentia ubique omnia propria dispensans sapientia. Et considera prouisionis modum, quo modo & terruit, & consolatus est: ipso enim die, quo omnia illa patrata sunt facinora, ipsos quidem exire, tanquam omnia quae acciderant regi nunciatos permittens, ex eundi celeritate omnes perterrituit. Postquam vero abierunt, & duos tresve dies contriuerunt, & iam inanem esse pontificis nostri profectioem putabamus, utpote qui posterior esset futurus: tunc metum dissoluit, & nos consolatus est efficiens ut illos sicut dixi, media assecutus sit via, & illinc ad nos proficiscetes, illorum per viam arumnas omnibus nobis annuarent, ut parum respiremus: quod & factum est, & magna anxietatis partem deposuimus. His enim auditis, horum authorem adorauimus deum, qui omni patre diligentius omnes res nostras nunc disposuit, inuisibili quidam vi improbos istos cohibens nuncios, & tantum non dicentes, Quid festinatis: quidve properatis ciuitatem tale subuertere volentes? Num enim bona regi nuncia afferitis? Manete istic, donec seruum meum, tanquam medicum optimum praeuenire, & vestrum consequi cursum faciat. Si vero nascete prauaricationis vlcere, tanta prouidentia exhibita est: multo magis post conuersionem, post poenitentiam, post tantum timorem, post lachrymas & preces maiorem assequemur veniam. Ionas enim congrue pellebatur, ut ad poenitentiam induceretur: vos vero iam exhibuistis poenitentiam, & magnam conuersionem, ideoque consolatione deinceps est opus, non nuncio minas habente. Propterea commune & hinc patrem suscitauit, & quidem cum multa essent, quae prohiberent. Si vero non peperisset saluti nostrae, non illi persuasisset, sed & volentem exire vetuisset. Habeo & quid tertium dicere, quod vobis persuadere possit, ut confidatis, praesentem solennitatem, quam & infideles ferere omnes reuerentur, & hic ipse religiosus rex sic suspexit, & honorauit, ut omnes ante se reges cum pietate imperantes superauerit. Talibus namque diebus cum epistolam ad solennitatis honorem misisset, omnes ferere carcerem habitantes dimisit. Et hanc epistolam admissus Pontifex noster coram Imperatore legit, & propriarum legum comonefaciet, & dicet ad ipsum: Tu teipsum exhortare, & tui recordare, domesticum habes humanitatis exemplum: iustam noluit cadere committere, & iniustam patrare sustinebis? Conuictos, & condemnatos festiuitatis reuerentia dimisisti, & insonites nihilque ausos condempnas, praesertim solennitate praesente: Nequaquam o rex, tu hanc epistolam ciuitatibus

omnibus mittens, aiebas: Utinam & defunctos resuscitare possem. Huic supplicamus humanitati, his nunc vobis supplicamus: Non tam claros facit reges, hostes vincere, quam animam & iram superare: illic enim armorum, & militum opus geritur, hic vero tuum solius simpliciter trophaum, & habes neminem qui tecum sapientiae gloriam partiat. Superasti tumultum barbaricum, supera & animam regium: discant omnes infideles, quod Christi timor omnem potentiam refranare potest. Glorifica dominum tuum, conferuis peccata dimittens, ut ipse quoque te magis glorificet, ut benignum tibi & tranquillum oculum iudicij die clementiae tuae recordatus exhibeat. Haec & his plura dicet, & nos ab ira penitus eripiet. Non tantum autem ad regi persuadendum maximum ex hoc ieiunio nobis est auxilium, sed etiam ad casus generose ferendos: etenim consolationem non quamlibet ex hoc tempore capimus. Per singulos enim dies congregari, & diuinarum auditu scripturarum frui, & inuicem nos conspiciere & lamentari, & orantes sic domum abire, doloris plurimum nobis dimittit. Ne igitur corruamus, neque nos ipsos pra anxietate prodamus, sed maneamus expectantes bona, & dicendis mentem adhibeamus. Etenim volo & hodie de mortis contemptu iterum disserere. Dixi pridie vobis, quod mortem timeamus, non quidem quia terribilis est, sed quonia neque coelestis regni amor nos succedit, neque gehennae timor nos occupauit: & ad haec, quonia conscientiam non habemus bonam. Vultis & quartam huius importunae anxietatis causam commemorare, non minus superioribus veram: non viuimus in asperitate Christianis congrua, sed facilem hanc, & solutam, & mollem amamus vitam: idcirco verisimiliter & praesentibus oblectamur rebus. Quod si utique in ieiuniis & pernoctationibus, & victus tenuitate hanc vitam transigeremus, cupiditates nostras praecedentes, absurdas voluptates arcentes, sudores virtutis sustinentes, secundum Paulum corpus castigantes, & in seruitute redigentes, carnis prouidentiam ad desideria non facientes, angustam & confragosam tenentes viam, cito futura concupisceremus, praesentibus liberari laboribus festinantes. Et quod non falsus sit sermo noster, ad montium vertices ascende, considera illic morantes monachos in sacco, in vinculis, in ieiuniis, in tenebris conclusos, & omnes videbis mortem exoptantes, & illam requiem aduocantes votis. Sicut enim cestibus pugnans stadio exire festinat, ut vulneribus liberetur, & luctator spectatores exurgere concupiscit, ut laboribus absoluitur: sic & in rigida & aspera vita cum virtute viuens, sine desiderat, ut praesentibus eripiat laboribus, & pro repositis valeat coronis confidere, ad tranquillum nauigans portum, & illo transmigrans, ubi non est amplius timendum naufragium. Propterea quoque deus laboriosam naturaliter vitam nostram, & grauem constituit, ut praesenti tribulatione compulsi, futurorum desiderium capiamus. Si enim cum sint tot tristitia, & pericula, & timores, & cura nos vndique circumuehentes, tam libenter praesenti immoramur vitam: si nihil horum esset, & absque tristitia, & eorum omnibus tota foret vita nostra, quando vnquam futura desideraremus? Sic & Iudaeis deus fecit. Volens enim & illos in reditus cupiditate inducere, & ut Aegyptum odissent, persuadere, permisit eos lateritio opere & luto laborare, ut laborum & arumnarum illius magnitudine cruciati, ad deum clamarent. Si enim egressi, quanuis haec accidissent, Aegypti iterum meminerunt & pristinae seruitutis, & ad grauem tyrannidem redire festinabant: nisi tales fuissent experti Barbaros, quando vnquam alienam dimittere terram voluissent. Ne igitur

tur & nos terrae affixi, & praesentibus inhiantes torpeamus, & futurorum obliuiscamur, vitam nobis fecit deus laboriosam. Non igitur ultra quam est opus praesentem vitam amplectamur. Quae namque nobis utilitas? quod vero emolumentum, nimium praesentis vitae cupiditati adherere? Vis discere quare bonum sit praesens vita? quia futurae nobis vitae materia efficitur & occasio, & certamina, & stadium habendarum illic coronarum est: quod nisi hoc nobis praeretur, innumeris mortibus esset miserabilior. Nisi enim viuentes deo sumus placituri, melius obire. Quid enim est amplius? quid reliquum? Non eundem Solem, & eadem Lunam quotidie cernimus: non eandem hyemem, & non eandem aestatem: non eadem negocia: Quid quod fuit: id quod erit. Quid est quod est factum: futurum. Ne igitur simpliciter beatos putemus viuentes, neque morientes lugemus: sed in peccatis constitutos, siue viuentes, siue mortuos deploremus: in iusticia vero ubicumque sint, beatos existimemus. Tu quidem vnquam mortem formidas & luges: at Paulus per singulos dies moriens, non tantum propterea non lachrymabat, sed & laetabatur & exultabat. Utinam & ego propter deum periclitarer, inquis, & nihil curarem. Sed neque nunc consterneris: non enim tantum propter deum patiens laudem meretur, sed & iniuste quicquam patiens & generose ferens, & deo permittenti gratias agens, alio hunc propter deum patientem non est inferior. Quonia & beatus Iob multas & intolerabiles illas plagas propter diabolum frustra & temere & sine causa insidiantem excepit: sed tamen quonia generose tulit, & deo haec permittenti gratias egit, integram reportauit coronam. Ne igitur propter mortem tristeris: naturae enim est: tristare propter peccatum, voluntatis enim est culpa. Si vero propter defunctos tristeris, & propter nascentes doles: sicut enim hoc est naturae, sic & illud. Si quis igitur mortem minetur, dic ipsi: Institutus sum a Christo non illos timere, qui corpus interimunt, animam vero occidere nequeunt: si rei familiaris publicationem minetur, responde: Nudus exiui de vtero matris meae, nudus & reuertar illuc. Nihil in hunc mundum intulimus, manifestum est quod nec exportare quicquam poterimus. Et si tu non abstuleris, mors superuenies auferet: & si tu non iugulaueris, naturae lex finem auferet. Nihil igitur eorum timeamus, quae nobis natura auferunt, sed illa quae ex mala nobis proueniunt voluntate: illa enim nobis poenam parit: hocque cogitemus continue in his quae nobis inexpectata accidunt, quod non correximus illa, dolentes. Et praeter hoc illud quoque, quod si quid graue in praesenti patimur vita iniuste, multa peccata dissoluimus. Idcirco magnum bonum est hic luere peccata, & non illic: etenim diues hic graue nihil recipit, & propterea illic torquebatur. Et quod hoc esset in causa, ne vlla illic frueretur consolatione, audi quid dicat Abraham: Fili recepisti bona tua: itaque nunc dolore patere. Quod autem Lazaro bona data sint, quia hic cum virtute infinitas passus molestias fuerit, Patriarcha & hoc dicentem audi. Cum enim dixisset diuiti, Recepisti bona tua: intulit, & Lazarus mala, & propterea consolationem capit. Sicut enim in virtute viuens & tribulati duplex habet emolumentum: sic & in vicio viuens & gaudens, duplicem habebit poenam. Rursum dico non fugientes accusans: animam enim tribulatam non adiuces perturbare: nec increpare volens, aegrotans enim consolationis indiget: sed corrigere studens, ne fuga salutem nostram petamus, sed fugiamus peccata & a via mala recedamus. Si haec fugerimus, etiam si inter innumeros fue-

rimus milites, nemo nos laedere poterit: si haec non fugerimus, & si ad ipsum montium verticem ascenderimus, hostes & illic reperiemus innumerabiles. Recorderis igitur iterum illorum trium puerorum, qui erant intra fornacem, & nihil graue patiebantur: & eorum qui ipsos iniecerant, & extra fornacem manebant, quo modo qui circumstant, omnes consumpti sunt. Quid hoc mirabilius: Quos continebat ignis, exoluit: quos non continebat, rapuit. Ut discas quod non locus, sed morum qualitas salutem & poenam affert: interiores effugerunt, exteriores absumpti sunt. Eadem corpora & his quae illis, sed non iidem sensus, propterea nec eadem passiones. Foenum enim etsi circumiacet extra, celeriter accenditur: sicut e contra aurum licet intus maneat, magis splendescit. Vbi nunc sunt dicentes, Capiat omnia rex, & corpus non frum det liberum: quid tandem sit, esse corpore liberum, discant. Non enim criminum impunitas corpus facit liberum, sed in iusticia continue viuere. Horum igitur puerorum corpora libera erant, etiam fornaci tradita: peccati enim seruitutem iam pridem deposuerunt. Etenim haec sola res est libertas, non supplicium effugere, nec graue nihil pati. Tu vero fornacem audiens, recordare fluuiorum ignis die illo tremendo futurorum. Sicut enim hic hos quidem rapuit ignis, hos autem reuertit est: sic & in illis erit fluuius. Et si quis habeat quidem ligna, foenum & stipulam, igne acceditur: si vero quis habet aurum & argentum, sit splendidior. Hanc igitur materiam congregemus, & praesentia generose feramus, scientes quod ab illa poena praesens nos tribulatio liberabit, si philosophari sciamus, & hic meliores efficiet. Non autem nos tantum, sed & tribulantes nos sapius, si vigilemus: tanta vis est disciplina, quod & in tyranno tunc factum est. Postquam enim vidit nihil graue passos, audi quo modo mutatus est: Serui dei altissimi exite, inquit, & venite. Non paulo ante dicebas, Et quis est deus qui vos ex manibus meis eripere possit? Quid factum est? Vnde mutatio? Exterius positos absumptos vidisti, & interiori stantes vocas? Vnde tibi euenit talia meditari? Vidisti quanta regi mutatio facta est? Quando nondum ipsos tenuerat, blasphemabat: postquam vero in ignem ipsos coiecit, philosophabatur. Propterea & deus permittit omnia fieri, quaecumque tyrannus voluit, ut demonstraret quod a se custoditos offendere posset nemo: quod & in Iob fecit, hoc enim & hic operatus est. Etenim illic permittit diabolum omnem suam potentiam ostentare: & postquam omnes hausit sagittas, & nullus insidiarum modus reliquus factus est, tunc est stadio pugilem eduxit, ut clara & indubitata fieret victoria. Et hic hoc ipsum fecit. Voluit ipsorum urbem euertere, & non prohibuit: voluit captiuos ducere, & non impediuit: voluit ligare, concessit: in fornacem iniicere, permisit: flammam vltra modum succedere, & hoc permisit. Et quando nihil reliquum fuerat, sed omnem vim tyrannus exhauserat, tunc suam deus virtutem demonstrauit, & puerorum patientiam. Propterea enim vsque in fine tribulationis permittit, ut insidiaribus & circumuentorum philosophiam, & suam demonstraret prouidentiam. Quae vtraque & ille tunc discens, clamabat: Serui dei altissimi exite, & venite huc. Tu vero mihi considera puerorum magnanimitate: neque enim ante vocem exilierunt, ne quis putaret ipsos ignem timuisse: neque vocati intus manserunt, ne ambitiosi esse & contentiosi viderentur. Postquam didicisti, inquit, cuius sumus serui, postquam dominum nostrum agnouisti, tunc eximus praesentibus omnibus futuri diuinam potentiam praecones. imo vero non ipsi tantum, sed & hostis

propria voce, & lingua, & per literas omnibus tū pugilum constantiā, tunc agonothetæ virtutē prædicabat. Et sicut præcones athletas vincentes in medio theatro pronunciantes ipsorum quoque ciuitates dicunt, ille de tali ciuitate: & hic ipsorum dominum prædicauit, Sidrac, Misac, & Abdenago serui dei altissimi exite, & venite huc. Quid actū est, quod ipsos dei altissimi seruos vocas: Nonne tui erant serui? Sed regnum, inquit, meū dissoluerunt, superbiā meam cōculcauerunt. Verum per opera suū demonstrauere dominū: si hominū fuissent serui, non ipsos ignis expauescit, nō cessisset flāma: hominū enim seruos creatura reuereri & honorare nō nouit. Propterea rursus inquit: Benedictus deus Sidrac, Misac, & Abdenago. Tu autē mihi cōtemplare quo modo primū remuneratōrē prædicat. Benedictus deus, qui misit angelum suum, & eruit seruos suos. Hoc potentia dei. Dixit & athletarū virtutem, quoniā crediderunt in eū, & verbum regis immutauerunt, & tradiderūt corpora sua, ne serui erant diis alienis. Sed quid virtuti par esse posset: Antea quādo dixerunt, Diis tuis non seruiamus, fornace scilicet accessus est: postquā vero per ipsa opera hoc ostēderunt, nō tantū non indignatus est, sed laudauit, & admiratus est, quod sibi nō obediissent. Tantū virtus bonū, quod & ipsos hostes habet admiratores & laudatores. Illi pugnauerunt, & superauerunt, & victus gratias agebat, quod non ipsos terruit flāmæ aspectus, sed spes in dominum consolata est: & mundi dominū ex tribus pueris vocat, nō ipsius imperium sine vllō cōcludens, sed quoniā mūdo opponēdi pueri tres essent: propterea tot tyrannos, reges, & principes prætermittens, qui sibi paruerant, tres captiuos & seruos, qui tyrannidem suā contempserant, admiratus est. Non enim cōtēdentes, sed philosophantes hæc agebant: neque per arrogantia, sed per religionem: non superbia inflati, sed zelo igniti. magnū etenim bonū in deum sperare: quod quidē & barbarus animaduertit, & demonstrans quod inde imminens effugere periculum, proclamauit: quoniā crediderunt in eum. Hæc autem nunc dico, & omnes excerpo historias, in quibus tērationes & tribulationes, & regum iræ, & insidiæ sunt, vt nihil timeamus, nisi tantūmodo deū offendere. Etenim & tunc fornax accēsa erat: illi vero hanc quidem contempserunt, peccatum autē timuerunt: nouerant enim quod incensū quidē nihil graue passuri erant, impie vero agentes extrema subituri. Magnū enim supplicium peccare, etiā si non puniamur: peccata enim nos à deo separant, sicut & ipse dicit: Nonne peccata vestra separant inter vos & me? Pœnæ vero nos ad deum perducūt: inquit enim, Da nobis pacē, omnia enim retribuisti nobis. Si quis vulnus habeat, quid timere dignū est, saniem an medici sectionē: ferrū an vlceris populationem? Peccatū sanies est, pœna ferrum medicinale. Sicut igitur sanie habens, & si nō secatur, male habet: & cum nō secatur, tūc est in maioribus malis: ita peccās, etiam si nō puniatur, omnium est miserimus: & tūc maxime miser, cum non punitur, & graue nihil patitur. Et sicut splene & intercute laborantes, cum larga fruuntur mēsa, & frigida potione, & delicatis ferculis & saporibus, tunc præcipue omniū sunt miserissimi, deliciis morbum augentes: si vero siti & fame secundum medicorum leges cruciantur, aliquā salutis spem habent. Sic & in iniquitate viuentes, si puniatur quidem, bonam spem habent: si vero cum iniquitate licentia & deliciis fruatur, & hydrope laborantibus simul & crapulantibus sunt multo miseres, & tanto magis, quanto corpore me-

lior est anima. Si aliquos igitur in iisdē esse peccatis videris, & hos quidē fame continua, & innumeris malis laborantes: hos vero potantes, gaudētes, & crapulantes, eos qui graua patiantur minus miseros puta. Etenim delectationis flamma ærūnis interciditur, & apud futurum iudicium & terribile tribunal illud nō parum patrocini capientes migrant, qui multa dissoluerunt peccata ex his quæ hic graua passi sunt. Sed cōsolationis satis. Iā nobis deinceps tempus est ad fugiēdorum monitionem iuramentorū transeundi, & tollēdi excusationem, quæ iurātibus esse videtur, frigidam & inuiliē. Etenim postquā ipsos accusauerimus, alios nobis idem faciētes obiciunt, & dicunt: ille & ille iurant. Dicamus igitur ipsis, sed ille nō iurat. Deus autē eorum, qui rectē egerunt, cōparationem inter iudicandū profert: peccatores enim peccantes nō adiuuant delictorum cōmunicatione: rectē vero viuentes, peccatores condēnant. Etenim qui Christum nō cibauerunt, neque potauerūt, multi erant: sed nihil sibi inuicē profuerunt. Sicut neque virgines quinque altera ab altera vllā inuenerunt veniam, sed præ his qui benefecerunt, & hæc & illi condēnati & puniti sunt. Ab hac igitur frigida excusatione liberati, ne respiciamus cadentes, sed rectē se habētes, & studeamus præsentis ieiunij capere munimētum. Et sicut multoties vestimentum adepti, vel seruuum, vel vas preciosum, tēporis reminiscimur, & inter nos dicimus: seruuum illum tali solēnitate emi, vestimentum hoc tali cōparauit tempore: ita quoque si legem hæc impleuerimus, dicemus: Iuramētum hac correxi quadragesima, hæc enim iurabam, & sola admonitione audita, peccato abstinui. Sed res corrigi difficilis consuetudo: Noui & ego, & propterea festino vos in aliam consuetudinem bonam, & lucrum habentem inducere. Cum enim dixeris, difficile à cōsuetudine desisto: propterea desistere labora, certo sciēs, quod si tibi aliā non iurandi cōsuetudinem induxeris, nullius laboris amplius indigebis. Quid difficilius, nō iurare, an per totum diem in ediam pati, & aque potu & tenui victu sicari? Certū est quod hoc illo grauius. Sed tamen cōsuetudo res est tā facilis & expedita, quod adueniēte ieiunio, & si milles quis exhortetur, & infinita cruciet, & cogat vinum delibare, vel aliud quid ieiunij lege non cōcessum gustare, omnia quis mallet pati quā prohibitum tægere nutrimentum. Et hoc cum nō illibenter erga mēsam affecti simus, tamen propter cōsuetudinem ex cōscientia, omnia generose ferimus laborando. Hoc nimirū & in iuramētis erit. Et sicut nunc, si quis etiā maximā necessitatem imponat, permanes cōsuetudinem seruās: sic & tunc, si quis etiā milles exhortetur, à cōsuetudine non abistes. Domum igitur profectus, omnib⁹ hæc domesticis loquere. Et sicut sæpe multi ex prato recedētes, rosam, vel violam, vel quempiam talium florum capiūt, & digitis circunferētes recedunt: alij vero ex viridario domum abeuntes, arborum ramos fructus habētes reportant: alij rursus à lautis cœnis, mensæ reliquias necessariis suis referunt: Sic utique & tu hinc recedēs, admonitionem reporta filiis, vxori, necessariis omnibus. Hæc enim admonitio, & prato, & viridario, & mensa vtilior est: hæc nunquā rosæ marcescunt, hi nunquā defluunt fructus, hæc nunquam fercula corrumpuntur. Et ex illis quidem tēporalis delectatio, ex his vero continua vtilitas, nō tantum postquā adimpleta fuerint, sed etiā dum adimplētur. Cogita enim quale est reliquis omnibus omisissis, publicis & priuatis, de diuinis semper legibus differere, & ad mēsam, & in foro, & in aliis cōuenticulis.

ticulis. Si his vacemus, nihil dicem⁹ periculosum, nihil noxium, nec inuiti peccabimus: sed & imminēte tristitia fermocinationi de his vacantes, animā liberare poterimus cura, quā meditabamur inter nos semper dicētes: Nūquid gesta rex audiuit? An irritatus est: quid vero sententia pronunciauit? Nunquid ipsum quispiā exorauit? Nunquid vero tolerabit ipse tā magnam & populosam funditus ciuitatē perdere? Hæc quidē, & omnia talia in deū proicientes, ipsius tantū mandata meditemur. sic enim & illa omnia dissoluemus. Si vel decem de nobis tantum rectē egerint, breui decē viginti fient: viginti, quinquaginta: quinquaginta, cētum: centum, mille: mille, ciuitas. Et sicut decem accēsis lucernis omnē domum lumine facile quis implere poterit: sic & in officiis spiritualibus, si decē soli rectē egerint, flammam per totam ciuitatem incēdimus habentem lumē & securitatem nobis afferentem. Nō enim sic flammæ natura in materiā delapsa, vicina semper ligna incendit: sicut virtutis zelus in paucas lapsus animas, vltim⁹ procedēdo omnē implere ciuitatem poterit. Date itaque mihi vt de vobis glorier, & in præsentī vita, & in futuro die, quo talēta habentes credita exigētur: sufficiens mihi laborum merces, vestra correctio. Et si vos cum pietate viuentes videro, totū recepi. Facite igitur quod & heri admonui, & hodie dicam, nec dicēs quiescam: contra iurantes multam definiētes, multam lucrum non dampnum habentem, præparamini iam tanquā nobis profectus probationem daturi. Conabor etenim apud quēquam vestrum longum protrahere sermonē dimissa hac cōcione, vt in verborum lōgitudine emēdatos inueniam: & si quem iurantem videro, omnibus ipsum emendatis faciā manifestum, vt increpantes, arguentes, corrigentes, breui ipsum mala liberemus consuetudine. Melius est etenim hic exprobratum corrigi, quā die illa palam præsentē toto mundo cōfundi atque puniri, peccatis nostris sub omnī aspectu reuelatis. Sed ne fiat vt quisquam ex hac honesta cōcione talia patiens illic appareat, sed sanctorum patrū precibus peccata corrigentes omnia, cum multa hinc indulgentia migremus, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, per quem, & cum quo patri & c.

Quod tristitia ad peccati destructionem utilis. Et super illud, In principio fecit deus cælum & terram. Et quod maxima consolatio materia creationis apparatus. Et super illud, Adam vbi es? & de fugiēdo iuramento.

Homilia VII.

MULTA quidem, & de multis heri apud vestrā disserui charitatē. De multis vero si omnia vobis retinere haud est facile, illud omnium maxime vos meminisse rogo quod tristitiam nobis deus non ob aliud indidit, nisi propter solum peccatū, & hoc per ipsam rerum experientia manifestauit. In pecuniarum enim multa & morte, & ægritudine, & aliis nobis ingruentibus molestiis dolentes & mœrentes, nō tantum nullam consolationem capimus, verum & molestias augemus. In peccatis vero si doleamus & cōtristemur, peccati magnitudinem minuis, & quod erat magnum, reddimus paruū: sæpe vero & funditus ipsum totum delemus. Hoc mihi cōtinue recordamini, vt peccato tantū doleatis: nulla autē præterea re. Et præter hoc & illud quoque, quod mortem & tristitiam in vitam nostram peccatum inferēs, ab his ambobus vicissim destruitur: quod quidē ipsum manifestius & antea demonstrauimus. Nihil igitur sic timeamus, vt peccatum & præuaricationem. Ne timeamus

Tomus quintus.

mus pœnam, & pœnā effugiemus: sicut & tres illi pueri nō timuerunt fornacem, & fornacem effugerūt. Tales esse decet dei seruos. Si enim in veteri testamento educati, quando nondum mors erat mortificata, nec aræ portæ cōfractæ, nec obices ferrei contriti, tam generosam contra mortem audaciā præ se tulere: quā nos habebimus excusationem, aut quam veniam tātam nacti gratiā, & neque pares illis virtutis mēsuras nunc assecuti, cum mors nomē solū sit re priuatum? Nihil enim aliud mors est, quā somnus, & migratio, & translatio, & requies, & tranquillitas portus, & perturbationis liberatio, & à vitæ curis absolutio. Sed hic cōsolationis sermonem soluamus: etenim quintam diem agimus vestram consolantes charitatem, & iam molesti videmur. Attētis enim dicta sufficiūt, pusillanimitas autem etiam si dicitur plura addamus, nihil profuerit. Tēpus vero nobis iam ad scripturarum expositionem conuertere doctrinam: quemadmodum enim si nihil de hac ærumna locuti essemus, crudelitatem & inhumanitatem nostram quis condemnasset, sic si semper de ipsa disseramus, pusillanimitatem nostram iuste cōdemnaret. Cōrda igitur nostra deo applicantes, qui in mēte nostra loqui potest, & omnem ex pectore tristitiam expellere, consuetam doctrinam nunc attingamus, & maxime quando omnis scripture expositio exhortatio est & cōsolatio. Itaque etsi à cōsolando abstinere videmur, rursus per scripturarum expositionem in eandem materiam incidimus. Quod enim mentem adhibentibus tota scriptura cōsolatio sit, iam nūc vobis hoc faciam manifestum. nō enim scripturarum historiam circumiens, quosdam consolatorios sermones quærere conabor: sed vt apertiorē promissionis demonstrationem præbeam, hodie lectum tractabimus librū: & si libet, ipsius principiū, & proœmium, quod maxime videtur neque cōsolationis vestigiū demonstrare, sed à cōsolatoriis penitus verbis alienū esse, in medium proponens, quod dico manifestum faciam. Quod tandē est hoc proœmiū? In principio fecit deus cælum & terrā: terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erāt super faciem abyssi. Nunquid vidētur aliquibus è vobis tristitiæ cōsolationem habere memorata? Nō historia narratio est, & de creatione doctrina: Vultis igitur demonstrarem cōsolationem in hac dictione absconditam? Exurgite igitur, & cum diligentia aduertite quæ dicēda sunt. Cum enim audieris, quod cælum, terram, mare, aërem, aquas, stellas multas, duo luminaria magna, plantas, quadrupes, natilia & volatilia animalia omniaque generaliter quæ vidētur, propter te, tuamque salutem & honorē deus creauit, non magnā capis cōsolationem? & maximā dilectionis dei demonstrationem hanc suscipis, cū cogitaueris, quod tantum & talem mundum tā pulchrum & magnum & admirabilem propter te pusillum in mediū protulit: Cum igitur audieris quod in principio fecit deus & cælū & terrā, ne simpliciter dictum prætercurras, sed terræ magnitudinem mēte percurre, & reputa quā lautam nobis & opimā produxit mēsam, & multam passim nobis delectationē præbuit: & quod quidē est maximū, quod in nullorum laborum retributionē dedit, nec in meritorum præmium tātum & talē mūdum: sed pariter nos finxit, & hoc regno genus nostrum honorauit. inquit enim, Faciamus hominē ad imaginem & similitudinē nostram. Quid est, ad imaginē nostrā? Principatus imaginem dixit, vt quemadmodum nullus in cœlo est deo superior, sic super terrā nullus sit homine superior. Vno enim hoc & primo honorauit, quod ad imaginē suam

c ij eum

eum fecit. Secundo quod non laborum primum nobis imperium praeiuit, sed solum exhibuit benignitatis suae gratiam. Tertio autem quod naturale nobis illud elargitus est. Principatum enim hi quidem naturales, hi vero electi: & in aues aquilae: electi vero, sicut regis in nos aliquid. Hic enim non natura conferuis imperat, propterea & saepe principatum amittit. Talia enim existunt, quae non natura adfunt, ut facile admittant insidias, & translatione. Sed non ita leo, sed natura quadrupedibus dominatur, sicut itidē & alitibus aquila. Semper igitur cum genere coniuncta est regni species, nec vllum quis videt leonem vnaquam hunc amittentem principatum. Talem & nobis principatum deus a principio largitus est, & nos omnibus praeiuit: nec hoc solo naturam nostram decorauit, sed & ipsa loci praesidentia, egregium nobis habitaculum designans paradisum, & rationem dās, & animam largiens immortalē. Sed non haec dicam: ego enim tantam dei dilectionis superabundantiam esse dico, ut non tantum ex his, quibus nos honorauit, sed & quibus castigauit, similiter possimus demonstrare ipsius bonitatem & benignitatem. Et hoc omnium maxime vos cum diligentia considerare cohortor, quod deus non tantum honorans & benefaciens, sed & castigans, & puniens similiter est bonus: & siue contra gentiles, siue contra haereticos nobis certamina moueatur, & pugnae de dei benignitate, non tantum ex quibus nos honorauit, sed & ex quibus nos puniuit, ipsius bonitatem demonstrabimus. Si enim honorans tantum bonus esset, puniens vero non esset, ex dimidio bonus esset. Sed non ita est, absit. In hominibus quidem hoc euenire verisimile est, quoniam cum furore & ex affectu poenas inferunt: deus autem cum nullis sit affectibus obnoxius, siue benefaciat, siue puniat, similiter est bonus: nec regno minus gehennae cominatio ipsius bonitatem demonstrat. Nisi enim gehennam minatus fuisset, nisi poenam praeparasset, non multi regnum assequi potuissent. Non enim ita bonorum promissio ad virtutē multos euocat, ut malorum intentatio timore compellit, & ad animae curam excitat. Itaque etiam caelorum est regno gehenna contraria, ad vnum tamen ambo finem respiciunt, hominum salutem: illud quidem ad se alliciens, haec autem ad illud compellens, & timore corrigens se negligētius habentes. Hunc autem non incassum sermonem protraho: sed quoniam saepe fame, siccitatis venientibus, & bellis & ira regia irruente, & aliis huiusmodi inexpectatis rebus, multi simplices decipientes dicunt, quod non digna sunt haec dei prouidentia. Ne igitur decipiamur, sed diligenter sciamus, quod siue fame, siue bellū, siue aliud quodcumque molestum inducat, ex benignitate & multa dilectione hoc efficit, huic sermone coactus sum immorari: quoniam patres omnium maxime filios amātes & mensa prohibet, & flagella infligunt, & afficiunt ignominia, & aliis infinitis talibus lasciuientes pueros corrigunt. Sed tamen patres sunt, non tantum dum honorant, sed & dum haec faciunt, & tunc maxime patres cum haec faciunt. Si autem homines qui furore & ira saepe ab utili declinat, non crudelitate & inhumanitate, sed cura & charitate quos amant, punire putantur: multo magis deo sic sentire oportet, omnem excedente paternā charitatem propriae bonitatis cumulo. Et ne credas quod haec per coniecturam sint dicta, age ad ipsam scripturam sermone reuertamur. Postquam enim homo ab improbo demone deceptus & allectus est, videamus quo modo ipsum tale operatum crimen deus tractauit. Nunquid

ipsum omnino perdidit? Et quidem iusticiae ratio hoc exigebat, nihil quidem boni operatum, tantam vero beneuolentiam assecutum, mox a primordiis lasciuientem de medio tolli, & funditus deleri: sed non hoc fecit deus, nec abominatus est, nec eum auersatus, qui se tam ingratum in benefactorem exhibuit, sed ad ipsum venit, sicut ad agrotum medicus. Et noli oscitanter dictū praetercurrere charissimē, sed cogita quale est, nec angelū, nec archangelum, nec vllum alium illius cōseruorum misisse: sed ipsummet dominum ad collapsum descēdisse, & iacentem releuasse, & solum ad solum tanquam ad amicum infortunatum, & in magna constitutum aduersitate accessisse. Quod enim ex multa fecit hoc charitate, & ipsa verba quae ad ipsum dixit ipsius ineffabilem charitatem demonstrant. Et quid opus est, ut omnia verba dicam? Prima profecto dictio statim ipsius amorē demonstrauit. Non enim dixit, sicut par erat iniuriam passum dicere: O scelerate & scelestissime, tali mea beneuolentia potius, tanto decoratus regno, & omnibus terrestribus nullo tuo merito praeratus, & meae curae pignora per opera & veram prouidentiae probationem assecutus, improbum demonem & pestiferū tuae salutis inimicum, domino & tutore, cui crederes, digniorem dixisti? Quid ille tibi tale demonstrauit, quale ego? Nonne caelum propter te creauit terram, mare, solem, lunam, & stellas omnes? Non enim vlli angeli huius creature indigebant, sed propter te & requiem tuam, talem & tantum feci mundum. Et tu nuda verba, & promissionem falsam, & pollicitationē fraude plenam, collata rebus beneficentia, & prouidentia, fide digniorem esse ratus te ipsum illi tradidisti, measque leges contulcasti. Haec & his plura laesum par erat dicere: sed non ita deus, sed omnino per contrarium. A prima enim voce ipsum statim erexit, & iacentem, & timentem, & tremantem considerauit, prior eum vocans ipse: quin immo non tantum prior vocans, sed etiam ex suo ipsum nomine appellans, & dicens: Adam vbi es? amorē suum, & multam circa ipsum curam ostendit. Iam enim omnes nostis, quod hoc est legitimae amicitiae indicium. Sic & mortuos reuocantes facere consueuerunt, continue ipsorum nomina versantes: sicut vicissim odio habentes, & inimice erga quospiam affecti, nec nomina eorum qui se laesere, ferunt commemorari. Ideo Saūl nullam quidem iniuriā passus, multas vero & magnas iniurias in Dauid machinatus, postquam ipsum auersabatur & oderat, nec illius appellationem commemorare sustinebat, sed cōsuetibus omnibus postquam non venisse vidit, quid inquit? Non dixit, vbi est Dauid? sed, vbi est filius Isai? a patre ipsum vocans. Et iterum Iudaei de Christo idē faciunt: quoniam enim ipsum auersabantur & oderant, non dixerunt, vbi est Iesus? sed, vbi est ille? Sed deus & in hoc demonstrare volens, quod nec peccatum amorē extinxit, nec inobedientia suam in ipsum beneuolentiam sustulit, sed adhuc prouidet, & curam gerit lapsi, inquit: Adam vbi es? non ignorās vbi degeret, sed quoniam his qui peccauerunt os confutum est, peccato linguam auertente, & cōscientia ipsam cohibente, & stupidi remanent, silentio tanquam quodam vinculo coerciti. Volens itaque deus ipsum ad fiduciam & libertatem loquendi prouocare, & in eorum quae admiserat purgationem inducere, ut aliqua frueretur venia, ipsum prior ipse vocauit, anxietatis multum appellatione recidens, & expellens timorem, osque per hanc aperiens appellationem. Ideoque dicebat, Adam vbi es? Alibi te reliqui, & alibi nunc inuenio: reliqui in fiducia & gloria, nunc autem inuenio in

confusione

confusione & silentio. Et considera curam. Non Heuā vocauit, non vocauit serpētem, sed qui omnium leuissime peccauerat, hunc ad iudicium primum accersit: ut ab eo incipiens, qui aliqua potest venia potiri, etiam in eam quae multum peccauerat, mitiorem ferat sententiam. Et iudex quidem cōseruos suos, & eiusdem secum naturae participes, per seipsos examinari non sustinent, sed ministrorum quempiam sibi medium proponentes, interrogationes illum suas ad reū faciunt perferre, & per ipsum quaecumque velint, dicunt, & audiunt dum reos examinant. Deus autem mediatore nullo ad hominem opus habuit, sed ipse per seipsum iudicat, & cōsolatur. Nec hoc tantum est admirabile, sed etiam quod commissā corrigit. Iudices enim cum latrones ceperint, & sacrilegos, non quo modo ipsos reddant meliores considerant, sed quo modo ab ipsis peccatorum poenas exigant. Deus autem contra, cum aliquem ceperit peccatorem, non considerat quo modo sumat supplicium, sed quo modo ipsum corrigit, & meliorem faciat, & in futurum inexpugnabilem. Itaque & iudex pariter, & medicus, & magister est deus. etenim tanquam iudex examinat, & tanquam medicus corrigit, & tanquam magister docet, praeruaricatos in omnem disciplinam inducens. Si vero vnum & breue verbum tantam dei curam demonstrauit: quid si omnem vobis sententiam legeremus, & integra explicarem monumenta? Cernis quo modo tota scriptura consolatio est, & exhortatio? Et hoc quidem congruo tempore dicemus. Ante haec autem necessarium est dicere, quando liber hic editus fuit. Neque enim in principio, neque statim post Adam creatum haec scripta sunt, sed post multas generationes. Et cur tandem Iudaeis dūtaxat, & non omnibus hominibus? cur tandem Hebraica lingua: & qua de causa in deserto Sina? neque enim temere locum Apostolus non praetermittit, sed & in hoc magnam nobis cōtemplationem demonstrat, sic dicens: Haec enim duo testamenta sunt, vnum in monte Sina in seruitutem generans. Quin & alia plura quaerere necessarium esset: sed video tempus nobis non permittens sermonem tanto pelago committere: propterea his in congruum tempus dilatis, iterum de iurandi abstinentia vobis differemus, & rogabimus charitatem vestrā, ut multo circa hanc rem studio vutur. Quo modo enim non absurdum, seruū quidem non audere dominū nominatim & sine honoris praefatione appellare: angelorum vero dominū temere & contemptum vbiq; iactare? Et si Euangelium quidem capere oportet, manibus lotis, & cum multa reuerentia & religione tremens & timens sumis: Euangelij vero dominum temere lingua passim versas? Vis discere quo modo ipsum appellant superiores potestates, cum quanto honore, quanta consternatione, quanta admiratione? Videbam dominum sedentem, inquit, throno alto & eleuato, & Seraphin stabant circa ipsum, & clamabant alter ad alterum, & dicebant, Sanctus, sanctus, sanctus dominus deus sabaoth: plena omnis terra gloria eius. Vidisti cum quanto timore, quanto horrore, nominant eum glorificantes, & laudantes? Tu vero in precibus quidem & supplicationibus, cum multo inuocas ipsum torpore, quando horrescere oportebat, & vigilare, & sobrium esse: in iurando vero, cum nec omnino adducere admirabile nomē oportebat, varia quaedam & alia super alia connectis iuramēta. & qualis venia, quae vero nobis erit excusatio, & si millies consuetudinem obuiamus: Dicitur quod quidam externorum oratorum praquadam stulta consuetudine dexterum eundo

Tomus quintus.

A humerum continue mouebat, sed tamen consuetudine vicat, & gladios acutos vtrinque humeris imposuit, ut vulneris timore membrum inepte se mouens corrigeret. Hoc & tu lingua facias, & ipsi pro gladio diuinae poenae timorem impone, & omnino superabis. Impossibile enim impossibile inquam est, meditates & studetes, & opus hoc facientes vnquam superari. Dicta nunc laudatis, sed cum correcti fueritis, magis laudabitis, non tantum nos, sed & vos ipsos, & cum maiore voluptate audietis quae dicentur, & cum pura conscientia deū inuocabitis, qui tantum tibi parcat, ut dicat, neque per caput tuum iurabis: tu vero sic ipsum cōtemnis, ut & per ipsum gratiam iures. Et quid faciā, inquit aliquis, apud necessitatem inducentes? Qualem necessitatem homo? Discant omnes quod omnia malles pati, quam dei legem transgredi, & ab inferenda necessitate desistent. Quod enim non iuramentum fide dignum hominem faciat, sed vitae testimonium, & conuersationis integritas, & mens bona, saepe multi iurantes disrupti sunt, & non persuaserunt: alij vero annuentes tantum, multum iuratis fide digniores apparuerunt. Haec igitur omnia scientes, & poenam iurantibus & peierantibus statutam ante oculos ponentes, improba consuetudine abistamus, ut hinc & ad reliqua gradientes virtutis opera, consequamur bona futura: quae nos omnes assequi debetur, gratia &c.

Eiusdem ad virtutem exhortatio, & in illud Genesis, Deambulabat deus in meridie in paradiso, & de fugientibus iuramentis. Homilia VIII.



ADISTIS antea quo modo omnis scriptura consolationem affert & refrigeriū, praeter historiae narrationē. Etenim illud, In principio fecit deus caelum & terram, historiae expositio erat: sed demonstrat oratio & multa plenam consolatione dictionem: quale quod duplicem deus mensam fecit, terram & mare simul ponens: & lumina gemina, solem & lunam superne accendens: & duplicis cursus tempus, diem & noctem operatus: & illum quidem in operationem, hanc autem in requiem. non enim minus ministerium, quam dies nobis nox affert. Sed sicut in arboribus dixi, quod fructuosis infructuosae amulam praebent vtilitatem, facientes ne cogamur ad aedificia domestica arbores attingere: & masculae animalibus non minorem nobis vtilitatem syluestria & immittia afferunt, timore nos in vrbes compellentia, reddentiaque cautiore, & nos inter nos constringentia: & horum quidem exercentia virtutem, horum vero morbos soluentia (multa enim ex his medicamēta medicorum pueri efficiunt) & antiqui nos peccati commonentia. Cum enim audiero quod timor noster & conuersio erit super omnes bestias terrae, postea honorē hunc truncatum videro, peccati reminiscar, quod & timor noster dissoluit, & principatum abstulit, & efficit melior & continentior, dānum ex peccato nobis illatum contemplatus. Sicut igitur (quod & antea dixi) ad vitam nobis omnia conferunt: haecque dicta, & alia his plura, quae qui fecit deus, ipse nouit: ita quidem & nox non minorem quam dies vsum affert, cum laborum sit requies, & morborum medicina. Saepē enim medici multa operati, & infinita medicamina moliti, ab aegritudine laborantem liberare non potuerunt: somnus autem sponte adueniens, omnem soluit aegritudinē, & infinitis illos laboribus liberauit: nec morbis vero tantum corporis, sed & animae nox est medicina, dolentes animas sedans. Saepē quispiam postquam filium amiserit, innumeris illi cō-

c iij solationes

solationes afferentibus fletibus & gemitu desistere non valuit: nocte vero superueniente, somni celsis imperio superatus, & palpebrae obdormierunt, & exiguam quam diurnorum cepere malorum consolationem. Age vero iam ad materiae eamus unde processit oratio. Nam bene noui quod huic omnes inhiatis, & quisque discere cupit, quia de causa non ab initio editus est hic liber, sed neque nunc expositionis huius esse tempus video. Quid ita tandem? Ad finem nobis haec deuenit hebdomas, & materiam attingere metuo, deinde statim expositionem abrumpere. Mulorum enim dierum iugis indiget orationis, & continuatae memoriae: ideo rursus ipsam differimus. Sed ne egregeratis, cum fœnore vobis omnino debitum reddemus: sic enim & nobis reddetibus expedit. Nunc autem interim dicimus heri relictum. Quid autem heri relictum fuit? Deambulabat, inquit, deus in paradiso in meridie. Quid ais: deambulabat deus? Non deambulabat: quo modo enim ubique praesens, & omnia implens? Sed in Adam talem sensum posuit, ut seipsum corripere, ne dissolutus esset, ut fugiendo & latendo aliquam purgationis partem praeponderet, & ante ipsa verba. Sicut enim in iudicium adducendi, & commissorum poenas subituri, squalidi, sordides, tristes, contempti iudicantibus apparent, ut ex habitu ipsos in humanitatem & veniam & misericordiam trahant: sic & in Adam factum est. Oportebat enim demissum in iudicium hoc trahi, propterea praenitens ipsum deus, & corripuit. Sed quod aliquis deambularet, sensit: unde vero cogitavit quod deus deambulabat? Talis est peccantium consuetudo, omnia suspecta habent, umbras tremunt, omnem strepitum timent, & quaeque putant contra se venire. Multos igitur saepe conspicati peccatores, ad aliud ministerium currentes, ad se venire cogitauerunt: & aliis alia inter se dissonantibus, peccati sibi ipsi conscij putant illos de se sermocinari. Talis enim res peccatum est, nullo prodit arguente, nullo condemnante accusante, pauidum facit & timidum peccatorem, sicut iusticia contrarium. Audi igitur quo modo & huius pauore, & illius libertate scriptura designauit: Fugit impius persequente nemine, inquit. Quo modo persequente nemine fugit? Intus habet agentem conscientiae accusatorem, & hunc ubique circumfert: & sicut seipsum non potest fugere, sic nec intrinsecus ipsum agitatem: sed quocumque abeat, flagellatur, & vulnus habet inmedicabile. At non talis iustus: sed qualis, audi: Iustus tanquam leo, inquit, confidit. Talis erat Helias. Vidit igitur regem ad se venientem: & dicente illo, Tunc es ille qui conturbas Israel? Non ego turbavi Israel, inquit, sed tu, & domus patris tui. Vere iustus ut leo confidit. Sicut enim leo in regem tanquam vilem catulum quendam infurrexit. Etenim purpuram habebat ille: sed hic meloten habebat indumentum purpura illa venerabilius. Purpura enim illa fame peperit difficilem: melote autem haec grauiam dissoluit, haec Iordanem diuisit, haec Helisaeum duplicem Heliam fecit. O quanta sanctorum virtus. Non sola ipsorum verba & corpora, sed & ipsa indumenta creaturae omni vndique sunt venerabilia. Huius melote Iordanem diuisit, calceamenta trium puerorum ignem conculcauerunt: Helisaei lignum aquas mutauit, & ut ferrum in superficie portarent, effecit. Mosis virga mare rubrum diuisit, petram scidit. Pauli vestimenta languores expulerunt. Umbra Petri mortem fugauit: Sanctorum martyrum fauilla malignos expellit daemones. Propterea cum fiducia omnia faciunt, sicut & Helias: non enim spectabat diadema, & exteriorem regis apparatus, sed animam pannosam,

Gene. 3. b

Prou. 28. a

3. Reg. 18. c

4. Reg. 2. c

Danie. 3. f

Exod. 14. c

Act. 19. b

68
squalentem, sordidam, & omni reo miserius affecta respiciens, & ipsum intus captum esse viciorum seruum, ipsius principatum contempsit: etenim tanquam in scena, sed non in veritate regem sibi cernere videbat. Quae enim exterioris ornatus utilitas, cum intus sit tanta superies? Quae vero paupertatis noxa, cum intus tanta reposita sint diuitiae? Talis erat leo & beatus Paulus: carcerem enim ingressus, solo clamore omnia fundamenta concussit, vincula rosit, non detibus, sed verbis. Propterea non leones ipsos tantum, sed & aliud quid leonibus maius oportet appellare. Leo enim in retia saepe lapsus capitur: sancti vero cum ligantur, hinc fortiores fiunt. Sicut & hic beatus in carcere tunc fecit, solutus compeditos, parietes concutiens, carceris terrefaciens custodem, & pietatis verbo capiens. Leo clamat, & omnes bestias fugat: sanctus clamat, & daemones vndique expellit. Leonis arma, iubarum horror, vnguium mucro, & dentes acuti: arma iusti, sapientia, temperantia, patientia, praesentium contemptus omnium. Haec arma quilibet habet, non homines tantum improbos, sed & ipsas aduersarias potestates deridebit. Meditare igitur homo secundum deum viuere, & nemo te vnquam superabit: sed etiam si omnium vilissimus esse videaris, omnium eris potentissimus, sicut si animi virtutem neglexeris, etiam si omnium sis potentissimus, omnibus insidiaribus eris facile expugnabilis. Et hoc quidem dicta demonstauerunt exempla. Si vis autem, & per opera te docere conabor, vim iustorum inexpugnabilem, & facilem peccatorum captiuitatem. Audi igitur quo modo haec ambo Propheta insinuauit: Non sic impij, non sic, sed tanquam puluis quem proicit ventus a facie terre. Sicut enim ille ventorum incursum facile proicietibus propositus est: sic & peccator ab omni temptatione subuertitur. Cum enim ipse sibi ipsi repugnet, & hanc pugnam passim circumferat, quae ipsi spes salutis, domi prodito, & continuum hostem conscientiam secum trahet: Sed non talis iustus. Sed qualis: audi ipsum Prophetam dicentem: Qui confidunt in domino, sicut mons Sion. Quid tandem est, sicut mons Sion? Non commouebitur in aeternum, inquit. Quaecumque enim adhibeas machinamenta, quaecumque iaculaueris tela, motem demoliri volens, illum quidem nunquam superabis. Qui enim poteris? Machinamenta vero solues omnia, etiam tuam destruens fortitudinem. Talis est & iustus, quaecumque vulnera exceperit, ipse quidem graue patitur nihil, sed insidiantium vim dissoluit, nec vero mortali modo, sed ipsorum quoque daemonum. Audisti namque sapiens, quot diabolus machinamenta Iob adhibuerit, nec soluit tamen illum montem non conuulsit, sed & dissolutus recessi, sagittis ipsis confractis, & machinamentis inutilibus ex illo insidit redditis. Haec itaque scietes, vitam curamus nostram: & neque circa pecunias studeamus, quae pereunt: neque circa gloriam, quae extinguitur: non circa corpus, quod senescit: non circa pulchritudinem, quae marcescit: non circa delicias, quae desunt: sed circa animam omnem curam impendamus, & hanc omni curemus modo. Corpora quippe languentia non omnibus curare facile est: animam vero laborantem est cuique medicari facillimum. Et corporis quidem curatio, & medicamentum & argenti indiget: animae vero facile parabilius, & impeditio carum. Et carnis quidem natura multo cum labore ab infestantibus liberatur vulneribus: etenim ferrum saepe, & amara medicamina adhibere necessarium est. In anima vero nihil est tale, sed tantum velle & libere sufficit, & omnia correcta sunt. Et hoc fuit opus dei prouidentiae: quoniam ex corporis imbecillitate non multum fieri

Math. 5. c

Iaco. 5. c

fieri nocendum potest. Nam si etiam non agrotemus, mors superueniens ipsum corrumpet & omnino dissoluet. Totum vero nobis in animi sanitate situm est. Multo vero utilioris & magis necessariae partis curationem fecit facile & impendio & dolore carere: Quam igitur excusationem habebimus? quae autem veniam, cum corporis quidem, ubi argentum erogatur, & medici accersuntur, & multus dolor sustinetur, tantam geramus curam, praecipue cum non magnum nobis danum ex illius agitudine: animam vero contemnamus, & hoc cum nec argentum erogare, nec alios perturbare, neque dolores sustinere debeamus, sed absque his omnibus eligendo tantum, & volendo omnem ipsius correctionem facere possumus, & optime sciamus, quod nisi hoc fecerimus, extremam subibimus poenam, & inuitabilia tormenta atque supplicia: Dic namque mihi, si quis arte medicinae breui temporis momento absque argento & labore docere te polliceretur, non ipsum putares benefactorem? Nonne subires omnia facere & pati, quaecumque haec pollicens iussisset? Ecce nunc sine laboribus licet, non corporis, sed animae vulnerum inuenire remedia, & ea absque dolore vilo ad sanitatem reducere. Ne igitur negligamus. Quis enim, dic mihi, dolor, iram contristanti remittere? Dolor quidem est iniurias meminisse, & non conciliari. Quis labor orare, & a deo proptere prebere, innumera bona petere? Quis labor detrahere nemini? Quae difficultas ab inuidia & luore liberari? Quae molestia proximum diligere? Quae ardua non turpia verba loqui, non conuiciu, non iniuria inferre? Quae fatigatio non iurare? Rursum enim ad eadem deueniam admonitionem. Immo labor maximus iurare. Sapiens enim ira & furore detenti, infestatum quempiam non alloqui iurauimus, postea ira extincta, & furore sedato, conciliari volentes, & iuramentorum necessitate coerciti, doluimus, tanquam laqueo quodam detenti, & vinculis insolubilibus nexi. Quod & diabolus nouit, & quia plane nouit quod ira ignis est, & facile extinguitur, & extincta ira reconciliatio fit, & amicitia, cupiens ignem hunc inextinguibilem manere, iuramento non sapienter irretiuit: ut etsi ira defuerit, iuramenti necessitas manens, ardorem in nobis coheruerit, & duorum fiat alterum, vel reconciliati peieremus, vel non conciliati, odij culpa nosmet reos constituamus. Haec igitur scientes, iuramenta fugiamus, & continue meditetur os nostrum dicere, Crede, & hoc erit nobis totius materiae pietatis. Lingua enim verbum hoc dicere docta, confunditur & erubescit turpia & absurda verba proferre: & si rursus a consuetudine retrahatur, multos habet accusatores, corripitur. Cum enim quis non iurantem, turpia vidit verba sonantem, insultabit facile, & deridebit, & carpens dicet: Tu qui in omnibus dicis, crede, iuramentum proferre non audens, quo modo turpibus linguam tuam sermonibus contaminas? Itaque & inuiti a praesentibus compulsi, ad pietatem redibimus. Quid igitur si iurandi necessitas sit, inquit aliquis? Vbi est legis prauaricatio, non est necessitas. Et possibile est penitus, inquit, non iurare? Quid ais: Deus iussit, & audes interrogare, si legem custodire possibile: Immo difficile non custodire, & hoc per praesentia vobis persuadere volo, quod non difficile sit non iurare, sed iurare. Ecce enim iussi sunt urbem habitantes, quod multorum vires excedere videretur, aurum erogare, & plus collatum est, & exigentes audire licet, dicentes: Quid tardas homo: quid veros nos de die in diem differis? Non enim effugere potes, lex regis est, quae moram non patitur. Quid dicis, dic mihi Rex iussit pecunias pendere, & nisi pendas, placabilis fieri

Tomus quintus.

ari non potest. Deus iuramenta fugere iussit, & dicis, Non possumus fugere iuramenta. Sextus hic dies est quod de hoc vos praecipio admoneo: in futurum vobiscum pacisci volo, tanquam desistens, ut caueatis. Non amplius vobis erit excusatio, neque venia, maxime cum etiam si a nobis dictum fuisset nihil, a vobis ipsis hoc corrigi debuerit: nec enim varium est, & multae preparationis indigens. Cum vero tantum sitis nacti admonitionis & consilij, quam habebitis excusationem accusati, pro tribunali constituti tremedo, & huius prauaricationis poenas exacti? Nullam afferre licebit excusationem, sed necesse est, vel emendatos abire, vel non emendatos puniri, & extremum subire supplicium. Haec igitur omnes cogitantes, cum multa hinc cura digressi, tot diebus dicta omni custodia mente vestra conseruare inter vos exhortamini: quod vel nobis tacentibus alter alterum docetes, & edificantes, exhortantes, multum demostretis profectum, & omnes reliquas leges implentes, aeternis fruamini coronis: quas contingat nos omnes assequi, gratia & c.

Laudatio eorum, qui non iurandi consuetudinem fecerunt.

Et quod nemo superstitione teneri debet, post resurrectionem

diuinos in Ecclesia sermones non audire: & quare post

multum tempus diuina sunt tradita scriptura: & in illud,

Caeli enarrant gloriam dei: & mundi naturalis descriptio: & de non iurando.

Homilia IX.

T prius ad vos, & nunc ad vos, utinam vero & semper vobiscum, etsi non corporis praesentia, saltem charitatis viue: nec enim mihi est alia vita, nisi vos, & salutis vestrae cura. Sicut enim colonus nihil aliud curat praeter semina & segetes, & naua vndas & portus: sic & dicens audientes, & illorum profectum, sicut & ego nunc dico. Ideo & omnes vos in mente mea circumfero, nec vero hic tantum, sed & domi. Etsi enim multus est populus, & breuis cordis mei mensura, sed lata est charitas, & non in nobis angustatur: frequentia vero non addam: neque enim nos a vobis angustamur. Unde hoc manifestum? Noui multos referetes, mandatum fecimus leges nobismet ponentes, & iurantibus poenas definientes, & legem transgredientibus poenam inferentes, poenam nobis congruam, quod est maxima charitatis indicium. Non enim confundor talia satages: quoniam in hoc curiositatis nihil est, sed prouisionis haec est sollicitudo. Si enim medico non est opprobrium de agrote sciscitari: neque nobis crimen de vestra semper inquirere salute. Sic enim moniti quid vobis quidem expeditum sit, quid vero relictum congrua cum disciplina reliqua afferemus remedia. Haec igitur curiose scrutati cognouimus, & deo gratias egimus, quod non in petris seminauimus, nec in spinas misimus semina, neque multi temporis, multaque dilatione indiguimus, ut segetes meteremus. Propterea vos in corde meo continue gero, propterea non sentio docendi laborem, auditorum lucro releuatus. Haec enim merces nos reparare potest, & releuare, & alacres promptosque facere ad omnem pro vobis laborem sustinendum. Quoniam igitur multam vos gratitudinem demonstrastis, age iam & nos debitum erogemus, quod prius promiseramus: licet non videam praesentes esse illos, qui cum promissionem feci, huc venerant. Quae tandem itaque causa ipsos a nostra repulit mensa? Qui corporalem tetigit mesam, ut videtur, indignum esse putauit, post corporis nutrimentum ad diuinorum auditionem eloquium venire. Sed non recte in hoc sentit: neque enim, si hoc esset absurdum, multos & longos impendisset sermones Christus post illam mysticam coenam. Non utique: Ioan. 13. d

c iij si hoc

si hoc incongruum esset, resecta sapius in deserto multitudinem, etiam sermones ipsis post mensam comunicasset. Si enim fas est aliquid etiam prater opinionem dicere, tunc profecto vtilissimum diuinis est eloquiis aures accommodare. Cum enim tibi persuaseris, quod post cibum, & potum, & ad syntaxim conuenire necesse est, omnino vel inuitus multam geres sobrietatis curam, & neque in ebrietatem, neque in crapulam vnquam deducaris: cura enim & expectatio in Ecclesia conueniendi, cum honesta mensura cibum & potum sumere docet, ne ingressus & fratribus comixtus postea vinum redolens, & inordinate eructans, ab omnibus presentibus deridearis. Hec non vobis nos presentibus, sed relictis de vobis dico, vt hec per vos discant: non enim comedere audiendi obstaculum præbet, sed torpere. Tu vero crimen non ieiunare esse putans, aliud incurris crimen, multo maius & difficilius, quod sacra huius mensæ non particeps efficiaris, & quod corpus tuum alens, animam fame columis. Et quam excusationem habebis? In ieiunio quippe corporis imbecillitatem prætere, fortasse poteris: in audiendo autem quid tandem dicere posses? Non enim corporis valetudo diuinorum prohibet eloquiorum participem fieri. Si enim dixissem: nemo prorsus commisceatur, post cibum audiat nemo, aliquam habuisses veniam: nunc vero cum vos trahamus, & alliciamus, & ad nosmet vocemus, quam resiliens excusationem habebitis? Etenim non idoneus auditor ille esset, non qui comedisset aut bibisset, sed qui verbis non intederet, oscitans & dissolutus, & corpus quidem hic habens, mentem vero aliò vagantem. Hic etiam si ieiunet, ad audiendum inutilis est. Excitatus quidem & vigilans, & mentem suam intendens, siue comederit siue biberit, nobis erit omnium aptissimus auditor. In exterorum enim iudiciis & consiliis congrue lex ista præualuit: nec enim norunt philosophari, propterea quod non comedunt, vt nutriantur: sæpe enim supra fatietatem bibunt, propterea se ipsos rerum administrationi ineptos reddentes, vespere & meridie iudiciis abstinent. Hic autem non ita, sed qui comedit, ieiunio per animi modestiam erit æqualis: non enim vt ventrem dirumpat, aut rationem obtenebret comedit & bibit, sed vt corpus debilitatū reparat. Sed hæc pro admonitione satis. Iam vero tempus est ad subiectum transeundi, licet refugiat, & torpeat circa doctrinam hanc cogitatio nostra propter eos qui non venerunt. Et sicut pia mater mentiam apponens, non omnibus filiis presentibus dolet & gemit: hoc & ego nunc patior, & fratrum nostrorum absentiam cogitans, a solutione retrahor promissorum: sed vos potestis hunc eiicere torporē. Si enim polliceamini nobis omnia ad illos referre cum diligentia, nos vobis omnia prompte erogabimus: sic enim illis erit absentiam consolatio, vestrae charitatis doctrina: vosque nos attentius audietis, sciētes quod & ad alios vobis hæc referre necessarium. Vt igitur manifestior nobis oratio fiat, a superioribus ipsam repetentes dicamus. Nuper itaque querebamus, qua causa post tot annos edita sunt scripturae. Non enim Noë tempore, & Abraham, sed Mosis liber hic traditus est. Et multos audio dicentes, quod si utilis erat, ab initio datum esse oportebat: si vero inutilis erat, neque post hæc oportebat dari. Sed vana hæc ratiocinatio: non enim omnino, si quid postea vtile est futurum, ab initio tradi debet. Neque si quid a principio datum est, hoc omnino debet & postea manere. Quonia & lac vtile, sed tamen non continue datur, sed pueris tantum nobis datur. Et solidum nutrimentum vtile, sed nemo nobis ipsum in principio tra-

dit, sed postquam puerilem fuerimus aetatem egressi. Rursum ætas vtilis, sed non semper apparet: & hyems comoda, sed & hæc transit. Quid igitur, inquit aliquis, scripturae non sunt vtilis? Vtilissima sanè, & admodum necessaria. Et si vtilis, inquit, qua de causa non sunt traditæ nobis ab initio? quia non per literas, sed per res deus naturam hominum docere volebat. Quid tandem est, per res? Per ipsam creaturam. In hanc enim sententiam incidens Apostolus, & in Gentiles intedens dicens, Non ab initio dei cognitionem ex scripturis didicimus: vide quo modo respondet. Cum enim dixisset, Reuelabitur ira dei de celo super omnem impietatem, & iniusticiam hominum eorum, qui veritatem dei in iniusticia detinet, & vidisset obiectionem sibi occurrentem, & multos contradicturos, vnde Gentiles dei veritatem cognouissent, intulit dicens: Quia quod notum est dei, manifestum est illis. Et quo modo manifestum est illis? quo modo vero deum videre poterant? Quis ostendit, dicit: Deus enim illis manifestauit, inquit. Quo pacto? quem Prophetam mittens, quem Evangelistam? quem doctorem, si scripturae nondum erant? Inuisibilia enim ipsius, inquit, a creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiternaque virtus eius, & diuinitas. Quod autem dicit, tale est: Ante omnium oculos creaturam in medio proposuit, vt ex operibus creatorem coniciant. quod quidem & alius dicebat: Ex magnitudine & pulchritudine creaturarum proportionaliter ipsarum author consideratur. Vidisti magnitudinem? considera potentiam conditoris cum admiratione. Vidisti pulchritudinem? sapientiam obstupescere, quod & Prophetam demonstrans dicebat: Cæli enarrant gloriam dei. Quo modo igitur narrat, dicit mihi? Vocem non habent, os non possident, ipsis non est lingua, quo modo igitur narrat? Per ipsum aspectum. Cui enim videris pulchritudinem, magnitudinem, celsitudinem, situm, formam per tantum temporis permanere, tanta vocem audiens, & ad aspectum discens, adoras eum qui tanta pulchrum & admirabile corpus creauit. Tacet cælum, sed ipsius aspectus vocem tuba clariorem emittit, per oculos, non per aures nos docet: hic enim sensus a natura est illo certior & manifestior. Si enim per libros docuisset & literas, literarum quidem peritus scripta didicisset, nesciens vero nihil inde adiutus abiisset, si quis alius non induxisset. Et diues quidem librum emisset, pauper autem emere non potuisset. Rursum vocem quidem illam per literas significatam sciens, intus positam nosset: Scythia vero & Barbarus, & Indus, & Aegyptius, & omnes lingua carentes illa, nihil docti abiissent. Hoc autem de celo dicere non licet. Sed & Scythia & Barbarus, & Indus, & Aegyptius, & omnis homo super terram incedens, hæc vocem audiet: non enim per aures, sed per oculos in mentem incidit nostram. Visibile autem participatio eadem, neque differens sicut linguarum. In hunc pariter librum & idiota & sapiens intueri poterunt, & pauper & diues, & quocumque quis venerit, in cælum respiciens, sufficientem capiet doctrinam ex aspectu: quod quidem & ipse Prophetam innuens, & demōstrans, quod vocem creatura Barbaris emittit & Græcis, & omnibus vniuersaliter hominibus sic intelligi facile, dicebat: Non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. Quod autem dicit, tale est: Non est gens neque lingua, quæ hanc vocem intelligere non possit. Sed talis est ipsorum vox, vt ab omnibus hominibus audiri possit: nec cæli tantum, sed & diei & noctis. Et quo modo diei & noctis? Illud enim & per pulchritudinem, & per magnitudinem, & per alia omnia spectatores percipit, & in ipsius

ipsius creatoris admirationem immittit. Dies vero & nox quid nobis ostentare possent: huiusmodi quidem nihil. Alia vero his sunt ordine & conuenientia cum omni diligentia compositis non inferiora. Cum enim cogitaueris, quo modo totum per annum distribuuntur, & tantum in libra & bilance totius spacij longitudinem diuiserunt: eum qui ordinavit admiraberis: Velut enim forores quedam paternam hereditatem partite cum charitate multa, nullo modo inter se calumniantes: sic & dies & nox cum omni diligentia annum æqualitate tanta distribuunt, & proprios conseruant fines, nec vnquam alteram altera pellit. Nunquam igitur hyeme dies fuit longa, sicut nec vnquam æstate longa fuit nox, tot præteritis generationibus, sed in eodem interuallo & longitudine, neque modicum, nec dimidiam horam, nec oculi momentum altera quam altera plus habuit. Propterea & Psalmista ipsorum æqualitatem admiratur, clamabat dicens: Nox nocti indicat scientiam. Si hæc meditari scias, sic admiraberis eum qui ab initio hos immobiles terminos statuit. Audiant hæc auari, & aliena concupiscentes, & diei noctisque æqualitatem imitentur. Audiant inflati & alta sapientes, & nolentes primas partes aliis concedere. Dies nocti cedit, nec alienos fines inuadit. Tu vero semper honore fruens, fratribus hunc tradere non toleras. Et considera mihi legislatoris sapientiam. In hyeme longam noctem esse iussit, quando molliora femina, & magis frigidescere indigentia, nec calidiorem radium tolerant: postquam vero aucta fuerint, vna cum ipsis crescit rursus dies, & tunc fit longior, quando iam viget fructus. Hoc vero non seminibus tantum, sed etiam corporibus opportunum. Quoniam enim hyeme naua, gubernator, & viator, miles, & agricola multum dormi sedent, gelu constricti, & ocij tempus est in hyeme, plus temporis in noctes impendi deus constituit, ne diei longitudo superflua sit, nihil hominibus facere valentibus. Quis anni partium ordinem dicere possit, quo modo & hæc tanquam virgines quedam in gyro saltantes, cum multa ratione sese subsequuntur, & paulatim sine strepitu ad contrarias medias transeunt non desinunt. Propterea nec ab hyeme nos excipit ætas, nec ab ipsa statim hyems, sed medium ver interpositum est, ita vt sensim & paulatim succedentibus densata corpora nostra ætati sine tristitia adducat: quoniam enim subitanæ in contrarium mutationes nocumetum & morbum pariunt extremum, dispensauit deus ab hyeme quidem ver nos accipere, a vere porro ætatem, ab ætate autumnum, & sic hyemi transmittere. Itaque innocua & procedentes paulatim mutationes, ex contrariis horis per media nobis eueniunt. Quis igitur tam miser & ærumnosus, qui cælum quidem cernens, cernens vero mare & terram, cernens horarum temperiem tam diligenter moderatam, & inconcussam diei & noctis ordinem, hæc sponte fieri putet, nec adoret eum, qui hæc omnia cum sapientia congrua disposuit? Habeo quod dicam & his maius: Non enim magnitudo tantum, & pulchritudo, sed & ipse creationis modus omnium moderatorum demonstrat. quoniam enim condenti & creanti omnia ab initio non aderam: neque si adfuisset, quo modo fiebant scire poteramus, inuisibili virtute cuncta componēte, ipsum creationis modum optimum nobis magistrum esse fecit, supernaturali consequentia componens omnia quæ fiebant. Fortè quod dixi obscurius est. Igitur necesse hoc rursus manifestius dicere. Omnes utique annuerent, quod naturæ consequentia est, aquam super terram, sed non terram ab aquis ferri. Terra quippe cum sit

densa & dura, & non cedens, & solida, facile potest aquarum naturam sustinere: aqua vero cum liquida sit & mollis, teneraque & diffluens, & omnibus cedens occurrētibus, nullum corpus vnquam sustinere valeret, etiam si leuissimum sit. Nam sæpe lapillo incidēti paruo cedit, & refugit, ipsumque ad profundum transmittit. Cum videris igitur non lapillum paruum, sed terram omnem super aquas ferri, neque submergi, admirari poteris etiam supra naturam hæc mirabiliter operantem. Et vnde hoc manifestum, quod terra super aquas fertur? Prophetam hoc dicit: Ipse super maria fundauit eum, & super flumina præparauit eum: & rursus, Qui fundauit terram super aquas. Quid dicis: lapillum exiguum aqua in superficie ferre non potest, & terram tantam gerit, & montes, & colles, & vrbes, & planitas, & viros, & bruta, & non submergit? Et quid dico non submergit? Quo modo inferius circumstante sibi aqua tanto tempore non est dissoluta, & lutum omnia facta sunt? Si enim lignorum natura parum temporis aquis immorata corrumpitur & dissoluitur. Quid dico, lignorum natura? Quid ferro validius esse possit? Sed & hoc sæpe mollescit, cum semper in aquis maneat, & merito: quippe & ipsum a terra substantiam habet: Propterea multi fugitiuorum seruorum postquam cõpedes & catenas pertrahentes fugerunt, ad riuos aquarum venientes, & vincos aquis pedes immittentes, & sic mollius ferunt facientes, facile lapide percutientes, diffingunt. Igitur ferrum quidem mollescit, & ligna marcescunt, & lapides corrumpuntur aquarum natura: terre vero magnitudo tanto tempore aquis imposita, non est submersa, nec dissoluta, nec perita. Et quis hæc non obstupescat, & superadmiretur, & cum fiducia dicat, non esse naturæ opera, sed prouidentia naturam excedentis? Propterea quidam dicit: Qui suspendit terram super nihilo. Alius vero quidam: In manu ipsius fines terre. Item, Super maria fundauit eum. Et hæc quidem contraria esse videntur, super maria fundauit eum, idem dixit cum eo qui ait: quod super nihilo terram suspendit. Super aquas enim consistere æquale est & super nihilo suspendi. Vbi igitur suspensa & statuta est? audi eundem dicentem: In manu ipsius fines terre. Non quod manus habeat deus, sed vt discas, quod ipsius potentia omnibus prouides, ipsa est quæ terræ corpus continet & portat. Si dictis non credis, his quæ vides crede. Et in alio quippe elemento hanc mirabilem operationem inuenire licet. Ignis enim natura alta petit, & in sublime semper falit, & a natura vexiliat, habet: & si infinita cogant & vrgeant, ad inferiora deferri non pateretur. Nonnunquam enim faciem accensam capientes, & in caput inclinantes, ignis impetum inferius ferri non cogimus: sed & sic in superiora recurrit, & in sublime inferne festinat. In Sole vero totum contrarium deus fecit: ipsius enim radios ad terram conuertit, & lucem fecit inferius vergere: tantum non dicens ipsi per statum, inferius prospice, & hominibus luce: propter illos enim factus es. Et lucernæ quidem flamma hoc pati non potest: sydus vero tam magnum & admirabile ad inferiora vergit, & ad terram respicit, contra quam ignis, propter eius qui iussit potentiam. Vis & aliud tale commemorem? Dorso cæli huius nobis conspicui aquæ vndique comprehendunt, & neque desuunt, neque excedunt: & quidem non est talis aquarum natura, sed in cõcaua quidem facile currunt. Cui autem sit corpus conuexum, vndique desuunt, & neque modica earum pars i tali posset loco subsistere. Sed ecce hoc miraculum in cælis factum est, & hoc ipsum rursus insinuas: Prophetam dicebat:

Psal. 148.

dicebat: Laudate dominum aqua, quae super caelos estis. Et neque aqua solem extinxit, neque sol tanto subitus va dens tempore, superpositam aquam exiccavit. Vis te in terram iterum reducamus, & quod mireris ostendam? Non cernis hoc mare vndis & violentis flatibus plenum? Sed hoc mare spaciosum, & magnum, & furis, inualida continetur arena. Et considera dei sapientiam. Non permittit ipsum quiescere, neque manere sedatum, ne id esse naturae ipsius ordinem existimes, sed intra terminos manens clamat, & turbatur, & vehementer resonat, & in altitudinem fluctus excitat ineffabile: cum autem ad litus & arenam peruenerit, dissolutum rursus ad seipsum reuertitur, per haec utraque te docet, quod non naturae opus est ipsum intra proprios fines manere, sed ipsum cohibentis virtutis. Propterea enim inualidum ipsum obicem fecit, & neque ligna & lapides, neque montes his littoribus circumposuit, ut non his elementum in ordinem cogi putes. Hoc igitur & ipse quandoque Iudaeis impropere dicebat: Me non timebitis, qui arenam mari terminum constitui, & non transcendet? Non autem hoc solum homo est admirabile, quod magnum & mirabile fecit hunc mundum, quod supra naturae consequentiam ipsum compegit, sed quod etiam ex contrariis ipsum constituit, calido & frigido, sicco & humido, igne & aqua, terra & aere. Et contraria haec elementa, ex his quibus hoc totum consistit, inter se pugnantia, a sese non sunt consumpta: non ignis superuenit & accendit omnia, non aqua superueniens orbem circumdedit. Sed in corporibus quidem nostris haec fiunt, & bile crescente nascuntur febris, & totum animal laedit: & pituita superabundante multi nascuntur morbi, & animal corrumpunt. In hoc autem toto nihil horum accidit, sed vnumquodque manet tanquam quodam frano & vinculo conditoris voluntate proprios custodit terminos, & horum pugna mundo toti pacis fit causa. An non haec & caeco sunt manifesta, & valde imprudenter intelligibilia, quod prudentia quapiam facta sunt, & continentur? Quis enim tam stultus & insensatus, qui tantam molem cernens, tantam pulchritudinem, tantam compositionem, talium continuum elementorum pugnam, & contrarietatem, & perseverantiam, non intra seipsum ratiocinetur, & dicat: quod nisi prouidentia quaedam esset corporum magnitudinem cohibens, nec permittens totum dissilire, nec permanere, nec sufficere potuisset. Tantus quidem anni temporum ordo, tanta vero noctis & diei convenientia, tot autem irrationalium genera animalium, & plantarum, & seminum, & herbarum, tenorem suum seruant, & nihil in presentem diem neque intercidit, neque penitus consumptum est. Non haec vero tantum, sed & alia multo his plura & profundiora dici poterant, & de ipsa disseri creatura: sed in crastinum illa differentes, dicta diligenter retinere, & in alios efferre studeamus. Et scio quidem quod sententiarum profunditas auribus vestris inusitata est, sed si parum vigilemus, & his nos ipsos assuefaciamus, etiam aliis erimus facile doctores. Interim vero illud charitati vestrae necessarium est dicere: sicut glorificauit deus per tantam nos creaturam, ita nos quoque per puram ipsum conuersationem glorificemus. Caeli enarrant gloriam dei, non dicentes tantum, sed & tacentes, & vitae claritate omnes in admirationem adducetes. Luceat enim lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra, & glorificent patrem vestrum qui est in caelis. Cum enim viderit infidelis te fidelem compositum, modestum, ornatum esse, mirabitur, & dicet: Verum magnus Christianorum deus, quales constituit homines, quales & qua-

Matth. 5. b

libus fecit: angelos ex hominibus ipsos reddidit. Si quis contumeliam fecerit, non conuiciantur: si quis percusserit, non aegre ferunt: si quis iniuriam intulerit, pro his qui se laeserint, orant: inimicum non habet, iram seruare non norunt: mentiri non didicerunt, peierare non sustinent, quinimmo nec iurare: sed linguam excidi malent, quam vllum ex ore iuramentum emittere. Haec illis praebemus de nobis dicenda, & improba iuramentorum consuetudinem expellamus: & vel tantillum deo tribuamus honoris, quantum vestimentis nostris preciosioribus. Quo modo enim non absurdum est, vestimentum quidem habentes reliquis melius, ipso continue abuti non sustinere: dei vero nomen ubique temere, & ut occurrit, distrahere? Igitur precor, & supplico, ne sic salutem contemnamus nostram: sed studium, quod ab initio circa mandatum istud adhibebamus, deducamus ad finem. Propterea ego nempe continuam de iuramentis exhortationem facio, non quod torporem vestrum condemnem: sed quod maiorem partem vobis correctam videam: & studeo festinoque totum perfectum esse, & finem admittere. Sic & spectatores faciunt, qui brauiis proximis magis excitant. Nec nos igitur lassemur: sumus enim prope totius correctionis finem, & circa principium erat difficultas. Quando vero consuetudinis plurimum nunc est recisum, & modicum superest: iam nec vlllo labore opus est, sed modica obseruatione: & breui diligentia egemus, ut ipsi correcti, aliis doctores fiamus, & cum fiducia sacrum Pascha videamus, & cum multa voluptate duplam & triplam consuetam capiamus leticiam. Non enim tantum nos ieiunij laboribus & sudoribus liberatos esse delectat, quantum cum merito & splendida corona sacrae illi solennitati occurrere, corona inquam nunquam marcescente. Ut autem celerior fiat emendatio, hoc fac quod dico: Scribe super parietem domus tuae, & super cordis tui parietem falcem illam volentem, & hanc ad maledictionem volare putata: & continue ipsam recogita, siue alium iurantem videas, cohibe, veta, & curam tuorum gere seruatorum. Si hoc enim consideremus, quo modo non tantum ipsi emendemur, sed & alios in hoc inducamus, celeriter ipsi ad finem veniemus. Alios enim corrigere aggredientes, erubescimus & confundimur, quae aliis mandamus, haec ipsi omittentes. Nec pluribus est opus sermonibus. Multa enim prius sunt commemorata, & haec renouanda memoriae tantum causa dicta sunt. Deus vero magis nostris parcens animis, in omni nos bono perfectos faciat, ut omnem iusticiae fructum affecuti, caelorum regno digni censeamur, gratia & benignitate & c.

Laus eorum qui post cibum ad audiendum venerant. Et naturalis mundi enarratio: & contra gentiles creaturam ut deum colentes: & de euitando iuramento. Homilia X.



GAUDEO & gratulor omnibus vobis, quod admonitionem nostram, quam pro non ieiunantibus, & propterea absentibus nuper feci, re praestitistis. Arbitror enim multos iam praefatos hodie adesse, & pulchram hanc nobis implere conditionem: & hoc conuicio, eo quod amplius nobis theatrum factum sit, & maior audientium conuentus. non frustra, ut videtur, multos de ipsis sermones nuper impendimus, vestram exhortantes charitatem, ipsos ad matrem trahere, & persuadere quod licet & post corporis nutrimentum spiritualis escae participatione non fraudari. Quando vero quae vos dilecti melius fecistis: an praeterita synaxi, quando post mensam ad somnum conuer-

tebamini?

tebamini: an nunc cum post mensam ad diuinas leges audiendas conuenistis? Quando in foro commorabimini, & concessum nihil boni habentium participes eratis: an nunc quando cum fratribus vestris stetitistis, & propheticos audistis sermones? Non est ignominia comedere fratres, sed sumpto cibo domi remanere, & hac sacra solennitate priuari. Domi enim manens ociosior eris, & segnior: huc autem venies, omnem somnum & torporem excuties, nec torporem vero tantum, sed & tristitiam omnem deponens, facilius & latius in omnibus eris casibus. Et quid opus est plura dicere? Sta tantum prope ieiunantem, & ipsius statim odoris suauitatem sensisti. Vnguentum enim ieiunans est spirituale, & per oculos, & per linguam, & per omnia bonam animae dispositionem demonstrans. Haec non ut pranos accussem dixi, sed ut ieiunij lucrum demonstrarem. Ieiunium vero non ciborum abstinentiam tantum dico, sed & peccatorum fugam magis quam illam: quonia & conuiuatus, & huc cum modestia profectus congrua, non multo a ieiunante vincitur: sicut vicissim ieiunans, nec cum studio & diligentia his quae dicuntur attendens, nihil ex hoc ieiunio magnum lucrabitur. Comedens enim, & concionis sanctae congruo studio participem se faciens, nihil comedente & absente multo melior est. Non enim tantum nos inedia adiuuare poterit, quantum prodest & bonum affert spirituali disciplinae interesse. Vbinam alibi haec audies, quae hic meditaris? Si in forum iueris, rixae ibi & pugnae: si in curiam, ciuiliu rerum cura: si domum, priuatarum sollicitudo vndique affligit: si in fori conuenticula & confessus, omnia & illic terrena & corruptibilia: vel enim de venalibus, vel de tributis, vel de lauta mensa, vel de agrorum venditione, vel de aliis contractibus, vel de testamentis, vel de haereditatibus, vel de aliis talibus a cunctis conuenientibus sermones habentur. Et si in ipsas veneris regias, & illic rursus omnes differentes audies de pecuniis, de potentia, de gloria, quae hic honoratur: spirituale vero nihil. Hic vero contrarium totum, de his quae in caelo sunt rebus, de anima, de vita nostra, & quare facti sumus, & quare hic tantum temporis commoramur, & ad quae hinc migramus, & quid post haec nos suscipiet, & qua de re nobis corpus lutuum, & quae mortis natura, quid tandem est praesens vita, & quae futura, & nihil profus terrenum, sed omnes de spiritualibus sermones nobis habentur, & magna salutis nostrae viatica capientes, hinc ita cum bona spe migrabimus. Quoniam igitur non temere semina iecimus, sed sicut vos exhortatus fueram, omnes qui ex vobis defecerant, venati estis: age & nos vobis gratias rependamus, & paulum vos prius dictorum commonefacientes, reliqua quoque reddamus. Quae igitur prius sunt dicta: Querebamus qualiter, & quo modo ante scripturarum editionem res nostras deus disposuit: & dicebamus, quod per creaturam docuit genus nostrum, caelum extendens, & in medium proponens maximum librum & idiotis, & sapientibus, & pauperibus, & diuitibus, & Scythis, & Barbaris, & omnibus generaliter terram habitantibus vtilem librum, multo maiorem eorum quos docemur multitudine. Multa etiam de nocte & die, & horum ordine, & conuenientia ab ipsis cum diligentia custodita disseruimus: multa & de horarum cœtu, anno, & quatuor eius temporum aequalitate. Sicut enim dies nocte, ne dimidia quidem hora plus habet per totum annum, sic & haec inter se ex aequo dies omnes distribuerunt: & quod prius dicebamus, non magnitudo crea-

tura & pulchritudo tantummodo creatorem demonstrat, sed & ipse coagmentationis modus, & quod est super naturalem consequentiam modus creationis. Naturae nempe consequentia erat, aquam super terram ferri: nunc vero contrarium videmus, terram ab aquis ferri. Natura erat consequentia, ignem ad superiora currere: nunc vero contrarium videmus, inferius terram versus conuersos solis radios, & aquas super caelos esse & non defluere: solem subitus currentem non extinguere ab aquis, nec humiditatem illam absorbere. Ad haec diximus, quod ex quatuor elementis hoc totum consistit inter se contrarius & pugnantibus, & alterum alterum non consumpsit, & quidem cum sint consumptiua alterius alterum. Vnde manifestum, quod virtus quaedam inuisibilis haec cohibet, & vinculum est dei voluntas. Huic hodie sermoni amplius immorari volo, sed expergiscimini, & diligenter nobis intendite. Ut autem miraculum fiat manifestius, a corpore nostro demonstrationem horum faciam. Etenim corpus nostrum breue hoc & paruum est quatuor compositum est elementis, calido quidem sanguine, sicco vero bile flaua, humido pituita, frigido vero atra bile. Et nemo nobis incongruum hunc putet esse sermonem: spiritualis nempe omnia diiudicat, ipse vero a nemine diiudicatur. Sic & Paulus agriculturæ rationes tetigit, de resurrectione nobis differens: Stulte, inquit, tu quod seminas non viuificatur, nisi moriatur. Si vero beatus ille agriculturæ rationes citabat, nec nos quisquam accuset medicinales sententias attinentes: de dei enim creatione nunc est nobis oratio, & necessaria nobis est haec sententiarum materia. Quod igitur ante dixi, ex quatuor his elementis corpus nobis compositum est, & si pars a toto dissideat, ex hoc dissidio mors efficitur: vtpote, bile superabundante producit febris, & si vltra mensuram prauealeat, finem affert celerimum. Rursum frigido superabundante, paralysis, & tremores, & apoplexiae, & innumeri alij morbi pariuntur, & omnino quaeque aegritudinum forma ab horum elementorum superabundantia nascitur, quando vnum ex ipsis proprios excedens terminos, contra alia insurgit, & omnem laedit symmetriam. Interroga igitur dicentem, quod per se nata omnia, per se subsistunt. Si breue hoc & modicum corpus, & medicaminibus, & medicinali scientia vtens, & anima interius ipsum disponente, & multa disciplina, & innumerabilibus aliis auxiliis, non semper in bono statu permanere valet, sed perit, & corrumpitur, sepius turbatione in ipso facta: quo modo tantus mundus, tantas habens corporum moles, & ex iisdem compositus elementis, nisi multum prouidentiae cepisset, tanto tempore imperturbatus manere potuisset? Nec enim cum ratione fieri posset, ut prouidentiam quidem habes interius & exterius nostrum corpus vix ad sui conseruationem sufficiat: tantus vero mundus nulla vicens prouidentia per tot annos nil tale patiatur quale corpus nostrum. Quo modo enim nullum horum elementorum, quae, proprios transcendit terminos, & reliqua omnia consumpsit? Quis vero ipsa ab initio coniunxit? quis vero vsque in tantum tempus continet? Si enim simplex & vniiforme fuisset mundi corpus, non tam difficile fuisset quod dicitur: quando autem tanta elementorum pugna fuit ab initio, quis tam demens, ut putet sine cogente haec per se conuenisse, & coniuncta mansisse? Si enim nos non natura, sed voluntate inimice inter nos habentes sponte non conuenimus, donec manemus inimici, & ingrate alter ad alterum habemus: sed alterius qui nos coniungat indigemus.

1. Cor. 2. d

1. Cor. 15. f

genus, & postquam congregauerit, constringat, & in pace manere persuadeat, neque rursus resiliat: quo modo elementa neque rationis neque sensus vllius partem habentia, & sibi per naturam inimica & aduersantia, conuenissent & congregata fuissent, & alterum cum altero potuissent permanere, nisi potentia quaedam esset ineffabilis, quae congregaret, & congregata semper hoc vinculo cohiberet? Non cernis quo modo corpus hoc anima auolante defluit & tabescit, & perditur, & in suum quodque elementorum reuertitur terminum? Hoc ipsum profecto & in ipso fieret mundo, si ipsum reliquisset propria destitutum prouidentia, gubernans ipsum continue virtus. Si enim nauigium sine gubernatore non persisteret, sed facile submergeretur: quo modo subsisteret mundus tantum temporis gubernante nemine: Et ne quid plus dicam: nauigium, mundum esse putata: temonem, suppositam terram: velum, caelum: ventos, homines: mare, subiectam abyssum: quo modo igitur tanto naufragium tempore non esset factum? Mitte enim nauigium per diem vnum absque gubernatore & nautis, & statim submersum videbis. Sed mundus tale nihil passus est, quinque milia & plus iam habens annorum. Et quid dico nauigium? Casulam aliquis paruam in vineis compegit, & fructu ablato deser tam reliquit, & neque duos sepe dies permanet, sed soluitur, & breui cadit. Igitur tugurium quidem absque prouidente non stare: creatura vero tanta, tam pulchra, tam mirabilis, & leges noctis & diei, alternarumque horarum chorea, & naturae cursus varius & omnimodus in terra, & mari, & aere, & caelo, & plantis, & animalibus volantibus, natatilibus, gradientibus, serpētibus, & in hominum genere omnibus illis validiore, tantum temporis asque aliqua prouidentia stabilis permansisset? Praeterea mente mihi prata percurrere, hortos, florum genera, herbas omnes, & ipsarum suauolentiam, figuras, situm, nomina tantum, arbores fructuosas & infructuosas, metallorum naturam, animalium terrestrium, marinorum, natatiliū, per aërem meantium, montes, saltus, lucos, inferius pratum, superius pratum. est enim in terra pratum, & in caelo pratum syderum varij flores, inferius rosae, superius iris. Vis & in aëribus tibi pratum demonstrare? Considera pauonis corpus varium, & omnem excedens infecturam, purpurantesque auiculas. Cogita mihi caeli pulchritudinem, quantum temporis agit nec offuscatum est, sed velut hodie fabricatum, ita est nitens & splendidum: terra vterus tantum tempus paries, quo modo non hebetavit virtutem suam. Cogita mihi fontes, quo modo scaturiunt, & non defecerunt, ex quo facti sunt iugiter manantes diebus & noctibus. Cogita mare, quot flumina suscipiens mensuram non excessit. Sed quousque incomprehensibilia sectamur? Indictorum vnoquoque dicere dignum est: Quam magnifica sunt opera tua domine: omnia in sapientia fecisti. Sed quid ad haec solent infideles dicere, quoties ipsis commemoramus, magnitudinem mundi, ornatum, abundantiam, copiam in omnibus. Hoc ipsum, inquit, maxima criminis est causa, quod tam pulchrum & magnum fecit deus mundum: nisi enim magnum & pulchrum fecisset, non ipsum consecrassemus: nunc vero magnitudine percussit, & ipsius pulchritudinem admirati, ipsum deum esse putauimus. Sed vanus est hic sermo: quod enim neque magnitudo, nec ornatus impietatis sit causa, sed illorum ignorantia, nos nil tale passi declaramus. Quae enim causa nos ipsi diuinos honores non decreuimus? Nonne iisdem

oculis ipsum aspiciamus? Nonne in iisdem mundo vtimur, quibus illi? Nonne eandem animam habemus? nonne idem corpus possidemus? nonne eandem calcamus tellurem? Quo modo pulchritudo & magnitudo nos eadem cum illis sentire non persuasit? Nec hinc vero tantum hoc erit manifestum, sed aliunde: quod enim non propter pulchritudinem ipsum consecrarunt, sed ob propriam stulticiam, dicant simiam qua causa adorauerunt, crocodilum, canem, animalium vilissimum? Vere euauerunt in cogitationibus suis, & obtenebratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Veruntamen non ex his tantum respondendum, sed & aliud quid amplius dicemus. Haec enim deus desuper prouidens, & hanc ipsorum occasionei secundum sapientiam suam sustulit: propterea non tantum mirabilem & magnum fecit mundum, sed & corruptibilem & marcescibilem, & ipsius imbecillitatis multas inseruit demonstrationes: & quod in apostolis fecit, hoc & in toto mundo. Quid autem in apostolis fecit: quoniam signa multa faciebant, & miracula magna & mirabilia: ipsos tamen continue flagellari permisit, pelli, carcerem habitare, corporis morbos subire, in continuo esse tribulationibus. Ne signorum magnitudo deos ipsos apud homines putari faceret, propterea tantam largitus gloriam, corpus esse mortale permisit: multis vero valetudinarium, nec ipsorum valetudinem mutauit, vt naturam insinuaret. Nec meus hic sermo, sed ipsius Pauli sic dicentis: Si enim gloriari uolueris, non ero insipiens: parco autem, ne quis in me putet supra quod videt, vel audit aliquid ex me: & rursus, Habemus autem thesaurum hunc in vasis fictilibus. Quid autem est, in vasis fictilibus: in corpore hoc, inquit, mortali & corruptibili. Sicut enim testa ex luto & igne fit: sic profecto & corpus sanctorum illorum, cum sit luteum & spiritus ignis efficaciam suscepit, testa factum est. Et qua de causa hoc factum est, & thesaurum talem, & gratiarum copiam mortali & corruptibili intulit corpori: Vt superabundantia virtutis sit a deo, & non a nobis. Cum enim videris apostolos mortuos quidem se fecitantes, ipsos vero agrotantes, nec infirmitate se liberare valentes, manifeste scies, quod mortui resurrectio non ex virtute suscitantis, sed spiritus operatione facta est. Quod enim continue agrotabant, audi quid de Timotheo dicat Apostolus: Vino modico vtere propter stomachum, & frequentes infirmitates tuas: & rursus de alio: Trophimum autem reliqui in Mileto infirmum. Et Philippensibus scribens dicebat, quod Epaphras agrotauit prope mortem. Si enim & cum hac essent, ipsos deos esse putabant, & sacrificare parabant dicentes: Dij similes facti hominibus descenderunt ad nos: si haec non accidissent, ad quid impietatis miraculis conspexit tunc non processissent? Sicut igitur hic propter signorum magnitudinem & naturam eorum in infirmitate esse permisit, & continuas permittit tentationes, ne putarentur esse dij: sic & in creatura mundi quiddam his simile fecit: etenim pulchrum ipsum & magnum fecit, & rursus corruptibilem constituit. Et haec vtraque scripturae docent. Hic quidem caelorum pulchritudinem narrans, sic inquit: Caeli enarrant gloriam dei: & rursus: Qui constituit caelum velut testudinem, & extendit ipsum quasi tabernaculum in terra: & rursus: Qui continet circuitum caeli. Alter vero demonstrans, quod & si pulchrum & magnum, tamen est corruptibile, sic inquit: Initio tu domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt caeli: Ipsi peribunt, tu autem

Psal. 103.

Psal. 110.

Psal. 115.

Acto. 17.

Psal. 110.

Eccl. 1.

Psal. 110.

autem

autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent, & sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur. Et iterum de sole inquit idem Dauid: Tanquam sponfus procedes de thalamo suo: exultauit vt gigas ad currendam viam suam. Vidisti, quo modo syderis pulchritudinem simul & magnitudinem tibi ante oculos posuit: sicut enim ex thalamo quodam sponfus apparens, sic & sol sub auroram radios mittit, & tanquam quodam croceo velo caelum ornans, & roseas faciens nubes, & sine offensa currens totum diem, nullo cursu obstaculo interrumpit. Vidisti igitur ipsius pulchritudinem: vidisti magnitudinem: Vide & imbecillitatis eius demonstrationem. Etenim & hoc demonstrans sapiens quidam dicebat, Quid lucidius sole? & hic deficit. Nec ex hoc tantum ipsius imbecillitatem videre datur, sed etiam in nubium concursibus. Nube igitur saepius subtercurrente, radios immittens, & nubem discindere conatus, non proualuit cum esset nubes crassior, nec ipsi cedere vellet. Sed semina, inquit, nutrit. atqui non ipse nutrit solus, sed & terra indiget ac roris, & pluuiarum atque ventorum, & bonae temporum distributionis, Et nisi haec omnia concurrerint, superfluis fit solis usus. Hoc vero dei non est, ad ea facienda quae vult, aliorum indigere. Dei enim maxime proprium non indigere. Ipse enim non sic est terra semina protulit, sed tantum iussit, & omnia germinauerunt. Et rursus vt discas, quod non elementorum natura, sed ipsius mandatum omnia facit: ipsaque elementa, quae non erant produxit, & ludaxi vero nullius ope manna dimisit: Panem, inquit, caeli dedit eis. Et quid dico quod sol ad fructum vegetationem, maturationemque aliorum indigeat elementorum, cum & multis ad sui substantiam egeat, nec ipse sibi sufficere possit: Quippe vt vadat, caeli indiget, tanquam pauimentum cuiusdam suppositi: & vt luceat, aeris puritatis & tenuitatis. Quod si hic praeter modum defetur, ille lucem suam ostendere non potest: & ne omnibus sit intolerabilis, neque cuncta comburat, frigiditate rursus eget ac rore. Cum ipsum igitur reliqua vincant elementa, & ipsius impotentiam emittent: vincant quidem sicut nubes, & muri, & alia quaedam corpora ipsius lucem abscondentia: corrigant autem ipsius intemperantiam, sicut rores, & fontes, & aeris frigiditates: quo modo hic deus esse potest? Deum enim non indigere necessarium est, & nulla re opus habere, & omnium omnibus bonorum esse authorem, & a nemine prohiberi, sicut scilicet de deo ait Paulus & propheta Esaias, hic quidem ex ipsius persona dicens: Caelum & terram ego impleo, ait dominus: & rursus: Deus appropinquans ego sum, & non deus a longe: & rursus Dauid: Dixi domino, deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Paulus autem ipsius copiam nullius indigentem demonstrans, & ostendens quod haec ambo maxime dei sunt, nullius indigere, & omnibus ipsum omnia subministrare, sic inquit: Deus qui fecit caelum & terram & mare, nullius indigens, ipse vitam omnibus praebens, & spiritum per omnia. Licebat quidem & alia percurrere elementa, caelum, aërem, terram, mare, & ipsorum imbecillitatem demonstrare, & quo modo proximi quodque indiget, & sine hoc perit & corrumpitur. Etenim terra, si deficiant fontes, & humiditas tum a mari tum a fluuiis infusa, tota breui disperdetur: & reliqua vero elementa alterius alterum indigent, & aer solis, sicut sol aeris: sed ne prolixiore faciamus sermonem, ex dictis multas volentibus occasiones dedisse satis fuerit. Si enim omni creatura sol admirabi-

lior tam imbecillis & inops esse iam apparet, multo magis alia mundi partes: quod eo dixi vt laboriosis illa praerberem colligenda. Ipse de scripturis iterum vobis disseram demonstrans, quod non solus sol, sed & omnis mundus corruptibilis est. Cum enim alterius alterum consumptiua sint elementa, & solis quidem potentiam superueniens maior frigiditas castiget, hanc autem vicissim calor inualescens consumat, & contrarias qualitates & dispositiones alterum in altero faciat & patiantur elementa: certum quod haec magna corruptionis argumentum praebent, & corpus esse quocumque videntur. Sed quoniam tenuitate nostra altior hic est sermo, age ad dulcem nos scripturarum fontem agentes, aures nostras mulceamus. Non enim de caelo & terra singillatim vobis dicemus, sed de omni pariter creatura. Et hoc ipsum vobis demonstrantem Apostolum ostendemus, sic manifeste dicentem, quod omnis creatura corruptioni nunc seruit, & quare seruit, & quando mutabitur, & in qualem transibit finem. Postquam enim dixit: Non sunt condignae passionis praesentis temporis ad futuram gloriam, quae reuelabitur in vobis: intulit, quod expectatio creaturae reuelationem filiorum dei operitur. Vanitati enim creatura subiecta est, non sponte, sed propter eum, qui subiecit eam in spe. Quod autem dicit, huiusmodi est: Corruptibilis creatura facta est: hoc enim est, vanitati subiecta est. Corruptibilis autem facta est, deo sic iubente. Iussit autem sic deus propter genus nostrum: quoniam enim hominem nutrire debebat corruptibilem, & ipsa talis esse debebat: non enim corruptibilia corpora decebat incorruptibili vesci creatura. Sed inquit, non tamen talis permanet, sed & ipsa creatura liberabitur a seruitute corruptionis: deinde demonstrans quando hoc erit, & per quos, intulit: In libertatem gloriae filiorum dei. Cum enim resurrexerimus, inquit, & incorrupta sumptimus corpora, tunc & caeli corpus & terra, & mundi totius incorruptum erit, & immarcescibile. Cum igitur solem videris exorientem, creatorem admirare: quando ipsum se celantem & euanescentem videris, naturae imbecillitatem discere, nec ipsum vt deum adores. Non enim ex hoc solo elementorum naturae imbecillitatis demonstrationem deus inseruit, sed & hominibus seruis suis, vt eis imperarent, mandauit: vt si nec ex aspectu ipsorum seruitutem cognoscas, ab imperantibus discas, quod omnia conserua tua sunt. Ideo Iosue dicit: Stet sol contra Gabaon, & luna contra vallem Elam. Et iterum propheta Esaias ipsum in contrarium retrogredi fecit sub Ezechia rege, Et Moses quoque aeri, & mari, & terrae, & petris imperauit: Helisaeus aquarum naturam mutauit: tres pueri ignem vicerunt. Vides quo modo vtrinque nobis deus prouidit, per elementorum quidem pulchritudinem nos in diuinitatis suae cognitionem inducens, per infirmitatem vero non permittens in illorum cadere adorationem? Super his ergo omnibus ipsum nostri gubernatoris glorificemus, nec per verba tantum, sed etiam per opera, & conuersationem optimam exhibeamus, & circa alia, & circa iuramenta, continentiam dico. Non enim omne peccatum eandem exigit poenam, sed corrigi facilia maiore afferunt: quod scilicet & Salomon inuenuit dicebat: Non mirum, si quis deprehensus fuerit furans: furatur enim, vt animam suam impleat esurientem: adulter vero propter inopiam mentis, perditionem animae suae acquirit. Quod autem dicit, tale est: Grauis quidem res estiam fur, sed non tam grauis, quam adulter. Ille enim & si frigidam

Roma. 8. d

Esai. 38. d

4. Reg. 4. b

Daniel. 3.

Prover. 6. d

frigidam causam habet, tamen ex pauperie necessitate prætereundum potest: hic vero nulla ipsum cogente necessitate præ dementia sola in peccati voraginem corruit. Hoc & de iurantibus dicere licet: nec enim isti vllum habent quem præmittant prætextum, sed contemptum solum. Et noui quidem, quod grauis esse videor iam & onerosus, admonitionis iugitate perturbans: veruntamen nõ desino, vt vel meam reueriti impudentiam improba iuramentorum consuetudine abfistatis. Si enim iudex ille immitis & saeuus, viduæ vexatione veritus, mores mutauit: multo magis hoc vos facietis, & maximè cum supplicans vobis non pro me ipso, sed pro salute vestra hoc faciam: imò vero & pro me ipso non hoc facere negauerim: vestra enim bona puto mea esse merita. Vellem autè sicut ego nunc laboro & fatigor pro salute vestra, sic & vos animæ vestræ curâ gerere, certè donec adimplèta sit hæc correctio. Et quid opus est multa dicere? Si enim nec gehenna esset, nec pœna contumacibus, neque merces obedientibus, ego autem hoc aduertès, in gratiæ parte petiissem, nõnne annuere debuissetis? nõnne petitionem concedere, tam leuem petèti gratiam? Cum vero deus ipsam petens propter nos dantes, non propter seipsum percipientem hoc faciat: quis tam ingratus? quis tam miser, & ærumnosus, vt gratiam petenti deo non impendat, & maximè cum ipse impendens gratiam recipere debeat? Hæc igitur cogitantes, & ad vos hinc recedentes, omnia repetite dicta, & vos ipsos obseruantes omnibus modis corrigite, vt priorum & alienorum retributionem meritorum recipiamus, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, per quem, & cum quo patri gloria simul & sancto viuificoque spiritui nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

*Gratiarum actio ad deum, de absolutione malorum ex se-
ditione expectatorum, & ex eorum qua tunc acciderunt com-
memoratio. Insuper vero & contra eos qui corpus nostrum ac-
cessant, & de hominis creatione, & de vitando iuramento.*

Homilia XI.

QVM præteritam tempestatem, & præsentem cogito tranquillitatem, non desino dicere: Benedictus deus qui facit omnia, & ipsa transfmutat, qui fecit lucem de tenebris, qui deducit ad portas inferi & reducit, qui castigat & non mortificat. Et hoc vos cõtinue dicere volo, nec desistere. Si enim ipse vobis operibus bene fecit, qua nos venia digni esse possemus, ne verbis quidem ipsum remunerantes? Propterea exhortor vos nunquam cessare ipsi gratias agere. Si enim pro primis grati fuerimus, certum quod & aliis maioribus potiemur. Dicamus igitur cõtinue: Benedictus deus, qui & nobis dedit solitam cum fiducia vobis mensam apponere, & vobis præbuit securæ nostras audire sermões: Benedictus deus, quoniam non amplius exteriora fugientes pericula, sed audire optantes huc concurrimus: non amplius cum anxietate & tremore & sollicitudinibus inter nos cõuenimus: sed cum fiducia omnem excutientes timorem, quo per superiores dies fluctuantibus in medio mari, & naufragium per singulas horas expectantibus, nihilo melius nos habebamus, infinitis tota die rumoribus pulsati, perturbati, & vndique circumacti, & singulis fatigantes diebus, & curiose sciscitantes: quis venit è castris? quid vero veniens nunciauit: nunquid verum an falsum quod dicitur? & noctes sine somno transigentes, & ciuitatem respicientes cum lachrymis tanquam mox perituram. Prop-

terea & nos superiores hos dies tacuimus, omnis ciuitas nostra erat exhausta, & omnes in solitudines transfmutati grauerant, & residui tristitiæ nube caligauerunt. Anima enim semel tristitia repleta, nihil audire est idonea. Propterea & amici Iob profecti, & domus illius depopulationem cernentes, & iustum in stercore sedentem, & vlcibus plenum, vestimenta sua disciderunt, ingemueruntque, & silentio se tradiderunt, significantes quod nihil à principio tam dolentibus opportunum, quam requies & silentium: erat enim consolatione maior tristitia. Propterea & Iudæi luto & operi lateritio alligati, Moysen ad se venisse cernentes, his quæ dicebantur attendere non poterant præ pusillanimitate & tribulatione, quam patiebantur. Et quid mirum, si homines quidam pusillanimes hoc passi sunt, cum & Christi discipulos in hunc morbum cecidisse inueniamus? Post illam nanque mysticam cœnam, quando ipsos assumptos Christus seorsum alloquebatur, ab initio quidem ipsum interrogabant discipuli, quò vadis? vt vero dixit illis mala ipsos paulò post exceptura, bella, persecutiones, inimicicias ab omnibus, flagella, carceres, iudicia, abductiones, velut onere ponderosissimo, dictorū formidine, & futurorum tristitia, pressum tunc ipsorum cor, postea stupidum remansit: ideo confusos cernens ipsos Christus, hoc ipsum exprobrans dicebat: Vado ad patrem meum, & nemo è vobis me interrogat, quò vadis? Sed quoniam hæc locutus sum vobis tristitia impleuit cor vestrum. Propterea nos quoque tacuimus præterito tempore, præsentem opportunitatem expectantes. Si enim aliquè rogaturus, etiam rationabilia proponere debet, temporis tamen occasionem expectat vt sedatum & bene affectum eum inueniat, qui petitionem daturus est, vt temporis auxilium nactus gratiam acquirat: multo magis dicentem tempus querere cõmodum oportet, vt apud bene affectum auditorem, & omni cura liberatum & tristitia, verba faciat: quod profecto & nos nunc fecimus, & postquam tristitiam excussistis, prius dictorum memoriã renouare volumus, vt sermo vobis fiat manifestior. Quod enim & in mundi creatione diximus, quod non pulchrum tantum & mirabilem & magnam deus fecit ipsum, sed etiam infirmum & corruptibilem, & horum rursus multas inseruit demonstrationes, vtraque ad vtilitatem nostram dispensans: & per pulchritudinem quidem in conditoris miraculum nos inducens, per infirmitatem vero à colenda nos abducens creatura: hoc & in corpore nostro videre datur euenisse: etenim de hoc quoque querunt & veritatis inimicorū multi, & nobiscum positurum, qua de causa hoc corruptibile & mortale factum sit. Gentiliū vero & hæreticorū multi, ne factum quidè à deo dicunt: indignum enim dei creatione esse putant, sordes & sudores & lachrymas & labores & ærumnas, & alia corporis omnia percurrètes. Ego autè postquam de his cœptus est sermo, primū quidem illud dicere possem: Ne mihi proponas hominè hunc præuariatum, honore priuatum, damnatum. Sed si vis discere, quale nobis ab initio deus finxit corpus, in paradysum eamus, & ab initio factum hominè videamus. Non enim sic erat corpus illud corruptibile & mortale, sed tanquam aurea statua de fornace progressa receter, & splendide fulgēs: sic omni tali corruptioe illud corpus absolutum erat: & neque labor vexabat, neque sudor nocebat, nec cura infidiabantur, nõ obfidebant tristitiæ, neque aliud quicquam quod læderet, patiebatur. Postquam vero non moderate felicitatem tulit, sed benefactorem homo contumelia affectus, & fallacem putauit demonem esse gubernatorem, deoque

deoque qui se in honore constituerat, fide digniorem, & deus fieri sperauit, & maiorem propria dignitate cõcepit opinionem: tunc profecto tunc & per ipsa deus opera ipsum erudiens, corruptibilem & mortalem reddidit, & his multis obuinxit necessitatibus, nõ perosus, neque auerfatus, sed consulens & improbam pestilentemque; illam ab initio nascentem superbiam prohibens, nec ulterius procedere permittens, sed per ipsam rerum experientiam monens eum, quod mortalis & corruptibilis esset, & ita persuadens, vt nunquam talia cogitaret, aut somniaret. Etenim diabolus dixerat, Eritis velut dii. Hanc igitur volens sententiam radicitus euellere, morbosum ipsum & ærumnosum corpus effecit, per ipsam docens naturam, ne vnquam talem conciperet cogitationem. Et quod hoc sit verum, maximè quidè & ex gestis circa ipsum est manifestum: post illam enim expectationem huic damnatus est pœna. Et considera mihi dei prudentiam, nõ ipsum mori primum permisit, sed hoc eius filium pati, vt ante oculos tabescens corpus intuitus & marcescens, magnam ex hoc aspectu philosophiã disciplinam caperet. Et discere, quid actum est, & ita bene correctum hinc discere. Maximè igitur, quod dixi, & ex iam gestis hoc manifestum est. Nec minus vero & ex aliis post hæc dicendis apertum erit. Si enim tali corporis necessitate nos vinciente, & omnibus morientibus, corruptionemque patientibus, & marcescentibus ante omnium oculos, & putrescentibus in puluere, & philosophis vnã eandemque hominum generis cõplectiuam definitionem faciētibus: interrogati nanque quid tandem sit homo: Animal rationale, mortale, dicunt. Si igitur omnibus hæc cõsistentibus, ausi sunt quidam, se immortales facere apud multorum opiniones, & oculis mortem testificantibus, vt dii prædicari contenderunt, & vt dii culti sunt: nisi produisset mors naturam mortalitatem omnes docens & corruptibilitatem, ad quid impietatis non prorupissent hominū plurimi? Audi itaque quid dicat propheta de quodam Barbaro rege tali furore capto: Super astra dei exaltabo solium meum, & ero similis altissimo. Ipsum vero deridens, & demonstrans finem, inquit: Subter te sternetur tineam, & operimentum tuum erunt vermes. Quod autem dicit, tale est: Homo talem expectans finem, talia cogitare ausus est: Et de alio iterum, Regem dico Tyrriorū talia parantem, & deum se haberi volentem: Tu vero, inquit, non es deus, sed homo, & te pungentes hoc dicent. Itaque à primordiis superbiæ & idololatriæ materiam auferens, deus tale nobis corpus parauit. Et quid miraris, si in corpore hoc factum est, cum & in anima videre liceat tale quid gestum? Mortalem nempe deus non fecit, sed immortalem esse permisit: obliuioni autem & ignorantie & tristitiæ, & curis obnoxiam ipsam reddidit: & hoc fecit, ne ad propriam generositatem respiciens, maiorem propria dignitate opinionem concipiat. Si enim cum hæc ita sint, quidam dicere sunt ausi, quod substantia dei est, si ab his esset absoluta passioibus, ad quid furoris isti non processissent? Veruntamen quod in creatione mundi dicebam, hoc & in corpore dico, quod similiter propter hæc vtraque deum admiror, & quod corruptibile ipsum fecit, & quod in corruptione propriam virtutem & sapientiam demonstrauit. Quod enim melioris ipsum materiæ facere poterat, ostendit ex cœlesti corpore, & solari. Qui enim illa fecit talia, & hoc tale facere, si voluisset, potuisset. Sed infirmitatis causa est prædicta occasio. Non tamen hoc mirabilem vim creatoris deterit, sed etiam amplius inten-

dit: materiæ enim vilitas magis demonstrat artis copiam & facultatem: quoniam in luto & fauilla tantam posuit harmoniam, & tales sensus tam varios & omnimodos, & tantum philosophari valentes. Itaque quanto magis substantiæ tenuitatem accusas, tanto magis dei artis magnitudinem admirare. Quoniã & statuarium admiror, non tam ex auro pulchram facientem statuatam, quam ex luto dilabente mirabilem & inexcogitabilem figmenti pulchritudinem artis facultate exhibere valentem. Illic enim fingenti materia quoque confert: hic vero nuda est artis ostentatio. Tu vero si discere vis, quanta sit eius qui nos creauit sapientia, cogita quid ex luto fiat. Quid autem aliud quam lateres & tegula? Veruntamen optimus artifex deus ex materia vnde fit tegula lateritium opus duntaxat, oculum tam pulchrum efficere potuit, vt omnes cernentes consternerentur, & tantam huic vim inferere, vt aëris tantam altitudinem spectet, & exiguæ pupillæ adiutorio tot corpora comprehendat, & montes, & saltus, & colles, & maria, & cœlum. Ne mihi dicas igitur lachrymas & lippitudines: hoc enim propter peccatum tuum factum est: sed cogita ipsius pulchritudinem & videndi virtutem, & quo modo tantam aëris longitudinem percurrens, nõ laborat, neque fatigatur. Sed pedes quidem paululum progressi fathiscunt & lassantur: oculus vero tantam altitudinem permeans, tantamque latitudinè, nullam sentit imbecillitatem: quoniam enim omnium membrorum hoc est maxime necessarium, ipsum labore premi non permisit, ita vt expeditum ipsius ministerium, & liberum nobis esset. Quis vero omnè membri huius virtutem sermone differere posset? Et quid de pupilla, videndi que facultate dico? si enim quod omnium vilissimum esse videtur membrorum, oculi palpebras exquisieris tantummodo, & in his multam dei creatoris sapientiam videbis. Sicut enim in spicis aristæ tanquam quædam prætenta spicula aues repellunt, non sinentes fructui insidere, & stipulam infirmiore diffingere: sic profecto & in oculis, velut quædam aristæ & spicula prætente sunt palpebrarum setæ, puluerem & festucam & omnia vexantia extrinsecus repellentes ab oculis, nec palpebras infestari sinentes. Vidcas autem & alteram sapientiam in palpebris hac non inferiorem. Quis enim ipsum situm non obstupescat, quoniam neque ultra mensuram promissæ sunt, ita vt oculos obtenebrent, neque quam opus est interius resident: sed velut domus tectum, sic superne eminent, sudorem capite defluentem suscipientes, nec oculos lædere permittentes. Propterea quidem & setæ ipsis innatæ sunt, densitate defluentia coercentes, & multa lucem diligentia protegentes, & afferentes multam oculis pulchritudinem. Nec hoc tantum quis admirari posset, sed & aliud non minus quam hoc. Qua enim de causa, dic mihi, capitis quidem capilli crescunt & detondentur, ciliorum vero minime? Neque enim hoc nobis temerè, & casu factum est, sed ne se demittentes oculos obtenebrent: quod ad profundum deducti senium patiuntur. Quis autem posset sapientiam omnem per cerebrum demonstratam commemorare? Primo quidem ipsum molle fecit, quoniam sensibus fontes omnibus ministrat: postea ne propter propriam lædatur naturam, ipsum ossibus vndique muniuit: rursum ne ossium asperitate attritum vexetur, membranam mediam obtendit, nec vnã solam, sed & alteram, vnã quidem caluariæ inferius subextendens, alteram vero superne cerebri carni circumuoluens, & est illa hac durior. Hoc autem fecit tum propter com-

Esai. 14. d

Exec. 28. b

ter commemoratam causam, tum vt illatas capiti plagas non primum excipiat cerebrum, sed præoccurrentes huiusmodi membranæ ictibus nocumentum omne dissoluant, & illæsum ipsum conferuent. Quin & quod non continetur & vnus sit os ipsum obtegens, sed multas ex multis partibus habeat futuras, multæ rursus securitatis ipsi sit materia. Et vaporum enim ipsum cōtinētium facilis per futuras illas exterius fieri potest respiratio, ita vt non suffocetur, & ex plaga quæ alicunde inferatur, non vbique sit nocumentum. si enim solum & cōtinuum os esset, in vnam partem delata plaga totum læsisset: nunc autem cum in multa diuisum sit, hoc fieri non posset. Et si enim vnam partem vulnerari accidit, os secus illam partem situm læditur solum, reliqua vero cuncta remanent illæsa plagæ iugitate ex ossium diuisione sublata, nec in proximam extendi valente. Propterea ex multis ipsius tegumen ossibus deus composuit: & sicut domum aliquis ædificans, tectum & tegulas superimponit: sic supra caput deus ossa locauit, & capillos fecit germinare, vt pro quibusdā galeris capiti essent. Hoc ipsum profecto & in corde fecit. Quoniā enim cor membrorum nostrorū principalissimum est, & totius vitæ nostræ firmitas est ipsi tradita, & ipso quo modocunque percusso nascitur mors, solidis & duris ossibus hoc vndiq; circummuniuit, & pectoris prominentiis & tergi ipsum posterius munies: & quod in cerebri membranæ fecit, & in hoc idem factū est. Ad hoc enim ne cōtinue saliens, & in ira huiusmodique motibus palpitans, ossium asperitati circumstantium infligens conteratur & doleat, multas membranas subextendit, & pulmonem supposuit, velut molle quoddam stratum ipsius saltibus apponens, vt impune erumpens ex hoc nihil noxium patiatur. Et quid dico de cerebro & corde, cū vtique si quis vel de ipsis vnguibus inuestiget, multam & in his dei sapientiā inuenire valeat apparentem, tum ex ipsorum forma, tum ex substantia & situ: Licebat dicere, quare & magnitudine impares nobis digiti sint, & multa alia his plura: sed sufficienter ex dictis attendere volentibus creatoris nostri sapientiā dei refulget. Propterea partem hanc laboriosius relinquens exquirendam cum diligentia, ad aliam conuertar oppositionem. Multi nanque præter dicta, & illud contradicunt: quid tandem si brutorum rex est homo, & robore & agilitate & celeritate multa ipsum superant animalia? Etenim homine velocior equus, & tolerantiior bos, & leuior aquila, & fortior leo. Quid igitur ad hæc dicere possumus? quod & hinc maxime dei sapientiā cognoscimus, & honorem, quo nos decorauit. Velocior quippe equus est homine, sed ad peregrinationis velocitatem equo cōmodior homo. Equus nempe, quauis omnium velocissimus & fortissimus sit, vix ducenta stadia currit: homo autē multos ex successione equos confcendens & duo stadiorum milia expedire poterit. Itaque quod illi velocitas, huic ratio & ars cum maiori tribuit superabundātia: & velociiores quidem pedes homo non habet quā ille, habet vero pedes illius non minus quā suos sibi ministrantes. Brutorum enim nullum animal aliud ad vsum suum subiugare poterit: homo autem omnia aggreditur, & per variam artem a deo sibi traditam, ad vsum sibi maxime conuenientem animalium quodque subigit. Si vero tam fortes hominum pedes quā equorum fuissent, ad alia fuissent inutiles, ad locorum difficultates, & montium vertices, & arborum ascensiones. Vngula enim ad talia gressus impedire solet. Itaq; etsi mollio-

res ipsorum pedes, tamen pluribus opportuni sunt utilitatibus, & nihil ex infirmitate læduntur, equi virtute sibi seruiente, & per gressus varietatē præcellunt. Rursum est aquilæ leuior ala, sed est mihi ratio & ars, per quam possum omnia volandia detrahare animalia, & capere. Si vero vis & alam meam videre, habeo quā illa multo leuiorem, non vsque ad stadia decem, vel viginti, nec vsque ad cælum: sed super ipsum cælum euolantem & super cælū cæli superiorem, vbi est Christus in dextera dei sedens. Bruta rursus corpora gerūt arma: puta bos cornua, dētes aper, vngues leo. Mihi vero nō in corporis natura deus arma reposuit, sed extra corpus, demonstrans quod animal mite sit homo, & q̄ nō mihi semper horū tempus armorū: etenim frequenter quidem ipsa depono, nōnunquam autē manibus sumo: vt igitur liber, & absolutus sim, ne semper gestare cogar arma, naturā separata meæ fecit ipsa deus. Non enim tātum, quia naturam habemus rationalem bruta superamus, sed & corpore ipsis præstamus: & hoc enim animæ generositati cōueniens deus præparauit, & mandatis idoneum: etenim corpus tale nō simpliciter fecit, sed quale decet esse rationali naturæ ministrans. Quod nisi tale esset, vehemēter impedita fuissent animæ operationes. Et hoc ex ægritudine manifestum. Si enim modicum quid a propria constitutione auertatur ipse carnis status, multæ ex animæ operationibus impediuntur, puta si calidius vel frigidius cerebrum fiat. Itaque & ex corpore multam dei prouidentiam cernere licet, non tantum, quoniā ab initio ipsum melius quā nūc est, deus fecit, sed quoniā & ad gloriam multo maiorem rursus resuscitabit. Si vero & aliunde discere vis, quantam deus sapientiā circa corpus demonstraerit, dicam hoc, quod omnium maxime Paulus admirari continue videtur. Quid autem hoc est? Membra alterum alteri præstare fecit, non in iisdem, sed hæc quidem in pulchritudine, hæc vero fortitudine præualere statuit: puta, pulcher oculus, sed fortiores pedes: preciosum caput, sed dicere non potest pedibus, vobis opus non habeo: hoc & in brutis cernere licet. hoc & in tota vita videre datur. Rex igitur subditis opus habet, subditi rege, sicut caput pedibus. Et rursus in brutis, hæc quidem sunt fortiora, hæc autem speciosiora: hæc quidem nos delectant, hæc vero nutriunt, hæc autem amicum: puta, delectat quidem pavo, nutriunt autem aues & fues: oues autem vestiunt & capræ, collaborant vero bos & asinus. Sunt autem & alia, quæ horum quidem nihil præbent, exercent autem virtutem nostram, vt fera venatorum augent fortitudinem, & timore genus nostrum erudiunt, & cauius reddūt, nec modicum ad medicinam tributū nobis de propriis conferunt membris. Itaque cum tibi quis dixerit, quo modo sit brutorum dominus, qui timet leonē? Responde, quod ab initio non ita se res habebant, quoniā apud deum probabiles erant homines, quando in paradiso morabantur: sed post quā dominum offenderūt, seruus factus sum obnoxius, nō tamen omnino, sed habeo aliquam artem, per quam feras supero. Sic & in domib⁹ magnis vsu venit, vt filij, quauis generosi sint, tantisper dum sunt parum absoluti seruorum multos formident: cum autem & peccauerint, multo magis anxietas intendatur. Hæc & de serpentibus & scorpiis, & viperis licet dicere, quod propter peccatum nobis sunt terribiles. Nec vero tantum in corpore nostro, membrisq; differentiibus, & in brutis: verum & in arboribus varietatem hæc spectare licet, & omnium vilissimā sæpe videas maiorem supe-

rem superare, nec omnia in singulis esse, vt omnia nobis sint necessaria, & variam domini nouerimus sapientiam. Noli igitur deum propter corporis corruptionem accusare, sed propter hoc magis ipsum adora, & sapientiam & prouidentiam ipsius admirare. Sapientiam quidem, quoniā in tam corruptibili corpore tantam scit harmoniam exhibere. Prouidentiam vero, quoniā ipsum corruptibile ad animæ fecit utilitatem, vt ipsius timorem comprimat, & superbiam castiget. Quare igitur non ab initio ipsum tale fecit deus, inquit aliquis: Excusans se tibi per ipsa opera, & tantum non dicens per euentum: ego quidem te ad maiorem vocabam honorem: tu vero te ipsum munere indignum reddidisti, paradiso excidens: veruntamen neque sic te despiciam, sed tuum peccatum corrigens in cælum reducam. Etenim propterea te tabescere & corrumpi tantum tēporis dimisi, vt in temporis prolixitate stabilis tibi fiat humilitatis disciplina, & nunquā priorem resumam mentem. Pro his omnibus igitur gratias agamus benigno deo, & pro tali dilectione gratifimus, gratitudine nos vicissim iuuatē: & mandati, de quo vobis sapius disserui, studium habeamus intentum. Neque enim desistam, donec emendemini. Quoniā hoc non queritur nobis, paucisne an multis vtar admonitionibus, sed vt eō vsque moneam, donec vobis persuasero. Iudæis quidem deus per Prophetam dicebat: Si ad iudicia & contentiones ieiunatis, vt quid ieiunatis: per nos vero vobis dicit, Si ad iuramēta & periuria ieiunatis, vt quid mihi ieiunatis? Quo modo enim sacrum videbimus Pascha? Quo modo sanctum suscipiemus sacrificium? Quo modo mirabilibus communicabimus mysteriis lingua illa, qua dei legem conculcauerimus? lingua illa, qua animam contaminauerimus? Si nemo nanque purpuram regalem manibus accipere inquinatis auderet, quo modo dominicum corpus lingua polluta suscipiemus? Iuramentum enim maligni, sacrificium vero domini. Quæ igitur communicatio luci ad tenebras, vel quæ conuenientia Christo ad Belial? Quod igitur hac liberari impietate studuistis, manifeste scio: sed quoniā se quisque per seipsum non facile emendare potest, faciamus sodalitia & collationes: & quod in conuiuuiis pauperes faciunt, quoniā non potest quisque solus conuiuuium exhibere perfectum, conuenientes omnes ex symbolo conuiuuium conferunt: hoc & nos faciamus, postquam per nos ipsos torpidi sumus, collationes facientes, inter nos consilium spondeamus conferre, & monitionem, & exhortationem, & increpationem, & minas, vt ex singulorum studio omnes recte agamus. Quoniā enim proximorum res acutius videmus quā nostras, nos alios custodiamus, & nostri illis custodiam mandemus, & hoc pulchrum faciamus certamen, vt ita turpem hanc consuetudinem superantes, cum fiducia ad sanctam veniam solennitatem, & sancti participes simus sacrificij cum beata spe, & conscientia bona, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, per quem, & cum quo patri gloria vna cum sancto spiritu in secula seculorum, Amen.

Ad deum gratiarum actio pro accepta venia commissorum contra Regem: naturalis de mundo sermocinatio: & quod hominem creans deus legem ipsi naturallem indidit: & de iuramento omni diligentia vitando.

Homilia XII.

Tomus quintus.

Heridi dixi benedictus deus, & hodie hoc ipsum rursus dicam. Etsi enim grauias præterierunt, tamen grauiam memoria ne prætereat, non vt doleamus, sed vt gratias agamus. Si enim malorum memoria manserit, malorum experientia nunquam vrgebit. Quid enim experientia opus est, cū memoria nos corrigat: Sicut igitur submergi nos deus nō permisit præsentibus procellis, sic neque nos ipsos illis sublatis resoluimus sinamus. Consolatus est nos tunc morientes, gratias ipsi nunc latantes agamus: cōsolatus est suspirantes neq; deseruit, igitur neq; nos ipsos prospere agētes prodamus in torporē declinātes: nam scriptum est: Recordare tēpus famis in die satietatis. Recordemur itaq; temporum tētationis & nos in die remissionis, quin & in peccatis hoc ipsum faciamus. Et si peccaueris, & tibi peccata deus remisit, veniam quidem suscipe, & gratias age: peccati vero ne obliuiscere non vt te ipsum cogitatione consumas, sed vt animam doceas non lasciuire, neque rursus in eadē relabi. Sic & Paulus fecit. Cum enim dixisset: fidelē me existimauit, ponens in ministerio, intulit: qui prius blasphemus fui & persecutor, & cōtumeliosus. Traducatur, inquit, vita serui, vt appareat humanitas domini. Etsi enim peccatorum veniam accepi, non tamen eiicio peccatorū memoriam. Nec hoc solum domini benignitatē demonstrabat, sed & illum clariore faciebat. Cum enim didiceris, quis prius fuerit, tunc ipsum magis admiraberis: & cum videris, ex quo quis factus fuerit, tunc ipsum magis acceptabis: & si multum peccaueris, mutatus inde bonorum spem habebis: nam præter dicta, & in desperatione positos exemplum nos allicit, & exurgere facit. Quod quidē & in ciuitate nostra erit: Omnia enim quæ contigerunt, & virtutem vestram demonstrant, qui per pœnitentiam tantum iræ depellere potueritis, & dei clementiam prædicant, qui ob modicam conuersionem tantam nubem imminentem abstulit: in desperatione quoque positos omnes excitant, discētes ex rebus nostris, ad sublimia & ad dei auxilium respicientem, quāuis infiniti vndique fluctus obstrepant, submergi non posse. Quis enim vidit, quis audiuit vnquam nostris casibus similia: Quotidie ciuitatem nostram cum suis habitatoribus funditus tollendam esse suspicabamur: sed cum diabolus nauigium submergere sperabat, tunc puram reddidit deus tranquillitatem. Ne igitur obliuiscamur magnitudinis malorum, vt beneficiorum a deo collatorum magnitudinem recordemur. etenim morborum naturam nesciens, medici artem nunquam sciet. & pueris nostris hæc dicam, & in mille mittam generationes, vt omnes discant, quo modo diabolus & ciuitatis solum delere studuerit, & quo modo ipsam deus lapsam & iacētem rursus erigere, neve vllum fieret nocumentū prohibere potuerit, ad hoc & timorē sustulerit, & repulerit cū multa celeritate periculū. etenim hebdomada præterita substantias diripi omnes expectabamus, & milites nobis immitti, & infinita alia mala suspicabamur. sed ecce illa omnia præterierunt, tanquā nubes, & velut vmbra præteriens, & sola calamitatum expectatione puniti sumus: imò vero nec puniti sumus, sed correcti & meliores facti: quia deus imperatoris cor emolliuit. Dicamus igitur semper & quotidie: Benedictus deus: & cū maiori studio synaxi vacemus, & curramus ad ecclesiam, vnde utilitatē tantā accepimus. Scitis enim ab initio quod confugistis, quod concurristis, vnde facta nobis est salus. Teneamus igitur sacram anchoram, &

Eccle. 2.8.c

1. Tim. 1. c

Esa. 58. 4

2. Cor. 6. c

d sicut

ficat in tempore periculorū nos non prodidit, sic neq; A nos ipsam in tēpore remissionis relinquamus: sed cum cura maneamus, & quotidie faciamus cōuētus precesq; & diuina audiamus eloquia: & quod impendebamus ocium satagentes, & curiose sciscitantes, circuncurretes ē castris profectos, pro instantibus malis curā gerētes, hoc omnes diuinas leges audiendo impendamus: nō autem in importunas & inutiles exercitationes, ne rursus in illius negocij necessitatem nos ipsos redigamus. Tribus igitur prateritis diebus vnum diuinā cognitionis modum quārebamus, ipsūq; in finē deduximus, interpretantes, quo modo cœli enarrant gloriā dei: & quale tandem sit Pauli dictū, quod inuisibilia ipsius à creatura mūdi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciūtur. Et demonstrauimus, quo modo à creatura mundi, & quo modo per cœlum & terrā & mare creator glorificatur. Hodie vero paulisper in hanc rursum philosophati materiam, ad alium transibimus sermonem: nō enim tantum fecit mundum, sed etiam vt factus operaretur, effecit: neque totum immobilem dimittēs, neq; totū iubens moueri. Sed cœlum quidē immotum permansit, sicut Propheta inquit: Qui statuit cœlum tanquam testudinem, & extēdit ipsum tanquā tentorium super terram. Sol vero cum reliquis syderibus quotidie circunuoluitur. Et rursus terra fixa est, aquæ vero semper mouentur: nec aquæ tantum, sed & nubes, & imbres cōtinui & successiuo tempore proprio redditi. Et vna quidem imbrium natura, diuersa vero quæ ex ipsis fiunt. Etenim in vite vinum fit pluuiā, oleum in olea, & aliis plantis in illarum humores mutantur. Et vnus quidem terræ venter, sed differentes profert fructus: & vnus quidem solaris splendoris calor, sed differenter omnia maturat: hæc quidē tardius, hæc vero citius ad consummationem deducens. Quis hæc non obstupescat & admiretur: imō vero non hoc solū est admirabile, quod varium ipsum & differentem fabricauit, sed etiam quod ipsum omnibus communem proposuit, & diuitibus & pauperibus, & peccatoribus & iustis. Quod utiq; & Christus dicebat, quod solem suū oriri facit super bonos & super malos, & pluit super iustos & iniustos: & infinitis ipsum animalibus implens, & naturales brutis inferens mores, hos quidē imitari, hos vero fugere nos iussit. Verbi gratia: Industria est formica, laboriosam facit operationem. Si igitur attendas, maximam ab animali capies admonitionem, vt non emolliaris, neue fugias labores & sudores: propterea & scriptura torpentem ad illam mittit dicens: Vade ad formicam d piger, & considera vias eius, & discite sapientiam. Non vis, inquit, ex scripturis discere, quod bonum est operari, & quod nō operans neque manducare debet: Nō vis à doctoribus hoc audire: discite hoc à brutis. Sic & in domibus sepe facimus. Maiores, & qui videntur esse præstantiores, cum peccauerint, puerulis solertibus attendere exhortamur, dicētes: Respice minorē te, quā est industrius & solers. Et tu igitur ab hoc animali maximā cape sedulitatis exhortationem, & dominum tuum admirare, non quod solem fecit tantum & cœlum, sed quoniam utique formicam fecit. Etsi enim breue animal, habet tamen sapientiæ dei magnitudinis multam demonstrationem. Considera igitur quā sit prudens, & admirare, quo modo potuit deus in tam breui corpore tantam iugis inserere operationis cupiditatem. Ab hac quidem laboriositate, ab ape vero mundiciam, & solertiam discite & charitatem. Etenim illa nō magis sibi ipsi quā

Psal. 18. a
Roma. 1. c

Psal. 103. a

Math. 5. g

nobis laborat, & quotidie fatigat: quod maxime Christiano proprium est, non sua querere, sed quæ sunt aliorum. Sicut igitur illa circunuolat omnia prata vt promptam alteri præparet mesam: sic & tu fac homo, siue pecunias congreges, in alios expende: siue doctrinæ verba habeas, ne defodias, sed apponas indigentibus in medium: siue aliud peculiare habeas, indigentibus laborum tuorum vtilis fias. Nō cernis, quod propterea animalium gloriosissima est apis, non quia laborat, sed quoniam aliis laborat? Quoniam & aranea laborat, & fatigatur, & tentues per parietes extendit texturas, omnē mulieris sapientiā excedentes, sed est ignobile animal, quoniam opus eius nobis nullatenus est vtile. Tales sunt sibi laborātes, & se defatigātes. Imitare columbæ simplicitatem, sectare asini & bouis in dominum dilectionem, imitare auis securitatem: multū enim lucrari licet à brutis ad morum correctionē. Ex his Christus quoque nos animalibus instruit: nam ait, Estote prudentes sicut serpentes: & simplices sicut columbæ. Et rursus: Respiciate volatilia cœli, quæ nō ferunt neque metunt, & pater vester cœlestis pascit ea. Et propheta vero pudefaciens ingratos Iudæos, sic quodam modo inquit: Agnouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui, Israël autē me non agnouit. Et rursus: Turtur & hirundo agri auiculæ cognouerunt tempora ingressus sui: populus vero meus non cognouit iudicia domini dei sui. Ab illis, & ab his animalibus discite virtutem exercere: à contrariis vero viciū fugere discite. Sicut enim laboriosa res apis, sic perniciosa aspis: maliciam igitur eius auerferis, ne audias Venenum aspidum sub labiis eorum. Impudēs rursus canis, odio quoq; habeas hanc improbitatem. Dolosa & fraudulēta vulpes, ne vicium imiteris. Sed sicut apis pratis superuolans, nō omnia legit, sed vtilibus sumptis reliqua omittit: ita tu quoque facias, brutorum genus percurrans si quid inest vtile, ab illis sume, & quos habet à natura excessus, hos tu per liberum corrige arbitrium: & per hoc enim à deo honoratus es, quod naturales brutorum nequicias per liberum arbitrium tibi emendare concessit, vt præmia consequaris. Illis enim non ex electione & ratione bona opera, sed à sola natura. Verbi gratia: Apis mellificat, non ratione ad hoc faciendum inducta, sed à natura instituta: quoniam si esset opus non naturale, neq; toti generi attributū, oportebat omninō ex ipsis aliquas artis inexpertas esse: nūc vero ex quo factus est mūdus, vsque in præsentē diem nemo vidit apes cessantes & non mellificantes. Talia enim naturalia totius generis communia sunt: quæ vero ex libero arbitrio, non sunt communia: labore enim indigent vt bene succedant. Omnia igitur optima capiētes circumanciaris: etenim es irrationalium rex: reges autem, si quid est in subditis optimum, siue aurum, siue argentum, siue lapides preciosi, siue sumptuosa vestimenta, hæc cum superabundantia ipsi possidēt: & ex creatura dominum tuum admirare. Si quid vero te excedit visibilibus, & rationem inuenire non potes, propterea creatorem glorifica, quoniam mentem tuam ipsius sapientiā factorum excedit. Ne dicas, quare hoc: ad quid hoc: vnumquodque enim vtile est, etsi nos rationem ignoramus. Sicut quippe si in medici officinā ingrediaris, & multa proposita videas instrumenta, varietatem instrumentorum admiraris, licet ipsorum nescias vsus: sic & in creatura facias, & si videris multa animalium & herbarum, & aliarum rerum quarum vtilitates nescias, admirare ipsarum varietatē, & ob-

Eccle. 7. a

Exod. 20. c
Deut. 5. b

Exod. 20. b
Deut. 24. b

& obstupescere etiam propter hoc ipsarum creatorem, A optimumque opificem deum: quoniam nec omnia tibi nota fecit, nec omnia incognita. Non fecit quippe omnia incognita, ne dicas esse mundum sine prouidentia: non permisit vero tibi cognita esse omnia, ne cognitionis magnitudo te in superbiā extollat. Sic quippe & primum hominem improbus dæmon ille præcipitavit per maioris scientiæ spem, etiam quam habebat auferens. Propterea & sapiens quidā admonet, dicens: Fortiora te ne quæras, & profundiora te ne scruteris: quæ mandata sunt tibi, hæc cogita. Ipsi enim operū plura in secretis sunt, & rursus maiora hominum prudentia demonstrata sunt tibi. Hoc autem dixit, cōsolans mœrentem & dolentem: quoniam nō omnia norit: etenim & ea inquit, quæ nosse datum est, multa prudentiam tuam transgrediuntur: neque enim ex te inuenisti, sed à deo doctus. Sufficiant igitur datæ diuitiæ, & ne amplius inquiras, sed pro his quæ accepisti, gratias age: noli indignari pro his quæ nō accepisti, & pro his quæ nosti, glorifica: ne scandalizeris propterea quæ non nosti. Ambo enim deus vtiliter fecit: & hæc quidē reuelauit, hæc vero conclusit, tuæ consulēs saluti. Vnus quippe, quod dixi, dei cognoscēdi modus per creationem, multos valens dies impendere. Vt enim solius hominis cum diligentia expressionem percurramus, cum diligentia dico nobis possibili, non illa vera diligentia: nam est multas factorum rationes diximus, sunt tamē & aliæ plures arcanæ, quas qui fecit, nouit deus: non enim omnes ipsi scimus. Vt igitur omnem hominis formationem cū diligentia percurramus, & in vno quoque membro sapientiam inueniamus, & neruorum, venarum, arteriarum distributionem, situm, aliorumque omnium formationē cōsideremus, nec annus integer nobis ad hanc expositionē sufficiat. Propterea istū hic sermonē soluentes, & laboriosus studiosisque ex dictis præbetos & alias creationis partes percurrēdi modū, ad aliam sermonem materiam vertemus, ipsam quoque dei prouidentia demonstratiuam. Quæ igitur est secunda materia? Ab initio deus hominem formans, legem ipsi naturalē indidit. Et quid tandem est lex naturalis: Conscientiam nobis expressit, & per se discibilem constituit bonorum & contrariorum scientiam. Non enim opus habemus discere, quod malum est fornicatio, & bonū continentia, sed ab initio hoc scimus. Et vt discas, quod ab initio hoc scimus, legislator leges postea ferens, & dicens: Non occides: non intulit, malum enim cædes: sed simpliciter, non occides, inquit: prohibuit enim peccatum duntaxat, nō docuit. Quare igitur qui dixit, non occides, non addidit quod malū cædes: quoniam præueniens conscientia nos hoc docuit, & tanquam scientibus & intelligentibus ita loquitur. Cum igitur de alio loquitur mandato, non nobis noto per conscientiam factō, nō tantum prohibet, sed & causam apponit. De sabbato itaque legem ferens, & dicens: Septima die non facies opus: subiunxit causam quoque cessationis. qualem vero? quod in die septima requieuit deus ab omnibus operibus suis, quæ cœperat facere. Et rursus: Quoniam seruus fuisti in terra Aegypti. Quare igitur, dic mihi, in sabbato quidem causam adiecit, in cæde vero nihil tale fecit? Quoniam hoc quidem mandatum non de principalibus erat, nec per conscientiam nobis exquisitis, sed particulare quoddā, & temporaneum: propterea post hæc solutū est. Necessaria vero, & vitam nostram continentia illa sunt: Nō occides, non furaberis, non mœchaberis. Et ideo nul-

latus hic causam ponit, nec rationem adducit: sed sola opus esse putat prohibitione. Nec inde tantū, sed & aliunde vobis demonstrare conabor, quo modo per se docilis erat homo ad virtutis cognitionem. Primū Adam patrauit peccatum, & post peccatum statim se occultauit. Neque enim erant literæ, non lex, non Moses: vnde igitur nouit peccatum, vt se absconderet? nec tantum se celat, sed & accusatus in aliū conatur transferre causam, dicens: Mulier quam dedisti mihi somnolens, dedit mihi de ligno, & comedi. Et illa rursus in alium crimen transfert, serpentem scilicet. Cum enim Adam dixisset: Vocem tuam domine audiui in paradiso, & timui, eō quod nudus essem, & abscondi me: Deus nō statim factū redarguit neq; dixit: quare enim de ligno comedisti? Sed quo modo? Quis enim indicauit tibi, quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes, comedisti: neq; tacuit, nec aperte ipsum redarguit. Non enim tacuit, vt ipsum ad peccati confessionem euocaret: nec vero manifeste redarguit, ne totum dei esset, & ille priuatus remaneret venia, quæ nobis ex confessione nascitur. Propterea nō dixit manifeste causam, vnde nuditas facta esset, sed sub interrogationis forma sermonē profert, illum permittens ad confessionem venire. Rursus in Cain & Abel idem videre licet. Primum quidē primitias deo ferebant laborum suorum. Non enim à peccato tantum, sed etiam à virtute demonstramus, quod amborū est capax discendorum homo. Quod igitur homo peccatum esse malum iam sciret, demonstrauit Adā: quod autem virtutem esse bonum etiam sciret, rursus Abel manifestauit. Non enim ab vilo discens, neq; legem de primitiis hæc differenter audiens, sed à conscientia doctus, sacrificiū illud obtulit. Propterea non descēdo ad posteros sermone, sed circa priores homines verborum, quando nondū literæ, neq; lex neq; propheta & iudices, sed solus Adam cum filiis erat: vt discas quod in natura bonorum & contrariorum scientia prius erat reposita. Vnde enim didicit Abel, quod bonum esset offerre, quod bonū deum venerari, & in omnibus gratias agere? Quid igitur Cain, non obtulit? Obtulit quidem & ipse, sed non similiter. Et hinc vero rursus conscientia cognitio apparet. quoniam enim honorato inuidens de cæde delibebat, dolosam celabat sententiam: & quid inquit? Age egrediamur foras. Alia figura: charitatis enim simulatio: sententia alia, fratricidij enim deliberatio. Et nisi malum consilium putabat, quare ipsum obumbrabat & post commissam necem rursus à deo interrogatus, Vbi est Abel frater tuus? inquit, nescio: nunquid custos fratris mei sum ego? Quare enim negat? Non patet quod condemnabat seipsum vehementer? Sicut enim ipsius pater se absconderat, ita & hic negat: & post interrogationem iterum inquit, Maior est iniquitas mea, quā vt veniam merear. Sed gentilis hæc non fert. Eia igitur, & ad illum loquamur, & quod in creatione fecimus, non scripturis tantum, sed etiam rationibus certamina cōtra illos mouentes, hoc & circa conscientiam nunc faciamus. Etenim & Paulus hoc mouit argumētum aduersus illos pugnans. Quid tandem est quod dicunt? Nō est nobis per se aperta lex in conscientia posita, nec eam naturæ deus inseruit. Vnde igitur, vnde, inquam, de nuptiis, de cædibus, de testamentis, de depositis, de proximis non opprimēdis, de infinitis aliis leges apud eos scripserunt legislatores? hi quippe præfentes fortē à maioribus natu didicerunt, & illi à prioribus, & rursus à d ij sum à

Gen. 3. b

sum à superioribus isti. Qui vero ab initio & primi apud eos leges tulerunt, à quo didicerunt: nō patet, quōd à conscientia: neque enim dicere possent, quōd cum Mose fuerint, quōd prophetas audierint: quo modo enim qui gentiles erant? Sed patet, quōd à lege, quam hominem fingens deus, ab initio ipsi posuit, ab hac & leges posuerunt, & artes inuenerunt, & alia omnia: etenim & artes sic constitutæ sunt, postquā ad ipsas spōte deuentum est ab initio. Sic & iudicia, sic & pœnæ definitæ sunt: quod nempe & Paulus dicit. Quoniam enim & gentiliū multi contradicitori erant, & dicturi: quo modo deus homines qui fuerunt ante Mosē iudicabat, non misit legislatorem, non legem tulit, nō prophetam parauit, non apostolum, non euangelistā, quo modo ab ipsis pœnas exigit? Volens Paulus demōstrare, quōd per se disci facilem habebant legem, & agenda manifeste sciebāt, audi quid inquit: Quæ enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt: eiusmodi legē non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. Quo modo sine literis? Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die qua iudicabit deus occulta hominum, secundum euangelium meum per Iesum Christum. Et iterum: Quicumque sine lege peccauerunt, sine lege peribunt: & quicumque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur. Quid est, sine lege peribunt: non lege accusante, sed conscientia & cogitationibus. Si vero legem non habuissent conscientia, nec ipsos perire peccantes oportebat. Quo modo enim si sine lege peccauerunt: Sed cum sine lege dicit, non hoc dicit, quōd non habebant legem, sed quōd non habebant legem scriptam: naturæ vero legem habebant. Et rursum: Gloria autem & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primum & Græco. Hæc autem dicebat, de superioribus loquens temporibus, quæ ante Christi aduentum fuerunt. Et Græcum hic vocat non idololatram, sed deum quidē solum adorantem: Iudaicarum vero obseruationum necessitati non deditum, sabbatismis dico, & circumcissioni, & variis purificationibus: sed sapientiam, & pietatem omnem exhibentem. Et rursum de eodem disserens, inquit: Et ira, & indignatio, & tribulatio, & angustia super omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primum & Græci. Rursum hic Græcum vocat, obseruatione Iudaica liberatum. Si itaq; neque legem audiuit, neque cum Iudæis conuersatus est, quo modo erit ipsi ira, & indignatio, & tribulatio malum operanti? Quoniam intus conscientiam habebat increpantem, & docentem & erudientem in omnibus. Vnde hoc manifestum? Ex his in quibus alios castigauit peccantes, leges tulit, iudicia constituit. Hoc igitur manifestans Paulus, de uiuentibus in vicio dicebat: Qui cum iusticiam dei cognouissent, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte, non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt. Et vnde scierunt, quōd voluntas dei est, in improbitate uiuentes puniri? Vnde ex his in quibus alios iudicabant peccantes. Si enim malum esse nō putes cædem, cum homicidam ceperis, sententia tua non punies: nisi malum esse putes adulterare, cum inciderit adulter, liberas ipsum à pœna. Si vero & in aliorum peccatis leges scribis, & pœnas definis, & seuerus es iudex: quam habere possis excusationem, in quibus ipse peccas, dicens, te agenda ignorare? Mæchati estis & tu & ille. Quare illum quidem punis, te vero ve-

Roma. 2. c.

Roma. 1. d.

nia dignum censes? Si enim malum nescias esse adulterium, neutrum puniri oportebat. Si vero alterum quidem punias, te vero pœnā effugere existimes: quo modo rationem habere posses, eorumdem criminum reos non easdem pendere pœnas? Hoc igitur ipsum accusans Paulus dicebat: Existimas autem hoc o homo, qui iudicas eos, qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudiciū dei? Non est ita, nō est. Ex iudicio enim, quod in alium protulisti, ex hoc te nunc deus iudicabit. Non enim profecto tu quidem iustus, deus autem iniustus. Si enim non despicias alium iniustum, quo modo deus despiciet? Si tu corrigis aliorum peccata, quo modo te deus non corrigit? Si vero non tibi statim pœnam infert, ne ob hoc confidas, sed time magis. Sic & Paulus iussit dicens: An diuitias bonitatis eius, & patientie, & longanimitatis contemnis, ignorans, quoniam benignitas dei ad pœnitentiam te adducit? Propterea enim tolerat, non ut peior fiat, sed ut pœnitentia agas: si vero non vis, maioris materia ultionis tibi fit dei longanimitas sine pœnitentia permanēti. Et hoc quippe manifestans, dicebat: Secundum autem duriciam tuā, & impœnitēs cor thesaurizas tibi irā in die ire, & reuelationis iusti iudicij dei qui reddit vnicuique secundum opera eius. Quoniam igitur cuique secundum opera reddit, & legem propterea nobis naturalem indidit, & scriptam postmodum propterea dedit, ut pœnas exigat peccatorum, & recte agentes coronet. Multo itaq; studio, tanquam ad tremendum conuenturi iudicium, actiones nostras dispensemus, sciētes quōd nullā assequemur veniā, si post naturalem, & scriptam legem, & doctrinam tantā, & admonitiōne continuā, salutē nostram negligamus. Volo itaq; rursum de iuramentis vobis loqui, erubescō autē. Mihi quidē graue non est die noctuq; eadem vobis dicere: timeo autem, ne postquā vos his multis diebus admonero, multum torporem vestrum damnabilem ostendam, qui in negatio tam facili continua egeatis admonitione. Nec tantum erubescō, sed & timeo vobis. Cōtinua nanq; doctrina aduertentibus salutaris quidē & utilis, torpentibus vero damnosa & periculosa. Etenim quanto quis sapius audierit, tanto maiorem ultionem attrahet, non faciens quæ dicuntur. Hoc igitur & Iudæis impropere, dicebat deus: Misi prophetas meos exurgens diluculo, & emittens, & neque sic exaudistis. Nos nempe ex multa sollicitudine hoc faciamus, sed timeo ne die illa tremēda obsit vobis omnibus hæc admonitio & consiliū. Cum enim & correctio sit facilis, & cōtinue cōmonefaciens haud cesset, quid poterimus in excusationē dicere: vel quæ nos ratio ab ultione eripiet? Dic nempe mihi, si argentum abs te mutuū dari contingat, nō continue debitori occurrens ipsum mutuū commonefacis? Hoc & nunc fac, & quisque putet argentum sibi proximum debere, huius scilicet mandati expletionē, & occurrens solutionis ipsum commoneat, sciens quōd nō paruum nobis repositum est periculum, fratrum curā non agentibus. Propterea & ego eadem dicens nō desisto. Timeo enim, ne illa audiam die: Improbe serue & nequā oportebat te erogare argentū meum numulariis. Ecce enim erogauis, nō semel neq; bis, sed sapius: vestrum vero reliquum est scenus reddere. Vtura vero est, auditæ monitionis per opera exhibitio: etenim dominica sunt, quæ erogantur. Ne igitur negligenter suscipiamus, sed cum diligentia depositum cōtineamus, ut cū multa operatione ipsum illo die reddamus. Nisi enim & alios in idem meritum induxeris, audies vo-

cem illam, quam audiuit qui talentum defodit. Sed vobis ne eueniat hanc audire, sed aliam vocem, quam operanti reddidit Christus, dicens: Euge serue bone & fidelis, quoniam super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam. Hanc autem audiemus vocem, si idem cum illo studium exhibuerimus: idem vero studium præstabis, si hoc quod dico, fecerimus. Cum adhuc seruens est auditus in vobis, egressi exhortamini inter vos: & sicut disungimini quisque cum salutatione, sic cum admonitione quisque domum recedat, & dicat proximo: Considera & recordare, quo modo mandatum custodias, & omnino vincemus. Cum enim & amici te dimiserint cum tali consilio, & domum profectum rursum eadem vxor admoneat, & solos perseuerantes oratio nostra contineat, celeriter hanc consuetudinem improbam expellemus. Noui quidem quōd admiramini quare tantum de hoc mandato studium faciam: verum adimplete mandatum, & tunc dicam. Interim quippe illud dico, quōd lex quidem diuina est hoc mandatum, & ipsum transgredi non est tutum. Si autem enauatum videro, & aliam vobis causam commemorabo hac non minorem, ut discatis, quōd iuste tantum pro hac lege studium exhibui. Hora vero iam per supplicationem sermonem absoluerē. Communiter igitur omnes dicamus: Deus nolens tam mortem peccatoris, quam ut cōuertatur & viuat: & hanc & alias leges omnes nos expedientes, dignare sic assidere tribunali Christi tui, ut gloriam multam assecuti, in regnum perueniamus ad fiduciam tuam: quoniam te decet gloria, honor & potestas, vnā cū vniogenito filio tuo, & sancto spiritu, nūc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Gratiarum actio ad deum de Mutatione tristium, & commemoratio ad ultionem pro uictoribus propter seditionem, & punitorū. Similiter vero rursum expositio de hominis creatio: & quōd legem accepit naturalem: & de explenda iurandi continentia. Homilia XIII.

A eodem principio, & iisdem proœmiis, quibus heri & nudius tertius cœpi, & hodie incipiam. Dicam & nunc: Benedictus deus, quale præteritum vidimus quatrimum, & quale nunc videmus præsens: quanta in illo obscuritas tunc erat: quanta nunc in presenti tranquillitas: Tremendū in ciuitate tribunal illud, & omnium corda conuulsauit, & nocte fecit diē nihilo esse meliorē, non radiis obtenebratis, sed tristitia & timore oculos offuscantibus vestros. Ut igitur & nos maiorē capiamus voluptatem, pauca eorum quæ tunc acciderunt, cōmemorare volo. Et vobis enim, & posteris omnibus vtilem horū esse video narrationē: quoniā & de naufragio salutis iucundū est fluctuum meminisse, & tempestatis, & ventorum, postquam in portū nauigauerint: & valetudine detentis, desiderabile post ægritudinē, febres, per quas paulominus ad mortē venerunt, aliis narrare. Cū enim graua præterierint, voluptatem habet eorū commemoratio, anima non amplius formidante, sed maiorem capiente delectationē. Continua enim præteritorum memoria malorū præsentē tranquillitatē diligētius cognosci facit. Postq̄ enim ciuitatis maior pars præ timore & comminatione illa ad deserta & fauces montium & occulta locorū transmigravit, metu ipsos vndiq; cogente: inanes quidē mulieribus erāt domus, vacuum vero viris forum. Vix autē duo vel tres euntes in medio sese videbant, & ipsi tanquā animati mortui

Tomus quintus.

circumeuntes. Abibamus in forum iudiciale gestorum finem visuri: & collectas ciuitatis reliquias vidētes, illud omnium maxime admirati fuimus, quōd multitudine circa fores morante tanquam præsentē nemine, silentium erat profundissimū, omnibus inter sese respiciētibus & nemine assistentē interrogare, aut quicquā audire ab illo audente. Proximum enim quenq; suspectum habebat: quoniā multi iam præter omnē spem ex medio rapti foro intus cōrcebantur. Et omnes communiter in cœlum aspiciēbamus, & manus extendebamus cum silentio superne subsidium expectātes, & deo supplicantes, ut iudicādis adesset, & iudicantium corda mulceret, & mitem faceret sententiam. Et sicut qui naufragantes à terra vident, accedere quidem, & manum porrigere, & ærumnam releuare non possunt, cū vndis arceantur: extrinsecus autē ab ipsis littoribus manus extendentes & lachrymantes, deum orant ut assistat fluctuantibus: Ita & hic tacite omnes mente deum inuocabāt, petentes, ut ad tribunal velut in fluctus adductis manum porrigeret, nec fineret nauigantium submergi, nec in extremum naufragium, iudicantium solueret iudicium. Et hæc quidem erant pro foribus. Postquam vero interiorem aulam introiuimus, rursum alia his terribiora vidimus, milites armatos ensibus & clauis, & multam interiūs iudicantibus quietem præstantes. Quoniā enim necessarij illorū omnes, & vxores, & matres, & filie ante fori ianuā constiterāt, ut si eueniret quempiam ad mortē duci, nemo ærumnæ spectaculo accensus, tumultū & turbationē vllam faceret, omnes procul arcebant milites, ipsorū mentem paure præocupātes. Quōd autē omnium maxime miserabile, mater & soror cuiusdam, qui intus iudicabatur, ad ipsa iudicantium vestibula iacebant, se humi sternentes, & commune omnibus factæ circumstantibus spectaculū, oculos velatæ, & tantum duntaxat erubescētes, quantum calamitatis necessitas permittebat: neq; aderat ipsis ancillula, non vicina, nō amica, non vlla necessariorum alia, sed solē cū vestibus abiectis in medio tot militum assumptæ, per humum se trahentes circa ipsas fores, interius sedentibus grauiora patiebantur, carnificum vocem audientes, verberum sonitū, cœsorū luctū, tremendas iudicantiū minas, & per flagellatorū singultū grauioribus quā illi doloribus hæc conficiebantur. Quoniam enim in illorū testimonio criminū proditio periclitabatur, sicubi quēpiā flagellari, ut reos diceret, sentiebant, & vlulare: in cœlum respiciētes deum orabāt, ut illi fortitudinē & tolerantia daret, ne necessariorū suorū salus proderetur aliorū infirmitatibus acriter verberum dolorē ferre non valentiū: & tale quid rursum, quale fluctuantibus solet, accidebat. Sicut enim illi, si quando vndæ impetum videāt eminus insurgentē, & paulatim crescentē, & nauē submergere minantē, etiā priuq̄ ipsi propior fiat, præ timore mortui sunt: Sic & illæ si quando voces & vlulatus audiebant emitti, veritæ ne tormenta fugientes, qui testimonium dicere cogebantur, contra necessariorū aliquem dicerent, infinitas ante oculos mortes videbant. Et erat cernere intus tormenta, extra tormenta: illos nempe carnifices, has vero naturæ torquebat imperiū, & viscerum compassio, & intus luctus, & extra luctus: intus eorum, extra necessariorum. Immo verò non ipsi tantum, sed & ipsi iudicantes corde lugebāt, & omnibus grauiora patiebantur, tam acerbæ calamitati ministrare coacti. Ego autem assidens & hæc cernens, quōd mulieres & virgines thalamis assuetæ, nūc commune cunctis spe-

d iij Etacu-

Et aculum facta sunt, & molli assuetæ strato, terrâ prostrato nunc habent, & tantum nactæ obsequiū ancillarum, eunuchorū & reliquæ totius vanitatis, nūc omnibus illis priuatæ ad omniū pedes prosternuntur, singulos orantes aliquid iudicandis in auxiliū cōferre, & communē aliquē misericordiæ quæstū omnibus fieri, illud dixi Salomonis: Vanitas vanitatū & omnia vanitas. Videbā enim & hoc ipsum, & aliud verbum ad ipsa perueniens opera, quod dicit quod omnis gloria hominis, tanquā flos fœnis: siccatum est fœnum, & cecidit flos. Etenim diuitiæ tunc, & generositas, & claritas, & amicorū præsentia, & omnia vitæ adiumenta redarguebantur, peccato & iniquitate cōmissa omnem hanc opem subuertete: & sicut auicularū mater pullis sublati veniens, & nidum inanē comperies, suos quidē pullos captos eripere non potest, venatoris autem manus circumuolans, per hoc ipsi dolorem suum demonstrat: sic & illæ mulieres tunc faciebant, raptis sibi domo filiis, & interius tanquam in rete quoddam vel laqueum arreptis, accedere quidem, & eripere captos non poterant: sed circa fores ipsas se volutando, & lugendo, & gemendo & spiculatoribus propinquare tentando dolorem demonstrabant. Hæc equidem tunc aspiciens, in illius tremendi iudicij cogitationem veni, & intra me dicebam: Si ab hominibus iudicantibus non mater, non foror, non pater, non alius quispiam, licet à perpetratis immunis, iudicatos eripere potest, quis in tremendo Christi iudicio nobis adstabit iudicandis: quis in vocem erumpere audebit? quis abductos ad intolerabiles pœnas eripere valebit? At qui ciuitatis primarij, qui tunc iudicabantur, erant: & ipsum nobilitatis caput. Attamen lati fuissent, si quis eis dedisset, ut amittentes omnia, & si oporteret, ipsam libertatem, præsentem vitam potirentur. Die vero iam exacto profundissimòque factò vespere, cum iudicij finis expectaretur, in maiori erant omnes anxietate, & à deo petebant dilationem aliquam & prorogationē fieri, & iudicantiū animo immittere, ut ad imperatoris sententiam referrent exquisitorum cognitionē, fore enim fortassis aliquod bonū ex hac dilatione. Et cōmunes à populo supplicationes ad benignas dei aures emittebantur, ut saluaret reliquias ciuitatis, nec ipsam à fundamentis penitus euerfam negligeret. Nec videre licebat quenquam non hæc cum lachrymis clamantem. Veruntamen nihil propterea iudices interius causas audientes tūc inflexit: sed vnum solum respiciebant, ut diligens cōmissorum quæstio fieret, & postremo catenis ipsos iniectis in carcerē per mediū forū agebant, homines equos domi alentes, brauia proponere solitos, aliq; innumera valentes clariora numerare officia, & substantias populabantur, & in omnium foribus proscriptionis tabulas cernere licebat. Et horum vxores paterna domo eiectæ, singula illud vxoris Iob per opera implebant: domum enim ex domo & locū ex loco circūbant, diuersorij indigentes: nec enī hoc ipsum erat ipsis facile reperire, vnoquoque timente, & tremescēte quempiam reorum necessarium suscipere, & curæ habere. Veruntamen tot illata pæsi, omnibus his contenti erāt, quoniam vitam non exciderant præsentem. Et neq; pecuniarū multa, neq; ignominia, neque tanta traductio, neque quodcūq; aliud huiusmodi ipsos mordebat. Calamitatis enim magnitudo, & maiora his patiedi expectatio, eorum animos philosophari tantū effecit. Et tūc dicebant, q̄ facilis sit nobis virtus habilis & expeditibilis, & quod per nostrum dūtaxat neglectum laboriosa res

esse videtur. Hi enim qui paulo ante modicarum multam pecuniarum non æque tulerūt, mox maiore presertim formidine, cum omnia sua amississent, ac si thesaurum inuenissent, sic se habebant, quoniam animam non perdididerant. Itaque si futura sensus gehennæ nos teneret, & intolerabiles illas cogitarem pœnas, etiam si rem, & animam, & corpus dei legibus tradidissemus, non doleremus, scientes quod maiora lucrabimur, futurorum malorum absolutionem. Forte cor vestrum non parum dictorum deploratio molliuit: sed ne feratis ægre: etenim quoniam subtiliores sum aggressus sententias, & mollioris indigeo mentis, hoc feci de industria, ut narrationis timore mens vestra omnitorpore excusso, ab omnibus exurgens vitæ curis, multa cum facilitate in animæ profundum dicendorum virtutem demittat: satis quippe & prius vobis sermo demonstrauit, quod naturalis nobis est insita lex bonorum & contrariorum. Ut autem manifestior nobis fiat demonstratio, in eadem & hodie sermonum materia iterum desudabimus. Quod ab initio deus hominem fingens, vtraque dignoscens fecit ipsum, demonstrant omnes homines: subiectos quippe nobis veremur peccantes omnes. Et sæpe dominus ad meritariam vadens mulierem, postea seruorum quempiam dilectorum intuitus erubuit, & ab hac improba via recessit. Rursum ab aliis taxari nequiciæ nominibus, contumeliam id esse dicimus: & si ægre feramus, in iudiciū eos qui id fecerūt, trahimus. Ita scimus, quid nempe vicium, quid vero virtus. Hoc quippe ipsum & Christus declarans, & demonstrans quod nihil nouum, aut nostram transcendens naturā sancit: sed quod olim præueniens conscientia indiderat nostrā, post multas illas beatitudines ita dicebat: Quæ vultis ut faciant vobis homines, hæc & vos facite ipsis. Non opus est multis sermonibus, inquit, neq; prolixis legibus, nec varia doctrina, voluntas tua sit lex. Vis beneficia capere: confer beneficium alteri. Vis misericordiam consequi: miserere proximi. Vis laudari: lauda alium. Vis amari: ama. Vis partibus primis potiri: cede illis prius alteri. Tu sis iudex, tu sis vitæ tuæ legislator. Et rursum quod odisti, alij ne facias. Per hoc quidem à malo fugam inducit, per illud autem virtutis operationem. Odisti contumeliam pati: ne alium afficias contumelia. Odisti inuidiam pati: neque tu alteri inuideas. Odio habes falli: neq; tu fallas alium. Et in omnibus vero generaliter si hæc duo verba retineamus, alterius disciplina non indigebimus. Virtutis enim cognitionem indidit animæ nostræ, actionem vero & bonam operationem voluntati nostræ concessit. Fortassis obscurum est quod dicitur: igitur id ipsum manifestius reddere conabor. Ut sciamus, quod bonum est modestia, non opus habemus verbis, neq; doctrina: nam in natura cognitionem hanc habemus, nec opus est cum laboribus aut fatigationibus circumire & querere, si bonum est modestia & vtile: sed communi sententia omnes hoc consentunt, & nemo dubitat de virtute. Sic & adulteriū malum esse putamus, & neque hic laboribus & disciplina nobis est opus, ut peccati huius malicia noscatur, sed omnes in huiusmodi sententiis sumus per nos ipsos docti. Et virtutem licet ipsam non obeamus, commendamus: sicut vicissim vicium, licet operemur, odimus. Et hoc fuit maximum dei beneficium, ut conscientiam quidē nostram & voluntatem, interim & ante actionem virtuti applicaret, impugnari autem sineret improbitate. Sicut igitur dixi, horum quidem amborū cognitio omnium

nium hominum conscientia insita est, nec vllius indigenus præceptoris ad hæc discenda. Recta vero operatio iam laboribus, voluntati, & studio data est. Quare vero tandem? Quoniam si totum naturæ tribuisset, sine coronis & præmiis fuisset. Et sicut bruta virtutum quas habent, mercedem aut laudem capere non debent, sic & nos, si horum aliquid à natura habuissemus. Naturæ enim munera, non habentium, sed datoris sunt laus & commendatio. Igitur non totum naturæ permisit: propterea rursum voluntatē totum pōdus suscipere non concessit, & cognitionis, & emedationis, ne à virtutis laboribus abhorreret: sed dicit quidem ipsi conscientia quæ sunt agēda, ad operationem vero ipsa de suo labore affert. Et quod bonum quidē est, moderate viuere, sine labore nouimus: naturalis enim est cognitio. Modestiam vero non possumus exercere, nisi laborantes & cupiditatem refranantes, & multum subeuntes laborem. Non enim hoc quoq; nobis adest à natura, sicut cognitio, sed opus habet sedulitate, & studio. Nec solum ita nobis pōdus releuauit, sed & alio modo rursum & ipsorū meritorum quædam naturalia nobis inesse sinens: etenim vnā cum his, qui contumeliā patiuntur, indignari, naturale omnes habemus: statim quippe infestantibus effimur inimici, licet ipsi nihil simus passi: & gratulari defensionem & auxilio patientibus, & in alienis calamitatibus affligi, & charitate multa delectari. Et si enim rerū circumstantiæ pusillanimitatem quandā inducere videtur, habemus tamen communem inter nos amorem. Et hoc quidam sapiens inuēs dicebat: Omne animal amat suū simile, & homo proximum suum. Multos autē & alios præter conscientiam præceptores nobis deus præposuit: etenim patres filijs, & dominos seruis, & viros vxoribus, & doctores discipulis, & legislatores & iudices subditis, & amicos amicis. Sæpe vero & ab inimicis non minus lucratur, quàm ab amicis: cum enim nobis peccata exprobrauerint, etiam inuitos in ipsorum correctionem excitant. Tot autem doctores nobis proposuit, ut facilis nobis vtilitatis inuentio & reparatio fieret, multitudine ad id compellentium non permittente nos à conferentibus nobis excidere. Etenim si parētes cōtenamus, magistratus timentes, erimus omnino mitiores. Et si illos in peccatis despiciamus, nunquam conscientia increpationem effugere possumus. Et si hanc aspernemur & repellamus, multorū suspitionē timentes, meliores erimus: si ad hanc non erubescimus, insitus legum timor vel inuitos nos castigat: & eos qui quidē iuuenes sunt, magistri & patres, adultos vero legislatores & principes in curam suā sumentes cōponunt: Seruiq; legnius se habentes præter dicta, & à dominis necessitatem modestiæ seruandæ habēt, & mulieres à viris, & multi vndique generi nostro muri sunt, ne facile in vicium dilabamur, & cadamus. Ad hæc autem omnia & agritudines, & negociorum pressuræ nos docent: etenim & paupertas cohibet, & multa castigat, & periculū corripit & multa alia huiusmodi. Non terret te magister: non pater: non princeps: non legislator: non iudex: non te confundit amicus: non te mordet inimicus: non castigat dominus: non docet maritus: non corrigit conscientia: sed agritudo sæpe superueniēs corporalis omnia correat, & multa audacem fecit humaniorem: & quod profecto maius est, non tantū nobis, sed & aliis accidētia mala magnopere nos adiuuare consueuerūt: & quidā, ipsi quidē graue nil passi, alios vero puniri cōspicati, non minus illis castigati sunt. Hoc & in benefa-

ctis quis videat euenire. Sicut enim dū puniuntur mali, alij meliores efficiuntur: sic bonis bene se gerentibus multi ad simile zelum inducuntur. Quod & in iuramentorum fuga contigit: multi enim alios intuiti malā deposuisse iurandi consuetudinem, studium imitati sunt, peccatūq; vicerunt: propterea & nos promptius eandē tangimus admonitionē. Nemo enim mihi dicat, quod multi correcti sunt: hoc non est quod queritur, sed ut omnes. Quousque hoc non videro, respirare non possum. Pastor ille centū oues habebat, & vna amissa, non sensit de non agintanouem salute delectationem, donec perditam inuenit, & gregi restituit. Nam cernis & in corpore hoc fieri: si enim vel vnguem solum offendentes subuertimus, totum corpus membro condoleat. Ne hoc igitur dicas, quod pauci quidā relictī sunt, qui non sunt correcti: sed illud considera, quod isti pauci non correcti multos corrumpunt alios. Etenim & apud Corinthios vnus erat fornicatus, & tamen tantum gemebat Paulus, tanquam tota perditā ciuitate: & meritò. sciebat enim quod illo non correcto, vicium serpens & alios omnes inuaderet. Vidi nuper in iudicio vincōs, & per medium forum abductos illos illustres viros: & quibusdam contumeliæ excessum admirantibus, nihil admirari oportet, alij dicebant. Vbi enim capitis deuotio, dignitas nihil prodest. Nonne igitur multo magis, vbi sit impietas, nihil dignitas adiuuat? Hæc igitur cogitantes, nos ipsos excitemus: nisi enim studium adhibueritis vos, à nobis omnia aguntur superflua. Quid ita tandem? quoniam non sicut reliquæ artes, ita est docendi vis. Argentarius enim quaecumque vas excuderit & reposuerit, tale postredie reuersus iterum inueniet: & ærarius & marinorarius, & artificum quisque quale proprium opus dimiserit, tale rursum recipiet. Circa vos vero non ita, sed contrarium omnino: non enim inanimata vasa, sed animas cūdimus rationales. Propterea non tales vos inuenimus, quales relinquimus, sed postquā susceptos labore multo reformauerimus & correxerimus, & effecerimus feruentiores, egressos negociorum circumstantia vos vndique circuncurrens rursum peruertit, & maiorem nobis præbet difficultatem. Idcirco supplico & oro, manum porrigatis, & quantum ego hic ad correctionem vestram studium facio, tantum vos hinc digressi, circa salutem vestram curæ demonstratis. Vtinam posset fieri, ut ego pro vobis bene mererer, & meritorum braua vos caperetis, nec tantum vos vexassem. Sed quid faciam? Hoc impossibile est, cuique enim secundum opera sua retribuet. Sicut igitur mater filium febricitantem cernens, dolenti & ardenti assitens, lugens ægrotanti dicit filio: vtinam fili febre ego suscipere possem, & in me flammam attrahere. Sic profecto & ego dico nunc: vtinam possibile esset me pro vobis laborantem omnibus recte agere. Sed non licet hoc, non licet, sed quenque necesse est à se commissorum rationem reddere: neque videre est alium pro alio puniri. Propterea doleo & lugeo, quod vobis die illo accusatis assistere non potero, maxime cum neque mihi fiducia apud deum sit tanta: si vero & fiduciam haberem non sum Mose sanctior, neque Samuele iustior, quos ad virtutis tantum peruenientes, non permittit posse quid ludæos adiuuare, quod nimio torpori seipso illi dedisset. Quoniam igitur ex propriis operibus punimur & saluantur: studeamus, quæso, cum aliis omnibus & hoc explere mandatum, ut cum bona spe hinc abeūtes promissa bona assequamur, gratia & benignitate do-

mini nostri Iesu Christi, per quē, & cum quo patri gloria, vnā cum sancto spiritu nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Populo omni ab angustia liberato, & constituto in fiducia, quidam rursus ciuitatem rumoribus tremēdis turbauerunt, & de iuramentorum abstinentia admonitio. Ideoque & de Ionatha & Saule, & Hiepthe historia producta est: & demonstratum, quod ex vno iuramento sunt multa periuria.

Homilia XIII.

Non parum ciuitatē nobis heri diabolus perturbauit, sed & deus nos iterum non parum consolatus est, ita vt & quisq; nostrū opportune dicere possit illud propheticum: Secundum multitudinē dolorū meorū in corde meo consolatione tua lātificauerunt animā meam. Nec tantum consolando, sed & perturbari permittendo prouidentiam nobis suā deus exhibuit. Quod enim nunquā dicere destiti, hoc & hodie dicā, quod non tantū malorū absolutio, sed & horū permissio fit ex dei beneuolētia. Cū enim nos ad torporē declinantes viderit, & ab ipsius familiaritate resiliētes, & spiritaliū nullā rationem facientes, paulum nos dereliquit, vt ita castigati, ad ipsum studiosius redeamus. Et quid admiraris, si circa nos torpentes hoc facit, quippe cū & Paulus & in se & in discipulis suis hāc tentationū causam esse dixerit: Etenim ad Corinthios secundā mittēs epistolā, sic dicebat: Nolo vos ignorare fratres de tribulatione facta nobis in Asia, quod supra modum grauati sumus supra virtutē, ita vt tæderet nos etiā viuere, sed ipsi in nobis ipsi responsum mortis habuimus. Tam magna nobis, inquit, incubere pericula; vt viuere abominaremur, nec amplius speraremus vllā fore bonā mutationē, nisi mortem omnino expectare. Hoc enim illud est, ipsi in nobis ipsi responsum mortis habuimus: sed tamen post tantam desperationē depulit deus procellā, & nubem abegit, nosq; ex ipsis mortis faucibus eripuit. Mox demonstrans quod concedere, vt in tantū incidere periculum, multā erat prouidentia opus, ex tentationibus etiā lucrum cōmemorat. Hoc autē erat, cōtinuē ad ipsum respicere: & nil magnum sapere, & nō extolli. Propterea cū dixisset, quod ipsi in nobis ipsi responsum mortis habuimus, & causam intulit. Quā vero hāc est causa: Vt nō sumus fidentes in nobis, inquit, sed in deo, qui suscitāt mortuos. Dormitantes enim nos, & degrauatos expergefacerē solet, & excitare, & religiosiores facere tentationū natura. Cum igitur videris dilectē tentationem nunc quidem extinctā rursus autem accensam, ne concidas, neu refugias: sed bonam spem teneamus, illud intra nos ratiocinantes, quod nō perosus, nec auersatus deus nos inimicorum manibus tradit, sed studiosiores, & sibi magis familiares facere volēs. Ne igitur retrocedamus, nec mutationē in melius desperemus, sed celerrimam speremus fore tranquillitatem, & omnium quibus agitur tumultuū finem in deum proiicientes, rursus consueta attingamus, solitamq; in medium doctrinā producamus: rursus enim vobis de eadē materia dicere volo, vt de mēte vestra improba iurandi consuetudo radicitus euellatur. Idcirco necesse rursus ad eandē confugere supplicationem. Etenim antea vos rogauī, vt Ioannis caput abscissum adhuc calido cruore destillans sumētes, sic domum quisq; suam redeatis, & putetis ante oculos habere ipsum vocē emittentē & dicentē: Odiō habere iugulatorem meū iuramentū. Quod increpatio nō

Psal. 93. d

2. Cor. 1. b

Afecit, hoc fecit iuramentum: quod ira non potuit tyrannica, hoc periurij necessitas effecit. Et quando neimpe omnibus publice audientibus arguebatur, in crepationem generose tulit tyrannus: cum vero se in iuramentorum necessitatē adegit, tunc illud beatum caput abscidit. Hoc ipsum igitur & nunc peto, & petere nō desistam, vt quocunq; abierimus, hoc gestantes caput abeamus, & omnibus clamans ostendamus, & iuramenta vituperans. Quauis nanque valde sumus ignaui & negligētes, capitis illius oculos intuiti, terribiliter nos respicientis, & minantis iurantibus, frāno omni vehementius per timorem huiusmodi repressi, cohibere & auertere facile poterimus linguā à iurandi præcipitio. Nec enim hoc solum habet mali iuramentum, quod & temeratum, & seruatum iuratos pœnā facit obnoxios, quod in nullo peccatorum alio accidere quispiam videt: sed & aliud non minus isto malum. Quod autem hoc est: quod neque volentibus, neque studentibus sapius possibile est bene iurare. Primo quippe continue iurans, & volens & inuitus, & nesciens & serio & ioco loquens, & ab ira saepe elatus, & à multis aliis, omnino peierabit. Et ad hāc contradicet nemo, vsque adeo est concessum & manifestum, quod multum iurantem & periurum esse necessarium est. Secundo quod etsi non raptus, aut inuitus aut ignorans hoc patiatur: ab ipsa rei natura, & voluntarius & sciens omnino peierare cogetur. Sæpius igitur nobis prouidentibus, & seruorum aliquo peccante, se illum flagellaturam vxor iurauit, mox vir contrarium iurauit, & restitit contendens, nec permittens. Hic quicquid fecerint, necesse est omnino periurium constitui: nec enim volētibus ipsis & studentibus iam est possibile custodire iuramentum. Sed quicquid fiat, ipsorum alter periurij reus fiet, vel potius ambo, hoc scilicet modo, quem dicam: hoc enim est admirabile. Iuratus flagellare seruum vel ancillulam, postea prohibitus, & ipse peierauit, quoniam non fecit quod iurauit: & prohibentem ac iuramenti veritatem impediētem periurij crimine alligauit. Non enim peierantes tantum, sed alii quoque necessitatem hanc afferentes, eorundem rei sunt criminum: nec domi tantū, sed & in publico hoc quispiam fieri videret, & in pugnis maxime, quādo inter se pugnantē contraria iurant: hic quidem verberare, ille vero non verberari: hic quidem pallium auferre, ille vero non reddere: & multa vero alia contentes iurant huiusmodi. Hoc vero & in officinis, & ludis quispiam euenire videt. Sæpius quippe artifex discipulum comedere & bibere non prius se permissurū esse iurauit, quā totum opus iniunctū expediret. Hoc autem & pædagogus saepe in puerum, & in ancillā domina fecit. Et necesse est superueniente vespere, & opere non impleto, vel fame non expedientes absuri, vel iuratos omnino peierare. Malignus enim dæmon ille bonis semper nostris insidians assistit: quia iuramentorum necessitatem audiens, in torporem obnoxios impellit, vel aliam molitur difficultatem, vt non impleto opere, & plagæ & contumeliæ, & periuria, & infinita alia mala fiant. Sicut enim pueri funiculum longum & corruptum ex contrario inter se trahentes cum multo impetu supini omnes cadunt, funiculo per medium disrupto, & hi quidē capite, hi vero alia corporis parte feriuntur: sic & inter se contraria iurantes, iuramento pro rerum necessitate disrupto, in periurij barathrum vtriq; cadunt, hi quidē peierādo: hi vero periurij

1. Reg. 15. b d

1. Reg. 14. c

Iurij causam aliis præbendo. Et vt hoc non tantum ex his quæ quotidie in domibus & plateis fiunt, sed etiam ex ipsis scripturis fiat manifestum, antiquā vobis quandam narrabo historiam dictis conuenientem. Hostes aliquando Iudæorum aggresso Ionatha (hic autem erat Saülis filius) hos quidem trucidante, illos vero in fugam conuertente: volens Saül huius pater amplius contra reliquos exercitum excitare, & facere ne prius absisteret, quā omnes opprimeret, contrarium quā voluit, fecit, iuratus neminem vsque ad vespem panem comedere vsque ad hostium vltionem suorum. Quid nepe hac re stultius fieri posset? Fatigatos enim, & labore multo pressos milites cum refocillare debuisset, & recentiores hostibus immittere, hostibus grauius ipsos habuit, per iuramenti necessitatem fami grauissimā ipsos tradens: periculosum quippe de seipso quempiam iurare, sapius enim à rerum circumstantia cogimur: aliorum autem sententiam iuramentorum suorum necessitate comprehendere, multo periculosius, & maxime cum non de vno, aut duobus vel tribus, sed de multitudine quis infinita iuret: sicut tunc Saül inconsiderate, neque quod verisimile erat, ex tanto numero vnum saltem iuramentum transgredi cogitauit, neque quod milites, & milites pugnantē, & multum à disciplina alieni ventrem vincere nesciunt, & maxime cum labor sit plurimus. Sed hęc omnia ille despiciens, tanquam de solo tantum seruo iurans, quem facile cohibere posset: sic de omni ratiocinatus est exercitu. Et ideo tantum diabolo aditum aperuit, vt non tantum duo, & tria, & quatuor, sed & multo plura hoc ex iuramento periuria texeret. Sicut enim cum nihil omnino iuramus, omnes ipsi aditus obstruimus: ita si vnū duntaxat iuramentum emisserimus, ipsi magnam infinita componendi periuria potestatem præbemus. Et sicut catenas complicantes, si caput qui teneat habeant, facile & diligenter totam expediunt nodorum seriem: si vero faciens hoc adsit nemo, nec exordium aggredi possunt: Eodem certe modo diabolus quoque peccatorum nostrorum catenas nectens, nisi à lingua nostra principium caperet, nec aggredi quidem posset: si vero nos principium duntaxat fecerimus, velut manu, lingua, iuramentum nobis retinentibus, cum multa iam licentia malignam artem suam exercet, ex vno iuramento innumera componens & texens periuria: quod profecto & nūc in Saule hic effecit. Aspice nempe qualis hoc iuramento laqueus exoritur. Syluam præteribat exercitus fauum habentem, & fauum ante faciem populi, & ingressus est populus ad fauum, & transibat loquens. Vidisti quanta vorago? Mensa extemporanea, vt & accedendi facilitas, & nutrimenti suauitas, & latendi spes in iuramentorum præuaricationem ipsos alliceret. Nam fames, & labor, & tempus (omnis enim, inquit, terra prandebat) tunc ad præuaricationem impellebant. Fauorum vero aspectus quoque intentionem soluens, extrinsecus ipsos inuitabat. Mensa enim tum iucunditas, tum facilis apparatus, & deprehendi furti difficultas omnem sapientiam fallere poterant. Si nempe carnes fuissent, quas elixare vel torrere oportebat, non tantum ipsorum animos allexissent, cum in ipsis coquendis, & ad escam præparandis cessare, & tardare, & deprehendi expectare oportet: nunc vero nil erat tale, sed mel solum, vbi occupationis nullius talis opus erat. Sufficiebat autem summum digitem intingentem nutrimenti partem capere & latere. Veruntamen illi cupiditatem continuerunt,

nec intra se dixerunt, Quid autem nobis cure est? Nunquid enim quisquam nostrum hoc iurauit? ille inconsideratorum pœnas dabit iuramentorum. Quare nanque iurabat? Sed nihil huiusmodi cogitarunt, sed cum multa transibant reuerentia: & cum tot essent ipsos allicientia, disciplinam seruabant, & transibat populus loquens. Quid est, transibat loquens? dolorem verbis consolantes inter sese loquebantur. Quid igitur postquam omnis populus disciplinam seruauit? Num nihil amplius actum est, & seruatum iuramentum. Nec ita quidem seruatum est, sed temeratum. Qualiter autem, & quo modo, statim audietis: vt & omnem diaboli artem addiscatis. Ionathas enim, qui non audierat patrem suum iurantem, extendit summitatem sceptri, quod habebat in manu sua, & intinxit in fauum mellis, & conuertit manum suam in os suum, & respexerunt oculi eius. Vide quem ad periurium impulit, non vnum militum, sed ipsum iurati filium: nec enim periurium patrare tantum volebat, verum & filij cædem componebat. Et hoc à longe moliebatur, & naturam ipsam contra seipsam diuidere festinabat: & quod olim in Hiepthe fecerat, hoc & postea facere sperabat. Etenim ille deo pollicitus se primum sibi occursum post belli victoriam iugulaturum, in filia necem cecidit. Filiolam enim primam sibi occursum immolauit, & deus non prohibuit. Et noui quidem, quod infidelium multi crudelitatem & inhumanitatem nobis impropertant propter hoc sacrificium. Ego vero multā prouidentia & clementia demonstratione permissionem in hoc sacrificio factā esse dicerem: & quod generis nostri curā gerens, cædem nō prohibuit. Si enim post votum & promissionem illam sacrificium prohibuisset, multi etiam post Hiepthe deum sperantes non suscepturum, multa vouissent huiusmodi vota, & pergentes in filiorum cædem incidissent: nunc vero illud opere permittens impleri, posteros omnes prohibuit. Et quod hoc sit verum, postquam Hiepthe filiola fuit iugulata, vt sempiternæ memoriæ calamitas esset, neu malum obliuioni traderetur, apud Iudæos lex est lata, vt virgines illo tempore conuenientes, quadraginta diebus commissam cædem deplorarent, vt luctu cædis memoriam renouātes, posteros omnes prudentiores faciant, & discant quod de mente dei non erat vt hoc fieret: neque enim lugere & plorare virgines permisisset. Et quod non coniectura sit quod dicitur, finis demonstrauit. Post illud enim sacrificium, nemo tale deo votum vouit, propterea hoc non prohibuit. Quod autem ipse mandauit in Isaac, vetuit: per ambo demonstrans, quod non gaudet huiusmodi sacrificiis. Sed malignus dæmon & nunc talem tragœdiam patrare contendebat, ideoque Ionathan ad præuaricationem impulit. Si quis enim militum præuaricationem legem fuisset, nullum magnum fieri malum ipsi videbatur: nunc autem malis insaturatus humanis, nec vnquam nostris expletus miseris, nihil gloriosum se facere putabat, si cædem moliretur simplicem: Sed nisi filij morte regis dextram pollueret, fecisse nihil se magnū arbitrabatur. Et quid dico filij cædem? Excogitauit enim sceleratus ille & hac rursus prophaniorem moliri cædem. Si enim sciens peccasset, & iugulatus fuisset, filij cædes tantum id erat: nunc autem ex ignorantia præuaricatus (nec enim audiuit iuramenta) deinde interfectus duplicem patri dolorem effecisset: filium enim, & filium qui nihil peccauerat, immolaturus erat. Sed iam ad historia reliqua eundem est. Postquam

Gene. 22. b

Postquam enim comedit, respexerunt oculi ipsius, inquit. Multum & hinc regis accusat stulticiam, demonstrans quod milites cunctos ferè fames obcæcauerat, & multam ipsorum oculis infuderat caliginem. Postea conspicuus quidam militum, ait: Iuratus adiurauit pater tuus populum, qui comederit panem hodie: & dissolutus est populus. Et dixit Ionathas: Dissoluit pater meus terram. Quid est, dissoluit? perdidit, corrupit omnes. Temerato igitur iureiurando omnes tacebant, & reum nemo in medium agere audebat. Nō modicum autem & hoc aliud crimen factum est. Non enim solum peierantes, sed & conscij, & obtegentes criminibus communicant. Veruntamen reliqua videamus. Et inquit Saül: Descendamus post alienigenas, & diripiamus eos. & dixit sacerdos, Accedamus huc ad deum. Antiquitus enim deus dux erat bellorum, & absque illius sententia nūquam attingere pugnam ausi fuissent, & bellū ipsi pietatis materia fiebat. Nec enim ex corporis infirmitate, sed à peccato vincebantur, si quando & victi fuissent: nec potentia fortitudine, sed superna beneuolentia vincebant, quando cunq̄ vincebant. Et victoria & clades exercitatio ipsi & virtutis instructio erat: nec ipsis tantum, sed etiam ipsos oppugnātibz. Etenim hoc ipsis manifestum erat, quod non armorum natura, sed bellantium vita & meritis cum Iudæis bellum decernebatur. Hoc itaque scientes Madianei, & cognoscentes quod gens illa inexpugnabilis est, & gladius quidē & armis expugnari nō potest, peccato vero tantum ipsam capere facile, virgines speciosas ornantes, & ante castra statuentes ad lasciuia milites prouocabant, per fornicationē dei auxilium auferre studēs: quod quidem & euenit. Postquam enim in peccatum ceciderūt, omnibus facti sunt expugnabiles: & quos arma, & equi, & milites & tot machinamenta capere non potuerunt, hos peccati natura vincitos hostibus tradidit: & clypei quidē & hastæ, & sagittæ omnes frustrabantur: vultus autem forma, & animi lasciuia hos expugnauit, alioqui generosos. Propterea admonet quidam dicens: Ne discas pulchritudinem alienam, & ne occurras mulieri fornicanti: mel enim distillat à labiis mulieris fornicatis, quod ad tempus impinguat guttur tuum, postmodum amarius felle ipsum inuenies, & acutū plus gladio ancipiti. Meretrix enim amare nescit, sed insidiatur tātum: venenum habet ipsius osculum, & toxicum os perniciosum. Si vero non statim apparet, propterea magis ipsam fugere oportet: quoniā obtegit perniciem, & mortē habet celatam, nec à primordiis manifestam apparere permittit. Itaque si quis voluptatē sectatur, & vitā laticia plenam, fornicantium consortia mulierum fugiat: bellis enim innumeris & tumultibus amatorū animos implent, continuas ipsis pugnas contentionesq̄; cōcitantē per verba, per opera omnia. Et sicut hostiū inimicissimi, sic profecto & hæc omnia faciunt & negociantur, ad hoc vt sectatēs & ignominia & paupertatis extremis malis incidant. Et quemadmodum venatores retibus extensis, syluestria animalia immittē aggreduuntur, vt ipsa iugulent: ita & hæc postquā lasciuia pennas vndique extenderint per oculos, & habitus, & verba, postea suos iniiciunt amatores & colligant, non prius absistentes, quā & ipsorum cruorē ebiberint, insultatēs postmodum, & ipsorum stulticiam carpentes, & multū de ipsis risum fundētēs, neque enim iam misericordiam inuenire dignus est huiusmodi, sed derideri & morderi, cū muliere, & muliere meretrice stolidior appareat. Prop-

terea rursus nos admonet Sapiens ille cum dicit: Bibe aquas de vasis tuis, & tuorum puteorum fonte: & rursus: Certus amicitia, & pullus tuorum gratiarum cōuersetur tecum: de vxore per nuptiarū legem cohabitante hoc dicens. Quid derelinquis adiutricem, & ad insidiatricem curris? Quid vitę communicatricē auersaris, & vitam tuam subuertentem sectaris? hæc membrum tuum, & corpus est: illa gladius acutus. Propterea dilecti, fugite fornicationem & propter præsentia mala, & propter pœnam futuram. Fortē materia excidisse videmur. Sed hoc non est excidere. Nō enim historias vobis simpliciter legere volumus, sed nequiciarum vos infestantium quamque corrigere: propterea & continuas vobis incutimus confusiones, vndique vobis sermonem cōstruentes, postquam & vniuersas ægritudines in tanto populo esse verisimile est. Nec vnū solum curare membrum nobis propositū est, sed multa & varia: idcirco variū etiam esse doctrinā medicamentum oportet. Redeamus igitur vnde digressi sumus, vt hæc diceremus. Et dixit sacerdos, Accedamus ad deum. Et deum Saül interrogauit: An descendam post alienigenas, & trades ipsos in manus meas? Et non respondit ei in die illa dominus. Respice benignitatē & mansuetudinem clementissimi dei. Non enim fulmen immisit, neque terram concussit: sed quod in amicos amici faciunt, quando contumelios affecti fuerint, hoc & in seruum dominus fecit. Tacuit, tantum per silentium loquens, & omnem ipsi demonstrans indignationē. Cognouit hoc Saül, & dixit: Adducite omnes tribus populi, & cognoscite, & videtē in quo factum est hodie peccatum hoc, quoniam viuit dominus, qui saluum fecit Israël, quod si responderit contra Ionathan filium meum, morte morietur. Vidisti temeritatē? Intuitus temeratum prius iuramentum, neq̄ sic castigatur, sed & secundum adiicit rursus. Et cōsidera diaboli malignitatem. Quoniam enim cognoscebat, quod sapiens puer cōspectus, & in medium productus, ex ipso aspectu statim patrem mitigare, & regis iram mollire poterat, secundorū rursus iuramentorū necessitate ipsius sententiam præoccupauit, duplici quodam vinculo cohibens ipsum, nec permittēs propriā fieri sententiā dominum, sed vndiq̄ in illam cædem iniquam impellēs. Et nondum comperto quis peccasset, iudicium fecit, & reum nesciens, lata damnauit sententia. Et pater factus est filij carnifex, & ante examinationem damnationis protulit sententiam. Quid hoc irrationabilis fieri posset? Hæc igitur illo dicente magis timuit populus, & omnes erant in tremore & timore multo: diabolus autem lætabatur, omnes anxios constituens. Non enim erat qui responderet, inquit, ex toto populo: & dixit Saül, Vos eritis in seruitutem, & ego & filius meus Ionathas in seruitutem. Quod autem dicit, tale est: Nihil aliud, inquit, studetis, quā hostibus vos tradere, & pro liberis seruos facere, deum cōtra vos instigantes, reum non tradendo. Respice autem & aliam ex iuramento conflatam contrarietatem. Cum enim opus esset, si autorem inuenire volebat, nihil tale minari, nec iuramento vltionē obligare: vt audaciores facti reum promptius in mediū agerent: ille rursus ex ira & furore multo, & priori stulticia contrarium quā vult iterum facit. Quid opus est multa dicere? Sorti negocium concessit, & forte deprehenditur Saül, & Ionathas. Et dixit Saül: Iacite sortem inter me & Ionathan: & iaciunt sortem, & capitur Ionathas: & dixit Saül ad Ionathā: Annuncia mihi, quid fecisti? Et annunciauit ipsi Ionathas, dicens:

dicens: Gustans gustavi summitate sceptri quod habebam in manu mea parū mellis, & en ego morior. Quē non flexissent, quem nō in misericordiam egissent hæc verba: Considera quantum procella deinde Saül sustinuit, cum ipsius viscera diuiderentur, & vtrinque profundissimum apparet præcipitium: sed tamen nec ita correctus est. Sed quid ait? Hæc faciat mihi deus, & hæc adiciat, quoniam morte morieris hodie. Ecce tertium rursus iuramentum, nec simpliciter tertium, sed etiam cum multa temporis angustia. Non enim simpliciter dixit, quod morieris: sed, hodie. Festinabat enim diabolus ipsum in hanc impiam agere cædem, & impellere. Propterea nec sententiā studium adhibere permittit, ne qua ex mora mali fiat correctio. Et dixit populus ad Saül: Hæc faciat nobis deus, & hæc adiciat, si morte morietur, qui fecit salutem magnā Israël: viuit dominus, si cadet capillus de capite eius in terram, quia misericordiam dei fecit in die hac. Ecce & populus secundum iurauit, & regi contrarium iurauit. Nunc mihi reminiscimini funiculū à puerulis tractū, & disruptum, & trahentes supinos proiicientem. Iurauit Saül, nō semel, neque bis, sed & sapius: contraria iurauit populus, & iam contendebat. Necessè iam omnino iuramentum scindi: nam hos omnes vere iurasse est impossibile. Nec mihi rei euentum dicas, sed cogita, quod mala nascebantur: & quo modo qualem post per Abessalom calamitatem & tyrannidē hinc diabolus struebat. Si enim voluisset rex resistere, & ad iuramentum procedere, totus restitisset populus, & tyrānis crudelissima facta fuisset: & rursus, si voluisset filius propriæ consulens salutem seipsum exercitui dedere, parricida statim extitisset. Vides & tyrannidem, & filij cædem, & bellum civile, & pugnam, & iugulationes, & cruores, & infinita cadauera ex vno parata iuramento? Si nanque bellum fieri accidisset, & Saül forsitan & Ionathas iugulatus fuisset, & multi militum fuissent trucidati: & neque sic tamen iuramenti veritas processisset. Itaque ne consideres hoc, quod non est factum: sed illud considera, quod rei natura hæc fieri cogebat. Populus autem vicit. Eia igitur numeremus commissa periuria. Temeratū est primum Saülis iuramentum à filio: secundum rursus, & tertium ipsius Saülis de filij cæde. Et visus est populus verē iurasse. Sed si quis diligenter rem examinet, & hi rursus omnes periurij criminibus obnoxij facti sunt. Ipsius enim Ionathæ patrem peierare cōegerunt, patri filium non dedentes. Vides quot homines tum volentes, tum inuitos periurio obnoxios vnū fecit iuramentum? quot mala molitum est, quot cædes patrauit? Equidem sermonem incipiens promissi demonstrare in contrariis iurationibus omnino periurium nasci: historia verò progressa, multo plus quā conabar demonstrauit. Non enim duo & tria, sed multo plura iuramenta manifestauit temerata. Licebat & aliam narrare historiam, & ex illa demonstrare grauiorem hac & maiorem calamitatem vnū fecisse iuramentum. Etenim ciuitatum & mulierum, & puerulorum captiuitate, & incēdio, & barbarorum inuasiōe, & sanctorum pollutione, & innumeris aliis grauioribus malis Iudæos affecit vnū omnes iusurandum. Sed in longum sermonem protendi video, propterea historię huius narrationem hic soluens, cum Ioannis capite & Ionathæ cædem, & perniciem generalē totius populi licet non commissam, de iuramentorum tamen necessitate prouenientem inter vos commemorare exhortor, & domi, & in foro, & apud cōiuges, & apud amicos, & apud

vicinos, & apud omnes homines generaliter huius rei curam gerere: nec putare idoneam esse nobis defensionem, si consuetudinē prætendamus. Quod enim simulatio hæc sit & prætextus, nec consuetudinis sed torporis sit culpa, ab his quæ iam euenere, vobis persuadere conabor. Ciuitatis balnea rex obstruxit, & lauari iussit neminem, & legem transgredi est ausus nemo, aut factum incusare, aut consuetudinem prætere: verum & qui sæpe sunt in ægritudine, & viri & mulieres, & pueri & senes, & multæ partus doloribus recenter ab solutæ mulieres, & omnes necessario tale remediū petentes velint nolint mandatum hoc sufferunt, & neque morbum coporis, neque consuetudinis tyrannidē, neque aliis peccantibus se puniri, nec aliud talium quicquam prætendunt: sed huiusmodi grate excipiunt vltionem, quia maiora expectabāt mala, & quotidie precantur hæcenus regium furorem sistere. Vides, quod vbi est timor, facile soluitur consuetudo, etiam si valde diuturna sit & necessaria? Atqui non lauare graue. Et si enim sapius philosophamur, corporis natura arguitur, nihil ab animi philosophia in propriam valetudinem adiuuari. Nō iurare vero valde facile, & nullum assertu nocentū, nō corporibus, nō animis, sed etiam multum emolumētū, magnam vtilitatem, multam opulentiam. Quo modo igitur non absurdum rege iubente, vel difficillima sustinere: deo vero statuente id quod neque graue sit, neque difficile, verum per quam facile & commodum, contemnere & deridere, & consuetudinem prætere? Non exhortor, ne in tantum salutem nostram contemnamus, sed timeamus deum, sicut hominem timemus. Noui quod horruisti talibus auditis. Sed horrore dignum est ne tantum quidē deo quāntum hominibus honorem attribuere: sed imperatoria decreta diligenter obseruantes, diuina & de cœlis delapsa conculcare, & superuacaneū esse putare circa hoc studium. Quenam excusatio nobis erit reliqua? quæ vero venia, quando post tantā admonitionem in iisdem permanemus? Etenim nascente miseria hac, quæ ciuitatem detinet, hanc incepti admonitionem. Et illa quidem iam debet finire: nos verò, nondum vnū expleuimus mandatum: quo modo igitur malorum nos detinentium petemus absolutionem, cum nec vnū obire mandatum potuerimus: quo modo vero bonam expectabimus mutationem? Quo modo autem orabimus? Qua lingua deum inuocabimus? Si enim legem expe diuerimus, multam capiemus voluptatem, rege ciuitati conciliato: si verò in peccato manserimus, confusio & opprobrium vndique nobis erit: quoniam cum deus periculum soluerit, nos in eodem mansimus torpore. Vtinam mihi liceret frequenter iurantium animas exuere, & ipsorum oculis subicere vulnera & cicatrices, quas quotidie capiunt à iuramentis. Nec admonitionis, aut consilij indigeremus: quoniam vulnerum aspectus omni sermone potentius, huic improbæ consuetudini etiam plurimum adherentes à malicia abducere posset. Veruntamen, quoniam ipsorum oculis animæ dedecus subicere, & ipsam tabefactam & corruptam ostendere non licet: Sicut enim, inquit, seruus qui continue flagellatur, de cicatrice non mundabitur: sic iurans, & deum semper nominans, à peccato non innocens fiet: impossibile enim, impossibile os iurare assuefactum, nō continue peierare. Propterea supplico omnibus, vt perniciosam hanc & improbam consuetudinem deponentes ex anima, aliam coronam reportetis: Et sicut vbiq̄ de ciuitate nostra cantant, quod

quod prima omnium in orbe terrarum Christianorum nomen induit: sic facite ut omnes dicant, quod sola omnium in mundo Antiochia propriis iuramenta finibus expulit. Imò verò si hoc fiat, non tantum ipsa coronabitur, verum etiam alias in eodem zelum rediget. Et sicut Christianorum nomen, velut ex quodam fonte hinc incipiens omnem mundum inundauit: sic profecto & meritum hoc radicem & occasionem hinc capiens, omnes terram habitantes discipulos vestros efficiet, ut duplex vobis & triplex fiat merces, & de propriis meritis, & de aliorum disciplina. Hoc diademate quodlibet vobis erit splendidius. Hoc Metropolitim vobis ciuitatem faciet, non in terra tantum, verum & in cœlis: hoc & nobis die illa asistet, & iusticiæ coronam nobis afferet: quam ut omnes assequamur detur gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cum quo patri gloria, simul sancto spiritui in secula seculorum, Amen.

Idem in calamitatem ciuitatis Antiochia. Et quod vtilis ubique timor. Et quod luctus risu vtilior. Et in illud dictum, Agnosce quod in medio laqueorum pertransis. Et quod peius iurare, quam occidere. Homilia XV.

PORTEBAT & hodie, & superiore sabbato, de ieiunio facere sermonem: & intemperantium esse dictum hoc cogitet nemo, quod in diebus ieiunij consilio nihil opus sit & admonitione, ipsa dierum presentia etiam negligentissimos ad ieiunij certamen excitare: quoniam hominum multi ieiunium aggressuri, tanquam cuidam logæ obfessionis tradendus sit venter, crapulam & ebrietatem praueniens reponunt: rursumque egressi, tanquam ex longa quadam esurie, & graui ieiunij carcere absoluti, cum multa improbitate ad mensas currunt, studentes sibi ortâ ex ieiunio vtilitatem, crapulâ excessu rursum perdere. Necessarium igitur erat & tunc, & nunc de cōtinentia mouere sermones. Veruntamen neque prius quicquam huiusmodi diximus, neque nunc dicemus: instans enim calamitatis timor pro omni admonitione & consilio cunctorum animas moderari sufficit. Quis enim tam miser & ærumnosus, ut in tanta tempestate inebrietur? Quis tam insensatus, ut ciuitate sic fluctuante, & naufragio tali imminente non sobrius sit, & vigilet, & hac anxietate diligentius, quam omni consilio & admonitione corrigatur? Non enim tantum efficere poterit sermo, quantum timor operatur. Et hoc ipsum ex his quæ nunc acciderunt, demonstrare facile est. Quot nanque sermones impendimus, torpidorum multos admonentes, & consulentes, ut theatra, & illinc proueniens lasciuia dimitterent? & non abstinebant, sed semper vsque ad hanc diem ad illicita saltantium spectacula concurrebant, & diabolicam concionem aduersus dei ecclesiæ plenitudinem constituiebant, & huius loci psalmodiis clamores inde cum multa vehementia obstrepbant. Sed ecce nunc tacentibus nobis, & nihil de hoc dicentibus sponte orchestram obstruxerunt, & circus inaccessibilis factus est. Et antehac nostrorum multi ad illos currebant: nunc autem illinc omnes ad ecclesiam confugerunt, & nostrum laudant deum. Vides quantum ex timore lucri factum est? Nisi bonus esset timor, filiis patres pædagogos non præponerent, non legislatores ciuitatibus vltos magistratus. Quid gehenna grauius? Sed huius metu nil vtilius. Gehennæ nanque timor regni nobis affert coronam. Vbi timor est, lior non est: vbi timor est, pecuniarum amor non vexat: vbi timor est, extinctus furor est, cupiditas

improba correpta, omnis irrationabilis passio exterminata. Et sicut in domo stante milite semper armato, non latro, non fur, non alius quis talia mala patranium apparere propius audebit: sic & metu animas nostras detinente, illiberalium nulla perturbationum facile nobis subrepat, sed omnes fugiunt, & pelluntur, timoris imperio vndique exacta. Nec hoc solum est, quod ex timore lucratur, verum & aliud hoc multo maius. Non enim improbas tantum nostras expellit passiones, sed & omnem cum multa facilitate virtutem inducit. Vbi timor est, ibi & eleemosynæ studium, & orationis intentio, & lachrymæ feruentes & continuæ, & gemitus multam habentes cōpunctionem. Nihil enim tantum peccata quidem consumit, virtutem verò crescere facit & germinare, quantum continui timoris natura. Propterea qui non viuunt in timore, recte illum agere non est facile: sicut vicissim cum timore viuere, est impossibile peccare. Ne igitur doleamus dilecti, neque animum despondeamus presentis tribulatione, sed incogitabilem dei sapientiam admiremur. Vnde nanque ciuitatem nostram diabolus euertere sperauit, inde restituit ipsam, & correxit. Diabolus nepe quibusdam impiis hominibus inspirauit, ut regis statuas contumeliis afficerent, quod & ipsum vrbis solum destrueretur. Deus autem hoc ipso facto ad maiorem nostram correctionem vsus est, expectata cōminationis timore omnem extrudens torporē. Et factum est contrarium quam dæmon volebat, ex his quæ ipse struebat. Ciuitas enim quotidie nobis expurgatur, & angiporti, & biuina, & plateæ meretriciis & fractis absolutæ sunt cantibus: & quocumque respexerit aliquis, supplicationes, & benedictiones, & lachrymæ pro risu soluto, & verba philosophiam habentia pro verbis turpibus. Et ecclesia facta nobis est ciuitas tota, officinis clausis, & omnibus in his vniuersalibus supplicationibus diem totum agentibus, & deum vna & cōmuni voce cum multa inuocantibus alacritate. Quis hæc sermo vnquam expedire potuisset: quæ admonitio? quod consilium? quanta temporis longitudo? Propterea deo gratias agamus, non moleste feramus, nec indignemur: quod enim bonum sit timor, & memorata demonstrauerunt. Audi vero & Salomonem omnibus innutritum deliciis, & multa potitum libertate. Quid igitur inquit ille? Melius est ire in domum luctus, quam in domum conuiuij. Quid est, queso, quod ait? Vbi luctus, & lachrymæ, & gemitus, & dolor, & tristitia tanta, melius accedere, quam vbi choreæ, & cymbala, & risus, & deliciæ, & crapula, & ebrietas. Verum, inquis. Quæ de causa, queso, & quapropter? quoniam illinc quidem dementia, hinc verò modestia nascitur. Et si quis ad opulentioris abeat conuiuium, non amplius cum eadem læticia domum reuertetur: sed tristis quidem ad uxorem redibit, tristis autem & de sua mensa participabit, & molestus seruisque, & filiis, & omnibus erit domesticis, ex aliorum copia suam diligentius paupertatem considerans. Nec hoc solum est graue, sed id etiam quod sæpe vocanti se ad conuiuium inuidet, & nihil penitus boni sumens, domum reuertitur. Circa iugentes verò nihil tale dici potest, sed multa quidem disciplina, multa verò modestia. Simul enim quispiam domus mortuum habetis vestibulum ascenderit, mortuum intuitus mutum iacentem, & uxorem crines vellentem, radentem genas, & brachia secantem, corripitur, tristatur, & cōsidentium quisque ad proximum nil aliud loquitur, quam quod nil sumus, & malicia nostra ineffabilis. Quid his verbis sapientius esse possit, cum & naturæ vilitatem agnoscamus,

mus, & nostram accusemus improbitatem, & nihil esse presentia cogitemus: alii quidem verbis, sententia tamen eadem Salomonis illa loquens mirabilia, & multæ plena philosophiæ, quoniam vanitas vanitatum & omnia vanitas. Lugentium domum ingressus, statim lachrymis defunctum prosequitur, etiam si sit inimicus. Vidisti quanto melior hæc, quam illa domus? Ille enim, etiam si amicus sit, inuidet: hic autem, etiam si inimicus sit, lachrymas dat: id quod omnium maxime deus exquirat, ut non insultemus his, qui nos contristauerunt. Non hæc autem sola datur hinc bona capere, verum & alia his non minora. Etenim peccatorum quisque suorum reminiscitur, & tremēdi tribunalis, & pœnarum, & iudicij, licet sit infinita ab aliis passus mala, & domi tristitias habeat, omnium ipsorum capiens medicinam, ita reuertitur. Cogitans enim quod & ipse paulo post hoc patietur, & quod transitoria cuncta presentia sunt siue suauii sint, siue tristitia, tristitiam & inuidiam omnem deponens, & leuem reddens animam, & releuatus sic domum reuertetur: & hinc mæfuetior erit in omnes iam, & humanior, benignior & sapiētiior, futurorum timore ipsius animam subingresso, & omnes spinas absumente. Et hæc omnia cognoscens ille, dicebat, quod melius est ire ad domum luctus, quam ad domum conuiuij. Illinc torpor, hinc anxietas nascitur: illinc contemptus, hinc timor ad omnem nos virtutem deducēs. Nisi bonum esset timor, non multos impendisset Christus sermones & longos, de illa pœna & supplicio loquēs. Timor nil aliud est, quam murus, & munimentum, & turris inexpugnabilis: etenim multa nobis munitione opus est: quia multæ sunt vndique insidiæ, sicut ipse Salomon rursum sic admonens dicebat: Agnosce quod in medio loqueorum transis, & super propugnaculis vrbium ambulas. Papæ, quot bonorum plenum est hoc verbum, nec minus quam superius. Ipsum igitur in mente quisque nostra scribamus, & semper in memoria circumferamus, & non peccabimus facile. In scribamus, prius ipsum cum omni diligentia discentes. Non enim dixit: Aspice quod in medio laqueorum pertransis, sed, agnosce. Et quare dixit, agnosce? Obumbratus est, inquit, laqueus: quandoquidem non aperte mors apparet, neque manifesta clades, sed vndique obrecta adiacet. Propterea dixit, agnosce. multa tibi opus est consideratione, & diligenti scrutatione: sicut enim pueri terra laqueos, sic diabolus vitæ voluptatibus peccata circumtexit. Sed agnosce perscrutans diligenter. Et si lucrum occurrerit, ne lucrum aspicias solum, sed scrutare diligenter, ne forte mors & peccatum intra lucrum sit absconditum: & si videris, refuge. Rursum cum delectatio & voluptas occurrerit, ne voluptatem solum respicias, sed ne forte iniquitas aliqua in voluptatis profundo obubrata sit, diligenter considera: & si inueneris, resilito. Siue consulat quispiam, siue aduletur, siue obsequatur, siue honores polliceatur, siue quodcumque aliud, omnia cum diligentia examinemus: & vndique consideremus, ne forte damnum aliquod, ne forte periculum aliquod ex consilio, vel honore, vel obsequio nobis eueniat, & ne celeriter & incōsiderate accurramus. Si enim vnus tantum & duo laquei foret, facilis esset custodia: nunc autem ipsorum multitudinē ostendere volens Salomon, quo modo dicit, audias. Agnosce, quod in medio laqueorum pertransis. Non dixit, iuxta laqueos pertransis, sed in medio laqueorum. Vtrinque nobis voragines, vtrinque doli. Processit quispiam in forum, vidit inimicum, exarsit ex aspectu solo. Vidit amicum laudem consequentem,

Ecl. 9. d.

inuidit: vidit pauperem, contempsit, & despexit: diuitem, & inuidit. Quempiam vidit infestatem, & indignatus est: vidit speciosam mulierem, captus est: vidisti quot laquei? Ideo dicit, agnosce, quod in medio laqueorum transis. Et in domo laquei, & in concionibus laquei. Sæpius inconsideratè quis inter amicos confidens, locutus est aliquod verborum, quæ proferri non debent, & tale pertulit periculum, ut totam domum subuerteret. Vndique igitur res cum diligentia perscrutemur. & vxor sæpe non aduertentibus laqueus est facta, sæpe filij: sæpe amici, vicini sæpius. Et qua de re tot laquei? ne deorsum volumus, sed superiora quaramus. Etenim volatilia donec altum aërem secant, non facile capiuntur: ita tu donec ad superiora respexeris, nec laqueo, nec vllis facile capieris insidiis. Venator est diabolus. Fias igitur ipsius lustris sublimior. In altum ascendens, non amplius vllam rerum admirabitur humanarum. Sed sicut postquam in montium verticem ascenderimus, parua nobis & vrbs & mœnia esse videntur, & formicarum more nobis viri super terram ire videntur: sic postquam supra celsam philosophiæ cogitationem ascēderis, nihil te terrenorum percellere poterit, sed parua videbuntur omnia, & diuitiæ, & gloria, & potentia, & honor, & si quid aliud huiusmodi, cum cœlestia respicias: sicut scilicet & Paulo parua omnia videbantur, & mortuis inutiliora, quæ in presenti vita sunt splendida. Propterea & clamabat, dicens: Mihi mundus crucifixus est. Propterea & nos admonet dicens: Quæ sursum sunt, sapite. Quæ sursum sunt, qualia dicis, dic mihi: Vbi sol, vbi luna? Non, inquit. Sed vbi? Vbi angeli, vbi archangeli? Vbi Cherubin, & Seraphin? Non, inquit. Sed vbi? Vbi Christus est in dextera dei sedens. Pareamus igitur, & illud continue ratiocinemur, quod sicut auiculæ laqueo captæ vtilitas nulla, sed frustrata & incassum alas concutit: ita tibi nulla ratiocinationum vtilitas, si ab improba penitus cupiditate captus sis, sed quantumcumque resileris, captus es. Propterea alæ sunt auiculis, ut effugiant laqueos: propterea ratiocinationes hominibus, ut peccata fugiant. Quam igitur veniam habebimus, quam vero defensionem, cum brutis simus dementiores? Auicula nanque semel capta laqueo, mox elapsa, & ceruus in rete decidens & effugiens, iisdem iterum difficile capiuntur: nam cuique sit experientia cautelæ magistra. Nos sæpius iisdem capti in eadem cadimus. Neque brutorum prouidentiam & sollicitudinem nos ratione decorati imitamur. Sæpius quippe mulierē conspicati, innumera passim sumus grauiâ, domum concepta reuersi cupiditate, & multis dolore diebus confecti: veruntamen non corrigimur, sed vix priore curato vulnere, rursus in eadem labimur, & ab iisdem expugnatur, & propter breuem visus voluptatem diuturnum quendam & cōtinuum dolorem sustinemus. Sed si continuè nobis hoc repetere dictum didicerimus, omnibus malis abstinebimus. Laqueus maximus mulieris forma, imò verò non mulieris forma, sed lasciuus aspectus. Non enim res calunniamur, sed nos, & nostrum torporem. Neque dicamus, Ne sint mulieres: sed, ne sint adulteria. Neque dicamus, ne sit pulchritudo: sed, ne sit fornicatio. Neque dicamus, ne sit venter: sed, non sit crapula: nō enim venter crapulam facit, sed negligentia nostra. Nō dicamus quia comeditur & bibitur, omnia mala: nō enim propter hoc, sed propter torporem & improbitatē nostram. Non comedit quippe, nec bibit diabolus, & cecidit: comedit & bibit Paulus, & in

Galat. 6. d.

Coloss. 3. d.

& in cœlum ascendit. Quot dicentes audio, Non sit paupertas. Obmutefaciamus igitur talia agrè ferentes. Blasphemia enim est talia dicere. Dicamus igitur ipsis, Non sit pusillanimitas: paupertas enim innumera vitæ bona intulit nostræ, & sine paupertate inutilis diuitiæ. Ne calumniemur itaque nec has, nec illam: paupertas enim & diuitiæ sunt arma ad virtutem vtraque ferentia, si velimus. Sicut igitur generosus miles, quodcūque ferrum capiat, propriam virtutem ostendit: sic imbellis & ignauus ab omnibus impeditur. Et ut discas quod hoc verum est, illius mihi Iob recordare, qui simul & diues & pauper factus est, & vtraque arma tractauit, & in vtrisque vicit. Et quando diues quidem erat, dicebat: Ianua mea omni venienti fuit aperta: quando vero pauper factus est, dicebat: Dominus dedit, dominus abstulit. Dum fuit diues, multam hospitalitatem, cum factus est pauper, multam patientiam exhibuit. Et tu igitur si diues es, multam demonstra elemosynam: si pauper factus es, patientiæ multum & tolerantia. Nec enim diuitiæ malū, nec paupertas simpliciter, sed iuxta voluntatem vtriusque hæc vtraque fiunt. Nos igitur ipsos instituiamus, non talia de rebus habere iudicia, neque dei opera, sed improbam hominum voluntatē accusare. Neque pusillanimitatem diuitiæ possunt adiuuare, nec magnanimo pauperes vnquam nocet. Agnoscamus igitur laqueos, & ab ipsis procul eamus. Agnoscamus præcipitia, nec appropinquemus. Hoc maxime securitatis vobis erit occasio, non tantum peccata fugere, verum & quæ videntur media quidem esse, ad peccata vero nos supplantant: quale est: Ridere & iocosa dicere verba, non manifestum quidem peccatum esse videtur, sed in manifestum crimen inducit: nempe sapius ex risu turpia nascuntur verba, à turpibus verbis actiones turpiores. Sapius ex verbis & risu conuicia & contumeliæ: de conuicio & contumelia plagæ, & vulnera, de vulneribus & plagis iugulationes, & homicidia. Si tibi igitur bene consulturus es, non turpia tantum verba, neque turpia tantum facta, neque plagas & vulnera, & homicidia, verum & ipsum intempestiuum risum, & verba fugies scurrilia, quoniam subsequētium radix talia esse solent. Propterea Paulus inquit: Stultiloquiū & scurrilitas ne prodeat ex ore vestro. Et si nanque per se paruū ipsum esse videtur, magnorum tamen malorum nobis efficitur causa. Rursum deliciis vacare non videtur quidem esse crimen manifestum, & expressum: attamen multa nobis parit mala: ebrietatem, furorē, auariciam, rapinas. Sumptuosus enim & lautus, & ministeria ventri impendens intolerabilia, furari sæpe cogitur, & aliena rapere, & opprimere, & violare. Si deliciis itaque fugias, & auariciæ, & rapinæ, & ebrietatis, & innumerabilium malorū sustulisti materiam, iniquitatis radicem à longè rescans. Propterea Paulus dicebat: Quod quæ in deliciis est vidua, viuens mortua est. In theatra rursus ascendere, & equorū certamina spectare, & aleas tractare non videtur multis peccatum esse manifestum, sed infinita vitæ mala solet inferre. Etenim in theatris immoratio fornicationem, petulantiam, & omnem incōtinentiam peperit, & circensium spectatio pugnas, conuicia, flagella, contumelias, iuges inimicicias adduxit: & circa aleas studium, blasphemias, iacturas, iras, conuicia, infinitaq; alia his grauiora sæpe produxit. Ne tantum itaque peccata fugiamus, verum & apparentia quidem esse media, paulatim verò in hæc peccata nos pertrahentia. Nanque iuxta præcipitium vadens, quamuis non decidat, tre-

Iob. 31. b
Ibid. d

Ephes. 5. 4

1. Tim. 5. 4

mit, & sæpenumero ab ipso subuersus tremore decidit: ita & nō procul peccata fugiens, sed secus ipsa vadens, cum timore viuit, & in ipsa labitur sapius. Etenim alienas curiosè spectans formas, quamuis non mœchetur, tamen concupiuit, & iuxta Christi sententiā factus est adulter: sapius autem ab ipsa concupiscentia & in peccatum re ipsa defertur. Nos igitur ipsos procul à peccatis retrahamus. Vis modestus esse? ne tantum fugias adulterium, sed etiam petulātem aspectum. Vis à verbis turpibus abesse? ne verba tantum turpia fugias, verum & risum solutum, & omnem cōcupiscentiam. Vis cædibus esse procul? fuge conuicia quoque. Vis ebrietate separari: fuge delicias & lautas mensas, & radicitus vinum extirpa. Magnus laqueus est linguæ petulantia, & multæ refrenationis indigens. Propterea & quidam inquit: Laqueus fortis viro propria labia, & capitur verbis oris proprii. Supra cætera igitur cuncta membra hanc moderemur, hæc refrenemus, & cōuicia contumeliarūq; ac turpiloquia, & accusationes ex ore pellamus, & malam iuramentorum cōsuetudinem. Rursum enim nos ad eandem admonitionem sermo deduxit. Et quidem heri cum vestra charitate constitui, quod non amplius de hoc mandato dicam: quoniam omnibus superioribus diebus sufficienter disertum est. Sed quid faciam? donec vos correctos videam, nō possum absistere proposito. Quoniam & Paulus Galatis dicens, Deinceps labores mihi nemo præbeat: rursum ipsis apparet congressus & locutus. Huiusmodi sunt paterna viscera, & si recessuros se patres esse dicunt, non absistunt donec correctos viderint filios suos. Audistis prophetam de iuramentis hodie nobis loquentem? Respexi oculis meis, & vidi, inquit, & ecce falx volans longitudine cubitorum viginti, & latitudine cubitorum decem. Et dixit ad me, Quid tu vides? & dixi, Video falcem volātem lōgitudine cubitorum viginti, & latitudine cubitorum decem. Et ingredietur domum, inquit, iurātis nomine meo, & dissoluet in medio, & suffodiet lapides & ligna. Quid tandē est dictum: & qua de causa in specie falcis iurantes sequēs pœna videtur? Vt vitionem ineuitabilem esse, & supplicium euitari nō posse videas. Ensem enim volantem forsitan aliquis effugere poterit: falcem autem in collum delapsam, & profuniculo factam, nemo fugere potest. Cum autem & alæ adsint, quæ salutis vterius spes: qua vero causa lapides & ligna iurātis dissoluit? Vt ruina aliis correctio fiat. Postquam enim iurantem mortuum terræ condicere necesse est, domus dissoluta, & ruina facta prætereuntibus omnibus, & cernentibus admonitio erit per aspectum, ut non eadem audeant, ne eadem patiantur, & accusatrix erit mortui criminis cōtinua. Non ita pungit ensis, sicut iuramenti natura. Non sic occidit gladius, sicut iuramenti plaga. Iuratus est si viuere videtur, iam mortuus est, & vulnus excepit: & sicut restem capiens, & priusquam ciuitatem egrediatur, & ad præcipitium veniat, & tortorē videat imminētē, mortuus est, simul ac prætorij ianuas egressus est: sic & iuratus. Hæc reputemus, & ne fratres iurare faciamus. Quid facis homo? Super mensam adiuras sacram, & vbi Christus positus est immolatus, illic fratrem tuum immolas? Et latrones quidem in viis mactant: tu verò coram matre filium immolas sceleratius quàm Cain patrans homicidium? Ille nempe fratrem suum in deserto, & præsentī morte mactauit: tu vero fratrem tuum immolas in medio ecclesiæ, idq; morte futura immortalis. Num enim propterea facta est ecclesia, ut adiuremus?

Propterea

Propterea facta est, ut oremus. Num enim ideo mensa posita est ut adiuremus? ideo posita est, ut peccata soluiamus, non ut augeamus. Tu vero si nihil aliud, saltem librum ipsum reuerere, quem in iuramentum porrigis: & euangelium, quod intra manus capiens iurare iubes, explica, & audiens quid tibi Christus de iuramentis differat, horresce & desiste. Quid igitur de iuramentis inquit? Ego autem dico vobis, omnino nō iurare. Tu vero legem iurare prohibentem contemnēdo, iuramentum facis? O contumeliam, o insaniam. Idem enim facis, tanquam si quis legistatorem prohibentem interficere, ipsum cædis sibi socium esse iubeat. Non ita gemo & deploro, quospiam in viis iugulatos audiens, sicut gemo & lachrymis prosequor, & horresco, cum video quempiam prope mensam hanc venientem, & manus imponentem, & euangelii iurantem attactis. De pecuniis, quæso, dubitas, & animam occidis? Quid tantum lucraris, quantum animam tuam, & proximum lædis? Si enim credis quod verax sit homo, ne iuramenti necessitatem adducas: si vero nosti quod mentitur, ne peierare cogas. Sed ut mihi satisfaceret, instandum erat, inquit. Imò tunc sufficientem capias satisfactionem, cum iurare eum non feceris. Nunc nempe domum regressus, à conscientia continuè roderis, hæc reputas: Nunquid non frustra adiurauit? nunquid non peierauit? nunquid non ego fui causa peccati? Si verò non adiuraueris, domum regressus multam capies consolationem, agens deo gratias, & dicens: Benedictus deus, quoniam me ipsum continui, neque adiurauit frustra, nec temerè pereat aurum, pereant pecuniæ, ut hoc nobis maxime consolationem afferat legem non præterisse, nec alterum coëgisse, ut hoc faceret. Cogita propter quæ non adiurasti, & hoc tibi sufficet in refrigerium & consolationem. Sapius nanque pugna conflata contumeliam patientes generose ferimus, & contumeliantem dicimus. Quid tibi faciam? in me conuiciatus est ille vel ille dominus tuus, ille meas cohibet manus. Et hoc nobis in consolationem sufficit. Ita quoque cum quempiam adiuraturus es, te ipsum contine, prohibe, & dic iuraturus: Quid tibi faciam? Deus iusit non adiurare, ille me continet nunc. Sufficit hoc & ad honorem legistatoris, & ad securitatem tuam & adiurati timorem. Quum enim ille viderit, quod sic alios adiurare veremur, multo magis ipse facile iurare formidabit. Si hoc verbum dixeris, cum multa domum laticia plenitudine redis. Audi ergo deum in mandatis, ut & ipse exaudiat te in orationibus. Hoc verbum in cœlo scribetur, in iudicij die tibi asistet, & multa dissoluet peccata. Nec hoc tantum in iuramento, verum & in omnibus negociis cogitemus: & cum debemus aliquid facere boni propter deum, quod mox aliquid inferat damni, non solum ex negotio damnum expectemus, sed etiam lucrum, quod capiemus propter deum faciendo. Puta, affecit te quispiam contumelia. feres generose. Ne contumeliam cogitaueris tantum, sed etiam ferre iubentis dignitatem, & māsuetē feres. Elemosynam dedisti? ne impensam cogites tantum, verum & prouentum ex impensa. Multatus es pecuniis? gratias age, nec tantum iacturæ dolorem spectes, verum & lucrum ex gratiarum actione. Si sic nos cōponamus, nullum accidentium nos grauium tristificabit: sed ex his quæ videntur esse tristia, lucrabimur, & damnum diuitiis, & tristitia voluptate & delectatione, & contumelia honore iucundior erit & desiderabilior, & omnia contraria in lucrum nobis proueniēt, & hic multa fruemur tran-

Matth. 5. c

quillitate, & illic regnum cœlorum assequemur: quo omnes dignos fieri detur, gratia & clementia domini nostri Iesu Christi, per quem, & cū quo gloria patri, simul & sancto spiritui imperiū & honor, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Vulgata ad principē populatione & omnib; de fugā cōsultatibus, cū intrasset princeps ecclesiæ, & cōsolatus fuisset, habitus est præsens homilia. Et de vitæ iuramento. Et in illud Apostoli dictū: Paulus vincit Iesu Christi. Homilia XV I.

PRINCIPIS quidem protidentia laudant, quoniam tumultuantem conspicatus ciuitatem, & omnes de fuga deliberantes, ingressus vobis; cōsolatus est, & in bonā spem adduxit: pro vobis autem erubui confusus; sum, quod exterioris post multos prolixosque sermones illos consolationis indignis. Optavi terrā mihi dehiscere, & immergi, quando ipsum vobis loquentem audiebā, & intempestiuam hanc & irrationabilem timiditatem cōsolantem. Non enim vos ab illo doceri oportebat, sed infidelibus vos præceptores omnibus fieri, nec ab infidelibus iudicari Paulus permisit. Tu vero post tātā patrum admonitionē exterioribus indignis præceptoribus, & fugitiui, & verberones quidam ciuitatem tantam excitauerunt, & in fugam coniecerunt. Quibus oculis amplius infideles respiciemus, tam pauidi cū simus & timidi? Qua lingua ipsos alloquemur, & pro ingruentibus malis cōfiderē persuadebimus, omni lepore timidiores per hanc facti anxietatem? Et quid faceremus: inquit, homines enim sumus. At propter hoc ipsum tumultuari non oportet, quia homines sumus, & nō bruta. Illa fragoribus & stridoribus omnia terrēt. Non enim habent rationem quæ timorem repellere possit. Tu vero ratione & consilio decoratus, quo modo in illorū segnicie cadis? Ingressus est quidam, militum incurSIONEM nūciauit: Ne tumultueris, sed ipsum mittēs, genua flecte, dominum tuum roga, geme amariter, & aduersitatem repellet. Tu quidem audita militum incurSIONE nō vera, & præsentī vita abrūpi periclitatus es. Beatus vero Iob ille cōtinuis venientibus nunciis, & grauiā nunciandis auditis, & adiciētib; intolerabilē filiorum perditionem non euilauit, non gemuit, sed ad orationem cōuersus est, & domino gratias agebat. Hūc & tu imitare, cū veniens quispiam nunciauerit quod milites urbem circūdederint, & bona direpturi sint, ad dominū tuum confuge & dic: Dominus dedit, dominus abstulit, sicut domino placuit, ita factū est: sit nomen domini benedictū in secula. Illum non terruit malorum experientia, te vero solus terret auditus: Quam nullius sumus æstimationis, cum cōtra mortem quoq; audenter ire iussi, à falso rumore simus sic expauescatis? Tumultuans & timorē, qui non est, cōstituit, & perturbationē non apparentē: qui vero est in animæ constitutione ac tranquillitate, & eū qui est, dissoluit. Nō vides nauceros, ut insaniēte mari, nubibus trāscurrentibus, fulminibus elisis, omnibus in nauigio tumultuātibus, ad gubernacula sedent ipsi sine trepidatione & metu, & arti suæ vacātes, ut imminentem procellā repellant: hos & tu imitare, & sacram capiens anchorā, in deū spem, inconcussus permāne, & irruolubilis. Quicumque audit meos sermones hos, inquit, & nō facit ipsos, assimilabitur homini stulto qui edificauit domū suā super arenā, & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerūt in domū illam, & cecidit, & erat ruina ipsius magna. Vides quod stulticiē est cadere, & circumuertī?

Matth. 7. d

cumuerti: Imò vero nos neq; stulto illi similes facti sumus, verù & illo miserius cecidimus: illius nēpe domus post flumina, post delatum imbrem, post illapfos v̄etos cecidit: nos vero nō pluuiis ingruentibus, non fluminibus inflicis, non ventis irruentibus ante malorum experientiam ex auditu solo subuersi sumus, & omnia quæ philosophabamur, effudimus. Qualē mihi mentem putatis esse nunc: quo modo cōtrahi: quo modo demergere: quo modo erubescere: Nisi multā à patribus necessitatem sustinuissem, neque surrexissem, neque locutus fuisset dolore obtenebratus ex pusillanimitate vestra: sed neque nūc in meipsum redire possum: sic animum mihi indignatio & tristitia obsidet. Quis enim non ægre ferret: quis non succenseret, quando post tantā doctrinam gētilibus opus habuistis doctoribus ad exhortandum & persuadendum, vt præsentem generose timorem sufferretis? Orate igitur dari nobis verbū in apertione oris nostri, vt hanc tristitiam excutere possimus, & paulum mentē excitare. Etenim cōfusio de pusillanimitate vestra multum animum nostrum deiecit. Multa prius ad charitatem vestram locutus sum, & de laqueis nobis v̄ndique positis, & de timore & tristitia, & de luctu & voluptate, & de falce in iurātium domos volāte. Ex his igitur omnibus multis quidem, illa mihi maxime reminiscimini quæ de volāte falce dicta sunt, & iurantis domum dissolvente, & lapides & ligna subruente, & omnia cōsumente. Et post hoc illud quoque caute, quod extremæ dementiæ est, Euangeliū capientes iurare, & legem iurare prohibentē iuramentum facere. Et quod melius sit pecuniis multari, quàm proximis iuramentum offerre: quoniā hoc est non modicus in deum honor. Cum enim deo dixeris, propter te non adiuravi illū qui fuerat furatus, & male fecerat: pro hoc honore magnā tibi reddet gratiam, & in presenti tempore, & in futuro. Hæc & aliis dicite, & ipsi obseruate. Scio quod hic reuerētiore sumus, & omnē improbam deponimus consuetudinē. Sed quod quæritur, hoc est, non vt hic tantum philosophemur, sed vt pietatē hinc capiētes extra seruemus, vbi maxime ipsius indigemus. Etenim aquantes non tantum apud fontem habēt vasa repleta, domum autem abeuntes euacuant: sed illic ipsa maxime cum cautela reponunt, ne subuertantur, & labor fiat inanis. Hos etiam nos imitemur, & domum profecti, dicta cum studio seruemus. Itaque si hic maneat fatiati, domum vero redeatis inanes, vasa mētis vestræ admonitione vacua referentes, nulla vobis ex hac repletionem erit vtilitas. Ne mihi in palæstra demōstres athletam, sed in certamine. Ne mihi religionē instructionis tempore, sed actionis adhibeas. Laudas nūc quæ dicuntur, cum te iurare oportuerit, omnium ipsorum tunc recordare. Si hæc legem expedieris cito, ad alia quoque maiora disciplinam proferam. Ecce secundum hunc annum habeo vestræ differens charitati, & neque centum scripturarum versus vobis enarrare potui. Causa vero, quoniam à nobis dicere opus habeatis, quæ domi & per vos explere potestis, & orationis maior pars nobis in morales impeditur sermones. Hęc vero sic fieri nō oportebat, sed morum quidem modestia domi & à vobis vos institui: scripturarum vero sensus & speculationes nobis permittere. Si autem & à nobis audire fuerat opus, vno plus die nō decebat. Nec enim varium quiddam, & inuentu difficile, quod dicitur, est, nec vllius indigens præparationis. Cum enim deus denunciauerit, argutationibus non est opus. Deus dixit, Ne iuraueris. Noli causas amplius à me requirere. Lex

est regia: qui tulit ipsam, & ipsius rationem nouit: nisi fuisset vtile, nō prohibuisset. Reges ferūt leges, nec omnes semper vtiliter: homines enim sunt, nec sicut deus vtile possunt inuenire. Veruntamen paremus, siue vxores ducamus, siue seruos emere debeamus, siue domos, siue agros, siue quodlibet aliud facere, non ex propria facimus hæc sententia, sed quomodo cuncta iusserint illi: nec vt res nostræ pro sententiā nostra disponantur, penitus domini sunt, sed illorum vbi que sententiis seruimus. Et si quid præterquam quod illis videtur facimus, inualidum & inutile redditur. Itaque hominum quidem legibus tantum attribuimus honorem: dei vero leges ita quæso conculcabitur: Et quali hæc digna defensione: quali venia? Dixit Moses. Ne cōtrariam ipsius legi legem per opera feras, vt cum securitate cūcta facias & dicas. Sed de his quidem satis. Age vero lectis hodie vna vobis apposita sententia sermonem terminemus. Paulus vincētus Iesu Christi, inquit, & Timotheus frater. Magnifica Pauli appellatio, nō principatus & honoris nomen, sed vincula & catenæ. Vere magnum atque splendidū ipsum multa alia faciūt, in cœlum rapi tertium, in paradysum deferri, verba audire ineffabilia: sed horū nil posuit, sed pro omnibus catenā: hæc enim magis quàm illa illustrem reddebat, & splendidum. Cur tādē? quoniam illa quidem domini benignitatis erant gratuita dona, hæc vero serui tolerantia atque patientia indicia. Consuetudo autem amantibus est, illis magis affici quæ pro amatis patiantur, quàm his quæ ab ipsis beneficia capiūt. Nō ita rex diademate gloriatur, vt ille vinculis delectabatur: & meritō. Diadema nempe solum coronato capiti ornatū affert, catena vero & ornatū multo maiorem, & tutelam. Corona saepe regia caput se circumdatum prodidit, & innumeros allexit insidiatores, & in tyrannidis concupiscentiam inuitauit. Et in bellis hic ornatu est adeo periculosus, vt ipsum deponant & abscondant. In præliis nonnunquam reges habitum commutantes, ita manus cum hostibus cōserunt, tantum ex corona fit proditiōnis. Catena vero nihil huiusmodi gerētibus affert, sed omne contrarium: cū pugna sit, & acies contra demones, & aduersarias potestates, præterdendens ipsam qui ea circumdatus est, illorū repellit insidias. Et principum quidem externorum multi, non tantū dum imperant, verum cum & à principatu soluti fuerint, ipsius nomen circumferunt, dum dicitur: Ille talis consularis, ille talis prætorius. Hic vero pro his omnibus Paulus vincētus, inquit. Et multum cōgrue. Illi nanque principatus non penitus sunt animi virtutis demonstrationes: pecuniis enim sunt venales, & amicorum vendicantur assentationibus: hic autem ex vinculis principatus est animi disciplinæ indicium, & ardentis in Christum desiderij signum maximum. Et illi quidē breui refugit, hic vero principatus nullum habet successorem. Aspice namque quātum ab illo nunciusque temporis est, & splendidus huius vincētis nomen redditum est. Et cōsules quidem omnes, quicunque superioribus fuere temporibus, silentio traditi sunt, & à multis multi nec ipso quidem nomine cogniti: huius autē vincētis beati Pauli multum quidem hic, multum autē in Barbarorū regione, multum apud Scythas & Indos, siue ad ipsos terrarū orbis terminos venias, hanc audies appellationem. Et quocunque quispiā peruenerit, Paulū vbi que in omnium ore circūferri noscet. Et quid mirum, si in terra maris, quippe cum & in cœlis multum Pauli nomē apud angelos, apud archangelos, & superiores potestates, & ha-

rum regem deum. Et qualia, inquit, erant illa vincula, quoniam tantum vincētis gloriæ tulerunt: Nōne è ferro fabricata erant? E ferro quidem fabricata, sed multam habebant spiritus gratiam efflorentem: quoniam propter Christum ipsis circumdatus fuerat. O miraculum, serui vincētis sunt, dominus crucifixus, & prædicatio quotidie crescit: & per quæ putabatur opera prohiberi, per hæc accensa est. Et crux & vincula quæ esse videbantur abominatio, nunc salutis signa sunt facta. Et quolibet auro ferrum illud nobis preciosius erat, non propter naturam propriam, sed propter causam hanc & argumentum. Sed video quæstionē hinc nobis quamdam orientem. Et si diligentia adhibeatis, & quæstionem dicam, & solutionem apponam. Quid igitur tandem est quod quæritur? Ingressus aliquando hic Paulus ad Festum, & loquens ad ipsum, excusantē se de criminibus quibus vrgebatur à Iudæis, & dicens, quo modo Iesum vidit, quo modo beatam vocem illam audiuit, quo modo per excruciationem ad veram peruenit lucē, quo modo cecidit & surrexit, quo modo ingressus est Damascum captiuus absq; vinculis compeditus: & de prophetis, & de lege loquens, & ostendens quod & illi prædixerunt hæc omnia, iudicantē cepit, & ferē ad seipsum transire persuasit. Tales enim sanctorum animæ, cum in pericula ceciderint, non quo modo periculis liberentur, considerant, sed quod persequentes lucrentur, omnia faciunt. Sicut & tunc factū est, se defensurus intravit, & capto iudice discessit. Et hæc ipse iudex testatus est, dicens: In modico me persuades Christianū fieri. Hoc & hodie fieri decebat, & principem hunc vestræ admirari magnanimitatem, sapientiam, perfectamque quietem, & ex ordine vestro disciplinam capere, & sic abire, concionem admirari, laudare confessum, & ex ipsis rebus discere, quantum inter gentiles & Christianos discriminis sit. Sed vt ad id redeā quod dicebam. Postquam ipsum cepit Paulus, & ille dixit: In modico me persuades Christianum fieri. Paulus ita respōdit: Optarium vtiq; ego à deo & in modico, & in multo non solum te, sed etiam omnes audiētes me, fieri Christianos absq; vinculis his. Quid dicis o Paule: Ephesius nempe scribens, dicis: Rogo igitur vos ego vincētis in domino, digne ambulare vocatione qua vocati estis. Et ad Timotheum loquens, In quo male patior vsq; ad vincula tanquam malefactor. Et ad Philemonem rursum, Paulus vincētus Iesu Christi. Et cum Iudæis iudicans, dicit: propter spem Israël hac catena circumdatus sum. Et Philippensibus scribens dicebas: Ita vt plures fratrum freti vinculis meis abundantius auderent intrepide verbū capere. Vbi que catenam circūfers, vbi que vincula proponis, & huiusmodi gloriaris negotio: in iudicium autem venies disciplinam prodidisti, cum maxime libere te gerere decebat, & iudici dicis: Optarem vti que te fieri Christianum absq; vinculis his. Nempe si bona, ita vt aliis quoq; fiduciam ad sermonem pro religione præbeant: etenim hoc ipsum prius dixisti. Multi fratrum freti vinculis meis verbum loquebatur intrepide: quare coram iudice non hac re gloriaris, sed contrarium facis: Nunquid nō videtur esse quæstio quod dicitur: sed celerimam solutionē assero. Non enim ex anxietate, vel timiditate Paulus hoc faciebat, sed ex sapientia multa, & spiritali prouidentia. Nam ad gentilem loquebatur & infidelem, nec nostra sciētem. Nolebat igitur ipsum per graua inducere, sed quod dicebat: Factus sum carētib; lege, tanquam sine lege: hoc & hic faciebat. Si vincula audierit, inquit, & tribulationes, statim refugiet, cū

A vincolorū virtutem non norit. Fiat prius fidelis, & prædicationem gustet, & tunc ipse quoque ad hæc vincula curret. Audiui dominum meum dicentem, quod nouo imponit indumentum panni illoti super vestimentum Math. 9. c
vetus: quoniam tollit plenitudinem ipsius, & peior fit Marc. 2. d
scissura. Neq; mittunt vinum nouum in vres veteres, Luc. 5. g
quoniam dirūpantur vres. Anima huius est vestimentum vetus, & vter antiquus, non est renouatus fide, non spiritus gratia recēs redditus est, debilis adhuc est & terrenus, mundana sapit, & ad mundanam vanitatem stupet, gloriam amat presentem. Si à primordiis statim audierit, quod factus Christianus captiuus mox fiet, & catena circumdabitur, cōfusus & reueritus à prædicatione resiliet. Propterea dicit: Absq; vinculis his, non ipse vincula rccufans, absit: sed illius condescendens infirmitati, quoniā ipse sic illa diligit, & amplectitur, vt ambitiosa mulier monilia sua. Vnde hoc manifestū: Gaudeo Coloss. 1. d
in passionibus meis, inquit, & suppleo defectus tribulationum Christi in carne mea. Et iterum: Quoniam non bis donatū est à Christo non tantum in ipsum credere, Philip. 1. d
verum & pro ipso pati. Et iterum: Non tantū autem, sed Rom. 5. d
& gloriamur in tribulationibus. Si gaudet igitur, & id vocat donum gratuitum, certum q; propter hanc causam ad iudicem loquēs hæc dicebat. Quoniam & aliās rursum in necessitatem delapsus gloriandi hoc ipsum demonstrat, dicens: Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, in necessitatibus, in cōtumeliis, in persecutionibus, in angustiis, vt inhabitet in me virtus Christi. Et iterū: Si gloriari oportet, in infirmitate mea gloriabor. Et alibi seipsum aliis comparans, & per comparisonem nobis excellentiam demonstrās, sic quodam modo, inquit: Ministri Christi sunt, vt minus sapiēs loquor, plus ego. Et excessum demonstrare volens, non quod mortuos resuscitauerit, demonesve expulerit, neque quod mudauerit leprosos, aliudve quid huiusmodi fecerit, dixit. Sed quid? quod innumeras passus est molestias: cum enim dixisset, plus ego, intulit tentationum multitudinem, sic dicens: In plagis supra modū, in mortibus frequenter, in carceribus abundantius, à Iudæis quinque quadragenas vna minus accepi, ter virgis cæsus sum, semel lapidatus, ter naufragium feci, nocte ac die in profundo maris fui: & reliqua omnia. Sic vbiq; gloriatur in tribulationibus Paulus, & ea re nimis delectatur, & valde meritō. Nam hoc est, quod maxime Christi virtutem demonstrat, quoniam per talia vicerunt apostoli, per vincula, tribulationes, flagella, & extrema mala. Nam hæc duo Christus denūciauit, tribulationem & remissionē, labores & coronas, sudores & retributiones, suauiā & tristitia. Sed tristitia quidem vitæ dedit præsentem, suauiā vero in futurum distulit, pariter demonstrans quod non decipit homines, & ipsum grauium pondus ordine dimini volens. Decipiens enim suauiā prius proponit, & mox infert tristitia. Quale est: Plagiarij puerulos saepe paruos prædātes & furantes, nō plagas & verbera, neque aliud huiusmodi pollicentur, sed placetas & bellaria, & alia talia quibus puerilis gaudere consuevit ætas, præterdunt, vt his illi allecti, & libertatem suam prodētes, in extremum periculum delabantur. Auium vero pisciumq; venatores, ita quæ venantur alliciunt, consuetam capiendis & iucundam prius escam præbentes, & sic contēgentes laqueum. Itaq; decipientiū maxime opus hoc est, prius suauiā proponere, quò mox inferant tristitia: prouidentium autem & diligentium omnino contrarium. Patres itaque plagiaris contrarium faciunt, cum ad ludum pueros literarium

Zach. 5. d

Exod. 23. b
Mat. 5. c

Act. 26. g

Phil. 18. b

Act. 28. c

1. Cor. 9. d

mittunt, pædagogos præponunt, flagella mutantur, timorem incutiunt: & cum priorem sic atatem transegerint, tunc ipsis in habitu virili cõstitutis, honores, potentiasq; & delicias, & omnes diuitias suas tradunt: Sic deus quoque fecit, non plagiatorum, sed patrum more curã nostri gerens, prius iniecit tristibus tanquam pædagogis & præceptoribus præfenti tradens tribulationi, quò per hæc correcti, & moderati, postquã tolerantiam omnem, omnemq; disciplinam didicerimus, mox ad perfectionem deducti, cœlorum regnum hereditate consequamur: sed prius idoneos reddit ad dandarum dispensationem diuitiarum, & postmodum ipsas præbebit diuitias. Nisi enim hoc fecisset, diuitiarum erogatio non donum, sed vltio fuisset & pœna. Sicut enim puer insipiens paternam suscipiens hereditatẽ, ab hac ipsa præcipitatur, prudentiam non habens pecuniarum dispensationi parem: si vero prudens sit & benignus, & temperans, atque modestus, in necessaria dispensans paterna, splendidior ita sit & illustrior: sic & in nobis est necessesse euenire. Cum spiritualem prudentiam acceperimus, quem omnes in ætatis mensurã peruenerimus, tunc nobis tradit omnia quæ pollicitus est: nunc vero tãquam pueros paruos docet cum exhortatione & consolatione. Nec hoc solum est emolumentũ ex præmissis tribulationibus, verum & aliud illo non inferius. Qui enim prius est in deliciis, mox post delicias vltionem expectans, neq; præsentibus fruitur deliciis propter futurarũ molestiarũ expectatione: qui vero prius est in tristibus deinde post hæc suauibus potiturus, etiã præsentibus difficultates propter futurorum spem bonorum contemnit. Non igitur tutelę tantum causa nostrã, verũ & voluptatis & consolationis, priora statuit esse molesta, vt futurorum spe releuati nullum præsentium capiamus sensum. Et hoc ipsum Paulus significans dicebat, quòd momentanea leuitas tribulationis nostrę supra modũ æternum pondus glorię nobis operatur, non considerantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Leuem appellauit tribulationem, nõ propter propriam grauiũ naturam, sed propter futurorũ expectationem bonorũ. Sicut enim mercator nõ sentit navigationis laborẽ, lucrorũ spe releuat: & pugil generose fert capitis vulnera, coronã respiciens: ita profecto nos quoq; in cœlũ & cœlestia intendentes bona, quæcunq; inferantur grauia, generose cuncta feremus, bona futurorum spe roborati. Hanc itaque capientes sententiam abeamus: quanuis nanque simplex & breuis sit, multã tamen habet sapientię disciplinam. Qui in dolore & tribulatione est, idoneam habet consolatione: qui in deliciis & luxuria, magnam moderationis exhortatione. Cum enim ad mensam discumbens, sententię huius memineris, statim ab ebrietate crapulęque resilies, discens ex hac sententiã, quòd anxios nos esse conuenit, & intra teipsum dices: Paulus in vinculis & carceribus, ego vero in ebrietate & lauta mensa. Et quam assequar veniã? Hoc & mulieribus necessarium verbũ. Ambitiosa enim & sumptuosa, & auro vndique se circumligantes, catenę huius cõmonefacta odio habebunt (sat scio) & abominabuntur ornatum illum, & ad hæc vincula current. Illa nanque ornamenta multorum causã malorum fuerunt, & innumera bella intra domum contraxerunt, & liuores perpererunt, & inuidias, & odium: hæc vero peccata mundi soluerunt, & terruerunt dæmonas, & diabolum fugauerunt. Cum his in carcere degens custodi persuasit, cũ his Agrippã attraxit, cum his multos Paulus discipulos acquisiuit, propterea dicebat: In quo male patior vsque

2. Cor. 4. d

2. Tim. 2. b

ad vincula tanquam malefactor, sed dei verbũ non est vinculum. Sicut enim radium vincere possibile non est, nec domi cõcludere: sic neque prædicationis verbum. Et quòd multo amplius est, doctor vincus erat, & verbum volabat: ille carcerem habitabat, & doctrina alata passim currebat. Hæc igitur scientes, ne succumbamus in grauibus, tunc potentiores efficitur, tunc fortiores. Patientiam enim tribulatio operatur. Ne doleamus in calamitatibus quæ inferuntur, sed in omnibus deo gratias agamus. Secundam ieiunij septimanam expedimus, sed non hoc consideremus: nõ enim hoc est expediuisse ieiunium, si tempus præterierimus, sed si transegerimus cum profectu. Hoc supputemus, si studiosiores facti sumus, si defectum aliquem nostrorum correximus, si abluimus crimina. Consuetudinẽ omnes habent per quadragesimam interrogare, quot quisq; septimanas quadragesimæ ieiunauit: & dicentes audire licet, hos quidem quòd duas, hos vero quòd tres, illos autẽ quòd omnes ieiunauerunt septimanas. Et quòd lucrum, si profectibus carentes, ieiunium transegerimus? Si alius dicat, totam ieiunau quadragesimam: tu dic, inimicum habebam, & conciliatus sum: habebam detrahendi cõsuetudinẽ, & destitui iurandi tenebar vsu, & mos improbus mihi correctus est. Nulla mercatoribus vtilitas, si magnam maris lógitudinem percurrerint, sed si cum rerũ copia, & multo mercimonio nauigauerint, nulla ieiunij nobis vtilitas, si infructuose ipsum tempus & temere prætereamus. Si ciborum ieiunium ieiunemus, præteritis quadraginta diebus, præterit & ieiunium. Si vero peccatis abstineamus, & transacto ieiunio illud remanet, & continuum erit: hinc nobis vtilitas, & ante regnum cœlorum non paruus nobis hic reddit retributiones. Sicut enim in nequicia viuens, & ante gehennam punitur, conscientia stimulat: sic meritis abundas & ante regnum magna fruetur laticia, se bona spe pascens. Idcirco & Christus inquit: Iterum videbo vos, & gaudebitis, & gaudium vestrum nemo tollet a vobis. Breue verbum, sed multam habet consolationem. Quidnã tandem est, nemo gaudium vestrum tollet? Pecunias si habeas, multi tuũ ex diuitiis gaudium auferre possunt, & fur perfodiens, & credita subripiens seruus, & rex in fiscum redigens, & inuidus homo calumnians. Si potetiam habeas, multi possunt tuum ex hoc gaudium tollere. Cum enim principatũ fuerit finitus, voluptas quoque finietur: quin & in ipso principatu multas res accidentes, difficultates habetes & curas, laticiam tuam diminuunt. Si corporis robur habeas, morbus adortus huiusmodi gaudium aufert. Si pulchritudinem habeas & speciem, senectus superueniens tabefecit, & gaudium abstulit. Si mensa frueris lauta, vespere occupate soluta est cõnuuij laticia. Rerum enim quælibet mundanarum infestari facile potest, nec stabilem nobis voluptatem affert: pietas autem & animi virtus contra. Eleemosynã si feceris, meritum auferre potest nemo: siue exercitus, siue reges, siue infiniti calumniatores & infidiatores instent vndique, in cœlis repositam possessionem auferre non possunt, sed gratia permanet continua. Dispersit dedit pauperibus, iusticia eius manet in seculũ. Nec immerito: in cœlorum enim cellariis reposita sunt, vbi Latro non perfodit, latro non tollit, tineã non consumit. Si preces fuderis continuas & intentas, earum fructum auferre poterit nemo: hic etenim fructus in cœlo radicatus est, ab omni calumnia liber, & permanens inexugnabilis. Si male passus, benefeceris: si conuictus affectus, benedixeris: hæc merita cõtinue manent, & orantur ex his

ex his laticiam auferet nemo, sed quotiescunq; ipsorum recordatus fueris, gaudes & letaris, & multam capis voluptatẽ. Sic profecto & fugere iuramentum si præualeamus, & ab hac consuetudine perniciofa linguam nostram abstinere persuadeamus, meriti quidem labor breui absoluetur, laticia vero meriti iugiter erit & indefinenter. Caterum vos & aliorum præceptores esse oportet & duces, & amicos proximi, seruos autem conserui, & iuuenes coæuos suscipere instituere & inducere debent. Nonne si quis tibi aureũ vnum pro singulis hominibus correctis promississet, omne studium adhibuisses, & assiduus adstitisses persuadens & exhortas: Nunc vero non aureum vnum, neque decem, neque viginti, vel centum milia, neque totam deus terram tibi pollicetur in horum laborum retributionem, sed quòd orbe toto maius est, hoc tibi præbet cœlorum regnum: nec hoc solum, verum & aliud præter hoc. Quale vero hoc? Educens honestum ex indigno, sicut os meum erit, inquit. Quid huic posset esse par ad honoris & vtilitatis rationem? Quæ vero nobis excusatio & venia post tantam promissionem, proximorum salutem negligentibus esse valeat? Tu vero si cæcum quidem in voraginẽ decidetẽ videris, manum porrigis, & indignum esse putas, pereuntem despiceret: vides autẽ quotidie omnes præcipitari fratres in improbam iuramentorum consuetudinẽ, nec verbum audes proferre: Sed dixisti semel, & non audiuit: dic igitur bis & ter, & toties, donec persuaseris. Nobis quotidie loquitur deus, & nõ audimus, nec alloqui desistit. Hanc tu quoque curam imitare circa proximum. Propterea coniuncti inter nos sumus, & vrbes habitamus, & in ecclesiis congregamur, vt alter alterius peccata corrigamus. Et sicut multi eandem officinam habitantes homines differetẽ quidem negociantur, omnia vero in cõmune reponunt: sic profecto & nos agamus, quæcunq; bona quisque conferre potest proximo, ne pigeat eum, neq; differat: sed fiat negociatio quædã, & talis collatio spiritualis, vt in cõmune omnia deponentes, & multas adepti diuitias, & magnum cõsecuti thesaurum, communiter omnes regnum assequamur cœlorum, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, per quẽ, & cũ quo patri gloria, simul & sancto spiritui in secula seculorum, Amen.

Ad magistratus ab imperatore Theodosio ad Ellebichum exercitus ducenti missi, ad præuicatorum inquisitionem propter statuarum subuersionem. Homilia XVII.

IN tempore omnes hodie communiter concinimus, Benedictus dominus deus Israël, qui facit mirabilia solus. Etenim miranda, & opinionem excedentia facta sunt negocia: vrbes totam & populum tantum submergi debentem, & sub vndas agi, & perdi funditus semel vno temporis momento ab omni naufragio liberari. Gratias igitur agamus, non tantum quoniam hyemem soluit, sed etiam quoniam ipsam fieri permisit: non tantum quoniã naufragio nos liberauit, sed etiam quòd in tantam nos angustiam cadere permisit, & extremum periculum nobis imminere. Sic & Paulus iussit in omnibus gratias agere. Cum vero dicat, In omnibus gratias agite: hoc dicit, Non tãtum in grauium solutione, verum & in grauium tempore. Nam diligentibus deum omnia cooperantur in bonum. Gratias ipsi agamus propter têtationem absolutionem, & horum nunquam obliuiscamur, orationibus vacemus, supplicationibus continuis, pietati multã. Cum a principio grauius horum malorum

Tomus quintus

pyra fuit accensa, dicebant quòd non erat disciplina tempus, sed orationum: hoc profecto & nũc postquam extincta est dico, quòd nunc maxime tempus orationum magis quàm prius: nunc maxime lachrymarum tempus & compunctionis, & animæ anxiatæ, & multo studij & cautela. Tunc nempe ipsa tribulationum natura vel inuitos nos corripiebat, & modestos faciebat, & ad maiorem agebat reuerentiam: nunc autem ablato fræno, & nube præterita, timendũ ne ad torporem declinemus, ne segniores reddamur rursus ex remissione, ne de nobis quoque quisquam dicat: Cum occideret eos, tunc quærebant eum, reuertebantur, & diluculo veniebat ad eum. Propterea & Moses Iudæos admonebat, dicẽs: Post quã comederis & biberis, & fueris repletus, recordare domini dei tui. Nunc vestra gratitudo videbitur, si in eadem manseritis pietate: tunc quippe multi timori, & malorum illationi studium vestrum attribuebant: nunc vero purum erit meritum vestrum, si in eodem studio permaneat. Quoniã & puerulus si donec ab aliquo agatur pædagogo terribili, cũ modestia viuunt & mansuetudine, nihil est mirandum, sed pædagogi timori pueri modestiam attribuunt omnes: cum vero deposita necessitate ille in eadem manserit honestate, tunc & quã habuit in priore ætate modestiam, ipsi omnes adscribunt. Hoc & nos vtique faciamus, in eadem manentes reuerentia, vt & prioris studij laudem multã a deo capiamus. Innumera expectauimus mala, omnium substantias direptũ iri, habitacula cum habitantibus comburẽda, ciuitatem medio tollendam ex orbe, & ipsius reliquias omnes perituras, aratrum ipsius terram suscepturã. Sed ecce hæc omnia intra expectationem tantũ steterunt, & in opus non processerunt. Nec hoc solum est mirandum, quòd tantum periculi deus abstulit, sed etiam quoniam magnis nos affecit beneficiis, & ciuitatem nostram ornauit, nõsque per hanc têtationem & calamitatem probatores effecit. Nam quando a rege missi ad commissorum inquisitionem tremendum illud constituere iudicium, omnesq; ad malefactorum pœnas vocabant, & variã mortis omnibus erat expectatio, tunc vertices montium habitantes monachi, propriã exhibuere sapientiam. Nanque tot annis in cauernis suis cõclusi, nemine aduocante, suadente nemine, postquam nubem tãtam ciuitatem circumstantem viderunt, tabernacula speluncaq; suas derelinqentes, vndique cõfluxerunt, velut angeli quidam de cœlo profecti. Et erat cernere tunc ciuitatẽ vni similem homini. Vbiq; tunc vidisses sanctos illos, manifestos vel ex aspectu solo, dolore pressos cõsolantes, & ad omnem calamitatis contemptũ inducentes. Quis enim illos conspiciat, mortem non derisisset: non despexisset vitam? Nec hoc solum erat mirabile, sed quòd principibus ipsis accedentes cum fiducia loquebantur pro reis, & omnes sanguinem effundere parati erant, & capita deponere, vt captos ab expectatis tribulationibus eriperent: Et dixerunt se non prius recessuros, quàm iudices parcerent ciuitatis populo, vel se cõmuniter cum reis ad regem legatos mitterent. Religiosus est, inquit, qui nostrã genti dominatur, fidelis cum pietate viuens. Nos igitur ipsum omnino reconciliabimus, nõ permittemus vobis, neq; concedemus ensem polluere, nec vilius abscindere caput. Si vero hoc nõ fertis, & nos cum ipsis omnino moriemur. Grauia quidẽ patrata & nos confitemur, sed regis humanitatẽ non excedit gestorũ iniquitas. Dicitur quidam ipso aliud verbum sapientię plenum dixisse, quòd statuarũ quidem deiecit rursus

Psal. 77. b

Deuter. 6. c

e ij erectæ

erecta fuerunt, & propriam receperunt formam, & factum correctione habuit celerrimam. Si vos autem dei imaginem occideritis, quo modo rursum poteritis commissum reuocare: quo modo perditos resuscitare, & animas corporibus reddere? Multa & de iudicio ipsis disseruere. Quis non consterneretur: quis non virorum sapientiam admiraretur? Quoniam quaedam reorum mater nudato capite, & canis ostensis, iudicanti equum freno apprehendit, & per forum pratercurrentem, sic ad iudicium simul ingressa est: omnes obstupescere sumus, omnes admirati pietatem & magnanimitate. Quo modo non magis ad hos obstupescere oportet? Illa enim etiam si mortua esset pro filio, nihil mirandum: magna enim naturae vis, & inexpugnabilis viscerum necessitas. Hi vero non genuerunt, nec educarunt: imò vero quos non nouerunt, quorum nomen non audierunt, quibus cum nunquam conuersati sunt, quos ex sola nouerunt calamitate, in tantum amauerunt, ut etiam si infinitas habuissent animas, omnes pro illorum salute tradere vellent. Neque mihi dicas hoc quod non iugulati sunt, nec sanguinem effuderunt: sed quod tanta contra iudices usi sunt libertate, quanta solos de salute sua desperatos ad tribunal currerunt. Nec enim nisi prius se neci praepraeassent cullibet, tam libere potuissent iudices alloqui, & tantam tunc exhibere magnanimitate: etenim ante praetorij ianuas totos dies agebant sedentes, abducendos de carnificum manibus eripere parati. Vbi nunc sunt pallia gestantes, & profundam ostentantes barbam, & bacula dextra ferentes, externorum philosophi, cynica piacula, submentibus canibus miseros, ventrisque causa cuncta facientes: Omnes tunc ciuitatem deseruerunt, resilierunt omnes, in caernas conditi sunt: soli vero qui per opera vere philosophiam exhibent, ac si nullum ciuitatem malum comprehendisset, sic intrepide in foro apparuerunt. Et urbem quidem habitantes, ad montes & deserta auolauerunt: eremi vero incolae in urbem ingressi sunt, per ipsa demonstrantes opera sua, quod superioribus diebus non destiti dicens, quod cum virtute uiuentem neque fornax quicquam laedere poterit, tanto est animae sapientia omnibus sublimior, & suauibus & tristibus cunctis: nec enim in illis mollescit, nec ab his contrahitur & humiliatur, sed per omnia manet aequalis, propriam fortitudinem & vim exhibens. Quem enim non redarguisset praesentis temporis difficultas? Proceres nostrae reipublicae in potentatibus existentes, diuitias ineffabiles sortiti, qui multam apud regem licentiam habebant, domos deserentes orbas, omnes de propria salute consultabant. Et amicitia omnis, & cognatio tunc redarguebatur, & quos olim nouerant, in tempore calamitatis hos ignorare, & ab illis ignorari optabant. Monachi vero homines pauperes, pallio plus nihil habentes vili, uiuentes in rusticitate, nulli esse apparentes, in montibus & saltibus versantes, velut quidam leones magno & alto sensu praediti, omnibus pauefactis & trepidantibus in medio consistentes, malum dissoluere non multis diebus, sed breui temporis momento. Et sicut generosi athletae non tantum aduersarios complexi, sed etiam visi tantum in oppositione, & vociferati aduersarios conuertunt: sic & hi die una & descenderunt, & disseruerunt, & soluerunt calamitatem, & ad propria reuersi sunt tabernacula. Tanti est philosophia a Christo introducta. Et quid dico de diuitibus, & in potestatibus constitutis, cum & iudicandi potestatem assecuti, summa administrantes imperia ab his ipsis rogati monachis, ut cum venia sententiam fer-

rent, euentus se dominos esse negauerint? haud tutum enim, sed periculosum esse, non tantum iniuriam inferre regi, sed etiam eos qui contumeliae rei conuicti sunt in punitos dimittere. Sed hi omnibus fuere potentiores, & animi magnanimitate & tolerantia assidentes supplicauerunt, ut quam a rege non acceperant potestatem, hanc exhiberent: & manifestatis his qui rei essent, iudicantibus persuadere potuerunt, ne damnationis sententiam efferrent, sed ad regis sententiam eos reuicerent, & promiserunt se illi persuasuros, & effecturos ut omnino veniam daret his qui in se peccauerant, & peregrinatione aggressi sunt: sed iudices ipsorum sapientiam reueriti, & sensus altitudine percussi, hanc eos longam obire viam non permiserunt, sed si duntaxat ipsorum voces haberet in scriptis cum literis discessuros, & regem exoratos ut omnem iram dimitteret, sponderunt. Quod & fore expectamus: etenim cum sententia diceretur, ingressi multae sapientiae verba dixere, & per literas regi supplicauerunt, & iudicij fecere mentionem, & se sua deposituros esse capita dixerunt, ne hoc fieret, & has capientes in literis voces iudices abierunt, quod omni corona splendidius vestram ciuitatem exornabit. Et quae sunt hic nunc gesta audiet quidem magna ciuitas, audiet autem omnis orbis quod tales Antiochenorum urbem habitant monachi, ut apostolicam exhibeant potestatem. Et literis nunc lectis, in castris omnes ipsorum magnanimitatem admirabuntur, omnes ciuitatem nostram beatam vocabunt, & malam repellent famam, & sciet omnes quod gesta non ciuitatem inhabitantium fuere, sed hominum externorum & perditorum, & idonea ciuitatis morum demonstratio, monachorum erit testimonium. Ne igitur tristemur dilecti, sed cum bona expectemus spe. Si enim apud homines libertas tantum molestiae prohibere potuit, ipsa apud deum fiducia quid non operabitur? Haec etiam gentilibus dicamus, cum de philosophis nobiscum disputare audet. Ex his manifestum quod & priora fuerunt falsa apud illos. Ex his manifestum, quod & apud nos vera fuere priora de Ioanne, Petro & Paulo, & omnibus aliis. Quoniam enim in illorum pietatem successerunt, propterea & eorum fiduciam exhibuerunt: quoniam iisdem legibus educati sunt: propterea & ipsorum virtutem imitati sunt. Itaque non est opus nobis literis ad apostolicam virtutem demonstrandam, rebus ipsis clamantibus, & discipulis magistris representantibus. Non nobis sermonibus opus est ad gentiliu nugas manifestandas, & apud ipsos philosophatum pusillanimitate, rebus ipsis clamantibus, tam praesentibus, quam praeteritis, quod omnia apud ipsos fabulae, & scenae, & hypocrisis. Nec monachi tantum, verum & sacerdotes eadem praestiterunt animi magnitudinem, nostramque dispensauerunt salutem. Et alius quidem in castra se contulit, omnia dilectioni vestrae postponens, & paratus, nisi regi persuaderet, mori. Alij vero hic remanentes, & eade cum monachis exhibentes, propriis manibus iudices continent, non permittentes abire, priusquam de iudicij fine promitterent: & cum reuertes quidem videbant, multa fiducia & ipsi vicissim utebantur. Ut autem auerentes viderunt, pedes & genua complexi, & manus exosculati, utranque virtutem superabundanter exhibere, libertate & mansuetudinem. Quod enim non superbia esset fiducia, exosculando genua, & pedes amplectendo, maxime demonstrauerunt. Rursum quod humilitas non esset assentatio, neque seruilis quaedam, nec ex illiberali sententia profecta, praemissa ipsorum fiducia testificata est. Neque haec sola de tentatione bona lucrati sumus, verum & multam

tam modestiam, mansuetudinem multam. Ciuitas nobis repetere monasterium facta est. Non sic illam aliquis ornasset, si aureas in foro statuas erexisset, sicut nunc clara & illustris est, quae bonas virtutis statuas protulit, & proprias exhibuit diuitias. Sed a rege profecta contristata: Sed nec illa profecto grauius, verum & ipsa multum attulerunt emolumentum. Quid enim molesti, dic mihi, factum est, quod orchestra obstruxit, quod circum inaccessibilem fecit, quod nequiciae fontes exclusit, & subuertit: Vtinam nec daretur vnquam hos aperiri. Hinc nequiciae radices in ciuitate germinauerunt, hinc sunt qui moribus ipsis crimen asserunt, suas voces saltatibus vendentes, & tribus obolis suam illis salutem prodentes, confundentes omnia. Propterea tristis charissime? Imò propterea & gaudere & latari oportet, & gratias regi agere: quoniam ipsius ultio correctio fuit, & poena eruditio, & ira doctrina. An quia balnea nobis occlusa sunt? Sed hoc non intolerabile, vel inuitos, lubricam & mollem & dissolutam degentes vitam ad philosophiam reducere potest. An quod ciuitatis abstulit dignitatem, nec amplius ipsam Metropolitim appellari permittit? sed quid facere oportebat? Laudare commissa, & gratias agere: Et quia ipsum non accusasset, quod non vel speciem indignantis praese tulisset? Non cernis patres multa huiusmodi in filios suos facere? Auerantur, & mensa prohibent. Hoc quoque rex fecit, tales imponens ultiones, nullum quidem habentes damnum, multam vero correctionem afferentes. Cogita quae expectauimus, & quae facta sunt, & tunc maxime sciemus dei gratiam. Doles, quod ciuitatis dignitas ablata est? Disce quid tandem sit ciuitatis dignitas, & tunc manifeste scies, quod si habitores ipsam non prodiderint, auferre poterit alius nemo ciuitatis dignitatem. Non quod Metropolis sit, neque quod habeat aedificiorum magnitudinem & ornatum, neque quod multas habeat columnas, & porticus, & deambulationes, neque quod ante alias ciuitates praedicetur: sed inhabitantium virtus & pietas, haec est dignitas, & ornatus, & tutela ciuitatis, ita ut si hoc desit, omnium sit vilissima, licet infinitum ab imperatore consequatur honorem. Vis ciuitatis tuae dignitatem discere? Vis gentilia ipsius ornamenta nosse: dicam sedulo, non ut discas tantum, verum ut & imiteris. Quae tandem est ciuitatis nostrae dignitas? Contigit primum Antiochiae discipulos appellari Christianos. hoc autem ciuitatum quae sunt in mundo cunctarum habet nulla, nec ipsa Romuli ciuitas: propterea contra omnem terrarum orbem occlusos erigere potest: quoniam erga Christum amoris ignem habet propter fiduciam, propter virtutem illam. Vis & aliam ciuitatis audire dignitatem & laudem? Fames olim difficillima futura erat, & Antiochiam habitantes statuerunt, prout quisque abundabat, ad sanctos Hierosolymam habitantes aliquid mittere. Ecce & secundam dignitatem, in fame charitatem. Non contraxit ipsos tempus, nec seigniores reddidit calamitatis expectatio: sed quando alij aliena colligunt, tunc illi sua emittebant, nec praesentibus tantum, verum & longe sedentibus. Vidisti fidem in deum, & charitatem in proximum? Vis & aliam ciuitatis huius discere dignitatem? Descenderunt quidam ex Iudaea Antiochiam, perturbantes praedicationem, & Iudaicas inducentes obseruationes. Non tacite tulerunt illi inuouationem, nec acquieuerunt, sed conuenientes, & ecclesiam facientes, Hierosolymam Paulum miserunt & Barnabam, & effecerunt, ut apostolice dogmata a Iudaica infirmitate pura ubique terrarum mitterent. Haec ciuitatis dignitas, hoc ipsam facit Metro-

A polim, non in terra, sed in caelo. Itaque omnes alij honores corruptibiles sunt & caduci, & cum praesenti vita soluuntur: frequenter autem & ante praesentem vitam finem capiunt: sicut & nunc utique ceperunt. Mihi ciuitas non habens pios ciues omni villa vilior est, & quacunque spelunca ignobilior. Et quid dico de ciuitate? Ut enim diligenter discas, quod virtus sola inhabitantes ornat, nihil tibi de ciuitate dico, sed quod est omni ciuitate venerabilius, Hierosolymitanum dei templum in medium afferens, hoc demonstrare conabor. Hoc enim templum, in quo sacrificia, & orationes & cultus, vbi sancta sanctorum, & Cherubin, & testamentum, & phiala aurea, magna indicia diuinae circa genus illud prouidentiae. Vbi oracula supernae continua ferebantur, vbi prophetae diuini fiebant: vbi non humanae artis apparatus, sed diuinae sapientiae expressio erat: vbi multo parietes undique fulgebant auro, & supra omnem modum, tum materiae preciosissima species, tum artis diligentia coniuncta singulare super terram templum huiusmodi tunc fuisse demonstrauerunt: imò vero non artis tantum diligentia, verum & dei sapientia simul illud ornauit aedificium. Non enim ex proprio, nec à semetipso, sed à deo cuncta Salomon discens, & descriptione caelitus capiens, sic ipsum designauit, & erexit. Veritamen templum tam pulchrum, & mirabile, & sanctum, videntibus ipso perditis tantae ignominiae habitum est, sicque contemptum & profanum redditum, ut ante captiuitatem quidem spelunca vocaretur latronum, & spelaeum hyenae, post haec vero barbaricis, & immundis, & profanis manibus traditum sit. Vis & de ciuitate hoc idem discere? Quid Sodomis & coniunctis ciuitatibus fuit preclarior? Etenim domus & aedificia splendida, & parietes pulcherrimi apud ipsos erant, & regio pinguis, & fertilis, & paradiso dei assimilata: Cella vero Abraham vilis & parua, & nullum habes munimen. Sed exorto quandoque bello barbarico, urbes quidem munitas suffoderunt, & ceperunt barbari, & incolas captiuos facientes abierunt: solitudinis autem ciuem Abraham ingruentem non pertulerunt. Nec immerito: multitudinis enim & murorum munimine multo maiorem vim habebat, pietate scilicet. Si Christianus es, ciuitatem non habes super terram. Ciuitatis nostrae opifex & architectus est deus: licet omnem capiamus orbem, hospites & peregrini totius sumus. In caelum ascripti sumus: illic conuersemur, non more puerorum paruorum pueros magnos suspicietium, parua admiremur. Non ciuitatis magnitudo, sed animi virtus ornamentum est & munimentum. Si vero ciuitatis quoque dignitatem esse putaueris magnitudinem, cogita quot lenones, quot molles & perditos, & innumeri pleni malis dignitati huic communcant, & tandem hunc contemne honorem. Sed non ille talis est: non enim ipsius partem capere licet illis, qui non omnem exhibeant virtutem. Ne igitur stulti fiamus, sed tunc doleamus, cum quis animae nostrae dignitatem abstulerit, cum peccatum fuerimus operati, cum communem omnium dominum offenderimus, si quidem quae nunc patrata sunt, non tantum nihil ledunt ciuitatem, sed si sobrii simus, & maxime adiuuabunt. Etenim nunc ciuitas nostra mulieri formosae, & liberae, & modestae similis esse videtur. Timor ipsam facit mansuetiore & honestiorem, & a sceleratis illis, qui haec nefanda sunt ausi facinora, liberant. Ne igitur muliebri ploremus luctu: etenim multos per forum dicentes audiui: Vae tibi Antiochia, quid tibi factum est? quo modo es honore priuata? Et cum audissem, puerile talia dicentium mentem derisi.

4. Reg. 6. d

Matt. 21. b

Luc. 19. g

Act. 11. d

Act. 15. a

Non enim hæc nunc oportet dicere: sed cum saltantes videris, potantes, blasphemantes, iurantes, peierantes, mentientes, tunc his vere verbis: Væ tibi ciuitas, quid tibi factum est? Si vero forum videris paucos habens viros, mansuetos & modestos, & moderatos, ciuitatem illam voca beatam. Nihil enim ipsam paucitas ledere poterit, cum non desit virtus: sicut econtra, nihil vnquam proderit multitudo, cum adsit malicia. Si fuerit numerus filiorum Israël, inquit, velut arena maris, reliquæ saluabuntur. Nihil me multitudo poterit exorare inquit. Sic & Christus fecit, vocauit ciuitates miseras, non propter paucitatem, neque quoniam non essent Metropoles. Et Hierusalem rursum propter hoc ipsum miseram dixit, sic inquit: Hierusalem Hierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt. Quam mihi cõfert vtilitatem multitudo, dic mihi, si viciose viuat: quin è contrario & damnũ ex hoc nascitur. Quid enim aliud nunc illata mala fecit: nonne torpor & contemptus, & inhabitantium improbitas? nunquid dignitas ciuitati profuit: nunquid ædificij magnitudo: nunquid quia Metropolis? Si vero apud regem terræ nihil ipsi preuaricata hoc profuit, sed illa cuncta sublata sunt: multo magis apud angelorum dominũ nihil ipsi proderit dignitas ista: nihil enim nos illo die poterit adiuuare, quod Metropolim habitemus, porticus latas habentẽ, & alias huiusmodi dignitates. Et quid dico illum diẽ? Quid vel ad præsentem vitam prodesse poterit ciuitatẽ esse tibi Metropolim? Nunquid ex hoc domum quisquam male dispositam correxit, vel ex hac vllũ dignitate prouetum habuit, vel tristitiã repulit, vel corporis egritudinẽ, vel animi viciũ deposuit? Ne ludamus dilecti, nec ad multorum opinionis respiciamus, sed discamus quæ tandem sit ciuitatis dignitas, quid quod ciuitatem reddat Metropolim. Nec hæc dico quod desperem ciuitatem hanc formam priorẽ resumpturam, & in propria futuram præsentia. Humanus enim & pius rex. Volo vos autem, etiam si reddita fuerit, non altum ob hoc sapere, neque gloriari, nec ex his ciuitatem vestrã venerabilem habere. Cum vis ciuitatis laudẽ dicere, ne mihi Daphnẽ suburbanam dicas, nec altitudinẽ cupressorum, & multitudinem, nec aquarum fontes, nec multos homines ciuitatem habitare, nec vsque ad profundissimum vesperum cum multa libertate in foro versari, nec venalium copiam habere, sensibilia hæc omnia cum sint, & vsque ad præsentem permaneant vitã: sed si dicere possis virtutem, mansuetudinem, elemosynam, nocturnas orationes, modestiam, animi sapientiam, ex istis ciuitatem commenda. Hæc si & erentum habitãtibus adsint, omni ciuitate splendidiorẽ ipsam faciunt: & contra ciuitatem omnium vilissimam, si hæc illius non adsint ciuibus. Hoc non in ciuitate tantũ, verum & in hominibus faciamus. Si hominem videris corpulentum, in habitu dinem multã progressum, sublimẽ, & alios superascentem corporis proceritate, ne admireris, donec animum didiceris. Ne ab exteriori pulchritudine sed à mētis ornatu homines beatos censeamus. Paruus erat Dauid, & breuis statura: veruntamen breuis ille & paruus, & armis nudus omnibus, exercitum tantum & carneam turrim illam solo prostrauit ictu, non hastam iaculatus, neque sagittam mittens, nec ensẽ stringens, sed omnia modico lapide consummãt. Propterea & quidam admonet, dicens: Ne laudaueris hominem in specie eius, nec abomineris virum in aspectu eius. Parua inter volatilia apes, & dulcedinis principatũ tenet ipsius fructus. Hoc & de ciuitate & hominibus dicamus, & inter nos

Roma. 9. f

Marc. 23. d

1. Reg. 17.

Ecc. 11. d

philosophemur, & deo gratias habeamus cõtinuẽ, & de præsentibus, & de præteritis, & cõmuniter ipsum rogemus cum omni intentione, vt & carcerem habitantes, & in exilium transportati, illi quidem dimittatur, hi vero reuertantur. Membra nostra sunt & illi nobiscum fluctuati sunt, nobiscum procellam sustinuerunt. Rogemus igitur benignitatem diuinam, vt nobiscum tranquillitatem assequantur. Nemo dicat: Quæ vero mihi cura est amplius? Liberatus sum ipse periculo, pereat ille, corrumpatur alter. Ne deum exacerbemus per hanc aspersionem: sed tanquã ipsi simus in aduersis sic doleamus, sic deum cum sedulitate precemur, illud Pauli dictum implẽtes: Cum vincitis tanquam simul vinciti, cum male habentibus tanquam & ipsi simus in corpore, & flentes cum flentibus, humilibus consentientes. Hoc & nobis ipsi maxime proderit. Nihil enim sic deum delectare consuevit, sicut cum multa promptitudine promembris nostris dolemus. Oremus igitur ipsum cõmuniter & pro præsentibus, & pro futuris, vt & ab illa nos pœna liberet. Præsentia enim qualiacunquẽ sint, tolerabilia sunt, & finem habent: illa vero tormenta immortalia & ineuitabilia. Præter consolationẽ vero studeamus & ipsi non amplius talibus labi peccatis, scientes quod amplius neque veniam assequi poterimus. Cõmuniter igitur ante deum procidamus omnes, & dum hic sumus, & domum profecti dicamus: Iustus es domine in omnibus quæ fecisti nobis: quoniam in vero iudicio fecisti. Si peccata nostra obstiterint nobis, fac propter nomen tuum, & ne cõcedas amplius talium nos molestiarum experientiam capere, nec inducas nos in tentationem, sed libera nos à malo: quoniam tuum est regnũ & potentia, & gloria in secula seculorum, Amen.

In Prædictam seditionis materiam, & de ieiunio. Et in Apostolicum dictum: Gaudete in domino semper.

Homilia XVIII.

MULTOS vidi gaudentes, & inter se dicentes: Vicimus, superauimus, ieiunij dimidiũ profligatum est. Tales autem hortor nõ propterea gaudere, quia profligatum sit ieiunij dimidiũ, sed illud considerare, si peccatorum sit profligatum dimidiũ, & tũc exultare: hoc enim voluptate dignum, hoc est id quod queritur, & propter quod facta sunt omnia, vt defectus nostros corrigamus, ne tales exeamus de ieiunio, quales ieiuniũ ingressi sumus, sed ablati, & omni mala consuetudine deposita, sic sacram agamus solennitatem. Si hoc desit, non tantum nulla nobis erit vtilitas, verum & maximum ex cõsummato ieiunio damnium. Ne igitur lætemur, quod ieiunij prolixitatem expediuimus. nihil enim magnum hoc est: sed lætemur, quãdo cum profectibus ipsi sunt exegerimus, vt etiam ipso tractato, fructus ipsius effulgeat: etenim hyemis lucrum tunc maxime demonstratur, cum illa præterierit. Nanque vernãtes segetes, & folijs ac fructibus affluentes arbores per ipsum aspectum clamant vtilitatẽ sibi ex hyeme factã. Hoc & in nobis pariter fiat: etenim pluuuis cõtinuis & crebris in hyemẽ per ieiunij tempus potiti sumus, continuam haurientes doctrinam, & semina suscepimus spiritalia, & deliciarum spinas abscidimus. Perseueremus igitur quæ suscepimus cõ diligenter seruantes, vt & ieiunio præterito ieiunij scaturiat fructus: & per bona quæ de ieiunio cepimus, etiam ipsius ieiunij recordemur. Si nos igitur sic comparemus, adueniens ieiuniũ cum voluptate suscipiemus denuo. Multos etenim video se ita pusillanimiter habentes, vt in præsentia

præsentis de futura solliciti sint quadragesima, multosque dicentes audiuimus, quod post ieiunij liberationem nõ sentiant voluptatem ex remissione propter futuri anni sollicitudinem. Quid his quæso magis esse posset pusillanimitas? Quæ vero est huius causa? quod adueniente ieiunio non quo modo bene disponatur anima studemus, sed in sola ciborum abstinentia ipsum definimus. Itaque si multum in morũ correctione ab ipso lucraremur, etiã quotidie ieiunium adesse oraremur, per ipsa opera eius meritorum sensum capientes, nec vnquã ipsius desiderium euiceremus, nec ipsum expectantes tristes fieremus & anxii. Mente quippe bene dispositũ, & animã suã curam habentẽ nulla res contristare poterit, sed pura continuãque fruatur voluptate. Quod hoc sit verum, hodie Paulum audistis nos admonentem & dicentem: Gaudete in domino semper, iterum dico gaudete. Scimus multis videri, non posse fieri quod dictũ est. Quo modo nanque fieri potest, inquit, vt qui homo est, semp gaudeat? Gaudere nanque non difficile, continue vero gaudere, & impossibile mihi esse videtur. Forte quis dicet, multa nos tristitiã necessariõ circuncursant. Vel enim filium quis amisit, vel vxorem, vel amicum sincerũ omni consanguineo vel necessario, vel pecuniarum passus est multã, vel in egritudinẽ incidit, vel aliarum rerum sustinuit iacturam, vel præter dignitatem cõtumeliam passus idoluit: vel fames, vel pestis, vel exactio ferri nõ potest, vel familiaria negocia: quinimo nunquam omnia recensere possemus, quæcunquẽ & priuatim, & publice nos mœrore afficere consueuerunt. Quo modo igitur, inquit, possibile semper gaudere? Possibile admodũ õ homo: & si possibile non esset, non admonuisset Paulus, nec consuluisset, cum homo spiritali esset præditus sapientia. Et propterea continue vobis dicebã, & dicere non desinam: quoniam quæ nullatenus ab alio quoquã discere datur, hæc nobis licet hic meditari. Voluptatem enim querunt, & gaudere cupiunt omnes, & propter hoc omnia faciunt & dicunt, & negociantur. Etenim mercator propter hoc nauigat, vt pecunias congreget: cõgregat autẽ pecunias, vt habens repositas gaudeat: & exercitus ductitã propterea tractat arma, & agricola propterea terram colit, & artem quisque suam propterea tractat: & dominationis cupidi ideo cupiunt, vt gloria fruantur: gloria vero frui volunt, vt gaudeant. Et negociũ quodque ad hunc finem nobis tendere videtur. Et ad hoc quisque respiciens per multa media ad ipsum ire festinat. Laticiam quippe, quod dixi, amant omnes, assequi vero non omnes possunt. Nesciunt enim viam eõ tendentem. Sed multi putant quod diuitiis affluere huius sit causa. Si hæc autem causa fuisset, nemo pecunias possidentium vnquam fuisset dolore pressus: nunquã vero diuitum multi vitam non vitalem esse putant, & innumeras mortes exoptant, cum aliquam aduersitatem senserint, & hi maxime sunt vehementer dolentes. Ne mihi quippe mensas ipsorum respexeris, nec assentatores & parasitos, sed res ex ipsis orientes, infestationes & calumnias, pericula, anxietates, & quod his molestiũ est, quod impremeditati ad has deuoluti mutationes, philosophari nesciunt, & casus generose ferre. Propterea nec huiusmodi videntur ipsis grauiã, qualia per naturam sunt, verum & leuia iam intolerabilia esse videntur. Sicut vicissim in pauperibus contrarium fit, & illa tolerari posse videntur, quæ intolerabilia sunt: quippe qui multa talia prius meditati fuerint. Non enim tam rerũ natura, quam patientiũ dispositio magna vel parua videri facit incumbentiã nobis mala. Et ne horum exem-

Tomus quintus

plum amborum longius accersam, de his quæ vobis acciderunt, differam: Ecce enim pauperes quidem omnes euaserunt, & populus periculo liberatus est, & pura positur securitate. Qui autem rempub. tractabãt, & equos domi alebant, & brauiã in certaminibus proponebant, & alia administrabant: ipsi carcerem nunc habitant, & de extremis timet, & ab omnibus patrum soli dant pœnas, & in continuo metu viuunt, & omnibus nunc miseres sunt, non propter periculorum magnitudinem, sed quia præteritũ tempus in deliciis egerãt. Multum nanque cum eos hortaremur & suaderemus vt generosse grauiã ferrent, dicebant: nil vnquam tale meditati sumus, nec talia philosophari nouimus, propterea magne indigemus consolationis. Alij rursum putant, quod bona valetudo sit voluptatis causa. Non est autem: multum nanque bene valentes, & ipsi milies mori optauerunt, illatas sibi non ferentes iniurias. Alij rursum gloria potiri, & imperio insignitũ esse, & magistratus administrare, & à multis adulationibus demulceri, continue laticiam causam esse dicunt: sed nec istud est. Et quid dico alios magistratus? Etsi enim ad ipsum mente regnũ ascendamus, in illo quoque viuunt multis circumuentum molestis inueniemus: & tanto plures tristitiã necessitates habentem, quãto maiori quoque rerum fastu circũdatus est. Et quid opus est bella pugnãque cõmemorare, & barbarorum insultus? Ipsos saepe timent, qui secũ domi conuerfantur. Etenim regum multi hostiles elapsi manus, corporis sui custodum insidias non effugerunt. Tot vero regibus tristitiã necessitates sunt, quot mari vnda. Cum igitur nec regnũ vitam sine tristitiã reddere possit, quid aliud hoc præstare poterit? Humanorũ quidem nihil, sed solum Pauli verbũ, breue quidẽ id, sed altum nobis hunc aperiet thesaurũ. Non enim multis opus est sermionibus, nec longo circũtũ: sed si solum dictum cõgitemus, viam ad hoc ferentem inueniemus, nec enim simpliciter dixit: Gaudete semper, sed addidit continue voluptatis causam, cũ dixerit: Gaudete in domino semper. In domino gaudens ex accidente nullo voluptate hac excidere potest. Alia nempe cuncta, in quibus gaudemus mutabilia sunt, & transitũ facilia, & facile vertuntur, nec hoc solum habent molestũ, sed etiam quod manentia non tantam nobis afferunt voluptatẽ, vt ex aliis nascentem tristitiã repellat & obumbrat. Dei vero timor hæc habet vtraque, stabilis est immotusque, & tantam emittit laticiam, vt nullus nos aliorum sensus in se capiat. Deum enim, sicut oportet, timens, & in ipso cõfidens, voluptatis radicem lucratus est, & omnem habet laticiam fontẽ. Et sicut in mare decidens immensum scintilla breuis facile deletur: sic quantacunquẽ deum timet illidantur, velut in vastũ laticiam pelagus incidentia extinguuntur. atque perduntur. Et reuera hoc est maxime mirabile, quod cum adsint quæ cõtristare solent, permanet ipse gaudens. Si nihil enim adesset tristitiã, non esset ipsi magnam semper posse gaudere. Multis autem incumbentibus, quæ in tristitiã impellant, omnibus esse superiorẽ, & in mediis tristibus lætari, hoc est admirabile. Et sicut tres pueros nõ ausisse miraretur nemo, si procul à Babylonica stetissent fornace: quod enim omnes cõsternauit, hoc est, quod in igne tantum temporis versati, his qui non versati fuerant, egressi sunt minus læsi: sic & in sanctis dicere licet, quod si nulla ipsis instisset tentatio, ipsos continue gaudere non admiraremur. Cõsternatione vero dignum, & supra naturam humanã hoc est, quod infinitis vndiq; vndis circumdati, tranquillitate pura fructibus melius affecti suat. Quod igitur

e iij tur nullam

tur nullam exteriorem vitam gaudium continuum habentem inuenire licet, ex dictis patet. Quod autē fidelis non potest non continua frui voluptate: rursus & hoc ipsum demonstrare conabor, non ut discatis tantum, sed etiam ut hanc tristitia carentem vitam sectemini. Sit enim aliquis nihil in se damnandum habens, sed bona fretus cōscientia, & ad futura anhelans, & expectans illam beatam spem: quid hunc quāso in tristitiam poterit inducere? Nam omnibus rebus intolerabilior poterit esse videtur, sed huius expectatio non tantum ipsum non cōtristat, verum & potius delectat: nouit enim quod mortis praesentia, laborum est liberatio, & cursus ad coronas, & brauia pro pietate & virtute pugnantibus reposita. Sed filiorū acerba mors. Verum & hoc generose fert, & dicit Iob verba: Dominus dedit, dominus abstulit, sicut domino visum est, ita & factū est: sit nomen domini benedictū in secula. Si vero filiorū mors & iactura cōtristare nō potest, multo minus pecuniarum iactura, & accusationes & calūniā tam magnā & generosum animum tangere possent. neque corporis dolor: quoniam & apostoli flagellabantur quidem, sed non dolebant. Magna quidē sunt & haec, sed multo maius est, quod non tantum non dolebant, verum & ipsa flagella maioris materiam faciebant voluptatis, & reuertebantur a facie consilij gaudentes, quod digni fuerant habitū pro nomine Christi contumeliā pati. Contumelia & conuicio quis talem affecit, sed a Christo gaudere institutus est in cōtumeliis. Gaudete enim, inquit, & exultate de omni malo verbo quod dixerint contra vos homines, mentientes propter me: quoniam merces vestra multa est in caelis. Sed in morbum incidit: Verum audiuit alium admonentem & dicentem: In morbo & paupertate in ipso cōfidat. Quoniam sicut in igne probatur aurum, sic homines acceptabiles in fornace humiliationis. Cum igitur neque mors, neque pecuniarum iactura, neque corporis aegritudo, neque ignominia, neque conuicium, neque quippiam aliud huiusmodi ipsum cōtristare possit, verum & magis delectet: quam vnquam tristitiae materiam habebit? Quid igitur, inquit, sancti nō dolebant: non audis Paulum dicentem: Tristitia mihi magna est, & indefinens dolor cordi meo? Hoc ipsum nepe admirabile est, quod tristitia lucrum, & voluptatem ex lucro ferebat. Sicut enim flagella nō dolores, sed laticiam: sic rursus & tristitia magnas illas praebat coronas. Et hoc est admirabile, quod mundi non tristitia tantum, verum & laticiam damnū habet extremum. In spiritualibus vero contrariū totum, non laticiam tantum, verum & tristitia multum habet bonorum thesaurum. Verbi gratia: Gaudet quis in mundo saepe inimicū laborantem videns, & per hanc laticiam multam sibi attrahit poenā: dolet rursus quis alius fratrem lapsum vidēs, & per hanc tristitiam multā sibi met apud deum beneuolentiam cōparat. Cernis quo modo secundum deum tristitia, mundi laticiam melior est & vtilior? Sic & Paulus tristabatur propter peccantes, propter nō credentes deo, & ex hac tristitia multā sibi repositā habebat mercedem. Ut autē manifestius quod dico faciam, & discatis quod licet praeter opinionem sit dictum, tamen verū est, & luctus saepe nouit dolentes animas reparare, & cōscientiam grauatam releuare: multā saepius mulieres desideratissimis amissis filiis, si prohibeantur quidem lugere & conqueri, disrumpuntur & pereunt: si vero morientium omnia fecerint, releuantur & consolationem accipiunt. Et quid mirādum, si in mulieribus hoc, quippe cum & prophetam hoc patientem videre quis possit? Propterea continuē dicebat: Sinite me, amare lugeam, ne prohibete consolantes super contritione filiae generis mei. Itaque saepe tristitia affert consolationem. Si autem hoc in mundo, multo magis in rebus spiritualibus. Propterea dicit: Secundum vero deum tristitia poenitentiam in salutem stabilem operatur. Et hoc quidem obscurum esse videtur. Quod autem dicit, est huiusmodi: Si de pecuniis tristatus fueris, nihil profecisti: si in aegritudine, nihil lucratus es, verū & magis ipsam exacerbasti. Et ego quidē multos audiui post talem experientiam se accusantes, & ad seipsum dicentes: Quae utilitas quod dolui? nec pecunias recuperavi, & me ipsum laesi. Si vero peccato tristeris, hoc delecti, & maximam lucratus es voluptatem. Si de fratribus lapsis contristeris, te ipsum hortatus es & cōsolatus, & illos rursus reparasti: quod si nihil & ipsis profueris, maximā habes mercedē. Et tu discas, quod de lapsis tritari, etsi nihil proficimus, maximam nobis retributionem affert, audi Ezechielem dicentem, imō vero deum per ipsum loquentem. Postquam enim misit quosdam ad subuertendum urbem, & ferro & igni consumendum aedificia omnia cum habitatoribus ipsis, imperat cuidam sic dicens: Da signum in facie virorū gementium & dolentium. Et cum aliis imperasset, & dixisset: De sanctis meis tangite: intulit dicens: Supra quos autem est signum, ne ipsos tangite. Quae, dic mihi, causa? Quoniam etsi nihil profuerit, tamen gemunt quae geruntur, & deplorant. Et alios vero rursus accusat, dicens: Ventri & deliciis vacantes, & multa potientes libertate, videntes ludaeos in captiuitatem deduci, non doluerunt, non communem fecere tristitiam: & ipsos accusans ait: Nihil pasci sunt in contritione Ioseph. Ioseph appellans populum omnem. Et rursus: Non exiit quae habitat Enam plangere domum suā coniunctam. Quauis enim iuste puniantur, vult deus nos condolare, non autem gaudere & insultare. Si enim ait: ego puniens non laetus hoc facio, nec in infernum ultione delector: nō enim voluntate volo mortem peccatoris: oportet & te dominū imitari, & propterea lugere, quoniam peccator iustae ultionis materia praebuit & occasionem. Itaque si quis etiam secundum deum tristetur, magnam inde sumit vtilitatem. Cum igitur flagellati flagellatibus sint beatiore, & apud nos tribulati exteris positus in remissione, & dolentes gaudentibus: quae nobis amplius erit tribulationis occasio? Propterea beatum haberi conuenit neminem, nisi secundum deum viuentem solum. Hos quoque solos scriptura beatos vocat: inquit enim: Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum. Beatus, quem tu erudieris domine, & de lege tua docueris eū. Beati immaculati in via. Beati qui confidunt in eo. Beatus cui dominus deus adiutor eius. Beatus quem non condemnauit anima eius. Beatus vir, qui timet dominum. Et rursus sic Christus: Beati qui lugent, beati humiles, beati mites, beati pacifici, beati qui persecutionem patiuntur propter iusticiā. Vides quo modo nullibi diuitum quenquā, non generosum, non gloria potitum beatificat diuinae leges, sed virtutem tantū assequutū? Quod quaeritur enim, omnium quae facimus vel patimur, materia dei timore esse conuenit. Et si hanc praetermittas radicē, non remissio tantum, nec honores, neque gloria atque ministeria, verum & infestationes & calumniae, & cōtumeliae, & ignominia, & tormēta, & omnia generaliter voluptatis fructus tibi germinabunt. Et sicut arborum radices, ipsae quidem sunt amarae, iucundissimos autem nobis fructus ferunt: sic profecto & secundum deum tristitia multat nobis

nobis afferet voluptatem. Norunt quicunque saepe cum dolore orauerunt, & lachrymas effuderunt, quantam sint lucrati laticiam: quo modo conscientiam expurgauerunt, quo modo exurrexerunt cum bona spe: quod enim semper dico, non rerū natura, sed mens nostra nos cōtristare vel laticiam consumit. Si igitur hanc talē reddamus, qualē esse decet, omnis laticiae pignus habebimus. Et sicut corpus, non tantum aëris natura aut exterioris incursum, quantum propria dispositio & laedit & adiuuat: sic & in anima & multo magis. Hic etenim natura est necessitas, illic vero totum in voluntate situm est. Propterea Paulus innumera passus mala, naufragia, bella, persecutiones, insidias, latronū incursum, & quaecumque nec oratione numerare licet, & quotidianas mortes moriens, non tantum non dolebat, nec indignabatur, verum & gloriabatur, & gaudebat, dicebatque: Nunc gaudeo in passionibus meis, & suppleo defectus tribulationum Christi in carne mea. Et iterum: Nō tantum autem, verum & gloriamur in tribulationibus. Gloriatio vero voluptatis est intentio. Si laticiam itaque cupis, non pecunias, nō corporis sanitatem, non gloriam, nō potentiam, non delicias, non lautas mētas, non ferucarum vestium amictus quaeras: noli preciosos agros domosve splendidas & illustres, aut aliud huiusmodi quicquam sectari: sed philosophiam, quae est secundum deum tracta, & apprehende virtutem, & nil eorum quae sunt, aut expectantur, te poterit cōtristare. Quid dico cōtristare? additio nempe tibi fient voluptatis, quae alios cōtristat: etenim flagella, & mortes, & multae, & accusationes, & male pati, & omnia talia, quādo propter deum nobis inferantur, & hanc habeant radicem, multam nobis in animam inducunt voluptatem. Nos enim miseros facere poterit nemo, nisi nos ipsos faciamus: sicut scilicet neque beatos, nisi nos efficiamus, post dei gratiā. Ut discatis, quod hic solus est beatus, qui timet dominum: non ex praeteritis, verum ex contingentibus nobis, hoc vobis demonstrabo. Periculata nobis est ciuitas tota deleri, & diuitum quidem & illustrium & insignium virorum in medio apparere ausus est nemo, sed fugerunt omnes, & recesserunt: deum vero timentes, commorantes in monasteriis, hi multa cum fiducia accurrentes, omnia soluerunt: & tantum absuit, ut accidentia mala, & expectatae comminationes ipsos terrerent, & in anxietatem iniicerent, ut longe a calamitate sedentes, & nihil habentes commune, sponte seipsos in medium mitterent incendiū, & omnes eriperent: & quod omnibus terribile & horrendum esse videtur, mortem ipsi cum omni promptitudine expectauerunt, & cum maiori ad eam voluptate cucererunt, quam ad principatus alij & honores. Norunt enim, quod magnus hic magistratus & honor: & per ipsa demonstrarunt opera, quod solus est hic beatus, qui disciplinam apprehendit caelestem, & mutationem nullam suscipit, nec vllam sustinet aduersitatem, sed continua tranquillitate fruatur, & omnia deridet quae videntur esse tristitia. Nunc enim qui sunt in primis magistratibus, tristitia multa tenentur, carcerem habitantes, catenis obsessi, quotidie mori expectantes. Hi vero purissima fruuntur voluptate, etiam si quid graue pati accidat: & quae aliis terribilia esse videntur, haec ipsis sunt desiderabilia: norunt enim ad quid currunt, & quis finis postquam hinc discesserint, suscipiet. Et cum tanto viuentes studio, & mortem deridentes, pro aliis tamen dolent, & ex hoc vicissim magnam capiunt vtilitatem. Studeamus igitur animae nostrae curam habere, & expectatorū nihil nos poterit cōtristare, & pro car

ceratis deum oremus, ut eos ab imminente liberet calamitate. Poterat nempe totum simul soluere malū, & ne tenes quidē dimittere reliquias. Sed ne rursus ad priorem reuertamur torporem, sensim & paulatim horum torrem malorum remittere curauit, in eadem nos retinens pietate. Et quod hoc sit verum, & quod multi ad priorem rediissent torporem, si breui cuncta soluta fuissent, inde manifestum est, si quādo calamitatis reliquiae remanent, & adhuc regis est incerta sententia, & omnes ciuitatis negocia administrantes sunt in vinculis: multi ciuitatem nobiscum habitantibus lauandū cupiditate ad fluuium currunt, innumeris illic se conuiciis mordentes, luxuriantes, lasciuientes, saltantes, foeminas pertrahātes. Quae igitur illi venia digna qua excusatione: imō vero qua non sunt poena & ultione digni? Ciuitatis caput in carcere, membra nostra in exilio, incerta de his sententia: & tu, quāso, saltas, & ludis, & rides? Inquit aliquis: Non enim illuuiem ferimus. O impudentem sententiā. O mechanicam & perditam. Quot menses rogo fuerunt? Quot anni? Nondum viginti dies balneis exclusus egisti, & tanquam totum in illuuiē transigeris annum, sic moeres & indignaris? Sic quāso fuisti, cum militum incursum expectabas, cum per singulos mori dies sperabas, quando in deserta fugiebas, & ad motum currebas vertices? Si quis tibi tunc totum annum in illuuiē manere proposuisset, ut ab instāti liberareris anxietate, nōne prompte suscepisses atque tulisses? Cum igitur illi, qui absque omni damno haec soluit, deo gratias agere conueniat, lasciuus rursus & contumeliam facis, & quoniam metus transiit, ad maiorem iterum torporem rediisti? Sic te tetigerunt mala, ut appetas & balnea? Si enim balnea remittebantur, nō erat satis morientium calamitas, etiam eis qui in his non essent molestis, persuadere, ut omnium obliuiscerentur deliciarum? De anima periculum est, & tu balneorum recordaris & deliciis vis vacare? Contemnis quia nunc effugisti? Vide ne maioris poenae tibi necessitatem circumponas, & ablatas rursus minas cum maiori attrahas discrimine, & idem patiaris, quod de demonibus inquit Christus. Postquam enim egressus fuerit spiritus immundus, inquit, & postea inuenit domum vacātem, & scopis mundatam, septem alios spiritus nequiores se iterum assumens, reuertitur in animam, & sunt posteriora eius peiora prioribus. Timeamus igitur & nos, ne prioribus absoluti, per sequentem torporem prioribus peiora subeamus. Noui vos ab hac alienos stulticia. Verum & in compositis ambulantes cohibete, punite, castigatē, ut semper gaudeatis, sicut Paulus imperauit: ut & propriorum hic meritorum, & aliorū curae multam & hic & in futura vita capiamus mercedem, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, per quem, & cum quo patri, simul & sancto spiritui gloria, potestas, honor, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Ad homines agros colentes, & de vitando iuramento.
Homilia XIX.

QUAE RATIONE estis sanctis martyribus his diebus transactis, & spirituali laticia repleti exultatis, honestis exultationibus vidistis aperta latera, & ilia concisa, cruorem vndique defluentē, infinitas tormentorū species. Humanā vidistis naturā supernaturalia praestātem, & coronas sanguine decoratas, pulchrā saltastis choreā, in omnē partē ciuitatis hoc honesto duce vos circūagente, sed nos & inuitos infirmitas domi manere cogebat. Tamē etsi solenitati nō interfui mus, de

mus, de voluptate participamus: & si de concione fructum non cepimus, vobiscum tamē læticiam communem habuimus. Talis est enim charitatis vis, non fructes pariter cum fruētibus gaudere facit, cōmunia proximorum bona putare persuadens. Propterea & domi sedens, gaudebam vobiscum, & morbo nondum solutus surrexi, & cucurri ad vos, vt desiderabiles facies vestras intuerer, & præsentis festiuitatis particeps fierem. Festiuitatem enim maximam esse puto præsentem diē, propter fratrum præsentiam nostrorum, qui vrbem nobis adornauerunt, & Ecclesiam honestarunt. Populus lingua quidem nobis diuersus, fide vero consonus: populus in labore viuens, vitam habens modestam, & venerabilem. Apud hos enim viros nō iniquitatis spectacula, non equorum certamina, neque meritoria mulieres, nec reliquos vrbis tumultus, sed omne luxuriæ genus eliminatum est: multa vero vbiq; modestia floret: causa, laboriosa ipsis est vita, & virtutis scholam atque modestiæ habent: terræ culturam artem tractantes, quā ante reliquas omnes in vitam deus nostram intulit. Et enim ante peccatum Adam quando multa fruebatur libertate, agriculturam quandam obire iussus est, non laboriosam quidem, nec ærumnas habentem, sed multam sibi præbetem philosophiam: Posuit enim ipsum, ait, vt operaretur & custodiret paradysum. Horū quēq; cerneret nunc quidem boues iugantem aratorios, & aratrum trahentē, & profundum scindentem sulcum: nūc autem sacrum ascendente suggestum, & subditorū animas arantem. Nunc quidem agri spinas excidentē falce, nunc vero sermone ex animis peccata extergentem: Non enim erubescunt cultura, sicut vrbem nobiscū habitantes, sed erubescunt segnicie, quoniam didicerunt omnem illam docuisse maliciam, & ab initio se diligētibus nequiciæ fuisse magistrā. Vnde maxime nobis optimam philosophari videntur philosophiam, nō ex habitu, sed sententia virtutem suam exhibentes. Itaque externorum philosophi, scenicis & mimorum ludis vacantibus, nihilo melius se habent, pallio & barba & stola nihil amplius exhibere valentes. Hi vero contra, baculo & barba & reliquo apparatu lōgum exere iussis, animam suam verē philosophiæ præceptis exornauerunt, nec præceptis tantum, verum & operibus ipsis. Et si horū quempiam interroges in agricultura viuētium, & ligone & aratro confectorum de dogmatis, de quibus infinita quærentes externi philosophi, & sermones multos impendentes, nihil sanum dicere potuerunt, sedulo cūctā tibi cum multa respondebit sapientia. Nec hoc tantum est admirabile: verum & quoniam per opera dogmatum fidem firmant. Etenim quod animam habemus immortalem, & omnium quæ hic geruntur, rationes reddere debemus, & tremendo assistere tribunali, & in mente sibi persuaserunt, & vitam omnem ad hanc spem instituerūt, & omni humana opinione superiores redditi, atque à diuina eruditi scriptura, quod vanitas vanitatum, & omnia vanitas, ad nil eorum quæ videtur esse clara, anhelant. Hi & de deo hæc philosophari norunt, quæ deus mandauit. Age assumens philosophorū aliquem externorum nunc in medium adducas. immo vero nunc quidem neminem datur inuenire. si vero horum assumas vnum, euoluensq; priscorum philosophorum libros percurras: & quid hi quidem nunc respondent, quid autem illi tunc philosophati sunt, in cōparatione ponens discutias, videbis quanta sit horum quidem sapientia, quanta vero illorum demētia. Cum enim ipsorum quidam nullam in rebus esse prouiden-

Ecl. 1. c.

22. c.

tiam dicant, nec à deo creatum esse mūdum, neq; virtutem sibi ipsi sufficientem esse, sed opus esse pecuniis, & generositate, & exteriori claritate, & multa alia his magis ridicula: hi autem & de prouidētia, & de iudiciis sequentibus, & de dei creatione, qui ex his quæ non erāt, omnia produxit, & de aliis omnibus philosophentur, nihil omnino de peregrina scientes disciplina, quis nō illico dei potentiam discat, quæ illiteratos & idiotas multū in sapientia gloriantibus, tanto sapientiores demonstrat, quanto paruis puerulis prudētes viros præstantes cernere datur: Quod enim ipsis danimum ex sermone imperitia esse possit, cum mentes multa sint ipsis plenæ sapientiæ: Quæ vero peregrinis ex sermonum disciplina vtilitas, cum mens sensibus sit cassa? Vt si quis ensē gereret, capulum quidem argenteum habentem, ferrum vero quolibet plumbo imbellius. & his enim lingua quidem verbis & nominibus est ornata, mens vero multa repleta est infirmitate, & ipsis ad omnia est inutilis: sed non sic horum philosophorum, sed penitus contrarium. Multa mens ipsis philosophiæ spiritalis est plena, & dogmata vita sectatur. Apud hos non sunt mulieres luxuriantes, nec vestimentorum ornatus, nec colores & fuci, sed omnis huiusmodi morum corruptio pulsa est. Vnde facilius quoq; subditum sibi populum in modestiam deducunt, & Pauli legem velamina & escas habere, & nil amplius querere iubentem, multa cum diligentia custodiunt. Apud hos non est vnguentorum vltus mentem allecās, sed terra herbas proferens omni vnguentario sapientius ipsis variam florum parat suauitatem. Propterea & ipsis corpora cum animis pura sanitate potiūt: quoniam omnes delicias expulerunt, & nequissima ebrietatis fluentia fugauerunt: & tantum comedunt, quantum ad viuēdum sufficit. Ne ipsos igitur ex habitu contemnamus, sed ipsorum mentem admiremur. Quæ nanq; exterioris amictus vtilitas, cum anima mendico sit omni miserius induta: Virum non à vestimētis, imò nec ab ipso corpore, sed ab anima laudare decet & admirari. Huius animam exue, & ipsius pulchritudinem videbis, atq; diuitias per verba, per dogmata, & per omnem morū constitutionem. Erubescant igitur gentiles, abscondantur propter suos philosophos, & suam sapientiā omni stulticia miseriorem. Apud ipsos enim philosophi per tempus quo viuēbāt, vix paucos & facile numerabiles dogmata sua docere potuerunt, & vel exiguo deprehēdente periculo & hos perdidērūt. Christi vero discipuli piscatores & publicani & tētoriorum sutores paucis annis totum mundum ad veritatem conuerterunt: & innumeris tamen nascentibus periculis non tantum non est extincta prædicatio, verum & floret ac in maius augetur, & philosophari docuerunt homines rudes, & agricolas, & inter armenta versantes. Hi præter cetera etiam omnium bonorum causam charitatem radicatā habentes, ad nos festinauerūt, tantam currentes viam, vt venirent & propria circūpleterentur membra. Eia igitur & nos pro donis istis charitate dico & affectu: viaticā dantes, sic ipsos remittamus, & rursum de iuramentis sermonem moueamus, vt radicium ex omnium mente improba hæc cōsuetudo reuelatur. Prius autem volo pauca de dictis à nobis superius hodie cōmemorare. Postquam enim à Perside absoluti Iudæi, & ab illa liberati tyrannide, in propriā redire patriam: Viderūt Zulu

Gen. 19. c.

& ingrediens domum peierantis, & dissoluet in medium, & ligna & lapides destruet omnes. Et his tunc lectis, quærebamus quare non iuratum solum, sed etiam ipsius domum dissoluit: & hæc causam esse dicebamus, quoniam grauissimorum pœnas peccatorum vult deus continuas permanere, vt omnes post hæc corrigantur. Quoniam igitur periurum necesse est mortuū sepeliri, & terræ sinibus tradi, ne cum ipsius corpore & iniquitas cōsepeliatur, domum ruinam fecit, vt prætereuntes cūcti ipsam cernentes, & suffossionis causam discētes, peccati imitationem fugiant. Hoc & in Sodomis factū est. Postquam enim exarserunt in sui concupiscentiam mutua, etiam terræ natura ab igne superne delato succesa fuit. Volebat enim huius peccati vltionem manere perpetuam. Et nota dei clementiam. Nō ipsos peccatores vsq; in præsentem diem ardere fecit, sed illos semel incensos occultauit: terræ vero faciē succensam in medium omnibus proposuit post hæc cernere volentibus, & nūc omni lingua clarius omnes posteras generationes terræ comonet aspectus, tantum non clamans & dicens, Ne patretis Sodomorum scelera, ne pœnas patiamini Sodomorū. Nec enim sic in mentes sermo peruenire solet, vt aspectus terribilis, & per omnē gerens tempus calamitatis vestigia. Et attestantur ad illa loca profecti, qui sapius scripturam de his loquentē audientes, non multum timent: postquam vero venerūt, & regionem ascenderunt, & ipsius omnem superficiem viderunt deletam, & incendium sunt conspicati, & terrā quidem nusquam apparetem, cinerem vero cuncta atque fauillam, percussū & multam ex aspectu illo capientes modestiæ disciplinā, sic abierunt: etenim ipse vltionis modus peccati modum imitatur. Sicut enim illi cōgressum infœcundum adiuenerunt ad filiorum procreationem non conferentem: sic profecto & deus intulit pœnam, quæ terræ vltrem penitus sterilem reddidit, & omnibus cassum fructibus. Idcirco & iurantium domos delere minatus est, vt alios illorum pœnis modestiores faceret. Ego autem hodie demonstro non vnam & duas, & tres domos iuramentis destructas, sed ciuitatem totam & populum religiosum, & gentem multa semper prouidentia vti solitam, & tribum multis elapiam periculis. Etenim Hierusalē ciuitas dei, sanctorum arcam habens, & omnem illum cultū, vbi Prophetæ fuerunt, & spiritus gratia, & arca, & tabulæ testamenti, & phiala aurea, vbi angeli sepe incedebant, hæc ciuitas innumeris nascentibus bellis, & multis ipsam incurtantibus Barbaris, tanquam muro ex adamante circūdata, sic omnes illos semper derisit, & regione tota deleta, nihil graue passa est. Nec hoc solum est admirabile, verum & quod grauem sæpe plagam hostibus inferens, sic eos emittebat, tantam à deo nacta erat prouidētia, vt ipse deus diceret: Velut vnam in deserto inueni Israël, & velut signum in ficu tēporaneum vidi patres ipsorum. Et iterum de ipsa ciuitate: Velut rami oliuæ in summo excelsi, & dicent, Ne noceas ipsis. Veruntamē dei ciuitas chara tot elapsa periculis, & in multis peccatis veniam assecuta, & quæ sola ex omnibus aliis captiuitatem effugere potuit, & semel, & bis, & sapius solo iuramento prostrata est. Et quo modo id fuerit, dicam. Fuit quidam Sedechias apud ipsos rex, hic Sedechias iuramentum dedit Barbarorum regi Nabuchodonosor, quod in ipsius auxilio permaneret: postea defecit, & ad Aegypti regem transfugit, iuramenta parui pendens, & tanta passus est, quanta statim audietis. Prius vero necessarium est Prophetæ parabolam dice-

Osee. 9. b.

re, per quam omnia significauit. Factum est verbū, inquit, domini ad me dices: Fili hominis proponie anig. *Ezech. 17. a* ma, & narra parabolam, & dices: Hæc dicit dominus deus: Aquila grandis, magnarum alarum, longa extensione, plena vnguibus. Aquilam hic Babyloniorum regem vocauit: magnam autem ipsam, & magnarū alarum dixit, & longam extensione, & plenam vnguibus nominauit, propter exercitus multitudinem & magnitudinem potentie, & incurfionis velocitatē. Sicut enim aquilis sunt alæ & vngues arma: sic milites regibus & equi. Hæc igitur aquila habet narrationē, inquit, ascēdēdi in Libanum. Quid est narrationē: cōsiliū, sententiam. Libanum vero Iudæā vocauit, quia prope montem illum sita est. Postea iuramenta volēs & fœdera dicere, Tulit, inquit, de semine terre, & posuit illud in terra pro semine, vt firmaret radicem super aquas multas. *B* In superficie posuit illud: cumq; germinasset, creuit in vineam latiore humiliatura respiciētibus ramis eius ad eam, & radices eius sub illa erant. Ciuitatem vero Hierusalem vineam hic appellauit. Dicendo vero quod rami eius respiciebant ad eam, & radices eius sub illa erant, fœdera significauit, & pacem cum ipso compositam, & quod seipsum in illum reiecit. Mox iniquitatem ostendere volēs, ait: Et facta est aquila altera, de rege loquens Aegyptio, grādibus & magnis alis multisq; plumis, & ecce vinea ista quasi mittens radices suas ad eam, palmites suos extendit ad illam, vt irrigaret eam, propterea dixi, Hæc dicit dominus deus: Si dixerit, hoc est iuramentum seruauerit, & fœdera, poterit manere & saluari, & non cadere. Mox demonstrans quod hoc nō erit, sed omnino propter iuramentum peribit: de pœna ipsa disserit, & causam ponit. Radices ei⁹ euellet, & fructus ei⁹ distringet, & sicabit omnes palmites germinis eius & arefcet. Et demonstrare volens quod non humana vi destruetur, sed quoniam deum sibi fecit inimicum per illa iuramenta, subiūxit: Et non in brachio grandi, neque in populo multo, vt euelleret eam radicem. Et parabola quidem hæc. Rursum vero declarat eam, sic inquit: Ecce veniet rex Babylonis in Hierusalem. *Ezech. 7. d* Postea cum in medio quadam alia dixisset, iuramenta dicit, & fœdera, ferietq; cū eo fœdus. Mox & rebellionem dicens: Qui recedens ab eo, misit nuncios in Aegyptum, vt daret sibi æquos, & populum multum. Et post hæc infert, demonstrans quod propter iuramentū hæc omnis perditio facta est, quoniam in loco regis, qui constituit eum regem, cuius fecit irritum iuramentum, & soluit pactum quod habebat cū eo, in medio Babylonis morietur, & non in exercitu grandi, nec in populo multo: spreuerat enim iuramentū præuaricando pactum meum, quoniam iuramentum meū quod spreuit, & fœdus quod præuaricatus est, ponam in caput eius, & expandam super eum rete meum. Vides quo modo nō semel, nec bis, verū & sapius dixit, quod ille propter iuramentum hæc omnia passus est: Implacabilis enim est deus, contemptis iuramentis. Nec tantum vero ex vltione ciuitati illata propter iuramentum, hoc intelligere datur: verū & ex tardatione & dilatione, quātum deus studium habet, ne iuramenta conculcentur. Factum est *4. Re. 25. a* autē in anno nono regni eius, in mēse decimo, in decima mēsis venit Nabuchodonosor rex Babylonis ipse, & omnis exercitus eius super Hierusalē, & circumdederunt eam, & extruxerūt in circuitu eius munitiones. Et clausa est ciuitas, atq; vallata vsq; ad vndecimū annum regis Sedechiæ. Nona die mēsis & præualuit fames in ciuitate, nec erat panis populo terræ, & interrupta est ciuitas.

Hier. 38. c

4. Re. 25. b

ciuitas. Poterat nempe statim à prima die ipsos tradere, & facere hostibus subditos. Sed propterea interim triū annorum tēpus cōteri permisit, & ipsos obsidione premi grauiſſima, vt & militū extrinsecus timore & fame ciuitatem intrinsecus premente caltigati, vel inuitū regem Barbaris subdi cogerēt, & aliquod peccato remedium fieri. Et quod hoc sit verum, non est mea cōiectura, audi quid per Prophetā ad ipsum dicat: Si profectus exieris ad principes regis Babylonis, viuet anima tua, & ciuitas hæc non succendetur igni, & saluus eris tu & domus tua. Si autem non exieris ad principes regis Babylonis, tradetur ciuitas hæc in manus Chaldæorum, & succendent eam igni, & nō effugies de manibus eorum. Et dixit rex Sedechias ad Hieremiā: Sollicitus sum propter Iudæos qui transferunt ad Chaldæos, ne forte tradar in manus eorum, & illudant mihi. Respondit autem Hieremias, & dixit ei, Non te tradent: audi, quæso, vocem domini quā ego loquar ad te, & bene tibi erit, & viuet anima tua. Quod si nolueris egredi, iste est sermo quem ostēdit mihi dominus. Ecce omnes mulieres quæ remanserunt in domo regis Iuda, educētur ad principes regis Babylonis, & ipsi dicent: Seduxerunt, & præualuerunt aduersum te viri pacifici tui, demerferunt te in cœno, & in lubrico pedes tuos, & recesserunt à te: & omnes vxores tuæ & filij tui educētur ad Chaldæos, & non effugies manus eorum, sed in manu regis Babylonis capieris, & ciuitatem hanc cōburent igni. Sed postquam non persuasit hæc dicens, sed māsit in peccato & iniquitate, post tres annos ciuitatem tradidit deus, & clementiam suam demonstrans & illius ingratitudinē. Et ingressi cum magna facilitate, regis domum incenderunt, & domos Hierusalem, & omnem magnam domum incendit archimagirus, & murum Hierusalē subuertit, & vbique ignis grassabatur barbaricus, iuramento ignem ducente, & flammam passim circūagente, & populum in ciuitate relictū, & adiunctos regi transportauit archimagirus: & columnas æreas, quæ erāt in domo domini, & gradus & mare æneū, quod erat in domo domini, confrēgerunt Chaldæi: ollas quoque æreas, & fuscinillas, & phialas, & mortariola, & omnia vasa ærea in quibus ministrabant, tulerunt: & retiacula, & phialas aureas & argenteas tulerunt: & columnas duas & bases, & mare quod fecit Salomō in domo domini, tulit Nabuzardan archimagirus, & tulerunt quoque Saraiam primum sacerdotem, & Sophoniam sacerdotē secundū, & tres ianitores, & de ciuitate eunuchū vnum, qui erat præfectus super bellatores viros, & quinque viros de his qui steterant coram rege, & Sopher principē exercitus, & scribam, & sexaginta viros, & tulit eos, & adduxit ad regem Babylonis, percussitque eos rex Babylonis, & interfecit eos in Reblatha, in terra Emath, &c. Itaque recordare mihi falcis volentis, & iurātis domum reſoluentis, & parietis destruentis, & ligna & lapides. Recordare mihi quo modo iuramentum hoc vrbe ingressum, & domos, & templum, & mœnia, & ædificia que splēdida destruxit, & ruinam fecit ciuitatis, & neque sancta sanctorum, neque sacra vasa, nec aliud quicquā pœnam & vltionem illam auertit, quia trāsgressum fuerat iuramentum. Et ciuitas quidem tam miserabiliter soluebatur: & sicut ædificia falx ista volans destruxit, sic & hunc fugientem absumpsit. Egressus est nocte de ciuitate per viam horti regis, & per portam quæ erat inter duos muros: & Chaldæi circumdederunt ciuitatem, & persecutus est exercitus Chaldæorum, & comprehendē-

runt regem, & duxerunt ipsum ad regem Babylonis. Et locutus est rex Babylonis cum Sedechia iudiciū, & occidit filios ipsius in oculis eius, & oculos Sedechiæ eruit, & vinxit eum cōpedibus, vt in Babylonem duceretur. Quid est, locutus est cum ipso iudiciū: ipsum rationes repetiuit, rationem posuit cum ipso, & primū ipsius filios iugulauit, vt proprię calamitatis spectator heret. Et post tragœdiam illam miserabilem, tunc illum excæcauit. Qua causa rursus hoc agitur: vt magister Barbaris abeat, & illic habitantibus Iudæis, vt cernētes per excæcatum discant, quantum mali sit iuramentū, nec illi vero tantum, verum & secus viam omnes habitātes, vincitum & cæcatum intuentes, per calamitatis magnitudinem peccati pondus discant. Propterea Prophetarū alter quidam sic inquit, Non videbit Babylonē: alter vero quod in Babylonē abducetur. Et contraria quidem prophetia esse videtur, sed non est. Sed hæc ambo vera: etenim Babylonem non vidit, & in Babylonem abductus est. Quo modo igitur Babylonem nō videt: quoniam in Iudæa excæcationem passus est. Vbi nāque iuramentum spretum est, ibi & vindicatum, & vltionem ipse sustinuit. Quo modo abductus est in Babylonem: captiuus factus. Quoniā enim duę erant pœnæ, excæcatio & captiuitas, distribuerūt ipsas Prophete: & hic quidem, Nō videbit, inquit, Babylonem: ipsius excæcationem dicens. Ille vero ait, in Babylonē abducetur: ipsius significans captiuitatem. Fratres igitur hæc scientes, & nunc dicta, & ante hæc cōmemorata colligētes, ab hac quoque stulta cessemus cōsuetudine. Sic supplico & oro vos omnes. Si enim antiquitus, cū Iudæi ad perfectā disciplinam nō exigebantur, sed multus erat condescensus, tanta propter iuramentum expugnatio & captiuitas fuit: quid cōgruum est nunc passuros esse iurantes, post legem hoc facere prohibentē, & tantum mandatorum augmentum? Non enim hoc est quod quæritur, vt ad synaxim veniamus, & audiamus quæ dicuntur. Hic enim & iudicium maius est, & pœna inuitabilis, quādo continēte audietes non impleamus quæ dicuntur. Quā enim habebimus defensionem: quā vero veniam, cum à prima nos ætate vsque in extremam caniciē huc conuenientes, & tanta fruētes disciplina, similes illis remaneamus, & nullum studeamus defectum corrigere? Ne mihi iā aliquis consuetudinem prætedat: propter hoc enim indignor & irascor, quoniam cōsuetudinem vincere nō possumus. Et nisi cōsuetudinem vincamus, quo modo concupiscentiam vincemus, cuius radix habet à natura principium: Cōcupiscere enim naturale, male vero concupiscere iam est voluntatis. Iurare nempe nec cœpit à voluntate principium, sed ex negligētia sola. Et vt discas, quod nō ex rei difficultate, sed propter neglectum nostrum in tātum hoc peccatum processit, cogitemus quod multo his difficiliora expediant homines, & hoc nullam inde retributionē expectantes. Cogitemus quæ diabolus imperauit, quā laboriosa, quā grauiā. Nec difficultas fuit eius mandatis impedimentum. Quid enim, quæso, difficilius sit, quā cum quispiā iuuenis volentibus se emollire, & mēbra sua torquere seipsum tradens, sedulo contendat rotæ more totum flectere corpus, & in pauimēto versari, & per oculos & per manū circunductionem, & aliam reuolutionem in feminēū genus trāsfire conetur, nec eorum quæ sunt, difficultatem, nec ex his ignominiam ratiocinetur? In orchestra vero rursus se pertrahentes, & velut alis, membris vtentes corporeis videns quis non admiretur? Gloriosi autem alternatim in aërem iaculantes, & omnes rursus per

sum per manubrium capientes, quem non cōfundant, nullum pro virtute laborem suscipere volentium? Vel quid de illis quispiam diceret viris, qui trabem in fronte gestantes, velut arborem in terra radicatam, sic immotam conseruant? Nec hoc solum est admirabile, verum & id quod puerulos paruos in summo ligno inter se luctari faciunt, & neque manus, nec alia corporis pars, sed frōs sola omni vinculo firmius illam trabem gerit inconcussam. Alter rursus supra funem angustissimum cum tanta ambulat securitate, cum quāta supinos percurrentes campos. Verūtamen hæc quæ & cogitatu intolerabilia esse vidētur, facta sunt arte possibilia. Quid horum in iuramentis, quæso, prætere dere possumus: quā difficultatem? quem sudorem? quam artem? quod periculum? exiguo tātum studio nobis est opus, & breui nobis totum expeditum fuerit. Nec mihi dicas, maiorem partem expediui, sed nisi totum emendasti, nondum te quicquam fecisse puta. Hoc enim exiguum neglectum & omne reliquum destruit. Sapius nāque domos ædificantes homines, & tectum imponentes, vnius tegulæ excusæ curam non gerentes, totam domum perdiderunt. Et in vestimentis hoc ipsum euenire quis cernere possit: etenim parua in illis facta scissura, nec resarcita, magnam fecit disruptionem. Hoc & in torrētibus multoties euenit: etenim & illi si vel minimum ceperint ingressum, totum introducunt fluētum. Itaque & tu, licet te vndique munieris, si tamen aliqua pars imminuta dimissa est, etiam hanc diabolo obstrue, vt sis ab omni parte firmatus. Vidisti falcem? Vidisti caput Ioānis? Audisti historiā de Saule? Audisti captiuitatis Iudaicæ modum? Cum his autē omnibus audisti Christi sententiam dicentem, quod non peierare tantum, verum & iurare quomodocunq; diabolicum est, & tota maligni machinatio. Audisti quod vbique iuramenta sequuntur periuria? Hęc, inquam, omnia cōgregans, inscribe cordi tuo. Non cernis vt mulieres & parui pueri pro magna custodia collo Euangelia suspendunt, & vbique circūferunt quocunq; abierint? Tu Euangelij mandata & leges mente describas, non auro, nec argento hic est opus & pecuniis, nec librum emere: voluntate sola vobis est opus, & affectu animæ expergefacta, & securius habebis Euangelium, non extrinsecus, sed in animæ penibus ipsum reponens. Exurgens igitur è lecto, & domum tuam egrediens, hanc legē repete, videlicet, Ego autem dico vobis, nō omnino iurare, & erit idonea tibi disciplina verbum illud: nec enim multo labore opus est, sed modica tantum attentione. Et quod hoc sit verū, inde manifestissimum. Filium tuū vocans terre, & minare te ipsi plagas inflicturum, nisi legem hanc expediat, & videbis quod cito à cōsuetudine desistet. Quo modo igitur non absurdum, si pueruli parui nostri timore paentes, mandatum exuperent: nos vero neque sic deum timeamus, vt nos filij metuunt? Quod autē superius dixi, hoc & nunc dico. Legem nobis ipsis ponamus, non prius publica, non prius priuata tractare negocia, donec hanc legē impleamus, & omnino necessitate compulsi, facile superabimus, & ornabimus nos ipsos, ornabimus autem & omnem ciuitatē. Cogita nanque quale est, vbique terrarum hæc audire, quod Antiochiæ præualuit mos Christianis congruus: & ibi neminem audires, licet maxima necessitas instet, iuramentum emittere. Prorsus hæc audient vicinæ ciuitates. Quinimo non tātum vicinæ ciuitates, verum & ad ipsos terræ fines verbū perueniet: etenim verisimile est vobis admixtos mercatores, & hinc aliō proficiscentes, aliis quoque hæc omnia

nunciare. Cum igitur alias ciuitates laudātes multi, portus dicunt, & forum & venalium copiam, hinc proficiscentibus dicendum tradite, quod est Antiochiæ, id in aliis vrbibus nusquam cernere licet: mallet enim vrbe illam habitantes prius linguam abscindi, quā ex ore iuramentum emittere. Hoc quidē vobis erit ornamentum & munimen, nec id tantum, verum & mercedē afferet magnam: etenim omnes vos alij beatos putabunt, & imitabuntur. Si quis enim vnum vel duos lucratus, à deo mercedis tantum capiet: omnem mundū erudientes, quātas capietis retributiones? Oportet igitur studere & vigilare & sobrios esse, scientes quod nō propriorum tantum profectum, verum & alienorum maximā meritorum retributionem capiemus, & multam apud deum benevolentiam assequemur. Quam nos omnes adeptos detur frui regno cœlorum in Christo Iesu domino nostro, per quem, & cum quo patri gloria, simul sancto spiritui, in secula seculorum, Amen.

In Episcopi reditu, & in regis cum ciuitate reconciliationem, & ad prauaricatos in statuarum subuersionem.
Homilia XX.



VERBO à quo semper in periculis tempore apud charitatem vestram exordiri conſueueram, ab eodem, inquam, & hodie apud vos sermonem incipiam, & dicam vobiscum: Benedictus deus, hanc nos vobiscum sacrā solennitatē cum gaudio & læticia multa hodie celebrare dignatus, & qui caput corpori reddidit, & pastorem ouibus, præceptorem discipulis, militibus ducem, sacerdotibus pontificē. Benedictus deus qui ex superabundanti facit quæ petimus, aut cogitam⁹. Nobis enim sufficere videbatur instantibus malis interim absolui, & pro hoc omnē faciebamus supplicationem. Clementissimus autem deus & datis petitiones nostras semper multo excessu superans, etiam patrem nobis omni spe celerius reddidit. Quis enim expectasset, quod tantis paucis diebus & profecturus & regē allocutus & solutus aduersa, & rursus ad nos tam breui reuersurus esset, vt sacrū Pascha posset præuenire, & nobiscum celebrare? Sed en inexpectatum hoc factum est. Et patrem recepimus, & maiore capimus voluptatē, ipsum nunc præter spem suscipiendo. Pro his, inquam, omnibus clementissimo deo gratias agamus, & ipsius potētiam admiremur, & benignitatem & sapientiam & curam quam pro ciuitate gessit. Diabolus nempe omnem ipsam per facinora patrata obruere tentauit: Deus vero ciuitatēque & sacerdotem & regem per hanc ornauit calamitatem, & omnes reddidit clariores. Ciuitas nempe probabilis inuenta est, quoniam periculo tali circumuenta, prætermisissis omnibus viris potentibus, omnibus diuitis abundantibus, omnibus magnam apud regem potentiam habentibus, ad Ecclesiam & dei sacerdotem confugit, & cum multa fide cœlesti se spe cōmisit. Multis nanque post cōmunis patris peregrinationē in carcere habitantes terrentibus, & dicentibus quod nō lenitur rex propter solennitatem, sed magis irritatur, & de totius ciuitatis subuersione cogitat, & alia multa his plura diuulgantibus, vincitū nihilo tunc ex hac fama timidiore redditi sunt. Sed nobis dicētibus, quod hæc falsa, & diaboli fraudis opera sunt sensus nostros turbare volētis, nihil egem⁹, aiebant nobis, verborum cōsolatione. Scimus enim ad quem ab initio confugimus, & quali spei ad hæsimus, sacræ salutē nostrā anchoræ affiximus, nec homini credidimus hanc, sed omnipotēti deo. Propterea bonū quoque finem

que finem futurum omnino confidimus: non est enim, non est hanc spem vnquam confundi posse credendū. Hoc quot coronas, quot laudes ciuitati nostrę comparabit: quantam dei lucrabitur beneuolentiam, etiam in reliquis negociis? Non est enim non est cuiuslibet animę in tentationum incurfu vigilare, & ad deum respicere, & omnia deridentem humana, ad illud auxilium anhelare. Igitur ciuitas quidem ita probabilis inuenta est, sacerdos rursus non minus quā ciuitas: animam enim suam pro omnibus exposuit, & multis impediētib; hyeme, æstate, festiuitate, nec minus sorore ad extremos deducta spiritus, omnibus superior emicuit impedimentis, nec intra seipsum dixit, *Quid hoc est: sola nobis derelicta soror, & mecum Christi iugum trahēs, & tempore tanto mecum commorata, nunc in extremis est: nos vero ipsam deserentes abibimus, nec expirantem videbimus, & vltimas voces emittētem?* Et ipsa quidem quotidie orabat, vt sibi oculos clauderem, & os coniungeremus, & reliqua ad sepulturam curaremus consueta: nunc vero tanquam deserta quedam, & tutore carēs, nihil horum assequetur a germano, a quo assequi maxime peroptabat, sed animam emittens, non videbit omnium sibi desideratissimū. Et hoc quo modo non erit sapius repetita morte grauius? Quinimo si longe abfuisset, nōne oportebat currere, & omnia facere & pati, vt hanc ipsi gratiam præberemus: nunc vero propē cū sum, deseram ne, & dimittens abibo: & quo modo sequentes perferet dies? Sed horum non tantum nihil dixit, sed neque cogitauit. Sed cōsanguinitati dei timorem præferens, bene se nosse monstrauit, quod sicut gubernatorem tempestates, & ducem pericula, sic & sacerdotē tentatio apparere facit. Omnes, inquit, ad nos respiciunt & Iudæi & Græci. Ne igitur ipsorum de nobis expectationes frustremur, nec tantum paruipendamus naufragium, sed nostra deo mandantes omnia, & ipsam animam tradamus. Et considera pōtificis magnanimitatem & dei benignitatem, omnibus his quæ despexit, potitus est, vt & promptitudinis præmium caperet, & potiōdo præter expectationem maiorem assequeretur voluptatem. Elegit solennitatem in aliena terra, & procul a suis propter ciuitatis salutem celebrare: Deus ante Pascha ipsam nobis reddidit, vt communem nobiscum solēnitatem ageret, vt & propositi mercedem haberet, & maiori laticia fruere. Non timuit anni tempus, & per totū peregrinationis tempus serenitas fuit. Non curauit ætatē, & tanquam iuuenis & vngens, tanta totā hanc viam facilitate percurrit. Sororis mortem nō cogitauit, nec carnis affectione victus est, & regressus viuentem ipsam deprehēdit, & omnia quæ despexit, affectus est. Et pontifex quidem ita probabilis, & apud deum & apud homines apparuit. Regē vero negocium hoc omni diademate splendidius ornauit. Primum quidem manifestum factum est, quod quæ nulli alteri concederet, hæc sacerdotibus condonauit. Deinde quæ cum multa celeritate gratiā dedit, & irasci desit. Sed vt manifestus & regis magnanimitatem, & sacerdotis sapientiam, & ante hæc vtraque dei discatis benignitatem, date mihi vt pauca cōcionis illic habitæ vobis exponā. Dicā autem quæ a quodā eorum qui intus adstiterunt, didici. Pater nempe nihil neque paruū, neque magnum nobis dixit, sed Pauli semper magnanimitatē imitans, propria celat merita, & vndique interrogantibus quid regi dixerit, & quo modo persuaserit, & quo modo ipsius omnem exclusit iram, hæc verba referebat: Nihil nos ad rem contulimus, sed ipse rex le-

niente deo cor ipsius & ante verba nostra omnē remissit iram, soluitque furorē: & de gestis differens, tanquam alio contumelia affecto, ita cuncta quæ acciderunt, commemorabat. Sed quæ celauit hic ex humilitate, hæc deus in medium protulit. Quæ vero sunt hæc: paulo superius sermonem repetens vobis referam. Postquā enim ex vrbe egressus est, omnes in tanta relinquens tristitia, multo grauiora patiebatur, quā qui in ipsis erāt molestiis. Primum nepe nactus in via media, ad gestorū examinationem a rege missos, & ab illis doctus, quorsum essent missi, & mala ciuitatem inuasura, tumultus, turbationes, fugam, timorem, anxietatem, pericula cogitans, lachrymarum fontes emittebat, cū viscera ipsi dissecaretur: patribus enim mos est multo magis dolere, cum filiis suis male habentibus nec adesse possint: quod & piētissimus hic passus est, non mala tantum nos inuasura deplorans, verum & quod nobis hæc patientibus procul abesset. Verum & hoc pro nostra salute factum est. Vt hæc enim ab illis didicit, calidiores lachrymarū fontes emittebat, & cū maiori supplicatione ad deum confugit, & noctes insomnes ducebat supplicās, vt hæc patienti succurreret ciuitati, & vt regis mentem redderet mitiorem. Vt vero magnam ciuitatem illam ascendit, & regias ingressus est aulas, procul a rege constitit mutus, lachrymās, deorsum inclinatus, latitans, tanquā ipse esset qui omnia illa patraisset. Hoc autē faciebat habitu, aspectu, luctibus, prius mouere volēs ipsum ad misericordiam, & tum defensionē pro nobis incipere. Sola nanque peccātibus relinquitur venia, tacere, & nihil pro gestis loqui. Volebat enim passionum hæc quidem euicere, hanc vero introducere: euicere quippe iram, tristitiam autem introducere, vt ita viam præpararet defensionis verbis. Quod quidem & factū est. Et sicut Moyses in montem ascendens, populo lapsio mutus ipse constitit, donec ipsum deus euocauit, dicens: *Dimitte me, & delebo populum hunc: ita & hic fecit. Ipsum itaque rex conspicatus lugentem, & deorsum inclinatum, accessit ipse, & quod patiebatur propter sacerdotis lachrymas, hoc verbis ostendit. Nō enim indignantis, nec irascētis verba fecit, sed dolentis: nō succensentis, sed mœretis, & dolore magis detenti: & quod hoc sit verum, ipsa audientes verba scietis. Non enim dixit: quid tandem hoc est? p̄ hominib; scelestis & sceleratissimis, & quos nec oportuit viuere, venis legationem obiens, tyrānis, innouatoribus, omni supplicio dignis? Sed hæc omnia dimittens verba, defensionem cōposuit reuerentia plenam & grauitate, & a se collata commemorabat beneficia, quibus per omne regni tempus ciuitatē nostram profecutus est, & ad singula hæc repetebat: hæc me pro illis pati oportuit: quarum a me iniuriarum pœnas exegerunt: quid paruū, quidve magnum accusandum habentes, non me solum, verum & defunctos contumeliis affecerunt? Non valebat animus saturari in viuis: sed nisi sepultos quoque contumeliose tractarent, nil magnum se facere putarunt. Iniqui fuerimus nos, vt ipsi putant. Igitur mortuis parcere, qui nullam intulerunt iniuriam, oportebat: non enim & illis hæc attribuere valebant. Nonne semper hanc omnibus præposui ciuitatem, & patria desiderabiliorem esse putabam: & votum mihi continuum erat vrbe illam cernere, & hoc apud omnes faciebam iuramentum? Hic aliquantum ingemens pontifex, & feruentiores emittens lachrymas, non amplius tacuit: videbat enim regis defensionem culpam maiorem nostram facientem, sed grauius & amare de profundo gemens: *Confitemur, inquit, o**

rex, nec negare possumus amorem istum quem erga patriam nostram demonstraui, & propterea maxime lugemus, quoniam sic amatē dæmones inuiderunt, & erga benefactorem ingrati sumus visi, & exacerbauimus summopere nos amantem: siue obruas, siue incendas, siue occidas, siue quodcunq; aliud facias, nondum dignā de nobis pœnam exegisti, nos ipsos præuenientes innumeris mortib; difficilius affecimus. Quid enim amarior esse possit, quā cum benefactorem & sic diligentē iniuste exacerbantes appareamus? & omnis hoc mundus discat, & extremam ingratitude nostram cōdemnet? Si Barbari ciuitatem nostram incurstantes, mœnia diruissent, & incendissent domos, & abductis captiuis abiissent, minus erat malum. Quare tandem ita? Quoniam te viuentē, & tantam in nos beneuolentiam exhibente, spes erat illa cūcta grauius solutum iri, & nos iterum ad priorem formam redituros, & clariorē recepturos libertatem: nunc autem ablata beneuolentia tua, & amoris vinculo violato, quod omni muro nobis erat tutius, ad quem iam confugiemus? Quō poterimus aliō respicere, tam dulcem dominum & facilem patrē exacerbantes? Itaque videntur quidem intolerabilia fecisse, sed passi magis sunt omnium grauisima, ad nullum hominem audentes respicere, nec ipsū spectare solem liberis valentes oculis, pudore vndique palpebras cōtrahente, & occultari cogēte: libertate ipsis ablata, omnibus captiuis nunc miserius affecti sunt, & extremā sustinēt ignominiam: & malorum magnitudinem cogitantes, & in quantum contumelię resilierunt, nec respirare possunt, cum omnes terram habitātes in sui vehementem calumniam attraxerint. Sed si velis, o rex, est vulneri medicina, & tantis malis remedium. Sapius & in priuatis hoc factū est, magna & intolerabiles offensiones, magna charitatis materia factæ sunt: sic & in natura nostra euenit. Cum enim hominē deus fecit, & in paradysum induxit, & multo dignum fecit honore, tantam diabolus prosperitatem non ferens, inuidit: & illū a data expulit dignitate. Sed deus non tantū ipsum nō reliquit, verum & pro paradiso cœlum nobis aperuit, hoc ipso propriamq; demonstrans benignitatē, & diabolus magis punies. Hoc & tu facias. Nunc omnia mouerunt dæmones, vt omnium tibi gratissimam ciuitatē a beneuolentia tua separes. Hoc vero tu nunc scies, pœnam quamuis quidem exiges, priori autem amicicia ne nos extrudas. Sed si & præter opinionem aliquid nunc dicere fas est, etiam nūc inter dilectarum primas ipsam scribe, si modo dæmonas hæc operatos vis vlcisci. Si nepe destruas & subruas & deleas, quæ prius illi voluerūt, hæc efficies: si vero irā dimittas, & te rursus ipsam amare, sicut prius amabas, confitearis: letalem ipsis plagam intuleris, & vltimam ab ipsis vltionē exegeris, demonstrans quod non tantum nihil amplius ipsis expeditum est per insidias, verum & cuncta ipsis cōtraria, quā volebant, acciderunt. Iustus autem fueris hæc faciendo, & ciuitatem miserando, cui propter amiciciam tuam dæmones inuiderunt. Nisi enim ipsam tam vehementer amasses, nec ipsam illi tanta insectati fuissent inuidia. Itaq; etsi mirandum est quod dicitur, est tamen verum, quod propter te & amiciciam tuam hæc passa est. Quot incendiis, quāta subuersione sunt hæc verba acerbiora, quæ respondens dicebas? Nunc te cōtumelia affectum dicis, & pertulisse quæ nullus vnquam superiorum regum. Sed si velis, o humanissime & sapiētissime, & multa pietate plene, diademate isto clariorem & maiorem tibi coronam hæc afferet contumelia. Hoc nempe dia-

dema est & virtutis insigne, & dei liberalitatis indicium. Sed corona ex hac humanitate contexta tuū solius erit & sapientia tuæ meritum. Nec te tantum omnes admirabuntur propter istos lapides preciosos, quantū propter victoriam de indignatione superata reportatā laudabunt. Destruerunt statuas tuas: sed illis clariores restitueri tibi licet. Si iniuria authoribus enim crimina remittas, & nullam ipsis inferas pœnam, non aereas istas in foro erigent, nec aureas, nec lapillis coagmentatas: sed omni materia preciosiorem stolā indueris, humanitatem scilicet & misericordiam: talem in mēte quicquæ sua te ædificabit, & tot habebis statuas, quot orbē habitant homines, & habitabunt. Non enim nos tantū, verum & post nos futuri, & post illos omnes hæc audient, & tanquam ipsi bene fuerint habiti, sic te admirabuntur & amabunt. Et quod hæc nō assentans dico, sed sic erit omnino, antiquum tibi referam sermonē quendam: vt discas quod non tantum exercitus, & arma, & pecunia, & subditorum multitudo, & alia huiusmodi splendidos facere reges consueuerunt, quāntum animi disciplina & māfuetudo. Fertur beatus Constantinus effigie sua quandoq; lapidata, multis ipsū instigantibus ad supplicium de authoribus contumelia lumendū, & dicentibus quod omnem ipsius faciem faxis conuulnerarint, manu faciē palpsans, & leniter ridens dixisse, ego vero nusquam vulnus in fronte factum video, sed sanū quidem caput, sana vero & facies tota. Illi vero reueriti & confusi ab hoc iniquo destitire confilio. Et hoc verbum hæcenus canunt omnes: nec tantum temporis labefecit, aut huius sapientia memoriam extinxit. Quot non sit hoc trophæis splendidus? Multas vrbes ille cōdidit, & multos Barbaros superauit: sed meminimus illorum nihil. Hoc autem verbum vsq; in præsentē diem canitur, & posterū nostri, & posterū illorum omnes id ipsum audient. Nec hoc solum est admirandum, quod audient, verum etiam quod laudibus & faustis verbis profrequentur, dicentesq; laudabunt, & audientes grate suscipient. Nec vllus est qui hæc audiens, silere possit, quin pariter exclamet, & talia dicentē laudet, & innumera ipsi vel defuncto bona precetur. Quod si propter illud verbum apud homines tanta potitus est gloria, quot apud benignum deum coronas assequetur? Quid autem opus est Constantinum, & aliena exempla commemorare, cum te de propriis, & meritis tuis opus sit exhortari? Recordare priorum, quando solēnitatem hac superueniente per totum orbem terrarum epistolam misisti iubentem carcere detententos dimitti, & ipsis ignoscere crimina: & illis humanitatem tuam demonstrare non sufficientibus, per literas dicebas: *Vtinam mihi liceret & defunctos reuocare & resuscitare, & ad priorem vitam reducere. Horum nunc reminiscere verborum. Ecce tempus defunctorum reuocandorum & resuscitandorum, & ad vitam reducendorum pristinam. Et hi nanque iam mortui sunt, & priusquam iudicium proferatur, & ad ipsas tartari fores iam nūc ciuitas collocata est. Ipsam igitur inde resuscita sine pecuniis, sine impendio, sine tempore & omni labore. Tibi nanque satis est, tantum loqui, & reuocare ciuitatem in tenebris iacentem. Nūc ipsam iube ab humanitate tua posthac appellari. Nec enim tantam habebit gratiam illi, qui ab initio se condidit, quantam sententia tuæ: nec immerito. Ille enim principio ipsi dato recessit: tu vero auctam & magnam factam, & post multam hanc tranquillitatem destructam resuscitabis. Non erat tam mirandū, si hostibus ipsam capientibus, & Barbaris populantibus*

pulantibus à periculo liberasses, quàm est admirabile nunc pepercisse. Illud enim saepe multi fecere reges, hoc autem tu solus operaberis & primus præter omnem expectationem. Et illud quidem minime mirandum, nec præter opinionem, sed est quotidianum opus, subditis prodesse. Quod autem tot & talia passus irâ deponas, hoc omnem naturam excedit humanam. Cogita quod nunc non de ciuitate tantum illa tibi consultandû est, verû & de gloria tua, magis vero de Christianitate tota. Nunc & Iudæi & Græci, & omnis terrarum orbis & Barbari (etenim & illi hæc audierunt) ad te respiciunt, expectantes vt videant, qualem de gestis sententiam feras: nempe si humanam protuleris & mitem, omnes decretum laudabunt, & deum glorificabunt, & inter se dicent: Papæ quanta Christianitatis potentia: Hominem super terrâ habentem æqualem neminē, omnia delendi & corrupedi dominum cohibuit & refrænauit, & docuit philosophiam, quâ nec homo priuatus exhiberet. Verè magnus Christianorum deus, qui ex hominibus angelos facit, & omni necessitate naturali superiores constituit. Ne nanq; superfluum timorē illū timeas, nec tolere quosdam dicētes, quod reliquæ ciuitates peiores erunt, & hac non punita imperium tuū magis contemnent. Si enim ad insurgendum fuisses impotens, & hæc operati te vi superassent, & par esset potentia, congrue suspicari hæc oportebat. Si vero pauefacti, præq; timore præmortui sunt, & ad tuos per me cucurrere pedes, nec aliud quotidie expectant quàm barathrum, & supplicationes faciunt communes in cælum respicientes, & deum venire supplicat, & simul nobiscum legationem attingere: & sicut in extremis cõstituti, de propriis quisque suis considerauit, quo modo nō superfluus hic timor: Si iugulari fuissent iussi, tanta passi non fuissent, quanta patiuntur nunc, tot diebus in timore & tremore viuentes: & superueniente vespere, aurorâ videre non expectantes: & die orto ad vesperam peruenire non sperant: multi & in feras inciderunt, dum sectantur deferta, in inuia trãslati, nec viri tantum, verum & pueruli parui, & mulieres liberæ & decoræ per multas noctes & dies in speluncis & conuallibus, & deserti foraminibus latētes: & nouus captiuitatis modus ciuitatem detinet, ædificiis & muris stantibus, incensis ciuitatibus grauiora patiuntur: nullo incumbente Barbaro, nec hoste apparente, captis miserius dispositi sunt, & solum folium si moueatur, omnes ipsos per singulos terret dies. Et hæc omnes sciunt. Et si subuersam ipsam vidissent, non sic essent castigati, vt nūc qui has ipsius audiere miserias. Ne igitur hoc cogites, quod peiores sint futuræ ciuitates reliquæ. Non enim si ciuitatem euertisses, sic eos castigasses, vt nūc per incertam futurorum expectationem, omni supplicio vehementius ipsos puniens. Ne igitur ipsis vltieris calamitates producas, sed iam respirare concedas. Subditos nempe castigare, & gestorum exigere penas, facile penitus & promptum: his vero qui contumelias intulerunt, parcere, & his qui veniam patrauerunt indigna, veniam dare, vnius & vix alterius est, & maxime cum rex sit cõtumeliam passus, & ciuitatem quidem metu subdere facile: omnes autem amatores constituere, & persuadere vt in regnum tuum se beneuole habeant, & non tantum communes, verû & priuatas pro tuo preces imperio faciant, difficile: licet infinitas quis expedit pecunias, & innumeros exercitûs moueat, & quicquid operetur, nō facile tot hominum affectionem ad seipsum attrahere poterit, quod nūc tibi facile erit & leue. Nā & beneficiis affecti, & qui audierint

pariter cum beneficio affectis erga te beneuole disponentur. Quot pecuniis emisisses, quot emisisses laboribus, breui temporis momento totum orbem acquirere, & omnibus futuris persuadere, quãta filiis suis optant, tanta & capti tuo optarent: Si autem ab hominibus hæc, cogita quantam à deo capies mercē, non tantum eorum quæ nunc fiunt, verû & quæ post hæc ab aliis expedientur. Si vnquam enim cõtingat fieri tale quid, quale nūc factum est (quod deus auertat) & iniuriam passorū aliqui in cõtumeliam operatos insurgere velint, benignitas & sapientia tua pro omni ipsis erit disciplina & admonitione: & erubescant & confundentur tale disciplina exemplum habentes, inferiores apparere. Itaque omnium posterorum eris præceptor, & palmam ipsis præripies, licet ad ipsum philosophiæ verticem perueniatur. Non enim par est, quempiam tantam incipere benignitatem primum, & ad alios respicietem ab illis elaborata imitari. Quocirca quicumq; post te humanitatem & mansuetudinem quantacunque exhibuerint, tu cum illis mercedem accipies. Qui enim radicē præbuit, hic vtiq; & fructuum author est. Propterea nunc quidem nemo tecum humanitatis mercedem partiri potest: tuū enim solius meritum est. Tu vero cū omnibus posteris, si qui tales vnquam appareant, ex æquo meritum diuidere poteris, & tantam reportare partem, quantam in discipulis præceptores. Et si nemo talis fuerit, rursus tibi commendationes, & laudes per singulas proueniunt generationes. Considera nanq; quale sit posteros omnes audire, quod tam magna ciuitate facta pene & vltioni obnoxia, pauefactis omnibus, & horrefactis ducibus & præfectis & iudicibus, & ne vocem quidem pro miseris illis rumpere audentibus, vnus accedens senex dei sacerdotium gerēs, ex ipso aspectu solo, & nudo occurſu ad reuerentiam imperatorem mouit: & quod nemini suorum concessit, vni hoc seni concessit, dei leges reueritus. Etenim hoc quoque ipso nō te parum õ rex ciuitas honorauit, quod me ad te legatum misit: sententiam enim de te optimam & pulcherrimam protulerunt, quod omni principatui tibi subiecto dei sacerdotes præhoras, etsi viles esse contingat. Non ab illis vero tantum nunc venio, verum & ante illos à communi angelorum domino missus sum, vt hæc dicam mitissimæ ac benignissimæ animæ tuæ: quod si hominibus ipsorū peccata dimittatis, & pater cœlestis lapsus vestros vobis dimittet. Recordare igitur illius diei, quo omnes de actis rationem reddemus. Cogita quod etiam si quid tibi peccatū est, omnes abluere præuaricationes per iudicium & sententiam istam poteris absque laboribus, absque sudoribus. Alij nempe legati aurum & argentum, & alia huiusmodi dona ferunt: ego vero cum sacris ad regnum tuum legibus veni, & pro donis omnibus has pratendo, & te dominum tuum imitari supplico, qui quotidie à nobis contumeliam patiens non cessat bona sua omnibus ministrare. Et ne confundas spem nostram, nec promissiones redarguas. Etenim & hoc cum aliis te scire volo, quod si recõciliari velis, & pristinam ciuitati beneuolentiam communicare, & hanc remittere iustam indignationem, cum multa reuertar fiducia: si vero mente tua ciuitatem asperneris, non tantum ipsam non ascendam, nec ipsius solum videbo, verum & in reliquum negabo, & in aliâ me ciuitatem cõscribam. Ne mihi nanque accidat in illâ vnquam adscribi patriam, erga quam humanissimus tu, & hominum cunctorum mitissimus pacari recõciliariq; non eligas. Hæc & his plura locutus, sic regem confundit, vt idem fieret,

Luc. 23. c

Joel. 1. a

fieret, quod & in Ioseph contigit olim fieri. Sicut enim ille tunc fratres cõspicatus lugere quidem volebat, sed dolorem tegebat, ne simulationem interrumpere: Sic certe & rex, lachrymabat quidem mente, nec demonstrabat autem propter omnes presentes. Nec tamen vsque in finem æstum celare potuit, verum & inuitus redarguebatur. Post hanc enim cõcionem, secundis non opus habuit verbis, sed vnum solū locutus est verbum, quod ipsum diademate multo magis ornauit. Quid autem hoc est? Et quid admirabile & magnum est, si his qui nos contumeliis affecerunt, iram remittamus, hominibus existentibus, cum & ipsi homines simus, cum mundi dominus in terram descendens, & propter nos seruus factus, & à beneficio affectis crucifixus, pro crucifixoribus suis patrem orauerit, dicens: Ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt? Quid igitur admirabile, si nos cõseruis ignoscamus? Et quod hæc verba non sunt simulatio, demonstrarunt quidem & reliqua opera, nec his minus illud quod nunc sum relaturus. Ipsum enim hunc sacerdotem secum communiter hanc solennitatem celebrare volentem, inuitum properare & festinare coëgit, & se ciuibus exhibere. Noui, inquit, quod nunc ipsorum sunt animi conturbati, & multæ supersunt calamitatis reliquæ. Abi, cõsolare. Si gubernatorem viderint, nec præteritæ reminiscuntur tempestatis, verum & ipsam tristitiam memoriam omnem debeant. Vt autem instituit pontifex, petens vt filium suum mitteret: volens ille manifeste demonstrare, quod omnem penitus iram mente detererat: Orate, inquit, hæc auferri obstacula, hæc bella extinguere, & ego veniam omnino. Quid anima mitius illa esse possit? Confundantur gentiles de reliquo, quinimo ne cõfundantur, sed erudiatur, & proprium omittentes errorē ad Christianitatis virtutem redeant, nostram à rege, & pontifice docti philosophiam. Non enim hæcenus tūc substitit piissimus rex, sed & postquam ex vrbe sacerdos exiuit, & pertrãsiit mare, misit ad eum quosdam, sciscitans & satagens, ne forte tempus tereretur, & ciuitati voluptatē dimidiaret, extra urbem solennitatem peragens. Quis pater mitis tantam de persecutis se contumelia curâ egit? Dicam & aliam iusti laudem: his enim expeditis non festinauit, vt alius gloriæ cupidus, ipse literas illam tristitiam soluentes deferre. Sed quoniam maturius ibat, alium quandam velociter equitare doctum mandauit præuenire, & bona ciuitati nuncia afferre, ne ex reditus sui tardatione tristitia prolongaretur. Quod enim ipse quærebat, solum erat, non vt ipse veniret bona hæc deferens, & voluptatis multæ plena, sed vt ocyus nobis patria respiraret. Quod quidem fecistis, forum coronantes, & lucernas accēdentes, & lectos ante officinas componētes, & tanquã nuper ciuitate nata, festū agētes. Hoc aliter per omne facite tempus, nō floribus, sed virtute vos coronantes, lumen per opera in anima vestra accēdentes, spiritali gaudentes laticia, & deo continue pro his omnibus gratias agere non desinamus: nō tantum quoniã grauius soluit, verum quoniam & ipsa fieri permisit. Et multū ipsi nos debere cõfiteamur. Per vtraque enim nobis ciuitatem ornauit. Hæc autem omnia secundū propheticum eloquium, filiis vestris annunciate, & filij vestri filiis suis, & illi rursus generationi posteræ, vt omnes qui vsque ad consummationem sint, dei humanitatē ciuitati exhibitam discētes, vos quidem bearificent tantam nactos beneuolentiam: admirentur autem & dominū nostrum, qui sic lapsam ciuitatē releuauit. Lucrentur vero Tomus quintus.

& ipsi, & per talium gestorū exempla ad pietatem impellantur. non enim nos tantum, si in ipsorū memoria cõtinue maneamus: verum & post nos futuros, eorum quæ nobis euenerunt narratio, maxime iuuare potest. Quæ omnia ratiocinantes, nō tantum in grauium solutione, verum & in horum permissione semper clementissimo deo gratias agamus, tum ex diuinis scripturis, tum ex nobis accidentibus, his præsertim memoratis edocti, quod omnia semper ad vtilitatē nostram dispensat cum benignitate sibi semper adhærente: qua nos semper fruētes, cœlorum quoque regnum assequi contingat, in Christo Iesu domino nostro, per quem & cum quo patri simul & sancto spiritui gloria, potestas & honor, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Catechesis ad illuminandos, & de mulieribus se seris & auro ornantibus, & de sectantibus vaticinia, vel ligaturas vel incantationes: quæ cuncta Christianitati sunt aliena.
Homilia XXI.

PRIVS dictorum apud charitatem vestram fructus à vobis repetiturus adueni. non enim propterea dicimus, vt tatum audiat, verum & vt dictorum memoriam seruetis, & per opera nobis memoriam demonstratis, magis vero non nobis, sed deo mentis atcana scienti. Propterea & catechesis, id est instructio dicitur, vt & absentibus nobis sermo noster mentes vestras instituat. Et ne miremini, si decem diebus tantum transactis seminū fructus repetituri venimus. Etenim die sola licet pariter & semina spargere, & messem facere: non enim propria tantum virtute, verum & diuino momento roborati, sic ad certamina vocamur. Quicumque igitur dicta susceperunt, & per opera impleuerunt, maneant se extendentes in anteriora. Quicumque vero bonam hanc operationem nō attingerunt, iam attingant, vt ex torpore natā damnationem futura promptitudine repellant. Licet enim, licet inquam, eum qui multū torpuit, post hæc promptitudine vtendo, præteriti temporis omnē reparare iacturam. Idcirco dicitur, Hodie si vocē eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione. Hoc autem dicit, admonens & consulens nunquã desperare, sed donec hic simus, bonas habere expectationes, & anteriora apprehendere, & ad brauium supernæ dei vocationis sequi. Hoc igitur faciamus, & magnæ huius donationis nomina exquiramus. Sicut enim dū ignoratur dignitatis magnitudo, segniores facit eos qui honoratur: ita si noscatur, gratos reddit, & magis studiosos efficit. Alioquin & turpe esset & ridiculū tanto potentes apud deū honore, nec scire quid ipsius tandem nomina significare velint. Et quid de hoc munere dico? Si enim commune generis nostri nomē cogitaueris, maximam ad virtutem capies disciplinā & exhortationem. Hoc enim nomen homo, nos nō secundum externos definimus, sed vt diuina iussit scriptura. Nam homo non est quicumq; simpliciter manus habet & pedes humanos, nec quicumque tantum rationalis est: sed quicumque pietatem & virtutem cum fiducia exercet. Audi nanque quid de Iob dicit. Cū enim dixisset, quod in terra Hūstide homo erat, non ex his eum describit terminis, quibus alieni, nec hoc dicit, quod duos pedes habebat, & vngues latos: sed indicia pietatis illius præbens dicebat, Simplex & rectus, ac timens deum & recedens à malo. Demonstrans quod hoc est homo, sicut Iob. 1. a scilicet & alius inquit, Deum time, & ipsius mandata Eccl. 12. a custodi,

Psal. 94. b

custodi, quoniam hoc est omnis homo. Si autem hoc nomen homo, tātā ad virtutem prabet exhortationem, multo magis fidelis. Fidelis enim propterea vocaris, quoniam & credis deo, & ab eo creditatam ipse iusticiam habes, sanctitatem, iudiciam animā, in filium adoptionem, regnum cœlorum, & hæc tibi commēdauit. Tu vicissim ipsi alia vouisti, elemosynam, orationes, modestiam & omnem aliam virtutem. Et quid dico elemosynam? Si vel frigidū ipsi dederis poculum, nec hoc amittes: verum & hoc in illum referuat fedulo diem, & cum multa reddet superabundātia. Hoc quippe admirabile est, quod non tantum deposita seruat, verum & multiplicat retributionibus. Hoc & te secundum potētiam tuam facere iussit in his quæ tibi credita sunt, sanctitatem, quam accepisti, intendere: & ex lauacro iusticiā reddere clariorem, & gratiam illustriorem facere: sicut vtique & Paulus fecit, sequentibus laboribus, & studio, & promptitudine augens omnia quæ accepit bona. Et nota dei prouidentiam, nec tibi totum hic dedit, neque toto priuauit: sed hæc quidem dedit, hæc autem promisit. Et quare non hic totum dedit: vt tu fidem in ipsum demonstrares, nondum datis ex ipsius promissione sola credēs. Quare vero rursus non omnia illic seruauit, sed dedit & spiritus gratiam, & iusticiam, & sanctificationem: vt tibi labores leues faciat, & ex iam datis etiam de futuris te bonæ spei cōstituat. Propterea quæ recenter illuminatus vocari debes: quoniā noua lux semper tibi, si velis, & nunquam extinguitur. Hanc nempe lucem & volentibus nobis, & nolentibus nox subsequitur. Illum vero radium tenebræ non norunt: lux enim in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Non sic enim mundus est clarus oriente radio, vt anima illustratur, & splendidior fit à spiritu gratiam suscipiens. Et considera diligentiam rerum naturam. Noctē enim terras tenente, & tenebris caligantibus sæpe funiculum quis cernens, serpentem esse putauit, & amicum accedentem tanquam inimicum fugit: strepitum quempiam sentiens, trepidus factus est: facta autem die nihil tale fieret, sed omnia qualia sunt apparent: quod & in anima nostra cōtingit. Postquam enim gratia veniens mente tenebras expulit, rerum veritatem discimus, & nobis fiunt despicabiles res prius tremendæ: nec enim amplius mortem timemus, diligenter ex hac sacra introductione discentes, quod mors non est mors, sed somnus, & dormitio temporaria: non pauperiem, non morbum, non aliud quid huiusmodi reformidamus, scientes quod ad meliorem tendimus vitam, immortalem & incorruptam, & ab omni tali liberā in æqualitate. Ne igitur amplius ad mortalitatem maneamus hiantes, nec circa mensæ delicias, nec circa vestimentorum ornatum: habes enim maximum indumentū, habes mensam spirituales, habes gloriam supernam, & omnia tibi Christus factus est, & mensa, & vestimentum, & domus, & caput, & radix. Quotquot in Christo enim baptizati estis, Christum induistis. Ecce quo modo vestimentū tibi est. Vis discere, quo modo & mensa tibi sit? Qui me comedit, inquit, viuet ille propter me. Quod autem domus est tibi? Qui comedit carnem meam, in me manet, & ego in eo. Et quod radix, rursus inquit: Ego vitis, vos palmites. Et quod frater, & amicus, & sponsus: Non amplius vos dicam seruos: & vos amici mei estis. & Paulus: Despōdi vos vni viro virginem castam exhibere Christō, & rursus: Vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Nec fratres tantum ipsius, verū & pueruli fiamus. Ecce enim, inquit,

Math. 10. c

Ioan. 1. a

Gala. 3. d

Ioan. 6. f

Ioan. 15. a

2. Cor. 11. a

Rom. 8. f

A ego & pueruli, quos tradidit mihi deus. Nō hoc autem solum, verum & mēbra ipsius & corpus eius. Tanquam enim nō sufficerent dicta demonstrare beneuolentiam & charitatem, quam erga nos exhibet, & aliud his maius, & propius posuit, se caput nostrum appellans. Hæc autem omnia certō scies dilecte, sis gratus erga benefactorem tuum optima cōuersatione, & sacrificij magnitudinem cogitans, orna corporis tui membra: cogita quid manu capias, nec vnquam vllū verberare audeas, nec tātō decoratum munere, plagæ crimine confundas. Cogita quid manu capias, & ipsam ab omni auaricia & rapina liberam conferua. Reputa, quod nō tantum manu capias, verum & ori admoueas, & linguam custodi à contumeliosis mūdā & turpibus verbis, blasphemia, periuurio, & aliis omnibus huiusmodi. Etenim perniciosum est, tam tremendis ministrantem mysterijs linguam, & sanguine tali purpuratam, & factum aureum gladium ad conuicia & contumelias, & scurrilitates transferre. Reuerere eam honore, quo dominus ipsam honorauit, nec ad peccati vsum ipsam deducas: sed rursus animaduertēs, quod post manum & linguam cor suscipit horrendum illud mysterium: ne vnquam in proximum sumas dolum, sed mentem tuam ab omni malicia mundam cōserua: sic & oculos, & aures munire poteris. Quo modo enim non est absurdum post mysticam illam vocem à cœlis delatam, à Cherubin dico, meretricijs cantibus, & fractis melodijs aures inquinare? Quo modo vero non extrema pœna dignum est, oculis quibus arcana vides & horrēda mysteria, his meretrices spectare, & mente adulteriū exercere? Ad nuptias vocatus es dilecte, ne intres sordidis indutus vestimentis, sed nuptijs congruam cape vestem. Si enim ad nuptias sensibiles homines inuitati, etsi omnium pauperrimi sint, mutuo sumentes sæpe, vel ementes vestimentum mundum, sic ad se vocantes conueniunt: & tu ad nuptias spirituales, & prandia vocatus regalia, consideres quā dignum sit te nuptiale vestimentum comparare. Verum enim uero nec opus est comparare, sed ipse qui vocat tibi dat gratis, ne vel paupertatem prætereundere valeas. Serues itaque quod accepisti vestimentum. Si nanque perdideris, amplius emere non poteris, aut mutuare. Nusquam enim venditur tale vestimentum. Audisti quo modo gemuerunt dudum sacris introducti, & pectus percusserunt, eos stimulante conscientia? Cōsidera igitur & tu dilecte, ne vnquam hoc patiaris. Quo modo autem non patieris, non expulsa praua malorum consuetudine: Propterea & prius dixi, & nunc dico, & dicere nō desistam, si quis morum vicia non corripuit, nec sibi facilem parauit virtutem, ne baptizetur. Priora nempe crimina lauacrum ablueri potest: timor autem non paruus, & periculum non modicum, ne rursus ad eadem redeamus, & vulnus nobis fiat de medicina. Quanto nāque maior gratia, tanto amplior postea peccantibus pœna. Ne igitur ad pristinum redeamus vomitum: hinc iam nos ipsos erudiamus. Quod enim oporteat prius pœnituisse, & à prioribus destituisse malis, & sic ad gratiā accedere, audi quid Ioannes dicat, quid vero summus Apostolorum baptizari debentibus. Ille nempe dicit: Facite fructū dignum pœnitentiæ: & ne incipiat dicere intra vos, Patrē habemus Abraham. Hic autem interrogātibz rursus aiebat: Pœnitentiā agite, & baptizetur quisque vestrum in nomine domini nostri Iesu Christi. Pœnitentiā agens autē non amplius eadē attingat negocia, quorum pœnituit. Propterea quæ iubemur dicere: Abrenunciatio tibi

156

157

158

159

160

fatana, ne amplius ad ipsum reuertamur. Sicut igitur in pictoribus accidit, sic & nunc fiat. Etenim illi tabulas proponentes, & albas circumducentes lineas, & regias depingentes imagines: priusquam colorum veritatem superinducāt, cum omni libertate hæc quidem delent, hæc vero repingunt, & errata corrigētes, & male habētia transponentes: postquam vero iam colorem induxerint, non amplius libertatem habēt rursus delendi & depingēdi: quoniam imaginis pulchritudini nocerent, & sine culpa fieri nō posset. Hoc tu quoque fac, puta animam esse tibi imaginem. Priusquam igitur superueniat vera spiritus tinctura, male insitas tibi cōsuetudines dele, siue iurare, siue mentiri, siue contumelias inferre, siue turpia loqui, siue ridicula facere solitus es, siue quid aliud huiusmodi non licitum faciendi cōsuetudinē habes, erue consuetudinē, ne post baptisma rursus ad ipsam regrediaris. Peccata delet lauacrum, Tu consuetudinem corrige, ne iam inductis coloribus, & illustrata imagine regia, amplius deleas, & vulnera & cicatrices inferas à deo tibi dato decori. Corripe igitur irā, extingue furorē, siue quis afficiat iniuria, siue contumelia, lachrymis illū persequere. Ne indigneris tu, cōdole, ne exacerberis: ne dicas, In anima patior iniuriā. Nemo est in anima iniuriam patiens, nisi nos ipsos in anima iniuria afficiamus. Et quo modo id ita sit iam dicam. Ablata est res tua, nō passus es in anima, sed in pecuniis: si tu vero mali memoriā serues, in anima tu te ipsum læsisti. Pecuniæ enim ablatæ nihil animā læserūt, verum & adiuuerunt. Tu vero non iram dimittēs, pœnas illic huius seruatiō malorū memoriæ dabis. Cōuicijs te quispiam & contumelias affecit, te nil in anima læsit, sed nec in corpore. Tu te ipsum in anima læsisti, eorum quæ dixisti, illic pœnas subiturus. Et hoc omnium maxime vos certum scire volo, quod Christianū & fidelem in anima potest lædere nemo, nec ipse diabolus. Nec hoc tantum est admirabile, quod nos deus omnibus incurribus inexpugnabiles fecit: verū & quod ad omnem virtutis operationē nos aptos parauit: & impedimentum nullū est, si velimus, licet pauperes simus, siue corpore imbecilles, siue abiecti, siue ignobiles, siue serui. Nec enim paupertas, nec imbecillitas, nec corporis diminutio, non seruitus, non aliud talium quippiam, ad virtutem impedimentum esse queat. Et quid dico pauperem, & seruum, & ignobilem? Etiā si captiuus sis, nec hoc tibi ad virtutē impedimentum esset. Et quo id modo sit, dicam. Quidam domesticorum te cōtristauit, & irritauit, ipsi iram remitte. Nunquid tibi ad hoc vincula & paupertas, & ignobilitas impedimentum afferunt? Et quid dico impedimentum? Potius adiuuāt nanque, & cooperantur ad superbiam comprimendam. Vidisti alium feliciter agētē, ne inuideas, nam nec hic paupertas impedimentum est. Rursus cum orare conuenit, sobria & vigili mente hoc effice, & nec hic vllum erit obstaculum. Benignitatem, māsuetudinē omnem exhibe, modestiam, honestatem: nec enim ista exteriorum indigent auxiliorū. Et hoc est virtutis maximum, quod non diuitiis, non potentia, non gloria, non alia quapiam talium rerum opus habet, sed anima tantum sanctificata, & nil amplius inquirat. Respice vero & in gratia hoc ipsum fieri: siue quis enim claudicet, & euulsi sit oculis, & corpore diminutus, siue in extremā delapsus imbecillitatem, ab horum nullo gratia venire prohibetur. Animā enim exquirat solā se cum promptitudine suscipientem, & hæc omnia prætercurrit. Externorum quidem militum, & corporis mensuram, &

A bonam carnis habitudinem exquirunt ipsos in exercitum deligere debentes. Non hæc autē sola militaturum oportet habere, verū & libertatem. Si quis enim sit seruus, reicitur. Cœlorum autē rex nihil tale requirit, sed & seruos in exercitum suum suscipit, senes & inualidos: neque enim taliū pudet: quo quid humanius aut benignius cogitari potest? Sic enim quæ vere nostra sunt, æstimari debent. Seruitus enim vel libertas nostra non sunt, quemadmodū neque proceritas staturæ aut breuitas, neque integritas ætatis aut senium, & quæcunque talia. Mansuetū autem & mitem esse, & his similia, volūtatis nostræ sunt. Et hæc sola à nobis deus exigit, quorum nos domini sumus, & valde cōgrue: nō enim propter propriā vtilitatē, sed propter beneficentiam nos ad sui gratiā vocat. Reges vero propter ministeriū suum: & hi quidem ad bellum trahunt sensibile, hic autem ad pugnam spirituales. Nec in bellis tantum externis, verum & in certaminibus eandem quis rationem videre possit. In illud enim theatrum trahi debētes, non prius descendunt in certamina, donec ipsos assumens præco sub omnium oculis circumducat clamans, & dicens: Num quis hunc accusat? Et quid illic non animæ, sed corporis pugnae sunt. Quare igitur generositatis rationes requiris? Hic vero nihil tale, sed totum cōtrarium: cum nō in manuum collationibus sint nobis certamina, sed in animi disciplina & mentis virtute, contrarium agonothea noster facit, non ipsum assumēs circumducit, & dicit: Num quis hunc accusat? sed clamat: Licet omnes homines, licet demones cum diabolo cōstituti ipsum accusent de turpissimis & occultis criminibus, nō reicio, nec abominor, sed ab accusatoribus ipsum liberans, & ab iniquitate absoluens, sic ad certamina duco: nec immerito. Illic enim agonothea nil certantibus confert ad victoriam, sed medius cōstitutus est: hic autē agonothea pietatis propugnatoribus cōmilito fit, & auxiliator, cum ipsis contra diabolū pugnam attingens. Nec hoc tantum est admirabile, quod nobis peccata dimittit, verum & quod ipsa nō reuelat, nec manifesta facit, nec accedentes cogit in medio patratā edicere, sed sibi soli rationē reddere iubet, & sibi confiteri. Etenim ex secularibus iudicibus, si quis alicui captorum latronum, vel furū diceret, vt peccata cōfiteretur, & à pœna dimitteretur, omni certe promptitudine hoc susceperent, salutis cupiditate pudorē contemnent. Hic vero non hoc est, verū & peccata dimittit, nec cogit presentibus quibusdā ipsa enunciari: sed vnū solum exigit, vt ipse remissione fruens, doni magnitudinem discat. Quo modo igitur non absurdum, vt in quibus nos ipse beneficio afficit, solo testimonio nostro contentus sit: nos autem in quibus ipsum colimus, alios testes quæramus, & ad ostentationem quicquam faciamus? Ipsius igitur benignitatem admirati, nostra ipsi exhibeamus, & ante omnia alia linguæ impetū refrēnemus, & ne semper loquamur. Ex multiloquio nāque non effugies peccatū. Si nempe dicendū vtile quid habes, aperi labia: si nihil sit necessarium, tace: melius est enim. Artifex manualis es, sed es psalle: sed non vis ore psallere, hoc facias mēte. Magnus comes psalmus. Nihil hinc graue sustinebis, sed tāquam in monasterio in officina sedere poteris: non enim locorum commoditas, sed morum probitas quietem nobis præbebit. Paulus enim in officina artem suam tractans, nihil ad propriam virtutem læsus est. Ne dicas igitur, Quo modo poterō cū artifex & pauper sim philosophari? Propterea nempe magis poteris philosophari. Nam paupertas

Prouer. 10. c

Acto. 18. a

diuitiis, & negocium ocio ad pietatem nobis est oportunitus: quippe cum & diuitia non aduertentibus impedimentum fiant. Cum enim iram dimittere oporteat, cum inuidiam extinguere, cum remittere furorē, cum orationem offerre, cum benignitatem & mansuetudinem, cum modestiam & charitatem exhibere, ubi paupertas impedimentum esse valeat? Non enim argētum erogantes hęc oportet obire, sed rectā exhibentes voluntatem. Eleemosyna maxime pecuniis eget, verum & ipsa per paupertatem magis effulget: etenim quæ duos oculos erogauit, omnium hominum erat pauperrima, & omnes superauit. Ne magnū igitur quid diuitias esse putemus, nec luto melius aurum esse cogitemus. Materie nanque precium non ex natura est, sed ex opinione nostra. Si quis enim diligēter inquireret, multo magis auro ferrum necessarium: illud nanque nullū vitæ confert vsum, hoc autē pleraque necessaria nobis expedit, innumeris artibus seruiens. Et quid dico auri & ferri comparationem? preciosis enim lapidibus hi vulgares magis necessarij: ex illis enim nihil vtile fieri posset, ex his vero domus, & muri, & vrbes constructæ sunt. Tu vero mihi demonstra, quæ de margaritis vtilitas istis, quinimo quod non inde fiat damnum. Etenim vt tu feras vnionem, innumeri pauperes fame premuntur. Quam igitur veniam assequeris? Vis ornare faciem, nō margaritis orna, sed modestia & honestate, sicq; vir gratiorem cernet aspectum. Ille nempe ornatus & in zelotypiæ suspicionem iniicere sæpe solet, & inimicicias, & contentiones, & pugnas. Nil autē aspectu suspecto turpius. Eleemosynæ vero & modestiæ ornatus, omnem quidem improbam suspicionem expellit, omnem autem vinculo firmiter coniugē conciliat: non enim tam decorum facit formæ natura fieri aspectum, quam ipsam spectātis affectus: affectum vero nihil sic, vt modestia & honestas inducere solet. Itaque licet pulchra sit aliqua, vir autem erga ipsam male affectus sit, omnium ipsi turpissima videbitur. Si vero non esse pulchrā aliquam contingat, iucunde tamen in ipsam se vir habeat, omnium ipsi pulcherrima esse videbitur. Non enim in eorum quæ cernuntur natura, sed in cernentium affectu iudicia fiunt. Aspectum igitur ornem modestia, honestate, eleemosyna, humanitate, charitate, erga virum dilectione, mansuetudine, benignitate, malorum tolerantia: Hi sunt virtutis colores, per hos allicias angelos, non homines, per hos ipsos habebis deum laudatorem: cum vero deus acceptauerit, & virū omnino tibi placabit. Si enim viri sapientia faciem illuminat, multo magis virtus mulieris illuminat aspectum: si vero putas esse magnum hūc ornatum, dic mihi, quæ vtilitas tibi in die illa de margaritis istis venit? Et quid opus diem illam commemorare, cum liceat & ex præsentibus hęc omnia demonstrare? Quum igitur visi in regem contumeliam exercuisse, ad tribunal trahebantur, & periclitabantur de extremis: tunc vxores & matres monilia aurea, & margaritas deponentes, & ornamentum omne, & vestimenta aurea, vilem & abiectam vestem capientes, & cinerem inspergentes sibi, & ante fori ianuas se volutantes, sic iudices exorabant. Si autem in his iudiciis aurea quidem monilia, & vniones, & varia vestis, insidiæ & proditio essent: mansuetudo autem & benignitas, & cinis, & lachrymæ, & vilia vestimenta magis iudicem conciliant: multo magis in iudicio illo inuitabili & tremendo hoc fiet. Quam enim rationem dicendam habebis? Quam, dic mihi, excusationem quando te dominus accusabit de mar-

garitis istis, & pauperes fame perditos in medium aget: propterea Paulus dicebat: Non in circumligaturis, & auro, vel margaritis, vel vestimento precioso. Hinc nepe struentur insidias. Si vero iugiter & ipsis fruamur, tamen omnino per mortem ab ipsis separamur. Ex virtute vero securitas omnis, & mutatio & ruina nulla. Verū & hic nos ea reddit tutiores, & illuc comitatur. Vis margaritas possidere, nec vnquam has diuitias deponere? Ornatum omnem auferens in Christi manus per pauperes reponere. Ille tibi cūctas custodiet diuitias, postquam corpus tuum multa cum claritate resuscitauerit, tunc tibi meliores circumponet diuitias, & ornatum maiorem, quippe cum sit hic præfens vilis & ridiculus. Cogita nanque quibus vis placere, & propter quos hunc induis ornatum, vt funarius, & ærarius, & institor admirentur conspicati. Deinde non confundaris, & erubescis te illis ostentans, & quos nec appellatione tua dignos censes, propter hoc omnia facies. Quo modo igitur hanc omnem vanitatem deridebis? Vocis illius recorderis, quam dum sacris initiaberis, emisisti: Abrenuncio tibi satana, & pompæ tuæ, & cultui tuo. Circa margaritarum enim cultū insania, est pompa satanica. Aurum enim cepisti, nō vt corpus vincias, sed vt pauperes soluas, & enutrias. Dic igitur continue, Abrenuncio tibi satana. Nihil hac tutius voce, si ipsam per opera exhibeamus, hanc & vos initiandi discere censeo. Hęc enim vox confederatio cum domino est. Et sicut nos seruos ementes, ipsos qui venduntur, prius interrogamus an nobis seruire velint: ita facit & Christus, quando debet te in seruitutem capere, prius interrogat an velis illum crudelem tyrannum dimittere & immittem, & ad fœdera suscipit: non enim coactum est ipse imperium. Et vide benignitatem. Nos nempe priusquam precium erogemus, interrogamus eos qui venduntur, & cum didicerimus quod volunt, tūc precium erogamus: Christus autem non ita, verum & precium erogauit pro omnibus nobis preciosum sanguinem suum: Precio enim, inquit, empti estis magno: & tamen neque sic cogit sibi seruire nolentes. Sed nisi gratiam habeas, & à teipso & sponte eius velis dominatum adscribi, nō cogo, inquit, neque compello, Et nos quidem improbissimos seruos ne emimus quidem. Quod si quando emimus, per errorē tale precium erogamus. Christus autem ingratos emēs seruos, & iniquos, optimi serui precium erogauit: imò vero multo maius, vt neque ratio, neque mens ipsius magnitudinem capiat: nō enim cœlum & terram, & mare dans, sed omnibus his preciosiorem sanguinem suum effundens, ita nos redemit: & post hęc omnia nō testes à nobis, non chirographa exigit, sed sola contentus est voce: & si dicas ex corde, Abrenuncio tibi satana, & pompæ tuæ, totum recepit. Hoc igitur dicamus Abrenuncio tibi satana: tanquam in illa die huius vocis rationem reddiduri, & ipsam custodiamus, vt saluum tūc reddamus depositum. Pompa vero satanica sunt, theatra, circenses, & omne peccatum & dierum obseruatio, & præfagia, & omina. Et quid tandem sunt omina? Sæpe domum quis suam egressus hominem vidit vnoculum, vel claudicantem, & ominatus est. Hęc est pompa satanica: nō enim hominis occurus malū facit esse diem, sed in peccatis viuere. Cum igitur exieris, vnum solum custodi, ne occurrat tibi peccatū, hoc enim est quod supplantat, præter hoc vero nec ipse diabolus nos quippiā lædere poterit. Quid dicis? hominē cernis, & ominaris, nec cernis foueam diabolicam: quo modo te illi, qui te nulla

affectit

affecit iniuria reddit inimicū: quo modo te fratri constituit aduersariū ex nulla iusta occasione? Et deus quidem vel inimicos amare nos iussit: tu autem nil lædentem auersaris, nil accusandū habes. Nec cogitas, quantum risus, quantum dedecus, imò vero quantum periculum? Dicam ne & aliud ridiculosius: Cōfundor nempe & erubescō, sed cogor propter salutem vestram dicere. Si virgini, inquit, occurreris, sterilis dies erit: si vero meretrici, dextera & bona, & multa mercatione plena. Occultamini, & frōtem percutitis, & ad terram inclinat: sed non nunc dum dicuntur verba, sed cum fiunt opera, erubescendum erat. Vide nempe quo modo & hic diabolus dolum abscondit, vt modestam quidem auersemur, impudicam vero gratā habeamus & amemus. Quoniam enim audiuit Christum dicentem, quod aspiciens mulierem ad concupiscendum, iam mœchatus est eā, & vidit multos lasciuia vinci, volens rursus per aliam viam ipsos in peccatum impellere, per hanc obseruationem meretricis mulieribus libenter oculos intēdere persuasit. Quid vero diceret aliquis de his, qui carminibus & ligaturis vtuntur, & de circūligantibus aurea Alexandri Macedonis numismata capiti, vel pedibus? dic mihi, hęc ne sunt expectationes nostræ, vt post crucē & mortē dominicā in gentilis regis imagine spē salutis habeamus? Ignoras quanta crux perfecit? Mortem dissoluit, peccatū extinxit, orō inane reddidit, diaboli soluit potentiā, & ad corporis sanitatem præstandam nō est fide digna: totum orbem exsuscitauit, & tu in ipsa non confidis? Et quid pati dignus non esses? Nō ligaturus vero tantum, sed etiā excantamenta tibi cōducis, vetulas ebrias & titubantes domū ducens. Nec confundaris, nec erubescis, post tantam ad hęc trepidans disciplinam: & quod grauius est errore, quando hęc admonemus, & dissuademus, putantes se excusari, dicūt, quod Christiana est mulier, hęc excantans, & nihil aliud loquitur, quam dei nomē. Propterea nanque magis ipsam odi & auersare, quod dei nomine ad contumeliam vtitur, quod se dicēs esse Christianam, gentilium opera facit: etenim & dæmones dei nomen fatebantur, sed tamen erant dæmones, & ita Christo dicebāt: Nouimus te quoniam es sanctus dei: & tamen ipsos increpauit, & eiecit. Propterea quippe vobis supplico, vt ab hac sitis fallacia puri, & tanquam baculum dei verbum habeatis. Et sicut sine calceamentis, vel vestimentis vestrum nemo in forum descendere eligeret: ita sine verbo hoc nunquam in forum prodeas, sed cum es ianuæ vestibula transgressurus, hoc prius loquere verbum, Abrenuncio tibi satana, & coniungor tibi Christe. Ne vnquā absque hac voce exeat: hęc erit tibi baculus, hęc armatura, hęc turris inexpugnabilis. Cum hoc verbo & crucē in fronte imprime: sic enim non tantum homo occurrens, verum nec ipse diabolus te quicquā lædere poterit, cum his te cernens armis vbique apparentē. Et hęc te ipsum iam hinc doce, vt cum signum ceperis, sis miles paratus, & contra diabolum trophæum erigens, iusticię coronam capias, quam nos assequi contingat, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, per quem, & cū quo patri gloria, simul & sancto spiritui potestas & honor, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Ioannis inter patres nostros sancti Archiepiscopi Constantinopolitani ieiunatoris de poenitentia, & continentia, & virginitate.

Homilia XXI.

Tomus quintus.

SIBEATVS Paulus Apostolus gentium doctor & ecclesiæ constitutus, posteriorum oblitus, & in anteriora se extendens, corpus corruptibile indutus, & incorporeis colluctans potestatis: qui cursum consummauit, & fidē seruauit: qui in ieiuniis perseuerauit, & in periculis probabilis factus est: qui in fame, & in siti optimus apparuit: qui ab Hierusalē in circuitu vsque ad Illyricū Christo seruiuit, Christum in seipso habens loquentem, terrestri angelus, & cœlestis homo, vocatus apostolus, & sancti spiritus receptaculum factus: qui vsque ad tertium cœlum ascendit, & ineffabilia illa audiuit verba: qui in corpore corruptibili paradysum habitauit, zelo incomparabilis, charitate magnus, ecclesiarum dei sollicitus curator, orator pietatis, imbecillium deductor, credentium pronubus, ludæorū redargutio, nostri omnium sarena, post mortificationem doctor, & post mortem præco, qui nobis demonstraui quo modo in cœlos ascendere oporteat. Si hic, inquam, tot possidens priuilegia, dicens: Nihil mihi ipsi conscius sum, timebat, & dicebat: Ne fortē dū aliis prædicauero, ipse reprobus fiam: quid faciemus nos, nullum ad virtutem incrementum adepti? Igitur vigilare oportet, & orare in omni tempore, & à deo petere, non aurū, non argētum, nec omnino diuitias terrenas, sed solum cœlorum regnum & in domino gaudere. Alij lætentur in diuitiis, alij in sanitate, alij in doctrina & gloria: virgo autem in domino, vt & ab ipso laudem habeat, dicens deo: Apud te laus mea. Nihil turpius, aut informis anima vicis obnoxia. Vnde anima pulchritudinem prouidere cōuenit, & dicere: Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem, vt & spūs interiorum tuam speciem cōspicatus dicat: Tota pulchra es, & macula non est in te. Sed vide etiam si virtutē præstiteris, nē extollaris in specie tua, ne forte propter superbiam tuā auertatur deus, & elatio tua redarguatur. Quid enim cōdignum his sustinere potes, quæ propter te Christus sustinuit? Humiliauit seipsum vt homo, te precioso sanguine suo redemit: qui dat escam omni carni, ieiunauit propter te: qui mellis dulcedinē creauit, qui cœlū stellarum cœtu coronauit, spinis propter te coronatus est, & vsque ad mortē obediens factus est: igitur in his nō lætari, sed plangere cōuenit, & credere dicenti: Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini: vt quæ in die fecimus, in nocte meditati gemamus. Ita cōpunctus Achaab vestē scidit, & indutus est sacco, & plorauit: & quid dominus? Non inducam, inquit, malum eius in diebus ipsius. Propterea & saluator ait: Beati qui lugent, non mortuum, non iacturam, sed peccatū: vt dicam, sicut David inquit, Lauabo per singulas noctes lectū meum, lachrymis meis stratū meum rigabo: & rursus: Exitus aquarū deduxerūt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam. Ablue lachrymis peccatorū sordes, frontē verbera, pulsa pectus, in sensum veni eorum, quæ peccasti. Si per oculos captus es, sicut olim David malē apertis fenestris: si contra animam tuam oculi tui fuerunt, concludē in gemitu oculum, quem malē in lasciuia reserasti, peccatorum enim consuetudo lapsum in peius trahit. Si purum habes vestimentum, caues ne pessundes omnino, ne quo modo fordideatur. Si primam, secundam, & tertiā contempseris maculam, iam velut fordidū habens vestimentum, non graue videtur, licet totum fiat lutum. Quid igitur orationibus opus est, ne quando offendamus ad lapidem pedem nostrum, vt angelus domini in circuitu

f iij nostro

Gene. 48. c
Psal. 8. a
1. Thess. 5. d

nōstro immittēs nos liberet, & ita dicere possis: Angelus eripiens me ab omnibus malis: vt te quoque vocet angelus, qui vocauit Abraham. Amat enim angeli eos, qui dominum suum diligunt. Sumite psalmum, & date tympanū, psalterium iucūdum cum cithara. Vnum capit, & tria exigit, ex tribus enim constituti sumus, vt dicit Paulus, vt integrum sit corpus, & anima, & spiritus: vt sit tympanum, pellem habet mortuam: igitur mortifica corpus, vt in tympano & choro laudes deū. Christus pro te dedit corpus ad deludendum. Vide ne dicas, quid vtilitatis in sanguine meo? Quid enim secundum meritum Christi talia pro nobis passi perficere possumus? Sis igitur planta fructuosa, vt deum laudes, pro viribus tuis fructifica. Si non potes perfectum ferrē fructum in centum, saltem dimidium in sexaginta: Si vero & hoc tibi graue, vel tertium perfecti, in triginta: tātum quod potes fructifica, ne velut infructuosus in ignem immittaris. Si vero habes aurum & argentum, bonas operationes: & si neque ligna, fraxinum & stipulam, vide ne tibi ipsi columnam statuas, quod odit dominus. Vide ne stet ratiocinatio tua, tanquam statua in iudicij die accusatrix tui facta: ne tunc incipias sine testibus argui, & sine demonstratione confitearis, quæ ex ignorantia fecisti, & locutus es, agnoscens. Luge ante tempus, ne illic audias: nunc pœnitentiam agis, cum non est pœnitentiæ tempus. Donec tempus habemus, operemur bonum. Aliud quodcunque forte possumus inuenire: tempus autem si amittamus, aliud inuenire non possumus: propterea Paulus quoque cōmonēs, dicit: Donec tempus habemus, operemur bonum. Lugeamus pro his quæ peccauimus, destillemus lachrymam in genas, & pectus tundamus, vt illic dentiū stridorem effugiamus. Lugeamus, vt beatificemur, sicut & Dauid. Non enim tantum lugebat, verum & laborabat, & lectum rigabat. Vnam noctem in iniquitate duxit, & per singulas lugebat noctes, penitus talia confitens: Dediisti mihi oculos, vt videam lucem tuam, ego autem his malē prospexi. Erraui aliquando malē intuitus, malē fenestras aperui, propterea lachrymis ipsas abluo. Sic igitur oportet lugere, & oculum malē conspicatum lauare. Et tu vulnus nosti, agnouisti medicinam, animæ tuæ ianuas munire festina. Non oculum tantum, verum & aures, & os. Istæ enim sunt fenestræ, per quas pro sententia vel bona prodeunt, vel mala. Vide ne mors subeat tibi per fenestras tuas, sed sint tibi semper in oculis honestatis mandata: in auribus, dei præceptorum testamēta: in ore, laudum cantica, & antiqui, nouiq; testamenti meditatio. Has fenestras deo quidem aperire, sed peccato occludere debemus. Dicit tu quoque secundum illam sanctam animam: Dixi, ascendam palmam ad tenendum sublimitates eius: re-ctitudinem amantem, & mundum habētem cor, & ad cœlestia bona currentem, nec circa terrena tantum distractam. Vide ne stimulos habeat palma tua, contra peccatum redargutiones. Sermones enim sapientum, tanquam boum stimuli: at qui his punguntur, corde compungantur, & omni peccato abstineant: sed diligēter ipsius altitudines retine, vt sine ruina permaneas continuē ventorū incurfus ferens insurgentes per tempus tentationum. Versare semper in diuinis scripturis. Sicut enim vinum dum bibitur, tristitiam sedat, & cor commutat in laticiam: sic & spirituale vinum dum bibitur, in laticiam conuertit animam tuam. Vbiq; dei recordare dicens: Prouidebam dominum in conspectu meo semper: quoniam à dextris est mihi ne cōmo-

Gala. 6. d

Psal. 6. b

2. Reg. 11. a

Canti. 7. c

Psal. 15. c

uear. Scribe sermones hos manibus tuis, & erūt incuncti præ oculis tuis. Si sic deum honoras, sit à dextris tuis: si vero ipsum cōtempseris, diabolus sit tibi dexter. Sic Iudæ cōtempnenti diuina dicit scriptura: Et diabolus stet à dextris eius. Per singulas horas glorifica dominum Christum dicens: Exaltabo te deus meus rex: nō tantum sermone, verum & opere. Sic enim Dauid quoque deum in seculum, & in seculum seculi exaltat: non diem, non mensem, non annum, non huiusmodi, sed in omni vitæ tempore. Sciebat enim quod quādoque laudat, tunc incipit. Dicit autē: igitur quale cor esse oportet quod semper deum exaltet? Quale Paulus habebat, dicens: Nihil mihi conscius sum. Sic erat & Dauid, dicens: Ab occultis meis munda me. Quale & saluator iussit habere, dicens: Beati mundo corde, quoniam ipsi deum videbunt. Sic igitur non peccans, per singulos dies deum exaltat, non tantum sermone, verum & opere ipsam rem exhibet non contemnendo, siue egritudo comprehendat, siue iactura, siue mors, dices cum Paulo: Quis nos separabit à charitate Christi? & reliqua. Non enim temere in stercore dominus habitat, sed in cœnaculo scopis mundato. Vt animam tuam velut dei habitaculum præpares, memento horrendi multum & tremendi illius diei, in quo omnes Christi throno assidentes, rerum hic gestarum rationes reddemus, ante omnium oculos peccata nostra ponentur, & rursum reuelabuntur, & ignorantibus ostendentur actiones, vbi ignis fluuius, & infopitus vermis, vbi omnia nuda & præcipitata. Vbi cordium nostrorum libri aperientur, & in medio manifestē legentur etiam occulta, nocturna & diurna, ex ignorantia & obliuione facta, quæ membris effecimus, quæq; nunc latent reuelabuntur. Cogita igitur, quod omnino nos hinc ad infallibilem migrare iudicem oportet: vbi nō tantum actiones, verū & verba & cogitata iudicantur: vbi terribiles etiam eorum quæ vidētur esse parua, pœnas dabimus. Hæc semper recordare, & inextincta nunquam obliuiscaris flammæ. Præuide venientem iudicare viuos & mortuos. Cogites angelorū milia, & myriadas tunc iudici assidentes: nūc auditus vocem tubarum, & tremendam illam condemnantis vocem præueniat. Præuideat oculus hos quidem in exteriores mitti tenebras, hos vero ianuis excludi post multum virginittatis laborem. Considera hos quidem velut zizania colligari, & in clibanos proici: alios manibus & pedibus victos in exteriores mitti tenebras: & alios in fopito vermi, & luctui, & dentium stridori traditos: hūc quidem de intempestiuo risu iudicari: hunc vero quod proximum affecit iniuria, vel quod fratrem scandalizauit: hunc quidem de incertis damnari criminibus: hūc vero de ociofo verbo pœnas exigi: hūc vero de mala sententia iudicium subire: hunc vero propter conuicium regno excludi: quædam autem propter seruatum iram intolerabilia patiētē: illum vero in ignominiam resurgētē aternam: hos autem Christi cognitione priuari & audire: Amen dico vobis, nescio vos: quoniam fecerūt quæ Christus prohibuit. His igitur sic se habentibus, quales nos oportet esse, vel quales emittēte lachrymas, & dicere: Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & lugebo dies ac noctes: Sed vt expectatā effugiamus pœnam, venite, præoccupemus faciem domini in confessione, & vitæ diligētia propiciationes domini dei inuocemus. In inferno, nanque ait, quis confitebitur tibi? Omnia nobis duplicia deus dedit, duos oculos, duas aures, duas ma-

164

164

164

164

164

164

164

164

164

164

164

164

164

164

164

164

164

164

164

164

164

164

164

164

164

164

164

164

164

164

164

164

164

164

164

164

164

Malach. 3.

Luc. 16.

nus, duos pedes. Si igitur horum alterum lædatur, per alterum necessitatem consolamur. Animam vero dedit vnam nobis: si hanc perdidimus, quā nam viuemus? Huius igitur prouidentiam faciamus, nihil ipsius saluti præferentes: quoniam hæc etiā est, quæ cum corpore iudicatur, & simul defenditur, & comparet ante Christi tribunal. Si tunc dixeris, pecuniæ me allexerūt: dicit tibi iudex: Non audisti, quæ vtilitas, si quis totum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiat? Si dixeris, diabolus me decepit: dicit tibi & ipse, quod nihil profuit Heuæ, quia dixit: Serpens me decepit. Hæc igitur mente tenentes, venite, excitemus nos ipsos priusquam obumbremur, priusquam veniat dies domini magnus, & appareat de quo propheta dicit: Ecce venit, & quis sustinebit: vel quis tolerabit diē aduentus eius? Tremenda dies illa tumultus, & tenebrarum. Sed dices: Quo modo igitur licet prædicta mala effugere? dicam: Non tantum corpus tuum custodias purum, sed cū mala passus benefeceris, si accuseris, continens sis & patiens, cum ieiunaueris ne glorieris: non enim ciborum abstinentia ieiunium operatur, sed abstinentia peccatorum. Scrutare enim scripturas. Vide quo modo primum virgā nuceam videt propheta, postea lebetem superardentem, demonstrans quod non sustinentem virgæ castigationem ignis suscipit. Sic & per Moysen demonstrabat ignis columnam, rebus clamans quod legem audiens, vidit lucem: inobediens autem suscipit ignem. Legite saluatoris scripturas, & discite, quo modo nos hinc illuc migrātes adiuuare potest nemo. Non frater fratrem redimet ex interminabilibus tormentis: non amicus amicū, non parentes filios, non filij parentes. Et quid dico homines miserabiles, cū neque si Noe veniat, & Iob, & Daniel, tum iudicātem exorare possint? Sed dices: Vnde horum demonstratio? Vide non indutum veste nuptiali ex sponsali domo expulsum, & neminem pro illo intercedentem. Vide talentum habentem creditum, & non negociatum, & quo modo pro ipso supplicat nemo. Respice mihi quinque virgines exclusas, & æquales pro ipsis non deprecas: quas & stultas Christus nuncupauit, quoniam post calcatas voluptates, post extinctum concupiscentiæ fornacem, post ieiunium, & lectum humistratum & vigiliam, tunc stultæ sunt inuentæ, & merito quidem: propterea quod seruato magno virginittatis munere, mandatum humilitatis paruum non custodierunt. Vide mihi in iudicij die iudicem oues à dextris constituentem, & infructuosos hædos à sinistris, & à dextris quidem positos dicentem: Venite benedicti patris mei, accipite paratum vobis regnum. A sinistris vero positos in tenebras exteriores repellentem, & eiectis posse succurrere neminem. Verus enim sermo dicens: Ecce homo, & opus eius. Audisti quo modo diues ille nunquam Lazari misertus, in vltionis loco tostus aquæ stillam sumere optauit? Cognouisti quo modo nec ipse Abraham supplicis tormenta lenire potuit? Quin igitur posthac nobis ipsis succurrentes, priusquam adumbremur, deo gloriam damus? Melius hic per ieiunium linguam arefcere, quā ipsam humidam seruare, & illic rorem concupiscere, & non accipere, & immortaliter torreri. Paruis hic laboribus magna repellamur tormenta. Cogita quod trium dierum febrem hic non toleramus. Si iudicium pœnas cernentes obruiimur, & hoc vix quinquaginta annis obnoxii damnationi: quale est igitur Christi tribunal, non tantum in quinquaginta annos, sed in infinita

protendens secula pœnam? Ingrediamor itaque per angustam portam, vt latam viam effugiamus, scientes quod velut somnium sunt omnia sensibilia, & generationi supposita sunt & corruptioni. Licet enim corporis fortitudinem habeamus, ipsam deiicit agriditudo, leticiam excipit tribulatio, pulchritudini succedit seuectus. Si mēsa lauta fruamur, superueniens vesper voluptatem dissoluit. Et quod generaliter præsentia sint aranea imbecilliora, & somniis fallaciora, propterea & saluator beatificat tribulatos, ne iucundorum voluptas fruentes in se retineret. Igitur sicut audiit Abraham: Exi de terra tua, & exiit: exeamus & nos ex affectione consueta, vt mortificationis meditatione in supernam transmigramus ciuitatem. Castigemus corpus & in seruitutem redigamus, ne anima serua fiat diaboli, continua diuinæ scripturæ meditatione fruentes: & in nobis voluptates tanquam syluestres feras sopiamus vbiq; domini Iesu mortificationem in corpore circumferentes, recordemur dicentis: Sobrii estote, & vigilate. Nemo dormiens coronabitur, neque recumbēs & stertens brauium capit: sed puluere, & plagis squalēs ipse apud agonotheam prius inuenitur, vulnera gerens, & sanguinem ostendens defluentem. Vnde postquam experientia didicimus, quā sit graue & difficile diaboli ministerium (fugit enim vigilantem, & dormientem spoliat) ne des somnum oculis tuis, ne palpebris dormitationem, vt salueris velut dorcas ex calibus, & velut auis ex laqueo. Fugiamus, inquam, vitæ huius laqueos & curas, & velut mūdo abrenunciantes nil carnale circumferamus: multæ enim diaboli insidiæ. Aduersarius noster diabolus, inquit, tanquam leo rugiens circumit quærens, non quem mordeat, vel frangat, sed quem deuoret. Fuge diaboli astutias, & dic domino: In te eripiar à tentatione, & in deo meo transgrediar murum. Ne fugias itaque laborem, vt assecuris coronam. Mercator non deficit, sed sustinet vndas, vt pecunias inueniat. Decertans athleta generose fert vulnera, respiciens ad coronam. Agricola non inuenit manipulos, nisi prius per proprios sudores semina mittat. Similiter in cœlum respicientes nihil putant tribulationes, bonorum spe roborati. Aduertamus igitur continuē, & obseruemus, quando sponsus surget à nuptiis, vt ipsius audita voce promptē consurgamus in occursum. Et vos, inquit enim, similes hominibus expectantibus dominū suum: qualem iam dominus beatum cēset, dicens: Beatus seruus ille, quem, cum venerit dominus eius, inuenerit vigilantem. Sicut autem vigilantem beatificat, ita miserum vocat negligentem, sic inquit: Si vero cœperit dicere malus ille seruus: moratur dominus meus venire, & inceperit verberare conseruos suos, comederēque & bibere cum ebriis, veniet dominus eius in die qua non expectet, & in hora, quam nesciat, & per medium diuidet eum, & partem ipsius cum hypocritis ponet. Si autem dicens, moratur dominus meus, per medium diuiditur: venient ipso, qui nec omnino dominum suum expectat, quid patietur? Paratos igitur nos esse, & expeditos ad hinc nauigandum oportet, & dicere: Paratum cor meum deus: in bello enim sumus in mundo, in circuitu impij ambulans, peccatores intendunt arcum. Hic quidem aures sagittat, vt iucunde detractionem audiamus: hic autem oculus in lasciuam excitat, ille vero linguam, vt fratribus conuicia inferat: hic autem vētrem in ingluuiem irritat, ille vero manum in auariciā & rapinam: alius pedes in maliciam mouere hortatur. Quibus de

1. Pet. 5.

Ibidem.

Eph. 6. *Mich. 6.* *Iaco. 4.* *Eccle. 1.* *Psal. 50.* *Exech. 33.*

causis Paulus pectus muniens armis spiritus, scribit assumenda esse arma fidei, & galeam salutis, quibus possint omnia maligni tela ignita extingui. Crede igitur voci propheticae dicenti: Indicabo tibi o homo, quid sit bonum, & quid dominus requirat abs te: utique facere iudicium & iusticiam, & amare misericordiam, & sollicitum ambulare cum domino deo tuo. Igitur posteriorum obliti, in tempore certemus, ut laborum fructus comedentes, in domino delectemur, nec incassum tempus omne temere absumamus, sed tanquam dominum bonum habentes, legitimam exhibeamus seruitutem: docet enim, commonet, protestatur, minatur, exhortatur, admonet, & mercedem obedientibus, regnum largitur. Accingentes igitur lumbos in veritate, domino seruiamus. Cogitemus quanta propter nos passus est saluator: incarnari, lactari, comedere & bibere, & dormire, tentari, laborare, baptizari, flagellari, & postremo crucifigi, & ita mori. Verè cogitare oportet tantam passum pro peccatoribus in se contradictionem, & sic ad sanguinem vsque resistere peccato repugnantes. Quot autem fecit miracula, morborum curationes, mortuorum resuscitationes, leproforum emundationes, demonum expulsiones, claudorum erectiones, & reliqua quorum non est numerus: & postremo in caelum ascensionem nobis largitus, ut & nos per virtutem & bonam vitam ipsum sequamur, caelestem possidentes conuersionem. Vbi enim adscripti sumus, illic debemus conuerti: hospites enim & peregrinos nos scriptura vocauit, ut praesentia contemnamus. Cui similis est voluptas: si pellas, fugit: si nutrias, permanet. Propterea dicit Apostolus: Resiste diabolo, & fugiet a vobis. Noli expectare finem, ubi poenitentiae remedium nihil valet. Verum & si quis ibi dentibus fremat, & si linguam habeat ardentem, digito guttam instillabit nemo: sed audit illa, quae & diues audiuit. Sciens igitur somnium praesentia, & velut in diuersorio habitantes, vnde nos exire est necesse: curam agamus vitae, & ad vitam aeternam viaticorum quae nobis ipsis paremus: induamus vestimenta nobiscum venientia, quae & apostolus nobis consulit, dicens: Viscera misericordiae, suauitatem, & reliqua. Non aurum illic volumus, sed rorem: non foliis illic opus, sed fructibus: non verbis, sed rebus. Non enim omnis dicens mihi, domine domine, intrabit in regnum caelorum, sed qui facit voluntatem patris mei. Ne nos igitur ipsos decipiamus. Detur enim quod per totam voluptati vitam nostram vacauerimus: sed quid ad infinita secula? Hic enim & bona & mala finem habent, illic autem immortales poenae. Hic si ardeat corpus, egreditur anima: illic vero incorrupto resurgente corpore, semper anima comburitur: & peccatores enim incorrupti resurgunt, non ut honorentur, sed ut immortaliter in tormentis permaneant. Si itaque balnei vehementiorem vaporem non ferimus, quo modo feremus igneam flumen? Opus est enim omnes ignem probare, si legitimum est aurum: oportet sigillum inquiri, ne forte ablatum fuerit thesaurus. Oportet probari, si talis est latens, & non est qui effugiat iudicis impetum. Sed omnino dices mihi, quo modo potest anima illic semper comburi? quo modo hic corpus manens in febre accenditur? Et si enim hic languente corpore exit anima, illic tamen non egreditur, sed necessitas est animam comburi. Est ne igitur aliquis, qui propter somnium velit semper puniri? Hoc enim praesens vita ad futuram. Qualis enim futurorum comparatio? Si nanque pra-

tereuntia talia, qualia igitur illa stabiliter manentia: Dum igitur tempus habemus, venite dilecti, animae vulnera lachrymis curemus, & ne contra nos ipsos manus dirigentes, talem poenam subeamus. Vnus enim, inquit, aedificans, & vnus destruens, quid aliud contulerunt, quam labores? Si enim templum ex lapidibus constructum Hieremias lugebat euersum, dicens: Sinite me, lugeam amare, ne conamini me consolari: quanto magis animam deplorare conuenit illo sanctiorem, in qua non phiala aurea habens manna, sed quae patrem habet, & filium, & spiritum sanctum, sanctam trinitatem inhabitantem? Si morientibus compatimur, quis tam sine misericordia est, qui animam suam morientem non deplet? Corpus enim voluptatibus fouens, animam suam occidit: animae vero curam gerens, corpus sanum non facit. Vnde non pro mortuis, sed pro nobismetipsis lachrymas deducamus. Recordemur fratres, quod tempus breue est, & iudicium praeforibus est, quod licet longinquus esset, nec ita tamen confidere oporteret. Nox praecessit, inquit, expergiscamur iam a somniis: etenim iucunda praesentia, sed somniis nihilominus fallacia. Nemo debet dormire solem cernens. Faciamus igitur fructus poenitentiae dignos, sicut scriptum est. Et sicut est in aqua baptizari facile, sic est facile animam poenitere. Non habuit opus tempore latro. Martyres in momento coronati sunt. Si vero venia indigna, & ad mortem peccauimus, salutare medicinas habentes ne desperemus. Non enim cecidisse graue est, sed post lapsum non resurrexisse satanicum & perniciosum est. Vnde & bonus Deus, & dominus noster clamabat: Nunquid resina non est in Galaad? vel medicus non est illic? Postea si corpus patitur, medicos vocamus, & herbas inquirimus, omnia mouemus, ut laesum membrum curemus: animam vero viciis laborantem negligimus, & nullam magis propriae partis rationem habemus. Timeamus eum, qui potest & animam & corpus in gehennam perdere, & ante tormentorum tempus venire, proiciamus nos ipsos in mare miserationum dei, dicentes: Lauabis me, & super niuem dealbabor. Stetit enim bonus pastor Deus, ut eriperet nos ex ore leonis priusquam ipse nos absorberet, clamat & nunc dicens: Filii peccasti, ne adicias ulterius. Nunquid cadens non resurgit? vel auertens non conuertitur? Conuertimini filij auersi, & sanabo contritiones vestras. Non mentitur Iesus, dicens: Non veni ut iudicem mundum, sed ut saluem mundum. Tantum poenitentiam agamus: non enim vult mortem peccatoris, quantum ut conuertatur & viuat. Non sic infans amator dilectam suam amat, ut deus poenitentem animam: vel reuocans dicit: Et post haec omnia dixi, conuertere ad me. Talis domini clementia, neminem ad se currentium auersatur, sed manum porrigit, dicens: Hodie si vocem meam audieritis, nolite obdurare corda vestra. Si enim medicus contumelia affectus ab eo qui curatur, adiumenta non negligit, non agrotantem vlscitur: quanto magis animarum medicus nostrarum? Solum ne de nobis ipsis desperemus. Athleta nanque saepe lapsus, postea victor effectus est: & miles vulneratus, & curatus circa finem non vulneratis probatior apparuit. Mercatorum multi ad inopiam redacti, rursus effecti sunt diuites: & naufragium passi, rursus post naufragium negotiati reuixerunt. Nunquid enim nobis deus ignem parauit? Non, sed diabolo & angelis eius. Tantum ne nobis ipsis ignem accendamus. Audientes itaque,

ite ad lumen ignis vestri, & flammam qua exusti fuistis, nullus est morbus, quem medici remedium sanare non possit. Sed dicis: perfectam non possum agere poenitentiam. Si non potes sol fieri, fias vel stella duntaxat. Tantum ascende super terram, incipe lucidis amulari syderibus. Melius est te vel pauca habere merita, quam omnino nullum habere. Poculum frigidum tibi Christus computat, infirmum visitare, & in carcerem simul descendere. Si enim verborum & cogitationum poenas damus, quanto magis iustificationum mercedem non amittimus: licet vilissima sint quae fiunt: igitur modicum temporis laboremus, ne bonis excidamus aeternis. Si enim mille mortes sustinere daretur, ut Christum in gloria sua venientem, & non amplius per aenigmata videremus, sed ipsis regem oculis contueremur, quis non censeret eligendum? Si nanque pulchritudinem hic apparentem, cinerem, puluerem, & vermem, ex corruptione, & phlegmate, & rheumate substantiam habentem videre quis concupiscet, quanto magis Christi speciem immaculatam si videamus? Si Petrus & socij quandam tenuem ipsius gloriae umbram conspicati dicebant: Bonum est nos hic esse, quid nos dicemus ipsum in tremenda gloria intueri expectantes? Si sic regi assidentes beatificamus vehiculum cernentes aureum, & purpuram, & coronam, quales nos esse decet totum mundum iudicare debenti assidentes? Nonne si quis terrenum te ad regnum vocaret, & praecipitia, & scopulos, & molestias via multum habente, omnia subires causa regnandi? Ne dicas: In quibus peccaui, ad minimum conuerti non possum. Et Dauid rex cecidit, sed ita surrexit, ut maiorum suorum curator fieret. Supplantauit nos diabolus, sed nosmet resuscitemus. Suscepit nos Christus occurrens, sicut filium pater. Cogitemus, quod post regnum & delicias, & omnia peracta Salomon dicebat: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Igitur si nos laudare debent in teatro sedentes, quandoque & serui, vel praedones, vel grassatores, & homines vilissimi, non omnimodo studeremus ut laudem arriperemus: ubi vero angeli & archangeli, & reliquae potestates, & illorum omnium theatrum nos praedicare debet, quid nos pro illo faciemus? Nunquid meretrices & publicani nos in regnum praecedent? Conuenientia sunt in diuinis auxiliis scripturis. Euaserunt per hanc medicinam minas Niniuita per ieiunium, meretrix dominum lachrymis conciliauit. Paulus peccatum confitens, poenitentium fit doctor: latro credens, paradisi ciuis factus est. Haec medicamina capientes, vulnera nostra curemus dicentes: Sana me domine, & sanabor. Et sana animam meam, quia peccaui tibi. Suscipiens enim medicus dicit: Ego sum qui deleo peccata tua, nec amplius recordabor. Vides quot tibi medicinas medicus parauit? Ipse elige quam vis. Auxiliorum tibi varietatem iuxta vulnerum differentiam demonstrat. Si non potes eleemosynas facere, compungere: si non potes ieiunare, sicut Niniuita, saltem ut meretrix peccata lachrymis ablue: si ieiunare non potes, peccata tua redimere, eia ad misericordiam dei confuge cum Dauid dicens: Miserere mei deus secundum magnam misericordiam tuam. Non est enim viperam morsus, ut super ipsum medicinam imponam, nec macula ex luto facta, ut ipsam aqua abluam, sed ex diaboli morsu vulnus egens clementiae tuae misericordia tua. Tantum accede petens, & oleum instillabit benignus, qui dixit: Si conuertatur impius a via sua mala, non recordabor iniquitatum eius, quas commisit.

Tantum vulnus reuela, & dic: Miserere mei deus, miserere corporis & animae meae, miserere mei & hic, & in futuro seculo: miserere mei & propter naturae infirmitatem, & propter tuam bonitatem. Tantum desiderari curari: salutem enim tuam medicus quaerit, qui errantem ouem conuertit, qui ad malos & bonos vocandos in biuia misit. Ecce & nunc tibi vendit regnum caelorum. Si non habes obolum vnde emas, eme gemitu. Fragmento panis caelorum regnum tibi retribuit: Ecce clamat Propheta dicens: Quis vult emere vitam? Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos? Non habentes, inquit, argentum, absque argento tollite. Quid enim quaerit a nobis deus? Non habes, inquit, pecunias: non compunctionem, non potentiam, non luctum, non aliud quid eorum quae quaeruntur? Prohibe linguam tuam a malo, & labia tua ne loquantur dolum: & in salutem tibi sufficit. Vide si ieiunasti, ne altum sapias: si eleemosynam exhibuisti, ne inaniter glorieris, sed potius praeterito ieiunio computa quid ex inedia consecutus es, nunquid talis egressus sis, qualis ingressus. Vide quam inde abstulisti mendam, vel in quo tempore melior factus es, vel quae es affectus profectum, vel quae correxisti defectum, si ab ira destitisti, vel conuicio, si fratri non detraxisti, si irare destitisti, vel aliud quid boni es operatus. Si vero cibus tantum abstinuisti, nec vllum aliud egisti bonum, quid non comededo profecisti? Forte enim dicit tibi: Vere non potuisti ieiunare, quare inimicis tuis non reconciliatus es: quare liuorem & inuidiam habens perseuerasti? quid autem & te contristanti succensuisti? Nec hoc solum, verum & in malorum memoria permansisti, quod nullum peius est malum. Qui nanque corporale peccatum fecit, fecit malum, & cito destitit: malorum autem recordans nocteque & die, & omni hora peccatum operatur. Si horum memineras, nunquam recordaberis contumeliae. Quapropter, quia te ille affectus contumelia, tu praepceptorem deum ne contumelia afficias. In orbis enim teatro haec omnia reuelantur. Vnde priusquam in perditionis lutum cadamus, tantum fugiamus supplicium, & cogitemus quod iudicis nos illis horrendis eripiet nemo, non ipse Noe, non Moses, non Dauid, non Abraham qui filios & hospites tantum dilexit, supplicio subtrahet. Cogitemus quod multis obnoxij sumus peccatis, & terribilibus & incertis. Si enim iniquitates obseruaueris domine, domine quis sustinebit? Et quid de occultis dico? Si manifestorum poenas a nobis exiges, quae habebimus veniam? Si in orationibus torporem discutias, vel in ieiuniis negligentiam: & quod ante ipsum constituti non tantum ipsi impendimus honorem, quantum magistratibus milites, nec quantum amicis amici. Cum quanta nempe attentione amicum alloquimur? Deum autem pro peccatis deprecantes torpemus, & genibus nostris humi flexis exterius cogitatione versamur. Si ab his tantum inceperit, & rationem exigere voluerit, ubi igitur submergi poterimus? Quid vero, si in medium deducat accusationes, quas alter in alterum agimus, si & superfluos aspectus nostros examinet, si malas inquirat concupiscentias, si & de conuiciis nostris rationem exigat, nunquid os aperire poterimus? Si vero vanam quoque gloriam, quam sustinemus orantes & ieiunantes, & eleemosynam facientes, poterimus ne in caelum respicere? Si autem & dolos, quos alter in alterum sumus, & praesentem quidem tanquam amicum alloquimur, absentem vero detrahimus: quantas igitur sustinebimus poenas? Si vero iuramenta quoque

quoque & mēdacia, & liuores, & iniustas indignationes: si periuria computet, & tristitias respiciat, quibus male patientes, insultantes afficimus: si torporis quoque in cōcionibus pōnas repetat, quando ipse deus per scripturas loquitur, nos autem ipsum dimittentes cum nostris conferuis loquimur, quas iam subiremus pōnas? Vnde semper ante oculos gehēnā habeamus. Cū enim si etiam gehenna non intenderetur, peccata vitare deberemus: quanto magis hac imminente propriorū reminiſci peccatorum debemus: Recordare æterni iudicis. Ecce enim vltionē tibi prædico vt periculū fugias. Si dixerit tibi, ieiuna, præ tendis imbecillitatē: si tibi dixerit, cōpatere, negligentia tibi ipsi supponis. Si tibi dixerit, noli irasci: quid cōtra hoc dicere potes, vbi neque ignorantia, neque negocium virtutem exercere prohibet? Quo modo igitur cū venia sis indignus peccati, in cōlum manus extendere poteris: quo modo linguā mouere: quo modo veniā petere? Iniuria affectus es, re tua priuatus es, malē audisti: magnopere læsus es, expecta principis sententiā. Si enim cuiuspiā seruū contumeliatum tibi nō ipsum verberas, sed ipsius domino offers: quāto magis erga illum, qui dixit: Mea est vltio, & ego retribuā: ieiunasti à cibis: vide quod inde peccatū abstulisti, vel in quo te ipso factus es melior, vel quem acquisisti profectum, quē me defectum correxisti. Sciens itaque, quod ante domini tribunal sistendus es, vbi nihil linguæ valet facultas, non auxiliatur aduocati, tanquā anima tua sit per ignem transitura, præmitte rorem, funde lachrymarum fontes. Habes puteum, ex cordis profundo tristitiam hauri, geminas commoue pupilas, & lachrymarum profunde fluenta, secundum peccatorum proportionem sit tibi lachryma. Si magnus est lapsus tuus, maior sit lachrymarum tuarum torrens. Si vero puritatem quoque retines, alteri mutua lachrymam, & pro fratre lapsa plora, vtinam vero saltē pro peccatis lachrymaremus propriis. Vnde peccatū processit, oriatur fons medicinæ: Et priusquam ianua ocludatur, pœnitentiam agamus. Vbi peccatum, illic fiat & solutio. Ne hic sit peccatum, & in cœlo pœnitentia. Potestatem enim habet super terram peccata dimittere, qui nos redemit saluator. Vnde qui stare videtur, videat ne cadat. Qui vero iam lapsus est, surgat. Qui cecidit, non cōfringatur. Si quis autem & confractus est, adest dominus qui contritos sanat. Accidit aliquātum moueri, vt ait sanctus Dauid. penē effusi sunt gressus mei. Si dicebam, inquit, motus est pes meus, misericordia tua domine adiuuabat me. Accidit subuerti, & non cadere. Impulsus enim euersus sum, vt caderem, & dominus suscepit me. Est & lapsus remedium, in ruina non permanere. Nunquid qui cecidit, nō resurgit? Est & contritio salutis spes. Dominus enim, inquit, sanat contritos. Sed vide ne mollescas audita dei bonitate. Deus enim, inquit, iustus & fortis, & longanimis, & per singulos dies iram non inducens, vt pote scilicet clemens, quia pœnitentiam suscipit. Si vero non conuersi fueritis, gladium suum vibrabit. Interim non cedit, vibrat tantum, vt splendorem conspicuas, & terretur ad pœnam non peruenias. Non cedit gladius, sed terret, vt ipsius timor ad pœnitentiam te suscitet. Arcū suum tetendit & parauit illum: tetendit, non immisit sagittam, vt te forma terreat. Congruus iudex, ne contemnas arcum: intentus enim est, ne mollescas: quoniam interim sagittam non cernis, ne negligas propter ipsius longanimitatem. Audi salutarem illam vocem: Sis beneuolus aduersario tuo. Quotidie cum ad-

uersario iter agis, cuius comitatum effugere non potes. Paulus te instruit, dicens: Caro concupiscit aduersariū spiritum, & spiritus aduersus carnem. Hæc enim sibi inuicem aduersantur. Resistat spiritus carni, spe filius expectata, comparans concupiscentiam mundi, & regnum cœlorum. Caro enim ad puluerem declinat, anima vero diuinam imaginem imitari studeat. Ita beneuolus sis aduersario tuo, donec es in via cum ipso in hac vita. Cum enim via consummata fuerit, non amplius tibi pœnitentiæ tempus. Vide ne te tradat aduersarius iudici, & iudex vltimicus potestatis, & comitarius in carcerem, in tenebras exteriores, donec reddas vltimum quadrantem, nō tantum de actionibus, verum & de cogitationibus iudicandus. Hæc igitur omnia scientes, nobismet auxiliemur. Tunc enim cognoscemus, quā sit amara voluptas, cum re ipsa experimur quānta nobis sit amaritudinis ministra. Scientes igitur cum quibus nobis sit certamen, inuocemus misericordem deum, ne dæmonibus tradamur, dicentes cum beato Dauid: Ne tradas me domine persequenti tibus me. Ipsi nanque nos ad peccandum incitant, & iidem sunt accusatores. Non enim os solus contra nos diabolus aperiet, verum & alij dæmones dicentes: Num nos ministri vobis fuimus, vt irasceremini, vel vana duceremini gloria, vel in fratre inuheremini? Timeamus fratres diem illum in quo nostræ cogitationes iudices fient aduersus nos acerbiores. Ne igitur aduersarios testes expectemus, sed potius aduocemus dominum deum. Et si enim est infirma, qua induti sumus caro: veruntamē magnus est qui succurrere potest Christus & saluare in regno suo. Igitur amare conuenit dominum, & tanquam benefactorem, & tanquam sibi legitime seruiens diligentem. Etenim nos quoque propterea quenque diligimus, propter hæc tria, vel propter pulchritudinem, vel propter beneficium, vel si quis nos amet. Quid igitur domino Christo pulchrius? sicut Dauid inquit: Speciosus forma præ filiis hominū. Quis vero tantus benefactor vt paret diligentibus se, quæ oculus non vidit, & auris non audiuit, quæq; in cor hominis non ascenderunt? Quis vero sic vnquam nos amauit, vt qui tanquā pater pius clamat: Nunquid obliuiscitur mulier filios suos? Si autem & obliuiscatur mulier, tamen ego te non obliuiscar, dicit dominus. Hunc amās Dauid, conspiciere cupiebat, dicens: Quando veniam & apparebo ante faciem dei? Non enim dilationem tolerabat, sed hinc migrare ardebat, concupitum cernere Christum festinans. O animæ deum amantis propositū, & ad superiora pēnis subuecta. Hic & tu anima concupisce, cuncta quæ videntur prætercurrens & semper reminiscens æternæ vitæ & immortalis regni, & sociatæ cum angelis choreæ incorruptibilis gloriæ & ductæ cum domino conuersationis ab omni dolore liberæ. Cogita quod nihil habet vita, nisi lachrymas & opprobria, & conuicia, & tristitias, & negligentias, & labores, & morbos, & senectutem, & peccata, & mortem. Hæc cogitans Dauid, calumnias, viduitates, orbitates, ærumnas, pœnas, lapsus, his cupiens absolui dicebat: Quando veniam, & apparebo ante faciem dei, vt iam abeam, vbi pax, læticia, charitas, longanimitas, claritas sanctorum, & omnia cætera sine solitudine bona, quæ sermo nullus exprime potest. Vnde tu quoque tantis expectans frui deliciis, ne contemnas vitam tuam. Si enim vilis esset aut pauper, qui abs te contemnitur, apte dormitares: si vero splendidus & gloriosus, & totius regni dominus qui expectatur Christus:

Christus: luceat lampas quotidie, paratus sis in sponsi occursum, vt & tu audias: Intra in gaudiū domini tui. Vigilare oportet, & orare in omni tempore dilecti. Si enim dicente deo ad diabolū: Non opprimes Iob, malignus incubuit putans se eum deiecturum: quanto magis nos obnoxios habens, quarit sui facere iuris, sic vt vult: Opus est vigilantia dilecti. Nam & miles dormit non in lecto, sed humi. Piscator non dormiens piscatur, sed stans aliquando peragit noctem. Agricola omnem exhibet vigilantiam, ne domini vinea lædatur. Et pastor sub diuo stans noctem consummat, gregem custodiens, sicut Iacob dicebat: Fui ardens æstu per diem, & gelu per noctem, & somnus recesserat ab oculis meis. Et quæ ipsius vigiliæ ratio: ne vlla ouis fere captiua fieret. Si vero tanta de irrationali pecude cura, quales esse decet de rationali anima sollicitudinem gerentes, anima, inquam, omnium preciosissima, nec æquiualentem totum pariter orbem habente, quæ simul nobiscū resurgit, pariterque defenditur, & diuino tribunali simul assitit? Propter hanc operarius ille Iacob lapidem ad caput sibi posuit dormiens, vt intellectualem per somnos lapidem videret. Vnde & scalam vidit vsque ad cœlōs peruenientem, & angelos ascendentes & descendentes, referētes à nobis quidem orationes, à domino vero gratias deducētes. Non vnguento vngitur athleta: eorum enim qui iam victi sunt, est tale studium. Nihil anima immundius, quando corpus talem habet odoris suauitatem. Sed sicut distillationem patientes, & manus & vestimenta defluente replent humore: sic animæ fluxus immundus per corporis odoramentum cognoscitur. Propterea duram eligere vitam conuenit, nec voluptatibus defluere. Quam vero lectus eburneus vtilitatē habet, vel argento compactus: Superflua potius hæc cura, & supernam prouocans iram. Et alia quidem peccata nostra quamquam habent voluptatem: in lecto autem argenteo dormire, quam habet delectationē? Vnde & Propheta lectum hunc abominans, dicebat: Væ qui dormiunt in lectis eburneis, & lasciuunt in stratis suis. Vis videre lectum regium virtutibus plenum? Respice lectum Dauidis, in quo tanquam margaritæ super subellium per singulas noctes erant congelatæ propheta lachrymæ, quæ in admonitionem quoque nostrā scripta sunt, & vestigia sequentes futurum fugiamus iudicium. Vnde pœnitentiā agamus ante iudicium illud: illic enim non eris amplius pœnitendi dominus. Nos esse vult dominus paratos, propterea que posuit incertum exitum nostrum, vt continue pugnemus. Si enim in præsentibus iudiciis audita tantum præconis voce, qui introducunt, titubant, & timore congelantur: quanto magis ante diuinum tribunal sistendi tremere debemus? Sub silentio vehementer planxistis: semper enim stimulatur conscientia, maxime vero cum de iudicio differimus. Ergo per sermones bonæ sunt redargutiones. Vtinam enim diues ille redargueretur, & nō illic lingua torreretur: Virginitatem concupisti: serua mandata, & ipsam tibi dominus ministrabit. Si enim dicas orans: Custodi me domine, vt pupillam oculi: dicit tibi & ipse: Custodi mandata mea, & viues: meos autem sermones, vt pupillas oculorum. Cum enim sic fueris affecta, sollicitudinem tuam sibi vendicans tibi dicit: Qui tangit vos, tanquam qui tangit pupillam oculi mei. Cum igitur ad atratrum manū miseris, ne ad posteriora cōuertaris, ne fias columna salis: semper lingua tua de iudicio loquatur, nihil ociosum sonans, aut

ex ira, nihil ex tristitia, aut ex vlla alia perturbatione, sed potius de illis suppliciis loquatur, vt tremenda timens iudicia, seipsa melior fiat: semper lex eius in ore tuo sit, vt & verba tua secundum dei voluntatem procedant. Legislatorem semper in ore geras, ille tibi comes & socius. Siue enim quempiam videris prospere agentem, vel deliciis vacantem, vel etiam regnantem, nosce quod tanquā flos fœni velociter arefcet. Ille ferculis gaudeat, tu vero in domino Christo gaude. Et si mortem aliqui vicerunt, tu concupiscentiam vincere non potes: Oportet te membra mortificare, non tantū concupiscentiam, verum & iram, & furorem continere. Lingua tua mensuras habeat. Vide ne ante tempus te conscientia tua condemnet. Venit mors & omnia reuelantur. In nullo nunc confusionem pati volumus. Illic vero coram tot milibus vbi abscondemur? Ioannes purus erat, propterea supra Christi pectus recubuit. Anima Christo volens desponsari, puritatē custodiat, vt ex fructu arbor cognoscatur. Manifestam enim, inquit, fidem annunciauit iustus: Huius confessionis recordare, & vltimum quoque concipe mente diem. Vide igitur, ne per linguā pereas: lingua enim est, inquit, quæ polluit totum corpus. Corpore vero maculato mentem quoque corrumpi necesse est, sicut dictum est: Corruptunt bonos mores, colloquia mala: & Paulus inquit: Homines corrupti mente. Quare Paulum tanquam Thecla, vt audias quæ per ipsum tibi dicuntur. Alis opus est tibi: si non habes, nec habere festinas, frustra profiteris. Clamet oculus tuus pietatem interius habitantem: deorsum sit aspectus tuus, vt sit mens sursum. Vigilantia opus est multa: aduersarius enim noster vigilat. Eiecit olim ex paradiso, nunc in cœlum regredi non permittit. Vide ne spirituale vinum aqua inutile reddas. Habe pro pane diuinarum meditationem scripturarum, & pro vino saluatoris mandata. audi dicentem: Volō vos nō esse sollicitos, & nihil curare, nisi de regno. Cum terreno corpore cœlum ascendere cōcupisti: extenua carnes, vt ad ascēsum agilis fias. Equus si multū comedit, non currit. Athleta non quod vult, comedit. Nisi comedisset Israël, & impinguatus fuisset, non recalcitraffet. Sursum igitur oculū tuū semper habeas, vbi & tibi concupitus est sponsus: desiderio animi motus vince. Oratio & ieiunium tibi auxiliantur, & diuinæ cohortantur scripturæ. Ne sis negligēs in coronæ certaminibus. Hinc habes æternæ vitæ & quietis arrabonem. Non enim pateris virum mortuū, non parturis, non paris, non luges quod filius mortuus est, vel morbo laborat: non es sollicita, ne vir peregrinatus redire tardet. Absoluta es à pariendo, ab alendo, & educando. Sponsum tuū sequere Christū te in regnū cœlorū ducentē. Sequere secūdū illud eloquiū, dicens: Si ad me ingredimini recte, & ego ingrediar vobiscū recte. Si vero tortuosi ingredimini, & ego vobiscū ingrediar tortuose. Semper dominū venientē expecta. Si enim qui dicit, tardat dominus meus venire, ipso veniente in duo diuiditur: qui nec omnino ipsius illustrē expectat præsentia, quid patietur? Si vis itaq; Christo assimilari, eius vestigia sequere: angusta enim est ianua, & iusti ingredientur in eam. Audis Daniēlem prophetam dicentē: Ego Daniēl eram lugens tres hebdomadas, panē non comedi, & vinum non intraui in os meū. Ioannes in deserto habitauit, non habebat vineam, ne seipsum faceret terrenum. Lucerna erat, propterea cōtra ventorum impetus seipsum muniebat. Horū tu quoque dogmatum recordare. Cœlestem elegisti conuersationem, certa

Iob 2.

Gen. 3.

Iaco. 3.

1. Corin. 15.

1. Tim. 3.

Matt. 6.

Deut. 32.

Amos 6.

Psal. 6.

Psal. 72.

Psal. 146.

Ibidem.

Prover. 7.

Zach. 4. 23.

Matth. 7. b

Danie. 10. a

Matth. 3. a

Ioan. 5. f

certa bonum fidei certamen, cernens in certamine victoriā, in victoria coronā, agonotheam dominū Iesum. Tantū firmus sit cursus tuus. Terribile est in dei uentis manus incidere. Vidisti vnquam imagines, quo modo hæc quidē sunt personis proceræ, & satis mgnæ & ornata: hæc uero deformes, & ridicula: Sic ille cūcta uelut in tabella reuelabit. Fuge igitur dedecus illud maxime horredum, & lauda, & dic: Custodi me domine, quoniam in te speraui, quoniā bonorum meorum nō indiges. Non enim nostrorū indiget, sed nostram salutem exquirat. Vnde nos ipsos illi offeramus sacrificium uiuens, rationabile obsequiū, non per ignē, sed per longanimitatem. Qui enim perseverauerit vsq; in finē hic saluus erit, inquit. Propterea tranquillam & quietā vitam eligētes, bene currite ut cōprehendatis, sicut scriptum est. Nō enim paruum est periculum, puritatē promissam non custodire. Proptereaq; linguā tuam corripes, oclum comprimens, extendens manus tuas in preces, pedē mouens, sicut dominus creauit, in amictu modesta, in occuribus uerecūda, seruans in gressibus stabilitatem, in cibis quod sufficit, in continentia quod laboriosum, quod humile est, misericordiam, fratrum dilectionem, rerum communicationem, fidei sanitatem, nec vnquam omnino tremendum illud obliuiscere iudicium. Hæc autē omnia parua quidē dictū, magna uero expeditu. Nam simile est, inquit, regnum cælorū decem uirginibus, non soli, non lunæ, non stellis, non ipsis monilibus, non auro, non argento, non formæ tabescenti, non ipsi cælo. Quid aliud igitur habet regnum, quā omnibus ditioem securitatē: de qua pronubus Christi Paulus dicebat: Volo uos sine sollicitudine esse. Vnde oportet orare, ut si quis ægrotet, sanetur, ut permaneat possessio. Igitur ora deū, dicens: Septies in die laudem dixi tibi. Nam si bonus uiri boni occurfus meliorem reddit occurrentem, quanto magis nocteq; ac die deo colloqui? Quis enim deum adesse cogitās peccat? Memento illius dicti, Sine intermissione orate. Oris quidem oratio bona, multo melius si per supplicantes in spiritu tibi sacrificium fit apud deum. Præmeditare de moriendo, membra supra terram mortificans. Dies enim domini sicut fur uenit. Si repetētib; animā dicere cōperis: Sinite me pœnitere, ieiunabo, miserabor: dicit tibi dominus: Nō audisti, pœnitentiā agite, appropinquabit enim regnum cælorū? Et Paulus dicebat: Dum tēpus habemus, operemur bonum. Nō enim tēpore multo opus est saluare se uolenti. Latio enim in momento saluatus est, fidē adeptus, & incorruptū regni thesaurū lucratus est. Sancti martyres vna hora iustificati sunt: illi sanguinem dederunt, tu pro sanguine deduc lachrymas. Non mentitur, qui uult omnes homines saluos fieri. Propterea nō tantū ex diuinis scripturis instruit, uerū & alienis nos erudit calamitatibus. Nam idcirco medici publicē chirurgiā exercent, & uerunt: & magistratus sublimes super alto sedentes tribunali reos cædunt, ut in alienis malis nos in compunctionem ueniamus, unde firmati in scientiā ducamur, a scientia uero per consequentes virtutes ad charitatē uenientes, per ipsam ad hæreditatē festinamus, fucū autem consuetudinis peccati exuamus in oratione perseverantes. Nullus enim uigilans vnquam læsus est. Pastores etiam non præsentibus lupis præsentibus, canes sequuntur, licet feræ non adsint. Vnde expedit semper sobriè agere: nam etiam si laborū nulla sit retributio, nihil tibi nocebit exercitatio. Audi igitur bonos cōsiliarios, non secundū carnē parentes, sed eos qui secundū

Gala. 6. c

1. Cor. 7. f

Psal. 118. d

Matt. 25. d

Matt. 10. c

Psal. 15. a

Hebr. 10. f

A spiritu sunt magis solliciti, infirmioribus cōpatientes, & dicentes: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Vnde uerbi medicinā imponere conuenit. Anima nanq; que semel peccatū gustauit, & sine tristitia est, multā affert morbo accessione. Sicut enim scintilla, si materiā apprehendere præoccupauerit, omnia postmodū depascit: sic & peccati natura, postquā animæ rationes apprehenderit, & qui extinguat nemo: difficilior fit iam, & uix superabilis fit frequentiu accessione, ad maiore se contemptū extollens. Ita sapius ab initio flammā quidam non extinguens, in magnū deuenere naufragiū: non habens enim peccator se uiterius procedere prohibentem, equo similis est, qui fraxinum abruperit, & sessorem præcipitauerit. Etenim infirmi donec medicantes admittunt, multam habent spem sanitatis: postquam uero in mentis alienationem deciderint, immedicabiles sunt nullo curante, non propter morbi naturam, sed propter curantis absentiam. Oportet igitur peccati corruptionē, uelut equum effrænem in posteriora repelli. Nam post uitæ finē nec meritorum sunt occasiones: sicut nec athleticis post transacta certamina, coronas adipiscendi. Vnde coronæ gloriā optantes, obnoxij calumniatoribus esse fugiamus: si cuius enim opus, inquit, arserit, detrimētū patietur. Exprobrari de prioridictum est, ut melius cōburi uideatur. Si igitur nolumus exprobrari, ne nos quempiā exprobremus. Nam inquit: Noli exprobrare hominē auertentē se à peccato. Si enim adulter, inquit, cū captus fuerit, dolores & pœnas suffert, ipsius autē opprobriū nō delebitur: quāto magis in iudicio illo, quod neq; donis, nec uillis aliis rebus soluitur? Igitur aperi os tuū uerbo dei, & ne ociose loquaris. Si enim de ocio uerbo pœnas dabimus, quanto magis de negocio nō iuxta mandatū peractū? Ne igitur uanarū rerū iucunditas nos aliquando decipiat. Sicut enim umbram apprehendere non datur, ita nec humana negocia: hæc enim sine fine resoluuntur: hæc autē ante finē, & torrente uelocius præterfluūt. Futura uero non norunt mutationē, senectam nesciunt, nullam habent conuersionem, sed semper uigent, & in speciosa uarietate permanent. Nec pecunias admiraris apud possessores non permanentes, sed hæc omnia respicere cōuenit: sufficit enim duntaxat, quod quæ nō uidentur, æterna sunt. Scriptū est: Deus iudex iustus, & fortis, & longanimis. Vigilantia tibi opus est, ut domū tuam à latrone custodias. Aduersarius enim diabolus te supplantare quatit, ne ascendere possis unde ille cecidit. Multæ sunt ipsius artes. Ab ipso fuge, ut dicas: Deus liberauit me de laqueo uenantium, & à uerbo aspero. Non tantum opus est tibi lucerna, uerum & lumine sempiterno propter occurrentium insidias. Non potes ambulare, nisi lucernam habeas dei legem. Manus habens non potes palpare, nisi lux adsit: oculos habens cernere non potes, nisi lumen appareat. Viā quotidie pergis, opus habes lucerna ne in præcipitium cadas. Ubique sis laqueis superior, clamans: transmigra in montem sicut passer. Et quis dabit mihi pennas, sicut columbæ, & uolabo, & requiescam? Pupilla appellatur oculus, ut sicut ille duab; palpebris, uelut in quodam conclauis clausus est, ita & uirgo permaneat. Sicut & linguam sub duobus septis, dentibus dico, & labiis deus conclusit, ut tanquam uerecūda uirgo nil indiscretum loquatur, sed potius cogitans quæ sunt in dicij, dicat: Qualis est igneus fluiuius? Quales illæ sunt tandem igneæ tenebræ, & exteriores? Qualis tandem stridor dentium? Hæc mente concipiens stude spon-

177 QVO MODO CHRISTIANVM OPORTEAT RECTE VIVERE. 178
so placere Christo. Absens interim est, ipsi conscientia custodi, donec in gloria sua ueniat, psallens: Anima mea in manibus meis semper, & legem tuam non sum oblita. Quanto superior euadis, in laqueos nō incidis, ut possis dicere ex corde: Anima mea sicut passer erepta est de laqueo uenantium. Vndique iudicem time, & si cum angelis conuersationem non cupis, saltem cum diabolo non conuersare: Cauta sis: mors enim tanquam fur uenit. Lucernam tuam accende, ardens sit lampas tua, ne dormiēte te oleum deficiere inueniatur. Ne cogites ærumnam, sed libertatem: non flagella, sed honores: non cadentes, sed bene placentes computa. Sanctus Stephanus non lapides considerabat, sed superna brauia. Martyres animas suas dederunt, nos saltem flagellationem offeramus. Dulcis somnus nocte uidetur: sed bene noris quod nihil psalmodia dulcius. Sed graue tibi humi cubare, cogita quod martyres super carbones iactabantur. At amarius os facit ieiuniū? Christus qui mellis dulcedinem creauit, fel propter te gustauit. Sed luges propter te ipsam: nunquam sicut Paulus propter aliorum salutem lachrymas fudisti. In his te ipsam hortare, ad modicum temporis labor, & in seculum seculi requies: mitiga spe laborem, tribulationem enim laticia suscipit. Cogita quod quæ ad tempus uidetur uoluptas æternū parat supplicium, & propter tribulationem fuge delectationem, ne mēbris tuis in sagittas contra te diabolus utatur, oculo, auribus, ore, manu, ne tibi gula sagittam immitat. Noui enim quo modo populus illius temporis qui cū ieiunio mare transgressus est, ebrietate percussus, per continentem terram naufragium fecit. Respice illorum uicium, & ruinam refuge. Si enim naturalibus ramis dominus Christus non pepercit, neque tibi parceret negligentia. Si uero tota anima & integra fide pugnaueris, cum omnibus sanctis lataberis, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cum quo patri simul & sancto spiritui gloria, honor & potestas summa, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Sancti patris nostri Ioannis Chrysostomi Archiepiscopi
Constantinopolitani, quod Christianum oporteat uitam
quoque rectam habere. Homilia XXIII.

EXTERNAE quidē dignitates dilectissimi, meritō ex signis itidem extrinsecus circūpositis manifestæ sunt, nostras autem ab anima notas esse decet. Fidelem enim non ex solo munere uideri oportet, uerum & ex uitæ nouitate. Fidelem, mundi luminare & salem esse congruum est. Cum uero ne tibi quidem ipsi luceas, neq; propriam exprimas & excices putredinem, unde te iam agnosceremus facris initiatum esse laticibus: At hoc tibi pœnæ fit uaticum. Honoris enim magnitudo pro honoris dignitate uiuere uolentibus supplicij fit maior accessio. Fidelē enim nō tantū ex his quæ sumpsit à deo, uerū & ex his quæ ipse præstet, par est effulgere, & ex omnibus esse partibus manifestum, ex incessu, ex aspectu, ex habitu, ex uoce. Hac autem dixi, non ut ad ostentationem, sed ad uidentiu utilitatem nos ipsos disponamus. Nunc autem unde te queam agnoscere? A contrariis uindique te reperio cōspicuum. Nam seu à loco te discere uoluerō, in circis & theatris, & iniquitatibus commorantem intueor, in malignantium conciliis, in foro, in hominum conuenticulis perditorū. Seu ab aspectus forma, uideo cachinantem iugiter & dissolutum, uelut reclusam meretricē, & dimissam: siue à uelutibus, in scena uersantibus ni-

A hilo melius cerno compositū: siue à sequentibus parasitos & assentatores circūdudis: siue à uerbis, nihil sanū aut necessariū aut nostræ conferens uitæ loquentē audio: siue à mēsa, hinc maior apparebit accusatio. Vnde quæso itaq; potero te fidelē agnoscere, dictis omnibus contraria protestantibus? Quid uero fidelē dico? Nec enim es homo, si manifestē possum uideri. Cum nanq; tanquā asinus recalcitres, lasciuia autem ut taurus, tanquā equus uero post mulieres hinnias, uentri tanquā uisus indulgeas, & ut mulus carnem impingues, & malum memoria teneas uelut camelus, porrō rapias quidem ut lupus, at ut serpens irascaris, ferias ut scorpius, sis subdolos ut vulpes: nequicia uero tanquam aspis & vipera uenenum serues: & sicut ille malignus dæmon fratres impugnes, quo modo te cum hominibus connumerare ualeam, talis in te nature signa cum non intuear? Catechumeni nanque differentiam quærens & fidelis, ne uel hominis & feræ differentia inuenire possim, periclitor. Quid enim te nuncupem? Feram? sed uero horum uicio feræ tenentur: tu uero pariter omnia circumferens, ad maiore quā illæ feritatem progredis. Vel dæmonem: at dæmon neq; uentris seruit tyrannidi, neq; pecunias amat. Cum itaq; feris & dæmonibus maiores habeas defectus, quo modo te uocabimus hominē? Si uero te non licet hominem appellare: quo modo te, quæso, fidelem saluabimus? Et quod est peius, nec tam malè dispositi animæ nostræ deformitatem cogitamus, nec ipsius animaduertimus turpitudinem: sed in tonstrina quidē sedens, & tendens cefariem, accepto speculo criniū compositionē diligenter examinas, & astantes cōsulis, & ipsum tonforē, an bene quæ circa frontē sunt cōposuerit: Et cū sis plerunq; senex, iuuenilibus insanire uanitatibus nō erubescis: Anima uero nostræ nō tantū deformitate non aspicimus, uerū neq; bestialē indutam speciē, & Scyllam aut chimeram quandā, iuxta Poëtarū fabulas effectā uel paululum animaduertimus. Quamquam & hic est speciale speculū illo longe melius & uilius: nec enim deformitatem tantū ostēdit, uerū & in formā incomparabile, si uelimus, transmutat. Hoc autem est bonorū imitatio uirorum, & felicitatis eorum uitæ narratio, lectioq; scripturarum, leges à deo traditæ. Et si semel tantum uelis in illorum sanctorum imagines inspicere, & deformitatem mentis tuæ uidebis: & cum uideris, nil aliud tibi iam opus erit, ut ab huiusmodi deformitate libereris. Ad hoc enim nobis uile speculū est, & facilem efficit correctionem. In brutorum igitur forma remaneat nemo. Nam si seruus patris domum non intrat, cum & fera tu fias, qualiter ad illa poteris accedere uelutibula? Sed quid dico feræ? Feris omnib; est huiusmodi peior. Illæ siquidē, licet sint agrestes, humanam artem nactæ, mansuetæ frequenter efficiuntur: tu uero cum in præternaturalem mansuetudinem naturalem illarum feritatem mutaueris, quam habebis excusationem, si naturalem tuam mansuetudinem in præternaturalem illarum feritatem redegeris: quod natura quidem ferum est, exhibens mitem: temetipsum uero natura mitem, contra naturam, bestialem constituens, & leonem quidem mulcēs reddensq; mansuetum, animū uero tuum leone exhibens feruere. Et illic quidem duo sunt obstacula, tum quod ratione careat bestia, tum quod ad irā sit omnium facillima. Veruntamen ex sapientiā à deo tibi collatā superabundatā naturam quoque superas. Qui bestias itaque superas & naturā, qualiter in temetipso cum natura liberi quoq; bonum arbitrij corrup-

pis: Quod si iussissem, ut & alium hominem redderes mansuetum, nec ita quidem vires tuas excedentia demandare visus fuisset: attamen potuisses excusari, quod non sis alienae dominus sententiae, nec in te totum sit positum: nunc vero tua est fera, & eius omnino dominus es. Quam itaque nancisceris excusationem, nisi naturam cohibeas? Quam autem honestam defensionem praeferre poteris, leonem utique faciens hominem, temetipsum vero negligens, ex homine leonem euadentem: & illi quidem largiens & supernaturalia, tibi vero neque naturalia conferuans: sed agrestes quidem feras ad nostram contendens redigere generositate, at temetipsum ex regni sede deturbans, & in illarum impellens furor. Existima nanque, si libet, iram quoque bestiam esse. Et quantum alij circa leones, tantum studij tu circa temetipsum impende: talemque cogitationem mansuetam & mitem esse coge. Hec difficiles habet tam dentes, quam ungues, & nisi mansuetam reddideris, omnia destruet: nec enim ita leo vel vipera potest dissipare, sicut ira ferreus vnguis hoc continue faciens. Nec enim solum laedit corpus, verum & ipsam animi sanitatem corrumpit, deuorans, dissipans, & omnem eius dilacerans virtutem, & ad omnia reddens inutilem. Cum enim vermes in intestinis nutriens, nec respirare possit, cum eius omnia consumantur interiora: quo modo non talem habentes serpentem, qui cuncta rodit viscera, iram dico, aliquid generosum parere poterimus? qualiter hac liberabimur peste? Si poculum bibamus quod vermes, atque serpentes exitio tradere possit. Dicat aliquis, quodnam est illud poculum, quod huiusmodi virtute habeat? Preciosus Christi sanguis, si cum fiducia sumatur. Hic enim omnem extinguere poterit aegritudinem, & cum hoc diuinarum scripturarum diligens meditatio, & eleemosyna scripturis addita. Per haec enim omnia poterunt extingui vicia animam nostram vastantia, & tunc duntaxat viuemus, utpote qui nunc nihilo melius quam mortui nos habeamus. Non enim illis viuentibus etiam nos viuere datur, sed nos perisse necessarium est. Nisi namque praeueniamus hic ea necantes, illic omnino nos enecabunt. Quinimo & ante mortem illam hic etiam a nobis poenas exigent. Nam huiusmodi viciorum vnum quodque saeuum & tyrannicum, nosque per singulos absumens dies nunquam deficit, dentes leonum dentes eorum, quin & multo peiores. Nam leo quidem & satiat, & a corpore coram se prostrato absistit: haec autem vicia neque saturantur, neque donec captum hominem ad diabolium perduxerint, absistunt. Tanta enim eorum potentia, ut seruitutem, quam Christo Paulus exhibebat, propter eum gehennam contemnens & regnum, eadem a captiuis ipsa suis exigant. Nam siue in corporalem amorem, siue in pecuniarum aut gloriae cupiditatem quispiam incidat, iam & gehennam deridet, & regnum contemnit, ut eorum impleat voluntatem. Ne simus igitur increduli Paulo dicenti, quod ita Christum dilexit: cum enim inueniantur aliqui tantum viciis seruiantes, quo modo iam incredibile illud esse videatur? Nam & ideo Christi desiderium imbecillius est: quonia omnis nostra vis in hunc amorem absumitur. Et rapimus, & supereminere volumus, & vanam seruimus gloriam, qua quid vilis esse valeat? Licet enim infinite sis conspicius, ignobilibus nihilo melior eris, verum etiam propter hoc ipsum ignobilior. Cum enim te glorificare volentes, & splendidum demonstrare, per hoc ipsum te rideant, quoniam ab eis gloriam aucupaueris, quo modo non in contrarium talis studij conatus tibi con-

uertantur. Res enim vituperabilis est. Sicut enim si quis adulterari, vel fornicari concupiscentem laudet, & assentetur: ex hoc ipso magis eius accusator efficitur, & assentator talia concupiscentis. Sic & gloriae cupidum cum laudamus, magis sumus improbatore quam clarificari volentium laudatores. Quid itaque rem attrahis, ex qua tibi contrarium accidere consuevit? Si vis enim glorificari, gloriam contemnas, & omnium eris clarissimus. Quid pateris quod patiebatur Nabuchodonosor? Nam & ille statim erexit ex ligno & insensibili materia, sibi gloriae credens augmentum afferre, & viuens ex non viuente splendidior apparere volebat. Vides dementiae excessum? Existimans enim semetipsum honorari, maiori se contumeliae faciebat obnoxium. Apparens enim re magis inanimata, quam seipso, & anima in se viuente confidere, & ideo lignum in tantam erigens eminentiam, quo modo risu dignus non fuerit, non ex moribus, sed ex lignis ornamentum asciscens? Vt si quis quod domi gradus, & elegantes scalas habeat, magis quam homo sit, gloria dignum esse censet. Hunc & ex nostris multi sequuntur. Sicut enim ille ex imagine, sic ex vestibus alij: alij autem ex domibus, & mulis, & curribus, & columnis in domibus erectis admirationi cupiunt haberi. Quoniam enim amiserunt quod homines sunt, circumeunt sibi aliunde gloriam multo plenam risu mendicantes. Sed non hinc generosi, magnique dei serui, sed ex quibus maxime decet, ex his effulgere. Cum enim captiui forent & serui, noui & peregrini, cunctisque priuati domesticis, eo, qui omnibus his circumdatus erat, tunc multo venerabiliores apparere. Et ipsi quidem Nabuchodonosor non tanta statua, non satrapae, non duces, non exercitus infiniti, non ingens auri copia, non reliqua vanitas sufficit ad concupiscentiam, utque magnus videretur. His autem omnibus illis carentibus sola sufficit sapientia, & coronam & purpuram habente, talibusque circumfulto, nihil horum habentes reddidit illustriores, tanto quanto sol est margarita splendidior. Nam in medio terrarum orbe ducebantur, cum noui forent, & captiui, & serui: & his visis, statim rex ex oculis ignem emittebat: & duces, & primates, & locorum principes, & totum diaboli theatrum circumfeterat: & fistularum vnde vox & tubarum, & omnis musicus quae in caelum ferebatur, illorum aures circumsonabat, & fornax in altitudinem infinitam eleuabatur, & ipsas flammae nubes attingebat, & omnia timoris & consternationis erat plena. Sed hos eorum perterruit nihil: sed tanquam ludentes pueros, deridebant, fortitudinem praestantes & mansuetudinem, & illis clariorem tubis vocem emittentes dicebant. Notum sit tibi rex (nam ne contumelioso quidem verbo tyrannum afficere volebant, sed solam ostendere religionem: propterea neque longos protraxere sermones, sed omnia breuiter expediunt) esse deum in caelo, qui potest nos eripere. Quid nobis multitudinem ostentat? quid fornacem? quid acutos enses, terribilesque ministros? His omnibus superior est dominus noster, atque potentior. Mox cogitates, quod possit accidere, ut deus vellet eos atque comburi permitteret, ne hoc factum falsa dicere videantur, & hoc addunt dicentes: Quod si hoc non fiat, notum tibi sit, quod diis tuis non seruiemus. Nam si dixissent, quod propter peccata non liberat, si non liberauerit, eis non fuisset creditum: propterea hic quidem hoc tacent, sed in fornace commemorat, sursum & deorsum peccata proponentes. Coram rege vero nihil huiusmodi, sed quod licet comburi debeat, pietatem

tem non produnt. Non enim quae faciebant, propter retributiones & mercedem agebant: sed ex charitate sola, licet in captiuitate forent & seruitute, & nullo frueretur bono. Nam & patria fuerant, & libertate cunctisque bonis expulsi. Nec mihi regalibus in aulis honores referas. Cum sancti nanque forent & iusti, longe libentius domi mendicare voluissent, quam in regia bonis perfrui: nam ait ille, Elegi abiectus esse in domo dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum, & Melior est dies vna in atrijs domini super milia. Ergo sine comparatione potius humiliter domi viuere voluissent, quam Babylone regnare: & hoc patet ex ipsis quae in fornace proferunt, grauius ferentes illius loci conuersationem. Nam licet ipsi multis fruerentur honoribus, aliorum tamen videntes arumnas multum angebantur: quod est maxime sanctorum peculiare, ne gloriam, vel honorem, nec aliud quicquam proximi praepo- nant saluti. Igitur considera, qualiter in fornace constituti, pro toto populo supplicationem faciebant. Nos autem nec in remissione constituti, fratrum reminiscimur, quin verum, cum & somnia interpretabantur, non sua quaerebant, sed multorum commoda. Quod enim mortem contemneret, ex multis post haec ostenderunt: ubique vero se proferunt deum placare volentes. Postquam vero neque semetipsos sufficere putabant, ad patres confugiunt: se vero nihil amplius, nisi contritum spiritum asserere dixerunt. Hos quidem & nos imitemur. Nam & aurea nunc imago erecta est, mammonae tyrannis. Sed ne tympanis mentem adhibeamus, neque tibiis, neque ci- tharis, nec reliqua diuitiarum vanitati: verum & si sit opus in paupertatis fornace decidere, ne refugiamus, ne mammonam adoremus. Et erit ros in medio refrigerans. Ne igitur horrescamus paupertatis fornacem: nam & tunc quidem in fornacem qui deciderunt, clari- ores redditi sunt: qui autem adorant, flammis absumpti. Sed tunc quidem omnia simul facta sunt, nunc autem haec quidem hic erunt, illa vero postmodum a- libi. At quaedam tum hic, tum in futura die. Qui namque paupertatem quidem eligunt, ne mammonam adoret, tam hic, quam illic erunt clariore. Qui vero diuitias hic habent iniustas, tunc extremas luent poenas. Ex hac fornace Lazarus quoque non illis minus splendens pueris exiit. Diues autem in eorum qui statuam adorauerunt ordine positus, in gehenna torquebatur. Nam & dicta illorum erant expressio. Sicut igitur qui quidem deciderunt, nihil passi sunt, extra vero sedentes, multa cum vehementia correpti: itidem & tunc erit. Sancti quidem per ignis torrentem ambulantes, iniucundum perferent nihil, verum & lucidiores apparebunt: qui vero statuam adorauerint, ignem sibi videbunt omni fera sauiorem ingruentem, & intra se pertrahentem. Itaque si quis gehennam non credit, hanc conspiciat fornacem, ex praesentibus futura credere discat, neque paupertatis metuat fornacem, sed peccati. Haec enim flamma quidem & dolor: illa vero ros atque remissio. Et illi quidem fornaci diabolus adest, huic autem angeli flammam excutientes. Haec audiant diuites paupertatis succedentes fornacem. Nam illis quidem nihil nocebunt, quibus flamma ros efficitur: se vero flammam magis corripit faciles exhibebunt, quam propriis accenderint manibus. Tunc igitur angelus quidem cum illis pueris simul descendit: nunc autem nos cum his, qui sunt in paupertatis fornace simul descendamus, & per eleemosynam rorem operemur, & flammam excutiamus, ut & ipsarum simus coronarum participes, & gehennae fla-

mam Christi vox extinguat, dicens: Esurientem me vi- distis, & pauperem. Haec enim vox ita dicens, pro rore nobis assisteret per mediam sibilans flammam. Descendamus itaque: cum eleemosyna in egestatis caminum. Videamus se sapienter exercentes, ambulantes per eam, & prunas conculcantes: nouum & mirabile videamus miraculum, hominem in fornace passentem, agentem in igne gratias, extrema compeditum inopia, magnamque Christo benedictionem ferentem. Illis etenim pueris pares redduntur, qui paupertatem cum gratiarum ferunt actione. Nam & igne terribilior paupertas, & magis vrere consuevit, sed illos non incidit pueros: sed postquam domino gratias egerunt, & eis statim vincula soluta sunt. Ita nunc quoque, si cum in pauperiem cecideris, gratias egeris, & vincula soluetur, & extinguetur flamma: si vero non extincta fuerit, pro flamma fons, quod est mirabilius, efficitur: sicut & tunc euenit. Nam in media fornace puro rore delectati sunt: ignem enim non extinxit, sed iniectos comburi prohibuit. Hoc & in sapienter viuentibus contingere cernitur, qui utique in paupertate liberius, quam diuites degunt. Nolumus igitur extra fornacem sedere immiserordes pauperibus nos exhibentes, ne patiamur quod illi tunc passi sunt. Nam si descendens quidem ad eos, cum pueris consistas, nihil ignis inferre tibi poterit: si vero sursum sedens in paupertatis flamma constitutos contemnas, te flamma comburet. In ignem igitur descende, ne sedeas extra ignem, ne te flamma corripiat. Nam si te cum pauperibus quidem viderit, a te discedet: si vero separatim ab eis, tibi statim insiliet, & te corripiet. Ab ipsis itaque ne recedas iniectis. Sed cum diabolus aurum non adorantes in caminum paupertatis immittere minatus fuerit, ne de mittentium, sed ex misforum esse velis numero, ut ex his qui saluantur, non ex his qui comburuntur, efficiaris. Maximus enim est ros, diuitiarum desiderio non teneri, cum pauperibus conuersari. Hi sunt omnibus abundantiores, qui diuitiarum pessundedere cupiditatem: quoniam & illi regem contemnent, facti sunt rege clariore. Igitur & si tu quoque mundana contempseris, toto eris dignior mundo, iuxta sanctos illos, quibus dignus non erat mundus. Ut itaque caelis dignus efficiaris, praesentia derideas: sic enim & hic eris praeclearior, & futurus frueri bonis, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cui gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Quod si cum virtute viuamus, etiam inimicis admirabiles erimus: Et de optima conversatione, ex Matthaei expositione. Homilia XXIIII.



Ine offensione simus charissimi, iuxta Apostoli commonitionem, & Iudaeis & Gecibus, & ecclesiae dei, vitam exhibentes sole clariorum. Et si quis detrahare velit, ex detractio- ne doleamus, sed quod iuste nobis detrahatur. Nam si viuimus in nequicia, licet sit qui detrahatur nemo, omnium miserrimi sumus: si vero virtute exerceamus, licet totus terrarum orbis maledicat, tunc sumus omnium beatissimi, & omnes saluari volentes attrahemus. Non enim improborum detractio, sed vitae virtute intuebuntur. Etenim omni tuba clarior est per opera demonstratio. Et ipsa luce mundior est, & illustrior vitae puritas, licet innumeris sint caluniantes. Itaque si praedicta cuncta habeamus, & mites simus, & humiles, & misericordes, & mundi simul atque pacifici, contumeliamque patientes non referamus, sed potius laetemur: per haec non minus, quam per signa nos cernentes attrahemus, & omnes

Dan. 3. g

2. Cor. 2. d

omnes erga nos se suauiter exhibebūt, siue fera, siue demon aliquis, siue quodcunque sit. Si vero fuerint & aliqui calumniātes, ne turberis idcirco: neque quod te palam afficiunt contumelia, respicias: sed eorum discute conscientiam, & eos inuenies te plausibus prosequētes, & admiratione, & innumerabili virtutum catalogo. Aspice nanque quo modo Nabuchodonosor in fornace pueros laudat, licet inimicus esset ac hostis: sed postquam vidit generose stantes, prædicat & coronat, propter nil aliud quidem, nisi quia sese contempserūt, & dei legem audierunt. Diabolus enim cum se viderit nihil expedientem, mox absistit, veritus ne nobis maiorum causa coronarum efficiatur. Et illo remoto, licet sceleratus sit aliquis & perditus, sublati illis tenebris virtutem agnoscat. Quod si & homines decipiātur, a deo laudem habebis, & maiorem admirationē. Ne doleas itaque nec concidas: quoniam & apostoli his quidem erant odor mortis, his autem odor vitæ. Si nullam ipse captiuam præbeas ansam, ab omnibus eris liber accusationibus, quinimò beator quoque redderis. Fulgeas igitur vita, nec calumniantium vllam geras curā. Nō enim est virtutem curantis non multos habere inimicos: sed nihil hoc ad virtutis studiosum: per hæc enim erit longe clarior. Hæc itaque cogitantes, vnum curamus duntaxat, vt diligenter vitam nostram disponamus. Sic enim & in tenebris positos ad illam inducimus vitam. Talis enim est huius lucis potentia, vt non tātū hic luceat, verū & illuc sequētes deducat: cū enim omnia nos presentia contemnent viderint, & ad futura nos preparātes: magis operibus nostris, quā omni prologo persuadentur. Quis enim tam insipiens, qui paulo antè deliciis affluentē & diuitiis, omnia nūc intuens exeuntem, & ad famē, & inopiam, & vitæ totius asperitatem, & ad pericula, & sanguinē, & ad præbendum iugulum, ac omnia quæ videntur esse grauiaparatum, inde nō capiat manifestam futurorum probationem? Si vero presentibus nos ipsos implicemus, & ingeramus terrenis: quo modo sibi persuaderi permittēt, quod ad aliam festinemus coloniā? Quæ nobis iam erit excusatio, cum quantum apud Græcos humana valuit sententia: nō tantum apud nos dei timor efficiat? Illorum etenim quidam & pecunias abiecerunt, & mortem nihilipenderunt, vt se hominibus ostentarent, & ideo vanæ fuerunt eorum expectationes. Quæ igitur nos eruet ratio, cum tantis nobis propositis, tantāq; sapientia nobis aperta, nec eadem cum illis efficere possumus, sed & nos, & alios præterea perdamus? Nec enim ita Græcus nocet, & iniqua faciens, quantum Christianus, cum eadem faciat, Et valde rationabiliter: illorum nanque sententia perditā: nostra vero per dei gratiam & apud impios honesta & clara. Et ideo cum nobis exprobrare præcipue volunt, & calumniam augere, hoc dicunt, Christianus: quod non dicerent, nisi magnam de dogmate opinionem haberent. Non audisti quot & quanta Christus mandauit? Quando vel vnū poteris eorum expedire mandatorum, cum omnibus omīssis circumeas vsuras conquirens, contrahens fœnora, negocia componens, seruorum comparans greges, argentea preparans vasa, agros & domos emens, & innumera supellectilia? Et vtinam hoc solum esset. Sed cum his importunis studiis addas & iniquitatem, terram abscindens, auferens domos, paupertatem augens, augens famem, quando poteris hæc intrare vestibula? Sed interdum pauperibus misericordiam impendis? Et ipse scio. Verum & illic rursus multum est de-

trimentum. Nam vel cum superbia, vel inani gloria facis istud, vt nec in bonis vllum lucrum reperias. Quare quidnā esse valeat miserabilis, cū & in portu naufrageris? Ne hoc itaque fiat, factō quopiam bono a me ne gratiam quæras, vt deum habeas debitore: ait enim, Date mutuū his a quibus vos nil recepturos speratis. Habes debitorem, quid illo dimisso me repetis hominem pauperem & miserum? Num enim debitor indignatur, si repetitur? Num enim pauper est? Num enim erogare recusat? Non ineffabilis eius vides thesaurus? Non inuestigabilem cernis liberalitatem? Ipsū igitur detine, & repete: & hic enim dum repetitur, gaudet. Si autem alium pro his, quæ ipse debet, repeti videat, tanquam affectus contumelia sit, ita se geret: nec iam tibi reddet, sed iuste magis tibi quoque improperebit. Qualem, inquit, meam ingratitude notasti? Quam in me paupertatem deprehēdisti, quoniam me prætermisso ad alios recurris? Alteri fœnerasti, & ab altero repetis. Et si enim homo suscepit, attamen dominus erogare præcepit. Et ipse quoque principalis est debitor, & sponsor vult esse, innumeras tibi præbens occasiones, vt ab eo semper exigas. Itaque ne tantā facilitatem omitteris & copiam, a me nihil habente sumere quæras. Cur enim te mihi ostentas, cū pauperis misereris? Nunquid ego tibi dixi, da? Nunquid enim a me audisti, vt & a me repetas? Ipse dixit: Qui miseretur pauperis, fœnerat deo. Deo fœnerasti, ipsi adscribe. Sed nūc totum non retribuit, & hoc tua facit causa. Talis enim est debitor, non vt multi qui solum fœneratum reddere student: sed vt datū in tuto collocet, omnia negociatur & facit, & propterea hæc quidem hic erogat, hæc autē illic referuat. Hæc itaque scientes, multam exhibeamus misericordiam, multamq; præstemus humanitatem, & per dicta & per facta. Et si quem male patientem viderimus, & in foro verberari: siue possit argentum conferri, ne langueamus: siue verbis exolui, ne torpeamus. Est enim & sermonis merces, quin & gemituū. Et hoc beatus dicebat Iob: Flebam quondam super eo, qui afflicto erat, & cōpatiebatur anima mea pauperi. Silachrymarum autem & gemituum merces erit, cum & verba quoque & studium aderit, & multa alia, considera quāta fiet retributio. Nam & nos deo fuimus inimici, & vnigenitus nos reconciliauit, se medium immittens, & verbera pro nobis & mortem passus. Studemus igitur & nos incidentes variis eripere malis: non autem, sicut nunc facimus, inuoluere, cum aliquos configentes viderimus, & inter se contententes, adstantes, & aliorum ignominias gaudentes, & diabolicū constituentes theatrum. Quo quidnam crudelius fieri possit? Male sibi dicentes vides, se discerpentes, scindētes vestimenta, faciem alterum alteri cædentes, & ad stare quiete sustines? Nunquid est vsus, qui pugnat? Nunquid fera vel serpens? Homo est, in omnibus tecum cōmunicans: frater est, membrū est. Ne spectes, sed disunge: ne insultes, sed corrige: ne reliquos ad dedecus conuoces, sed potius collectos dispelle, & dissolue. Impudentium enim est, & parasitorum huiusmodi calamitatibus gaudere, & piaculorum, & irrationabilium asinorum. Hominem vides turpiter agentem, nec te turpiter agere censēs, nec medius subis, & diabolicum agmen nō dissipas, & humana dissoluis mala? Inquiet aliquis, vt & ipse vulnera lucrer, hoc mihi iubēs? Primum quidem hæc non patieris: sed si fortassis hoc passus fueris, martyrium tibi fiet id opus: propter deum enim patieris. Si verò vulnera sustinere dubitas, cogita quod domi-

Deut. 22. 4

Luc. 19. f

nus tuus propter te crucē subire non dubitauit. Illi nāque sunt ebrii quidem & obtenebrati, furore eos ducēte & opprimente. Alicuius autem sanantis indigent, & sibi subuenientis, tam qui iniuriam infert, quā qui patitur: hic quidem, vt male patiens liberetur: ille vero, vt malefacere desinat. Proceas igitur, & manum porrigas, qui vigilas, & sobrius es, ebrio. Est enim & iræ quædam ebrietas, & vini truculentior ebrietas. Nōne vides quanto naua studio, cum viderint aliquos in naufragium delatos, extensis accedunt velis opem laturi, vt artis confortes tempestatibus eruant? Quod si artium socij tantam exhibent curam, quanto magis naturæ consortes hæc facere iustum est? Nam & hic naufragium vrget illo difficilium. Nam vel infestatus blasphemauit, & omnia perdidit: vel ira percitus peierauit, & rursus in gehennam delabitur: vel vulnus infert & committit homicidium, & idem vicissim naufragium patitur. Accedas igitur, & malum reprimas, & submergentes eruas, in ipsum pelagus descendens tempestatis, & diabolicum dissoluens spectaculum, & seorsum singulos capiens admonē, flammam comprimant, & sopiant fluctus. Si vero maius incendium, & atrocior efficitur fornax, ne timeas: multos enim habes adiutores, & manum porrigentes, si modò principium præbeas, & super omnia pacis deum. Et si primus flammam cōcuseris, alij quoque multi subsequētur, & ab illis gestorum ipse capies mercedem. Audi quid Iudæos Christus admonuerit humi repentes: Si iumentum, inquit, videris inimici tui corruens, ne præter eas, sed eleua. atqui pugnantem disiungere, & homines cōciliare multo leuius est, quā iumentum iacēs releuare. Si vero lapsum inimici iumentum eleuare bonum est, multo magis amicorum animas excitare iacentes oportet, vbi est & ruina longe perniciosior. Hæc siquidem non in cœnum cadunt, sed in gehennæ focum, iræ non ferentes sarcinā. Tu vero fratrem cernens sub onere positū, & infidentem diabolium, & rogam succedentem, crudeliter & sine misericordia prætercurris, quod nec in bruto facere tutum est. Et Samaritanus quidem vulneratum videntem ignotum, & sibi nihil attinentem, adstitit, & super iumentum imposuit, & deduxit in diuersorium, & medicum mercede conduxit, & argentum tum quidem dedit, tum vero promisit: tu vero non latronibus oppressum videntem, sed demonum caterua, & furoris obsessione, non in deserto, sed in fori medio, nō pecunias erogaturus, neque conduxeris medicos, nec longum iter facturus, sed prolaturus verba: negligis tamen & reuicis, & crudeliter & absque misericordia prætercurris. Et quo modo deum inuocās vnquam speras habere propiciū? Loquar autem & ad vos publice turpiter agentes, ad infestantem, & iniuriam inferentem. Plagas intētas, quæso, & calcitras, & mordes, aper ferus & asinus agrestis es factus, nec confunderis, aut erubescis, dum efferaris, & propriam perdis generositatem. Nam etsi pauper es, es tamen liber: etsi manualis artifex, at Christianus, quinimo propter hoc ipsum quod pauper sis, te quiescere oportet. Diuitum enim est pugnare, non pauperum: diuitum multas habentium bellorum necessitates. Tu vero diuitiarum voluptatem non habens, diuitiarum mala tibi accumulare non desinis, inimicitias scilicet, & contentiones, & pugnas, & fratrem suffocas, & angis, & palam omnibus videntibus proturbas. Et non censēs te magis deturpare, cum brutorum impetus imiteris, imò vero & illis fias peior? Omnia nāque sunt illis communia: etenim inter sese congregantur, & si-

Tomus quintus.

Amul ambulanti: nobis vero commune nihil, sed omnia confusa, pugna, contentiones, & inimicitie atque contumelia. Neque cœlum ad quod omnes cōmuniter sumus vocati, reueremur: neque terram quā omnibus cōmunem deus reliquit, non ipsam denique naturam, sed omnia distrahens furor, & pecuniarum amor bacchatur. Non vides illum, qui decem talentorum milia debebat, & post illorum remissionem conseruum pro cētum denariis suffocabat, quanta subierit mala, & qualiter inmortali traditus sit supplicio? Nō vereris exemplum: non times ne eadem & ipse patiaris? Nam & nos domino debemus multa, magnaq; debita: veritatem sustinet, & longanimiter agit, nec nos vrget sicut ipsi conseruos nostros, nec angit, aut suffocat. At qui si vel minimam eorum partem a nobis exigere vellet, iam dum perissemus. Hæc itaque considerantes charissimi, humiliemur, & debētibus nobis gratias habeamus. Nobis enim, si sapienter agamus, maximæ remissionis efficiuntur occasio: & si pauca dederimus, multa recipimus. Quid itaque per vim repetis, cum sit opus illi etiā dare volenti cuncta remittere, vt a deo totum recipias? Nunc autem omnia facis, cogis, & contendis, vt tuorum tibi dimittatur nihil: & proximum quidē infestare videris, sed in te ipsum ensē acuis, gehennæ supplicia accumulans. Si vero parumper hac in re sapiens fueris, mites tibi pœnas parabis. Etenim idcirco nos vult deus a tali exordiri libertate, vt maiorem nobis plura retribuendi capiat occasionem. Quotquot itaque debitores habes tam pecuniarum, quā peccatorum, liberis omnibus dimissis, deū exige talis esse magnanimitatis retributorem. Nam donec illi quidem tibi debitores fuerint, deum non habebis debitorem: si illos vero dimiseris, deum poteris retinere, & talis sapientiæ multa cum libertate retributionem exigere. Si enim homo prætereundo videns te reum detinentem, & illum quidem iubens dimittere, se vero pro eo spondens tibi rationem redditurum, post dimissionem se nolet ingratum exhibere, vt pote qui totum in se transtulerit: quo modo deus multo & infinito plura non reddet, si propter eius præceptum nobis obnoxios, neque parum, neque multum accusatos, absolutos abire dimiserimus? Ne temporalem consideremus voluptatem, quæ nobis ex repetendis oritur debitis, sed damnum, quod hinc in futurum patiemur, in immortalibus nos ipsos lædentes. Omnibus itaque facti sublimiores, his qui nobis obnoxij sūt, & pecunias, & peccata cōdonemus, vt nobis mites pœnas reddamus: quodq; per aliam virtutē potuimus cōsequi, hoc proximi contumeliā non reminiscendo cōsequentes, æternis fruamur bonis, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cui gloria & imperium nūc & semper, & in secula seculorum, Amen.

De vita recta. Homilia XXV.



EMO sociatur Christo deliciis vacās, & dormiens ac recubās, charissimi: nemo lubricam hanc, & solutam degentium vitam, sed qui in tribulatione permanet, & tēratione, hic est illi proximus, qui angustam perambulat viam. Nam & ipse talem perambulauit: & propterea dicebat, Filius hominis non habet vbi caput suum reclinet. Itaque noli dolere qui tribularis, cogitans cui sociaris, & quo modo per tentationes expurgeris, quantumq; lucrifacias. Nihil enim aliud est triste, nisi deum offendere. Quod cum absit, non tribulationes, non insidia, non quicquā aliud sapientem animam poterit cōtristare: sed quem-

Luc. 9. g

g admodum

admodum si breuem scintillam in lacu deieceris profundum, statim extinxis: itidem & omnis tristitia super abundantia in bonam missa conscientiam extinguatur, & facile deletur. Propterea quidem & Paulus semper gaudebat: quoniam interius secundum deum confidebat, neque tot malorum capiebat sensum, sed dolebat quidem ut homo, non tamen cadebat. Sic & Abraham patriarcha erat in delectatione, multa passus tristitia. Vide quaso: exciderat patria, difficilia longa que pertulerat itinera, in alienam profectus terram, nec passum pedis habebat. Hinc rursus fames eum excepit, & migrare coegit, & rursus famem vxoris rapina sublequitur, & mortis timor, sterilitas & bellum, pericula & insidia, & demum certaminum consummatio, vnigeniti & legitimi filij iugulatio tristis, & irreparabilis illa. Non enim quoniam prompte paruit, existimare debes eum sine dolore talia sustinuisse. Licet enim millies iustus fuisset, sicut & erat, erat tamen homo, & natura iura gerebat. Veruntamen horum nihil eum prostrauit, sed tanquam generosus, & corona nobilis athleta, in his singulis predicatus. Sic & beatus Paulus tentationum imbres per singulos dies videns irruentes, tanquam in medio gaudens paradiso, letabatur & exultabat. Sicut itaque qui tali gaudet gaudio, tristitia non est obnoxius: ita qui hoc non arripuit, omnibus est expugnabilis, & idem patitur, quale si quis arma gerens putrida, qualibet vulneretur percussione. Sed non ita vndique bene munitus: omne nanque telum ingruens repellit. Nam & omnibus armis fortior est delectatio, & huiusmodi tristem facere potest nihil, sed omnia generose sustinet. Quid enim igne peius? Quid continuis tristius tormentis? Siue quis infinitas amittat possessiones, siue filios, siue quodcumque, hoc est omnibus ad doloris rationem imperiosius. Pelle enim pro pelle, inquit, & omnia quae homo habet, dabit pro anima sua. Et nihil potest esse doloribus grauius. Veruntamen auditu quoque vix tolerabilia, toleratu facilia fiunt, & desiderabilia per veram in deo voluptatem. Et si martyrem adhuc paulum spiritum ex ligno vel sartaginibus tollas, tantam in eo repositam inuenies laticiam, quanta neque dici potest. Et quid patior, inquis, quod nunc martyrij tempus non adest? Quid ais? Non adest martyrij tempus: nunquam profecto hoc abest, sed ante nostros semper est oculus, si vigilemus. Non enim in ligno suspendi, solum hoc martyrem facit. Nam si sic esset, extra tales coronatos Iob poneretur. Nec enim ante tribunal fuit constitutus, nec iudicis vocem audiuit, non vidit carnificem, neque suspensus in ligno, vel sublimis positus circa latera laniatus est, attamen multis martyribus grauiora passus est. Et illorum succedentium sibi nunciorum voces omni plaga sauius percutiebant, & eum vndique pungebant, & in numeris tortoribus acerbius vermium illorum ora eum vndique corrodabant. Cui non itaque dignus hic sit martyri comparari? Innumeris equidem. Etenim per omnia pugnabat, & per omnia coronabatur, per pecunias, per filios, per corpus, per vxorem, per amicos, per inimicos, per seruos (nam hi in ipsius faciem inspuabant), per famem, per cibos, per dolores, per fetorem: per haec, inquam, non vni, vel duobus, vel tribus, sed infinitis erat martyribus comparabilis. Nam praeter quae dicta sunt, tempus quoque multam eius coronis affert accessione, quod scilicet ante legem, ante gratiam haec passus sit, & ad menses quidem multos, & omnia cum excessu, & omnia simul ei mala ingruerint, & hoc, cum eorum quodque per se foret in-

Gen. 12.

Iob 2. b

tolerabile. Nam multi quidem plagas sustinuerunt, pecuniarum vero iacturam non tulerunt: quin & pro eis flagris caedi maluerunt, & innumera mala pati, quam earum aliquid amittere, & maior eis est visa plaga pecuniarum iactura. Itaque rursus & hic est alius martyrij modus, harum perditionem generose ferenti. Et qualiter, inquiet aliquis, generose perferemus? Si didiceris, quod plura lucraberis, quam amiseris, per vnum gratiarum actionis verbum. Nam si iacturam audientes non tumultuemur, sed dicamus: Benedictus deus, multo plures diuitias inueniemus. Non enim tantum lucrabitur in pauperes diuitias distribuens, & circumiens ut egenos inueniat, & sua dispergens pauperibus, quantum ipse per hoc verbum lucrificies. Quoniam & ipsum Iob non tantum indigentibus domum aperientem admiror, quantum pecuniarum rapinam cum gratiarum actione ferentem obstupesco & praedico. Gratias igitur agamus, quoniam ex eorum numero qui salui sunt, censuramur: & quoniam cum ex operibus saluari non potuimus, ex dei manere saluati sumus. Gratias vero reddetes, ne verbis hoc tantum faciamus, verum & operibus, & actionibus. Haec est enim vera gratiarum relatio, cum haec agamus, vnde deus glorificari debeat: cum ea fugiamus, a quibus iam fuimus liberati. Nam si rege contumeliosus affecto, cum poenas luere deberemus, honorati fuisset, & mox iterum affectissemus contumeliam: tanquam ingratitude extrenae rei, maximam merito poenam, & priore multo grauiorem dare deberemus. Nec enim tam ingratos contumelia prior, quam altera post honorem, & multam officiositatem ostendit. Igitur illa fugiamus, a quibus iam fuimus absoluti. Nec ore tantum gratias reddamus, ne de nobis quoque dicatur: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe abest a me. Quo modo nanque non sit absurdum, cum caeli enarrant gloriam dei, ut tu propter quem caeli deum glorificantes facti sunt, talia facias, vnde propter te blasphemetur, qui te fecit deus? Propterea non ille tantum qui blasphematur, verum etiam tu iam es poenae obnoxius. Non enim caeli vocem emittentes deum glorificant, sed alios per aspectum ad hoc inducentes, & tamen ipsi dicuntur caeli gloriam enarrare. Sic & vitam praerentes admirabilem, licet taceant, deum glorificant, cum alij propter eos ipsum glorificent: non enim tam ex caelo redditur admirabilis, quam ex vita pura. Cum itaque gentiles alloquimur, non in medium caelos adducimus, sed quod homines feris peius dispositos angelorum aemulatores fieri persuasit. Et hanc dicentes mutationem, eorum obstruimus ora. Nam & caelo longe melior homo, & potest eius ornatu splendidiorem animam possidere. Hoc nanque cum ad tantum tempus videatur, non multum persuasit. Paulus vero cum modico tempore praedicauerit, totum attraxit terrarum orbem: enim animam habebat non minus caelo trahere cunctas idoneam. Nam nostra quidem, nec terra quidem est digna, illius autem & caelo comparanda. Haec namque stetit proprium custodiens terminum & regulam. Illius autem animae sublimitas omnes caelos superascendit, & cum ipso Christo conuersatur: & ipsius species erat talis, ut & Christus eam praedicaret. Stellas autem, cum factae fuissent, admirati sunt angeli: hunc autem ipse admiratus est: Vas, inquiens, electionis est mihi iste. Et eorum quidem nubes frequenter obducunt, animam vero Pauli nulla obruit tentatio, sed in tempestatibus firma meridie clarior apparebat: & similiter sicut ante nubium clarescebat concursus. Qui namque lucebat in eo, Sol

188

Cor. 12.

Esa. 1.

Luca 16.

Matth. 23.

Luca 16.

189

Sol non tales emittebat radios, ut tentationum coeque su obumbrarentur, quin tunc & amplius splendesceret: propterea quoque dicebat: Sufficit tibi gratia mea: virtus enim in infirmitate perficitur. Ipsum igitur imitemur, & si vulerimus, nihil erit etiam pra nobis hoc caelum: nihil sol, nihil omnis mundus. Haec enim propter nos, non nos propter haec. Ostendamus nos esse dignos, propter quos haec sunt creata. His enim si vili fuerimus indigni, quo modo digni regno videbimur? Et si sunt omnes digni solem videre, qui in dei viuant blasphemiam, indigni creaturis uti deum glorificantibus, ipsum blasphemantes: quoniam filius contumelia patrem afficiens, seruorum ministerio fungi non est dignus. Et propterea multam quidem haec nanciscuntur gloriam, nos vero poenas & vltionem dabimus. Quanta fuerit itaque miseria, creaturam quidem propter te factam, in libertatem gloriae filiorum dei formari: nos autem factos dei filios, propter multum torporem in perditionem, & gehennam mitti, propter quos creatura illam magnam nanciscetur tranquillitatem? Ne igitur hoc accidat, mundam quidem habentes animam, talem eam conseruemus: quin & amplius eius nitore intendamus: habentes vero sordida, ne desperemus: ait enim, Si fuerint peccata vestra sicut vermiculus, quasi niuem dealbabo: etsi quasi coccinum, velut lanam albefaciam. Cum vero deus promittat, ne dubites, sed illa fac, per quae tales attrahere poteris promissiones. Innumera tibi commissa sunt mala, & scelera perpetrata: & quid hoc? Nondum enim in infernum descendisti, vbi nemo confitebitur: nondum solum est theatrum tuum, sed adhuc es intra stadium constitutus, & per extremam potes luctam omnes reparare iacturas. Nondum eod deductus es, vbi diues torquetur, ut audias, quod chaos est inter nos & vos. Nondum enim venit sponsus, ut aliquis oleum communicare timeat: adhuc emere potes, & respondere. Nec adhuc est qui dicat, Ne forte non sufficiat & nobis, & vobis: sed sunt qui vedant, multi nudi, esurientes, agroti, carcere detenti: hos pasce, illos indue, visita iacentes, & super fontes oleum manabit. Nondum rationis ponende dies aduenit. Vtere conuenienter tempore, & debitorum fac remissiones. Et centum debenti eados olei dicas, accipe scriptum tuum, & fac quinquaginta. Et in pecuniis, & in verbis, & in aliis fac similiter, illum imitans villicum. Et haec, & tibi & tuis persuade. Adhuc enim es in potestate dicendi talia, nondum in necessitate conclusus, pro his alium rogandi, sed & aliis & tibi consulendi facultatem habes: cum autem illo migraueris, horum neutrum vtiliter facere poteris. Et merito: qui tantam enim accepit temporis occasionem, & neque se, neque alterum adiuuit, quo modo iam in manibus iudicis constitutus haec poterit assequi gratiam? Haec itaque cuncta colligentes, salutem nostram instanter oremus, neque praesentis vitae perdamus occasionem. Licet enim, licet inquam, & in extremis vitae momenti deo se gratum reddere, licet & per testamentum probabilem fieri, non ita quidem sicut viuenter, licet tamen. Qualiter, & quo modo? Si cum necessariis tuis eum scribas haeredem, & ipsi quoque totius hereditatis partem distribuas. Non eum viuens pauisti, saltem migrans, cum non es dominus vltra, da tuorum partem. Benignus est, non subtiliter tecum rationem ponet. Maioris quidem est desiderij, & amplioris praemij, si viues eum pascas. Sed si hoc ei non exhibuisti, saltem ad secundum curre refugium. Cohaedem eum tuorum institue filiorum. Si autem & hoc negligis, cogita quod

Tomus quintus.

pater ipsius te fecit eius cohæredem, & inhumanitatem dissolue. Quam enim habebis excusationem, si neque filiorum tuorum cohæredem facias, qui te caelorum participem fecit, & propter te iugulatus est, & haec, cum omnia quae fecit, non debitum reddens fecerit, sed gratias exhibuerit? Tu vero post tot beneficia & debitor constitutus es: & tamen his te sic habentibus, tanquam gratiam accipiens, non tanquam debitum repetens, ita te coronat, & haec cum eius bona sis accepturus. Des igitur ei pecunias tibi iam inutiles, & quarum non es dominus: & tibi regnum conferet tibi semper vtile futurum, & cum eo simul omnia quae hic sunt necessaria, largietur. Nam si filiorum cohæres fuerit, ipsis orbitate releuat, soluit insidias, infestationes repellit, calumniatorum obstruit ora. Etsi ipsi testamenta tueri nequie-rint, ipse tuebitur, nec sinet discindi. Si autem & hoc permittet, omnia tamen per se cum maiori liberalitate expediet conscripta: quoniam semel est, dum scriberetur, honoratus: ipsum igitur haeredem relinque. Ad ipsum enim es transiturus, ipse tibi discutiet omnium hic gestorum iudicium. Sed sunt quidam tam miseri & ærumnosi, qui ne filiis quidem carentes hoc facere sustinent: sed parasitis, & assentatoribus, & illi vel illi suis distribuere malunt, quam Christo, qui tot sibi beneficia contulerit: quibus quid esse possit stolidius? Hos enim si quis vel asinis, vel lapidibus comparauerit, nondum tamen aliquid eorum dementia, vel insensibilitate dignum protulerit. Nec vllam quis inuenire possit similitudinem, quae furorem eorumque possit insipientiam exprimere. Qualem enim veniam huiusmodi consequentur, quod eum viuentes non pauerint, cum ad deum migraturi, nec ex pecuniis, quarum non sunt amplius domini, vel minimam ei partem largiri velint: sed tam hostiliter, & inimice sese gerant, ut nec ei iam inutilia sibi reddita communicent? Nonne vides quot homines nec hunc finem assecuti sunt, sed rapti migrauerunt? Te vero deus & considerandi de congruis, & de rebus loquendi, & de omnibus quae domi sunt, disponendi dominum constituit. Quam igitur excusationem habebis, cum & hanc ab eo gratiam accipies, beneficium prodideris, & quodam modo per diametrum fidei tuae progenitoribus stes oppositus? Illi nanque viuentes quoque vendebant omnia, & portabant ante pedes Apostolorum: tu vero nec moriens vllam indigentibus praebes portionem. Melius igitur est, & multam praebes securitatem quod viuus paupertatem corrigas. Sed si id efficere nolis, saltem mories aliquid fac generosum: non multa quidem est, in Christum charitatis tamen est. Nam etsi cum agnis praesentiam non habebis, parum tamen non est, vel post illos constitui, nec cum haec dis collocari, nec a sinistris. Si vero nec hoc feceris, quae ratio te liberabit, cum neque dei timor, neque quod res posthac inutiles tibi futurae sint, nec ut tutelam filiis relinquant, nec ut illic aliquam tibi praepares veniam, humanum te reddere possit? Propterea vos hortor, ut praesertim viuentes indigentibus maiorum vestrorum partem praebatis: si qui vero tam pusillanimes sint, ut hoc non tolerant, huiusmodi vel ex necessitate fiant humani. Nam dum viuebas quidem, tanquam immortalis ita praesentia asserbas: nunc vero postquam didicisti quod mortalis es factus, nunc saltem sententiam solue, & tanquam mortalis de tuis consulta, vel potius tanquam immortali vitae perenniter fruendae destinatus. Nam licet graue sit, & horrore plenum quod dicendum est, dicere tamen oportet: Annumera seruis

g ij tuis

tuis dominum. Seruos manumittis, libera & Christum à fame, necessitate, vinculis & nuditate. Audiens horruisti, igitur horribilius, quando nec hoc ipsum facis. Et hic te quidem verbum languere coëgit: at cum eo migraveris, & his audieris multo grauiora, & irreparabilia videris tormenta, quid dices? Ad quem confugies? Quem vocabis auxiliarem & adiutorem? Abraham? at non audiet. Virgines illas? sed nec ipsa tibi oleum tradent. Patrem, aut auum? sed nec horum quisquam erit dominus, licet sanctissimus sit, illam soluendi sententiam. His igitur omnibus animaduersis, soli domino qui tuum potest delere chirographum, & illam extinguere flammam, supplica & exora, & iam pascens rede propitium, & continue vestiens: vt & hinc bona cū spe recedas, & eò translatus æternis fruare bonis, quibus vtinam detur nobis omnibus potiri, per gratiam & benignitatem domini nostri Iesu Christi, per quem, & cum quo patri gloria, simul & sancto spiritui, in secula seculorum, Amen.

Quod ex minimis incipienda nobis sit virtus, & quod non sit iurandum. Homilia XXVI.

ICVT ignis quanto plura corripit ligna, tanto fit vehementior: sic & studium, quanto plures pijs rationes excitat, tanto magis aduersus cetera armatur: quale quod dico: Fuerunt in nobis quasi vepres, periuria, mendacium, simulatio, dolus, maleficium, conuicium, dicacitas, ridiculositates, turpiloquia, scurrilitates: rursus ex alia parte, auaricia, rapina, iniuria, calumnia, insidia: rursus mala concupiscentia, immundicia, intemperantia, fornicatio, adulterium: rursus inuidia, zelotypia, ira, furor, mali memoria, vltio, blasphemia, & mille talia. Si priora correxerimus, non illa tantum erunt correctæ, verum & sequentia, propter præcedentia. Fortior enim iam efficitur ratio ad illorum subuersionem. Puta multum iurans si satanicam hanc consuetudinem reciderit: ei non hoc solum peractum est, verum & alia pietas est subintroducta. Non iurantium nanque nemo, vt arbitrator, volet facile quicquam aliud mali facere, sed virtutem iam exhibitam reuerberitur. Sicut enim pulchrum gestans vestimentum, luto seipsum inuoluere confunditur, similiter & hic. Ex hoc autem veniet ad id, ne irascatur neque percutiatur, neque contumeliam faciat. Si semel enim parua præstiterit, totum expeditum est. Accidit autem & frequenter tale quid, vt qui semel aliquid emendauerit, rursus ex torpore in eadem decidat præcipitanter, & rem deinceps inexplicabilem constituat. Puta nos iurandi legem nobis constituimus, cauimus tres vel quatuor dies, post illos in necessitatem incidentes, collectum omne lucrum dissipauimus: in torporem iam & desperationem incidimus, sed non oportet abicere, sed rursus studio contineri: ait enim, Qui edificauerit, cum postea viderit destructum ædificium, segnior erit ad rursus ædificandum: sed nec ita torpere decet, sed adhuc studium arripere. Nobis itaque quotidianas ponamus leges. Interim à facilioribus exordiamur, ab ore nostro iurandi frequentiam amputemus, linguæ frænum ponamus, deum iuret nemo. Non est hic impendium, non est hic labor, non est hic temporis exercitatio: sufficit velle, & totum factum est: consuetudinis enim opus est. Precor & supplico studium hoc impedamus. Dic, inquam, mihi, si pecunias erogare iussissem, nonne prompte quisque pro viribus contulisset? Si in extremo me periculo vidissetis, nonne de car-

ne refecantes, si modo fieri posset, dedissetis? Iti magno nunc quoque periculo sum, & tali, quod etsi cum hoc & carcerem habitarem, vel infinitas acciperem plagas, vel in metalla relegarer, hoc plus non doluissem. Manum igitur porrigite. Cogitate nanque quantum sit periculum, nec hoc minimum posse præstari: minimum autem dico, quantum ad laborem spectat. Quid dicam, aut tunc accusabor? Quare non allocutus es? Quare non mandasti? Quare non statuisti legem? Cur inobediens non cohibuisti? Non mihi satis est dicere, quod admo-nui: verum & acriori, inquiet, opus erat increpatione. Nam & Heli admonebat (sed absit vt vos illius comparem filius) & ille, inquam, admonebat, & dicebat, Nolite filij mei sic facere: non enim est bona fama quam ego de vobis audio. Sed procedens ait scriptura, Eo quod non corripuerit filios suos, eo quod non acriter, neque cum increpatione hoc fecerit. Quo modo enim absurdum non est, in Iudæorum quidem synagogis tam validas esse leges, etsi magister præcipiat, omnia fieri: nos autem hic ita contemni, & abiici? Non est mihi gloria meæ sollicitudo (gloria nanque mea est probitas vestra) sed salutis vestre. Quotidie clamam, instruimus, auribus vestris insonantes, & qui audiat, nemo, nihilque vehementius præferimus. Timeo ne huius magnæ, sed inutilis humanitatis in futura die rationem reddere cogamur: & ideò magna & clara voce prædico omnibus & protestor, talem operantes prauaricationem, quæ sunt à malo loquentes: iuramentum est huiusmodi: ne limina quidem Ecclésiastica tangant. Tempus autem præsentium vobis præsens sit mentis, in quo corrigamini. Ne nanque mihi dicas, quod negotiorum te necessitas urgeat, quoniã non credo, interim sodales præcide. Scio quod multi nos ridebunt, sed melius hic nunc rideri, quam tunc lugere. Ridebunt autem, quotquot infamiunt. Quis enim quæso mente non carens, mandatum seruari ridebit? Quod si ridebunt, huiusmodi non nos, sed Christum ridebunt. Horruistis dictum audientes. Sciebam & ego: itaque si ego quidem hanc legem tulissem, mei foret derisio: si vero legislator alius est, ad eum peruenit subannatio. Et Christus quondam fuit insputus, & in capite colloq; percussus, & colaphis cæsus. Hæc nunc quoque sustinet: & non immerito gehenna propter hoc præparata est, propterea vermis qui non moritur. Ecce iterum dico & protestor: Qui vult rideat: qui vult subsannet: ad hoc positi sumus, vt derideamur & subsannemur, & omnia patiamur: purgamenta mundi sumus, iuxta beatum Paulum. Si quis hoc mandatum præstare negat, velut tuba quadam per sermonem prohibeo Ecclésiæ limina talem ascendere, licet princeps, licet ipse sit diademate redimitus: vel à præsulatu me deiciat, vel manentem periculis concludere nolite. Hanc ascendere cathedram non tolero, nisi magna præstaturus: nam si quid tale fieri non potest, melius in imo stare. Nam principe, qui subditis nil profit, miseris nihil. Conuertite iam vosmetipsos, & attendite, quæso, & nos ipsos simul erigamus, & aliquid omnino melius accedet. Ieiunate, orate deum, & nos vobiscum, vt pestiferam hanc euellatis consuetudinem. Nil arduum est vos orbis terrarum fieri præceptores: non est parum vbiq; diuulgari, quod in tali ciuitate nullus est, qui iurandi consuetudine teneatur. Quod si fiat, non tantum vestrorum accipietis meritorum mercedem. Quod enim ego sum vobis, hoc vos orbi terrarum efficiemini. Omnino & alij vos imitabuntur: omnino vos lucerna eritis super candelabrum posita. At inquit, Hoc est ne totum? Hoc non est totum,

est totum, sed aliorum principium. Qui non iurauerit, & ad reliquam omnino pietatem perueniet & volens, & inuitus, & erubescens, & timens. At inquit, non tolerant multi, sed resiliunt. Sed melius est, vnum esse qui domini voluntatem faciat, quam impios mille. Ex hoc enim omnia subuersa sunt, omnia confusa, quod velut in theatris multitudinem quarimus, non probatam multitudinem. Quid enim, rogo, turba prodesse poterit? Vis discere, quod multitudo sancti sunt, non multi? Educite ad bellum decies cetera milia, & vnum sanctum: videamus quis plura præstabit. Iesus Naue filius in pugna descendit, & solus omnia gessit: alij vero nihil profuerunt. Sed potes si vis videre, quod multa turba, charissime, cum dei voluntatem non faciat, nihilo ab his qui non sunt, differat. Opto igitur & volo, & libeter etiam maestari sustinerem, vt multitudine decorarem Ecclesiam, sed multitudine probabili. Si vero nequit hoc fieri, paucos ipsos probabiles esse volo. Non videtis quod melius est, vnum habere preciosum lapidem, quam multos obolos? Nonne videtis, quod melius oculum vnum habere sanum, quam hoc hebetato multa pinguedine premi? Nonne videtis, quod melius est ouem vnam sanam habere, quam decem milia scabie repleta? Non cernitis, quod filiorum bonitas cum paucitate, quam filiorum multitudo cum malicia melior est? Non cernitis, quod in regno quidem pauci, in gehenna vero multi? Quid mihi cum multitudine? Quæ utilitas? nulla, sed potius aliis detrimentum. Idem enim est, quale si quis, cum liceat incolumes decem habere, vel ægotantium decem milia, introducat decem valentes. Multi nihil boni facientes, quid aliud nobis præbebunt, quam pœnam, & in præsentem ignobilitatem? Nemo nãque, quod multi sumus dicet, sed quod inuitus, arguet. Hoc sanè nobis semper dicunt, cum dixerimus, quod multi sumus, at mali inquit. Ecce rursus prohibeo claraque voce proclamo, nemo risum esse putet. Arcebo siquidem & prohibebo non obtemperantes: & donec in hac sede cathedra nullam ipsius iustificationem omittam. Si quis detraxerit, iã insons ero: sed donec obnoxius sum, despiciere non possum, non propter meam pœnam, sed propter salutem vestram: vehementer enim vestram cupio salutem, & pro ea multum affligor & doleo. Sed obedite, vt & in præsentem, & in futuro magnam accipiat mercedem. Eia vero iã videamus qua ex causa subrepit iuramentum, & quamobrem esse concessum videatur. Dicamus ab initio, repetentes ipsius originem, & quando sit ortum, & qualiter, & à quibus. Vobis probedicta narrationem retribuamus. Nam correctum quidem audire dignum est, & philosophari necessariū. Nondum vero mutatum, nec sermonem audire quidem dignum est. Qui fuerunt Abrahæ tempore multa fecerunt fœdera, victimasque maestauerunt, & obtulerunt sacrificia, necdum erat iuramentum. Vnde igitur irrepsit iuramentum? Cum mala creuissent, cum sursum & deorsum confusio facta fuisset, cum ad idolorum seruitutem declinasset, tunc, inquam, tunc, cum infideles iam apparent, istem inuocabant deum, tãquam dignum dantes dictorum vadem. Hoc enim est iuramentum, morum infidelium vadimonium, vt non nisi cū sponse credatur, & sponse quidem magno. Propter multam enim incredulitatem non hominem volunt sponso, sed deum. Secundum & idem exigentis iuramentum crimen, si de commerciis hæsitans deum in sponso trahat, & dicat se non abcessurum, nisi capiat illum. O ingentem insensibilitatem, o contumeliam!

Tomus quintus.

108ue II.

qui vermis es, & terra, cinis & fumus, dominum tuum citas in vadimonium, & illum trahere cogis? Dic mihi, si seruis vestris inter se contententibus, & sibi fidem non habentibus, diceret conseruus se prius non crediturum, quam communi dominum sponso acciperet: nonne multa tulisset verbera, didicissetque quod ad alia domino sit vtendum, non ad huiusmodi? Quid dico conseruum? Si nãque venerabiliorum virum elegisset, nonne contumeliam id existimasset? Sed ego nolo, dices: & bene. Nec illum itaque cogas, quoniam hoc & in hominibus obseruatur. Si dixerit, illum de sponso, tu ne tolere. Quid igitur, inquit, datum amittam? Non hoc dico, sed ne deum afficere contumelia tolere: propterea quod magis cogens, quam iurans inuitabilem subit pœnam. Similiter & exigente nullo iuratis. Et quod peius est, pro singulo quisque iurans obolo, pro minima accessione, pro iniuria, & hæc quidem cum absint periuria. Quod si periurium quoque subsequatur, omnia sursum agit & deorsum, tam qui cepit, quam qui dedit. Sed aliqua sunt, inquit, quæ ignorantur. Et hæc prouidens nihil negligenter agas: si vero negligenter agis, à temetipso pœnas & multam exige. Melius est ita damnari, quam aliter. Dic mihi quæso, trahens hominem in iuramentum, quid expectas? vtrum vt peieret? Sed hoc est extrema demerita, & in caput tuum pœna conuertetur. Melius est te pecunias amittere, quam illum perire. Quid hoc cum iactura tua, deiq; contumelia facis? Fere talis est anima, & impij viri. At non peieraturum expectas? Igitur & absque iuramento crede. Sed multi sunt, inquit, qui sine iuramento defraudare voluerunt: non autem cum iuramento. Te ipsum decipis homo. Homo furari solitus, & iniuria proximum afficere, neque iuramentum frequenter perfundare dubitauerit. Quod si fuerit in iurando reuerens, & in ferenda iniuria multo magis erit. Sed inuitus id patitur, igitur venia dignus. Sed quid de talibus loquor iuramentis, forensia præmittens? Illic enim tale nihil dicere potes. Nam pro decem obolis iuramenta fiunt, atque periuria. Quoniam enim superne fulmen non venit, quoniam omnia non subuertuntur, stetit continens deum, vt olera emas, & calceameta, pro modo dico argento vocans eum in testimonium. Ne tãdem, ne propterea quod non punimur nos ne peccare quidem cogitemus. Illud est misericordiæ dei, non virtutis nostræ. Iura per filium tuum, iura per te ipsum: dic, ita non carnis flexis meis instet lateribus: sed times: lateribus itaque tuis deus est ignobilior, capite tuo vilior: dic, ita non debiliter. Et Christus quidem nobis tantum parci, vt & per proprium caput iurare prohibeat: nos autem tantum paruipendimus dei gloriam, vt eum passim trahamus. Nescitis quid sit deus, & quali debeat ore vocari: Quod si de quopiam probo quidem viro loquamur, dicimus: os tuum ablue, & ita commemora: nunc vero nomen super omne nomen venerandum, in omni terra admirabile, quod audientes demones horrent, temerarie circumferimus: o consuetudinem. Et ex hac factum est paruifaciendum. Nepe si cui per sanctam domum iurandi necessitatem imponas, tanquam horrendum conlaris iuramentum, ita remanens affectus: & vnde tam horrendum esse videtur, nisi quod illo quidem passim vtimur, hoc autem minime? Nonne enim dum deus nominatur, oporteret horrere? Et apud Iudæos quidem tam venerandum erat ipsius nomen, vt in laminis scriberetur, & nemini literas ferre liceret, nisi sacerdotum principi: nunc autem velut quiddam vul-

Exod. 28 f

g iij gare,

gare, sic ipsius nomen circumferimus. Si simpliciter deū A
nominare non est fas omnibus, in testimonium etiam
eum vocare quanta, quāso, sit audacia? quanta insanie?
Nam si cuncta forent abiicienda, nonne oportebat
prompte dimittere? Ecce dico, & protestor: hanc foren-
tia corrigite iuramenta superflua, & ad me cuncta per-
ducite. Ecce presentibus vobis ad ædium sacrarum cu-
stodiam deputatis impero, moneo & iubeo, nemini o-
ciosè iurare licere: immo vero nec aliter, sed vt ad me
perducatis, quidcunque sit: quoniam & hæc ad nos vsq;
peruenire oportet, tanquam ad paruulos pueros (absit
pudor) a quibus adhuc opus habetis discere. Ne sacram
attingere mensam audeas, cum non sis initiatus: sed
quod etiam peius est, tu initiatus sacram audes mensam
contingere, quam nec omnibus fas est sacerdotibus tã-
gere, & ita iurare? Tu vero nec pueri quidem caput tã-
geres. Abiens autem mensam tangis, & non pauescis: B
Timuisti tuales ad me perducas, ego iudicabo, & am-
bos latos remittam. Quod vultis, facite: legem pono,
ne prorsus iuretis. Qualis est salutis spes, nobis omnia
sic exhaurientibus? propter hocne chirographa, prop-
ter hocne commercia, vt tuam ipsius animam mactes?
Quid tantum lucraris, quantum perdis? Peierauit, & il-
lum & temetipsum perdidisti: sed non peierauit, & ita
quoque perdidisti, mandatum cogens præuaricari.
Huc ex anima morbum pellamus, interim ex foro sub-
moueamus, ex venalibus tabernis, & reliquis officinis,
& maior erit vobis quæstus. Ne cogitetis vos per diui-
narum legum præuaricationes vitæ necessaria compa-
rare. At inquires, non credit. Nam & hoc interdum a
nonnullis audiui, nisi mille iurauero sacramenta, non
credit. Tu es horum causa, qui facile iuras: quoniam si
id non faceres, sed omnibus constaret, quod non iu-
res, mihi crede dicenti, quod his qui mille deorant iu-
ramenta, maiorem ipse fidem solo nutu inuenires. Ec-
ce enim, quāso, cui magis credatis: an mihi nihil iuran-
ti, an iurantibus: at inquires, Tu princeps & Episcopus
es. Quid igitur, si probaui quod non propter hoc so-
lum: In veritate, quāso, mihi respondete: Si continue iu-
rarem, & semper: nunquid mihi prodesset præfulatus?
Nequaquam. Vides quod non propterea? Quid vero
prorsus lucreris, dic mihi? Paulus esuriebat: & tu velis
potius esurire, quam ex dei mandatis aliquod prætere-
re. Quid tam incredulus es? Tu igitur eliges cuncta fa-
cere & pati ne iures, & ipse te non remunerabit? Et qui
periuros & peieratores quidem quotidie pascit, te fami-
tradet, quoniam eum audisti? Omnes sciant, quoniam
in hanc Ecclesiam conuenientium qui iuret est nemo.
Et ex hoc fiamus manifesti, non tantum a fide: Et hoc a
gentilibus, & omnibus nos discernens habeamus. Ca-
piamus ex cælis signum. Vt vbique tãquam regius grex
appareamus, ab ore & lingua interim dinoscatur: si-
cut Barbari, sicut Græce loqui scientes, ita differamus a
Barbaris. Dic enim mihi, aues quæ dicuntur psitaci, vn-
de noscuntur? Nonne humano more loquendo: Et
nos itaque loquendo, sicut Apostoli, noti fiamus loquẽ-
do sicut angeli. Si quis dixerit, iura: audiat, quod Chri-
stus prohibuit, & non iuro. Hoc omnem inducere vir-
tutem idoneum est. Quædam est pietatis ianua, via ad
religionis studium perducens, & quædam est palæstra.
Hæc custodiamus, vt & futura bona consequamur, gra-
tia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cum quo
patri simul & sancto spiritui gloria, imperium & honor
nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

De iuramentorum abstinentia.
Homilia XXVII.

SICVT in pralio ex tessera & amici & hostes
discernuntur: ita quidem & in nobis fiat cha-
rissimi (nã & nunc in bello sumus) vt & pro-
prios agnoscamus fratres. Quantum enim bo-
ni est, hoc esse nobis indicium, & hic & in aliena reli-
gione? Qualis est hæc armatura contra diaboli caput?
Os enim iurare nescium, nec conuiciari nouerit. Tan-
quam ex aliqua domo, sic ex lingua huic ignem eice,
ignem extrinsecus trahe, ne des illi respirationis ali-
quantulum, vlcus reddas imbecillius: redde rogo vt &
aliam vobis erogem disciplinam. Hac enim nondum
expedita ad aliud venire non audeo. Hoc cum diligen-
tia vobis expediatur, & meriti sensum capietis, tunc &
alias vobis afferam leges: imò vero non ego, sed Chri-
stus. Hoc bonum in anima vestra plantate, & paulatim
eritis paradisi dei, illo longe melior paradiso: nec e-
nim apud vos serpens, nec arbor letalis, nec aliud hu-
iusmodi quicquam. Hanc in profundo cõsuetudinem
fugite. Si hoc factum fuerit, non vos presentes tantum
vtilitatem capietis, verũ & omnes qui sunt in orbe ter-
rarum. Nec illi soli, verum & post eos futuri. Bona nã-
que consuetudo introducta, & ab omnibus custodita,
in multa prorogabitur tempora. Nec vllum tempus eã
explodere poterit. Si quidam in sabbato ligna colli-
gens, lapidibus obrutus fuit: qui tali collectione multo
peiora committit, & peccatorum colligit sarcinã (hæc
enim est peccatorum copia) quid sustinebit? imò vero
quid non sustinebit? Multum a deo capietis auxilium,
si hoc vobis fuerit enauatum. Si dixerò, Ne contumeliã
inferas, statim iram in medium mihi producis: si dixe-
ro, Ne inuideas, aliam proferes excusationem. Hic nihil
huiusmodi dicendum habes. Propterea a facilibus ince-
pi, quoniam & in omnibus artibus ita quis & ad maiora
venerit, multo prius discens faciliora. Scietis quã-
facile sit hoc, cum ipsum dei gratia perfeceritis, & aliã
acceperitis legem. Date mihi contra Gentiles & Iudeos
fiduciam, & super omnia coram deo: Ita rogo per cha-
ritatem, per parturitionem, qua vos parturiri filioi mei.
Quod autem sequitur, non inferam, quos iterum partu-
rio: nec illud dicam donec formetur Christus in vobis:
sed alia vobis dicam, Fratres mei charissimi, & deside-
rati, gaudium & corona mea: credite enim mihi, quod
non falsa dicam. Si quis innumeras gemmis contextas
coronas regales capiti meo nunc imposuisset, non ita
latatus fuisset, sicut profectu vestro gratulor: quinimo
nec regẽ ita gaudere reor, vt ego super vobis gaudeo.
Si quis omnes gentes secum bellum gerentes superans
redisset, & cum regali corona plures accepisset coro-
nas, & alia diademata victoriæ signa, non ipsum ita pu-
to gauisurum trophæis fuisse, sicut ego profectu vestro:
tanquam enim innumeras in capite gerens coronas, sic
exulto: & merito. Si nanq; dei gratia hæc vobis est cor-
repta consuetudo, innumera profugastis prælia, & illo
longe difficiliora contra demonas improbos, aduersus
superbos luctati, & præliati, per linguam, non gladium,
sed per voluntatem. Videte, quanta perfeceritis, si mo-
do expediatis. Primum malam exciditis cõsuetudinem:
secundo prauam subuertitis cogitationem, ex qua sunt
omnia mala, ne cogitetis esse rem indifferentem, & ni-
hil nocere: tertio furorem auariciamq; comprelleritis.
Hæc enim omnia parit iuramentum. Verum ex hoc ad
alia merita multam capietis occasione. Sicut enim pue-
rorum elementa discentes, non illa tantummodo discunt,
sed in

fed in illis legere paulatim docentur: itidem & vos. Nõ A
vos amplius improba faller cogitatio, neq; dices quod
hoc indifferens sit, neque iam amplius ex consuetudine
loquimini, sed aduersus omnia generose consistetis. Po-
sumus legem, imò vero non nos posuimus, absit: ait e-
nim, Nolite vocare magistrum super terram. Legem
tulit Christus, ne quis iuret. Quid actum est, quāso, de
hac lege? Non enim de hoc loqui definam, ne forte cū
rursus venero, sicut ait Apostolus, non parcam. Nun-
quid fuistis circa negocium solliciti? Nunquid curastis?
Nunquid vllum nobis est exhibitum studium? An rur-
sus eosdem attingemus sermones? At potius, siue factũ
est, siue secus, iisdem vtamur sermonib;: vt si nil actum
est, curam geratis: si vero solliciti fuistis, rursus id sta-
bilius operemini, & alios hortemini. Vnde nobis igitur,
vnde loquendi sumendum principium? Vultis a
testamento veteri? Hoc enim pudoris est nostri, quod B
quæ sunt in veteri testamento, quæ transcendere par-
erat, nec ista custodiamus: nos enim de his audire non
oportebat (hæc nanque sunt Iudaicæ vtilitatis denun-
tiationes) sed illa perfecta fuerant audienda. Abiice pe-
cunias, ita generose, & animam expone pro prædica-
tione, deride cuncta quæ sunt super terram, nil tibi sit
cum presenti vita commune. Si quis iniuriam intulerit,
benefac: si quis oppresserit, benedic: si blasphemaue-
rit, honora, omnibus esto superior. Hæc & huiusmodi
decebat audire. Nunc autem de iuramento differimus.
Et idem est, ac si quis philosophari debentem ab illis
abstrahens præceptoribus, syllabas adhuc, & alphabe-
tum legere cogat. Cogita quāso, quanta sit ignomi-
nia, quæmpiam hominem prolixam habentem barbam,
& baculum gestantem, & exomida indutum, cum pue-
ris ad præceptores ingredi, & eadem cum illis discere: C
nonne multus erit risus: sed maior hic noster. Non e-
nim quantum est philosophiæ, & literarum interual-
lum, tantum est Iudaicæ conuersationis, & nostræ dis-
crimen: sed quantum est angelorum & hominum. Dic,
quāso, si quis angelum ex cælo deductum hic stare iu-
beret, ac nostros audire sermones, tanquam ex hoc in-
stitutum: nonne pudor & risus esset? Si vero de his
doceri ridiculum est, at his nec attendere quidem: quã-
tum erit condemnationis, quantum pudor, quod etiam
Christiani de fugiendo docentur iuramento? Attamẽ
toleremus, ne magis quoque rideamur. Eia itaque vo-
bis ex veteri loquamur hodie testamento: quid vero
dicit? Iuramento ne assuefacias os tuum, nec nomini
sancto familiaris fias. Quare? Sicut enim seruus tortus,
inquit, continue a liuore non mundabitur, ita neque
iurans. Vides sapientis huius prudentiam? Non dixit,
Iuramento ne tuam assuefacias mentem, sed os tuum: D
totum enim est oris, nam facile corrigi potest. Consue-
tudo enim est, quæ iam sine voluntate patrat. Verbi
gratia, Multi thermas ingressi, cum primum fores
transcenderint, signantur. Hoc nouit manus, vel nul-
lo iubente, & ex consuetudine facere. Rursum accensa
lucerna, mente frequenter aliquid aliud operante, ma-
nus signum facit. Ita quidem & os non cum anima lo-
quitur, sed ex consuetudine: & in lingua totum est po-
situm. Nec sancto nomini familiaris fias. Magnum
quid insinauit, Nominationi, inquit, sancti ne con-
suecas, Sicut enim seruus qui continue torquetur, a
vibice & liuore non purgabitur, ita neque iurans. Non
hic periurium dicit, sed iuramentum excidit, & ipsi sta-
tuit vltionem: igitur iurare peccatum. Nam vere talis
est anima, tantis est confossa vulneribus, tantis liuori-

Matt. 23. 4

1. Cor. 13. d

Eccle. 23. b

bus, sed non vides: Hoc autem est malum. Atqui potes,
si velis videre. Deus tibi dedit oculos: talibus videbat
Propheta qui dicebat: Putruerunt & corruptæ sunt ci-
catrices meæ, a facie insipientiæ meæ. Deum contemp-
simus, sanctum odimus nomen, conculcavimus Chri-
stum, pudorem soluimus: Diuini nominis cum reuerẽ-
tia meminit nemo. Quod si alicuius etiam ad nomen
exurgis, deum vero tam continue, tanquam nihil vo-
cas: In orationibus voca, voca eum ad inimici benefi-
cium, voca ad animæ tuæ salutem: tunc aderit, tũc eum
laticabis, nunc autem irritas. Voca sicut eum Stepha-
nus inuocauit: quid dicens? Domine ne statuas eis hoc
peccatum. Voca, sicut vocauit eum Helcanæ vxor cum
lachrymis. Non prohibeo, sed vehementer exhortor.
Illum voca, sicut & Moses vocauit, & clamabat pro eis
orans, qui eum expulerat. Et tu quidem, si cuius sine
honoris titulo memineris venerabilis viri, contumeliã
facta est: Deum autem circumfers opportune importu-
ne in sermonibus tuis. Non prohibeo deum in mente
semper habere, imò magis precor & volo: tamen non
aliter quàm illi placet, sed laudatẽ, sed honorantem:
Magna nanque nobis hoc contulit bona, si cum & a-
pud quos opus est, tantum eum vochemus. Quare, quã-
so, sub Apostolis quidem virtutes edebantur, sub nobis
vero nequaquam, cum idem sit deus, idem nomen: Sed
non est par vsus. Illi nanque in illis solis quæ commemo-
raui, illum duntaxat vocabant: nos autem non in
his, sed in aliis. Si vero nõ credit, & ideo iuras, dic qui-
dem, crede: veruntamen si vis per teipsum iura. Quod
non legem Christo contrariam ferens dico: Absit: ait
enim, Sit in vobis, est est: & non non: sed vobis conde-
scendens, vt magis in hoc vos inducam, & a tyrannica
reducam consuetudine. Quot in aliis probabiles ex his
rebus perierunt? Vultis discere, quare priscis iuramentũ
cõcedebatur? nam nec illic peierare fas erat: quoniam
per simulacra iurabant. Non confundimini in his legi-
bus permanere, in quibus indulgebatur illis infirmis?
Quoniam nunc quoque si gentilem accepero, non illi
statim hoc iniungo, sed interim scire Christum admo-
neo. Fidelis vero qui credidit & audiuit, si debet eandẽ
exigere cum gentili indulgentiam, quid vtilitatis: quid
emolumentis? Sed cõsuetudo res difficilis, & vix abstra-
hi potest. Itaque quoniam est tanta consuetudinis vio-
lencia, eam in alteram transfer consuetudinem. Et quo-
modo, inquires, potest fieri? quod sepius dixi, id nũc
quoque dico. Sint multi censes, sint inquisitores, & pro-
batores multi: dic mihi, Si tegimen inuestum imposuif-
ses, nonne puerum corrigere iubes, nec ab illo moneri
confunderis, cum illud quidem non multum sit dede-
cus? Hic autem in anima detrimentum patiens, ab alio
corrigi erubescis. Et circa vestimentum quidẽ ornan-
tem sustines seruum, & subligantem, animam autem
non sustines ornantem? Sit & seruus horum magister,
sit & filiolus, sit & vxor, & amicus, affinis & vicinus. Si-
cut enim fera, quæ ex omni parte agitur, fugere non
potest: sic & tot habentem custodes, tot increpantes, cū
vndique pulsetur, non licet non cauere. Et primo qui-
dem die hoc ægre feret, & in secũdo & tertio: deinceps
vero facillimum erit, & post quartum neq; negocium
hoc existimabit. Experientiam facite, si non creditis, cu-
ram geratis quãso. Non est vulgare peccatum, vel me-
ritum: sed vtrinque magnum est, & bonum & malum.
Opus est autem periurij detrimentũ ex scriptura quoq;
veteri manifestum. Falx, inquit, volans erat longitu-
dine cubitorum viginti, latitudine cubitorum decem.

Acto. 5. a

Volans velocissimum vltionis incursum significat iuramenta sequentem. Multorum vero cubitorum latitudo & longitudo vehementiam indicat & magnitudinem malorum. At ex caelo volare, ex superno tribunali sententiam ferri. Falcata vero forma inuitabile supplicij sortem. Sicut enim quocumq; falsi incurrerit, non solum secum arripit, verum & caput amputat: itide & poena iurantibus ingruens est difficillima, nec prius abisteret, quam quod suum est, obiret: quod si iurates euadimus, ne cofidamus: ad nostrum enim malum hoc fit. Nam quid censetis? quot post Ananiam & Sapphiram eadem, qua illi sunt ausi? quo modo igitur eadem non sunt passis? No quoniam ipsis ignotum sit, sed quoniam maiori differuntur malo. Multa namq; perpetrates, nec dantes poenas, terreri magis & timere debent: augebuntur enim eis supplicia propter impunitatem & dei longanimitatem. Ne hoc itaq; videamus, quod non punimur, sed ne peccauerimus: si vero peccates non poenas damus, potius pauere debemus. Dic mihi, si que habeas seruum, & illi tantum mineras, & verbera non infligas: quando magis timet, quando fugit, quando pedibus elabatur, nonne quando duntaxat minaris? Vnde & alter alteru admonemus, non continue minari, ne timor magis animam coturbet, & plus quam plagae disipet: illic enim ad tempus est vltio, hic autem continua. Ne igitur, quod nunc falsis mala patiatur nemo, respicias: sed illud cogita, si talia facit, quoniam multa nunc sunt, qualia in diluuiio: sed diluuium factum non est: gehena enim & vltio promissa est. Multi perperant, qualia Sodomorum ciues, sed ignis pluuia non descedit: igneus enim paratus est fluuius. Multi Pharaonis scelera comiserunt, sed Pharaonis poenas non dederunt: nec in mari rubro sunt submersi, quoniam pelagus eos expectat abyssi, vbi non cum insensibilitate supplicium, nec licet suffocari: sed amplius est necesse torqueri, affari, strangulari, consumi. Multi Israelitica sunt aggressi, sed eos serpentes non momorderunt, manet autem eos vermis qui non moritur. Multi Giezi peccata perpetrarunt, neq; tamen lepra resperfi sunt: eos enim manet pro lepra in binas partes secari, & poni cum hypocritis. Multi quoq; iurauerunt & peierauerunt: si vero fugerunt quoque ne confidamus: imminet enim detium stridor. Et hic quidem multa patientur incommoda, licet no confestim, sed post alia peccata, vt & grauior sit vltio. Quonia & nos frequenter a minimis occasionem capientes, & pro magnis totum luimus. Itaque cum aliquid tibi cotigisse videris, illius peccati tui reminiscere: hoc & Iacob filius accidit. Recordamini fratrum Ioseph, fratrem suu vendiderunt, iugulare tetarunt: vel potius ipsa promptitudine iugulauere, deceperunt, contristarunt senem, nihil pluribus post annis passus sunt, tandem vero in extremum periculum inciderunt, & huius reminiscuntur criminis. Hoc itaque valde sapienter efficitur. Nam audi quid dicat, Et merito: in peccato enim sumus de fratre nostro. Itidem & tu, cum aliquid acciderit, dicas: Etiam in peccato sumus, quoniam Christum no audiuimus, quociam iurauimus, iuramentorum frequentia & periuria super caput meum venerunt. Confitere: na illi quoque confessi sunt, & salui facti. Quid enim & si no statim ingruit vltio? Nam & Achab propter Nabuthae no statim post peccatum passus est ea qua pertulit: quare autem hoc fit? Da tibi temporis praefinitione, vt ablu possis: cum vero perseveraueris, tunc demum poena infligit. Vidistis quid patientur mercentes? Intellexistis quid patiantur peierantes? Intellegite & recedite. No li-

cet iurantem non peierare, & volentem, & inuitum, no licet peierantem saluum fieri. Vnum potest periurium omnia cofumere, & vniuersam nobis vltionem inferre. Propterea animaduertamus, & nobis caueamus vt hinc vltionem euadentes, dei misericordia digni censeamur, gratia & miserationibus vnigeniti eius, cu quo patri, simul & spiritu sancto gloria potestas & honor, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

De fugiendis iuramentis, & quid deo gratias agere debemus, licet in paupertate degamus. Homilia XXVIII. super Mattheum ex cap. V



Regnum assequi volumus, dilectissimi, plus aliquid antiquis exhibeamus madatis, quippe cum non aliter caelestia consequi liceat. Nam si ad eandem antiquorum mensuram peruenimus, extra caeli vestibula remanebimus. Nisi enim abundauerit iusticia vestra plus quam scribaru aut pharisaeorum: non intrabitis in regnum caelorum. Et tamen licet tot minae propositae sint, sunt quidam, qui non solum illam non transcendunt iusticiam, verum & ab ea deficiunt. Non enim solum iuramenta non fugiunt, verum & peierant: non tantum lasciuum non declinant aspectum, verum & ipsam improbam actionem incidunt, & alia reliqua prohibita sine doloris aggrediuntur sensu, vnum solum vltionis diem expectantes, & quando supremam patratorem poenam dabunt: quod eorum solum est, qui in nequicia vitam transegerunt: illos enim oportet desperare, nec aliud quid, quam supplicium iam expectare. Qui enim hic adhuc sunt, & pugnare poterunt, & vincere, ac facile coronari. Ne titubet igitur o homo, neque bonam solus promptitudinem: nec enim graua sunt quae praecipiuunt. Quis, queso, labor iuramentum fugere? Nunquid enim est pecuniarum impensa? Nunquid sudor & arumna? satis est tantummodo velle, & totum actu est. Si vero mihi consuetudinem obiciis: propter hoc ipsum maxime facile meritum esse dico. Si te namq; in aliam transtuleris consuetudinem, totum praestitisti. Cogita salte, quod apud gentiles multi balbutientes, multa meditatione lingua sibi claudicatem correxere. Alij autem humeros inepte se motantes & reducentes, iugiter apponentes entem restituerunt. Postquam enim per scripturas nobis non potest persuaderi, ab externis monere vos cogor. Hoc & deus apud Iudaeos faciebat, dicens: Ite in insulas Ca-

thim & in Cedar mittite, & cognoscite, si mutauit gens deos suos, & ipsi non sunt dii. Et ad bruta vero frequenter mittit, ita dicens: Vade ad formicam piger: & vade ad apem. Hoc itaque vobis & ego nuc dicam. Cogitate gentiliu philosophos, & tunc scietis, quato simus digni supplicio, despicientes diuinas leges, cum illi quide pro humana honestate infinite laborauerint, vos vero neque pro caelesti regno studium par exhibeatis. Si vero post hac dicas quod est difficile consuetudinem no fallere, vehementer quoque studentes: hoc fateor quidem & ego. Veruntamen & illud cum hoc pariter dico, quod sicut est facile decipi, sic & facile corrigi. Si namq; domi multos vbique custodes constituas, puta seruum, vxorem, amicos, ab omnibus facile compulsus atq; coactus a mala recedes consuetudine. Et si decet tantum diebus id obseruaueris, non ia amplius reliquo tepore indigebis, sed cu fiducia totu erit tibi repositum, pulcherrima consuetudinis firmitate vicissim radicatum. Cu igitur hoc corrigere coeperis, siue semel, siue secundo, siue tertio, siue vigesimo legem transcenderis, ne desperes, sed iterum

Hebr. 4. e

1. Reg. 2. c
4. c

sed iterum surge, & studium tuum resume, & omnino victor eris. Non enim vulgare malum est periurium. Quod si iurare mali est, peierare quantum feret vltionis? Laudasti dicta, sed plausibus mihi non est opus, neque laudantium vocibus & tumultu. Vnum duntaxat volo, vt cum quiete & intelligentia audientes, qua dicuntur faciatis. Hoc mihi pro plausu, hoc mihi pro laudatione. Si vero dicta quidem commendes, qua vero laudas non exequaris, maior quidem poena, maior autem accusatio, & nobis dedecus & derisio. Nec enim theatro paria sunt praesentia, neque tragædos spectantes nunc sedetis, vt duntaxat applaudatis. Hic est spiritualis schola: propterea & quod elaboratur, vnum est, vt dicta seruetis, & per opera obedientiam exhibeatis. Tunc enim totu receperimus: sicut nunc utique, & iam prohibuimus. Nam & seorsum occurrentes hac monere no desisti, & vobis publice commemorare, & nihil amplius tamen factum video, & vos adhuc prioribus detineri elementis: quod multum afferre docenti torpore idoneum est. Vide namque Paulum quoque propterea succensentem, quod multum temporis prioribus disciplinis auditores immorabatur. Etenim cum deberetis, inquit, magistri esse propter tempus, rursus indigetis vt vos doceamini, qua sint elementa exordij sermonum dei. Propterea nos quoque lugemus & conquerimur. Et si permanentes videro, iam vobis interdum hac ascendere sacra vestibula, & immortalium participes fieri mysteriorum, sicut fornicantibus & adulteris, & homicidij reis. Nam melius est cum duobus vel tribus dei leges custodientibus solitas offerre preces, quam multitudinem aggregari prauaricantium, & alios corruptentium. Ne quis mihi diues, ne quis potens hic intumescat, & supercilia contrahat. Hec omnia mihi fabula, vmbra & somnium. Nullus enim praesentium diuitum illic mihi patrociniabitur, cum arguar & accusabor, tanquam dei leges non congrua cum acrimonia asseruerim. Hoc enim, hoc & admirabilem illum senem vitam exhibentem inculpatam perdidit. Sed tamen quoniam dei leges conculcantes neglexit, cum filiis fuit punitus, & atroces poenas dedit. Si vero vbi tanta erat naturae vis, non cum debita seueritate filiis vsus, tam grauem luit vltione: quam nos habebimus veniam, & ab illa liberi tyrannide, & per assentationem omnia corruptentes: Cum itaque paupertate vel morbo pressus fueris, o homo, si non aliunde, ex mendicantibus saltem per angipertos euntibus deo gratias agere discere. Hi namque totum tempus in mendicando conterentes non blasphemant, non indignantur, non aegreferunt, sed tota mendicationis narrationem in gratiarum agunt actione, magnum facientes deum & misericordem. Ille quidem fame periens benignum vocat, tu vero viuens in abundantia, nisi cuncta simul accipias, crudelem nuncupas: quanto melior est ille? Quo modo nos condemnabis? Communes nobis praepceptores, & calamitatum consolationem per terrarum orbem misit deus pauperes. Es aliquid praeter voluntatem passus: sed tale nihil, quale ille. Eru-tus est oculus tibi? sed illi duo: longo morbo laborasti? sed ille incurabili: amissisti filios? sed ille & proprij corporis sanitatem: magna multatus es multa? sed nondum adhuc es redactus, vt alterius indigeas. Deo gratias age. Illos vides in paupertatis camino, & ab omnibus quidem petentes, a paucis autem accipientes. Cum orans defessus fueris, & non acceperis, cogita quoties audisti pauperem te vocantem, & non exaudisti, nec ta-

men ille grauius tulit, nec affecit te contumelia: & tu quidem hoc ex crudelitate facis, deus autem ex benignitate quoque facit, vt non audiat. Si igitur ipse conseruum propter crudelitatem non audians, accusari te dignum non censet: dominum per misericordiam seruum no audientem accusas? Vides quanta sit inaequalitas, quanta iniusticia? Hec semper cogitemus, inferiores in maioribus arumnis constitutos, & ita deo gratias agere poterimus. Multis talibus exemplis vita referta est. Non paruum autem vigilans habet disciplinam, & aduertere volens etiā ex oratoriis edibus. Propterea enim & ante ecclesias, & martyrum monumenta pro foribus pauperes sedent, vt nos ex huiusmodi spectaculo multum capiamus vtilitatis. Considera namque quod nobis terrenas ingredientibus regias, nihil huiusmodi cere nere licet: sed viri & honesti & splendidi, & diuites & prudentes passim discurrunt. Ad veras autem regias, ecclesiam dico, & oratorias aedes, & martyrum templa, daemionibus pressi, truncati, pauperes, senes, carci, membra praefertentes obtorta. Quid hoc tandem? Vt tu docearis ex horum spectaculo, primum, vt si quem factum extrinsecus trahens ingressus, in illos respiciens, timore deposito, & contrito corde, sic ingrediaris, & qua dicuntur audias. Non enim potest cum superbia orans audiri: vt cum senem videris, non in iuuenta altum sapias, cum & hi nunc senes iam fuerint iuuenes: vt cum in exercitu & potentia regia multum glorieris, cogites quod ex his aliqui fuerunt in regalibus aulis splendidi: cum in corporis sanitate confidas, his vacans sensum tuum corripas. Huc enim iugiter ingrediens, qui sanus quidem est, non altum sapiet in corporis sanitate: qui vero laborat, non vulgarem hauriet consolatione. Nec ob hoc solum hic assident, verum & vt te misericordem faciant, & ad misericordiam flexus dei benignitatem admireris. Nam si deus illos non erubescit, sed in vestibulis suis constituit: multo magis tu ne terrenis adibus altum sapias, nec erubescas cum a paupere vocaris. Et si accesserit & genua teneat, ne repellas. Canes enim quidam sunt admirabiles regiarum caelestiu: neque contemnens eos canes vocaui, absit, sed magno-pere laudans: regiam enim custodiunt aulam, eos igitur pasce. Honor enim ad regem transit. Illic omnia factus, in terrenis dico aulis: hic omnia sunt humilitas: quoniam nihil humanum ex ipsis praesertim vestibulis discis. Quod diuitiis deus non delectatur, ex ipsis pro foribus sedentibus doceris. Horum enim sedes & collectio tantum non est admonitio ad omnium hominu naturam vocem emittens praecalam & dicens, quod nihil humana sunt, sed fumus & vmbra. Si bonum essent diuitiae, ante propria deus vestibula pauperes non collocasset: si vero diuites quoque suscipit, ne mireris: non enim propterea suscipit, vt diuites maneant, sed vt a timore liberentur. Audi quid eis Christus dicat: Non potestis deo seruire & mammonae: & rursus. Difficile diues ingreditur regnum caelorum: & iterum, Facilius est camelum per forame acus intrare, quam diuitem in regnum caeloru. Propterea diuites admittit, vt haec audiant verba, vt aeternas concupiscant diuitias, vt caelestibus inhiant. Et quid miraris, quod ad vestibula sua pauperes sedere non dedignatur? ad suam enim spiritua-lem mensam eos vocare, & illud communicare conuiuium non dedignatur. Sed claudus & mutilus, senex & pannosus, sordidus & mucosus, cum iuvene pariter specioso, & ipso purpuram induto, & in capite diadema gestante futurus mensae particeps venit & spiritua-

Matth. 6. d
Marc. 10. c
Luc. 8. c

le petit conuiuium, & iisdem ambo fruuntur, nec vlla est differentia. Et Christus quidem eos ad mensam cum rege simul vocare non dedignatur. Pariter enim ambo vocantur. Tu vero forte videri dedignaris pauperi dans vel loquens? O superbiam & fastum. Vide ne diuiti prisco similia patiamur. Ille vel cernere Lazarum dedignabatur, nec ei domum vel lectum communicabat, sed extra iacebat apud ianuam prostratus, sed nec alloquio ab eo dignus fuit existimatus: sed vide quo modo in necessitate & indigentia constitutus, nullum ab eo consecutus est auxilium. Nam si quos Christus non erubescit, nec nos erubescamus. Christum erubescimus, ipsius amicos habentes pudori. Tua repleatur mensa claudis & debilibus: per hos venit Christus, non per opulentos. Forte rides audiens. Itaque ne putes dictum esse meum, ipsum audi Christum afferentem: ne rideas, sed horrescas. Cum facis prandium vel cenam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos diuites, ne forte & ipsi te vicissim vocent, & tibi fiat retributio: sed cum facis conuiuium, voca pauperes, debiles & claudos, cecos, & eris beatus: quoniam non habent quod tibi retribuunt, retribuetur autem tibi in resurrectione iustorum. Et gloria maior hinc nascitur, si tantum huius es cupidus: ex illis enim liuor & inuidia, accusationes & contumelia, multusque timor, ne quid præter decorum fiat: & tanquam domino seruis assitis, & si maiores sint, ab eis accusationem & redargutionem timens: in his autem huiusmodi nihil, sed quæcunq; eis apposueris, cum voluptate cuncta suscipiunt, & multus plausus, splendidior gloria, maius miraculum. Non sic illis applaudunt, sicut his omnes audientes: si vero non credis, tanta tu qui diues es, qui duces & principes vocas: voca pauperes, & ex his imple conuiuium, nisi ab omnibus tibi plaudatur, nisi ab omnibus ameris, nisi omnes ut patrem habeant. Illorum quidem conuiuiorum emolumentum nullum, pro his vero cælum est repositum, & quæ sunt in cælis bona: quæ nos omnes assequi detur, gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi, cum quo patri, simul & spiritui sancto gloria potestas & honor, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Contra irascentes. Homilia XXIX.
Ex Act. Apostol.

NON sic homines beneficiis adducuntur, sicut timore castigantur. Admirabiles autem & magni, & deo grati, nullius horum indigent. Talis erat Paulus: non enim regni, non gehennæ rationem habebat. Hoc enim Christum diligere, hoc non esse mercenarium, neque quæstus pietatem existimare, aut dei verbum adulterare: sed virtute veraciter esse præditum, & propter dei dilectionem omnia facere. Quantis itaque dignum lachrymis, cum tantam debentes mensuram, neque saltem tanquam institores cæleste regnum curemus? Tanta nobis Christus pollicetur, & nec sic quidem dignus censetur audiri. Quid hac peius inimicitia fieri possit? Atqui pecuniarum amore furætes, licet inimicos, siue seruos, siue atrocissimos hostes, siue malos omnes inuenerint, si tantum sperent quod per eos pecunias acquirere possint, omnia faciunt, assentantur & blandiuntur, seque seruos exhibent, & se tantum omnibus honestiores esse putabunt, ut ab eis aliquid capiant. Pecuniarum enim spes horum nihil cogitare permittit. Regnum autem non potuit, quantum pecunia: quinimò nec mini-

204
mam partem. Non enim quilibet est qui pollicetur, sed ipso maius habetur regno ab huiusmodi sumere. Nunc itaque fit idem, quale si rex suos quidem haberes, filij vero coheredes post alia quoque innumera beneficia nos constituere volens contemnatur. Latronum vero princeps, qui nos parentisque nostros innumeris affectis incommodis, & infinitis plenus est malis, & nostram confudit gloriam & salutem, vno tantum obolo prætentio à nobis adoretur. Regnum deus pollicetur & cõtemnitur: gehennam ministrat diabolus, & honoratur. Hic deus, ille diabolus: sed præceptorum videamus differentiam. Si nihil enim horum foret, nec hic quidem deus, ille vero diabolus: nec hic quidem regnum, ille vero gehennam præberet: ipsa mandatorum natura facile persuadere potest, ut huic adhæreamus. Quid enim deus mandat: ea quæ faciunt gloriosos: diabolus quæ confundunt: hic quæ in numeris inuoluntæ ærumnis & ignominis: ille multam quietem habentia. Nam vide, quæso, hic inquit: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris: at ille. Ferus esto & immitis, & bile tumens, & iracundus, & fera magis quam homo: Videamus vtrum vtilius, quid vero magis expediat. Ne hoc, inquit, dicas: sed cogita quod diabolus est. Optime quidem, si illud ostenderetur. Sustinere labores oportet, & victoriæ præmia vicissim erunt maiora. Non enim qui facilia præcepit, hic nostri curam gerit, sed qui vtilia: quoniam & patres grauiam filiis iniungunt, sed propterea sunt patres: & rursus seruis domini: at plagarij & perditores contraria: veruntamen quod & voluptatem habeant, est inde manifestum. Inter quos enim esse putas bile percitum? Inter quos vero tolerantem & mitem? nonne huius anima quidem solitudini cuidam est similis multam habenti quietem: illius autem foro & tumultui, mediisque ciuitatibus, vbi multus euntium & redeuntium clamor camelorum, mulorum & asinorum, & accidentium aures agafonibus multo replentibus sonitu ne conculcentur: rursus argentariis & arariis vtrinque cudentibus, & his quidem molestiam patientibus, his autem inferentibus? At mitis huius mens cuidam montis vertici similis est, auram quidem habenti tenuem, purum vero radium, pura fontium fluentia, multasque florum amœnitates, vernantiumque prætorum & ortorum plantis & floribus frondentium, & aquis viridantium irriguis. Si quis autem & sonus immurmuret, dulcem & multam insparget audientibus voluptatem: vel aues enim canoræ summis arborum insident frondibus, & cicadæ ac lusciniæ, & hirundines concentum quendam concorditer efficiunt musicum. Vel Zephyrus arborum folijs sensim aspirans, pinos & piceas susurrantes, & cygnos frequenter imitans, & rosæ ac violæ & flores se leniter inclinantes, & viridantes quasi mare cœruleum blande fluctuans exhibent: quinimò multas aliquis inuenire posset imagines. Nam cum in rosas quidem respexerit, iridem se videre putabit: cum vero violas, pontum fluctuantem: at cum lilia, cælum. Nec aspectu vero tantum, & visu huiusmodi tunc delectabitur, verum & ipso corpore pratum intuentis, illum magisque remittit, & respicere facit, ut se magis in cœlo quam in terra esse censeat. Est & alia quædam vox, cum à vertice montis aqua per riuos sponte defluens, & subiectis lapillis quieto sonu sensim immurmurat, & ita membra resolut per voluptates, ut statim laxatiuum oculis somnum ingerat. Audistis cum delectatione narrationem? Forte iam & solitudinis

litudinis amatores estis facti, sed hac solitudine iucundior est multo longanimis viri anima. Non enim ut pratum describeremus, nec ut ad ostentationem verba produceremus, hanc attingimus similitudinem: sed ut per descriptionem videntes, quanta sit longanimitatis voluptas, & quod multo magis cum longanimi viro conuersans quis delectaretur, & iuuaretur, quam in talibus conuersans locis, hos sectemini. Cum enim neque spiritus vehemens ex hac exeat anima, sed mites quidam sermones & benigni, vere illam Zephyri lenitatem & quietem imitatur: & admonitio nihil quidem habens austerum, canoras autem imitans aues: quo modo non hoc melius? Non enim corpori illiditur sermonis aura, sed animos refouet calentes & exultantes. Neque febricitatem medicus hominem tam cito liberauit à febre per qualemcunque sedulitatem, quam longanimis homo iratum & iram ardentem petens priorum spiratione sermonum refrigerauit. Et quid dico medicum? neque ferrum ignitum, & aquæ immersum tam cito calorem amitteret, quam in longanimem mentem incidens iracundus. Sicut autem si forum ingredientium aues canoræ, nugæ esse viderentur, ita quidem & monita nostra in iracundas animas incidentia. Iucundior igitur mansuetudo bile & audacia: sed illud quidem deus, hoc autem diabolus mandauit. Videte quod non temere dixi, quod etsi non esset diabolus & deus, ipsa per se præcepta poterat nos monere. Hic quidem & sibi iucundus, & aliis vtilis: ille vero & iniucundus sibi, & aliis damnosus: nihil enim iracundo homini insuauius, nihil grauius, nihil infestius, turpius nihil: sicut è contra, nil nefcio irasci iucundius. Fera potius quam iracundo homini cohabitandum est. Nam illa cum semel mansuefacta fuerit, suam seruat legem: hunc autem quotiescunque mitigaueris, rursus efferratur, nisi quis in talem habitum ipsum induceret. Sicut enim dies clara & serena, & hyems multæ plena tristitia, itidem & irascentis animus, & mansueti. Sed nondum aliis noxia videamus ingruentia, sed ipsis: atqui & hoc non exiguum damnum, alteri malum aliquod inferre. Veruntamen hoc interim consideremus: Quis tortor ita laniare latera poterat? Quæ ignita tela corpus ita perforarent? Quis furor ex naturalibus ita sensibus excedere facit, sicut furor & iræ consternatio? Non ui multos ex ira morbos incurrisse, & febrium difficillimæ præsertim hæ sunt. Si vero ita corpora læduntur, animas cogita: ne cogites enim quod non vides, sed cogita, si maliciam suscipiens ita læditur, quantum patiens patietur detrimentum. Multi oculos amiserunt, in grauisimum multi morbum inciderunt: generose quidem ferens omnia facile sustinebit. Veruntamen talia tanquam grauiam imperat, & horum nobis mercedem statuit gehennam, & diabolus est, & nostræ salutis inimicus: & magis huic quam Christo paremus, qui saluator est & benefactor, & protector, & talia dicit, quæ iucundiora sunt & honestiora, vtilioraque, ac magis expediunt, & nobis & necessariis nostris plurimum profunt. Nil iracundia peius, charissimi, nil ira intempestiuius. Non opus est multa dilatione, acutus est morbus. Frequenter ex ira verbum aliquis emisit, ad cuius remedium totius indiget vitæ: & aliquid commisit quod omnem ipsius vitam subuertit. Hoc enim est difficile, quod in breui tempore, & per solam actionem, & per vnum duntaxat verbum æternis nos frequenter excludit, & multos euacuauit labores. Itaque vos hortor, ut omnia faciatis, ut hanc feram cohibeatis. Et hæc

A quidem de mansuetudine & iracundia sint dicta. Si quis vero sermoni & alia adiciat, ut auariciam, & pecuniarum contemptum: inanis gloriæ cupiditatem, & veram gloriam, lasciuiam & modestiam, inuidiam & benignitatem, & alteram alteri vicissim opposat, tunc differentiam intelliget: Videtis, qualiter ex præceptis duntaxat hic quidem deus, ille vero diabolus esse monstratur? Pareamus itaque deo, nec in barathra nos precipitemus: sed dum tempus est, equum cohibeamus; ne se forem subuertamus: iræ amputemus alas, ne amplius malum in altitudinem extollatur. Acutum enim est ira vicium, acutum & efficax animas nostras furari: propterea passim oportet ei aditum obstruere: absurdum enim est, feras quidem mansuefacere posse, animam vero nostram insolescentem despiciere. Ignis est vehemens ira, omnia deuorans: nam & corpus perdit, & animam corrumpit, & reddit insuauem, & in visitatione turpissimum. Quod si furoris tempore posset irascens sibi metipsum notus fieri, non alia foret opus admonitione. Nihil enim irascentis deformius aspectu. Ebrietas quædam est ira, imò vero difficilior ebrietate, & demone miserabilior: sed si modeste agere meditemur, optimam philosophiæ viam inueniemus: Propterea Paulus cum ira clamorem quoque sustulit. Pareamus itaque totius philosophiæ præceptori, & cum in seruos irascimur, nostra cogitemus peccata, & eorum confundamur mansuetudine. Nam cum tu quidem afficias contumelia, ille vero contumeliam tacite toleret: & tu quidem indigneris, ille vero te philosophetur: hoc pro omni capias admonitione. Etsi nanque seruus est, homo tamen, & animam habens immortalem, & iisdem à communi domino donis est honoratus. Si autem in maioribus & spiritualibus nobis compar humanam quandam & vilem excellentiam à nobis illa tantæ fert: qua digni venia nos effemus, qua tandem excusatione, propter dei timorem philosophari valentes, magis vero nolentes, sicut ille propter nostri timorem: Hæc igitur omnia pensantes, & nostra cogitantes peccata, & communem humanitatis naturam, ubique leniter loqui meditemur, ut humiles facti corde, requiem animabus nostris inueniamus præsentemque & futuram: quæ ut omnes assequamur, fiat gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cum quo patri, simul & sancto spiritui gloria, imperium & honor nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

De ira, Homilia XXX.

TSI belli tempus non est dilectissimi, fiducia tamen tempus semper est: ait enim, Loquebar in conspectu regum, & non confundebar. Si inter medios incidamus gentiles, sic eos obmutescere faciamus absque ira, absque satia. Nam si cum ira hoc faciamus, non iam fiducia, sed animi vicium esse videtur: sed si mansue, hæc est vere fiducia: non enim simul esse possunt meritum & delictum. Fiducia, meritum: ira, delictum. Oportet itaque nos, si fiduciam habere cupimus, ab ira mundos esse, ne quis illa cogitet verba. Etsi iusta dicas cum ira, cuncta perdidisti, siue fiducialiter agas, siue commoneas, siue quodlibet geras. Zelus enim venia carens, non zelus, sed ira potius est: & correctio humanitatem non habens, inuidia quædam esse videtur. Vide beatum Stephanum non cum furore loquentem: non enim contumeliose locutus est, sed eos sermonis prophetici commouit. Quoniam enim non erat ira, cum male patiebatur, tunc pro

tunc pro eis orabat dicens: Ne statuas eis hoc peccatū. A
Eis itaque non irascens, sed pro eis dolens & morens
hæc loquebatur. Quoniam & aspectum propterea di-
xit, quod viderunt faciem eius tanquam faciem ange-
li: vt credamus. Mundi sumus igitur corde. Non habi-
tat spiritus sanctus vbi furor: maledictus iracundus. Ni-
hil sani potest emanare vnde procedit ira: sicut enim
in maris tempestate multus tumultus, clamor magnus
nec ibi quis philosophandi tempus habet: ita nec in ira.
Si quid philosophicum anima vel doceri, vel dicere
debeat: opus est sit prius in portu. Non vides, quemad-
modum cum volumus de quibusdam necessariis loqui,
loca tumultu libera obseruamus, vbi quies, vbi tranquil-
litas, ne de proposito exturbemur? Sed si exterior distur-
bat tumultus, multo magis interior turbatio. Siue quis
orat, incassum ira vexatus & cogitationibus orat: siue
loquatur, rursus erit obnoxius risui: siue comedat, &
ita quoque: siue non comedat, itidem læditur: siue bi-
bat siue non bibat, siue sedeat siue stet, siue vadat siue
cubet. Nam & in somniis tales concipiunt imagines.
Quid enim horum non fuerit absurdum? Tristes oculo-
li, os obtortum, labra mobilia & tumescientia, lingua pol-
luta, nemini parcens, mens in excessu posita, indecens
habitus, tardij multum. Vide dæmonibus pressorum
vultus, ebriorum & furentium. Quid inter se differ-
runt: nonne furoris totum est? Quid enim si hoc ad
tempus efficitur? Nam furens ad tempus premitur, hoc
autem quid peius, quod & se non confunduntur ex-
cusare? Nesciebam, inquit, quid dicerem. Et quare ne-
sciebas hoc cum sis homo rationalis? Rationem ha-
bens, irrationalium opera facis, tanquam effrænis e-
quus furore correptus & impetu? Et excusatio quidem
est accusatione digna. Vtinam enim scisses quæ dice-
bas. Ira sunt, inquit, verba, non mea. Quo modo
sunt illius? Certe vires ira non habet, nisi sumat abs-
te: quale si quis dicat: Manus sunt, non mea, vulnera.
Quid maxime putas ira opus habere? nonne bellum
& pugnam? Verum & illic si quid cum ira fiat, omnia
perdita fuerint & perierint. Præcipue nanque pugnan-
tes irasci non oportet, maxime contumeliam inferen-
tes non oportet irasci. Et quo modo pugnamandum est?
Ratione, mansuetudine. Pugna siquidem est ex con-
trario consistere. An non vides & hæc bella, lege, com-
positione & temporibus definita? Ira nanque nil aliud
est: quam irrationalis impetus: irrationali vero rati-
onale fieri potest nihil. Quoniam & hic talia loque-
batur, & non irascebatur, & Helias dicebat: Quousque
claudicabitis vtrisque poplitibus vestris? & non iras-
cebatur. Et Phinees iugulabat, & non irascebatur. Nam
ira videre non permittit, sed velut in pugna nocturna
colligans omnia, & oculos, & aures sic operatur.
Ab hoc igitur dæmone liberemur, eum corripiamus in-
cipientem, sigillum pectori quasi quoddam frenum im-
ponamus. Canis est impudens ira, sed legem audire di-
scat. Si fuerit canis in grege tam ferus vt non obediat
iubenti pastori, nec eius vocem agnoscat, omnia per-
dita sunt & corrupta: cum ouibus pascitur, sed si oues
gestauerit, inutilis est & iugulatur. Sed si te discit audi-
re, ale canem, vtilis erat contra lupos, & contra pira-
tas, contra latronum principem, non aduersus oues,
non aduersus domesticos: si non audiat, omnia cor-
rumpit, si continere didicerit, omnia perdit. In te man-
suetudo non absumatur, sed ei custodiatur ira, & pin-
guis reddatur, & in tuto pasci curabit, si scelestas cogi-
tationes & improbas absumat, si diabolum vndiq; pel-

3. Reg. 18.

lat: ita mansuetudo conseruatur, cum improba nul-
quam affuerint opera. Ita venerabiles efficitur, cum im-
pudenter agere non discimus. Nihil enim ita facit im-
pudentem, quam mala conscientia. Quare meretrices
sunt impudentes? quare virgines verecundæ? Nonne
illæ ex peccato: non hæc ex modestia? Nihil enim tam
impudentem facit, quam peccatum: imò in contrarium,
inquit, confundit. Confundit eum quidem, qui seipsum
condemnauerit: at eum qui frontem perficauerit, effi-
cit procacior. Qui nanque de seipso desperauit, effi-
citur audax: dicitur enim, Impius cum in profundo ma-
lorum venerit, contemnit. Impudens autem etiam te-
merarius fuerit, temerarius autem & audax. Vides quo-
modo mansuetudo conseruatur, cum malæ cogitatio-
nes eam corroserint? Propterea talis est canis multum
latrans. Est funda nobis & lapis, nostis quod dicitur: est
& hasta nobis, & mædra, & stabulum. Cogitationes in-
noxias custodiamus. Si canis ouibus quidem aduleatur,
aduersus autem externos fœuiat & vigilet: hæc est canis
virtus, & licet esuriat, ex ouibus non gustare: & licet in-
saturitate sit, lupis non parcere. Talis est & ira, siue quis
mordeat, ab humanitate non recedere: siue quiescat,
aduersus malas insurgere cogitationes. Et proprium
quidem & proximum non derelinquere, sed agnosce-
re, alienum autem & adulando lædere. Adulatur fre-
quenter diabolus, vt canis, Aduertat quod alienus est:
ita nos quoque virtuti, licet tristitiam afferat, blandia-
mur: & a malicia, licet oblectet, auertamur: ne canibus
peiores efficiamur, qui licet flagellentur & angantur,
non recedunt: si vero alienus eos etiam pascat, ita quo-
que tamen infestant. Est vtilis ira quandoque, sed cum
aduersus alienos latrat. Quid est, Qui irascitur fratri
suo sine causa? Est hoc, ne teipsum vliscaris, neque vni-
dices. Si inimicum videas pereuntem, manum porrige.
Non etiam hoc ira est, cum propria fueris absolutus pas-
sione. Cepit Saulem David, nec iratus est, nec hasta
transfixit hostem captum, sed diabolum vitus est. Mo-
ses cum alienum quidem iniuriam inferentem videret,
occidit: cum vero proprium, non itidem, sed fratres
quidem conciliabat, illos vero nequaquam. Mansuetus
fuit Moses, vt scriptura testatur, vide quam solers er-
rat: nos autem non ita. Sed vbi quidem exhibere man-
suetudinem opus est, omnibus feris fœuiores sumus, mi-
nimè, prout opus est, in nobis posita disponentes. Prop-
terea quidem in nullum meritum vita nobis est impen-
sa. Et in supellestilibus quidem, si qua alius aliter vtat-
ur, omnia perdita sunt: si sumpto gladio, vbi eo sit op-
pus vti & incidere, manu vtatur, nihil proficiat: rursus
vbi manu sit vtendum, gladium adhibens, omnia per-
diderit: Sic & medicus, vbi quidem sit incidendum,
non incidens, incidens autem vbi non incidendum,
omnia corrumpit. Propterea rogo, re pro tempore vtamur.
Ira siquidem tempus nullum, cum nobis auxiliamur.
Si vero sit opus alios corrigere, tunc ea præfer-
tim oportet vti, vt alios eruamus. Non cernitis dæmo-
nibus pressos, cum a vexatione requiescerint, quam sine
tristite, quam mæsti, quanta sint eorum facies vere-
cundia plenæ, quo modo nec è contra respicere ab-
deant? Inconuenientiam vide. Illi quidem de his quæ
patiuntur, erubescunt: nos autem de his quæ gerimus,
non confundimur. Illi quidem iniuriam patientes, ve-
recundiam sustinent, nos autem iniuriam inferentes,
non erubescimus: licet illorum casus non pudore sint
digni, sed misericordia & fauore ac venia, & multa
admiratione, & innumeris laudibus, cum taliter impu-
gnantem

gnantem sustinentes dæmonem æquo animo ferat: at
nostra vere risu, verecundia, accusatione, castigatio-
ne, pœna, supremis malis, & gehenna, nec vlla sunt ve-
nia digna. Vides quod dæmone peius est peccatum? Et
illi quidem ex his quæ patiuntur, duplex lucrum lucratur:
vnum quidem, quod corriguntur, & modestius ag-
unt: secundum vero, quod propriorum hic dantes
peccatorum pœnas, ad dominum mundi trãseunt. Pro
hoc enim frequenter locuti sumus, quod hic pœnas lu-
entes, cum æquo animo ferant, peccata multa depone-
re credendum est. At ex peccatis duplicia sunt mala,
vnum quidem quod offendimus: secundum vero, quod
peiores euadimus. Aduertite, quæso, quod loquor. Non
hoc solum ex peccato detrimentum ferimus, quod pec-
camus: sed & aliud, quod habitum anima suscipit, si-
cut in corpore. Per exemplum quod dicitur, redde-
tur manifestius. Sicut, inquam, febre correptus, non
tantum hanc passus est molestiam, quod infirmatus est,
verum & quod post morbum iam erit imbecillior, li-
cet ad bonam valetudinem ex longa redeat ægritudi-
ne. Sic quidem & in peccato, licet valeamus, etiam
multa indigemus fortitudine. Da mihi quempiam con-
tumeliosum, licet contumeliæ pœnas non dederit, &
aliunde tamen lugendum est, quod eius anima reddi-
ta sit impudentior. Peccatorum enim quoque, & cri-
mine patrat & transacto, quoddam in anima nostra
venenum reponitur. Non audis quosdam dicetes cum
bene valeant: nondum aquam audeo bibere? Atqui cõ-
ualuit quidem, sed morbus & hoc intulit detrimentum.
Et illi quidem male patientes gratias agunt, nos autem
rebus vtentes prosperis, blasphemamus deum, & indi-
gnamur. Plures enim in diuitiis & sanitate deprehen-
deris hoc facientes, quam in paupertate, malæque vale-
tudine. Ingruit enim dæmon, quasi vere tortor acer-
rimus multa dicens, tanquam pædagogus quidam in-
tendens lorum, non sinens vquam diffundi. Si qui
vero nec prorsus vigilant, nec illi dant pœnas, parum
hoc curandum, tanquam stulti, tanquam furentes, tan-
quam pueri pœnas non exigunt: nemo nanque tam fæ-
uus qui eorum quæ geruntur, imprudenter pœnas vn-
quam exigat. Multo peius itaque pressis dæmonio su-
mus, qui peccamus, dispositi. Sed non spumamus, nec
oculos cõtoremus, nec manus. Vtinam hoc in cor-
pore pateremur, & non in anima. Vis tibi demonstrem
animam spumantem & immundam? Cogita irascen-
tes & ebrios ex ira. Qua spuma non emittunt immun-
diora verba? Vere velut fœtidam saliuam emanant. Et
sicut illi præsentium norunt neminem, ita nec hi, obte-
nebrata eis mente, & oculis conuersis, non amicum,
non inimicum, nõ venerabilem, nõ contemnendum, sed
omnes similiter aspiciunt. Nonne vides eos trementes,
sicut & illos? At non humi sternuntur. Sed eorum ani-
ma iacet humi, & palpitans cadit. Si nanque recta stertit
set, non passa fuisset ea, quæ passa est. An non esse tibi vi-
detur animæ prostratæ & propria spoliata solertia, quæ
faciunt & dicunt ebrii iras? Est & alia furoris species dif-
ficilior, Qualis autem hæc? Cum nec iram dimittere su-
stinent, sed proprium malum apud se nutriunt, mali me-
moriam quasi quendam tortorem. Ipsos enim primos
occidit mali recordatio, vt omittam futura. Quantum
esse putas tormentum homini præcordia percusso, quo-
tidie, qualiter inimicum vliscatur consideranti? Prio-
rem semetipsum punit & castigat, intra seipsum tu-
mens, aduersus se pugnant & exardescens. Nam neces-
se semper est apud te ignem accensum esse. Et febrem

in tantum extendens non finis desistere. Et illi putans
mali quippiam inferre, teipsum ipse consumis, flagran-
tem semper & vigentem ferens flammam, nec ani-
mam permittens requiescere, sed semper fœuens, & in-
turbatione mentem habens & procella. Quid hoc gra-
uius furore, semper esse tristem, & inflatum, & semper
ardere? Tales enim sunt mali memoriam seruantium
animæ: Cum eum, quem volunt vliscari, viderint, sta-
tim consternati sunt: si vocem audierint, concidunt,
tremunt. Si lecto recumbent, innumeris sibi fingunt
pœnas, suspendentes, suumque torquentes inimicum:
ad hæc vero, si bene se gerentem viderint. O vlionem:
Ergo peccatum ei dimitte, & a tormento temetipsum
absolue. Quid manes semper supplicium sustinens, vt
illum semel punias & vliscaris? Quid struis, teipsum
ægritudine consumens? Quid iram animo tuo exsol-
ui volentem cohibes? Nec ad vesperam vsque maneat,
inquit Paulus: tanquam enim tabes quædam & tineæ,
mentis nostræ radicem corrodit. Quam tuis visceri-
bus feram includis? Satius est anguem vel viperam in
corde tuo latere, quam iram & rancores. Illa nanque
nos repente relinquunt, hæc autem semper remanet,
dentes infigens, infundens venenum, graues adducens
cogitationes. Ne me derideat, inquit, ne me contem-
nat. Homo miser & ærumnose, non vis a conseruo de-
rideri, sed a domino tuo pateris odio haberi: non vis
a conseruo contemni, sed dominum contemnis, & ab
eo contemni non toleras? Deum autem ægreferre non
censes, quod eum derides, quod eum contemnis, ei no-
lens obtemperare? Quod autem te nunc deridebit, in-
de manifestum erit. Itaque si procedas quidem, multum
est risus, contemptus multum, pusilli siquidem opus est
quoniam. Si vero dimittas, admiratio multa, magni quip-
pe fuerit hoc animi. Nescit, inquit. Sciat deus, vt maius
habeas meritum: ait enim, Facite non valentibus no-
bis retribuere. Et ita beneficium conseruimus, in neque
sentientes se beneficium accipere, ne nobis laudem vel
quodlibet retribuere, nobis mercedem diminuunt:
cum enim ab hominibus nihil acceperimus, tunc a deo
maiora recipimus. Quid vero risu dignius? Quid
anima semper irascente frigidius, & euadere volen-
te? Muliebris hæc & puerilis electio. Sicut enim pue-
ri & aduersus inanimata solent irasci, & nisi mater pul-
set pauimentum, iram non sedant: ita scilicet & hi, eos
qui iniuriam intulerunt, volunt vliscari. Igitur ipsi ri-
su sunt digni. Ab ira nanque teneri, puerilis est senten-
tiæ, at vincere, fortitudinis est. Non itaque deridebi-
mur, cum philosophabimur, sed illi. Non est contemp-
tibilem hominum ab ira nõ vinci. Contemptibilem
autem est, ita timere risum extrinsecus, vt propterea ca-
pantur, & proprio succumbant vicio, & deum offen-
dant, seq; vliscantur. Hæc verè risu sunt digna, hæc fu-
giamus. Dicat, quod infinitis nos afficiens malis nihil
ipse passus est. Et dicat, quod est iterum nobis conui-
ciaretur, non aliter virtutem nostrã prædicauerit. Non
alia quæsisset verba, si laudare nos voluisset, quam hæc
quæ dicit vituperare se putans. Vtinam omnes hæc de
me dicerent, quod frigidus homo sum & ignauus. Om-
nes in eum contumelias iactant, ipse vero patitur: om-
nes insultant, at ipse non vliscitur. Vtinam adderent:
Neque si velit, potest, vt mihi laus sit a deo, & non ex
hominibus. Dicat, quod propter frigiditatem nõ vliscitur.
Nihil hoc nobis nocet, cum deus nouerit, sed nõ-
strum in maiori custodia thesaurum constituit. Si vidi-
mus ad eos respicere, omnibus excidemus. Non quid-
dicant,

Luc. 6.

dicant, sed quid nos decet, consideremus. Ne me derideant, inquit, & insultent aliqui. O dementia. Nullus mihi, inquit, iniuriam faciens me derisit, hoc est, euasi. Et ex hoc quidem derideri debes. Vnde hæc verba, quæ pudoris sunt & mortis, irreperunt, vitæ conuersationisq; nostræ subuersio? Contraria deo loqueris. Quod deo parem facit non vlscisci, hoc risum existimas? Non propterea digni sumus, qui rideamur, & à nobismetipsis, & à Gentilibus, cum ita deo contradicamus? Volo quiddam apud antiquos gestum commemorare, non de ira, sed de pecuniis. Erat quidam locus thesaurum habens absconditum, cum hoc nesciret dominus, locum alienauit. Qui emerat, cum perfoderet, vt agrum plantaret & excoleret, repositum inuenit thesaurum: cumque venisset ad venditorem, vt thesaurum reciperet, cogeat: locum enim se dicebat emisse, non thesaurum. Vicissim ille respuebat donum, dicens: locum vendidi, nec vllum in eum ius habeo: in quæstionem venerunt, vnus quidem dare volens, alter vero contendens ne reciperet. Et quædam conuenientes virum disceptabant, & postea dicebant ei: Cui debet attribui thesaurus? Ille vero sententiam non protulit, dixit enim se quæstionem soluturum & se possessorem futurum. Cumque sponte concessissent, innumera postmodum mala sustinuit: & quod merito illi ab eo discississent, ipsa re didicit. Hoc & de ira fieri oportet, & nos contendere, ne vlsciscamur, & iniuriã operatos vt pœnas luant contedere: sed hæc fortè risus quidem esse videntur. Cum enim amplius insania dominetur, modesti deridentur, & inter multos furentes non furès furere putatur. Propterea hortor respiscere, & nostri iuris fieri, vt ab hac perniciofa peste mundati, cœlorum regno digni possimus à deo patre cenferi, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cum quo patri, simul & spiritui sancto gloria, potestas & honor, maiestas & magnificentia, in secula, Amen.

*De ira, longanimitate & mansuetudine.
Homilia XXXI.*



MAGNUM verè quiddam est, charissimi, generosus & ingens animus. Et propterea propitudine nobis est opus, ardore multo, animo ad mortem exposito: alioqui nõ licet nisi cruci confixum, regnum assequi, ne nosmetipsos fallamus. Nam si pugnantem saluos esse non licet, deliciis & quæstui vacantem, & abutentem, & torpentem in hac pugna magis oportet periclitari. An nõ esse putatis pugnam omnium pugnarum difficillimam? Non est nobis, inquit, colluctatio aduersus carnem & sanguinem. Nam & prudentibus, & ambulatibus, & nos lauantibus adest hostis, nec vllum nouit induciarum tempus, præterquam somni solum: quinimò tunc quoque frequenter impugnat, & immundas ingerens cogitationes, & ex somniis impudentiores efficiens. Non vigilamus, non expergiscimur, non respicimus in potestatum nobis oppositarum multitudinem, non cogitatum quod hoc ipsum est maximè infelicitatis nostræ. Tot enim bellis obfessi, tanquam in pace defectamur. Credite mihi, peiora sunt quæ nunc patimur his, quæ Paulus perpeffus est. Eum illi lapidibus cædebant: sed nunc accidit, vt verbis lapidibus difficilioribus feriamur. Quid igitur: oportet quod ille fecit, etiam nos facere. Percutientes non odit, sed eorum qui traxerant se rursus ciuitatem intrauit, tales operatos iniurias beneficiis affecturus. si tu quoque pertuleris contumeliarum

authorem asperum, indignè de te meritum, & tu lapidatus fueris: ne dicas enim, iniuriam nullum intuli. Quid enim iniuriæ commisit Paulus vt lapidaretur? Regnum annunciabat, abducebat ab errore, ad deum abducebat. Hæc coronis digna sunt, hæc prædicatione, hæc innumeris bonis, non lapidibus. Veruntamen contraria passus, contraria faciebat. Hæc enim splendida victoria. Et traxerunt eum, inquit, & te frequenter trahunt: tu vero ne irascaris, sed prædica verbum cum mansuetudine. Affecit te contumelia, tace & benedic, si potes. Et prædicaueris quoque verbum, humanitatem docueris, docueris mansuetudinem. Noui multos non ita vulneribus dolentes, sicut verborum percussione illam quidem plagam corpus excipit, istam anima. Sed ne doleamus, imò verò dolorem passus perferamus. Nõ videtis pugnantem, qui cum in capite vulneratur, dentes comprimentes, ita quiete dolores sustinent? Non opus est stridere dentes, non opus mordere. Recordare domini tui, & statim memoriæ medicamentum imposueris. Recordare Pauli. Cogita quod tu qui percuteris, vicisti, ille verò qui percussit victus est: & tu per hoc omnino sanatus es. Momentum est: & totum illico perfecisti. Ne simul abducaris, neque mouearis, & totum extinxeris. Magna cõsolatio, propter Christum aliquid perpeti. Non prædicas fidei verbum, sed philosophiæ verbum prædicas. At, inquit, quanto maiorem viderit humanitatem, tanto magis vrgebit. Igitur propterea doles, quoniam mercedem tibi maiorem accumulast: sed inutilis efficitur, inquit. Hoc est proprie cõsideratio pusillanimitatis. Et aliter enim fit inutilis, etiã si vlsciscaris. Si deus scisset, quod inutiles fiant iniusti, eò quod ab eis vltio non sumatur: non hoc fecisset, sed dixisset: Te ipsum vlsciscere. Sed nouit, quod aliter magis proficitur. Noli contrariam deo legem sancire, illi parere. Non es tu melior eo qui fecit nos. Ipse dixit: Contumeliam patiens æquè feras: tu dicis, contumeliam refero, ne fiam inutilis: tu maiorem igitur illius curã geris. Hæc vicij sunt, & procacitatis, & superbix verba, quæ deo contra fanciunt. Nam licet etiam læderetur, nõne parere oporteret: Cum quid deus iubet, ne nos contrariam feramus legem. Responsio, inquit, succumbens auertit iras, nõ aduersans. Si tibi prodest, & illi prodest: si vero te debetem illum corrigere lædit, multo magis illum. Medice cura te ipsum. Maledixit, tu benedic: cõuiciatus est, tu lauda: insidiatus est, tu bene merere: contraria ei retribue, si modo prorsus salutis eius providentiam geris, neque iniuriã tuã vis vlscisci. At frequenter, inquit, longanimitatem nactus peior factus est: hoc nõ propter te, sed propter ipsum. Vis discere, qualia passus est deus? Ipsius altaria suffoderunt, prophetas occiderunt, & omnia ferebat. Num supernè fulmen emittere poterat? sed postquam prophetas misit, & eos occiderunt, tunc milit filium: cum maiorem aggressi sunt impietatem, maioribus eos persecutus est beneficiis. Et tu cum videris exasperatũ, magis cede: maioris enim hic furor indiget remedij. Quanto grauiores infert contumelias, tanto maioris indiget mansuetudinis. Et sicut febris cum vehementer spirauerit, tunc eget cedente: sic & irascens. Bestiam, cum maxime efferatur, tunc fugimus omnes: sic & irascentem. Hoc ne honorem esse censes, quoniam & bestiam honoramus & furentes, cum declinamus? Nequaquam. Nota magis hæc est contumelia: imò vero neque nota, neque contumelia, sed misericordia & humanitas. Non cernis nauas, cum vehemens ventus spirauerit, vela demittentes, ne

submergatur

submergatur nauigium? Equos, cum in campum delati fessorem abrupierint, a fessore non retrahi, ne vires incassum exhauriat? Ignis est ira, flamma est velox, indigens materia, igni fomitem ne præbeas, & statim malum extinxeris. Non habet ex se fortitudinem ira, nisi sit alter qui nutriat eam. Nulla tibi est excusatio. Ille furore tenetur, & nescit quid agat: tu conspiciens eum, cum in eadem incideris, nec ex illo fueris correctus, quam veniam sperabis? Si quem in conuiuio constitutus ab initio videris ebrium & turpiter agentem, nõne multo magis post illum inebriatus venia fueris indignus? Itidem & hic, quam excusationem esse putamus, dicendo scilicet, ego non cœpi. hoc cõtra nos est, quod nec illum conspiciati, sumus correcti. Vt si quis diceret: Ego prius non interfeci, propterea nanque puniri dignus es, quoniam nec exemplum intuitus temetipsum cõercuisti. Si videris vomentem ebrium, distrahi, dissipari, oculos habere distentos, immundicia mensam implere, omnes eum fugere, & postmodum in eadem incidas: num eris magis odiosus? Talis est & irascens, imò vero vomentis venas intendit, oculos inflamat, distrahit intestina, verba multo illis immundiora cibus eructat, indigesta loquitur omnia, elaboratum nihil: non enim ira permittit, sed sicut illic humorum in moderatio stomachum vexans, vt plurimum, omnia eiicit: itidem & hic immodicus feruor animam vexans ea tegere quæ tacere bonum est, non permittit. Sed effabilia dicit, & ineffabilia, non audientes, sed seipsum dedecorans. Sicut igitur à vomentibus fugimus, sic & ab irascentibus, puluerem eorum iniiciamus vomito. Quid agentes: tacentes, canes vocemus, vt ipsa deuorent vomita. Noui, quod audientes nauseam patimini: sed cum hæc fieri videtis, hoc volo vos tunc pati, non autem super facto delectari. Cane sordidior est contumeliis gaudes, qui reuertitur ad vomitum suum. Nam si postquam semel euomuit, destitisset, non esset par illi: si verò rursus eadem vomit, manifestum est quod eadem comedit. Quid itaque tali magis abominabile? Quid autem illo sordidius ore, quod tales cibos manducauit? Atqui hoc est opus naturæ, illud verò minime: imò verò & hoc præter naturam, & illud. Quo modo? Non enim secundum naturam est, temere contumeliã inferre, sed præter naturam. Nihil igitur vt homo loquitur, sed hæc quidem vt fera, hæc autem vt furens. Sicut enim corporum morbus est præter naturam: similiter & hoc. Et quoniam præter naturã est, si in eo moratur diu, paulatim moritur: in eo verò, quod iuxta naturam est, diu commorans non perit. Mallem cum homine cœnum edente mensam communicare, quam cum talia loquente. Non cernitis porcos stercus mandentes: sic & isti. Quid enim fœtidius verbis, quæ contumeliosi loquuntur? Studium eis est nihil sanum eloqui, mundum nihil, sed si quid turpe, si quid deforme, hoc tam facere quàm dicere: & quod grauius est, alios se confundere putant, cum seipfos dedecore magis afficiant. Quod enim sibi dedecus inferant, inde manifestum est. Ne nanque mihi falsa dicentes proponas: sed sit quapiam publica meretrix, vel scenicus alter, & cum aliquo pugnam faciat, huic ille postmodum hæc proferat, & ille rursus similiter: quis magis ex verbis contumeliam passus est? Ille quidem audiuit quæ habebat, hic autem quæ non habebat. Igitur illi quidem nil amplius actum ad confusionis sermonem, huic autem multa verè curia accessio. Sed sint negocia quædam rursus occulta, & solus iniuriam inferens nouerit. Postea pri-

dem tacens contumeliam ostendet. Nam & ita maiorem hic passus fuerit contumeliam. Quo modo: malicia factus est præco, non habentis conscientiam, infidelis subiens infamiam, & statim omnes videbit accusantes. Si enim cædis conscius esset, omnia oportebat exhaustisse. & huc quidem tanquã nec humanitatis participem auersantur, odio habent, feram esse testantur, sciam & immitem: huic autem magis parcunt, quàm illi. Non enim tantum odimus habentes vulnera, quàm ea reuelare conantes & ostendere. Itidem & hic affecit contumelia non illum solum, verum & seipsum, & audientes, & communem hominum naturam: perculit auditorẽ, nec villo persecutus est bono: propterea Paulus ait, Si quis sermo bonus ad ædificationem, vt det gratiam audientibus. Laudatricem linguam habeamus, vt amabiles simus ac desiderabiles. Sed iam ad id malicia omnia deuenerunt, vt quæ celare oportebat, in his multi gloriantur: Quæ nanque multi minantur, talia sunt. Non possum ferre linguam meam, inquit, vxoris. Verba anus ebriæ se deformantis, eorum qui per forum trahuntur. Nihil his turpius verbis, ignauius nihil, nihil muliebrius, in lingua potentiam habere, in conuiciis iactandis altum sapere: sicut qui conducuntur in pompis, sicut mimi, parasiti & assentatores, porci potius quàm homines sunt, quicunque super his gloriantur, cum opus esset sub terra se obruere: cum opus, inquam, si quis alius attestatus ista fuisset, fugere testimonium, tanquam inimicum, neque viro dignũ. Contumeliarum præco factus es, sed audientem male nihil offendere poteris. Propterea vos hortor, vt cogitantes quanta sit malicia, quod in his gloriantur multi, reuigilemus, corrigamus ita furentes: hæc ex ciuitate conciliabula tollamus, nobis linguam ornemus, & ab omnibus liberemus detractio: vt à peccatis purificati, supernam possimus allicere beneuolentiam, & diuina digni misericordia cenferi, gratia & miseratione ipsius vnigeniti, cum quo patri, simul & spiritui sancto gloria, potestas & honor, maiestas & c.

*De eleemosyna & misericordia.
Homilia XXXII.*



PVS est vbiq; fide, charissimi. Crucem enim vitæ fontem esse dicunt, quod mens haud facile suscepit: attestantur etiã nunc deridentes Gentiles. At cogitationum infirmitatem superans fides id facile suscipit & retinet. Vnde verò deus ita mandum dilexit? Ex nulla quidem alia re, sed ex charitate sola. Reuereamur eius itaque charitatem, miserationis excessum erubescamus. Ipse nanque nec vnigenito pepercit propter nos, nos autem & pecuniis parcimus contra nos ipsos. Ipse & legitimum pro nobis filium tradidit: nos verò nec argentum propter eum contemnimus, sed neque propter nos. Et qualiter hæc venia fuerint digna? Verum si hominem pro nobis pericula & mortes passum viderimus, omnibus quidem præponimus, & amicorum primis connumeramus, & ei nostra tradimus omnia, & ipsius magis quàm nostra dicimus esse, nec ita dignam ei retributionem nõs erogare censemus: erga Christum verò nec hanc gratitudinis mensuram obseruamus. Sed ille quidem pro nobis animam posuit, & preciosum sanguinem propter nos effudit, qui non eramus amici: nos autem neque pecuniam propter eum effundimus, sed eum despiciamus nudum & peregrinum pro nobis mortuum. Et quis nos à futura pœna liberabit? Nisi nanque deus, neque nos, sed nos ipsos

Ephe. 4.

nos ipsos damnaremus. Non ergo contra nos ipsos sententiam tulimus, non ergo gehennæ nosmetipsos igni damnauimus, eum qui pro nobis animam posuit, despicientes esurientes? Et quid dico pecunias? Nonne si innumeras haberemus animas, omnes oportuerat pro eo ponere? At qui nec ita quicquam beneficio dignum fecissemus. Ipse nanque prior beneficiis manifestam exhibet bonitatem. At qui beneficium accepit, quicquid retulerit, debitum reddit, non meritum confert: & maxime cum ille qui cepit, inimicis benefecerit: & qui retribuit, in benefactorem data conferat, & ipse rursum eis fruatur. At nos nec ista trahunt: sed omnibus ingratiore sumus, seruis quidem & mulis, & equis, torques aureos circumponentes, dominum vero nudum circumcuntem, & fores ex foribus mutantem, & semper in exitibus morantem, & manus porrigentem despicientes, frequenter autem & toruo respicientes oculo, licet & hoc ipsum propter nos patiamur. Libenter enim esurit, ut tu pascaris: & nudus circumit, ut incorruptionis indumenti tibi præbeat occasionem: sed nec ita vestrorum aliquid erogatis. Sed vestimentorum hæc quidem iacent tineis esca: hæc autem arcæ sarcina, superfluaque possidentibus cura. Qui vero ista, ceteraque dedit omnia, nudus errat. Sed in arcam ipsa non reponitis, sed ipsi vos circumamicientes ornaminibus. Et quid vobis ex his amplius: ut foris sum turba vos spectet? Et quid hoc? Non enim his amictum admirabuntur, sed eum qui indigentibus largitur. Itaque si vis in admiratione haberi, alios potius induens, infinitos assequeris applausus. Tunc & ipse deus te cum hominibus laudabit: nunc autem laudabit quidem nemo, at omnes inuidebunt, corpus quidem cernentes ornatum, animam vero neglectam habentem. Hic & meritorius mulieribus est ornatus, at & preciosiores apud eas frequenter, & pulchriores sunt vestes. Animo vero ornatus penes eos est solus, qui cum virtute viuunt. Hæc continue dico neque dicere desinam, non tam pauperum, quam animarum curam gerens vestrarum. Illis enim, etsi non à vobis, aliunde tamen erit aliqua consolatio. Etsi nulla præbeatur consolatio, & fame consumatur, non magna fuerit eis iactura. Quid Lazaro nocuit paupertas, & fame tabescere? A gehenna vero vos eruet nemo, nisi à pauperibus auxilium sequamini. Sed eadem diuiti dicemus, qui continuo quidem torretur, nunquam autem consolationem nascitur. Sed ne accidat, ut quis hæc vnquam audiat verba, sed in Abraham sinum migremus. Sicut enim spina vnde tunc capiatur, tenentem pungit: sic & secularia vnde tunc detineas, amplectentem se, vel fouentem contristant. Spiritualia vero non eiusmodi, sed margaritæ cuidam similia sunt, vnde si aduertas, oculos delectant. Exempli gratia, fecit aliquis eleemosynam, non tantum futurorum spe pascat, verum & presentibus bonis exultat, semper confidens, & omnia cum multa faciens fiducia, malam superauit concupiscentiam. Et ante regnum iam hic fructum accepit, dum laudatur, dum admirabilis habetur ante ceteros omnes à propria conscientia. Et bonorum operum quodlibet est eiusmodi: sicut vicissim mala & hic ante gehennam conscientiam torquent. Et si futura post peccatum mente conceperis, pauidus & tremens, licet nullo puniente apparebis: siue presentia, multos habebis inimicos, & cum suspitione viues, neque poteris iniuriæ iam authores respicere, imò verò nec immunes iniuriæ. Non enim tantum ex eis capimus voluptatis, quantum tristitiæ, conscientia semper increpante, externis hominibus cõdemnan-

Luc. 16.

tibus, irascente deo, gehenna nos absorbere parante, cogitationibus nunquam quiescentibus. Graue siquidem, graue, inquam, & onerosum est peccatum, & omni plumbo poterosius. Qui igitur illud senserit, neque nimium sursum aspiceret poterit, licet multum sit insensatus. Profert hoc sensus, deorsum inclinatus ambulabat contritus & angustiat: & propterea sacculum induerat, & lacrymarum effundebat fontes. Hoc si nos faciamus, & lacrymarum lugeamus peccata, sicut Zachæus, exuemus. Sicut enim in corporibus, & in fistulis, nisi prius quis humorem influentem sistat, & vulnus tergat, quotquot imposuerit medicamenta, mali fonte non obstrueto, in casum omnia facit: itidem & nos, nisi manum auariciæ cohibeamus, & hanc improbam distillationem corripiamus, licet demus eleemosynam, nequicquam omnia facimus. Curatum enim per se auaricia percurrens dissoluit, & examinat, & peius quam prius afficit. Desinamus igitur rapere, & ita misericordiam impendamus. Sed si nos in præcipitia ferimur, quo modo poterimus respirare? Etenim si quis casurum supernè traheret, quod facit eleemosyna: alter autem infernè retraheret, nil erit amplius ex huiusmodi certamine, quam hominem distrahi. Ne hoc itaque patiamur, neve premente nos deorsum auaricia, nobis eleemosyna relictis abeat, releuemus nos ipsos, & euolemus, ut per malorum fugam, & bonorum operationem consummati, bona consequamur aterna, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cum quo patri, simul & spiritui sancto gloria, potestas & honor, maiestas & magnificentia, in secula. Amen.

Quod ars est eleemosynæ, & omnium artium quaestuosissima.
Homilia XXXIII.

A charissimi prius dicta resumamus & hodie ostendamus qualiter est ars omnium artium quaestuosissima eleemosyna. Si enim artis est proprium ad aliquam utilitatem peruenire, eleemosyna verò nihil est vtilius: clarum est profecto, quod & ars, & omnium est artium optima. Non enim nobis conficit calceamenta, neque vestimenta contexit, nec has luteas domos ædificat: verum & æternam ministrat vitam, ex mortis manibus eripit, & in vtraque vita claros exhibet, & mansiones ædificat in cœlis, & aterna parat illa tabernacula. Hæc lampades nostras non sinit extinguere, nec sordidus indutos vestibus in nuptiis videtur: sed lauat, & niue mundiores reddit. Si nanque fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur. Nō sinit nos eo decidere, vbi diues ille: nec audire verba tremenda, sed in Abraham sinu deducit. Et artium quidem secularium vnaquæque vnum habet, quod accepit, meritum. Verbi gratia, Agricultura pascat, textoria vestit, imò verò nec hoc vlla potest à semetipsa vobis conferre. Et si libet, agriculturam examinemus primam. Nam nisi cuforiam habuerit, à qua lignonem & vomerem, falcem, securim & alia plura mutuetur: & carpentariam, ut aratrum pangat, & iugum pareat & plaustrum, ut spicas excutiat: & coriariam, ut & lorum faciat: & ædificatariam, ut & arantibus tauris stabulum ædificet, & ferentibus agricolis domum: & succiforiam, ut ligna secentur: & pistoriariam: post hæc omnia nusquam apparebit. Similiter & textoria, cum aliquid faciat, multas secum artes conuocat, ut proposita secum expediat: quod si non acceperint, & manum porrexerint, hæc quoque similiter ut illa remanebit in ops. Et artium queque alterius

216

Luc. 21. 4

Luc. 11. f

alterius indiget artis. Cum autem oporteat misereri, nihil aliud nobis opus est, sed sola voluntas est necessaria. Quod si dicas, quod pecunias opus est, & habitationibus, & vestimentis, & calceamentis: illa lege Christi verba, quæ de vidua dixit: & ab angustia desiste, licet valde sis pauper, & mendicantibus pauperior, si duo minuta contuleris, totum explesti. Et si des panem, eum habens solus, ad perfectionem artis venisti. Hæc itaque suscipiamus artem & scientiam, & obeamus. Melius enim est hanc scire quam esse regem, & diademate coronari. Non enim est hæc sola eius præcellentia, quod aliarum non indiget, verum & diuersarum rerum est expeditoria, & multarum quidem & omnigenarum. Domo enim ædificat in cœlis semper mäsuras, & qui se consecuti fuerint, docet quemadmodum immortalè fugiant mortem: & tibi thesauros donat, qui nunquam absumuntur, sed omne damnus effugiunt, tam à latronibus, quam à vermibus & tempore. Si quis circa frumentorum cõseruationem hoc solum te docuisset: quid non reddidisses, ut in absumptum multos annos posses conseruare frumentum? Ecce autem hæc non in frumento tantum, verum & in omnibus docet, & quo modo parta, & anima & corpus indimuta conseruentur, ostendit. Et quid opus est omnia particulatim dicere artis huius merito? Hæc nanque te docet, quo modo possis deo similis fieri, quod est omnium summa bonorum. Vides quo modo non vnus huius est opus, sed multa: non alterius indigens artis domos ædificat, textit vestes, inabsumptos parat thesauros, facit ut mors superetur, diabolus cohibet, deo reddit similes. Quid igitur hac arte fuerit vtilius? Nam alia quidem cum dicitis, & cum presentibus soluuntur vita, & morbo laborantibus artificibus nusquam apparent, & earum opera durare non possunt, & laboris indigent, & temporis multi, & aliorum mille: hæc autem cum mundus præterierit, maxime tunc apparet, cum fuerimus mortui, maxime tunc coruscant, & opera monstrat à se gesta, nec laboris indiget: nec alterius huiusmodi cuiuspiam operationis: verum & ægrotante te fructum affert, & annis confecto, & ad futuram tecum vitam emigrat, nec vnquam te deserit. Hæc & sophistis & oratoribus te potentiorè efficit. Nam illi quidem in suis præcellentes artibus multos habent æmulos: hæc autem pollet infinitos habet pro se orantes. Et illi quidem hominum assistunt tribunalibus, iniuriam patientibus exhibentes patrociniū, at & frequenter iniuriam faciētibus: hæc autem Christi adstet tribunali, non tantum patrociniā, verum & ipsi persuadēs iudici, ut reo patrociniū præstet, & pro eo sententiā ferat: & licet millies peccauerit, coronat, & victorem promulgat: ait enim, Date eleemosynā, & omnia erunt munda. Et quid de futuris loquor? In presentibus vita si homines interrogemus, quid malint, sophistas se esse magnos & oratores, an eleemosynarios & humanos: audies eos secundum eligentes: & merito. Sublata nanque dicendi facultate, vita nihil lædetur. Nā & ante hanc multum stetit temporis. Sed si misericordiam auferes, omnia transibunt & perierint. Et sicut mare non potest nauigare, portibus & stationibus obrutis: ita nec hæc vita constare, si misericordiam & veniam tollas ac humanitatem. Quamobrè non tantum eam rationi deus mandauit, verum & multas ipsius partes inspergit naturæ tyrannidi. Sic & filiorum patres miserentur, ita matres, ita parenti geniti. Nec verò tantum in hominibus, verum in omnibus brutis: ita fratrum fratres, & cõsanguinei, & necessarii, sic hominis homo. Habemus enim aliquid ad misericordiam inclinatum, & à natura. Et propterea pro patientibus

Tomus quintus.

iniuriā indignamur, & iugulatos cernentes flectimur, & lugentes aliquos videntes lachrymas impedimus. Quoniam enim id vult deus præstari, naturam ad hoc multum conferre mandauit, ostendens quod hoc est sibi valde gratum. Hæc itaque cogitantes, & nos ipsos, & filios, & necessarios, in eleemosynæ disciplinam ducamus. Et hoc super omnia discat homo, quoniam & hoc est homo. Magnus enim homo, & preciosus vir misericors. Itaque nisi hoc habeat, esse desit homo. Hoc sapientes præstare. Et quid admiraris, si hoc est deus, & hoc homo? Ait enim: Estote misericordes, sicut pater vester. Discamus itaque misericordes esse omnium causa, maxime quoniam & nos multum indigemus misericordiam, & neque viuere putemus per id temporis, quo non misereamur. Eleemosynam autem dico ab auaricia puram: nam si suis contentus, & aliis non impertis, non est misericors: aliena rapiens quo modo misericors? Non est misericors profecto, licet infinita largiatur. Nā si propriis frui simpliciter, est inhumanitatis, multo magis alios expilare. Si qui nullam patrarunt iniuriam, quod non comunicauerint, puniuntur: multo magis qui rapiunt aliena. Ne hoc itaque dicas, quod alius iniuriam passus est, & alius misericordiam accipit: hoc enim graue est. Oportebat enim iniuriam patientem ipsum esse, cui misericordia præstaretur. Nunc autem alios vulnerans, quos non vulnerasti curas, cum illos opus sanare prius fuisset, vel potius neque vulnerare. Humanus enim est, non qui vulnerat & curat, sed ab aliis percussos foues. Tuis igitur malis, non alienis medere. Vel potius neque vulneres, neque prosternas (hoc enim proterui est) sed prostratos suscita: nec enim eadem misericordiam mensura potest auariciam malum curari. Nam si obolum vsurpaueris, non obolo vicissim opus est ad eleemosynam, ut ex auaricia vulnus tollas, sed talento. Propterea fur conuictus quadruplum erogat. Furatè vero peior rapiens. Sed si illud pendere quadruplum oportet eorum, que furatus est: rapientem opus est decuplum, & multiplum exoluere. Et optabile sic quoque iniuriam delere posse. Nam neque tunc eleemosynæ fructum accipiet. Propterea Zachæus: Reddā, inquit, si quid aliquem defraudauit, quadruplum: & dimidium bonorum meorum dabo pauperibus. Quod si in lege quadruplum oportet dare, multo magis in gratia: si furantem, multo magis rapientem. Nam præter iacturam hic est & multum contumelia. Itaque si des & centuplum, nondum totum erogaueris. Vides quod non frustra dicebā, quod si vel obolum rapueris, & talentum reddas, vix ita quoque resarcis: sed si hoc facies vix satisfeceris, ordinem cõuertēs, & rapta quidem integra substantia, pauca quedam exoluens, nec iisdem qui sunt iniuriæ affecti, sed aliis eorum loco: quā habebis excusationem: quā veniam: quā salutis spem? Vis nosse quantum ita miseris admittas peccatum? audi scripturam dicentem: Sicut qui occidit filium coram patre, ita qui offert sacrificium ex pecuniis pauperum. Hæc itaque cõminatione mente scribentes abeamus, hanc in parietibus, hanc in manibus, hanc in conscientia, hanc vbique, ut vel hic timor in nostris viget cordibus, manus nostras à quotidianis cohibeat cadibus. Cæde nanque peior est rapina, paulatim pauperem deuorās: ut ab hac itaque mundemur ægritudine, hæc & in alterutrum, & nos meditemur. Sic enim ad misericordiam erimus promiores. Hæc itaque cogitantes charissimi, respiciamus tandem quandoque & requigilemus. Iam enim ipse confundor, amplius differes de eleemosyna, eò quod frequenter de hac materia verba fecerim, & nihil dignum fecerim admonitione. Nā factum quidem est aliquid melius, sed non tantum, quantum ipse volebā. Vos nanque seminantes quidem videmus, h sed non

Luc. 19. 6

Eccl. 4. d

sed non larga manu: propterea timeo, ne & parce metatis. Quod enim parce seminamus, indagemus, si placeat, vtri sunt in ciuitate plures, pauperes, an diuites: & qui neque diuites, neque pauperes, sed mediū habentes locum: Verbi gratia, Decima pars est diuitum, & decima pauperū nihil penitus habētū, reliqui vero mediocres sunt: diuidamus igitur in egenos ciuitatis multitudinē, & quantū opprobrii sit, videbitis. Vehementer enim diuites pauci, post eos vero multi: pauperes autē his multo pauciores. Veruntamē cū tot sint qui pauperes alere possint, multi dormiunt esuriētes, nō quod habēt eis facile satisfacere nequeant: sed propter multā eorū duriciā & inhumanitatē. Nam si diuites, & qui sunt sequētis sortis, panes & vestes indigētibus impertirēt, quin-quaginta vel & centū viris vix vnus forte cōtingeret. Et tamē in tanta subuenire valentium copia constituti quotidie conquerūtur. Et vt eorū discas inhumanitatem, vnus vltimorū diuitū, & non valde locupletum habens prouentū ecclesia, quot per singulos dies viduis sufficiat, quot virginibus, cogita. Nam ad triū milium ascēdit numerū earū catalogus, & præter has, quot carcerem habitantibus, quot in xenodochio laborātibus, sanis, & peregrinis, corpora habētibus mutilata, altari asidētibus, & victus, & vestitus causa simpliciter quotidie accedētibus, & nihil ei de substantiis diminutum est. Itaque si decē dūtaxat viri sic erogare voluissent, nullus esset pauper. At inquit, Quid debēt filij nostri excipere? Sors remanebat, & prouētus rursū maior fiebat, cū thesaurizaretur eis in cælo possessiones. Sed nō vultis ita, saltem ex dimidio, siue ex tertia parte, siue ex quarta, siue ex decima. Per dei namque gratiā decē ciuitatum pauperes nostra posset alere ciuitas. Et si vultis, horum aliquā faciamus rationem: imō verō neque ratiocinatione opus est. Per se namque patet rei facilitas. Respicite igitur in ciuilia ministeria, quantū sola domus impendere quandoque nō dubitauit, sed nec ad minimum impendiū sensit: quod si diuitū quisque voluisset in pauperes erogare, breui tēporis momento cælū rapuisset. Quæ foret itaque veniā: quæ excusationis vmbra: cū nec à quibus omnino separari debemus hinc migrātes, hæc indigentibus cū tanta cōmunicemus largitate, cū quāta scenicis alij, & hæc cum tantū ex his lucrari debeamus? Oportebat enim & si semper hic essemus, neque sic pulchrā huic impensā parcere: cū autē paulo post hinc abducamur, & omnibus abripiamur nudi: quā habebimus defensionē, nec ex prouētibus ministrātes esurientibus & laborantibus? Nec enim cogo te patrimonium diminuere, non quod nolim, sed quoniā te valde torpentem video. Nō hoc itaque iubeo, sed ex fructibus expende, nihilque thesaurizes. Satis est tibi, tanquā ex fonte prouenientibus affluentes habere pecunias. Participes fac pauperes, & bonus sis dispensator eorum, quæ à deo tibi data sunt. Sed tributa, inquit aliquis, ergo: igitur propterea negligis, quoniā hic exigit nemo? Et illi quidem, licet terra nō ferat, accipiēt cū necessitate, & extorquenti cōtradecere nō audes: tam verō miti, & tunc tantū cum terra fructū tulerit petēti, ne verbo quidem respondes. Et quis te supplicii intolerabilibus illis eripiet? Non erit quisquā. Si enim quoniā illic nō dantē omnino sequetur difficilis vltio, propterea circa erogationē studiosus es: considera quod hic & difficilior, nō ligari, nec in carcerē conici, sed in ignem præcipitari sempiternū. Hæc igitur ante omnia soluamus tributa, omnibus ex causis. Multa namque facilitas est, & maior merces, & quæstus amplior: & ingratos se præbentibus

A peius supplicii. Nam pœna nos excipit finē non habet. Si verō milites mihi dicas pro te Barbaris repugnates, sunt & hic castra pauperū, & bellum, in quo pro te pauperes pugnāt. Cū enim stipendiū acceperint, orātes tibi deū faciunt propiciū, propiciū autē facientes, pro Barbaris dæmonū infidias repellunt: neque sinunt vehementer infestū esse malignū, neque semper irruere, sed ipsius soluant potentiā. Hos itaque conspiciēs milites quotidie pro te cū diabolo precibus & orationibus pugnates, à temetipso pulchrū istud tributum exige, illorū alimenta. Nam cū sit hic rex mitis, nō dedit eos tibi qui exigerēt, sed vult volētē erogare: & siue paulatim eroges, accipit: siue per multum temporis indigens, reponas, non habentem non vrget. Ne verō longanimitatem eius contemnamus, sed thesaurizemus nobis non iram, sed salutem: non mortem, sed vitam: nō pœnam & vltionem, sed honores & coronas. Non est hic dare mercedem transmissionis eorum quæ penduntur. Nō est hic opus res in argentum redigentes laborare. Si cōferas, in cælum ea dominus ipse transportat, ipse tibi quæstuosiorem reddit negociationem. Nō est hic necesse depositorum transportatorem inquirere. Tātm eroga, & statim ascendunt, non vt alij milites alantur, sed vt tibi multo cum lucro maneant. Hic quidē quæcunq; dederis, recipere non licet: illic verō cum multo rursū honore recipies, & maiora lucraberis, & spiritualiora lucra. Hæc quæ hic erogas, illic sunt repetitio, mutuum, & fœnus & debitum. Nam chirographa tibi deus fecit. Ait enī, Qui miseretur inopis, fœnerat deo. Arrabonem tibi dedit & vades, & hæc cū deus sit. Quæ arrabonem? Præsentis vitæ sensibilia, & spiritualia futurorum primordia. Quid itaque differis & torpes, cum iam tanta receperis, & tot expectes? Quæ namque accepisti, sunt ista: Corpus tibi formauit, animam ipse intulit, honorauit te ratione solum ex animalibus terrenis omnium tibi visibiliū vsum contulit, sui præstitit scientiam, pro te tradidit filium, baptisma tot plenum bonis donauit, sacram tibi dedit mensam, regnum promisit, & arcana bona. Cum igitur tot acceperis, tot itidē accepturus (iterum enim idem referam) circa pereuntes pecunias pusillanimitate agis. Et quam habebis veniam? Sed filios omnino spectas, & propter hos retrocedis quin & illos tales doce quæstus lucrari. Nam si tibi foret argentum mutuātū, & vsuras pariēs, & insuper debitor esset gratus, multo magis eligeres filio pro auro relinquere, vt ei multi prouētus adessent, neque cogere tur circumire, & alios quæret mutuum accepturos. Et nūc hoc filiis da chirographum, & deum relinque debitorem. Tu autem agros quidem non vendis & das filiis, sed permittis vt redditus maneat, & pecuniarum superabūdantia maior eis hinc fiat. Hoc autem chirographum omnibus agris & redditibus locupletus, & tot afferens fructus relinquere vereris. Quantē vero foret hoc fatuitatis & dementiæ? & hæc cū noueris: quod si hoc eis relinquant, & ipsum ipse rursū accipies frueris. Talia namque sunt spiritualia, multam habent largitatem. Ne mendicemus, nec inhumane nos & crudeliter geramus, sed hanc pulchrā exerceamus negociationem, vt & nos ea recepta migremus, & nostris eam filijs relinquamus, & futura cōsequamur bona, in Christo Iesu domino nostro, cui gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Quod oportet multum circa Dei desiderium studium habere: & de elemosyna, Homilia XXXIII.

T V A R V M



V A R V M es ò homo pecuniarū dispensator, non minus quàm qui ecclesiæ bona dispesat. Sicut igitur ille potestatem non habet, ea quæ propter pauperes à vobis erogātur, temere, & vt casu venit dispergēdi, quoniā in pauperū data sunt alimentum: ita neque tua. Et si namque paternā excepisti hereditatē, & ita possides quæcunq; tibi sunt, ita quoque tamen dei sunt omnia. Postea vero tu quod erogasti quidē, tali vis dispesari diligentia: deū vero sua nō censes maiori nos repetiturū vehementia, sed ea simpliciter passurum pereuntes? Non ita est, nequaquā. Hæc enim propterea tibi concessit, vt dares illis eicā in tēpore oportuno, egenis, esurientibus, sicut tu conseruo dispensanda dedisti, itidē & deus te vult hæc incongrua erogare. Propterea quoque cū auferre posset, ea dimisit, vt exhibendē virtutis occasiōem habeas, vt alterū alterius indigentē constituens, mutuā charitatem redderet feruentiorem: tu vero cū acceperis, non tantum non impendis, verum & verberas. Verū si non dare crimē est, verberare quam reportabit veniā? Hoc autē mihi dicere videtur, contumeliosos & auaros innuens, & multā aduersus tales significans inuentionē. Cum enim quos nutrire iussi sunt, præterquam quod non nutriunt eos, etiā verberent, digni foret accusari: mihi vero videtur & hic deliciis vacantes insinuare. Nam & deliciis magna reposita est vltio: ait enim, Comedit & bibit cum ebriis: gastrimargiā significans. nō enim ad hoc accepisti, vt in deliciis absumeres, sed vt in elemosynam erogares. Nūquid enim tua possides? Res pauperū tibi sunt creditæ, siue ex laboribus iustis, siue ex hereditate paterna possideas. Nunquid enim nō potuit tibi deus hæc auferre? Verū hoc non facit, in potestate tua ponēs liberam in pauperes liberalitatē. Tu vero, quæso, considera quo modo per omnes parabolas non vis cōgrue pecunias vtētes punit. Nec enim virgines aliena rapuerant, sed propria non dederunt. Neque qui talentū in terram defodit, iniustā vsum sibi vendicauit, sed quia nō geminauit: nec esurientem despiciētes quod aliena rapuerint, puniuntur, sed quoniā sua non dispererunt, sicut & hic seruus. Audiamus itaque quotquot vētri indulgemus, quotquot in opiparas cœnas expendimus diuitias, nihil nobis pertinentes, sed indigētibus debitas: nō enim quoniā ex benignitate multa de tuis erogare iussus es, hæc ideo putes esse tua. Tibi mutuauit, vt laudabilis fieri posses: ne tua igitur esse putes, ei sua præbēs: nec enī si cui tu mutuauis, vt abies aliquas posset quæstum occasiones inuenire, illius pecunias esse diceres. Igitur & tibi deus tradidit, vt cælum lucrari posses: ergo benignitatis excessum ne facias ingratitude materiam. Cogita quantis dignum votis posse post baptismā viā inuenire peccata lauātē, nisi dixisset, Da elemosynam: quot dixissent, Vtinā posset fieri, vt pecuniæ darentur, & futuris malis absolueremur? Sed, quoniam hoc possibile factū est, rursū redditi sunt supini. Sed ergo, inquis. Et quid hoc? Nondum enim tantū exoluisti, quantū quæ duos obolos erogauit: imō vero neque dimidium, nec minimam illius partē, sed plura in impensas inutiles expendis, in conuiuia, & ebrietatem, & extremam prodigalitatē: nunc quidē vocans, nunc vero vocantē sequens: nunc quidem expendens, nunc autē alios cogens expēdere, vt & duplex tibi fiat vltio, ex hisque quæ ipse facis, & ex his ad quæ ceteros inducis. Et hoc enim seruo vide vicio datum: ait enim, Comedit & bibit cum ebriis. Non enim solos punit ebrios, verum & cū illis conuersantes, & meritō, quoniā præ-

ter propriam perditionem & proximorum neglexere salutem. Deū vero nihil sic exacerbat, quàm ad proximum attinentia despiciere. Et propterea demonstrare volens indignationē, eum mediū diuidi iussit: & ideo charitatem suorum dixit esse discipulorum indicium: quoniā necesse profus est diligentem dilecti curā habere. Hanc itaque viam teneamus: hæc enim est quæ maxime reducit ad deum, quæ Christi facit imitatores, & quoad fieri potest, deo similes reddit. Intuere quoque virtutes has esse magis necessarias, quæ secus hanc viā cōmorantur, & si libet, earum examinationem faciamus, ex dei sententia feramus iudicium. Sint igitur duæ optimæ viuendi viæ: & earum quidem vna bonum faciat obeuntē, altera vero & proximū. Videamus vtra probabilior, & ad virtutis culmē nos magis perducit. Igitur ille quidem qui sua duntaxat quærit, à Paulo mille accusationes accipiet: (Cum vero Paulū dixero, Christum significauero) hic autem laudes & coronas. Hoc vnde manifestum: audi quid huic quidē dicat, & quid illi. Nemo quod suū est, quærat, sed quod proximi quisque. Vides qualiter illud quidē eiecit, hoc autē introduxit: Et iterū: Vnusquisque vestrū pximo placeat in bonum ad ædificationē. Tum subditur & ineffabilis laus cum admonitione: Etenim Christus sibi ipsi non placuit: vt autem & ex superabundanti hoc fieret, videamus quod quidem honorū operum circa nos sistat, & quod à nobis ad alios quoque pertranseat. Ieiunare quidem, & humi cubare, & exercere virginitatem, & temperanter agere, solis hæc obeuntibus vtilitatē afferunt: quæ vero proximis à nobis exhibentur, vt elemosyna, doctrina & charitas: hæc & nobis ipsi, & proximis ad quos à nobis transeunt, profunt. Et hic itaque Paulum audi dicentē: Et si dederō omnem substantiam meam in cibos pauperum: & si tradidero corpus meū vt ardeā, charitatem autē non habeā, nihil mihi prodest. Per se splendide prædicatā, si lubet, & ex tertio cōprobemus. Et hic quidē ieiunet, & modestiam præferat, & martyrium præstet, & ardeat: alter vero martyrium propter proximi differat ædificationem, nec solum differat, verum & absque martyrio migret: vter erit postquā hinc transferit probabilior? Non nobis hic multis opus est verbis, & ambagibus longis. Adest enim beatus Paulus sententiam ferens, & dicens: Resolui, & esse cum Christo melius: remanere autē in carne, magis necessarium propter vos, & ad Christum transitui proximi prætulit ædificationem. Hoc enim præcipuum est esse cū Christo, ipsius voluntatem obire. Nihil vero tam est voluntas eius, quàm quod proximo sit vtile. Vis & quartam horum rationem referam? Petre si diligis me, inquit, pascue oves meas: & ter eum percontatus, hoc amicitia signum esse testatus est. Nec solis hoc dictum est sacerdotibus, sed vnicique nostrū cui vel pusillus est creditus grex. Ne namque quoniam pusillus est, contemnas: patet enim meus, inquit, sibi complacuit in eis. Habet ouē vnusquisque nostrum, hanc ad congrua ducat pascua. Et cum vir è strato surrexerit, nihil aliud quærat, quàm quo modo aliquid faciat, aut dicat, vnde totam faciat domum religiosiorem. Mulier vero sit quidem domus custos, sed ante curam hanc magis necessariam habeat sollicitudinē, quo modo cœlestia tota domus operetur. Nam si in secularibus ante domesticorum prouisionē publica obire munia studemus, ne propter exhibitam in his ingratitude vinciamur, & in forum trahamur, & innumeras patiamur ignominias: multo magis in spiritualibus hoc agendum est, quæ regis omniū dei

h ij sunt,

Tomus quintus.

sunt, prius persoluenda, ne veniamus ubi stridor dentium. Has quaramus virtutes, quæ præter salutem nostram proximis quoque plurimū prodesse possint: tale quid est eleemosyna, tale oratio, quin potius & hæc ab altera fit potens & eleuatur: ait enim, Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriã coram deo: nec vero solum oratio, verum & ieiuniū hinc neruos habet. Et si absq; eleemosyna ieiunes, nec bonum opus ieiunium censetur, sed crapulante, & ebrius peior est huiusmodi, & tanto peior, quanto deliciis crudelitas grauior. Et quid dico ieiuniū? Et si nãque continēs degas, siue virginitatē serues, charitatē nō habens, extra spōsi thalamum remanes. Et quid par virginitati, quæ nec in nouo testamento propter excellentiam sub legis venit necessitatem: Et tamen expellitur, si eleemosynam non habeat. Si vero virgines excluduntur, eo quod hanc cōgrua non habuerint cum largitate, quis absque ea veniam assequi poterit? Nemo, sed hanc non habentem omnino perire necessarium est. Si enim in secularibus sibi viuunt nemo, verum & artifex, & miles, & agricola, & mercator, ad comunē & proximorum vtilitatem omnes operantur: multo magis in spiritualibus oportet hoc facere: hoc enim est maxime viuere. Qui nanq; sibi viuunt soli, & omnes negligit, superfluous est, & nec homo, nec generis nostri. At inquit, Quid igitur, mea ne despiciam, inquirens aliena? Non est necessarium aliena quærentē sua negligere. Qui enim aliena curat, triflicat neminem, sed quæ suam miseretur, pro viribus prodest: neminem diripiet, opprimet neminē, non furabitur, non falsum dicet testimoniū, ab omni abstinentib; malicia, omnem apprehendet virtutem, pro inimicis orabit, & insidiantibus benefaciet, nec vlli conuiciū ingeret, neq; maledicet, licet innumera ei mala dicantur: quin & præsentēs labores maximorū nobis præmiorū sunt ministri, & pericula coronas pariūt. Nam si Iacob propter Rachelis desiderium, tanquã dies paucos septem annorum spacium putabat: multo magis beatus Paulus nihil omnia ducebat, in deum desiderio semel accensus, & propter Christum quē diligebat, omnia sustinens. Studeamus igitur, quæso, nos quoq; Christum amare: nihil enim aliud, inquit, Christus quærit à te, quàm vt diligas eū ex toto corde, & facias mandata eius. Nam qui diligit deum, patet quod & eius madata festinat obire. Cum enim quis erga quempiã generose dispositus est, omnia facere studet, vt dilectū in sui desiderium allucere possit. Et nos itaq; si legitime dominum dilexerimus, ipsius quoq; mandata poterimus implere, nec eorum quicquã admittere, quæ dilectū irritare possint: hoc est regnū cælorum, hoc bonorum fructio, hoc infinita cōtinere bona dignū censeri, si quis legitime, & quemadmodū oportet, deū diligit: si per puram in eum charitatē, & in conferuos multã exhibeamus dilectionem. ait enim, His duobus præceptis lex & prophetæ dependent: in hoc, Diliges dominū deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum sicut teipsum. Hæc est virtutum summa, hoc fundamentum: cū dei nanque charitate simul intrat & in proximum dilectio. Nam qui deum diligit, fratrem non despiciet, nec præponet pecunias, sed multam præferet largitatē eius memor, qui dixit: Quod fecistis vni ex his minimis, mihi fecistis. Et cogitans quod per obsequium in conseruum, ipse est qui beneficia sibi vendicat: omnia multa cum promptitudine operabitur, & multã in largiēdo eleemosynas liberalitatem exhibebit, non ad apparentis respiciens vilitatem, sed ad eius, qui se in eum colla-

Acto. 10. c.

Gene. 29. c.

Mat. 22. d.

tam sibi vendicaturum promisit, magnitudinem. Ne simpliciter, quæso, animarū nostrarum pertranseamus emolumentum, nostrorum medicinam vulnerū. Hoc enim medicamē, hoc maxime tantum nobis præstabit remedium, & tantum animarum nostrarum vulnera delebit, vt neque vestigiū, neque cicatrix relinquatur: quod in corporalibus fieri non potest vulneribus. Sed licet infinita quis medicorum imponat remedia, cicatricem in corpore remanere necessariū est: & merito corpus enim est quod curatur. Hic vero quoniã est anima, cū propriã præ se tulerit gratitudinē, validam suscipit in melius mutationē: & sic omnia tolluntur vlcera, sicut vento puluis excitatus vehementi. Et his omnibus exemplis plenã sunt nobis scripturæ. Ita beatus Paulus ex persecutore factus est apostolus, & qui prius ecclesiam vastabat, ipse factus est ipsius postea doctor. Vidisti summam mutationem: sic & latro infinitas operatus cædes, breui tēporis momento paucis illis verbis sic omnia diluit peccata, vt audiret à domino: Hodie mecū eris in paradiso. Sic & publicanus qui peccatis percutiebatur, & propria confitebatur crimina, descendit iustificatus super pharisæum: sed horum quisque quidē animi gratitudinem præstans, & priores confessus errores, ita veniã assecutus est. Videamus autē & huius vni mandati, & quantam potentię superabundantiam habeat liberalis eleemosyna, vt lucrum ex ea nobis cōstitutum agnoscentes, eam prompte transigamus. Nam forte tanta est ipsius facultas, vt non tantum peccata detergat, verum & ipsam effuget mortē. At inquit, Quis eleemosynam exhibens, morte superior factus est? omnes enim videmus sub mortis imperio positos. Ne tumultueris amice, sed ipsis ex rebus discite, quo modo eleemosynæ virtus & huius superauit imperium. Tabitha quædam mulier fuit, quæ Dorcas dicitur interpretata, hæc opus faciebat per singulos dies, vt eleemosynæ copiam colligeret: & vestiebat, inquit, viduas, & aliud omne ministerium eis impendebat. Factum est autē vt ipsa infirmaretur, & moreretur. Sed vide quo modo beneficium assecuta, & ab ea teã corpora, beneficium in tempore reddunt, circumstantes apostolum: ostendebant, inquit, vestes quas sibi fecerat dum viueret Dorcas. Et altricem inquirebant, & forte spargebant lachrymas, & in misericordiam apostolum trahebant. Quid beatus itaque Petrus? Positis, inquit, genibus orauit, & conuersus ad corpus dixit: Tabitha surge. Illa vero aperuit oculos suos, & videns Petrum resedit. Dans autem ei manum, suscitauit eã. Et cum vocasset sanctos & viduas, præstitit illam viuentem. Vidisti virtutē apostoli: vidisti quanta sit erga viduas beneficij retributio & in præsentē: quid enim, quæso, tantum hæc vidua præbuit, quantum ei ipsa retribuerunt? Vestimenta præbuit ipsis, & cibos: illa vero eam ad vitam reducerunt, & mortē verterunt in fugam: vel potius non ipsa, sed propter præstitã eis opem misericors dominus. Vidisti medicaminis virtutem: hoc omnes nobis cōparemus: nec enim preciosum est, licet tantam habeat potentiã, sed valde vili venale, nec multa opus habet impensa. Nam eleemosynæ magnitudo non in pecuniarū multitudine iudicatur, sed in dantiū promptitudine. Et propterea qui calicē aquæ frigidæ dederit, factus est acceptabilis: & quæ duo minuta erogauit, vt discamus quod vbiq; mentem dominus inquirat. Licet & habentē pauca magnã exhibere largitatem, cum efficacax fuerit promptitudo, & multa possidentem pauca habentibus inferiorem videri propter mentis pusillanimitatem.

224

225

DE ELEEMOSYNA ET MISERICORDIA.

226

nimitatem. Effundamus igitur bona, quæso, super homines in necessitate positos, larga mente ex his quæ dominus nobis largitus est, & ab ipso data vicissim ei redamus, vt ita rursum cū accessione nostra fiant. Eius enim est tāta liberalitas, vt & ex his quæ dedit accipies, se propria non censeat accipere: sed multa cū largitate nobis ea reddere polliceatur. Tantum nos quæ nobis attinent, exhibere velimus, & ea tanquam dei cōmendantes manui, ita pauperibus ea ministremus, scientes quod quæ manus illa susceperit, non ipsa tantum præbet, sed datis multo plura nobis illa rursum facta largitur, propriam per omnia præferens liberalitatē. Et quid dico quod ea multiplicans illa manus præbet? Non enim ea solum, verum & cum his regnum donat cælorum, & prædicat, & coronat, & infinita largitur bona, si quid ex rebus ab eo datis paruū erogare velimus. Nūquid enī graue quippiã & onerosum à nobis inquirat? Necessitatem excedentia vult nos facere necessaria, & quæ nequicquã & iutiliter reposita sunt, hæc vult bene distribuere, vt hinc occasione sumpta nos coronet: festinat enim & operat, & omnia facit, vt nos his quæ pollicitus est, dignos constituat. Ne nos itaq; tot bonis priuemus. Nam si circa terram laborantes horrea exhaurientes, terræ semina mandant, & congregata dispergunt, & hoc faciunt cū voluptate, se ampliorū spe consolantes: & hæc cum sciant quod frequēter & aëris inæqualitas, & sterilitas terræ, & alij multi incurfus, vel locustarum exercitus, vel rubiginis impetus ab expectationibus, in horreis congregata terræ committūt: multo magis nos inaniter reposita in cibos pauperum dispergere congruum est, vbi nunquam accidit aberrare, nec infortuniū, quod in terra fit, vereri: ait enim, Dispersit, dedit pauperibus, iusticia eius manet in seculum seculi. Breui tēpore distributionē fecit, & perenni æuo permanet eius iusticia. Quid hoc vnquã possit esse beatus? Propterea cohortor, per eleemosynã attrahamus iusticiã, vt & de nobis hoc dicatur: Dispersit, dedit pauperibus. Postquã enim dixit, Dispersit, ne putares quod dispersa perissent, propter ea statim intulit, iusticia eius manet in seculum seculi. Ex illis, inquit, dispersis inconsumpta manet iusticia, cum omnibus pariter seculis extensa. Et cum eleemosyna reliquarum quoq; virtutum multã geramus curã, & carnis vicia corrigam; & ex nostra relegemus anima concupiscentiam omnē viciosam, omnem malam cogitationē, iram, indignationem, inuidiã: & animæ speciē per omnia ornemus, vt pulchritudinem eius clarã reddentes, cælorum alliciamus dominum. Vbi nanque viderit animã pulchritudinem, statim adest. Ipse enim dicit: Super quē respiciam, nisi super mitem & quietum, & tremētē sermones meos: Vidisti quo modo nos omnes docuit colores, quibus animã pulchritudinē latam facere possim? Super mitem & quietum, inquit, & humilē: deinde omnium comparatiuum intulit. Et tremētē sermones meos, obedientiam per opera implentem. Quod & alibi dicit: Beatus homo qui semper est pavidus. Nam si nos cum feruum nostrum mandata nostra strenuiter implere viderimus, & cum maiori timore, maiore erga eum beneuolentiã exhibemus: multo magis bonus dominus propterea dicebat: super illum respiciam tremētē sermones meos. Igitur tremiscamus, exhortor, & cum multo timore ipsius impleamus madata: ipsius enim sermones sunt. Et cum didicerimus quæ placeant ei, & quæ suscipiat, illa tractemus, & tales esse studea-

Psal. 112. b.

Esa. 66.

Tomus quintus.

mus vt quietem, mansuetudinem, & humilitatem multam exhibeamus, & omnia ipsius cum reuerentia obeamus præcepta, vt nostræ mentis affectum suscipiens, & nostræ delectatus obediētia, supra nos quoque dignetur aspiciere. Et si nobis hoc contigerit, in omni erimus securitate. Respiciam enim dicit, pro faciam providentia dignum, manum porrigam, suscipiam, in omnibus gratias meas cum largitate præbebo. Hæc igitur omnia exerceamus, vt super nos dominus respiciat, & hic præsentem vitam sine tristitia expedire possimus, & futura consequi bona, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cum quo patri, simul & spiritui sancto gloria, potestas & honor, nunc & semper, &c.

De eleemosyna & misericordia, Homilia XXXV.



MABILE sanctorum omne genus, charissimi, propterea quæ Paulus dicebat: Induite vos ergo sicut electi dei sancti & dilecti viscera misericordiæ, benignitatē, humilitatē. Vides verbi virtutē, & quo modo nos semper vult esse misericordes: Non enim dixit, Miseremini simpliciter, sed induite vos, vt sicut vestimentū semper nobiscū est, sic & eleemosyna. Nec simpliciter dixit, misericordiã, sed viscera misericordiæ, vt naturalem imitemur amorē. At nos contraria facimus, & si quis vnum quidem petens obolum accedat, contumelias & cōuiciis insectamur, ac impostorem vocamus. Nō horres homo & erubescis, impostorem propter panē vocans? Si vero talis & imposturam facit, propterea cui misericordia tribuatur dignus est, quod ita fame premitur, vt talē subeat personam. Quin hoc & nostræ crudelitatis est redargutio. Nam quoniam facile dare non sustinemus, innumeras coguntur artes excogitare, vt inhumanitatem nostram fallere possint, & emollire saniciã. Alioquin vero si aurum quidem & argentum peteret, suspicionis posset habere rationem, sed cum necessarij causa nutrimenti petat, quid intempestiue philosopharis, & superfluam cum diligentia rationem supputas, ignauiam exprobrans & torporē? Nam si forent ista dicenda, nō alijs, sed nobis ipsis diceret congruum esset. Cum igitur ad deum accedis peccatorum petens veniã, horum reminiscere verborū, & intelliges quod ipse hæc à deo iustius audies, quàm pauper à te. Nec tamen vnquã hæc deus tibi verba dixit, Abscede scilicet, es enim impostor, & in meam quidem iugiter intrans ecclesiã, & leges meas audiens: at in foro aurum, & amiciciam, & concupiscentiam, & omnia generaliter meis præponens mandatis. Et nunc quidem humilis es, sed post orationem audax & crudelis, & inhumanus. Abeas igitur hinc, nec amplius accedas: hæc enim & his plura digni sumus audire. Sed tamen nunquã huiusmodi quicquam exprobrauit, sed longanimitè agit, & à seipso omnia præstat, & plura quàm petimus, indulget. Hæc itaque cogitantes, indigentibus inopiam soluamus, licet imposturam faciant, ne rem tam ad viuum refeceamus. Talis enim & nos salutis indigemus, cum venia, cum clemētia, cū multa misericordia. Nō est enim, nō est nostrum, licet pro viribus diligenter inquirentium vnquam saluari, sed omnino puniri necessarium est, & perire. Ne simus itaq; reliquorum amari iudices, ne nos quoq; pœnas acres repetamus: nam peccata omni venia maiora habemus. Itaq; magis illorum misereamur, qui nulla venia digna peccauerunt, vt & talem nobis misericordiam præparemus. Nam quantuncunq; largiamur, nunquam talem conferre poterimus humanitatem,

Coloss. 3.

h iij tatem,

tatem, quali nos apud dei clementiā egemus. Itaq; quo modo non absurdum est, nos in tantis constitutos necessitatibus erga conseruos nostros seuerā ponere rationē, & aduersus nos ipsos omnia facere? Nō enim tā illum tuo monstrabis indignū beneficio, quā te dei clemētia. Qui nanq; seuerus est in conseruum exactor, multo magis deū hoc facientē habebit. Ne contra nos itaq; loquamur, sed siue per ignauiam, siue per torporē accesserint, nos praebeamus. Nam & nos multa per negligentiam peccamus, nec statim a nobis deus poenas exigit, sed nobis poenitentiae tempus tribuit, per singulos nutriens dies, erudiēs, docens, omnia subministrās cetera, vt & nos hanc ipsius imitemur misericordiam. Hanc itaq; crudelitatem soluamus, euiciamus feritātē, tanquam nos ipsos magis quā alios promerentes. His enim argentum quidem erogamus, & panem, & vestimentum, nobis autem ipsis magnam praeparamus gloriam, & quam sermone non possumus exprimere: immortalia nanq; recipientes corpora, cum Christo glorificamur & conregnamus. Hoc autē quantum sit, hinc sciemus: imō vero nequaquam manifeste nunc scire poterimus. Vt autem ex nostris bonis eleuati, aliquam saltem paruam eius cogitationem capiamus, quam optime potero dictū explicare conabor. Nam dic mihi, si quis te senio confectum, & viuentem in paupertate subito iuuenem se facturū promississet, & in ipsum aetatis florem reducturum, & super omnes praualidū, & speciosum redditurum esse, & regnum in mille daturum annos, regnum, inquam, pacem firmissimā possidens: quid pro hac promissione nō eligeres tā facere, quā pati? Ecce igitur Christus non hac, sed his multo maiora promittit. Nō enim quantum est senectutis & iuuentū medium, tantū est corruptionis & incorruptionis interuallum: neq; quantum est regni & paupertatis, tantū est gloriae praesentis & future: sed quantum somniorum & veritatis, quinimō nec adhuc quicquā dixi. Nec enim est sermo qui possit differentiae magnitudinem exprimere, quae est inter futura & praesentia: teporis vero ratione neq; penitus cogitari differentia potest. Quo modo enim praesentibus aliquis vitam comparet sine carentē? Pacis autem illius tantum est medium ad praesentē, quantū pacis & belli discrimen: & incorruptionis quāto gleba lutea melior mūda margarita. Imō vero quantumcunq; quispiam dixerit, nihil par exprimere poterit. Nam & si solari compono lumini futurorum pulchritudinem corporum, siue splēdidissimo fulguri, nondum quicquā illa claritate dignum dico. Propter hac itaq; quae pecunia, vel corpora non sunt impendenda: imō vero quot animas exponere dignū non fuerit? Nunc vero si quis te quidem in regiam deduxit, & vt omnibus praesentibus regē alloquereris effecit, & illi te reddidit commensale & coniuuiam, omnium te dicis esse beatissimum. In caelum autē ascensus, & omnium regi assistere: & perennem cum angelis habere splendorem, & illa frui ineffabili gloria: dubitas an erogare pecunias oporteat, quum opus esset, etiam si vita fuisset exuēda, gestire & exultare, & per voluptatem efferri? Tu vero quō magistratum quidē acquiras, qui furtorū tibi praebet occasiones (non enim ego tale quid lucrum dixerim) etiam quae possides, erogas, & aliena mutuatus, etiā si sit opus, vxorem & liberos obnoxios constituere non torpes: at regno caelorum proposito, principatu nullum habente successorum, cum deus praecipiat non terrae partem, & angulū, sed totum accipere caelum, torpes & haesitas, & solis in-

hias pecuniis, & non cogitas, cū caeli partes nobis obiectae tam pulchrae sint & amoenae, qualia sunt superiora, & caelum caeli? Sed quoniam corporis interrim oculis hac cernere non licet, ascendas mente, & super hoc caelum constitutus, illud huic superpositum respice caelum in altitudinem immensam, in lucem admiratione plenam, in angelorum cateruas, in archangelorū gentes infinitas, in alias incorporeas virtutes. Et rursum inde descendēs, imaginē nostram resume, & quae sunt apud regem terrenum, describe, viros scilicet auro micantes, & alborum iuga mulorum aureis insignitorum ornamentis, & vehicula gemis ornata, & niueum stratum, & bracteas vehicula circumsonantes, & dracones in sericis vestibus effictos, & clypeos aureis vmbonibus coruscantes, & ex his lora per multas gemmas a superioribus curuaturis extenta, & equos auro comptos, & aurea frāna: sed cum iam regem viderimus, nihil iam horum aspiciamus. Ille nanque nos solus in se conuertit purpureaq; vestimēta, & diadema, & soliu, & balthens, & calceamenta, magnus oculorum fulgor. Cum hac igitur omnia diligēter collegeris, rursum ad superiora mentem transmittite, & illam diem tremendam qua Christus veniet. Non enim tunc mulorum iuga videbis, nō aureos currus, neque dracones & scuta, sed quae multo plena sunt horrore, & tantum inferunt stuporē, vt & virtutes ipsae caelestes consternādae sint: ait enim, Virtutes caelorum mouebuntur. Tunc enim totū quidem caelum aperitur, & orbium illorum fores referantur. Descendit autem vnigenitus dei filius, non viginti, neque centum viris ei ministrantibus, sed milia milibus angelorum, archangelorū, Cherubin, Seraphin, & aliarum virtutum: & omnia erunt timore & tremore plena, hiante terra, hominibus qui quocumq; fuerunt, ex quo factus fuit Adam ad diem illā vsq; de terra ascendentes, & omnibus in aera rapiēdis, ipso cū tanta apparente gloria, quōd & sol & luna & omne lumen abscondetur, ab illo splendore perlustratū. Quis illam sermo beatitudinē exprimet, claritatē & gloriae? Heu mihi anima, etenim lachrymare nūc mihi succurrit, & altū suspirare, cogitanti quibus bonis excidimus, qua sumus expulsi beatitudine: saltem quod meū est interrim dico, cum nihil magnum operemur & admirabile. Ne quis igitur mihi gehennam hic dicat. Gehenna nanq; peius est omni hac excidere gloria, & innumeris peius est poenis, illa sorte priuari: & tamē adhuc praesentibus inhiamus, neq; diaboli versutiam cogitamus, qui per parua magnis spoliatur, & lutum praebet, vt aurū rapiat, imō magis vt auferat caelū. Et vmbra praetendit, vt veritate nos extrudat, & in somniis phantasia ostendit (hoc enim sunt praesentes diuitiae) vt cum illuxerit, omnibus pauperiores exhibeat. Hac itaque cogitantes, tandē dolum quandoq; fugiamus, & ad futura transeamus. Nō enim licebit dicere, Ignorauimus praesentis vitae corruptibilitatē, rebus, quotidie clamātib; tuba clarius praesentiu vilitatem, risum, pudorē, pericula, praecipitia. Quam igitur habebimus excusationē, periculosa quidem & opprobrij plena multo sectantes studio: tuta vero, nosq; reddentia gloriosos fugientes, & nos pecuniarū tyrannidi totos tradētes: etenim omni tyrānide peior est horū seruitus, & id norunt, quot quot ab ea liberari meruerunt. Vt itaque vos quoque pulchram hanc discatis libertatem, diruptis vinculis ex laqueo profilite, & non reponatur aurum vobis in domo. Sed quid innumeris est preciosius pecuniis? Eleemosyna, & humanitas pro auro. Nam hac vobis apud deum

deum fiduciam praebet: illud vero multum contra nos effundit dedecus, & vehementer spirare facit aduersus nos diabolus. Quid igitur inimicum armas, & reddis fortiores? Arma dexteram tuam aduersus eum, & totam domus pulchritudinem in animam introducas, & omnes in mente diuitias repone. Aurum vice loculi & domus caelum custodiat, & omnia nostra nos erogemus. Nos nanq; parietibus multo meliores, & pauimento venerabiliores. Quid igitur nos ipsos deserētes, in illa studium omne consumimus, quae migrātes habere non possumus, & frequenter nec hic manentes retinere, cum ita locupletari liceat, vt non tantum hic, verum & illic ditissimi videamur? Qui nanq; loca, domus, & aurū in anima circūfert, vbicunq; visus fuerit, cum his videtur diuitiis. At inquires, Quo modo potest hoc fieri? Potest & cum maiori facilitate. Nam si in caelum ea transfuleris per pauperum manus, in anima tua repoueris omnia: & licet iam mors ingruat, illis te nemo priuabit, sed transibis & illic locuples. Talem habebat & Tabitha thesaurum, propterea non domus eam praedicabat, neq; parietes, neq; lapides, neq; columnae, sed induta viduarum corpora, & manātes lachrymae, & fugitiua mors, vitaq; reflorescens. Talia nobis quoque comparemus horrea, tales domus aedificemus. Et ita deū habebimus cooperatōrē, & ipsi eius cooperatores erimus. Ipse nanq; pauperes cū non essent, produxit: tu vero productos & factos, fame & reliquis arumnis tabescere non sinis, subueniēs, corrigens vndiq; dei templum labens: cui quid vnquā aequale fuerit, & ad vtilitatis, & ad dignitatis rationē? Si vero nondū apertē didicisti, quali te decorauit ornamento, paupertatē subleuare iubens, illud intra te cōputa. Si tibi talē dedisset potestātē, vt labēs caelū sustinere posses, nōne id opus honorē te multo maiorem existimasses? En igitur, maiori te dignū fecit honore. Quod enī caelis est dignius, hoc tibi refouendū cōmisit: apud deum enim visibiliū nihil homini par. Nam & caelū & terrā & mare propter eū fecit, & in eo magis quā in caelo delectatur inhabitans: & tamen nos hac scientes, nullā dei templorum curā gerimus, aut prouidentia, sed eos neglectum iri sinentes, nobis magnas & splēdidas domos paramus. Et ideo cunctis priuati sumus bonis, & valde pauperibus pauperiores, quoniam has ornatus aedes, quas hinc migrantes asportare non possumus, & illas omitimus, quas nobiscū possumus simul ducere. Dissoluta nanq; pauperū corpora, omnino resurgēt, & his productis qui hac imperauit deus, eos qui curā ipsorū gesserint, laudabit, & admirabiles reddet, quōd eos iam caufuros, nunc quidē praefame, nunc vero praenuditatē & gelu omnibus modis refocillarunt. Veruntamē & tot nobis laudibus propositis, adhuc cessamus, & ad hanc pulchrā torpemur curā. Et Christus quidē non habet vbi caput suū reclinet, sed circumit peregrinus, & nudus, & esuriēs: tu vero suburbana, thernas & porticus, innumerōsque paras thalamos incassum & frustra. At Christo nec exiguum cōmunicas testum, coruis autem & miluis fastigia exornas. Quid hac peius stupiditate: quid infania grauius? Infania siquidē haec sunt extrema. Quin potius quicquid aliquis dixerit, dignū protulerit nihil. Veruntamē si volumus, aegritudinē licet grauem repellere possumus. Nec solū fieri potest, sed & facile: nec facile simpliciter, verū & multo facilius ab hac peste liberari, quā a corporalibus morbis, quanto maior est & medicus. Eū igitur alliciamus, & vt adiuuet rogemus, & a nobis ipsis debita conferamus, voluntatē

Tomus quintus.

dico & promptitudinē. Nihil enim aliud exigit, sed si haec accipiat solū, a seipso cuncta depromet. Impendamus itaq; nostra, vt & hic puram assequamur sanitatē, & ad futura perueniamus bona, gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi, cum quo patri, simul & sancto spiritui gloria, imperium, honor, & adoratio, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Quod magnum est bonum in nos peccantibus peccata dimittere, & de eleemosyna, Homilia XXXVI.



ICVT diuitum liberi monilia circa collum aurea gestant, nec vnquam ea deponunt, sed tanquam nobilitatis insigne circumferunt: sic & eleemosynam charissimam nos ipsos semper oportet induamus, ostendentes quōd misericordis patris sumus filij, qui facit hunc solē oriri super bonos & malos. Sed nō credūt infideles: igitur per hac credent, si nos hac operemur, si videat quod omnium misereamur, & illū inscriptū habeamus praecceptorē, scient quōd illum imitātes hoc facimus. Eleemosyna, inquit, & fides vere. Bene ait, vere: nō ex rapina, nō ex furto. Hoc enim non est fides, nō veritas. Nam furentē mentiri necessarium est, & peierare oportet: tu vero nō ita, sed cū eleemosyna fidē habeas. Circundemur hoc ornamento, torquem collo faciamus aureū, eleemosynā dico, donec hic moramur: cū enim haec atas transierit, non amplius hac vtemur. Quo modo: nō ibi sunt pauperes, non pecunia, non mendicitas. Donec sumus pueri, ne nos hoc exuamus monili. Sicut enim circa pueros geritur, vt cū viri facti fuerint, haec auferantur, & ad aliū tradantur ornatum: sic & circa nos. Non amplius per pecunias eleemosyna remanebit, sed altera quaedam multo maior. Itaq; ne nos hac priuemus, curemus animam apparere speciosam. Magnum est & pulchrū & preciosum eleemosyna: donum est magnū, imō vero magnum bonū, si pecunias contemnere discamus, alia quoque discemus. Hinc enim intueri quot bona pariātur. Dans eleemosynam, sicut oportet dare, discit aspernari diuitias: qui pecunias didicit aspernari, malorum radicem excidit: itaq; non minus accipit quā praestat beneficiū, nō eo solū quōd debitū & retributio sit eleemosynae reposita, verū & quōd anima sapiēs & alta, fiat & diues. Qui dat eleemosynā, discit nō admirari pecunias, neque aurū. Hoc autē instructa mente maximū in caelū ascendendū principium accepit, & innumeras contētōnis & litis & inuidiae ac tristitiae sustulit occasiones. Noctis enim, noctis & vos, quōd omnia ppter pecunias, & infinita propter pecunias bella: qui autem has contemnere didicit, semetipsum in tranquillitate constituit, non amplius iacturā formidat, hoc enim docuit eleemosyna, non amplius res proximi concupiscit. Quo modo nanq; qui sua dispergit, & largitur? Non vltra locupletati inuidet, quo modo nanq; cum velit pauper fieri: sua purgat oculum animae. Et haec quidē in hoc seculo, quae vero sunt in illo, nec dicere licet quanta consequetur bona. Nō extrinsecus cū fatuus manebit virginibus, sed cū prudentibus ingrediatur cum sponso, ardentibus habens lapidas, & in virginitate tabefactis, qui nec illos quidem gustauit labores, erit melior. Tāta vis est eleemosynae, cum multa fiducia suos introducit alumnos: est enim caeli nota ianitoribus, sponsalis thalami fores obseruantibus, quin & venerabilis, & quos sui cultores agnouerit, cum multa introducet libertate, & cōtradictet nemo, sed omnes cedent. Nam si deum in terram deduxit, & hominē fieri persuasit, multo magis in ca-

lum hominem poterit reducere: magna enim est ipsius potentia. Si igitur ex misericordia & clemētia deus homo factus est, & vt feruus fieret, periuuatum: multo magis seruos in ipsius inducet domum. Hāc amemus, hāc diligamur, nō vno die vel altero, sed in omni tēpore, vt nos agnoscat. Si ipsa nos agnouerit, & dominus agnoscerit: si non agnouerit ipsa, ignorabit & dominus, & dicit: Nescio vos: ait enim, Magna res homo, & preciosa vir misericors. Hāc maior est gratia, quam mortuos resuscitare. Multo nanq; maius est, quam in nomine lesu mortuos suscitare, esurientes pascere Christum. Nam hic quidē tu de Christo bene mereris: illic autem ipse de te. At merces est in bene gerēdo, nō in bene patiēdo. Hic enim, in signis in qua, ipse deo debes, in eleemosyna vero deū habes debitore. Est autē eleemosyna, cū prompte prestatur cū largitate: cum non dare, sed accipere te putaueris: cū tanquā beneficiū accipies, & quāstum faciens, non autē iacturā, quoniā hoc neq; gratia: oportet enim alteri misericordiam impendentem gaudere, non indignari. Nam quo modo non absurdum, si soluens alterius tristitiam ipse tristeris? Non enim amplius eā esse finis eleemosynam. Nam si mōres quōd alium à mōre liberaueris, extremā prāfers crudelitatis & inhumanitatis significationē. Satiū enī est non liberare, quam hoc modo liberare. **Quid vero tandem homo tristeris?** Nōne quod ne tibi minuatur aurum: Si talem habes voluntatē, nec omnino des: si non confidis quōd in cōlis tibi multiplicatur, ne prābeas. Sed hic retributionem quāris: quare sinas eleemosynā eleemosynam esse, & non quāstum. Multi quidem & hic receperunt, sed non hoc recepere modo, sed non ideo plus habituri nihil hic recipientibus. Sed quidam horum tanquam infirmiores, quoniā illic repositis nō satis trahebantur. Et sicut gulosi, insolētes, expertes honestatis, & ventris serui, ad regale vocati conuiuū, nec congruam horam expectantes, paruulorum infantum more suā corrumpunt leticiā, prāuenientes, & vilioribus seipos cibis saturantes: ita scilicet & hi mercedem hic exquirentes, & accipientes, futuram diminuunt. Et fōnerans quidem post multos annos fortem recipere concupiscis, cum periculo neque fortem recipiendi, vt mōra maius accipias fōnus: hic vero statim repetis, & hāc cum non hic semper, sed illic continue sis mansurus: non hic iudicari, sed illic pōnas subire debeas. Et si quis tibi quidem domos vbi manere nō debeas parafet, magnum existimares detrimentū id factū: nunc autē hic vis locupletari, vnde frequenter & ante vesperam es migraturus. Nescis quōd in aliena regione moramur tanq; hospites & peregrini? Nescis quōd peregrinorū est expelli, cū nec expectauerint neq; sperauerint: quod & nos patimur: propterea quicquid cōparauerimus, hic dimittimus. Nō enim permittit dominus migrātes ea simul auferre, siue domos edificauerimus, siue coēmerimus agros, siue seruos, siue supellectilia, siue qd aliud huiusmodi. Nec tantum non permittit abeuntes quicquā asportare, sed neq; tibi mercedē cōputat: Tibi nanq; prādidit, quōd non edificabis, nec impendes aliena, sed tua. Quid igitur tua dimittens, alienis operaris, & erogas, vt & laborē, & mercedem amittas, & extremam subeas vltionē: Ne quāso sic agas, sed postquā natura sumus peregrini, simus & voluntate, ne peregrini fiamus illic ignobiles & abiecti. Nā si ciues hic fieri voluerimus, neq; hic erimus, neque illic: si vero peregrini, sicut sumus, permaneamus: & ita degamus, sicut peregrinos degere par est, ciuium & hic & illic capiemus

1. Pet. 2.

fiduciam. Iustus enim, & nihil habens, & hic, & vbiq; tanquam in suis conuersabitur, & in cōlū reuersus, sua videbit aterna tabernacula. Et neq; hic aliquid patitur infestum: nec enim eum quispiā exulem facere poterit, terram omnem patriam habentem: & suam recipiens patriam veras videbit diuitias. Vt igitur vtraque lucremur, & presentia, & futura, congrue substantiam vtriusque: sic enim erimus cōlorum ciues, & multam assequemur fiduciā. Quoniā vbi quāso utilis erit qui eleemosynam non facit: leiuas quotidie verū & tunc virgines illā, sed nihil eis pfuit. At oras, & quid hoc? Absque eleemosyna sterilis oratio, omnia immunda absque hac, omnia inutilia, maior virtutis pars est amputata. Qui nō diligit fratrem suū, inquit, deum nō nouit: tu vero quo modo diligis, neq; parua hāc & vilia volens ei cōmunicare: Dic mihi, temperanter agis: Quā de causa nōne quia pōnam timuisti? Nequaquā ex virtute, sed à natura negociū obis. Quoniā si moderate vitis pōnam veritus & tantam sustines violentiam, tanquā tyrannidē: multo magis eleemosynas facere fuerat opus. Nō enim par est corporū vincere concupiscentiā, & pecuniarum, sed maior illic est labor. Cur tandem quoniā voluptas quidem naturalis est, & corpori nostro insita & ingenta, pecuniarū autē cura nequaquā: hoc est id, quo deo possumus adæquari, miserari & misericordiam exhibere. Cum hoc itaq; non habeamus, toto sumus priuati: non dixit, Si ieiunetis, similes eritis patri vestro: neq; dixit, Si suppliciter oraueritis, similes eritis patri vestro: neq; Si virginitatem illā seruaueritis, similes eritis patri vestro. Nihil enim horum est circa deū, nec horū quicquā deus operatur. Sed quid est? Estote misericordes, sicut & pater vester qui in cōlis est. Hoc dei est opus, hoc si non habeas, quid habes? Misericordiam volo, inquit, & non sacrificium. Fecit cōlorum deus, fecit terrā, mare: magna hāc, & ipsius digna sapientia. Sed horum nullo tantum humanam attraxit naturam, quantum misericordia & clemētia: ait enim, Hoc quidem opus est sapientia & potentia, & bonitatis, multo magis autem quod seruus factus est. Nōne magis in hoc eum admiramur? Non in hoc magis acceptamur? Nihil ita deum attrahit, sicut misericordia. Et multa de hoc passim omnes propheta loquuntur. Misericordiā autē dico, non cū auaricia: non enim est misericordia: non enim spinā radix vnaquā oleum parit, sed oliuā. Sicut nec auaricia radix misericordiam: nec iniusticia, nec rapina: neq; calumnia trades eleemosynam, nec eā facias ab omnibus accusari. Nam si propterea rapis vt miseraris, nihil hac peius eleemosyna. Cū enim ex rapina nascatur, hoc eleemosyna non est: fauicia quāsdā est, & crudelitas, hoc est in deū cōmētia. Si suorum deteriora Cain offerēs sic offendit, aliena offerens quo modo non offendit? Oblatio nō aliud est quā sacrificium, nō immundicia. Et sordidus quidem manibus orare non audes: sordem autē & immundiciā offerens ex rapina nil mali censēs? Ipsas manus sordibus & immundicia nō sinis impleri: sed prius purificatas, ita postmodum eas offers. Et talis sordem nullā habet peccatum, illa vero accusatione digna atque calumnia. Ne solum igitur hoc cōsideremus, quo modo puras offeramus manus orantes, verū & vt quā offeruntur pura sint: quoniā hoc risus est: quem admodum si quis tabulā ablutam immūdis muneribus oneret: nōne subannatio hoc est, & risus? Sint manus purae. Non eas tantum aqua abluamus, verum & iusticia prius: hęc est manuū expiatio. Si vero sumus iniusticia pleni, si

Esaia. 1.

Matth. 5.

Psal. 50.
Hier. 4.

millies etiam eas laues, nullū est emolumentū: ait enim, Lauamini, mūdi estote. Quid igitur, nunquid dixit: Itē ad fontes, itē ad balnea, vel flumina? Nihil horum. Sed quid? Auferte iniquitates vestras ab oculis meis: hoc est mundari, hoc est ab inquinamento liberari, hāc est verē mundicia. Nam illa quidem parū profuerit, hāc autem apud deum fiduciā nobis largitur. Et illā adulteri quoque & fures, & homicidę possunt habere, & molles, & dissoluti viri, & fornicarij, & scortatores, & hi prāfertim. Hi nanq; sunt qui corporis mūdiciam omnium maxime curant, iugiter olentes vnguentia, sepulchrum abstergentes (sepulchrum enim eis corpus est) animam intus habētes mortuam. Igitur huius quidem puritatis & illi possunt esse participes, interioris vero nequaquā. Nihil magnum est, si corpus abluas: Iudaica est ista purgatio, inutilis & non expediens, cum interior desit. Sit aliquis habens putredinē, & vlcera corpus depascētia, circumlauit corpus, quis exitus: quod lucrum? Si vero corporis tabem nihil lenire poterit, cum superficies exterior obruatur & destruat, cū in anima fuerit tabes, quid nobis proderit corporis puritas? Nihil. Puris est nobis opus orationibus. Orationes autem purae esse non possunt, cum fōda sit anima quā parit eas. Nihil enim animam ita fōdā reddit, sicut auaricia atque rapina. Sed sunt quidā innumera per diem operati mala, qui circa vesperam se lauantes, ecclesiam ingrediuntur, cum multa manus extollentes fiducia, tāquam omnia per aquarū piscinam deposuerint. Si sic esset, magis foret emolumentū quotidie lauari: si sic esset, nec ipse balnea frequentare morarer, si mūdōs redderent, & à peccatis absoluerent. Risus ista sunt, & nugae, ludicra, & puerorum ioca. Nō auerfatur deus corporis sordes, sed animae pollutionem: eum enim audi dicentem, Beati mundo: nunquid corpore? Nequaquā: sed, corde mundi, quoniā ipsi deū videbunt. Propheta vero quid ait: Cor mundum crea in me deus: Et iterum, Ablue à malicia cor tuum. Magnum est bonū in consuetudine bonorū esse. Vide quo modo parua sint hęc, & inutilia. Et postquam anima cōsuetudine prāoccupata fuerit, non abscedit: neque priusquam ea peregerit, ad orationem accedere sustinet. Puta in consuetudine nos constitui: mūs lauandi & orandi, nec illotum hoc facere datur. Ideo libenter non oramus, si non lotis hoc manibus faciamus tanquam deum offensuri, & sub nequam constituti conscientia. Si parum hoc tantam vim habet, & omnino quotidie perficitur: si nos in eleemosynā consuetudine cōstituissemus, & hoc decreuissemus semper implere, ne manibus vacuis vnaquā orationis domum ingrederemur, res iam perfecta fuisset. Consuetudinis enim vis & in bonis, & in malis magna: ipsa nos trahēte, laboris iam nō indigebimus. Multi sunt in se signādi consuetudine confirmati, nec iam cōmonente opus habēt: quin & mente frequenter aliō vagāte, tanquam à quodam animato prāceptore manus spōte trahitur ad signum faciendum. In cōsuetudine quidam se constituerunt ne iurent, & hoc neque volentes, nec inuiti patientur. Igitur & in hac eleemosynā nos ipsos consuetudine constituamus. Quot opus erat nobis laboribus, vt hoc inueniretur remedium? Dic enim mihi, nisi foret eleemosynā subsidiū, cum multis criminibus admisis nos vltionis reos statuuissemus, nōne multū doleremus nōne diceremus, vtinam per pecunias à peccatis abluī liceret, & omnia dāremus: Vtinam pecuniis dei liceret iram expellere, neq; rebus vllis parceremus. Nā si hoc in aegritudine facimus, & in morte dicimus,

A Si mors redimi posset, ille omnia sua dedisset multo magis hoc. Et vide quanta sit dei misericordia, temporalem redimere mortem tibi non concessit, sed cōcessit aeternam mortem. Ne breuē, inquit, emas vitam hanc, sed vitam illam aeternam: illam tibi vendo, non hanc, non illudo tibi. Hanc & si ceperis, ceperis nihil. Ego noui quōd illa magna est, sed nō ita caupones, & seculares quāstus sectantes faciūt. Illis enim si liceat illudere quibus velint, pro magno paruum exhibēt: ipse vero nō ita, nos autem ita. Dic mihi, Si ad aliqū profectus mercatorem duobus propositis lapillis, hoc quidem falso, hoc autem precioso, & diuitiarum multum trahente, illius parui precium deponēs, magnum accepisses: nūquid illum incussasses? Nequaquam, sed potius fuisses admiratus. Idem & nūc propositę sunt duę vitę, temporalis, & aeterna: ipsas autē venundat deus. Sed hanc nobis, non illam vendit. Quid insipientium more puerorum tristamur, quod preciosam accepimus? Potest igitur, inquit, pecuniis vita redimi? Potest, si nostra, & non aliena erogemus: si non faciamus imposturam. At inquit: Mea post rapinā sunt. Non tua, imō sunt illius: aliena sunt, licet eorum millies sis dominus. Nec enim si depositum acceperis, tempore quo depositor peregrinatur, hęc tua sunt, licet apud te iaceant. Si igitur quā à volentibus, & gratias habentibus in depositum accepimus, nostra nō sunt, nec illo tempore quo tenemus: multo magis hęc, quā inuitis & nolētibus rapimus, proximi sunt: ille eorū est dominus, licet millies ea retineas. Illa vero nostra est virtus. Pecunia vero ne nostra quidē, nostra sunt, nedum aliena. Sed nūc quidem nostrū est, cras vero nō iam nostrum. Virtutis autem bona sunt nostra: nō enim hęc sicut illa iacturā facit, sed omnibus tota prēsens adest. Hāc itaq; possideamus, & contemnamus pecunias, vt vera cōsequi bona possimus: quā nos vtinam omnes mereamur, gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi, &c.

De eleemosyna & misericordia, Homilia XXXVII.
ad Corinthios prima.

CVM hominem diligat dominus, charissimī, multam prāceptis suis immiscuit lenitatem, vt non solum ex prācepto, verum & ex propria mente multa faciamus. Poterat enim, nisi hoc voluisset, prācepta magis intēdere, & dicere. Qui nō semper ieiunat, puniatur: qui virginitatem non seruat, in eum animaduertatur: qui prāsentia non exiit omnia, supremam exoluat pōnam. Sed hoc nō fecit, tibi, si velis, largitatem exhibendi prābes occasionem. Et propterea cum de virginitate loqueretur, dicebat: Qui potest capere capiat. Et ad diuitem hęc quidem prācepit, hęc autem suā potestati dimisit. Non enim dixit, Vende quę habes: sed si vis perfectus esse, vende. Nos autem non tantum nō largitatem prāferimus, neque prācepta transcendimus, verum & à iustorum mensura multum deficiamus. Et Paulus quidem esuriebat, ne impedimentum daret euangelio: nos vero neque reposita nobis tangere audemus, innumeras videntes animas subuertit: dicimus enim, Rodat tinea, & nō comedat pauper: absumat vermis, & nudus non induatur: omnia tēpore consumantur, & Christus non pascatur, licet esuriat. At inquit: Quis hoc dixit? Hoc est autē ideo valde malum, quōd non verbis, sed operibus ista dicuntur. Minus enim esset mali si diceretur in verbis, quā cum agitur in factis. Nōne quotidie ista proclamat inhumana & crudelis & tyrānica vanitas captiuus suis: Proponuntur

Matth. 19.

ponuntur & calumniatoribus, & latronibus, & insidia-
toribus ad escam nostra, non autem esuriētibus, neque
indigentibus alimentū. Nōne vos enim facitis latro-
nes? nōne vos inuidorū igni fomitē prabetis? nōne
vos facitis fugitios & insidiatōres, velut escā vestras
proponentes diuitias? Quis furor autem est iste? Furor
enim est, & manifesta dementia, vestibus quidem arcas
parare, ad dei verō factū imaginem & similitudinem,
nudum & tremētē prae gelu, vixq; stantem rectū ne-
gligere. At inquit: Simulat tremore & infirmitatem.
Nō times ne fulmem ab hoc verbo cœlitus accēsum in
te feratur? *Disrumpor enim ab indignatione, parcite.*
Tu quidem vētre tumens & pinguis, & ad profundam
potum producens vesperam, & mollibus calefcēs stra-
gulis, non te dignū dare pœnas censēs, cum tam inique
dei muneribus vtaris: (nec enim vt inebriemur est vi-
num: nec vt crapulemur, esca fuit facta: nec vt vētrem
disrumpamus, cibi) paupere vero miserum, nihilo mē-
lius mortuo habentem, exquisitas exigis rationes? Nec
Christi times tribunal illud horrēdū & terribile? Nam
& si simulat, ex necessitate simulat, & egestate, propter
sœuiciam & inhumanitatem tuam, quæ talibus personis
supplicatibus ad misericordiā nō flectitur. *Quis enim*
tam miser & erumnosus, vt nulla premēte necessitate,
pro solo pane velit ita deturpari & plangere, talemq;
pœnam sustinere? Igitur illius simulatio fertur inhumani-
tatis tuæ præco. Quoniam enim supplicās & depre-
cans, & miserabilia fundens verba, gemens & lachry-
mās, totum circumiens diem, neq; necessariū inuenie-
bat alimentum, fortē hanc artem excogitauit, non sibi
tantum, quantum tibi dedecoris & accusationis inferen-
tem. Nam ille quidē misericordiā inuenire dignus est,
quod in tantā deuenit necessitate: nos autē innumeris
digni suppliciis, quod pauperes talia pati cogimus. Si
nanq; de facili flecteremur, nūquā ille talia subire ma-
luisse. Et quid dico nuditatē & tremorem? Hoc enim
horribilius dicā, quod & liberos immaturā agētes eta-
tem quidā excæcare sunt coacti, vt nostrā penetrarent
infensatam duriciem. Postquam enim vidētes, nudiq;
circumeuntes, nec ab ætate, nec ab erumna crudeles fle-
tere potuerunt, his tot malis aliam grauiorē adiecere
tragœdiam, vt famē soluerent, leuius esse putantes, hoc
cōmuni lumine priuari, & splendore omnibus concessō
carere, quā cū fame cōtinuam habere pugnā, & mi-
ferrimam mortē sustinere. Quoniam enim paupertatis
misereri non dedicistis, sed gaudetis calamitatibus,
vestram implent improbam libidinem, & sibi & vobis
gehennæ flammam acriorem accendētes. Et vt sciatis,
quod propterea talia fiunt, signum vobis dicam mani-
festum, cui nemo cōtradecere poterit. Sūt alij pauperes
leues, & mēte sublimes, & nescij famem pati, sed potius
omnia quā hanc sustinentes: hi vobis frequēter & ha-
bitibus, & verbis miserabilibus occurrentes, postquam
nihil profecerunt, omīssis supplicationibus illis, præsti-
giatores iam nobis adduxerūt: hi quidem calceamen-
torum pelles elaboratorum mandentes, hi vero capiti
acutos circūfigentes clauos. Alij glacie concretis aquis
nudo ventre adhærentes, alij vero his alia sustinentes
absurdiora, vt improbum statuāt spectaculum. Tu ve-
ro dum hæc fiunt, assistis ridens & admirans, & alienis
insultans malis, dum communis natura dedecoratur.
Ecquid his maius faciat sœuus dæmon? Postmodum vt
promptius hæc faciat, copiosius præbes argentum. Et o-
ranti quidem, & deū vocanti, & accedenti cum huma-
nitate, neque respondere dignaris, neque respicere.

disrumpor
fringe d'pobie q' le den
op
ciep
tragedia de facie de bozalhos

236
A Quin & grauius illa loqueris verba, cum iugiter infesta-
uerit: Hūc oportet ne viuere? an omnino respirare, vel
solem hūc cernere? In illos autem & hilaris, & liberalis,
tanquam sis præmij propositō, & editor scurrilis & fa-
tanicæ turpitudinis illius. Et propterea rationabilis
hæc ponētibus certamina, & nihil erogantibus, donec
alios cruciari videant, hæc verba dicerētur: Viuere de-
cet hos? respirare ne penitus, vel solem hunc cernere in
cōmunem peccātes naturam, in deū immittentes con-
tumeliam: Cum enim deus dicat: Da elemosynam, &
do tibi cœlestē regnum, nō audisti. Diabolo autem cap-
tū confixum clauis ostendente, repente factus es libe-
ralis. Et plus potuit flectere maligni dæmonis adinuen-
tio tantum habens nocumētum, quā dei promissio,
bona ferens innumera. Cum opus fuerit, si fuisset etiam
erogandum aurum, ne talia fierent, aut fieri viderētur,
omnia facere, aut pati, vt hæc multa tolleretur infania:
vos autem vt fiant, & fieri spectentur, omnia facitis &
negociamini. Adhuc igitur interrogas quæso, quāmo-
do gehenna? Sed ne amplius hoc interrogas, sed quo
modo sola vna sit gehēna. Quot enim hi pœnis digni
sunt, qui sœuum hoc & immite conuocantes spectacu-
lum, & ridentes in quibus opus erat lugere tam illos
quā nos ipsos, imō verō vos, talia subire deformia
compellunt? At inquit: Non cogo. Dic mihi, quo mo-
do non cogis, humilioribus quidem & plorantibus, &
deum protestantibus nec intendere sustinēs, his autem
& largē præbens argētum, & multos circumstans ad-
mirantes? Abstinemus ne, inquit, miserentes eorum?
Tun' hoc imperas? Nō hoc est, homo, misereri, tantam
pro paucis obolis pœnā exigere, iubere vt propter ne-
cessarium se percuciat alimentū, & in multa capitis cu-
tem secare tam amarē & miserabiliter. Bona verba, in-
quit: nō enim nos sumus capita cōfigētes illa. Vtinam
tu, nec esset malū tam graue. Qui nanq; iugulat aliquē,
iubete seipsum iugulare multo peiora facit: quod quidē
& in his accidit. Acutiores enim sustinet dolores, cum
ipsi quoq; ministri malorū fieri iubentur præceptorum
huiusmodi. Et hæc Antiochiæ, vbi primū appellati sunt
Christiani, vbi fuerunt omnibus hominibus mitiores,
vbi multus apud antiquos elemosynæ fructus vigeat.
Nec enim tātum præsentibus, verum & lōginquis mit-
tebant per magnum interuallum, & hæc cum famem ex-
pectaretur. Quid igitur, inquit, oportet facere? Hanc
quidē feritatē suppressere, omnibus autē egenis persua-
dere, quod hæc quidē agentes, nihil accipient: mānere
vero petentes, multam inueniēt liberalitatem. Et si hæc
didicerint, licet sint omnīū miserissimi, nō amplius eli-
gēt cruciari. Ego vadimonium præsto: quin & gratias
vobis habebūt, quod ipsos à risu liberastis, & illo dolo-
re. Nunc autē pro aurigis quidē & liberos vestros tra-
deretis, & pro saltatoribus ipsas proderetis animas: pro
Christo autē esuriēte neq; minimā substantiæ partem
erogatis, sed si parum argenti dederitis, tanquā totum
exolueritis, ita vos geritis: nescientes quod nō dare, sed
cū copia dare, præsertim hoc est elemosyna. Propter
eaq; propheta non dātes simpliciter prædicat & beati-
ficat, sed copiose præbentes. Nec enim simpliciter dixit,
dedit: sed quo modo? Dispersit, dedit pauperibus. Quid
enim vtilitatis, cum tantū abundans dederis, quantum
si quis ex mari cyathum hauserit, & neq; generosum vi-
duæ mulieris animū imitatus sis? Quo modo vero di-
ces: Miserere mei deus secundū magnā misericordiā tu-
am: & secundum multitudinem miserationum tuarū
dele iniquitatem meam? cum secundum eius mi-
sericordiā

Acto. 6.

Matth. 25.

237
sericordiā ipse non miseraris, fortē vero neque securum
paruam. Etenim multum confundor, cum multos
video diuites equis cum frenis aureis insidentes, & post
se trahentes seruos auro micantes, & lectos habētes ar-
genteos, & aliam maiorem iactantiam: & cum pauperi
dandum fuerit, pauperimīs pauperiores redditos. Sed
solent dicere, habet communia bona ecclesiæ. Et quid
hoc ad te? Nec enim si ego dederō, saluaberis ipse: ne-
que si ecclesiā præbuerit, tu peccata tua deleueris. Nam
si propterea non erogas, quod egenis ecclesiā dare de-
beat: quoniam orant sacerdotes, tu nunquam orabis?
Et quoniam alij ieiunant tu iugiter ebrius eris? Nescis
quod non tam propter pauperes elemosynam deus,
quā propter ipsos impendentes instituit? Sed sacer-
dotem habes suspectum. grauiſſimum quidem & hoc
peccatum, tamen nō subtiliter exquirō. Omnia per te-
ipsum perage, & ita duplicem lucraberis mercedem.
Nam quæ nos de elemosyna dicimus, nō vt nobis of-
feras dicimus, sed vt ipse per te ipsum ministres. Mihi
nanque deferens fortalsis & inani gloria capieris: fre-
quenter autem & scandalizatus recedes, eo quod mala
suspicieris. Si vero per vosmetipsos omnia faciatis, & à
scandalis absoluemini, & ab inepta suspicione, maiorq;
vobis erit merces. Non itaque vos huc cogens confer-
re pecunias, hæc dico: neque pro sacerdotibus quibus
detrahitis, zelum præferens. Nam si fuerat indignan-
dum & dolēdum, pro vobis oportebat dolere, qui ma-
le dicitis. Nam male quidem audientibus incaſsum &
sine causa maior erit merces: dicentibus autem, iudi-
cium & vltio grauior. Non itaque propter eos hæc di-
co, sed vestri curam gerens, & sollicitudinem. Quid e-
nim mirum, si quidam in generatione nostra suspecti
sunt, cum inter sanctos illos angelorum imitatores, ni-
hil proprium possidentes, apostolos dico, murmuratio
foret in ministerio viduarum, quod despicerētur pau-
peres, cum nemo quippiam suorum proprium esse di-
ceret, sed essent illis omnia communia: Ne has itaque
prætedamus purgationes, nec excusationem esse cre-
damus, quod ecclesiā multa possideat. Cum enim ipsius
substantiæ magnitudinem videris, & pauperum in ea
descriptorum greges cogita, ægrotorum cateruas, in-
numerosum occasiones ministeriorum scrutare, inue-
stiga curioso. Qui prohibeat nemo. Quin & rationem
vobis reddere sumus parati: verum dilationem volo.
Cum nanque rationes dederimus, & nō minorem esse
prouentu demonstrauerimus impēsam, quin & inter-
dum maiorem: libenter à vobis illud interrogare, cum
illo migrabimus, & Christum audiemus dicentem: Esu-
rientem me vidistis, & non paupis: nudum, & non in-
dulistis: quid dicemus? quid vero respōdebimus? Illum
& illum in mediū agemus, qui talia negligunt, an sa-
cerdotum quosdam suspectos: Et quid hoc ad te? Nam
ego tibi obuioc quæ ipse peccasti: horū autē purgatio,
propria diluere crimina, non alios ostēdere paria pec-
casse. Nam & ecclesiā propter pusillanimitatē vestram
ea cogitur habere, quæ nunc habet. Quippe si secundum
apostolicas leges omnia fierent, ipsius prouentum esse
mentem vestram oportebat: quod penū esset tutissi-
mum, & inconsumptus thesaurus. Nunc autem quan-
do vos thesaurizatis super terram, & in vestris omnia
penibus recluditis: hæc autem impendere cogitur vi-
duarum collegiis, virginum choris, hospitiū visitatio-
nibus, peregrinantium ærumnis, compeditorum cala-
mitatibus, male valentium necessitatibus & mutilato-
rum, aliisq; talibus causis, quid agendum est? Nunquid

opus est hos homines auerſari, totq; suffodere portus?
Et quis occurrentibus sufficeret naufragiis, gemitibus,
luctibus & eiulatibus vndique concurrentibus? Ne te-
merē igitur & casu loquamur: nunc enim quod præue-
niens dixi, & rationes quidem vobis reddere parati su-
mus. Si vero contrarium quoque foret, & perditos ha-
beretis doctores, omniaq; diripientes, & auaros: nec ita
defensio vestra foret illorum nequicia. Clemētissimus
enim & sapientissimus vnigenitus dei filius, omnia vi-
dens, & sciens quod multos temporis longitudine, &
tam magno terrarum orbe sacerdotes accidit esse cor-
ruptos, ne subditorum torpor per illorū negligentiam
augeatur, omnem tollens torporis excusationem: Su-
per cathedram, inquit, Moſi sederunt scribæ & phari-
sæi: omnia quæcunque vobis dicunt vt faciatis, facite:
secundum autem opera eorum nolite facere: ostendēs
quod licet præceptorem habeas malum, nihil hoc tibi
obesse poterit, cū dictis intendas. Non enim ex his quæ
sacerdos egit, sed quæ audita neglexisti, ex his tibi deus
sententiam feret. Itaque si præcepta quidem facias, cum
multa tunc adstabis fiducia: si vero quæ dicuntur ne-
glexeris, etiam si mille perditos ostenderis sacerdotes,
nihil hoc tibi proderit. Quoniam & Iudas apostolus er-
rat, veruntamen nihil hoc pro sacrilegis & auaris vn-
quam in defensionem proponitur. Nemo poterit ac-
cusatus dicere, quod & apostolus fur erat, & sacrilegus,
ac proditor: sed hoc ipsum nos maxime puniet, & con-
demnabit, quod nec aliorum malis correcti sumus.
Nam & propter hoc illa scripta sunt, vt eorum æmula-
tionem fugiamus. Quapropter illum & illum sinentes,
nobis ipsis caueamus: nam quisque nostrum pro se deo
dabit rationem. Igitur vt rationem hanc cū bona red-
damus purgatione, nostram instituamus vitam, & lar-
gam egenis dexteram extendamus: scientes quod hæc
sola nobis est excusatio, si nos ipsos ostendamus man-
data peregisse, nulla vero præterisse. Et si hanc præfer-
re poterimus, intolerabiles illos gehennæ dolores effu-
giemus, & futura consequemur bona: quæ nos vtinam
omnes assequamur, gratia & clementia domini nostri
Iesu Christi, per quem, & cum quo patri gloria, honor
& imperium, cum sancto & viuificante spiritu, nunc &
semper, & in secula seculorum, Amen.

De humilitate & quiete. Homilia XXXVIII.

NE ALTVM sapiamus o homines, nec infle-
mur, cū terra simus & cinis, fumus & vmbra.
Dic nanque mihi, cur altum sapi? Elemosy-
nam dedisti, & exhausti pecunias. Et quid
hoc, cogita, nisi te deus diuitem facere voluisset: cogita
pauperes, quinimō cogita & quod corpora tradiderūt,
& postquam tradiderunt se modoſte gerentes, miserōs
millies censuerunt. Tu propter teipsum erogasti, Chri-
stus propter te: tu debitum reddidisti, tibi Christus non
debebat. Futurorum incertitudinem respice, nec altum
sapias, sed time: ne superbia virtutem diminuas. Vis ve-
rē magnum aliquid operari? nunquā te suspicieris tan-
quam magnorum meritorum. Sed es virgo? Verum &
illæ virgines fuerunt: sed propter sœuiciam & inhumani-
tatē, nihil eis virginitas profuit. Humilitati nihil æ-
quale, hæc est bonorū mater & radix, alitrix & occasio,
simul & vinculū: hac semota, abominabiles & scelesti
sumus & immūdi. Sit enim, quæſo, mortuos aliquis sus-
citans, & sanans claudos, & leproſos emūdans cum in-
solentia, nihil hoc sceleratius, magis impiū nihil, nihil
prophanus. Nihil esse te putes. Verbū habes & docēdi
gratiam,

Matth. 23.

Rom. 11.

Luca. 7. 5

Ipsal. 49.

gratiam, ne propterea putes te plus aliis aliquid habere. Propterea maxime debes humiliari, quod pluribus donis præditus es. Cui nãque plus dimissum est, plus diligit. Igitur oportet & humiliari, quod alios prætergressus in te deus inclinauit. Frequenti enim & hoc tibi perditionis causa fuerit, nisi vigilaueris. Quid altũ sapias, quoniã per verba doces: sed hoc facile, verbis medicari. Doce me per vitã tuam, hæc est optima doctrina. Dicis quod opus est modestiam sequi, & longũ super hoc trahis sermonẽ, & inoffense fluens, dicendi copiam ostentas. Sed te melior ille qui per opera hoc me docet. Nõ enim disciplina tam a verbis, quã a factis animẽ solẽt intromitti. Quoniã si non habueris opera, non tantum loquens nõ profuisti, sed & potius læsisti. Melius est tacere. Quare: quoniã opus mihi reddis impossibile. Cogita nanque quod si tu tãta differens non efficis, multo magis ego venia dignus. Propterea propheta dicit: Peccatori autẽ dixit deus, quare tu enarras iusticias meas? Maius enim hoc damnum, cum aliquis bene verbis docẽs, per opera doctrinã impugnat. Hoc fuit multorũ in ecclesiis malorũ causa. Propterea parcite quãso, si vobis in hac indignatione sermo prolixior habetur. Multa multi faciũt, vt in medio cõstituti, longam extendant orationẽ: & si plausus quidẽ a multitudine cõsequantur, hoc eis regno simile factum est: si vero cum silentio sermonẽ finierint, silentij tristitia fit illis gehẽna molestior. Hoc ecclesiã subuertit, quoniã neque vos sermonẽ audire quãritis cõpunctiuum, sed qui delectare sono valeat, & verborũ cõpõsitione, tanquam citharædos & citharistas audietes. Et nos segniter & erũnose facientes, vestras sequimur concupiscentias, cum sit opus eas excidere. Et idẽ sit, ac si quis pater frigidus, & plus debito molli filio, licet agrotati placẽtam offerat, & aquam frigidam, & quicũque duntaxat delectare solent, vtilium vero nullã gerat curam: postmodum a medicis inculpatus, se purget dicens: Quid faciam? non sustineo flentem puerũ cernere. Miser & infelix, & proditor: nec enim huiusmodi patrem dixerim. Et quanto melius est breui cõtristatum semper incolumem reddere, quã momentaneã hanc læticiam continue mæsticia materiam facere: Hæc & nos patimur, verborum fucos conquirentes, & compositiones, & elegantem iuncturam, vt delectemur, nõ profimus. Consideramus quo modo videamur admirabiles, non quo modo mores cõponamus. Credite mihi, vera dico: dum mihi applauditur dicenti, per ipsum quidem tempus humanum aliquid patior (cur enim nõ verum fatear?) & gestio, & exulto. Postquam domum ingressus, plausores nihil adiutos esse cogitauero: & si quid profecisse debebãt, per plausum & laudes amisisse, doleo, gemo & lugeo: & tãquam omnia temerẽ dixerim, sic afficio, & mihi metipsi dico, Quæ mihi surdorum vtilitas, cum auditores ex sermonibus nostris lucrari nihil velint? Et frequenter legem ponere cogitavi, quæ plausus prohiberet, & cũ silentio, congruãque tranquillitate nos audire persuaderet. Sed tolerate quãso, & obedite mihi: & si videtur hanc sanciamus legem, iam audientium nemini licere cuiquam inter dicẽdum applaudere: sed si velit admirari, cum silentio miretur, prohibet nemo, Omne vero studium & promptitudo ad dictã præstetur suscipienda. Quamobrem applausistis? De hoc legem profero. Vos autem nec audire toleratis. Hoc erit multorum causa bonorum, & philosophiæ doctrina. Exteriores quoque philosophos audimus dicentes, & nullus vnquam plausus eos sequitur. Et apo-

stolis sermonem habẽtibus ad populum, nusquam hoc addiderunt, quod illis dicentibus in medio dicentem, plausibus auditores interromperent. Magnum hoc nobis lucrum, sed hoc sanciamus. Omnia cum quiete audiamus omnes, & dicamus. Nã si post plausus quidem abiremus, habentes quæ audiuius, maxime quidẽ nec ita laus utilis foret: sed non admodũ curassem, ne quis me fortẽ rusticitatis argueret. Sed quando nil amplius efficitur, nisi detrimentum, soluamus vinculum, tollamus exultationes, animã lasciuias excidamus. Christus in monte prædicauit, sed nemo quicquam dixit, donec sermonem impleuit. Non priuo volentes plausibus excipi, sed magis mirabiles reddo. Multo melius tacite audientem per memoriam in omni tempore plaudere, & domi, & in foro, quã omnibus perditis domum inanem redire, plausuum non habentem materiam.

B Quo modo nanque non deridendus auditor, & assentator magis, & simulator putabitur? quod bene quidem dixit doctor pronuncians: quid vero dixerit, demonstrare nõ sum idoneus. Hoc assentationis est. Nam citharædos quidem audiens, & tragædos hoc iure pateatur, vt pote qui dictionem similiter proferre nesciãt. Vbi vero non cantus est ostentatio, neque vocis, sed sententiarum & philosophiæ facultas, cuique dicere & enunciare facillimum est. Quo modo non igitur accusatione dignum est, si quis laudans, causam nequeat dicere, qua dicentem laudauit? Nihil ecclesiã tam congruum, quã silentium & tranquillitas. Theatris cõuenit tumultus, & balneis, & pompis, & foris: vbi vero de talibus dogmatis doctrina, tranquillitas, & quies, & philosophia, & multa pax esse debet. Hæc precor & suplico. Circumeo nanque loca quærens, quibus vestris prodessẽ valeã animis, nec hic paruus mihi modus esse videtur, qui non tantum vobis proderit, verum neque nos præcipitari permittet, neque laudem & gloriã capidine, neque delectãtia dicere, sed quæ profunt, neque circa compositiones, & verborum fucos, sed circa sententiarum virtutem omne temporis occupare momentum. Officinã intra pictoriam, & ibi magnum inuenies silentium: sit igitur & hic: nam & hic regias pingimus imagines, nullam vero priuatã per virtutis colores. Quid mihi rursus in hoc applauditis? Non hoc est facile. Sed quid, nisi multa consuetudine comparari possit? Stylus autem nobis est lingua, artifex vero spiritus sanctus. Dic mihi, nunquid vllus est in mysteriis tumultus: nõquid vlla turbatio? Cum baptizamus, cum alia cuncta facimus, nõne quiete & silentio cuncta sunt ornata? Hoc in cælo disseminatum est ornamentum. Propter hoc & a gentibus accusamur, tãquam ad ostentationem & ambitionem omnia faciẽtes. Ne igitur in meritis altum sapiamus, õ homines, sed cogitantes domini progenitores, omnem euacuemus tumorem. Sic enim & pharisæus publicano factus est posterior. Si vero vis magnum ostendere meritum, noli altum sapere, & tunc hoc magis ostenderis. Ne te putes aliquid effecisse, & totum feceris. Nam cum sumus peccatores, hoc nos esse quod sumus cogitantes, efficitur iusti, sicut & publicanus: quanto magis si cum iusti sumus, peccatores esse nos putemus? Nam si iustos ex peccatoribus facit, humilia de se sentire, licet hoc non humilitas, sed sanũ sit iudicium. Si igitur in peccatoribus sanum tantum potest iudicium, quantum humilitas in iustis poterit, collige. Ne velis itaque labores corrumpere, neque sudores succidas, nec in vacuum curras, post innumera certamina totum euacuans laborem: te nanque

Ezech. 36. 6

Danic. 3.

nanque melius merita tua dominus nouit. Vel si calicem aquæ frigidæ dederis, nec hoc despicit: siue obolum erogaueris, siue genueris dũtaxat, omnia cum ingenti suscipit beneuolentia, & reminiscitur, & magnas eis reponit mercedes. Quam autem ob rem tua continue commemoras, & nobis in medium proferis? Nescis quod si temetipsum laudaueris, non iam te deus laudabit: sicut è contra, si te miserum vocaueris, non desinet apud omnes te predicare. Nec enim vult labores tuos diminui. Quid dico diminui? Omnia nempe facit & fatagit, vt ex minimis te coronet, & circuit occasiones quærens, quibus a gehenna possis liberari. Propterea si vel vñdecimam opereris horam diei, integram erogat mercedem: si vel vñnam salutis occasionem habeas, ait: Propter me facio, ne nomen meum polluatur. Si vel genueris tantum, vel fleueris, hæc omnia statim arripit ipse in tuæ salutis occasionem. Nolumus igitur extolli, sed & nos dicamus inutiles, vt vtilis efficiamur. Nam si te quidem dixeris probabilem, licet prababilis existas, inutilis factus es: si vero te nominaueris inutilem, factus es vtilis, licet sis improbandus. Propterea meritum obliuisci necessarium est. At inquires: Quo modo possimus hæc nescire, quæ scimus? Quid ais: continue dominum offendens lataris & rides, & nescis quidem quod peccasti, cum obliuioni cuncta tradideris: meritum vero memoriam extrudere non potes, licet res sit fortior metus. Nos autem contrarium facimus: nam quotidie quidem offendentes, nec animaduertimus: si vero pauperi modicum argenti dederimus, sursum & deorsum circumuoluimus: quod est extreme dementia, & maxima colligentis iactura. Tutus enim meritum penus, obliuio meritum. Et sicut cum vestes & aurum in foro quidem exponimus, multos pro-uocamus insidiatores: si vero domi reponamus & cellemus, in tuto reposuerimus omnia: ita profecto & merita, si iugiter mente gestemus, dominum irritamus, armamus inimicum, ad furtum vocamus: si vero sciat ipsa nemo, sed quem scire solum oportet, in tuto iacebunt. Itaque noli iugiter circũferre, ne quis auferat ea: neque quod pharisæus passus est, & ipse patiaris, qui lingua circũferrebat ipsa, vñde diabolus ea rapuit, licet eorum cum gratiarum actione memoriam ageret, & deo totum attribueret: sed nec hoc ei sufficit. Non enim aliis exprobrare gratiarum est actio, coram multis gloriaris, in præuaricatos insurgere. Nam si deo gratias agis, id solum tibi fati sit, nec in homines inueharis, neque cõdemnes proximum. Vis gratiarum actionis rationem discere: tres audi pueros dicẽtes: Peccauimus, iniquitatem fecimus. Iustus es domine in omnibus quæ fecisti nobis, quoniã in vero iudicio omnia induxisti. Itaque propria confiteri peccata, hoc est deo gratias agere cõfitentem. Qui se quidem infinitorũ ostendit esse reum, nec a se dignam exigi pœnam: hic est qui maxime gratias agit. Cauemus igitur aliquid de nobis dicere: hoc enim & hominibus odiosos, & deo reddit abominabiles. Propterea quanto maiora præstitimus, tanto minor de nobis dicamus: sic enim gloriam assequemur maximã, & apud homines, & apud deum, quinimmo neque gloriam tantum apud deum, verum & mercedem, & magnam retributionem. Ne mercedem itaque reputes, vt capias mercedem: gratia cõfiteri saluari, vt ipse tibi se debitorem confiteatur, non modo meritum, verum & talis gratitudinis. Nam cũ bene quidem gesserimus, benefactorum duntaxat habemus debitorem: cum vero nihil nos meruisse putauerimus, ipsius

quoque dispositionis huiusmodi magis quã illorum, vt æquiualens sit hæc meritum. Si nõ igitur hoc adfit, nec illa magna videbuntur. Nam & nos seruos habẽtes, maxime tũc eos acceptos habemus, cũ postquam omnia beneuole ministrauerint, nihil magnum fecisse se censent. Itaque si tu quoque magna vis reddere merita tua, ea ne magna esse putes, & magna tũc erunt. Sic & Centurio dicebat: Nõ sum dignus vt intres sub tectum meum: & propterea dignus factus est, & admirationi super omnes ludæos habitus. Sic & Paulus dicens: Nõ sum dignus vocari apostolus: & propter hoc omnium primus factus est. Idem & Ioannes: Nõ sum dignus soluere corrigiã calceamenti eius: & ideo amicus quoque fuit sponsi. Et manum quam esse calceamento dixit indignam, hæc super caput suum Christus attraxit. Sic & Petrus dicebat: Exi a me, quia peccator homo sum domine: & idcirco factus est ecclesiæ fundamentum. Nihil enim deo tam gratum, quã cum extremis peccatoribus semetipsum cõnumerare. Hoc est totius sapientiæ principium. Sic enim humiliatus & contritus, non inani gloria ventilabitur, non irascetur, non inuidebit proximo, nõ vllum aliud vicium admittet. Nec enim contritam manum, licet millies contendamus, in altitudinem tollere poterimus. Si igitur & animã itidem conteramus: innumeri tumefaciẽtes morbi eam extollant, neque tãtillum eleuari poterit. Nam si quis de rebus lugens secularibus omnes animi depellit agritudines: multo magis qui pro peccatis hoc facit, sapientiã assequetur. At inquires: Quis ita poterit cor suum cõterere? audi Dauid maxime per hoc illustratũ, & ipsius animi cõtritionẽ intelliges. Post innumera siquidẽ merita, debẽs & patria, & domo, & ipsa excidere vita, secus ipsum calamitatis tẽpus vilem & abiectũ militem tẽpore suo cernens insultantem, & conuiciantem: non tantũ conuicium tulit, sed & ex militibus quendam illum interficere volentẽ prohibuit dicẽs: Sinite eum, quoniã dominus mandauit illi. Et rursus sacerdotibus arcã cum eo circumferre petentibus, non assensus est: sed quid ait? In tẽplo collocabo, & si liberauerit me presentibus malis deus, videbo decorẽ eius: si vero mihi dixerit, Nolui te: ecce ego, faciat mihi quod placitum est in cõspectu eius. Quod autem erga Saulem & semel, & bis, & sæpe factum est, qualem philosophiã non ostendit excessum? Etenim & antiquam legem transcendit, & apostolicis factum est præceptis propinquum. Propter hoc omnia diligebat a domino missa, non de his quæ fiebãt, iudicans: sed vnum solum elaborãs, vt in omnibus obediret, & leges ab eo positas sequeretur: & post tot sua cernens merita tyrannum, parricidam, fratricidam, cõtumeliosum, furem, pro se suum habentẽ regnum, nec ita scandalizabatur: sed si deo hæc videntur, inquit, me quidem pelli, & fugere, illũ autem esse in honore, amo & suspicio, & gratias habeo de innumeris ipsis malis. Nõ vt multi impudẽtes & temerarij, nec minimã meritum eius partem assecuti, si quos in prosperitatibus positos viderint, se vero minimã sustinuisse tristitiam, innumeris suas perdunt animas blasphemias. Sed non talis Dauid, sed omnẽ exhibebat mansuetudinẽ. Propterea quæ dicebat deus: Inueni Dauid Iesse, virum secundum cor meum. Talẽ & nos animã habeamus, & quicquid fuerimus passi, facile feremus: & ante regnum hic humilitatis prouẽtũ colligemus. Ait enim: Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Vt igitur & hic, & illic quiete fruamur magno cum studio omnium matrem virtutũ, humilitatem

militatem dico, in animabus nostris plātemus: sic enim & hoc vitæ pelagus absque fluctibus transire poterimus, & in tranquillum cœlestem illum nauigare portum, gratia &c.

De humilitate, & quod presentia quasi non sine oportet contemneret.

Homilia XXXIX.

LEMENS dominus noster, charissimi, cum nos presentia despicientes viderit, & hæc cum largitate præbet, & futura nobis seruat fruenda: & hoc & in pecuniis, & in gloria seculi presentis & in omnibus caducis rebus fieri cernere licet. Presentes itaque contemnamus diuitias, vt veras inuenire diuitias valeamus. Inanem hanc despiciamus gloriam, vt illa vera fruamur & stabili. Presente derideamus tranquillitatem, vt ineffabilia illa consequamur bona. Nichil presentia ducamus, vt ad futurorum possimus excitari desiderium. Nec enim presentibus affixus, illorum vnquam potest arcanorum bonorum admittere desiderium: tanquam lippitudine quadam corporeis oculis imposita, sic presentium concupiscentia ratione obtenebrante, nihilque permittente congruum videre. Neque rursus in contrarium circa illa desiderium habens immota stabiliatque bona, quamquam horum corruptibilitatem, & priusquam appareat tabescentium concupiscentiam capere potest. Pio nanque erga deum desiderio vulneratus, & futurorum nactus cupiditatem, presentium statum aliis cernit oculis: & nouit quod est figura tota vita presentis, & fallacia, & a somniis nihil distat: & propterea beatus quoque Paulus dicebat scribens: Præterit enim figura mundi huius: ostendens quod humanorum quodlibet in figura tantum est, & velut umbra, & somnium præterlabitur, nihil habens verum, nihil stabile. Quo modo non igitur puerilis sit mentis circa umbras attonitos esse, & in somniis altum sapere, & in his tabescere, quæ paulo post transeunt: ait enim: Præterit figura mundi huius. Cū igitur audieris quod transit, quid amplius iam quæris: Cū audieris quod figura tantum sunt omnia humana, veritate caretia: quare sponte deceptionem sustines, nec eorum mutabilitatem cogitans & instabilitatem, hæc quidem prætercurris: ad illa vero desiderium non transfers in æternum manentia, immota, stabilia, mutatione non admittentia. Nam vt doctoris gentium prudentiam discas, ipsum vide rursus alibi volentem omnium in presenti vita felicium vilitatem ostendere, qua sit vsus dictione: cum dixit, Nam quæ videtur, temporaria sunt. Nam siue diuitiarum dixeris copiam, siue gloriam, siue claritatem, siue principatum, siue potestatem, siue regnum ipsum, & diademate redimitum, & sublimem thronum. omnia hæc quæ videntur, temporaria sunt, breui tempore permanentiam præstantia, nec multum nobis fructum exhibentia. Quæ nos itaque vis inquirere, si omnia sunt ad tempus: Illa, inquit, quæ non videntur, non hæc quæ cernuntur, sed illa quæ corporis non conspiciuntur oculis. Et quis hoc consiliū præberet, vt visibilibus prætermisissis, inquirantur inuisibilia: ipsa nos, inquit, rerum natura doceat, quod hæc quidem licet videantur, breui tamen præterfluunt: illa vero quantum nunc cernere non possumus, æterna tamen sunt, perennem habent statum, finem ignorant, terminum non admittunt, nesciunt mutatione, cum stabilia sint & immota. Fortè iam & molestus esse videor, quotidie frustra cohortans. Sed quid faciam? Multa malicia vastatio, magna pecuniarum tyrannis, magna virtutis penuria. Propterea vel admo-

1. Cor. 7.

2. Cor. 4.

Anitionis continuatione morbum vincere vellem & ad incolumitatem huc congregatos reuocare. Nam & propterea scripturarum expositiones facere studemus, & iustorum in medium virtutem producimus, & eadem inculcare non desinimus, vt per omnia vos ad sanctorum possimus imitationem inducere. Tandè igitur vel tarde propriæ salutis prouidentiam agamus, & tempore nobis ad vitæ præfinitionem concessio, conuenienter utamur, & dum adhuc tempus est, ad poenitentiam & peccatorum correctionem festinemus, & pecuniarum superabundantia ad nostram utamur animarum vtilitatem, & superflua pauperibus impèdamus. Quam enim ob causam, quæso, permittis aurum & argètum à rubigine consumi, cum opus sit in pauperum vètres exhauriri, vt in tuto reponens cellario, in tempore opportuno, cū maxime presentis vitæ subsidio egebis, auxilium inde nanciscaris: & hic abs te nutriti per illum diem fiducia tibi portas aperiant, teque suscipiant in æterna tabernacula: Sed neque vestes à tineis absumi sinamus, & in arcis sine fructu marcescere, cum tot sint indigentes, & nudi circumeuntes: sed tineis nudum ambulantes Christum præferamus, & propter nos salutemque nostram nudum circumire sustinentem induamus, vt ipsum induere meriti, iudicij audiamus die: Nudus eram, & operuistis me. Nunquid enim gratia sunt præcepta, nunquid prægratia? Pereuntia, inquit, marcescentia, quæque incassum & sine vsu consumuntur, hæc vtiliter dispensare studeas, vt & ex læsione damnatum effugias, & de eis maximum tibi lucrum accumules. Multa siquidè est, & excedentis humanitatis, post tantam spiritualium delectationem, arcis & parietibus includere superflua: neque sustinere cognatorum egestatem consolari, sed eligere potius à tineis & ærugine consumi, & latronum manibus obnoxia esse, & pro eis poenas luere, quam hæc congrue dispèntes, pro his retributionem reportare. Verum & cum nos humiliauerimus, à dignitate nostra ne nos decidere putemus. Tūc enim magis exaltamur merito, maxima tunc admirationi licet esse. Quod enim altus humilis sit, humilis autem altus, sufficit quidem & hoc asseres Christi sententia: verū tamen & ipsam rem indagemus. Quid est humiliari? nonne vituperari? non accusari? calumniam pati? Exaltari vero, honorari, laudari, glorificari? Videamus igitur hoc quo modo fiat. Angelus erat satanas, semetipsum exaltauit. Quid ergo? nonne plus omnibus humiliatus est? nonne locum habet terræ? nonne ab omnibus accusatur & arguitur? Homo cum esset Paulus, semetipsum humiliauit. Quid ergo? nonne admirabilis habetur? nonne comendatur? non laudatur? non est Christi amicus? nonne maiora quam Christus fecit? nonne diabolus frequenter imperauit tanquam seruo? nonne tanquam licentem circumducebat? nonne deridebat eum? nonne illudebat? nonne contritum eius caput sub pedibus suis habebat? nonne hoc & aliis multum fidens precabatur? Quid dico? Extulerat se Absalon, se Dauid humiliauerat, vter exaltatus est? Quis gloriosus factus? Quid enim his verbis humilius, quæ de Semei beatus hic Propheta protulit, dicens: Sinite eum maledicere, dominus enim præcepit illi? At & in ipsis, si liber, factis examinemus. Humiliauit se publicanus, licet nec humilitatis factum id erat, sed iuste quodam modo se diiudicauit. Exaltauit semetipsum Phariseus. Quid ergo? Examinemus & facta. Sint duo diuites vtrique & honore multo præditi, & in sapientia potentiaque, & aliis secularibus excellentiis altum sapientes: postmodum ille quidem

Math. 23.

Esai. 4.

2. Reg. 16.

quidem & ab omnibus honores querat, & non accipies. A quidem & plus quam oportet exigit, & semetipsum exaltet: hic autem huiusmodi contemnat, in neminem propter hoc indignetur, & datum repellat honorem. Nonne hic priori longè sublimior? Gloriam enim aliter assequi non licet, nisi gloriam fugiendo. Nam donec quidem eam sectemur, nos fugit: cum autem eam fugimus, nos ipsa sequitur. Si vis esse gloriosus, noli gloriam concupiscere. Si vis esse sublimis, ne te sublimem facias. Et alioqui quidem honores non querentem omnes honorant, ambientem vero aspènantur. Solet enim humanum genus esse quodam modo contentiosum, & peruicax. Gloriam itaque contemnamus: sic enim humiles esse poterimus, vel potius alti. Noli temetipsum extollere, & ab aliis extolleris. Qui semetipsum extollit, ab altero non extollitur. Qui per semetipsum humiliatur, ab aliis non humiliatur. Magnum est elationis malum: stultum esse melius est, quam insolentem. Illic enim stulticia tantum est mentisque tarditas: hic autè stulticia peior est, & fatuitas cū furore. Stultus sibimetipsi malum est, elatus & aliis pestis, ex amètia hoc vicium nascitur. Non potest esse superbus, qui fatuus non sit. Stulticia vero plenus est superbus. Audi quendam sapientem, qui dicit, Vidi hominem apparentem esse prudentem apud seipsum, spem autem habet magis insipiens eo. Vides quod non temere dicebam esse malum fatuitate peius? Spem enim, inquit, habet magis insipiens eo. Propterea Paulus quoque dicebat: Nolite prudètes esse apud vosmetipsos. In corporibus qualia, quæso, valere dicimus, multum ne habentia tumorem, & multo spiritu intus, & aqua plena: an compressa, & humiliatam habetia superficiem? planum est quod hæc. Igitur & anima astuas & tumens peiorem habet veterno morbum, correpta vero ab omni morbo libera est. Quot igitur bona nobis parit humilitas: Quid vis, tolerantiam, lenitatem iræ nesciam, humanitatem, vigilatiam, solertiam? hæc omnia ex humilitate veniunt bona: contraria vero, ex superbia. Opus est superbum & contumeliosum esse, percussorè & iracundum, & amarum, & tristem, magis feram quam hominem. Fortis es, & altum sapis, nonne propterea magis humiliari debes? quare sapis altum in re vilissima? Nam & leo te est audacior, & aper fortior, nec es ad eos culex. At & latrones, & fures, & gladiatores, & serui tui, & forsatis ingratiore te fortiores sunt: hoc igitur laude dignum? Et in hoc altum sapiens, non hianti terra te condis. Sed pulcher es & speciosus. Cornicum ostentatio: non es pauone pulchrior, neque propter florem, neque propter alas. In auius est pennis victoria. Te multum coma præstat & flore. Verum & cygnus valde pulcher est, & alia aues multæ: quibus si fueris comparatus, temetipsum aspicias nihil. Frequenter autem & viles pueri, & innuptæ virgines, & meritoria mulieres, & molles viri, gloriam hanc habuerunt. Hoc itaque dignum vt extollaris? At es locuples. Vnde quid possidens? Aurum, argentum, lapides preciosos: hæc est & latronum ac homicidarum, & metalla scrutantiū gloria. Reorum labor hæc tibi gloria. Sed ornaris & comeris? Verum & equos comptos videre licet, & apud Persas camelos quoque videres ornatos, hominum vero scenicos onanes. Non confunderis in his alta sapiens, in quibus bruta tecum sociantur, & serui, & homicida, & molles, & latrones, & fures? Sed splendida erigis ædes: & quid hoc? Multæ cornices splendidius habitant, & honestiora tenent diuerforia. An non vides hos circa pecunias furentes, qui in agris solitariisque locis ædes

Prover. 26.

Rom. 12.

ædificauerunt cornicum habitacula: Sed propter vocem altum sapis: Cygno, iusciniave nunquam tu suauis canere poteris. At in artis varietate? & quid ape in hoc sapientius? Quis phrygio, quis pictor, quis geometres, huius opera poterit imitari? Sed in vestis subtilitate: verum hic araneæ tibi præstant. At in pedum velocitate? rursus primas ferunt bruta, lepus & caprea, & quæcumque iumeta pedum velocitate non sunt inferiora. Cæterum peregrinatis: sed non plus volatilibus: hæc enim facilius obeunt peregrinationem, neque viaticis opus habent, non iumentis, sed eis ad omnia sufficit ala. Hoc & nauis, hoc & iumentum, hoc & vehiculum, hoc & ventus: & quicquid huiusmodi quis dixerit. Sed acute cernis: tamen non sicut dorcas, nec vt aquila. At auditum habes acutum? sed asinus acutiorem. At olfactum? Verum canis te præcedere non sinit. At questuosus es? sed formicæ cedis. Sed aurum gestas? non ita tamen, vt Indicæ formicæ. Sanitatis autem intuitu, multo se melius nobis habent bruta, & bonæ habitudinis, & onera ferendi. Illa pauperiem non timent: ait enim, Respice volatilia cœli, quia non seminant, neque metunt, neque congregant in horrea. Igitur, inquires, nobis meliora deus bruta creauit. Vides quantum insit in circumspèctum, quantum indiscussum? Vides quantum nobis rerum examinatio conferat? Omnibus hominibus altiora sapiens etiam brutis vilior inuentus est. Sed nobis ipsis parcamus, nec tales imitemur. Neque quoniam natura nostra sensit altius, hominem sub brutorum gradū subducetes deseramus: sed eum illinc suscitamus non propter ipsum (nam ipse quidem dignus est talia pati) sed vt dei clementia demonstretur, & erga nos honor. Sunt enim quedam, in quibus nil habent bruta nobiscum commune. Quæ vero sunt hæc? pietas, & secundum virtutem vita. Hic ponere non poteris meretrices & molles, aut homicidas: ab eis namque diuisi sumus. Quid autè hoc est? Deum nouimus, ipsum agnoscimus prouidentiam, de immortalitate philosophamur. Prætereant hinc bruta, de hoc non contendant. Modeste viuimus, nihil hic habent bruta commune: ab eis in reliquis superati, propter hoc eis dominamur. Horum enim maior principatus, quoniam eis inferiores super ipsa regnamus: vt discas quod tu non horum es causa, sed qui te fecit deus, & rationem donauit. Retia vena bulaque eis opponimus & capimus. Modestia namque nobis est, humanitas, mansuetudo pecuniarumque cõtemptus. Sed quoniam & qui elatorum aliquis es, horum nihil habes: merito vel hominibus maiora sapis, vel brutis humilius. Talis enim est dementia, & audacia, vel ultra debitum extollitur, vel ultra modum humiliatur, nusquam custodiens mediocritatem. Angelis in hoc similes sumus: Regnum nobis promissum est, cum Christo chorea. Homo flagellatur, & non succubit: homo mortem contemnit, non tremit, non formidat, non plus concupiscit. Itaque quotquot tales non sunt, sunt peiores brutis. Cum enim in corporeis supereris, animi vero præstantiis careas, quo modo brutis non es inferior? Producat enim aliquem in malicia vigentium, & irrationalium, viuentium in deliciis & auaricia: equus est ipso bellacior, fortior aper, lepus velocior, speciosior pauo, cygnus dulcisonantior, maior elephas, aquila visus acutioris, ditiores cunctæ volucres. Vnde dignus igitur es brutis imperare? Ex ratione. Sed non inest: cum enim ea, non vt debet, vtatur, etiam illis peior est. Nam cum rationem habens sit illis irrationalior: melius erat, si nec ab initio rationalis factus fuisset. Non enim par

Math. 6.

par est principatū acceptum prodere, & ad tēpus non accipere. Nam & qui regnat & satellitibus peior est, ei melius esset si neque purpurā induisset: ita profecto & hic. Scientes itaque quōd & brutis sumus peiores, si virtute careamus, hanc exerceamus, vt efficiamur homines, quin potius angeli, promissaq; bona consequamur: quā nobis omnibus detur assequi, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cum quo patri, simul & sancto spiritui gloria, imperium & honor, nūc & semper, & in secula seculorum, Amen.

De penitentia, & quod non oporteat de seipso lapsum desperare, vel torpescere.
Homilia XL.

Ex actibus apostolorum.

MAGNA pœnitentiæ remedia fratres, igitur de seipso desperet nemo. Is vere dignus est desperatione, qui de seipso desperat: ille non iam salutem, neque spem habet. Non in malorum venisse profundum, est graue, dilectissimi: sed postquam veneris, ibi iacere. Nō in profunda cecidisse malorum, est impij: sed postquam ceciderit, cōtemnere: propterea debet semper esse sollicitus. Dic mihi: Propterea contemnis, quōd vulnera tot habeas incurabilia? Sed nullum est animæ vulnus incurabile. In corpore quidem multa sunt talia, in anima vero nullū: & pro illis quidē laborare non desinimus, pro his vero torpemus. Nōne vides latronem, quā breui tempore curatus est: Non intueris martyres, quā breui totum peregerunt: At non est nūc martyrij tempus, certaminum tamen est tempus: quod frequēter dixi. Ait enim: Volentes pie viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur. Qui pie viuunt, semper persecutionem patiuntur: etsi non ab hominibus, tamen a dæmonibus: quā quidem grauior est persecutio. Et ex prima præsertim remissione hoc patiuntur, qui non vigilant. An paruam credis perfectionē in remissione versari? Hoc est omnium grauisimum, hoc & perfectione peius: tāquam enim fluentum influens remissio animam emollit. Et quod ætas est & hyems, hoc est persecutio & remissio. Vt autem vobis ostēdam, quōd hæc est peior persecutio, audi: Somnum enim infundit animæ, multā hallucinationē & torporem, vndique vicia suscitāt, armat iram, furorem armat, armat voluptatem, inuidiam, inanem gloriam, emulationem. Sed in persecutione nil horum vexare solet. Sed timor ingressus, tanquā flagello quodam latrantem canem acriter percuciens, has omnes pestes ne clamare quidem permittit. Quis in persecutione in vanum gloriari poterit: quis voluptatem amplecti nemo, sed tremor magnus, & timor multā faciēns tranquillitatem, quietum portum comparans, animam faciēns reuerentem. Audiui quandoque patres nostros dicētes (apud nos enim nō fiat. Iubemur enim non petere tentationem) quod in antiqua persecutione viros vere Christianos videre licebat. Nemo pecuniarum curam gerebat, vxoris nemo, nemo filiorum, domus nemo, nemo patriæ. Vnum omnibus erat studium vitam suam saluare. Hi quidem in monumentis & sepulchris, hi vero in desertis latitabant, mulieres teneræ ac delicatæ continua fame detinebantur. Itaque considera, si qua tunc preciosi sumptus, si qua deliciarum erat delectatio. Subiit ne concupiscentia vnquam mulierem in sepulchro latentem, & expectantem ancillulam, vt veniat prandium afferens: & ne fortē deprehensa sit, trepidatē, & in timore tanquam in fornacē iacentem? Nūquid cogitat delicias vnquam suis-

se, vel mundum penitus esse: Vides quōd nunc est persecutio, viciis tanquam feris vndique nos vrgentibus. Nunc est persecutio grauis, nec esse persecutio putatur. Nam & hoc malū habet, quōd cum sit bellum, esse pax existimatur: vt nec aduersus eam armemur, nec insurgamus. Nemo formidat, nemo pauet & tremat. Si vero non creditis, gentiles interrogate persecutores, quādo Christianorum mores integriores, quādo cuncti probabiliore. Ad exiguum quidem redacta tūc erat multitudo, sed ad magnas virtutis diuitias. Quānam, precor, vtilitas, multum esse fœnum potius quā paucos lapides preciosos? Non in numeri multitudine, sed in virtutis probitate multitudo cōsistit. Helias vnus erat, sed totus mundus nō erat dignus, qui repēderetur ipsi. Et mundus quidem innumera milia sunt, sed non sunt milia, cum nec ad vnius mēsuram perueniant. Melior est vnus dei faciēns volūtatem, quā decem peccatorum milia: nam decem milia nondum ad vnum peruenērūt. Ne filiorum cupias inutilium multitudinem: hi deo potius & blasphemiam ingerunt, quā si non essent Christiani. Quid mihi multitudine sit opus: Maior est igni fames, hoc & in corpore quispiam videat, quōd melior est mediocris cum sanitate cibus, quā cum afflictione vitulus. Hoc amplior est ille cibus: ille cibus, hic morbus: hoc & in bello quispiam possit intueri, Melius est esse decē peritos & generosos milites, quā decē inexpertorum milia: hi præter id quōd nihil efficiunt, etiam operantes impediunt. Hoc in nauis quis videat. Melius est duos esse peritos nauas, quā innumeram multitudinē inexpertorum: hi nanque nauem submergerent. Hæc dico, non quōd in vestri multitudinem inimicus sim, sed quōd omnes probatos esse velim, nec multitudine cōfidere. Multo sunt plures gehennam ingredientes, sed maius est dei regnum, licet habeat paucos. Sicut arena maris erat multitudo populi, sed vnus saluauit eos. Vnus erat Moses, & omnibus plura potuit. Vnus erat Iesus, sed vnus sexcentis milibus plus potuit. Ne fatagamur hoc, vt multi duntaxat fiant: sed ante hoc, vt probabiles: cum hoc cōparatum fuerit, tunc & illud. Nemo domū spaciosam prius vult facere, sed prius firmā, & probatam, & tunc spaciosam. Nemo fundamēta iacit, vt derideatur: prius hoc queramus, & tunc illud cum hoc fuerit, & illud erit facile. Cū autem illud non sit, licet hoc sit, vtilitas nulla. Cum enim sint, qui possint in ecclesia fulgere, velociter erit & multitudo: cum huiusmodi vero desint, multitudo nunquam erit probabilis. Quot esse putatis in ciuitate nostra, qui salui fiant: infestum quidem est, quod dicturus sum, dicam tamen: non possunt in tot milibus centum inueniri, qui saluētur: quin & de his dubito. Quāta enim in iuuenibus, quæso, malicia: quātus in senibus torpor: filij curā gerit nemo, nemo zelum habet, vt senem respiciens imitetur: exemplaria deleta sunt, propterea neque iuuenes euadunt laudabiles. Ne mihi dicas id quōd multa turba sumus, hoc signum est hominum: & coram hominibus quidem hoc congrue dici posset, at corā deo, qui nostri non indiget, nequaquam: quōd autem & ibi frigidum est dictum, audi: Multos habens seruos, si corruptos habeat, quot mala patietur? Apud eū quidē qui nihil habet, hoc esse graue videtur, quōd ei nō ministratur: qui vero malos habet, & seipsum insuper perdit, & maior est iactura. Multo grauius enim est cum alijs quoque pugnare, & bellū suscipere, quā sibi metipso ministrare. Hæc dico, ne quis ecclesiā propter multitudinem admiretur, sed vt ipsam probatam

reddere studeamus: vt proprii quisque membri curam gerat, non amicorum, non cognatorum (quod semper dico) neque vicinorum tantum, verum & externos attrahite. Verbi gratia, Celebratur oratio, omnes iacent segnes, iuuenes & senes, piacula magis quā iuuenes, ridentes, cachinnantes, colloquētes (nam & hoc factum audiui) & alius detrahentes, super genua positi. Tu iuuenis ades, vel senex, increpa, cū videris, accusa vehementius. Si non tolerat, diaconum voca, minare, quā tua sunt exhibe: & si quid aduersum te fuerit ausus facere, omnes prorsus habebis cōspirantes. Quis enim tam irrationalis, qui te videns de talibus arguentem, & illos redargui, non adhareat parti tuæ? Abi capiens orationis mercedem in æde dominica. Seruorum hos censemus beneuolentiores, qui nullam supellectilem confuse iacentem despiciant. Dic enim mihi, si domi vas argenteum videris foris proiectum: licet ipse nō sis deputatus, tamen hoc non suscipies, & in domum feres? Si vestimentum temere proiectum, licet hanc curam non debeas, & præpositi sis inimicus, propter domini tamen beneuolentiam non hoc bene collocabis? Ita nunc quoque hæc vasa sunt, si videres inordinate iactata, compone, ad me veni non recuso: dic mihi, redde manifestum: omnia cernere non possum, parcite. Vide te quanta malicia terrarum orbem occupat. Nunquid temere dicebam, quōd multitudo sumus fœni, inordinatum mare? Non dico quōd illi talia faciunt, sed dico, quōd tantus est somnus in intrantes effusus, vt nec ista corrigant. Video rursus & alios loquentes rectos, dum oratio celebratur: eorum vero leuiore nō solum dum oratio perficitur, verum & dum sacerdos benedicit. O rem horrendam, quando salus erit: quādo deum placare poterimus? Ad ludum procedunt militares homines, & omnes cōposite videbis incedentes, & neglectum nihil. Sed sicut in vario ornatu, & pictura cōpositorum, ex singulorum ordinatione, magna quædam repente redditur harmonia, & consonantia: itidem & hic vnum scutum, vnum caput habemus omnes. Si vel minimum quid neglectum fuerit, totum est neglectū aque corruptum, & multorum ordini solius nosset dissolutio. Et id profecto tremendum est, quōd huc non venis ludum aut choream obiturus, & tamen stas incōposite. Nescis, quōd cum angelis constitisti: cū illis cantas, cum illis deum laudas, & stas ridens: Quōd fulmen non torquetur non tantum in istos, verum & in nos, nōne mirādum? Sunt enim ista fulmine digna. Adest rex, exercitum recenset, tu sub illius oculis stas ridens, & risum despicias: quousque accusamus: quousque redarguimus: nōne tanquam perniciosos, & perditos tales, & innumeris plenos malis ex ecclesia decebat expelli? Quando isti ridere desinēt, qui in horroris hora ridēt: quando a nugis abstinebunt, qui in orationis tempore loquuntur? Non adstantes reuerentur, non deū timent. An non sufficit nobis mentis negligentia, neque quod orantes alio circumagimur, verum & subreperē risum oportet, & ingentem cachinnum? Nunquid theatrum sunt præsentia: sed puto theatra faciunt hoc, infranes nobis iuuenes constituunt & incompositos. Quæ hic ædificatur, illic subuertuntur: nec hoc solum, sed etiam alia necessarium est ipsos immundicia repleri. Et idem accidit, perinde ac si quis expurgare locum velit, in quem fons superpositus cœnū superne demittat. Nam quantumcunq; purgaueris, rursus aliud influit: idem & hic accidit. Cum ingressos, a theatris immundiciam

A reportantes expiauerimus, eò rursus abeuntes maiorem suscipiunt sordem, tanquam consulto propterea viuentes, vt stercora nobis ingerant, & identidem veniant multum in moribus stercus ferentes, in moribus, in verbis, in risu, in negligentia. Mox rursus nos farcinas denuo, tanquam consulto propterea purgantes, vt cum eos mundos dimiserimus, rursus eos sordes cōgregasse videamus. Propterea vobis protestor sanis, quōd iudicium vobis erit, & condemnatio: & vos deo iam trado, si quis tumultuantem videns, vel loquentem, in illo præsertim tempore, non significet, nec corrigat. Hoc est oratione melius, orationem omittens illum increpa, vt & illi prosis, & tu lucreris, & ita possumus omnes saluari. Igitur in malicia constitutum negligat nemo: nemo virtute præditus dormitet, neque confidat huiusmodi. Frequenter enim eum meretrix præcedet, nec ille desperet: potest enim & primos anteire. Audi quid deus ad Hierusalem dicat: Dixi postquam fornicata est in omnibus his, ad me reuere, & non est reuersa. Quum igitur in vehementem dei charitatem reuerterimus, non meminit priorum: non est sicut homo deus: nec enim exprobrat præterita, neque dicit, quare tantum temporis distulisti: si pœnitentiam agamus: sed cum accesserimus, diligit, & cum ipsius timore carnes nostras confixerimus. Huiusmodi negotia non tantum in nouo gesta sunt testamenti, verum & in veteri. Quid enim Manasse deterius? Deum tamē habere propitium potuit. Quid Salomone beatius? Sed quia dormitauit, cecidit. Quin potius & in vno vtraque gesta possum ostendere, in huius patre: etenim & bonus & malus idem fuit. Quid Iuda felicius? sed proditor factus est. Quid Paulo miserius? sed factus est euangelij preco. Quid Matthæo deterius? at constitutus est apostolus. Quid inuidiosius Simone? Et ipse tamen factus est omnium miserimus. Quot tales alias vis videre mutationes, & quondam gestas, & quotidie nunc occurrentes: Propterea quidem dico, neq; scenicus desperet, nec ecclesiam excolens cōfidat. Nam ad hunc quidem ait: Qui stat, videat ne cadat: ad illum vero, Nunquid qui cadit, non resurget: Et remissas manus, & dissoluta genua roborate. rursus ait ad hos: Vigilate, ad illos autem, Surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Christus. Nam hi quidem quod habent, custodire debent: illi vero quod non sunt, fieri: hi sanitatem conseruare, illi ab ægritudine liberari. Laborant enim, & quoniam laborantium multi conualescunt, & valentium torpescit frequenter ægrescunt: ad illos quidem iterum ait, Ecce sanus factus es, amplius noli peccare, ne quid peius tibi fiat: ad hos vero, Vis sanus fieri? Surgens tolle grabatum tuum, & ambula. Grauis enim, grauis, inquam, paralytis est peccatum: quinimmo nō tantum paralytis est, verū & aliud quippiam grauius. Non enim est huiusmodi tantum in bonorum omissione, verum & in malorum operatione. Veruntamē etiam si sis ita dispositus, & parumper exurgere velis, omnia mala soluantur: licet annos octo & triginta habeas, si modo sanus fieri studueris, prohibet nemo. Adest & nunc Christus, & dicit, Tolle grabatum tuum: tantum velis exurgere, ne desperes: non habes hominem, at habes deum. Non habes, qui te mittat in natatoriam: at habes qui te natatoriam non sinit indigere. Non habes, qui te illuc proiciat: at habes, qui te iubeat grabatum tuum tollere. Non potes dicere, Dum ego vado, alius ante me descendit: nam si volueris in fontem descendere, nemo prohibet, non absumitur, nō minuitur gratia. Fons qui-

Isae. 6.

Luca. 23.

Matth. 27.

dem est perenniter emanans: ex illius abundantia cuncti sanamur, tam anima quam corpore. Accedamus igitur & nunc: nam & Raab meretrix erat, sed saluata fuit: & latro fuerat homicida, sed paradisi ciuis factus est. Et Iudas quidem cum esset cum praeceptore, periit: at latro discipulus in cruce factus est. Hec sunt dei mirabilia: ita Magi probabiles habiti sunt, ita publicanus euangelista factus est, ita blasphemus apostolus: haec intueri, nec unquam desperes, sed confide semper, & temetipsum excita. Attinge tantum viam cõferentem, & celeriter progredere, ne fores claudas, ne aditum obstruas. Breue tempus praefens, modicus labor: quod si multus etiam esset, nec ita cõgruum esset recusare. Nam etiam si circa pulcherrimum hunc laborem non desides, qui circa poenitentium virtutem est, & in mudo, omnino vel aliter laborabis: sed si labor & hic, & illic, quare non hunc eligimus multum habentem fructum, & magnam retributionem, licet nec idem sit labor hic & illic? Nam in secularibus quidem & continua pericula, & alia post alias iacturae, & spes incerta, & seruitas multa, & pecuniarum, & corporum, & animae consumptio, & tunc fructuum retributio spe non parum inferior, si etiam germinabit: nec enim semper fructum affert seculari sudor negotiorum, veruntamen & quando non ceciderit, sed vel multum protulerit prouentum, breui tempore permanet. Cum enim senueris, nec amplius sensum delectationis capacem habeas, tunc tibi labor affert retributiones: & labor quidem in vigenti corpore, fructus autem & deliciae in senio cõfecto & remisso, cum iam tempus & sensum maceravit, & nisi macerauerit, finis expectatio gaudere non permittat: illic autem non ita, sed labor quidem in corruptione, & moriete corpore: at corona in senectutis nescio immortalis; nec finem habet: & labor quidem & prior & breuis, at retributio posterior & infinita, ut deinceps cum securitate requiescat, iniucundum expectans nihil. Non enim est cur amplius mutatio timeatur, aut ruina quemadmodum hic. Qualia igitur haec bona, neque tuta, & breuia & terrena, & priusquam appareant, euanescentia, quae multis acquiruntur laboribus? Qualia vero sunt illorum aequalia, immobilium, nunquam senescentium, nullum habentium laborem, & in certaminium tempore coronas tibi ferentium: Pecunias enim contemnens & hic iam mercedem accipit, dum a cura liberatur, inuidia, calunia & insidiis. Temperans, & honeste viuens, & antequam hinc trãseat coronatur, & gaudet, utpote qui turpitudine, risu, periculis, accusatione, & omnibus aliis absoluitur molestiis. Alia vero similiter omnes virtutis partes hic iam nobis retributionem afferunt. Ut igitur & praesentia, & futura consequamur bona, fugiamus maliciam, & virtutem sectemur. Sic enim & hic delectabimur, & futura bona capiemus: ad quae nos omnes peruenire contingat, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cum quo patri, simul & sancto spiritui gloria, imperium & honor, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

De poenitentia, & quod magnum est bonum propria agnoscentia peccata. Homilia XII.



BRADAMVS quae so fratres, peccatorum nostrorum senectutem, dum tempus habemus. Lauacro quidem non possumus, possumus autem hic poenitentia: si quid in nobis vetustum est, abiciamus: si qua ruga, si qua macula, si quis naevus, abluamus: nos reddamus pulchros, ut concupiscat rex speciem nostram. Licet & ad extremam delapsam foeditatem

illam recuperare speciem, quam innuit Dauid dicens: Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, & concupiscet rex decorem tuum: siquidem & obliuio pulchritudinem facit, anima scilicet pulchritudinem. Quae tamen obliuio: peccatorum. Ecclesiam enim ex gentibus alloquitur, admonens eam, ne paternorum meminerit, id est, simulachris sacrificantium: ex talibus enim est congregata: neque dixit, Ne tractes ea, sed quod fortius, nec in mentem suscipias. Quod & alibi dicit: Nec memor ero nominum eorum per labia mea: & iterum: Ut non loquatur os meum opera hominum. Nondum hoc magna virtus est, magna quidem, sed non talis: illic enim quid ait: non dixit, Ne loquaris opera hominum, neque dixeris gesta patrum: sed, nec eorum sis memor, neque mente concipias. Vides, quanto nos interuallo a malicia distare praecipit: nam qui non meminerit, non ratiocinabitur: qui vero non ratiocinabitur, neque loquitur: qui non loquitur autem, nec aget. Vides quot nobis vias obstruxit, quantum nos interuallis, & amplius elongauit: Audiamus igitur & nos, & nostrorum obliuiscamur malorum, non nobis admissorum inquam: ait enim: Recordare tu prior, & ego non recordabor. Quale quod dico: Rapine non amplius recordemur, quin & priora restituamus: hoc est maliciam obliuisci, & rapacitatis cogitatum expellere, nec eum unquam admittere, verum & iam patrata delere. Vnde vero nobis nequiciae contingat obliuio: Ex bonorum memoria, ex dei recordatione, si dei semper meminerimus, & illorum meminisse non possumus: ait enim, Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te. Itaque semper quidem, maxime vero tunc dei meminisse oportet, cum in quiete fuerit ratio, cum per illam recordationem semetipsum poterit condemnare, cum in memoria contineri. Nam in die quidem si recordemur, alia cura subrepentes & tumultuantes rursus eam expellunt: in nocte vero semper recordari possumus, cum in tranquillitate & requie fuerit anima, cum in portu, cum in serenitate. Quae dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compugimini, inquit. Opus quidem fuerat, & per diem hanc habere memoriam: quoniam vero solliciti semper estis, & in secularibus distrahimini, saltem tunc dei memores sitis super stratum, in matutinis meditamini in eo. Si in matutinis haec meditemur, cum multa fiducia procedemus ad opera: si deum prius propiciu fecerimus occursum & supplicatione, nihil habebimus inimicum: quod habes deridebis, propiciu habens deum. Bellum est in foro, pugnam quotidianam exhibent negotia, tempestas & procella. Armis itaque nobis opus est, magna vero armatura oratio: opus est ventis a puppi, opus omnia discere, ut diei spaciium absque naufragiis & vulneribus transigamus. Multi namque per singulos dies scopuli, & frequenter illidunt scapha, atque submerguntur: propterea nobis opus est oratione, matutina praesertim & nocturna. Olympici multi vestrum frequenter spectauerunt, neque spectauerunt tantum, verum & fautores & admiratores certantium fuerunt: & hic quidem huius, illius autem ille. Scitis itaque, quo modo per certaminum dies & noctes nihil aliud prego nocte tota satagit, nihil aliud curas, nisi ne prodians pugil turpe quicquam agat. Illi namque tubicini assidentes spondent nec alique alloquit, ne spiritus qui consumitur, risum mereatur. Si igitur coram hominibus pugnaturus tantam gerit prouidentiam: multo magis nos decet semper esse sollicitos, & curare, quibus tota vita certamen est. Omnis igitur nox sit pernox, & cogitemus

Matth. 26.

Psal. 126.

Luca. 22.

Psal. 6.

gitemus quo modo diem transgressi, risum non mereamur, & utinam risum solum. Nunc autem in dextra patris sedet agonotheta, diligenter auscultans ne quid absolum loquamur, ne quid ineptum: non enim operum tantummodo, sed etiam verborum est iudex. Pernoctemus dilectissimi, habemus & nos fautores, si velimus, angeli cuique nostrum assident: nos autem tota nocte stertimus, & utinam hoc solum esset damnabile. Multi vero lasciuas quoque sectantur, hi quidem ad ipsos fornices euntes, hi vero domos reddentes lupanaria, meretrices illuc ducendo: nec mirandum: non enim bonam agunt pugnandi curam. Alij inebriantur, & inepta loquuntur, tumultuantur alij, alij male pernoctant, & dormientibus peius operatur, dolos texentes: alij numerantes vsuras, curis alij coquuntur, & omnia potius faciunt, quam quae certanti conueniunt. Propterea vos hortor, omnia dimittentes, vnum intueamur, quo modo brauii accipiamus, coronam reportemus: agamus omnia, quibus promissa bona consequi possimus. Vis autem perfectam discere poenitentiam, audi post negationem Petri, poenitentiam. Narrans enim quae gesta sunt ab eo nobis Euangelista dicit: Egredius fleuit amare. Propterea dimissum est ei tale peccatum, quoniam quemadmodum oportebat, poenitentiam egit, licet nondum hostia fuisset oblata, nondum victima sacrificata, nondum esset suspensum peccatum, sed adhuc dominaretur, & tyrannidem exerceret. Et ut discas, quod non tantum negligentia fuit negatio, quantum absentia dei, docentis eum humanas nosse mensuras: nec his quae a praepatore dicebantur, contradicere, nec aliis altiora sapere, sed scire quod absque deo nihil fieri potest: & quod nisi dominus aedificauerit domum, in vanum laborant qui aedificant eam. Propter hoc etiam ad ipsum Christum solum dicit: Exquisiuit satanas cribrare te sicut triticum, & non permisi, ut non deficiat fides tua. Quoniam enim par erat, eum altum sapere, sibi consciu, quod plus alijs Christum diligeret, propterea fleuit amare: & cetera, quae solum sequuntur, similia fecit. Quid enim fecit? Innumeris semetipsum post haec periculis obiecit, per multa suam ostendens fortitudinem, & animi constantiam. Poenitentiam egit & Iudas, sed male. Strangulatus enim est. Poenitentiam egit & Esau, quod saepe dixi, vel potius hunc neque poenituit. Nam lachrymae non erant poenitentiae, sed calunia magis & furoris: quod & ostendunt sequentia. Poenitentiam exhibuit beatus Dauid ita dicens, Lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo. Et olim patratu peccatum, post tot annos, post tot generationes, quasi nuper accidisset, lugebat. Poenitentem irasci non oportet, neque sauire, sed, conteri: tanquam condemnatum, tanquam non habentem fiduciam, tanquam iudicatum reum, tanquam ex sola saluari misericordia debentem, tanquam ingratum erga benefactorem redargutum, tanquam iniucundum & reprobum, tanquam innumeris dignum supplicii. Si haec cogitet, non irascetur, non indignabitur: sed lugebit, flebit, gemet, & conqueretur noctem & diem. Poenitentiam nunquam oportet obliuioni peccati tradere, sed deum quidem rogare, ne eius meminerit, ipsum vero nunquam ipsius obliuisci. Si nos eius non recordemur, deus ipsius non obliuiscetur: si nos eius meminerimus, deus obliuiscetur: a nobis ipsi vltionem sumamus, nos ipsos accusemus, ita placabimus iudicem. Peccatum enim dum aperitur, minus efficitur: si vero tegatur, peius. Nam si tibi peccatum impudentiam & ignorantiam ascescat, quo modo penitus cauere poterit, ne rursus in ea

dem incidat, qui prius se peccasse nesciuit: Ne negemus igitur, quae se, ne impudenter agamus, neque vel inuiti poenas luamus. Audiuit Cain a deo: ubi est Abel frater tuus? Et dixit, Nescio: nunquid custos sum fratris mei? Vides, quo modo grauius peccatum fecit: Sed non ita pater ipsius. Sed quid? Cum audisset, Adam ubi esset inquit: Audisti vocem tuam, & timui, quia nudus sum, & abscondi me. Magnum est bonum agnoscere peccata, & eorum semper meminisse. Nihil tam segnem facit hominem ad malum. Scio quod resilit conscientia, nec a malorum memoria vellet flagellari: sed animam comprime, & echamum impone. Tanquam infrenis equus indignatur, nec quod peccauerit sibi vult persuadere: hoc autem totum est satanicum. Sed nos ei quod peccauit, persuadeamus, ut & poeniteat, & post poenitentiam a poenis absoluat. Quo modo dignum, quae se, censures, veniam assequi peccatorum, quae nunquam confessus es: ille peccatus est misericordia dignus & clementia, qui peccasse confitetur: tu vero nondum tibi persuadens, quo modo misericordiam petis, vel de his tantam exhibens impudentiam? Nobis ipsis persuadeamus, quod peccauimus, neque tantum lingua proferamus, verum & ex corde: non tantum nos vocemus peccatores, verum & peccata computemus singula, per species recensentes. Non tibi dico, ostenta te ipsum, nec apud alios accusa: sed obedi prophetae dicenti: Reuela domino viam tuam, ea coram deo confitere, coram iudice confitere peccata tua deprecans: & si non lingua, saltem memoria, & ita pete tibi misericordiam exhiberi. Si peccata iugiter habeas in memoria, nunquam in proximum irae memoria seruabis: non dico, si tibi persuaseris te peccatore esse. Non ita potest hoc animam humiliare, sicut ipsa per se peccata, & per species ruminata. Non eris mali memor: haec semper in memoria gerens, non irascens, non conuiciaberis, non altum sapiens, non rursus in eadem cades, eris ad bona fortior. Vides quot ex peccatorum memoria nascantur bona? Scribamus igitur in mentibus nostris. Scio quod anima tam amaram non aequae fert memoriam, sed cogamus eam, & constringamus. Melius est nunc eam ipsa morderi memoria, quam per illud tempus supplicio. Si nunc eorum sis memor, & ea continue deo proferas, & pro ipsis depreceris, ea cito delebis: si nunc vero fueris oblitus, tunc & inuitus coram omni mundo eorum commonesces, ipsis in medium se ferentibus, & coram omnibus ostentatibus, & amicis & inimicis, & angelis. Non enim ad solum quidem Dauid dicebat: Quae tu fecisti occulto, ego facia omnibus manifesta: verum & ad nos omnes. Timuisti homines, inquit, & veritus es plus quam deum, & deum videntem non curasti, sed homines reueritus es: dicit enim: Oculi hominum, hi timor eorum. Propterea coram his ipsis poenas lues. Redarguam enim te, sub omnium oculis tua ponens peccata. Quod enim nisi nunc ea iugi memoria deleuerimus, hoc est verum, & illo die nostra cunctorum peccata propalantur: vide quo modo palam arguitur crudelitas & inhumanitas: ait enim, Esuriui, & non didistis mihi manducare. Quando dicuntur ista? nunquid in angulo: nunquid in abscondito? Nequaquam. Sed quando? Cum venerit filius hominis in gloria sua, & omnes gentes congregauerit, cum separauerit hos & illos, tunc omnibus dicet audientibus, a dextris, & sinistris constitutis: Esuriui, & non didistis mihi manducare. Vide rursus & quinque virgines coram omnibus tibi dici audientes. Nescio vos. Quinque enim & quinque non nu-

Gen. 4.

Pronef. 15.

2. Reg. 12.

Matth. 25.

AD POPVLVM ANTIOCHENVM HOMILIA XLII.

Apocal. 1.

Math. 25.

Luc. 16.

Psal. 48.

merum significant quinque solum, verū & improbas & crudeles, & inhumanas virgines, & non tales. Ita quoque qui solum defodit talentum, audiebat coram omnibus, & his qui quinque, & his qui duo protulerunt: Serue nequam & piger: nec solis vero verbis, verum & operibus tunc eos redarguit, sicut & Euangelista significat: Videbunt, in quem transixerunt. Simul erit omnium resurrectio, tam peccatorum, quam iustorum, & simul omnibus aderit iudicans. Itaque cogita, qui tunc erunt in iusticia, qui in dolore, qui in ignem trahentur, aliis coram accipientibus. Venite, ait, benedicti patris mei, hereditate possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi: & rursum: Discedite a me in ignem paratum diabolo, & angelis eius. Ne verba simpliciter audiamus, sed ea subscribamus & oculis, & nunc eum adesse censeamus: & hæc dicere, & nos in illū ignem abire. Qualem habebimus animum? quam consolationem? Quid vero, cum in duas partes diuidemur? Quid, cum de rapina accusabimur? Quam habebimus excusationem, quam dicamus: quam honestā rationem? Nullam: sed erit necesse, victos, deorsum vergentes, ad fornacem ora pertrahi, ad ignis flumen, & tenebras, ad immortalia tormenta, & nemine orare: ait enim, Non licet hinc illuc transire: chaos enim magnum est inter nos & vos, & neque volentibus transire licet, & manum porrigere. Sed est necesse semper incendi, succurrente nobis nemine, siue sit pater, siue sit mater, siue quicunque, licet multā habeat apud deum fiduciam. Frater enim, inquit, non redimit, redimet homo. Quoniam igitur in altero salutis spem habere non licet, sed in semetipso post dei misericordiam: omnia, quæso, faciamus, ut vita nobis munda, & optima conuersatio, nec a principio vllam admittamus maculam: sin autem minus, post maculam saltem ne dormiamus: sed semper maculam abluentes, mundi permaneamus per poenitentiam, per lachrymas, per orationes, per eleemosynas. Quid ergo si nō possum eleemosynam erogare: dicet aliquis. Sed aquæ frigida calicem habes, quantūcunque sis pauper: sed habes duo minuta, quanuis in paupertate verferis: sed habes pedes, ut infirmos visites: ut carcerem petas: sed tectum habes, ut hospitem suscipias. Nulla nanque, nulla venia est eleemosynam non exhibenti. Hæc vobis continue dicimus ut ex assiduitate modicum quid efficiamus: hæc dicemus, non tam accipientium, quam vestri curam gerentes: illis enim terrena prebetis, vicissim vero recipitis cælestia: quæ nos omnes assequi contingat in Christo Iesu domino nostro, cum quo patri, simul & sancto spiritui gloria, potestas & honor nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Quo modo anima curam oporteat habere, & quod plurimum nocturna prodesset oratio: & de poenitentia. Homilia XLII.



AGNVM est malum fratres, ignorare scripturas: ex quibus enim oportet adiuuari, ex his lædimur. Sic enim & medicameta curatiuam habentia virtutem propter vtentium imperitiam corrumpunt frequenter, & perdunt: & si quis arma defensoria tractare nesciat, ab eis perditur. Est autem causa, quod potius aliena quarimus, quam nobis vtilia. Et in re quidem familiaria conferens quarimus, neque dominum veterascentem cernere poteremus, neque uentem, neque procellis labantem: animæ vero ratio nulla, sed licet eius fundamenta videamus marcescentia, siue fabricam & tectū, nulla nobis habetur ratio. Rursum iu-

menta si habeamus, eorum quarimus vtilitatem, & equifones, & veterinarios accersimus, & eorum per nos curam gerimus & deputatos admonemus, ne temere, nec, ut accidit, agant, neque sarcinas imponant, neque noctibus reducant intempestiue, nec alimenta comutent: Et multæ rationes de iumentorum vtilitate nobis adsunt: animæ vero nulla ratio. Quid autem de brutis loquor nobis vtilibus? sunt multi qui passeres habent nihil afferentes vtilitatis, sed tantum simpliciter delectantes: & multæ de illis quoque leges, & neglectum est nihil, inordinatum nihil, & omnium maiorem quam nostri ipsorum gerimus curam, ita sumus omnibus viliores. Et si quis couiciando quid nobis dixerit, Canis, dolemus: nobis autem ipsis ipsi contumeliam inferentes non verbo, sed opere: nec tantam impendentes animæ curam, quantam canibus, nihil graue nos pati putamus. Videtis quantis sint omnia tenebris plena? Quod canum curam habent, ne plus quam expedit, impleantur, ut veloces sint, & venatici, dum fame premuntur & esurie: se vero non curant, ne crapulentur: & bruta quidem temeranter agere docent, ipsi vero ad brutorum feritatem deducuntur? Aenigma est hoc factū, iniquis, & ubi bruta temperanter agunt: An quæso, non tibi videtur opus esse temperantiæ, cum canis fami moderetur, qui postquam venatus aliquid ceperit, a presenti se cōtinet esca, & appositam cernens mensam, licet urgente fame, dominum expectat: Reueremini vosmetipsos, vestros docete ventres ita philosophari: non est vobis excusatio: cum irrationali naturæ non loquenti, neque rationem audienti tantam inferere philosophiā possis, multo magis tibi metipsi non poteris: quod enim hoc humanæ sit curæ, non naturæ, patet: alioquin omnes hos habere canes oportebat. Sitis igitur canibus non inferiores. Vos me cogitis illinc exempla sumere, nam ex cælestibus quidem oportebat. Sed quoniā si dixero, vos dicitis quod illi magni fuerunt: propterea dico cælestiā nihil. Quod si Paulum commemorauero, dicitis quod ille fuit apostolus: propterea Paulum taceo. Sin hominem dixerō, dicitis quod ille potuit: propterea nec hominem refero, sed bestiam, & bestiam hoc a natura non habentem, ne respondeatis quod naturaliter & nō voluntarie hoc effecit. Et quod admiratione dignum, voluntate non propria, sed cura tua. Non quod fatigatus sit, non quod cursu distractus, non quod propriis cepit laboribus, cōputat: sed his omnibus posthabitis, domini præceptum custodit, & ventre superior efficitur. Nec id vlli dubium: expectat enim laudari: expectat maiorem assequi mensam. Dic itaque tibi metipsi: Canis futuræ voluptatis spe præsentem contemnit, tu vero non vis futurorum bonorum spe præsentia contemnere. Sed ille quidem nouit, quod si intempestiue, & præterquam domino videtur, illum cibum gustauerit, & ipso priuabitur, & statutum non accipiet, verbera pro cibo sumpturus. Tu vero nec hoc intelligere potes: & quod ex consuetudine didicit ille, hoc ex ratione tu non perficis. Canes imitemur, hoc & accipitres & aquilæ facere dicuntur: quod in quadrupedibus & dorcadibus illi, hoc in aibus hi, & hi vero rursum ex humana disciplina. Hæc nos possunt condemnare, hæc nos capere. Dicam & aliud: Equos syluestres & immanifuetos, calcitrantes & mordentes cum ceperint periti, sic breui tempore docent, ut nullo iam ostendente gressus compositi delictis sessor delectetur, animæ vero negligenter ambulantis curam suscipit nemo, sed saltat quidem & calcitrat, & humi trahitur tãquam puerulus, & infinita subit de-

decora: & nullus ei repagula imponit, nullus tricas & fræna, nullus peritum inducit sessorum, Christum dico: propter hoc omnia cōfusa sunt. Cum enim & vêtrem, canes continere doceas, & iram domes in leone, & in equis procaciam, in aibus autem linguæ gratiam ponas: quo modo nō absurdum, in brutis naturaliter quidem rationalia præstare officia, rationalibus vero brutorum inducere vicia? Nulla nobis, nulla profecto venia. Omnes nos accusant qui se correxerunt, fideles & infideles: nam & infideles hoc præstiterunt, & feræ & canes, nedum homines: & ipsi nos ipsos accusabimus, cum volumus quidem, assequetes: cum vero torpemus, repentes. Nam & in magna constituti malicia multi frequenter volentes mutati sunt. Quod autem dixi, quod circumimus aliena, quærentes vtilia, non nostra. Si domum ædificaueris splendidam, domus vtilitatem vidisti, non tuam: si vestimentum acceperis, corporis, non tuam: si bonum equum, similiter. Nemo quo modo bona sit anima considerat, licet cum hæc bona sit, illorum nihil sit opus: cum vero nō sit, nulla sit illorum vtilitas. Sicut enim in sponsa, licet thalami sint velis aureis operati, licet mulierum adsint pulcherrimarum & speciosarum chori, licet rosæ, licet coronæ, licet sponsus sit formosus, licet ancillæ, licet amicæ, licet omnes sint decori: illa vero si sit deformis, vtilitas est nulla: sicut e contra, si sit pulchra, nullū ex his accidit nocumentum, scilicet, contrariū. Ex illis quidem si sit turpis, videbitur & turpior: ex his vero si sit formosa, non formosior fiet: Ita quidem & anima, cum sit decora, nō tantum non indiget horum, sed hæc potius eius obumbrant pulchritudinem, Philosophum enim nō tam in diuitiis, quam in paupertate fulgere videbimus. Illic enim ex pecuniis multi censent eum pecuniis non esse superiorem. Cum autem in paupertate degat, & per omnia coruscet, & turpe nihil agere cogitur, nullus iam alius cum eo diuidet in philosophiæ laude coronam. Hanc igitur ornemus, si volumus esse diuites. Quid vtilitatis, cum mulæ quidem albæ fuerint, ingentes, & habitudine bona præditæ: tu vero insidens macilentus sis & scabiosus atque deformis: Quod vero lucrum, cum stragule tenues sint & molles, & multa varietate spectabiles & arte: anima vero sit tota pannosa, nudaque & turpis: Quid autem emolumentum, cum equus quidem cōpōlite gradiatur, & choream agenti similior quam ambulanti, & præter gressum sponsali decoratus mundo: insidens autem plus claudis succutiatur, & ebriis & furētibus magis sit manibus & pedibus diuaricatus: Dic mihi, si quis tibi bonum dedisset equum & corpus peruertisset, quid vtilitatis? Nūc vero peruersam habes animam, & nihil est tibi curæ. Curam nostri tandem ipsorum geramus, quæso, ne nos scilicet ipsos omnium ignobilissimos constituamus. Quod si verbo quis mordeat, angimur & dolemus: nos autem ipsos facto contumelia afficietes, non curamus. Tandem excitemur quandoque, ut & animæ multam gerentes curam, & virtutem arripientes, æterna consequi bona possimus. Nanque non propter hoc est facta & nox, ut semper dormiamus, & cæsemus. Et hoc testatur manuales operarij, agrones, mercatores, dei ecclesia mediis consurgens noctibus, surge & tu. Vide stellarum choream, altum silētium, multam quietem, domini quæ dispensationem admirare. Anima tunc est purior, leuior & subtilior, magis sublimis & agilis. Ipsa tenebræ, multumque silentium ad compunctionem inducere possunt. Si vero cœlum respexeris, sideribus tanquam innumeris quibusdam oculis distinctum: si cogi-

A taueris quod interdium clamantes, ridentes, lasciuientes, salientes, inferentes iniuriam, opprimentes, minantes, inferentant innumera mala, nūc hi nihil a mortuis differunt, omnem humanam damnabis insolentiam. Subrepsit somnus, & naturam redarguit, mortis est imago. Si prospexeris in vicum, nec vnam quidem audies vocem. Si domum respexeris: omnes tanquam in sepulchro videbis iacentes. Hæc omnia possunt animam excitare, & in cōsummationis cogitationem inducere. Hic mihi fermo & ad viros, & ad mulieres. Flecte genua, geme, dominū tuum ora tibi fieri propiciam. Plus nocturnis placatur orationibus, cum quietis tempus tu luctuum tempus facis. Regis memento, qualia verba dicebat: Laboravi in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo. Quantūcunque sis delicatus, non es illo delicatior: quantūcunque sis diues, non es ditior Dauide, qui rursum dicebat: Media nocte surgebam ad cōstitendum tibi, super iudicia iustificationis tuæ. Tūc inanis gloria non interrumpit. Qualiter enim omnibus dormientibus, & non cernentibus: Tunc torpor & oscitatio non premit. Nam quo modo, cū anima tot rebus excitetur? Post tales pernoctationes somni suaues, & miræ reuelationes. Hoc fac tu quoque vir, nedum mulier. Ecclesia sit domus ex viris & mulieribus cōstituta: non enim quod tu solus sis vir, neque quod hæc sola sit mulier, obstaculum esse putes: ait enim: Vbi sunt duo in nomine meo congregati, ibi sum in medio eorum. Vbi Christus est medijs, ibi magna multitudo. Vbi Christus, ibi necessarium est & angelos esse, necessarium & archangelos, & alias virtutes. Non igitur estis soli, omnium habetes dominum: & rursus audi Prophetā dicentem: Melior vnus faciens voluntatē domini, quam decem milia iniquorum. Nihil imbecillius multis peccatoribus, nil vno secundum dei legem viuente fortius. Si tibi sunt & filij, per omnes in nocte fiat ecclesia. Si vero molles sint, & vigiliam non ferent, vsque ad vnam orationem vel alteram excita & colloca. Tantum excita, tantū in consuetudine temetipsum institue. Nil illo melius penitus, tales orationes suscipiente, audi Prophetam dicentem: Si memor fui tui super stratum meū, in matutinis meditar in te. At, inquit, laboravi per diem multum, & non possum. Prætextus & occasio sunt ista. Nam quantūcunque laboraueris, non laborabis quantum ærarius malleum tam grauem ex tāta demittens altitudine, scintillas & fimum toto suscipiens corpore, & tamen maiorem noctis partem in hoc absūmit. Scitis & mulieres, si quando vobis in agrum ire fuit necesse, vel ad pernoctationem procedere, quo modo per totam noctem vigilantes? Igitur & tibi sit æraria spiritalis, non vt ollas facias aut lebetes: sed vt tuam perficias animam, quod & ærario, & aurifice multo melius est. Factam peccatis vetustam age in fornacem confessionis, ex multa altitudine malleum infer, hoc est, verborum damnationem, spiritus ignem accende, multo maiorem habes artem. Non aurea vasa componis, sed animā omni auro preciosiorem, sicut vas conflat ærarius. Non corporale vas aliquod conflat, sed animam ab omni liberat seculari vanitate. Apponatur tibi lucerna, nō ista quæ ardet: ait enim, Lucerna pedibus meis verbum tuum. Accede per orationem animam. Si se bene videris habentem, educ eam in quacunque velis forma. Crede mihi, non ita rubiginē ignis excoquere solet, sicut oratio nocturna nostrorum rubiginem peccatorum. Reueremur, si nil aliud, nocturnos custodes. Illi propter humanam legem

Psal. 6.

Psal. 118.

Math. 18.

Eccles. 16.

Psal. 62.

in gelu circumeunt vehementer clamantes, & per vi-
cos ambulantes, madidi frequentes, glaciati propter te-
tuamque salutem, & tuarum pecuniarum custodiam. Il-
le vero pro pecuniis tuis tantam gerit curam, tu neque
pro anima tua? Et te quidem ipse sub dio circumire nō
cogo, sicut ille: neque vociferari & disrumpi: sed in ipsa
permanens cella, in ipso cubiculo flecte genua, domi-
num ora. Quare Christus ipse in monte pernoctabat?
nonne vt nobis forma fieret? Tunc plantæ respirant, in
nocte dico, tunc & anima maxime rorem & plus illis
suscipit. Quæ per diem sol exussit, hæc nocte refrigeran-
tur. Omni rore magis noctis lachrymæ contra concu-
piscencias, & aduersus omnem ardorem, & æstum de-
mittuntur, nec aliquid tale pati permittunt. Sin autem il-
lo rore non fruuntur, per diem comburuntur. Sed absit.
Verum refrigeratos, & dei gratiam noctos omnes libe-
rari cōtingat à peccatorum sarcina. Incredulū etenim
est hominum genus, & multæ indigens curæ, maiorisq;
quàm plantæ. Nam illic quidem natura corporum est
& terræ, agriculturalium manibus cedens: hic vero volun-
tas multas admittens mutationes, & nunc quidem hoc,
nunc autem illud eligēs: velociter enim ad vicium in-
clinatur. Quapropter vndique cauere necessarium est,
ne quando dormitemus: ait enim, Ecce non dormita-
bit neq; dormiet qui custodit Israël: & Ne des in com-
motionem pedem tuum: non dixit ne cōmouearis: sed,
ne des. Igitur in nobis est dare, nō in villo altero. Nam
si stare velimus stabiles & immoti, non cōmouebimur.
Quid igitur, in deo nihil est? Omnia quidē in deo, sed
non ita, vt liberum in nobis arbitrium violetur. Si igitur
in deo sunt, inquit, cur nos accusat? Propterea dixi,
ne liberum in nobis arbitrium violetur. In nobis igitur
& in deo sunt. Oportet enim nos prius eligere bona, &
ille sua tunc inducit. Nostras non preuenit voluntates,
ne nostram temeret libertatem. Cum vero nos eleger-
imus, tunc magnum nobis affert subsidium. Igitur quo
modo Paulus dicit: Non volentis (si & in nobis est) ne-
que currentis, sed miserentis dei? Primum quidem non
tanquam propriam introduxit sententiam, sed ex pro-
posito sibi collegit, & ex præmissis. Postquā enim dixit,
scriptū est: Miserebor, cuius misereor: & miserabor quē
miseror: ait: Igitur non volentis, neque currentis, sed mi-
serētis dei. Dices ergo mihi, quid adhuc accusat? Secun-
dum vero dici potest illud, quod cuius est amplius, totum
esse dicit: nostrum enim est eligere & velle, dei vero
expedire, & ad exitum deducere. Quoniam illius itaq;
plus est, totum illius esse testatur, secundum humanam
locutus consuetudinem. Nam & nos ita facimus. Qua-
le quod dico: Domum ædificatam bene videmus, & di-
cimus: totum est artificis, licet non totum ipsius sit, ve-
rum & operariorū, & domini, qui materiam suppedita-
uit, aliorumq; multorum: attamen quoniam plus cōtu-
lit, illius totum esse dicimus: ita profecto & hic. Et rur-
sum in multitudine, vbi multi sunt, omnes esse dicimus:
vbi pauci, neminem. Ita & Paulus ait: Non volētis neq;
currentis, sed miserētis dei. Duo vero magna hic facit:
vnum quidem, ne extollamur: siue curras, siue festines,
inquit, ne tuum esse putes meritum. Nisi nanque super-
num assequaris fauorem, omnia nequicquam: tamen quod
optatum assequeris, clarum est, donec curras, donec ve-
lis. Non hoc itaque dixit, quod in vanum currimus, sed
quod in vanum currimus, si totum nostrum esse puta-
mus, nisi deo plus assignemus. Nec enim totum deus
suum esse voluit, ne sine causa nos coronare videatur:
neque rursus nostrum, ne in arrogātiā dilaberemur.

Psal. 110.

Roma. 9.

Exod. 33.

Nam si minorum habētes partem altum sapientis, quid
si totius authores essemus? Multa nanq; deus fecit, vt no-
stram succideret superbiam. Et adhuc manus alta quot
nos morbis inuoluit, vt nostram truncaret insolentiā?
quot feris circūdedit? Etenim cum quidā dicant, quid
hoc? ad quid hoc? Hæc, inquit, preter id quod deo vide-
tur, in tanto te metu constituit, & nec ita humiliter sen-
tis: sed si quando vel paruam assequaris prosperitatem,
ad ipsum sensu cœlum peruenis. Propterea celerrimæ
mutationes & lapsus, & nec ita corrigimur, propterea
continua mortis, & præmaturæ. Nos autem de nobis
tanquam immortalibus sentimus, quasi nunquam mori-
turi, ita rapimus. Sic vstrupamus aliena, quasi rationē
nunquam daturi: sic ædificamus, tanquā hic semper ma-
nentes. Nec ipsum nos dei verbum quotidie nobis in-
culcatum, nec ipsa negocia corrigunt. Non potest dies
proferri, non hora, in qua continuos non liceat casus
videre. Sed in vanum omnia, & duriciem nostram
nihil penetrat, nec in alienis calamitatibus meliores fie-
ri possumus: quinimmo nec volumus, sed cum ipsi soli
lugeamus, tunc corrigimur: & si manum deus remittat,
rursus nos manum extollimus. Vnusquisque sapit hu-
mana, terrena cōtemnit nemo, cœlum respicit nullus:
sed tanquam sues ad ventrem inclinātes deorsum ver-
gunt, cœno se conuolutes: itidem & hominum mul-
ti difficillimo se cœno polluentes, non sentiant. Melius
enim est luto sædo quàm peccatis contaminari. Illinc
nanque sædatus, breui se tempore lauerit, & similis est
illis, qui nec ab initio in illud ceciderint cœnum. At in
peccati barathrum delapsus, pollutionem admisit, quæ
non aqua purgatur, sed multi temporis indiget, acrisq;
pœnitentiæ, lachrymarum, & maioris ardentiorisq; lu-
ctus, quàm quæ charissimis exhibetis. Illa nanque sordes
extrinsecus nobis accidit, quapropter & eam cito depō-
nimus: illa vero pariter interius, ideoq; vix eam abluen-
tes mundamur. ait enim: Ex corde exeunt cogitationes
malæ, fornicationes, adulteria, furta, falsa testimonia:
quamobrem & propheta dicebat: Cor mūdum crea iit
me deus: alter vero: Abluē à malicia cor tuum Hierusa-
lem. Vides quod est & nostrum, & dei? iterum: Beati
mundo corde, quoniam ipsi deum videbūt. Efficiamur
mūdi pro viribus nostris, peccata nostra detergamus.
Quo modo vero detergenda sunt, propheta docet in-
quiens: Lauamini, mundi estote, auferte malum cogita-
tionum vestrarum ab oculis meis. Quid est coram oculis
meis: Quoniam aliqui videntur esse boni, sed homi-
nibus: sed deo sunt manifesti sepulchra esse dealbata:
propterea dicit: Sic auferte, sicut ego video. Discite be-
nefacere, exquirite iudicium, humilem & pauperē iusti-
ficate. Et venite, & disputemus, dicit dominus: Et si fue-
rint peccata vestra sicut purpura, sicut niuē dealbabo:
& si fuerint tanquam coccinum, quasi lanam albefaciā.
Vides quod priores nos ipsos oportet mūdare, & tum deus
emundat: Cum enim prius dixisset: Lauamini, mundi
estote: tunc subdidit: Ego dealbabo. In extremam itaq;
lapsum nequiciam nemo de se desperet. Et si nanq; iit
habitū venisti, & quasi in ipsius naturā vicij, ne timeas.
Propterea nanque colores nō euaniolos, sed subiectis se-
re consubstantiatos in contrarium dixit statim ventu-
ros. Non enim simpliciter lauare dixit: sed tanquam la-
nam, & quasi niuem dealbare, vt bonā spem suggerat:
ergo magna vis pœnitentiæ: siquidē vt niuem nos red-
dit, & vt lanam albefacit, licet preueniens peccatum nō
stras infecerit animas. Studeamus itaq; mundi fieri: gra-
ue nihil imperauit. Iudicate pupillo, & defendite vi-
duam.

Iud. 1.

duam. Vides vbiq; quo modo multa deo misericor-
dia sit, & iniuriam patientium tutelæ mentio: Hæc offi-
cia sectemur, & dei gratia poterimus & futura conse-
qui bona: quibus nos omnes dignos censeris contingat
in Christo Iesu domino nostro, cum quo patri, simul
& sancto spiritui gloria, potestas & honor, nunc & sem-
per, & in secula seculorum, Amen.

De vana gloria & ambitione,
Homilia XLIII.

QUEM AD MODVM sæui quidē vēti in tran-
quillum mare delati, totum ab imo subruunt,
vt & arena cum vndis misceatur, sic & ambi-
tio & turpis quæstus animam subeuntes om-
nia subuertunt. Excecat mentis intuitum, præsertim glo-
riæ furor: nam pecunias quidem contemnere volenti
satis est facile: honorem autem à multis collatum despi-
cere, multi laboris indiget, magnæ sapientiæ, angelicæ
cuiusdam animæ ipsum cœlestis testudinis verticem
tangentis. Non est enim, non est, inquam, vicium ita ty-
rannicum, & vbiq; dominans ex maiori quidē, vel ex
minori parte, attamē vbiq;. Ipsum itaq; quo modo vin-
ceremus, etsi nō ad expurgationem, saltem ex minima
parte: In cœlum si respiciamus, si deum ante oculos ha-
beamus, si de terrenis maiorem capiamus cogitationē.
Cogita, cum gloriam concupiscis, quod eam sis affec-
tus, & disce finem, & nihil inuenies. Cogita quantam ea
res habeat iacturam, quot & qualibus bonis priuet. La-
bores quidem sustinebit atq; pericula, fructibus autem
priuabitur & certaminū præmiis. Cogita, quod multa
sunt pericula, & eorum gloriā contemnere: qualia sunt,
singula recense, & rem risu plenam videbis. Videbis quod
dedecus magis est quàm gloria, & post hæc ad cœlestē
spectaculum referas cogitationem. Cum aliquid boni
faciens cogites, quod & hominibus oportet ostendere,
& aliquos facti spectatores quæras, & sollicitus sis vt vi-
deatur: cogita quod deus videt, & omnem illam ex-
tingues concupiscenciam. De terra recede, ad illud cœ-
leste respicias theatrum. Homines licet laudauerint,
mox tamen accusant vel inuident, vel carpunt: sed hoc
si non fecerint, nihil omnino tamen laudato profunt:
deus tamen non ita, sed gaudet nostra laudans meri-
ta. Dixisti rectē, plaususque consecutus es: Et quid emo-
lumentū? Si enim adiuti quidem sunt plaudentes, &
mutati, & meliores effecti, prioribus abstinere malis,
vere gaudendum est, non iam collatis laudibus, sed bo-
na mirabilique mutatione: si vero laudantes quidem,
& tumultuantes perseuerant, & plaudentes, nullum au-
tem ex plausibus fructum reportant, dolendum magis
est, quoniam hæc eis in iudicium cedunt & damnationem.
Sed in pietate gloriam habes? Si vere quidem sis
pius, & tibi nihil cōsciū sis mali, oportet gaudere: non
quoniam videris, sed quoniam es. Si cum sis, multorum
quidem gloriam concupiscis, cogita quod nō hi nobis
iudices erunt in illa die: sed qui latentia perfecte nouit.
Si vero tibi peccatorum conscius, apud omnes mūdus
esse suspicaris, non tantum gaudere nō oportet, verum
& dolere, & amare gemere, diem continue cogitātem,
in quo omnia reuelantur, in quo abscondita tenebrarū
illuminantur. Honore delectaris? hunc repelle, sciens
quod te debitorem constituit. Honorem tibi præbet ne-
mo: & in hoc gaudendum est. Non enim cum aliis &
hoc tibi deus improperebit, quod honore delectat^o es.
An nō vides, quod cum aliis beneficiis & hoc deus per
Prophetam ait. Accepi ex filiis vestris in prophetas, &
Tomus quintus

ex iuuenibus vestris in sanctificationem? Hoc igitur sal-
tem lucraris, quod maiori supplicio nō eris obnoxius.
Nam qui non honoratur in præsentī vita, sed contem-
nitur, nec vllā est affecutus affirmationem: sed cōtume-
liam patitur, & respuitur: & si non aliud, hoc saltem lu-
cratur, quod non & huius est reus, quod non à conser-
uis honoratur, & multa propter alia gaudet, contrahi-
tur, humiliatur: neque si velit, vnquam altum sapiet, si si-
bi magis attendat. Qui nanque multum acquisiuit ho-
norem, præterquam quod & magnorum est reus debi-
torum, & in arrogantia extollitur, & inanem gloriā, &
sit hominum seruus, postmodum hoc crescente domi-
nato, multa quæ nollet, facere cogitur. Tanquam itaq;
scientes, quod hoc est melius quàm illud, honores ne quæ-
ramus, & oblatos recusemus, abiciamus à nobis, hanc
extinguamus concupiscenciam. Hæc & ad principes &
subditos nobis dicta sunt. Anima nanq; cupiens hono-
rem & glorificari, non videbit regnum cœlorum. Non
meus est hic sermo, neque mea recito verba, sed spiritus
sancti. Non videbit, licet virtutem operetur: ait enim:
Receperunt mercedem suam. Itaque qui mercedem nō
accipit, quo modo cœlorum regnum videbit? Nō pro-
hibeo gloriam optare, sed veram volo gloriam, quæ est
à deo: cuius laus est, inquit, nō ex hominibus, sed ex deo.
In abscondito simus pij, non multo circumdati fastu, &
ostentatione & simulatione. Ouis pellem abiciamus,
sed potius oues efficiamur. Nihil hominū gloria vi-
lius. Dic enim mihi, si paruorum videas puerorum mul-
titudinem, lactentiū dico, nunquid ab eis gloriam con-
cupiscis? sic erga cunctos homines disponaris propter
gloriam. Idcirco cenodoxia dicitur, Nōne vides per-
sonas, quas in scena versantes induunt, quàm sint pul-
chra quidem, quàm vero splendide, quàm ad extre-
mam pulchritudinis perfectionem effictæ? Potes mihi
talem aspectum in veritate monstrare? Nequaquam.
Nunquid vnquam earum amore captus es? Non. Qua-
re. Quia vacuæ sunt, & imitantur pulchritudinem: pul-
chritudo tamen non sunt. Similiter & gloria inanis
est, & gloriam quidem imitatur: non est tamen gloria.
Illa sola manet, quæ naturalis est, quæ intrinsecus. Hæc
autem quæ exterius superinducitur, occultat quidem sæ-
pe deformitatem, occultat autem apud homines, & vs-
que ad vesperam: dimisso autem theatro, sublatisq; per-
sonis, vnusquisque quod est, hoc apparet. Itaque ne tant
quam in scena & simulatione veritatem obeamus. Dic
enim mihi, quid habet boni, à multis circumspecti? Inanis
est gloria, nec quicquam aliud. Nam domum reuerte-
re, & solus esto, & totum illico defluerit: in forū pro-
cessisti, præsentis in te conuertisti, & quid amplius? Ni-
hil extinctum est, & euauit tanquam fumus diffusus:
sic igitur ea quæ non subsistunt. Quantæ sunt hæc, quæ-
so, stoliditatis? quantæ dementia? Ad vnum itaque so-
lum spectemus, quo modo deus nos laudet. Si hoc con-
sideremus, nunquam ab hominibus propria queremus:
& si contigerint, contemnemus, deridebimus, respue-
mus: tanquam aurum quidem optantes, lutum vero re-
cipiētes, sic afficiamur. Non laudet ille: nihil enim pro-
fuerit: & si vituperauerit, nihil nocebit. In deo autem
hæc vtraque habent aliquid lucri vel iacturæ: at apud
homines omnia vana. Et in hoc æquamur deo, quod
ab hominibus ille non gloriæ indigeat: ait enim: Glo-
riam ab hominibus non capio. Parumne igitur hoc?
Cum nolis gloriam contemnere, dic, deo par sis si cō-
tempsero: & statim contemnes. Non enim potest glo-
riæ seruus homo, non omnium seruus esse, & ipsis serui-
lior

Matth. 5.

Roma. 12.

Ioh. 8.

lior mancipiis. Non enim talia nostris præcipimus seruis, qualia captiuis suis illa: turpia & dedecore plena negotia loqui facit & pati, & maxime cum obsequentes viderit, imperia magis intedit. Fugiamus itaque fugiamus, inquam, hanc seruitutem. Inquit aliquis: Qualiter itaque poterimus? Si philosophemur de terrenis, si videamus quod præsentia somnium & umbra sunt, & nihil aliud, ipsam facile vicerimus, & nec in paruis, nec in magnis capiemur: quod si contemnamus in minimis, & in maximis facile cademus. Procul igitur eius fontes restringamus: hi autem stulticia sunt, & humilem animam habent. Itaque si sublimem sensum capiamus, poterimus & a multis collatum honorem contemnere, & in cælum dirigere cogitationem. Nam sicut est modestia principum ieiunium, id est fundamentum & constitutio: sic & peccati superbia, & ab ea omne peccatum inchoatur, & ab ea congregatur: quod enim quæcunq; bona facimus, viciium ea permanere non sinit, quin corruant, sed tanquam radix est quædam non commoueri non permittens, illinc manifestum est. Vide quâta pharisæus fecerat, sed hæc omnibus nocuit radice manente. Ex superbia nascitur pauperum despectus, pecuniarum concupiscentia, amor principatus, multa desiderium gloriæ. Ad contumeliam vltor est huiusmodi. Elatus enim nec a maioribus, nedum ab inferioribus contumeliam pati sustinet: qui vero contumelia non tolerat affici, neq; male pati sustinebit. Vides quo modo peccati principium elatio, quo modo vero superbiæ principium, nescire dominum: Et merito. Qui nanque dominum nouit, sicut oportet intelligere: qui nouit quod dei filius se tantum humiliavit, non extollitur. Qui autem hæc ignorat, extollitur. Elatio vero præparat ad insolentiam. Dic etenim mihi, vnde isti impugnant ecclesiam deum ignorare dicuntur. Nonne ex insolentia? Ecce dominum ignorare, in quod eos præcipitum proiecit. Nam si deus contritum diligit spiritum, contra superbis resistit, humilibus autem dat gratiam: nullum itaque malum parationi, hominem reddit demones, contumeliosos, blasphemum, periurum, cædes facit & homicidia cupere. Elatus semper in doloribus viuit, semper indignatur, semper moeret. Nihil est quod eius possit explere libidinem, si vel regem viderit supplicentem & adorantem, non est satiatus, sed magis accensus. Sicut enim auari quanto plura ceperint, tanto pluribus egent: itidem & superbi, quanto maiori funguntur honore, tanto plus concupiscunt. Crescit enim in eis morbus: morbus enim est: morbus autem finem nescit, sed cum habentem occiderit, tunc demum sistit. Nonne vides ebriosos, quod semper sitiunt? morbus enim est, non naturæ cupiditas, sed aegritudo peruersa. Nonne vides quos vocant bulimos, quod semper esuriunt? morbus enim est, vt medicorum pueri testantur. Iam naturæ terminos transcederunt curiosi, & superflua fatigantes, quantumcunque passi fuerint, non sistunt: morbus enim est, & finem ignorat. Fornicationibus gaudentes rursum nec ipsi sistunt. Homini, inquit, fornicario omnis panis suauis: non desinet, donec absorbeat, morbus enim est: & morbi quidem sunt, non tamen incurabiles, sed admittentes medicinam, & multo magis quam corporales. Si nanque velimus, possumus eos extinguere. Igitur quo modo superbiam extinguere possumus? Si deum agnoscamus. Nam si ex ignorantia dei nascitur, cum ipsum agnouerimus, expellitur omnis insolentia. Cogita gehennam, cogita multo meliores te: cogita quod deo poenas debeas: si talia cogitaueris, ocyus mentem contraxeris,

ocycus eam compresseris. Sed non potes ista facere, es imbecillior, cogita præsentia, ipsam humanam naturam, quam nihil sit homo. Cum videris in foro mortuum efferris, orphanos sequentes filios, uxorem viduam plangentem, plorantes seruos, amicos moerentes, præsentium rerum vilitatem cogita, & quod ab umbra somniisque nihil differunt. Sed non vis hoc: at cogita prædiuites in bellis temere percuties: magnatum & illustrium domos considera nunc solo prostratas: considera quantum potuerunt, & nunc nec eorum quidem memoria remanet. Per singulos enim dies, si velis, horum exempla reperies, magistratuū successiones, proscriptiones diuitum. Multi tyranni confederunt humi, non existimatus autem gestauit diadema. Hæc nonne quotidie fiunt? Nonne nostra rotæ cuidam similia sunt? Lege si velis, & quæ sunt apud nos, & exteriora. Nam & illa sunt his exemplis referta. Si nostra contemnis, & hoc ex insolentia: si philosophica miraris, & his accede. Illi quoque te docebunt antiquas recensentes erumnas, & Poëtæ, & oratores, atque sophistæ, sermonumque scriptores vniuersi. Exempla, si velis vbique reperies. Si vero nihil horum velis, ipsam pensa naturam nostram, ex quibus constat, & quod desinit. Cogita cum dormis, quo sis dignus: nonne vel minima bestia te posset interimere? Multis enim a tecto frequenter illata breuis bestiola vel oculum eruit, vel alicuius alterius periculi causam attulit. Hæc igitur poterunt nos a tali proposito abstrahere, sicq; vitam agemus laudabilem in Christo Iesu domino nostro, cum quo patri simul & sancto spiritui gloria, imperium & honor, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

De liuore & inuidia, Homilia XLIIII.



CICVT furentes sæpenumero gladios in se conuertunt, itidem & inuidi, solam inuisi perniciem intuentes, propriam negligunt salutem: hi feris quoque peiores. Nam ille quidem escæ indigentes, vel a nobis irritata, aduersus nos armanatur: hi vero beneficiis quoque frequenter allesti, bene meritis maleficiis profecuti sunt. Hi quidem peiores feris, demonibus autem pares, fortè vero peiores & istis. Hi nanque contra nos bellum exercent impacatum, confortibus autem generis non insidiantur. Vnde ludæis quoque Christus os occlusit, cum eum in Beelzebub eicere demonia calumniarentur. Hi vero neque naturæ communionem reueriti sunt, neque sibi pepererunt. Nam antequam inuisos, animas suas poenis afficiunt, tumultus omnis & ignobilitatis eas frustra & inessum implent. Cur enim doles o homo, proximi bonis? Dolere nos oportebat his quæ patimur malis, non in quibus alios probabiles haberi videmus. Propterea omnia venia caret istud peccatum. Nam fornicator quidem concupiscentiam prætereundum potest, fur paupertatem, homicida furorem, frigidus quidem & irrationabiles, habent tamen quas præterdant excusationes. Tu vero quam dices causam, rogo? Nullam penitus, nisi tantum intensam nequiciam. Si enim inimicos diligere iubemur, cum & diligentes oderimus, quam poenam luemus? Nam si diligens diligentes nihilo gentibus melius affectus est: nihil iniuriæ operatos infestans, quam habebit veniam? quam excusationem? audi quid Paulus dicat: Si tradidero corpus meum vt ardeam: charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Quod autem vbi liuor & inuidia, charitatis opera sublata sint, cuiq; patet. Hoc viciū & fornicatione peius est, & adulterio. Hoc enim in operato tatum sistit: inuidiæ vero vis totam subuertit ecclesiam,

tit Ecclesiam, & toti nocet terrarum orbi. Hæc homicidij mater est: ita fratrem Cain occidit, ita Iacob Esau, ita Ioseph fratres, ita cunctos homines diabolus. Sed tu nunc non occidis, sed multa cæde facis grauiora, fratrem optans confundi, laqueos vndique tendens, sumptos pro virtute dissoluens labores, dolens, quod mundi placent domino. Non illum itaque, sed ab eo cultum impugnas. Illum afficis contumelia, tuum illius præpones honori, & quod est omnium grauisimum, indifferens peccatum esse videtur, cum omnium sit atrocissimum. Siue miserearis, siue vigiles, omnium es sceleratissimus, cum inuideas fratri, & hoc illinc est manifestum. Quidam olim apud Corinthios fornicatus est, sed accusatus fuit, & breui correctus. Abeli Cain inuidit, sed sanatus non est: quin & deo statim ipsius vlceri curam afferente, magis intumescibat, & fluctuabatur, & ad cædem properabat. Ita hoc viciium illo peius est, nec medicina, quancunque adhibuerimus, facile cedit. Funditus igitur eam vndique euellamus, illud pesantes, quod quemadmodum offendimus deum alienis tabescentes bonis, ita placemus gratulantes, & nosmetipsos participes facimus bonorum benemerenti repositorum. Et propterea Paulus dicit: Gaudete cum gaudentibus, & flete cum flentibus. Vtrinque magnum lucremur emolumentum. Cogitantes itaque quod licet non laboremus, si laboranti condelectemur, illius coronarum efficiamur participes: omnem euicimus inuidiam, & in animabus nostris charitatem plantemus: sed quod dixi, graue quid inuidia, graue & simulatione plenum. Hoc mundum innumeris repleuit malis. Ex hoc morbo libit' plena sunt tribunalia, ex hoc liuores & pecuniarum amor, ambitio & inanis gloria. Hinc vrbes obsidentur, & mare piratas habet, hinc per orbem cædes, hinc genus nostrum dissipatum est. Quodcunque malum videris, ex hac radice producitur: iam enim & in Ecclesiis debacchata est, & prius innumera patrauit mala. Hoc auariciam parit, viciium omnia confundens, & iusticiam corrumpens. Dona enim excæcant oculos sapientum, & tanquam frænum ori auertunt argumenta. Hoc pro liberis seruos facit, de hoc per singulos loquimur dies, & nil amplius efficitur: bestias exhibemur peiores, orphanos diripim' spoliari viduas, odio pauperes habemus. Vt super ve nascitur. Hei mihi quia perit pius de terra, & iam nostrum est lugere, & per singulos hoc dicere dies. Orationibus nil efficitur, consiliis & admonitionibus nihil. Relinquitur iam lachrymas fundere. Hoc & Christus fecit cum multa eos qui Hierosolymis erant, monisset, postquam illi nihil lucrifecerunt, ipsorum defleuit calamitatem. Hoc & Prophetæ fecerunt, hoc & nos facimus nunc. Luctus iam tempus est, & lachrymarum & gemitus. Et nunc opportunum est dicere. Vocate lugentes, & ad peritos mittite, & loquatur. Ita fortasse poterimus obicere morbum, domos erigentium splendidas, agros ex rapina comparantiu. Lugere nunc opportunum. Sed vos quoque mihi coniungimini, iniuriam passi, spoliati. Adherete mihi, lugete, & deducite lachrymas meas: sed lugentes, non nos ipsos, sed illos lugeam'. Non iniuria vos affecerunt, sed seipsos perdiderunt. Nã vos quidem habetis regnum cælorum pro iniuria: illi vero gehennam pro lucro: propterea melius est iniuriã pati, & non inferre. Defleamus eos fletu non vulgari, sed de sacris scripturis, quem Prophetæ defleuerunt. Defleamus cum Esaja, ita dicentes: Vã qui coniungitis domum ad domum, & agrum ad agrum propinquatis, vt aliquid proximo auferatis. Nunquid habitabitis

foli super terram? Domus speciosa & magna, & non erunt qui inhabitent in eis. Defleamus cum Naüm, & cum eo dicamus: Vã qui ædificat in altitudinem domum suam. Imò vero defleamus eos, Christum recepistis mercedem vestram & consolationem. Defleamus, & ne cessemus: quin & nisi turpe sit plangamus, dicamus quod Prophetæ: Nolite flere mortuum, sed deflete raptorem, alienorum vsurpatorem, auarum insatiabilem. Quare mortuos deflemus, in quibus iam nihil expediri potest: lugeamus hos, in quibus est & mutatio: Sed nobis lugentibus illi forte rident, & hoc luctibus dignum quod rident vbi lugendum erat: Nam si quid ex deplorationibus nostris passi fuissent, deploratores requiescere decebat, tanquam se correcturos: sed postquam insensibiliter se gerunt, permaneamus nos flentes: non simpliciter locupletes, sed auaros, vsurpatores, raptores. Nam & congrue diuitiis vti licet, cum in egenos erogemus: auaris autem crimè & accusatio sunt, & opprobrium. Lugeamus itaque non hos tantum, verum & inuidios: grauis enim & hic valde morbus est. Nec aberrauerit quis hanc diaboli filiam appellans, & post hæc inanis gloriæ fructum, quin autem & radicem. Hæc enim vtraque mala in alterutrum sese producere solent: Sic certe tunc quoq; Saül inuidebat: quando dicebant, Percussit Saül mille, & Dauid decem milia: quo quid possit esse irrationabilis? Quid enim, quæso, inuides? Quod ille laudauit? Atqui gaudere decebat: alioqui neque nostri, verane sit laus. Aut propterea doles, quod cum non esset admirabilis, laudatus est? At potius oportebat misereri. Quãobrem si bonus quidem sit, laudato non opus est inuidere, sed potius eum laudare cum benedicentibus: si vero talis non sit, vtilitas nulla, sed & damnum. Quid igitur in teipsum enses agis, quod hominibus mirabilis esse videtur, qui hodie quidem sunt, cras autem non erunt? Sed quod gloria fruitur? Quali, dic mihi? De quãne Prophetæ dicit, quod flos est feni? Propterea igitur inuides, quoniam onera baiulat, & feni tales circũfert farcinas? Si vero tibi talis dignus inuidia videtur honor, & lignicida per singulos dies onera ferentes, & vrbes ingredientes. Nihilo enim melius hoc est onus, sed grauius: illud enim corpus tatum premit, hoc autem & animam plerumque læsit, & voluptate maiorem intulit anxietatem. Nam etfi & dicès comprobatur, maiorem habet læticia timorem: quin potius hanc quidem breuem, illum vero continuum: & si prepolleat apud principes, & illic inuidia rursus & periculum. Quod enim tu pateris apud eum, hoc & alij plures. Sed continue laudatur & exultat? Hoc amarum facit seruitus: non enim libere pro sententia facere quicquam audebit, ne se glorificantes offendat. Grauius nãque sunt ei vincula claritas. Itaq; quanto sit pluribus notior, tanto plures habet dominos: & seruitutis ei iuga grauantur, ipse vndique dominis apparatus. Et domini quidem aspectu cum liberatus fuerit seruus, respicit, & est in omni libertate: hic autem vndique dominos quærit. Omnium enim est seruus in foro apparentium: siue quid vrgeat necessarium, in forum prodire non audeat, nisi & sequentibus seruis, & equitatur, & omni reliqua vanitate conueniente, ne domini condemnent. Et si quem legitimum videat amicum, eum indifferenter alloqui non audeat. dominos enim veretur, ne se detrahant a gloria. Itaque quanto illustrior est, tanto magis mancipatus est. Et si quid molesti patitur, grauior est contumelia, quãto plures habet testes. Et præter dignitatem res

Gen. 4.

Roma. 12.

3. Re. 18.

Luca 19.

Esaj.

tem res esse videtur: nec tantum vero cōtumelia, sed & calamitas, multos enim habet insultantes: sicut etiam si quo fruatur bono, plures habet inuidentes & aegre ferentes, & cupientes auferre. Hoc igitur, quæso, bonum: hoc gloria? Nequaquã, sed ignobilitas, seruitus & vincula, & quicquid graue quis dixerit. Si vero sic quoque tibi diligitur ex hominibus gloria, & ille multorum excipiens plausum te conturbat vehementer: cū plausibus fruente te videt, ad futurum mente seculum & illam gloriam transferri. Et sicut ingruentem fugiens feram, & domum ingrediens, fores claudis: sic & nunc ad futuram confuge vitam, & illam ineffabilem gloriam: ita enim & hanc conculcabis, & illam facilius apprehendes, & vera frueris libertate, æternisq; bonis, quæ nos omnes assequi contingat, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cum quo patri simul & sancto spiritui gloria, imperium & honor, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

De inuidia & liuore. Homilia XLV.

IN beneuolum deum habuerimus, dilectissimi mi, licet in solitudine simus, in ciuitatibus degentibus tutius cōuersabimur. Maximum namque munimen, & inexpugnabilis murus est diuinus fauor. Et ut discas, quo modo qui moratur in solitudinibus, in medijs versante ciuitatibus, & humanum habente multum auxilium tutior est, & potentior, videamus quo modo Dauid quidem ex locis loca permutans, & degens tanquã profugus à superna manu muniebatur: Saül autem in medijs positus vrbibus, & tot agēs exercitus, & tot habens satellites, & custodes, per singulos dies hostium incursum timebat & tremiscebatur. Et ille quidem cum vnus esset, & secum haberet neminem, hu mani non indigebat subsidij: diademate vero redimitus, & ornatus purpura, ipse egebat auxilio. Et rex pastoris indigebat: & priuati, coronam gestans. Sed si vultis, altius sermonis seriem repetamus, vt omnē ipsius historiam in medium agētes, discamus, quod diuina ope munito fortius nihil, & nihil imbecillius ea destituito, licet innumeris exercitibus circumualletur. Hic itaque Dauid cum esset valde iuuenis, & propter ætatē immaturam in paterna domo degeret: postquã tempus exigebat, vt huius fieret virtus manifesta, à patre cohortatus vt fratres suos viseret, ad eos mittebatur: ad horum itaque visitationē profectus, vt bellum vidit constatum alienigenæ Goliath, & totū cum Saüle populum expauefactum, & ipsum regem in periculo de summa rerum cōstitutum, interim spectator esse volebat, & ibat visurus nouū atque mirabile, quod vnus homo contra tot milia insurgeret. Sed fratres cogitatus non ferentes fortitudinem in inuidiã commoti sunt, & ad eum inquit: Propter nil aliud venisti, quã vt bellum videres: nec enim visitationis nostræ gratia venisti. Sed huius vide prudentiam & mansuetudinē multam. Procax nihil & asperum eis respondet, sed eorum sedans ardorē, & demulcens inuidiam, ait: Nonne verbum est: Non enim, inquit, arma me vidistis tractatam. Nunquid enim cōspexistis pugnantem? Simpliciter videre volui, & intelligere vnde sit huic tãti furoris excessus. Quis enim, inquit, est hic alienigena, exprobrans castra dei viuientis? Mox & multam eius audiens magniloquentiam & ineffabilem cum Saule profectorum timiditatem, ait: Quid erit homini, huius caput amputati: & per hæc verba magnam animi virtutem ostendebat, omnes trahens in admirationem. Hæc vbi Saül intellexit, accersit iuuenem

1. Reg. 17.

A præter pasturam nihil doctum: præterea & ipsius conspicatus staturam, paruipendit. Postmodum cum ab eo didicisset, qualiter vrsos confecisset, cum greges inuasissent, (hæc enim narrare coactus fuit admirabilis hic, non inanem gloriam querere volens, sed in necessitate constitutus, & vt illi fiduciam afferret, ne ad appetitis respiceret vilitatem, sed ad fidem interius latentem, & supernum auxilium, propter quod viris fortior erat iuuenis, & inermis armatis, & militibus pastor:) mox cū ipsius sententiæ finem rex vidisset, propria arma volebat eum induere: ipse vero cum hæc induisset, neque poterat sustinere. Hoc autem agebatur, vt nuda dei virtus appareret, quæ per eum operabatur, ne armis gesta tribuerent: postquam enim his indutus claudicabat, arma deposuit, & per am fumens pastorem, & lapsus, sic in illam carneã turrim prodibat. Sed vide rursum & alienigenam ad staturæ vilitatem respiciētem, hinc iustum floccipendere, & tanquam in vilem puerulū verbis insurgere. Postquam enim vidit eum cum pastoralis pera contra se prorūpentem, & solos habentem lapides, tantum non ad eum dicebat: Putasti te rursum ouibus instare, & quosdam canes expellere, & propterea tanquam aliquem acturus canem cum istis instrumentis tecum pugnam aggressus es: iam te docebit experientia, quã non cum quolibet est tibi certamen: & multam præferēs audaciam festinabat & vrgebat, & totam mouebat armaturam, armaq; prætebat: sed ille quidem armorum virtute fretus, pugnam adoriebatur: hic autem fide, supernoq; munitus auxilio: & cum prius verbis alienigenæ petulantiam deieciisset, & ad eum dixisset: Tu venis ad me cum armis & hasta, & propria virtute sperans vincere: ego autem in nomine domini dei. Cum hæc, inquam, dixisset, ex pastoralis pera lapidem tollens, quasi vere canem quendam gregi ingruentem expulsiurus, sic funda iaculatus, in fronte statim alienigenam percutiens prostrauit: & festinans, & ipsius stringēs enssem, ipse caput amputatum ita regi reportauit, & bello finem imposuit. Et per illum rexq; salutem inuenit, & omnis ipsius respirauit exercitus. Et cernere dabatur res mirabiles atque stupendas, armatum ab inermi prostratum: & in bellicis peritum, ab eo qui nihil præter pastorem nouerat artem, deiectum. Quamobrem, & quia de causa: quoniam hic quidem supernum habebat auxilium sibi conferens: ille vero hoc destitutus, sub huius manibus ponitur. Sed vide iam hic inuidiæ morbum, quantam operatus est conuenientiam. Postquam enim vidit rex multa laude fruente hunc iustum, & mulieres in choro clamantes: Vicit Saül mille, & Dauid decem milia: non æque ferens de ipso dicta, licet secundū iusti rationem ipsi potius quã Dauid gratū faciebant, ab inuidia victus iam benefactorem contrariis prosequabatur: & quem oportebat saluatorem & benefactorem inscribi, hunc interficere moliebatur. O furoris excessus, o stupiditatis intentio, eum qui sibi vitam donauit, & totum exercitū ab alienigenæ furia liberauit, tanquam hostem iam intuebatur: & neque recēs beneficium morbum vincebat, sed tanquam ab ebrietate quadam, inuidia contenebratam habēs mentis rationem, benefactorem tanquam hostem respiciebat. Talis enim est huius vicij malicia, vt prius se parietem offendar. Et sicut vermis de ligno nascens, ipsum prius absumit: sic & inuidia illā prius quæ se peperit, animam corrumpit, & inuisum contrariis, ac vellet, afficit. Nam ne mihi consideres inuisorum proemia, sed finē respice, & intellige quod hæc inuidentiū malicia inuisos ad maiorem perducit

Aducit claritatem. Nam hi quidem & deum in auxilium attrahunt, & cœlesti fruuntur fauore: hoc vero carens, omnibus redditur expugnabilis: & antequam ab externis hostibus, ab ipso obsessus vicio tantum non consumitur: & tanquam occultis depastus dentibus, ita clanculum, vt ita dicam, absumptus remanet. Quod scientes, huius quæso vicij pestem fugiamus, & totis viribus ex nostris relegemus animis. Omnium enim viciorum hoc est perniciosissimum, & ipsam salutem nostram super omnia valet. Improbi nanque diaboli est inuentum. Et propterea Sapiens quidam dicebat: Inuidia vero diaboli introiuit mors in orbem terrarum. Postquã enim vidit hæc improba bestia factum immortalē protoplastum, per propriam nequiciam eum in mandati præuaricationem induxit, & per eã fecit, vt mortis pœnam attraheret. Itaque inuidia deceptionem fecit, inobedientiam deceptio, mortem inobedientia: propterea ergo dicit: Inuidia diaboli mors intrauit in mundū. Vidisti quanta sit vicij perniciēs: immortalitate decoratum morti subiecit. Sed nostræ quidem salutis inimicus propriam mouens inuidiam, immortalē protoplastum morte fecit damnari. Curator autē & misericors dominus per propriam mortem rursum nobis immortalitatem donauit: & his quæ perdidimus, inuenimus maiora. De paradiso proiecit, & in cœlum nos reduxit. Vt morti damnaremur, effecit, & immortalitatem nobis largitus est: paradisi priuauit deliciis, & nobis regnū parauit cœlorum. Vides industriã domini tui, & quo modo à diaboli inuidia contra nostra facta salutem, in ipso rursum caput conuertit: Non enim tantum nos maioribus dignos effecit, sed & eūdem illum nobis subditum dedit, cum dixit: Dedi vobis potestatem ambuladī super serpentes & scorpiones, & omnem virtutem inimici. Hæc igitur omnia cogitantes, & inuidiam ex nostris exterminemus animis, & à deo beneuolentiã alligere studeamus. Hoc enim scutum est nostrum inexpugnabile, hæc maximæ nobis diuitiæ. Quot patiebatur Dauid iniurias: quot autem inferabat Saül: Quis ergo fortior factus est atq; beator? Quis vero inferior & miserabilior? Nonne qui fecit iniuriã? Cōsidera vero: promiserat Saül, si Dauid alienigenã prosterneret, ipsum generum accepturum, & multa cum gratia filiã ipsi daturum: prostrauit alienigenam, illæ fœdera transgressus est, nec modo non dabat, verum & auferre conabatur. Quis ergo factus est clarior? Nonne ille quidem à dolore suffocabatur, & malo dæmone: hic autē super solem triumphis & dei beneuolentiã coruscabat? Rursum in mulierum choro non ille quidemangebatur inuidia, hic autem tacite cuncta ferens omnes capiebat, & sibi colligabat: postquam & eum ipse in manus cepit, & pepercit, vter rursum beatus, vter miser, vter autem imbecillior, vter potentior? Nonne hic qui neque iuste grassatus est: & valde merito. Ille nanque milites armatos, hic autem iusticiam innumeris exercitibus fortiorē auxiliarem habebat, & adiutricē: propterea iniustus passus insidias, nec iuste voluit occidere. Ex superioribus nanq; sciebat, quod non male facere, sed male pati reddidit potētiores: hoc & in corporibus efficitur, hoc in arboribus. Quid autem Iacob? Nonne à Laban iniuriam sustinuit, & male passus est: quis itaque fuit fortior? Qui cepit eum in manibus, nec ausus contingere, sed timēs & tremens: an non hic sine armis & militibus, innumeris regibus ipsi factus terribilior? Vt autem & alteram hæc maiorem vobis probationē afferam dictorum, in ipso rursum Dauid per contrarium sermonem habeat

1. Reg. 17.

Amus. Hic enim iniuriam passus corroboratus, postea vicissim iniuriam operatus, infirmior factus est. Cū igitur Vriam affecit iniuria, mutatus rursum est ordo, & infirmitas quidem ad eum, qui patrauit iniuriam: virtus autem ad iniuriam passum transiit. Mortuus enim ciuitatem populabatur, & ipse quidem licet rex esset & virtuosus, poterat nihil: ille vero miles tantum & iugulatus omnia illius subuertit. Vultis, & aliunde quod dico, faciam manifestius: Indagemus & iuste se vlciscentes. Nã iniuriam quidem inferentes, quod omnium vilissimū sunt, animam suam impugnantes, omnibus quodā modo manifestum est. Sed inquit, quis iuste vindicauit, & innumera succendit mala, & seipsum multis infixit ærumnis atq; doloribus? Dauidis exercitus: hic etenim bellum graue conflagit, & infinita passus est mala, quorum nec vnum quidem fuisset, si sapienter agere sciuisset. Hoc itaque peccatum fugiamus, & neque verbis neque factis iniuriam proximis inferamus. Nec enim dixit, Si maledixeris, & iudicium constitueris: sed simpliciter: Si maledixeris, & per te ipsum, & ita supremū dabis supplicium, licet dictum sit verū: tu vero ne persuasus dixeris, & sic honoraberis. Nō enim ex his, quæ gessit ille: sed ex his, quæ dixisti tu, deus feret sententiam: ait enim: Ex verbis tuis condemnaberis. Non audis quod & Phariseus vera locutus est, & omnibus dixit manifesta, non latentia reuelauit, extremam tamen dedit pœnam? Si vero de manifestis arguere nō licet, multo magis de dubijs: habet enim iudicem qui peccauit. Nē rapias itaq; dignitatem vnigeniti, illi iudicij sedes seruata est. Sed vis iudicare: est tibi tribunal multum habens enolumentum, & nullam referens accusationem. Cōstitue super conscientia iudicantem rationē, & in medium omnia tibi patrata propone, animæ tuæ peccata scrutare, & pœnas exige diligēter & dic: Quamobrem hoc & hoc ausa es? Et si hæc quidem fugiat, aliena vero discutiat, dic ad eam: Non de his te iudico, non pro his venisti te purgatura. Quid enim si ille malus? Quare tu hoc & hoc admisti? Responde, noli accusare, tua consideres, non aliena, & eam in hanc agas anxietatē continue. Postea si nihil, quod dicat, habeat, sed refugiat: dilania flagellans eam quasi quandam ancillam insolentem, & fornicantem: & quotidie iudicium huiusmodi constitue, & ignis flumē designa, veneniferum vermē, tormenta reliqua: nec eam amplius sinas diabolo copulari, nec impudenter loquentē toleres. Ille venit ad me, ipse mihi tendit insidias, ipse me tentat, sed dic ei: Nisi tu velis, illa omnia superflua. Quod si rursum dicat: Corpori connexa sum, carnem induta, mundū habito; in terra cōmoror: dic ad ipsam: Hæc omnia sunt excusationes & prætextus. Nã & ille carnem erat indutus, & ille mundū habitans, & in terra conuersans probabilis fuit: quin & tu ipsa, cū bene te gesseris, carnē circumdata id facis. Quod si doleat hæc audiens, ne tollas manū: nō enim morietur, si perculseris, sed eã ex morte erues. At si rursum dixerit, quod ille exacerbauit, ei responde, sed tibi licebat non exacerbari. Certe frequenter iram cōprensisti. Si dixerit, quod illius species me subleuauit: dicas ei, sed poteras cōtinere, propone victos, propone primā mulierem quæ dixit: Serpēs decepit me, nec à cri mite liberatā. Cū autē hæc examinaueris, adit nemo, nemo tumultuetur: sed sicut iudices sub velis iudicant sedētes: sic & tu pro velis, quietis tēpus & locum inquire. Et cum cœnatus surrexeris, & sis recubiturus, ista tūc discerne. Hoc tibi tempus idoneum: locus autem letus & cubiculum. Hoc & Propheta iussit, dicens: Quæ dicitis

Gen. 3.

Psal. 4.

2. Cor. 11.

Iob 1.

dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini. Et paruorum magnas exige pœnas, ne magnis vnquã approximes. Si per singulos hoc feceris dies, cū fiducia itabis antre tremendum illud tribunal. Paulus ita purus est factus, & propterea dicebat: Si enim nos ipsos iudicaremur, non iudicaremur. Ita filios Iob expiabat. Nam qui pro incertis sacrificia offerebat, multo magis certorum pœnas exigebat: sed nos non ita facimus, sed omne contrarium. Nam simul atq; reclinati sumus, omnia versamus secularia, & hi quidem immūdas inferunt cogitationes, hi vero fœnora & commercia, & corruptibiles curas. Et filiam quidem habētes virginitati seruientem, diligenter custodimus: quæ vero nobis est filia charior, animam fornicari permittimus, & polui, innumeras inducentes in eam improbas cogitationes. Nam siue auariciæ cupido, siue deliciarū, siue splendidorum corporum, siue furoris, siue quis alius ingredi velit, apertis foribus trahimus atq; vocamus, & cū fiducia misceri cū ea finimus: quo quid esse possit magis barbaricum, quàm animam omnium nobis charissimam tot adulteris ludibrio habitam despiciere, & tantū congrementem, quoad illi fuerint satiati: quod nunquam erit. Quapropter, cum somnus occupauerit, tunc tantū abscedunt: imò vero neq; tunc. Nam & somnia & vīsa eadem inferunt illi simulachra. Vnde facta die, talia cōcipiens anima, & in illarum phantasiarū opus plerunq; cecidit. Tu vero nunquã oculorum quidem pupillam modicum aliquē finis puluerem ingredi: animā vero tot malorum sarcinā attrahētem despicias. Igitur quādo sordem hanc exhaurire poterimus, quā per singulos reponimus dies: Quando spinas excidit: quādo semina spargere: Nescis, quōd iā melsis ingruit tēpus, nos vero nondū procidimus arua? Si venerit igitur agricola, nosq; accusauerit, quid dicemus: quid respondebimus? Quod semina dedit nemo: sed profecto quotidie hæc erogātur: sed nemo spinas excidit, & per singulos quidem dies falcē acuimus. At seculares dīstrahūt necessitates. Et quare temetipsum mūdo non crucifixisti? Nā si qui solum reddidit datū, improbus, quoniam nō duplicauit: qui & hoc corrupit, quid audiet? Si ligatus ille eiecit^o est, vbi stridor est dentū: quid nos patiemur, cū innumera nos ad virtutem trahant, refugietes & torpentes: Quid enim te cohortari nō potest? Nōne vides seculi vilitatem, incertitudinem vitæ, circa presentia laborem & sudorē: Nūquid enim virtutem quidem cum labore, maliciam vero sine laboribus obire possumus: Ita q; si hic quidē, & illic labor: quare non hanc capis multū habentem lucrum? Quinimmo sunt quedam in virtute, quæ neq; laborē habent. Quis enim labor, nō detrahare, neq; mentiri, nō iurare, iram proximo dimittere? E contrario quidem hæc facere laboriosum est, & multū afferēs curæ. Igitur quæ nobis erit excusatio, quæ venia, hæc nō præstantibus? Ex his enim manifestū est, q; & magis laboriosa est virtute, quæ torpore nos fugit & pigritia. Quæ cuncta cogitātes, maliciā fugiamus, carpiamus virtutē, vt & presentia bona cōsequamur & futura, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cū quo patri simul & sancto spiritui gloria imperiū & honor, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Quod oportet semper peccatorum memoriam habere:

Et de iudicio. Homilia XLVI.

Incorporis morbum patiamur charissimi, omnia facimus & tractamus, vt à molestia liberemur: anima vero nostra male habente tardamus & differimus, propterea nec à peccatis

liberamur. Quoniam necessaria nobis, superflua sunt, superflua vero necessaria: & malorum fontem omittētes, riuulos expurgare volumus. Quod enim malorum in corpore causa sit animæ nequicia, & ille octo & triginta dissolutus annis, & per teſtum demissus, & prius vero Cain significauit, & ex multis aliis partibus hoc aliquis animaduertit. Auferamus itaque malorum fontem, & omnia morborum sistent fluenta. Non enim solutum esse duntaxat est morbus, verum & peccare: & hoc magis quàm illud, quanto melior est anima corpore. Accedamus igitur ad deum, & nunc oremus, vt animam nostram constringat resolutam: & omnia relinquentes secularia, spiritualium tantummodo curam geramus: si vero & hæc vēdicas, post illam curam agas ipsorum. Ne, quod peccans non doles, parui pedas: sed propter hoc saltem maxime gemas: quoniam peccatorum dolorem non sentis. Nō enim hoc prouenit, quod peccatum non mordeat, sed quod anima peccatis sit insensata. Itaque cogita eos, qui propria sentiunt peccata, qualiter his qui fecantur & vruntur, amarius vlulant. Quot agunt, quot patiuntur, quantum lugent & lamentantur, vt à mala liberentur conscientia: quod non fecissent, nisi vehemēter anima doleret. Melius igitur est, nec omnino peccare: secundum autem est, sentire peccatum, & corrigere. Sed si non hoc habeamus, quo modo supplicabimus deo, & peccatorum veniā petemus, cum nullam peccatorum rationē facimus: Cum enim tu ipse qui peccasti, nec hoc ipsum quidē quod peccasti scire velis, pro quibus peccatis deum orabis: pro his ne quæ nescis: Et quo modo scies beneficii magnitudinem? Dic itaque tua per species peccata: vt quorum capias veniam, intelligas, vt erga benefactorē ita gratis efficiaris. Tu vero hominem quidē exacerbans, & amicos & vicinos & ianitores rogas, & pecunias impēdis, & multos absumis dies accedens & supplicans: & siue semel, siue bis, siue millies te repulerit irritatus, non recedis, sed magis contendens maiorem affers supplicationem. Deo autem omnium exacerbato, oſcitamus & recedimus, & deliciis & ebrietati vacamus, & omnia pro consuetudine facimus: & eum quando propitium facere poterimus: quo modo vero non ex hoc ipso magis eum irritamus? Nam peccantes non dolere, magis eū indignari facit & irasci, quàm peccare. Quapropter ipsam iam dignum est terram subire, nec hunc iolē intueri, neq; penitus spirare, quod tam facilem habentes dominum, & eū exasperamus, & exasperantes penitentiam non agimus: licet ipse neque cum irascitur, exolus hoc & auersatus facit, sed vt vel ita nos ad se trahat. Nā si contumeliā patiens te continuis prosequatur beneficiis, magis eū cōtempseris. Ne hoc itaq; fiat, ad modicū auertitur, vt secū te semper habeat. Ipsi itaque misericordia confidamus, & sollicitam exhibeamus penitentiam, priusquam ingruat hora, quæ nos ex hoc lucrari non permittat. Nam nunc quidem in nobis totum est positum, tunc vero iudicans iolus est sententiæ dominus. Præoccupemus itaq; faciem eius cōfessione, ploremus & lugeamus. Si namq; dominū orare possumus ante rationis diem peccata nobis remittere, nec ingressu iā erit opus. Sicut vicissim, nisi hoc fiat, palam præsentem terrarum orbe, nostrorum vnusquisq; introducetur, & nulla iā nobis supererit veniæ spes. Nullus enim eorum qui hic peccata non dissoluerit, illuc migrans, eorum pœnas effugere poterit: sed sicut ex terrenis carceribus cū catenis ad tribunal adducuntur: sic omnes animæ cū hinc migrauerint variis peccatorū catenis circum-

Psal. 4.

273 QVOD OPORTET SEMPER PECCATORVM REMINISCI. 274

data, ad tremendum aguntur tribunal: nec enim præfens vita carcere melior est, sed sicut illud ingressi domicilium omnes videmus catenis obductos: sic & nūc si nos ab exteriori phantasia separantes cuiusque vitam intrauerimus, animam cuiusque vinculis ferro sauioribus vinctam intuebimur, & maxime si diuitum animas ingrediari. Nam quanto pluribus inditi fuerint, tanto magis sunt compediti. Sicut igitur captiuunt, cū & dorso videris, & manibus, & quandoque pedibus ferro depressum, propterea maxime miserum vocas. Sic & diuitem, cum infinitis rebus circumdatū videris, non propterea locupletem: sed propter hæc ipsa quidē miserum esse puta. Nam & præter hæc vincula custodem etiam habet infestissimum, pecuniarum amorē, qui prohibet hunc egredi carcerem: sed innumeras ei parat pedicas, & custodes, & fores, & obices: & in interiorē coniciēs custodiam, etiam his vinculis gaudere persuadet, ita vt nec vllam inueniat spem ab ingruentibus malis liberari. Et si cogitatione illius animam reuelaueris, non vinctam tantum, verum & squalentem & sordidam, & pediculis plenam videbis. Nam nihilo sunt illius meliores deliciarū voluptates, quin & abominabiles magis, & magis ipsum corpus lædunt & animam, & vtriq; mille morborum inferunt flagella. Propter hæc igitur omnia animarum nostrarum redemptorem deprecemur, vt & vincula dirumpat, & hunc infestū custodem nostrum arceat, & ab illarum absoluens ferrearum pōdere catenarum, pennis leuiorem sensum nobis efficiat. Semper quidem timere peccantes oportet, maxime vero cum graue patimur nihil. Cū enim particulares pœnas deus exigit, leuem nobis facit ex his retributionem: cum autem in singulis peccatorum longanimiter agit, ad magnam in talibus permanentes vltionem seruat. Nam si bene viuētibus necessarium est tribulari, multo magis peccantibus. Vide saltem, quantā nactus Pharao longanimitatem, extremas de omnibus dedit pœnas. Quantum Nabuchodonosor præuaricatus, demū omnia persoluit. Et diues postquā hic graue nihil est passus, propter hoc ipsum maxime factus est miser: quoniam præfenti vita delectatus, illuc migravit omnium pœnas daturus, vbi nullam poterat mali consolationem inuenire. Attamen sunt quidam ita frigidī & insensati, vt præfentia tantum semper inquirant, & illa ridicula dicant verba: Omnibus interim fruar præfentibus, & tūc de incertis considerabo. Indulgebo vetrici, voluptatibus inseruiam. Hodiernum mihi concede, & fume tu crastinum. O dementia excessus: & quid ab hircis & subibus ista dicentes differunt? Nam si proximi coniugi adhinientes, nec homines censerī Propheta permittit: quis non arguet hos hircos & sues, & asinis stolidiores nominans, qui visibilibus manifestiora, dubia esse putant: Nam si non ob aliud credis, crede dæmonibus, qui flagellantur, ad perniciem nostrā omnia dicere & facere meditantis. Non enim ad hoc contradices, quod omnia faciunt, vt nostrum augeant torporem, & gehennæ timorem dissoluant, neq; tribunalia futura credantur: & tamen ista suadentes, frequēter vlulantes & clamātes, illa prædicant tormenta. Hæc igitur vnde dicūt, & eorum quæ volunt, cōtraria loquuntur? Nulla alia de causa, nisi quod maiorem sustinent necessitatem. Nō enim vellent sponte confiteri, neq; quod ab hominibus mortuis torquetur, nec omnino quod aliquid graue patiantur. Ad quid igitur hæc mihi dicta sunt? Quoniam dæmones gehennam confitentur, qui vellent nō credi gehennam: tu vero tali fruens honore, & ineffabiliū par-

ticeps factus mysteriorum, nec illos imitaris, verum & his quoq; factus es ingrator. Et quis, inquires, ex infernis venit, & ista renūciat? Num de cœlis quidem aliquis venit, & dixit quod deus est, qui cuncta creauit? Quod autem animam habeamus, vnde manifestum: Nā si visibilibus quidē credere debes, & de deo, & de angelis, & de mente, & de anima dubitabis: Itaque te destituent omnia veritatis dogmata. Atqui si vis credere manifestis, inuisibilibus magis quàm visibilibus oportet credere: licet dictum sit admirabile, attamē est verū, & apud mentem habētes valde certum. Nā oculi quidem multum falluntur, non in inuisibilibus tantum, nam nec illa norunt: verum & in his, quæ sibi cernere vidētur, & in teruallo, & aëre, & mente alio conuersa, & irā & sollicitudine, & innumeris ipsorum acie impeditibus. Animæ vero ratio, si diuinarum asciscat scripturarum lucē, diligentius erit & infallibile rerum examē. Ne nos temere decipiamus, neque præter vitæ torporē per talia nascentē dogmata, insuper & pro ipsis dogmatibus infestiorē nobis ignem aggregemus: Nam si iudicium nō est, neq; gestorum pœnas dabimus, neque laborum præmia recipiemus: cogita qualis sit blasphemia talis, cū iustum dicatis deum, & misericordem, tot labores atq; sudores negligere: & quo modo rationē hæc habeant? Nam si non aliūde, saltem ex domesticis tuis hæc collige, & tunc absurditatem videbis. Nam etsi sis ipse miles fœuus & inhumanus, & ipsis immittor feris, seruū beneuolum moriens inhonorum & pecuniarū conferres donationem. Et postquam ipse iā abiens boni nihil ipsi conferre potes, futuris rerum tuarum hæredibus eum commendas, supplicans, rogans, & omnia faciens, ne remaneat inhonoratus retributione carens. Dein tu quidem malus cum sis, in seruū te tam bonum & humanū exhibes: deus autem infinita bonitas, benignitas ineffabilis, tāta suauitas, seruos suos Petrum & Paulum, Iacobū & Ioannem, & alios huiusmodi quotidie propter eum famem passos, obiectos bestiis, vinctos, flagellatos, submersos in mare, mortuos, tanta passos, quanta neq; numerari possunt, incoronatos despiciet? Et certaminum quidem editor in olympiis victorem prædicat atq; coronat. Et seruū dominus, & rex militem: & quisq; generaliter cultorem suū, quibus potest remunerat bonis. Deus autem solus post tot sudores & labores neq; paruum neque magnum eis bonum reddit: Sed iusti & pij illi, & omnem obeūtes virtutem in iisdem iacebunt cū adulteris & parricidis, & homicidis, & sacrilegis: Et vbi hæc rationem haberent? Nam si nihil est post hunc obitum, sed vsque ad præfentem vitam sunt nostra, in iisdem illi cum istis, imò vero nec in his ipsis. Nam etsi post præfentia, iuxta sermonem tuum, in iisdem sint: sed hic hi quidem in remissione, illi autem in pœna toto fuerunt tempore. Et quis hoc tyrannus, quis crudelis, & immitis homo de suis vnquam seruis, & subditis ita cōsuluit? Vides absurditatis excessum, & quorsum tendit ista ratio? Igitur etsi non aliūde vis, ex his saltem rationibus eruditus, ab hac improba suspitione liberaberis: & fuge maliciam, pro virtute vero labores suscipe, & tunc manifeste scies, quod nō ad præfentem vsque vitam tantum nostra subsistunt. Et si quis interroget, quis veniens illa nunciavit? Dic ei, hominū quidem nullus: alioqui plerunq; nec ei creditum fuisset, tāquam gloriantī, & factum ostentanti: sed angelorū dominus omnia diligenter illa nunciavit. Quid itaque nobis opus est homine, cū pœnas à nobis exacturus quotidie clamet: quod

quod & gehennam parauit, & regnum constituit, horumque nobis manifestas praebeat probationes: Nam nisi iudicaturus fuisset, non hic poenas exegisset. Etenim hoc ipsum quo modo ratione haberet, ex improbis hos quidem punire, hos autem impunitos sinere: Nam si personarum acceptor deus non est, quod certe non est: quid tandem ab hoc quidem poenas exigit, hunc autem permittit impunitum abire: Nam rursus hoc est & superiori magis dubitandum. Sed si vultis rursus cum gratitudine quae dicuntur audire, & hanc soluimus dubitationem. Quae igitur est solutio: nec ab omnibus hic poenas exigit, ne resurrectionem desperes, & iudicium desinas expectare: quasi omnes hic reddat rationem. Nec omnes rursus abire permittit impunitos, ne rursus omnia providentia carere putes: verum & punit, & non punit. Et in quantum punit, ostendit quod hic punitos & illic rationem exposcet: in quantum autem non punit, facit ut credas quod est aliquid post praesentem peregrinationem tremendum tribunal. Si vero priora penitus omisisset, nec villos hic castigasset, neque beneficisset: nunc autem ipsum propter te vides & caelum extendisse, & accendisse. Solem, & terram fundasse, pontum diffudisse, aërem explicuisse, constituisse cursum, & anni temporibus immotas statuisse leges, & alia omnia suum ipsius nutu diligenter obeuntia cursum. Natura namque nostra, brutorum, reptantium, ambulantium, volantium, natantium in paludibus, in fontibus, in fluuiis, in montibus, in pratis, in domibus, in aëre, & in campetribus degentium: & plantarum & femina, & arbores tam sylvestres, quam domestica, fructuosaeque, & simpliciter omnes ab indefensa illa manu mota nostram dispensant vitam, non tantum ad necessitatem, verum & ad largitatem, ex se ministerium nobis exhibentes. Tantum igitur intus ordinem, quippe cuius neque minimam dixi particulam, audes dicere, quod tot & tanta propter te operatus in opportunitatibus te deseret, & cum alinis & suis iacere mortuum dimittet: & tanto te pietatis munere decoratum, quo fecit & angelis parum, post infinitos despiciet labores, atque sudores: Et haec quo modo rationem haberet: Haec enim licet non sciamus, saxa loquuntur, tam manifesta sunt & clara, & ipsa luce lucidiora. Haec itaque cuncta cogitantes, & nostrae persuadentes animae, quod post hanc peregrinationem & tremendo sistemur tribunali, & omnium gestorum rationem dabimus, & poenas luemus, & ultionem subibimus, si perseueremus peccantes: & coronis arcanis: fruamur bonis, si parum nobis cauere velimus: & his contradicentes obmutescere faciamus, & ipsi virtutis viam eligamus: ut cum congrua fiducia ad illud transeuntes iudicium bona nobis promissa consequamur, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cum quo patri gloria, cum sancto spiritu in secula seculorum, Amen.

Quod supplicio peius est dei regno privari, & de iudicio. Homilia XLVII.

MVLTI hominum, charissimi, gehennam tantum formidant, ego autem illius gloriae amissionem gehenna multo amariorem esse dico: si vero sermone probari non potest, nihil mirandum. Nec enim illorum nouimus bonorum beatitudinem, ut & miseriam ex eorum priuatione manifeste sciamus. Quoniam Paulus qui ista manifeste nouerat, sciebat quod a Christi gloria decidere, omnium est grauissimum. Et nos quoque tunc sciemus, cum in eandem venerimus experientiam. Nunquam autem hoc patia-

mur, o vnigenite dei fili, nec ullam vnquam capiamus experientiam huius irreparabilis poenae. Quatum enim malum sit ab illis excidere bonis, manifeste quidem dici non potest. Quoad tamen potero conabor & contemdam id vobis per exemplum, vel sensum facere manifestum. Supponamus enim puerum esse mirabilem, & cum virtute terrarum orbis imperium habere, & ita semper esse facile, ut omnes in spiritualis affectus charitate sibi deuincere possit: quid igitur huius patrem non libenter passurum putatis, ne ab ipsius excidat conuersatione? Quod vero siue paruum, siue magnum malum non passurum, ut ipsum cernere possit & frui? Hoc igitur & in illa gloria cogitemus. Non enim patri filius, licet miles virtute sit praeditus, ita desiderabilis est & amabilis, sicut illorum fors bonorum, & dissolui & esse cum Christo. Intolerabilis est gehenna, & illa poena: tamen licet quis innumeras ponat gehennas, tale nil dicet, quale illa foelici excidere gloria, a Christo odio haberi: audire, Nescio vos: accusari, quod eum videntes esurientem non pauimus. Etenim infinita satius est fulmina sustinere, quam illam mitem faciem nos auersantem videre, & tranquillum oculum in nos respicere non sufferentem. Nam si me, cum essem inimicus, & eum odissem & auersarer, ipse sic suscepit, ut neque sibi parceret, sed ad mortem seipsum traderet: cum post haec omnia me pane quidem ipsum esurientem dignatus fuero, quibus iam oculis ipsum aspiciam: Considera vero ipsius & hic clementiam. Nec enim beneficia recenset, nec in medium haec omnia promittit: puta, me qui tantum profui, contempsisti: qui te cum non esses, ut esses produxi, animam inspiravi, & omnibus quae sunt, superposui: propter te terram, & caelum, & mare, & aërem, & omnia quae sunt, separatum respexi: qui infinita post haec excogitavi, esse seruus elegi: tu colaphis caesum, sputis illitum, iugulatum, morte turpissima mortuum, & pro te sursum intercedentem, patrem tibi conciliantem, tibi regnum offerentem, pollicentem talia, volentem esse caput tuum, & sponsum & indumentum & domum atque radicem, & cibum & potum, & pastorem ac regem, fratrem & filium, heredem ac coheredem, te diligentem, & de tenebris in lucis participium educentem spreuisti. Haec enim & his plura dicere cum posset, nil horum dicit. Sed quid? solum ipsum peccatum. Et hic vero dilectionem, & desiderium erga te suum ostendit: non enim ait, Ite in ignem paratum vobis: sed, diabolo. Et prius dicit, quasi iniurias commiserunt. Nec ita sustinet omnia dicere, sed pauca. Et prius illos vocat bene meritos, ut & hinc probetur iuste redarguere. Itaque quanta poena non sunt haec verba grauiora? Nam si quis hominum esurientem cerneret benefactorem, non despiceret: si autem & despiceret, improperatus mallet terra obrui, quam coram duobus vel tribus amicis haec audire: quid nos patiemur, coram toto terrarum orbe haec audientes? Quae nunquam tunc dixisset, nisi pro suis excusatione pferre studuisset. Quod enim non improperans, sed excusans ista proferebat: & ut ostenderet, quod non frustra, nec in cassum ad eos dicebat, Ite a me, patet ex ineffabilibus beneficiis. Si enim exprobrare voluisset, omnia in medium illa protulisset: nunc vero quae passus est, tantummodo dicit. Timeamus itaque charissimi haec audire verba. Non est ludus vita, quinimmo praesens quidem vita ludus, futura vero non ludicra. Forte vero neque tantum ludus est vita, verum & peius quid: non enim in risum desinit, verum & sua diligenter disponere nolentibus multum affert nocuum-

mentum. Quid enim a pueris, quae differimus ludentibus, & domos aedificantibus, nos splendidas erigentes domos? Quid autem a prandentibus illis nos delicate vescentes: nihil, nisi quod & cum poena nos haec facimus. Si vero nondum rerum vilitatem conspiciamus, mirandum non est: nondum enim viri facti sumus, sciamus quod haec sunt puerilia: quonia & illa viri euadentes dimittimus. Cum autem pueri sumus, seria esse putamus, & testas & lutum coagmentantes, non minus magna erigentibus septa solliciti sumus, verum tamen statim pereunt, & collabuntur: & neque si starent, usquam nobis vtilia forent, sicut nec ista splendida domus. Caeli namque ciuem admittere non possunt, neque caelestem habens patriam in his morari sustineret. Sed quoad modum nos haec pedibus destruimus, itidem & ille iudicio subuertit. Et sicut nos pueros in subuersione lugentes ridemus: sic & caelites nos haec ingemiscientes, non tantum rident, verum & desunt: quoniam & misericordia sunt ipsorum viscera, & hinc multum est damnum. Efficiamur itaque viri. Quousque solo reptamus, in lapidibus & lignis altum sapietes? Quousque ludimus: & utinam tantummodo luderemus. Nunc autem & nostram proximam salutem. Et sicut pueruli cum in his studiis agunt, literis neglectis, multa sustinent verbera: sic & nos in his omne studium impendentes, dum spirituales exigemur disciplinas tunc per opera, nec quas praestemus habebimus, extremam dabimus ultionem, nec vllus erit qui nos eruat, siue pater, siue frater, siue quicumque. Sed haec omnia quidem transibunt, ex his autem oriens tura manet immortalis, atque continua. Quod & in pueris accidit pueriles quidem ludos propter ipsorum torporem, patre funditus destruentem, ipsos autem in continuo luctu constitutem. Et ut discas, quod haec talia sunt, quod omnium maxime perquiri videtur diuitias in medium agamus, & eis animi quancunque vel virtutem opponamus, & tunc ipsarum praecipue vilitatem videbis. Ponamus itaque duos homines esse, & nondum de auaricia loquor, sed interim de iusto diuite. Et horum duorum hic quidem congregat pecunias, mare nauiget, terram colat, & multos alios inueniat quastus modos: licet nesciam, an haec faciens iuste lucrari possit. Sed concedatur, & fingatur iusta lucra conquirere, & emere agros & seruos & quaecunque talia, & nulla his adsit iniuria: alter autem tanta possidens, agros vendat, vedat domos, & aurea vasa & argentea, & indigentibus praebat, pauperibus suppeditet, curet languentes, in necessitate positos soluat, educat victos, in metallis relictos liberet, deducat illaqueatos, captiuos de calamitate educat: cuius itaque partis esse velletis? Et nondum futura, sed interim praesentia diximus. Cuius, inquam, esse velletis, aurum congregantis, an soluentis arumnas: agros ementis, an se portum reddetis hominum naturae: multo circūdati auro, vel innumeris benedictionibus coronati? Nonne hic quidem angelo quidam est similis, caelitus ad reliquorum hominum liberationem delapsus: ille vero nec homini, sed puerulo cuiquam incassum, & temere cuncta congreganti? Si vero iuste locupletari tam ridiculum est, & extremae dementiae, cum nec iuste fiat quo modo non est omnium miserimus huiusmodi? Si vero risus est tantus, cum & gehenna iungatur & regni iactura: quantis sit lachrymis dignus & viuens & mortuus? Verum & alteram, si vis, partem virtutis tractemus. Igitur rursus alii producamus hominem in potentia constitutum, omnibus imperantem, magna suffultum potestate, praecone praclarum habentem,

tem, & zonam & lictores & multum famulatus coetus: nonne magnum hoc esse videtur & beatum existimandum? Eia igitur & alterum huic rursus opponamus patientem, & mitem, & humilem, & longanimum: & contumeliosum afficiatur, percutiatur, & aequae ferat, & talia facientibus benedicat. Vter igitur quae mirabilis, inflatus & ardens, an correctus & humilis? Nonne rursus hic quidem caelestibus similis est virtutibus, multam habentibus impassibilitatem: ille autem folli, cum trahitur, vel homini veteri patienti, & multum ardorem? Et hic quidem spiritali medico, ille autem puero ridiculose tumentes habenti maxillas: Quid enim altum sapiens homo: quonia sublimis in curru veheris? quod te miliorum trahit iugum? & quid hoc? Hoc enim & in lignis, & in lapidibus fieri quis viderit. Sed quod pulchris indutus es vestibus? Sed intueri virtute pro vestibus indutum, & te quidem faeno marcescenti similem reprehendes: illum autem arbori mirabilem fructum ferenti, & multam spectantibus delectationem praebenti. Tu quidem vermium & tinearum escam circūfers, quae si te inuadant, breui te hoc nudum ornatu reddet. Etenim & vestes & aurum & argentum, haec quidem sunt vermium pensae: haec autem & terra & puluis, & iterum terra & amplius nihil. Virtutem autem indutus, talem habet vestem, quam non tantum tineae, verum & mors ipsa laedere nequit: & merito. Non enim haec animi virtutes ex terra originem trahunt, sed spiritus sunt fructus. Propterea neque tinearum dentibus obnoxia sunt. In caelo namque haec vestes texuntur, ubi neque tineae, neque vermis, neque aliud huiusmodi quicquam. Quid igitur, quae melius: diuitem an pauperem esse: in potentia, an in ignobilitate: in deliciis, an in fame? Planum est, quod in honore, diuitiis atque deliciis. Igitur si res exigunt, licet aliter nomina, terram deserens atque terrena, in caelum transgredere. Ipse namque dicit dominus: Descendet de caelo in iussu, in voce angelorum, ut resuscitatos quidem colligant angeli, collectos autem rapiant in nubes. Et haec omnia fiunt in momento, in ictu oculi. Non enim superius manes eos vocat, sed ipse venit in tuba. Quid sibi tubae volunt & sonus: ad excitationem, ad delectationem, ad significationem eorum quae fient admirationis, ad deficientium dolorem. Heu mihi ab illa die tremenda: oportet nos gaudere cum haec audimus, sed magis dolemus, & maestum sumus. An ego solus haec patior: vos autem haec audiendo gaudetis: si quidem mihi, dum haec dicuntur, horror quidam subrepat, & amare gemo, & ex profundissimo corde suspiro. Horum enim nihil ad me. Sed illa post haec, ad virgines dicta, ad eum qui talentum, quod acceperat, infodit, ad nequam seruum. Propterea desleo, ex quanta debemus excidere gloria, quanta spe bonorum, & hoc iugiter, & in sempiternum, ne parum curemus. Si labor quidem esset magnus, & lex grauis, oportebat & ita quidem omnia facere: verum tamen excusationem aliquam habere viderentur multi torpentes, frigidam quidem, viderentur tamen habere mandatorum magnitudinem: & quia magnus esset labor, & infinitum tempus, & importabilis sarcina. Nunc vero nihil huiusmodi potest praetendi, quod nos non minus gehenna corrodere debet per illud tempus: cum propter breue monumentum, & exiguum sudorem, caelum & arcana bona nos amisisse viderimus. Tempus enim est breue, & modicus labor, & tamen resoluti sumus & recedimus. In terra decertas, & in caelo corona: ab hominibus puniris, & honoraris a deo. Duobus curris diebus, & in infinitis praemia fecalis: in corruptibili corpore lucta, & honores

& honores in incorrupto. Præter hæc autem & illud cogita, quod nisi propter Christum eligimus tristitia pati, necessarium est omnino & aliter ipsa sustinere. Nec enim, nisi propter Christum moriaris, es immortalis: neque nisi propter Christum pecunias eroges, illas tecum portans, migrabis. Hæc abs te repetit, quæ, vel nõ repente, dabis: quoniam es mortalis. Hæc te vult voluntarie gerere, quæ per necessitatem oportet te facere. Tantum autem solum a deesse petit, ut propter ipsum fiat: quoniam alioqui accidat hæc præterire, ex naturali necessitate. Vidisti, quàm sit facile certamen? Quæ prorsus, inquit, necessarium est pati, propter me pati malis. Hoc duntaxat propositum sit, & sufficientem habeo obedientiam. Quod alteri fœnori daturus es argentum, hoc mihi mutua: & maiore stipendio, maiori securitate: quod alterius militiæ corpus addicere debes, mihi mereat. Retributionibus enim tuos transcendendo labores ex magna superabundantia. Tu vero in cæteris quidem plura præbentem præponis, & in mutuis, & in emptione, & in militia: Christum autem solū plus, & infinito plus omnibus præbentem non suscipis: Et quod tantum est bellum: quæ tanta inimicitia? Vnde iam veniam & excusationem habebis, cum nec ex quibus homines hominibus præfers, ex his deum hominibus præferre patiaris? Quid terræ credis thesaurum? Da manibus meis, inquit. Non tibi videtur esse, quàm terra fide dignior terræ dominus? Illa conditum reddit, plerumque vero nec hoc: ipse vero custodia quoque mercedes tibi reddit, nos enim vehementer amat. Propterea siue fœnerare velis, est paratus: siue seminare, ipse suscipit: siue velis ædificare, ad seipsum te trahit, in meis, inquit, ædifica. Cur non curris ad deum, & ad homines pauperes, pro paruis præmiis magna tibi præbentes negocia? Veruntamen neque toleramus hæc audientes, sed vbi pugna sunt, & lites, & calumnia, eò properamus. An non igitur iuste nos auersatur, & punit, cum ad omnia se nobis præstet, nos autem resistamus? Quo modo non iuste? Siue igitur ornari velis, inquit, ornatum meum accipe: siue armari, arma mea: siue indui, vestimenta mea: siue vesci, mescam meam: siue ambulare, viam meam: siue hæreditatem petere, hæreditatem meam: siue patriam ingredi, ciuitatem cuius ego sum artifex & creator: siue domum ædificare, in tabernaculis meis: eorum enim quæ ipse præbeo, mercedem non exigo: verum & huius ipsius mercedem tibi debeo, si meis omnibus uti volueris. Quid huic æquale sit largitati? Ego pater, ego frater, ego sponsus, ego domus, ego altor, ego vestimentum, ego radix, ego fundamentum. Quicquid vis, ego, nullus indigeas. Ego quoque seruiam. Nã veni ministrare, non ministrari. Ego & amicus, ac membrum, caput & frater, & soror, & mater, omnia ego. Tãtum mihi te familiarem exhibeas. Ego propter te pauper, peregrinus propter te in cruce propter te, propter te in monumento. Sursum pro te penes patrem intercedo, deorsum pro te legatus à patre descendi. Omnia mihi tu, & frater, & coheres, & amicus, & membrum. Quid vis amplius? Quid amantem auersaris? Quid in mundo fatigaris? Quid in perforatum hauris dolium? hoc enim in præsentem vitam laborare. Quid ignem fodis? Quid aërem percutis? cur in vanum curris? nõne qualibet ars finem habet? Sed nõn habes, quod vanitas vanitatum, omnia vanitas? Eamus ad sepulchrum, ostende mihi patrem, ostende uxorem. Vbi aureis indutus vestimentis, in curru sedens habes exercitus, zonam, & præcones: qui hos quidem occidebat, hos autem in carcerem cõiciebat: qui

Matth. 20.

quos vellet interfecit, & vicissim quos vellet absoluebat, nihil video præter ossa, vermes, & araneas. Illa omnia sunt terra, omnia fabula, omnia somnium & umbra, vel narratio tenuis, & pictura: imò vero neque pictura. Picturam enim vel in imagine cernimus, hæc autem nec imaginem, & vti nam hæc tenus grauiam. Nunc autem honores quidem, & delicia, & claritas ad umbram vsque & verba. Ex eis autem procedetia, nec vsque ad umbram & verba: sed manent, & illuc nobiscum migrabunt, & omnibus erunt manifesta, rapina, & expilationes, fornicationes, adulteria, & innumera huiusmodi grauiam non in imagine, nec in fauilla, sed sursum scripta tam verba quàm opera. Quibus ergo Christum oculis cernimus? Nam si patrem quidam, sibi peccati conscius, respicere non audebat: quo modo tunc in ipsum patre multo benigniorem respiciemus? quo modo feremus? Assistemur enim tribunali Christi, & omnium erit acris examinatio. Si quis vero futurum non credit iudicium, quæ sunt hic videat, in vinculis positos, in metallis, in stercore, in dæmonibus obsessos, errantes, incurabilibus laborantes morbis, cum continua certate paupertate, in fame viuentes, irreparabilibus conseruatos luctibus, in captiuitate positos. Non enim hinc nunc passim essent, nisi & omnes alios, qui talia peccarunt, vltio maneret atque supplicium. Si vero reliqui nihil hic passim sunt, hoc ipsum ergo te signum oportet facere, quod omnino sit aliquid post nostrum hinc obitum. Non enim cum sit omnium idem deus, hos quidem punisset, hos autem dimississet impunitos, cum eadem admiserint, vel grauiora, nisi quam eis vltionem illic esset illaturus. Ex his itaque rationibus & exemplis nos ipsos humiliemus. Et de iudicio non credentes, iam credant, & fiant meliores: ut cum hic digne regno vixerimus, & futuras effugiamus pœnas, & æterna bona consequamur gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cui gloria, imperium atque magnificentia cum patre principij nescio, sanctissimo atque viuifico spiritu in vniuersa secula seculorum, Amen.

De tremenda iudicij die, & de dei dilectione.
Homilia XLVIII.



Nusquisque vestrum charissimi, suam ingressus conscientiam, & peccata reputans, diligenter à semetipso pœnas exigat, ne quandoque cum orbe terrarum condemnemur. Tremendum enim illud subsellium, horrendum tribunal, tremore plena iudicia, ignis funditur fluius, frater non redimit, redimet homo? Recordare siquidem quæ dicuntur in Euangelio, circumcurrentium angelorum, sponsalis thalami clausi, extinctarum lampadarum, postestatum in fornaces detrahentium. Et illud pœsa, quod si cuius ex nobis factum occultum in medium hodie coram sola produceretur Ecclesia: quo modo non perire, & sibi terram hiscere precaretur, potius quàm tot malicie testes habere? Quid tunc ergo patiemur, cum in medium coram mundo cuncta promentur, in teatro tam claro & illustri, & nobis notis & incognitis omnia spectantibus? Sed heu mihi, cur vos terrere cogor ex hominum opinione, cum sit opus ex dei timore, & ipsius damnationis hoc agere? Quales enim, quæso, tunc erimus, cum ligati cum stridore detium in exteriores tenebras proiciemur? Imò vero quid agemus (quod & omnium est terribilissimum) cum deum offenderimus? Si quis enim sensum habet, & mentem, iam & gehennam sustinuit, postquam ex dei conspectu recessit: sed postquam hoc

1. Cor. 15.

3. Reg. 14.

Mich. 6.

1. Cor. 5.

hoc non dolet, propterea ignis intentatus est. Oportebat enim non quado punimur, dolere: sed quado peccamus. Audias itaque Paulum gemetem, & pro peccatis deflentem, quorum non erat pœnas daturus. Non enim, inquit, sum dignus vocari apostolus, quoniã persecutus sum ecclesiã dei. Audias & Dauid à pœna quidem absolutum: sed quoniam se deum offendisse timebat, pœnam aduersum se vocantem, & dicentem: Fiat manus domini in me, & in domum patris mei. Deum enim offendisse quàm puniri grauius est. Nunc vero tam misere nos habemus, quod nisi gehennæ timor esset, non eligeremus boni quid facere. Propterea si non ex quoquam alio, ex hoc certe gehenna digni essemus, gehennam plus quàm deum timentes. Sed non ita beatus Paulus, sed in cõtrarium: sed quoniam nos aliter, propterea gehennæ damnatur. Quippe si Christum diligemus, sicut oportet diligere, cognosceremus quod gehenna grauius est dilectum offendere: quoniam autem non diligimus, huius pœnæ nescimus magnitudinem. Et hoc est, quod maxime conqueror, & desleo. Et quid enim deus non fecit, ut à nobis diligeretur? Quid vero non adinuenit: quid autem omisit? Ipsum iniuriã nihil operatum cõtumelias affecimus, quin & infinitis, & ineffabilibus bonis nos persecutum. Vocantem auersati sumus, & vndique nos attrahentem, nec ita nos puniuit, sed occurrit ipse, & fugientes cohibuit, & excusati sumus, & ad diabolum resiliuimus: & nec ita recessit, sed innumeros misit rursus consolantes, prophetas, angelos, & patriarchas: nos autem nõ modo legationem non suscepimus, verum & venientes affecimus contumelia. Ille vero neque post hæc nos aspernatus est, sed sicut amatores ardentissimi, qui contemnuntur, circummibat, omnibus occurrès, cœlo, terra, Hieremias, Micheas: non ut grauaret, sed ut se spernentes excusaret, & cum prophetis ad ipsos accedebat se auersantes, pœnas pendere paratus, & ad reddendam rationem descendere dignatus. Et ad omnia surdos factos ad colloquiũ secũ trahens. Ait enim: Popule meus, quid tibi feci? vel quid te contristauit? responde mihi. Post hæc omnia, prophetas occidimus, lapidauimus, infinitis aliis insecuti sumus molestiis. Quid ergo pro his? Non amplius prophetas, non angelos, non patriarchas: sed ipsum misit filium. Et ipse veniens, occisus est: neque sic amorem extinxit, sed magis accendit, & permanet obsecrans: & postquã ipse interfectus est filius, & supplicans, & omnia agès, ut ad se conuertat. Et clamat Paulus, dicens: Pro Christo itaque legatione fungimur, tanquam deo per nos exhortante, ut conciliemini deo: sed horum nos nihil cõciliauit. Ille vero nec ita nos deseruit, sed perseverat, & gehennam minitans, & regnum pollicens, ut velita nos attrahat: nos autem immotos adhuc nos exhibemus. Quid hac feritate sapius esse possit? Si enim homo hæc fecisset, nõne facti sapius ei serui essemus? Deũ autem auersamur creatorem. O ignauiam, & nequiciam viuimus, si qui semper quidem in peccatis & nequiciis viuimus, si quod non nunquam exiguum gerimus bonum, secundum ingratos seruos, multum quæstum exigimus, & de retributione subtiliter cõputamus, si quam modo mercedem res habet. Et maior quidẽ merces, sed non mercedis spe facias. Hæc enim dicere, & diligenter ratione supputare, mercenarij magis verba sunt, quàm grati serui. Opus est enim propter Christum omnia facere, non propter mercedem, sed propter ipsum. Nam & propterea gehennam minatus est, & regnum pollicitus, ut à nobis diligatur. Diligamus igitur eum, sicut oportet diligere. Hæc enim magna merces, hoc regnum & voluptas, hæc delicia, gloria & honor, hæc lux, & magna beatitudo, quam sermo declarare non potest, non mens cõprehendere. Sed nescio qualiter in hos descendit sermones, hominibus neque principatũ, neque præsentem contemnentibus gloriam, propter Christum iubens regnum cõtemnere: licet illi generosi magnique viri ad hanc charitatis mensuram peruenerint. Audias itaque, quo modo Petrus ipsius flagrat desiderio, & anima, & vita, ac omnibus ipsum preponens: quando vero negauit eum, non propter pœnam flebat, sed quoniam quem desiderabat, negauit, quod ipsi cunctis erat pœnis amarius. Et hæc omnia ante Christi gratiam exhibebat, & iugiter instabat, dicens. Quo vadis? Et ante hoc, Ad quem ibimus? Et iterum: Sequar te, quocumque iueris. Ipse enim eis erat omnia, neque cœlum, neque cœleste regnum ante desideratum ducebãt. Ait enim, Tu mihi cuncta illa. Et quid miraris, si Petrus erat talis? Nã audi quid & propheta dixerit: Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? Quod autem dicit, est huiusmodi: Non cœlestia, non terrena, nõ aliud cupio, nisi te solum. Hoc est amor, hoc charitas. Si sic amemus, non præsentia tantum, verum & futura nihil ad amorem illum censebimus. Et hinc regnum lucrabimur, ipsius charitate fruente. Et qualiter, inquit, hoc erit? Cogitemus, quoties eum affecimus cõtumelia post infinita bona, ipse vero perstitit rogans: quoties ipsum negleximus, ipse vero non despicit: sed occurrit & allicit, & ad seipsum trahit. Nam si hæc & huiusmodi cogitemus, hoc poterimus accedere desiderio. Si enim homo vilis esset, qui sic diligeret: rex autem qui ita diligeretur, non esset reueretia habita dilectionis magnitudo? Multum profecto. Cum vero contrarium sit, & ineffabilis quidem pulchritudo sit & gloria nos diligetis ac diuitiã, nostra vero vilitas maxima, quo modo non sumus infinita digni pœna, tam viles & abiecti à tam magno & mirabili cum omni excessu dilecti, & in ipsius dilectione procaciter agentes? Ille nostrorum non indiget, nec ita desistit nos diligere: nos autem eo plurimum egemus, & ne ita quidem ipsius vendicamus charitatẽ: sed ipsi pecunias præferimus, & hominum amicicias, corporisq; remissionem, potentiam, & gloria illi, quæ nobis præfert nihil. Vnum enim habebat filium vnigentium atque legitimum, nec huic propter nos pepercit. Nos autem ei multa præponimus. Non igitur merito foret gehenna & pœna, etiam si dupla foret ac tripla, milliesq; tanta? Quid enim dicere possemus, cum satanæ præcepta Christi legibus præferamus, & nostrã negligimus salutem, ut ne quicquid præponam opera, ei qui pro nobis omnia passus est? Quali venia sunt hæc digna? quali excusatione? nulla. Stemus itaque tandem per præcipitia delati, & reuigilemus hæc omnia recogitantes, & ipsi per opera gloriam reddemus: non enim per verba satis est. Quoniam ipse rursus ad nos secunda venit præsentia. Nam nos trahens, & ita postquam accepit, abijt, & hoc honoris maximi. Nam si ad inimicos venit, multo magis ad amicos redditos. Nõ angelis hoc mandat, neque seruis, sed ipse nos ad suas venit regias vocaturus. Rapiemur & nos in nubibus eum honorantes. Quis igitur tunc inuenietur fidelis seruus & prudens? Qui digni tantis censeudi sunt bonis: quàm miserabiles excidentis? Nam si toto tempore fleuissimus, aliquid ne dignum tanto fecissemus honore. Nam si mille dixeris gehennas, nihil illius par dices doloris, quem sustinet anima, dum to-

Psal. 72.

tus terrarum orbis conuoluitur, canentibus tubis, angelis præcurrentibus primis, tum secundis, mox tertiis, demum innumeris ordinibus in terram se fundentibus, insuper autem & Cherubin (multa vero sunt hæc & infinita) & Seraphin, in illa ineffabili gloria ipso veniente, occurrentibus qui venerint, vt in medium electos agat: Paulo cum locis omnibus, & quicumque probabiles apud eum fuerunt, coronas, præconia, & honores à rege suscipientibus coram toto cœlesti exercitu. Nam si neque gehenna censeatur hos quidem honorari, illos vero contemni, quantum est? Intolerabilis gehenna, confiteor, & multum intolerabilis: tamen intolerabilior hæc regni amissio, hoc cogitate. Si quis rex, vel regis filius profectus, & bellis innumerabilibus expeditis admirationi habitus, & vniuersum habens exercitum, aliquam ascenderet ciuitatem curru, cum trophæis, cum innumeris ordinibus, cū aureis clypeis circa se ministris occurrentibus, & coronata tota ciuitas esset, & omnes orbis principes cum eo: ipsum autem omnis alienigenarum gentium captiuarum atas retro sequeretur, mox duces, satrapas, & ciues presentibus cunctis magistratibus, cum omni ille splendore occurrentes susciperet, & oscularetur, manū porrigeret, & omnem exhiberet fiduciam: & omnibus adstantibus tanquam ad amicos loqueretur, & diceret omnem illam viam se propter eos fecisse, & in regias deduceret, & cum eis communicaret: licet alij non puniretur, quantæ pœnæ est horum priuatio comparanda? Si vero coram hominibus tam amarum est ab hac excidere gloria, multo magis corâ deo, cum supernæ virtutes omnes aderunt cum rege, cum victi dæmones, & deorsum inclinati, & ipse diabolus agetur captiuus, & omnis contraria multitudo, cum virtutes cœlorum, cum ipse veniet in nubibus. Credite mihi, ex dolore, qui detinet animam meam, ab hac narratione neque sermone expedire possum. Cogitemus quanta priuamur gloria, cū liceat non priuari. Hoc enim graue est, quod cum domini simus ne hoc patiamur, patimur, cum hos quidem suscipiat, & ad patrem in cœlos perducatur: hos autem relinquat, & captos angeli quidam inuitos trahant, & lachrymis persufos, & deorsum tuentes in gehennæ flammam, prius coram toto terrarum orbe ad dedecus productos: quantum dolorem esse putas? Festinemus itaque dum tempus est, & multam salutis nostræ curam geramus. Quot talia dicimus, qualia diues: puta si quis nunc permitteret, vt illum cōsultarem aliquid, sed indulget nemo. Et quod dicimus, non tantum ex illius verbis, verum & ex pluribus aliis est manifestum. Et vt discas, quot in febre fuerunt, & dixerunt: Si nosmetipfos reparauerimus, non amplius iisdem incurremus. Multa tunc dicimus huiusmodi, sed audiemus quæ diues, quod chaos intercedit, quod hic accipimus bona. Gemamus itaque precor amare, quin vero non tantum gemamus, verum & virtutem obeamus, lugeamus nunc ad salutem, ne tūc frustra lugeamus. Ploramus, & non plorabimus tūc super malo. Hic est virtutis ploratus, ille cogitationis inutilis. Nos ipsos nunc tribulemus, ne tunc tribulemur. Non est idem hic & illic conteri. Hic ad breue tempus est contritio, quin vero neque cōtritionis sensum capis, sciens quod ad bonum tribularis: illic autem molestior tribulatio: quoniam non est in spe, neque in aliquo transitu, sed in infinitum, & semper. Fiat autem, vt omnes liberati, remissionem assequamur: sed oremus, & studeamus, vt remissionem consequamur, studeamus oro. Nam si stu-

deamus, orâtes expeditimus. Si prolixè oremus, dat deus optata: si vero nec eum petamus, nec aliquid operemur huiusmodi, neque laboremus, quo modo potest vnquam quicquam a dormientibus expediri? Nullo modo credibile est currentes, & se extendentes, & ipsius morti conformantes (sicut ait Paulus) assequi non posse, si quo modo perueniam, inquit. Si vero Paulus ait, Si quo modo perueniam, quid nos dicemus: nedum dormientes. Dormiens enim ne temporalia quidem, nec spiritualia negocia posset vnquam obire. Dormientes, nec ab amicis accipere possunt, nedum à deo. Dormientes neque parentes honorât, nedum deum: paulum laboremus, vt semper requiescamus. Tribulari prorsus oportet: & nisi tribulemur hic, illic nos seuior manet tribulatio. Quare non eligimus hic tribulari, vt illic requiescamus, & bona consequamur ineffabilia: In Christo Iesu domino nostro, cū quo patri gloria, cum sancto spiritu in secula seculorum, Amen.

De iudicio & auaricia, quæ non ex magnitudine, sed ex voluntate indicatur. Et de his qui gehennalem pœnam non credunt.
Homilia XLIX.

SICVT corpus nostrum non semel cibatum, totius vitæ substantiam habet, sed quotidiano habet opus nutrimento: ita profecto & in pietate per singulos dies ex operibus indigemus adiumenti. Multa nanque nobis opus est misericordiarum propter peccata nanque nostra clemens deus illa facit omnia: nihil eorum quidem indigēs, sed omnia propter nos faciens. Propterea nanque nobis omnia dixit & enarrauit: nec solum narrauit, sed & per opera confirmat. Dignus quidem erat fide, vel ex solis verbis: at tamen ne quis excessus, aut comminationis solius esse putet verba, & per opera certitudinem addit, & communiter & priuato pœnas inferēs. Et vt per ipsa discas opera, nunc quidem Pharaonem vltus est, & nunc aquarum induxit diluuium, & illam generalem cladem, nunc autem ignis. Et nunc quidem multos puniri videmus malorum, & pœnas pendentes, quæ sunt gehennæ probationes. Nam ne dormiamus, neque torpeamus, neu verborum obliuiscamur, per opera nos commonet & excitat, hic ostēdens iudicia, tribunalia, pœnas. Et apud homines quidem tanta iusti cura: apud deum autem qui hæc quoque sanciuir, horum nulla ratio? Et quo modo fidem hæc haberēt? Nam & domi, & in foro possumus, & vbique iudicia videre. Domi nanque dominus seruos per singulos iudicat dies, & peccatorum ab eis pœnas exigit: & hæc quidem punit, hæc autem ignoscit. In agris rursum agricola, & terram quotidie iudicat. In nauigijs nonne iudicat gubernator? In castris milites imperator. Et multa quis inueniret iudicia: in artibus magister iudicat discipulū. Et priuatum igitur & communiter omnes alterutrum iudicant. Et nusquam iustum negligi quispiam cerneret, sed omnes vbique luentes. Tum hic quidem ita per ciuitates & domos, & apud vnumquemque iusti quæstio dispersa fuerit: illic autē vbi iusticia plena est dextera dei, & iusticia ipsius vt mōtes dei, illic putas nulla iusti ratio? Et quo modo deus iudex & iustus, & fortis, & patiens sustinet, & pœnas hic non exigit? Habes causam. Loganimis, inquit, est. Longanimiter autem agit, ad pœnitentiam te trahens: si vero permanes, secundum duriciam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram. Igitur si iustus est, quod dignum est reddit, nec inultos despicit male patientes. Si fortis, & post mortem reddit

dit (hoc enim est fortitudinis) & in resurrectione. Et A patiens, inquit: si patiens est ne tumultuemur, neque dicamus: quare non hic inuoluitur? Nam si factū hoc fuisset, genus humanum iam esset præreptum, si per singula à nobis peccata pœnas exigeret. Non est enim non est dies à peccato pura, sed vel magnum, vel paruum quid offendimus. Itaque nec ad vigesimum annum vltus ex nobis perueniret, nisi multa foret ipsius longanimitas & bonitas: multum nobis pœnitentiæ præfiniens spacium, vt peccata iam exuamus. Igitur vnusquisque cum conscientia recta, ingrediens facta sua, & omnem suam in medium agens vitam: si non infinitis dignus est suppliciis & pœnis, consideret. Et cum indignetur, cur ille multa committens mala pœnas non exoluat, sua cogitet, & ab indignatione desistet. Illa nanque videntur magna: quoniam in magnis fiant & manifestis: si vero sua exquireret forte plura reperiret. Rapere enim & vsurpare simile est, siue in argento siue fiat in auro. Ex eadem enim mente nascuntur vtraque. Et qui paruum subripuit, nec magnum subripere recusabit. Si vero non adest, non propter illum hoc factum est, sed propter rei euentum. Qui pauperiorem afficit iniuria pauper, neque si posset, diuitem ommitteret: sed infirmitatis, non illius voluntatis iam est opus. Ille dominatur, inquit, & subditorum bona diripit: tu vero, quæso, non rapis? Ne nanque mihi dicas, quod ille auri talenta, tu vero decem obolos. Quoniam & in elemosyna, hi quidem aurum coniciebant, illa vero duo minuta, & nihil illis minus contulit. Quare? Voluntas enim iudicatur, & non datum. Postmodum in elemosyna quidem ita deum censet iudicare, & nihil minus propter paupertatem referri, si duo minuta conferas, quam qui mille auri talenta erogant: in vsurpatione vero non ita. Et quo modo rationem habet? Sicut illa duobus erogatis minutis ex voluntate nihil illis minus intulit: itidem & tu duobus raptis minutis, nihilo melius affectus es. Sed si mirabile quid dicere licet, plus illis vsurparis. Sicut enim siue quis regis vxorem polluat, siue pauperis, siue serui, similiter est adulter: cum peccatum non ex personarum differentia iudicetur, sed ex aucti voluntatis improbitate: ita scilicet & hic. Etenim ego magis adulterum dixerim in quamlibet adulterium patran-tem, quam in ipsam reginam. Hic enim & diuitiæ sunt, & species, & multa quæ alliciunt: illic vero nihil. Itaque magis hic adulter fuerit. Rursus ebrium magis dixerim malo vino abutentem: sic & auarum neque minima respicientem. Nam qui multa rapit, parua fortasse contemneret: qui vero parua subripit, magna nunquam contemneret: igitur magis hic fur est. Qui enim argentum non spernit, aurum quo modo aspernabitur? Itaque cum magistratus criminamur, nostra ipsorum cogitemus, & nos inueniemus illis amplius furantes & rapientes: non ex facto, sed voluntate hæc iudicamus, sicut & iudicare iustum est. Dic enim mihi, si quis produceretur, qui pauperis bona vsurpasset: alter autē, qui diuitis: nonne similem ambo pœnam exoluunt? Quid autem homicida: nonne similiter est homicida, siue cæcum & pauperem, siue pulchrum & diuitem occidat? Cum itaque dicimus, quod ille illius agrum rapuit, nostra cogitemus, & ita nec alios condemnabimus, & dei patientiam admirabimur. Nec indignamur, quod non veniat iudicium super eos, & nos ad malorum operationem tardiores erimus. Quam igitur excusationem habebunt digni putati, & tantam nacti donationem, & terrenorum facti cupidi, & ad terram reciden-

tes? Multos enim audio dicentes hæc ridiculosa verba: Hodierna mihi da, tu vero sume crastinum. Nam si talia sunt illic, inquit, qualia dicitis, vnum pro vno factum est: si vero nihil omnino sit, duo pro nullo. Quid his iniquius verbis? quid vero vanius? Nos de cœlo differimus, & illis ineffabilibus bonis, & tu ludos curules nobis agis in medium: nec erubescis, nec absconderis talia loquens, quæ vacillantium sunt? non pudet terram tantum affigi, non desines desipere, mentemque excedere, & iuueniliter nugari? Et Græcos quidem hæc dicere nil est mirandum. Fideles autem homines talia garrere, qualem habet veniam? Non enim in dubio ponis spes illas immortales? omnino putas hæc esse dubia, & hæc quo modo venia sunt digna? At inquit: Quis venit, & quæ sunt illic annunciat? Hominum quidem nemo, sed deus omnium fide dignissimus hæc manifestauit. Sed illa vero vides. Nec enim deum vides: igitur deum non esse putabis, quoniam eum non vides? Immo esse penitus credo, inquit. Si quis igitur infidelium te interrogauerit, quis venit de cœlo, & hæc renunciauit? quid dices? Vnde nosti, quod dens est? Ex his quæ videntur, inquit: ex ordine, qui est in tota creatura, ex eo quod omnibus hoc est manifestum. Non igitur & de iudicio sermonem ita suscipis? Quo modo, inquit? Interrogabo te, tu vero responde: Iustus est hic deus & pro merito cuique retribuit: an in contrarium, iniustos quidem vult esse tranquillos, & gaudere, bonos autem in oppositis esse? Nequaquam inquit, nec enim hoc homo pateretur. Vbi igitur qui hic bona fecerunt bonis fruuntur, vbi vero mali contrariis, nisi quippiam esse vitæ deberet post hæc & retributionis? Vides quod vnū pro vno interim, & non duo pro vno. Ego vero progressus tibi demonstrabo, quod nec vnum pro vno, sed duo pro vno erunt iusti: peccatoribus autem & hic gaudentibus omne contrarium. Hic enim gauisi, nec vnum pro vno acceperunt: in virtute vero degentes, duo pro nullo. Qui nanque sunt in quiete, presenti vita abutentes, an sapienter instituti? Tu quidem illos fortè dices, ego autem hos: & testes illos ipsos in presentibus delectatos produco. Nec erubescant ad ea quæ dicturus sum: etenim spon- sas frequenter concupierunt, & die qua iuncti sunt thalami, non matrimonio iunctos vocauere beatos. Multi vero iuuenū & paratas sibi nuptias non ob aliud recusauerunt, quam propter rei pondus. Et hæc dico non nuptias accusans (venerabiles enim sunt) sed eos qui abutuntur. Si vero in nuptiis cōuersati vitam non vitalem frequenter existimarunt, quid de proiectis in meretricias voragines dixerimus, & omni captiuo feruilius & miserius affectis: de his qui in deliciis contabuerunt, & innumeros inuexerunt corpori morbos? Sed in gloria esse iucundum. Immo nihil hac amarior feruitute: omnibus enim seruis magis est seruus gloriæ cupidus, & quibuslibet placere volens. Hanc vero pefundās omnibus est superior, ab aliis gloriam dari non curans. Sed habere pecunias, amabile. At sapiens ostendimus, quod in maiori sunt abundantia & quiete, ab his absoluti, & nihil habentes. Sed inebriari, voluptuosum. & quis hoc dixerit? Igitur carere diuitiis iucundius, quam habere diuitias: vxore carere, quam coniugio vincitum esse: & inani gloria liberum esse, quam ventosam captare gloriolam: & delicias fugere, quam deliciis immergi. Et hic plus habent presentibus non affixi. Et nondum dico, quod ille quidem, licet innumeris distendatur tormētis, bonam habet spem se sustentem.

tantem: hic autem licet plurima fruatur delectatione, futurorum timorem habet voluptatem suam turbantem & confundentem. Nam & hic non parua poenae modus, sicut oppositus, deliciarum & quietis. Et tertius vero post hunc est modus. Qualis autem iste? quod secularis quidem deliciae, neque cum apparent, sunt, cum natura redarguantur & tempore. Illa vero non modo sunt, verum & immota manent. Vides quod non duo pro nullo tantum, verum & tria, & quinque, & decem, & viginti, & decem milia pro nihilo ponere poterimus? Ut autem & per similitudinem hoc discas: diues & Lazarus, ille quidem praesentibus, hic vero futuris fruebatur. Nunquid igitur esse tibi videtur vnum & vnum in omni tempore puniri, & breui hora esurire? In corruptibili corpore, & in mortali grauius torreri, deinde coronari, & post breuem illum languorem immortalibus frui deliciis: an econtra post breuem praesentium delectationem in infinitum torqueri? Et quis ista dixerit? Quid enim volumus? quantitatem? qualitatem? ordinem dei? circa vtrumque sententiam? Quousque scarabaeorum verba loquimini, se continuo simo inuoluentium? Nec enim ista sunt hominum ratione pollentium, animam tam preciosam ita pro nihilo prode, cum liceat paruo labore caelos capere. Vis & aliunde te doceam, quod illic tremendum iudicium: aperi conscientiae tuae fores, & vide sedentem in mente tua iudicem. Si vero tu temetipsum condemnas, licet amicus tui sis, & non iustum proferre iudicium non toleras: nonne multo magis deus multam iusti geret curam, & inuitabilem de omnibus feret sententiam, sed simpliciter & temere cuncta fieri permittet? Et quis haec dixerit? Nemo qui dicat. Verum & Graeci, & Barbari, & poetae, & philosophi, & omne genus hominum nobis consentiunt, & si non similiter. Et aiunt esse quaedam apud inferos iudicia: tam manifestum & certum est factum. Et cur, inquires, hic non punitur: vt sua ostendat patientiam, & ex poenitentia nobis salutem praebet, & neque genus nostrum inereptum permittat, & ex optima mutatione potentes saluari salutem non praeripiat. Si nanque statim post peccata punisset, & interemisset, quo modo saluatus fuisset Paulus? quo modo Petrus? qui sunt summi terrarum orbis doctores. Quo modo Dauid ex poenitentia salutem comparasset? Quo modo Galatae? Quo modo plures alij? Propterea quidem nec hic omnes exigit poenas, sed ex omnibus quosdam, nec illic omnes: sed hunc quidem hic, hunc autem illic: vt & multum infensatos per eos quos punit, excitet, & faciat, vt expectent futura, per eos quos non castigat. An non vides hic quosdam puniri, sicut turri oppressos, sicut illos quorum cruorem Pilatus commiscuit, vt qui praematura morte apud Corinthios rapti sunt, eo quod indigne mysteriorum se fecissent participes: sicut Pharaonem, sicut Iudaeos a Barbaris iugulatos, sicut alios multos, & tunc & nunc, & semper? Et alij vero postquam multum peccauerunt, abire, nullam hic dantes poenam: sicut diues Lazari, sicut alij multi. Haec autem facit tum futura non credentes excitans, tum credentes & segnes faciens alacriores. Deus enim iudex iustus, fortis & patiens, nec iram inducens per singulos dies. Si vero patientia nos abutamur, erit tempus cum nec breue quid iam sustinebit, sed statim inferet ultionem. Itaque ne vt solum deliciarum habeamus momentum (hoc enim est praesens vita) in finitorum attrahamus seculorum tormenta: sed momentum laboremus, vt perenniter coronemur. Nonne vide-

288
tis, quod & in secularibus hominum plures ita faciunt, & pro longa quiete breue capiunt laborem: quanquam illis contrarium euenit? Hic enim laborum quidem, & lucri par est portio: frequenter autem & in contrarium labor quidem est infinitus, fructus autem exiguus, vel plerunque nec exiguus quidem: in regno autem econtra, modicus quidem labor, multa vero voluptas & immensa. Considera nanque, agricola per totum laborat annum, & in ipso sine frequenter a spe decedit, & multorum fructu laborum. Nauis gubernator, rursum & miles, ad aetatem vsque nouissimam in praesens & laboribus: & frequenter vterque remanet, ille quidem diuitiarum oneribus amissis, hic autem victoria cum ipsa vita. Quam igitur habebimus, quae so, excusationem, in secularibus quidem laboriosa praeponeutes, vt paululum requiescamus, vel neque paululum (est enim spes incerta) in spiritualibus autem econtra facientes, & ineffabilem attrahentes vindictam per exiguum torporem? Propterea vos omnes exhortor, ex tali tandem dementia refugere. In illo nanque tempore nemo nos eruet, non pater, non frater, non filius, non amicus, non vicinus, non alius quisquam. Sed si fuerimus ab operibus proditi, omnia transibunt, & nos omnino peribimus. Quantum ille diues plorauit, & Patriarcham obsecrauit, & petiit Lazarum mitti? sed audi quid ad eum Abraham dicebat: Chaos magnum firmatum est inter nos & vos: itaque nec volentibus, illuc licet transire. Quantum rogauere virgines ille coetaneas pro modico oleo? Sed audi quid & ille dicant: Ne forte non sufficiat nobis & vobis. Et in nuptialem eas thalamum introducere nemo. Haec nos quoque cogitantes, nostram curam vitam geramus. Quotquot enim duxeris labores, & quotquot supplicia pertuleris, haec omnia nihil erunt ad futura bona. Pone igitur, si libet, ignem, ferum, & bestias, & si quid his difficilior: attamen nec umbra quidem sunt haec ad illa tormenta. Nam haec quidem cum vehementius incubuerint, tunc maxime leuia sunt, celerem afferentia liberationem, corpore non sufficiente, & ad vehementiam, & ad poenam longitudinem. Illic vero non ita, sed ambo conueniunt, & prolixitas, & excessus tam in iucundis, quam in tristibus. Dum itaque tempus est, praecipue faciem eius in confessione, vt mitem eum tunc videamus atque tranquillum, vt minaces illas virtutes effugiamus. Nonne videmus terrenos milites principibus seruientes, quo modo criminosos trahunt, quo modo ligant, quo modo flagellant, quo modo perfodiunt costas, quo modo faces tormentis adhibent? Sed haec omnia ludicra, & risus ad illa supplicia. Nam & temporanea sunt haec poenae: illic vero neque vermis moritur, neque ignis extinguitur. Etenim corpus est incorruptibile omnium tunc resurgentium. Sed absit, vt haec vnquam per experientiam discamus: sed vltra verba terror nobis non ingruat, neque tortoribus illis tradamur, sed hic emedemur. Quanta tunc dicemus, nosmetipsos accusantes: quantum ingemiscemus: quantum eiulabimus? sed nulla iam erit utilitas. Quoniae neque nauis resoluta iam & submerso nauigio quippiam possunt prodesse, neque medici defuncto agrotate. Sed dicent quidem frequenter, hoc & illud oportebat agere: sed omnia nequicquam & frustra. Donec enim ex correctione spes superest, & omnia dicere oportet ac facere: cum vero nullus adhuc domini sumus, omnibus corruptis in cassum omnia dicuntur & fiunt. Nam & Iudaei tunc dicent: Benedictus qui venit in nomine domini: sed nihil eis haec vox

289 DE HIS QUI GEHENNALEM POENAM NON CREDUNT. 290
vox prodesse poterit, vt poenam effugiant: cum enim A mihi est alienorum cura. Quare baptismum suscipis? Cur ecclesiam ingrederis? nunquid enim principatus pollicetur? omnis nobis spes in futuris. Quid igitur accedis, si scripturis fidem non habes, si Christo non credis? Nunquam talem Christianum dixerim, absit, sed potius & gentilibus peiorem. In quo? In hoc quod Christum putans esse deum, ei non credit tanquam deo: impietas enim illa quandam habet consequentiam. Qui namque Christum deum esse non credit, hunc nec illi credere necessarium est. Haec autem impietas neque consequentiam habet, deum confiteri, & in his quae dicit, eum fide dignum non censere. Ebrietatis haec verba, lasciuia, luxuria, Comedamus & bibamus, cras enim morimur, non postredie. Sed cum haec dicitis, mortui iam estis. Nihil igitur a porcis differemus, nihil ab asinis, quae so? Nam si neque iudicium est, neque retributio, neque tribunal: qua de causa tali sumus munere decorati, ratione, & habemus omnia subiecta? quare nos quidem dominamur, illa vero subdita sunt? Vide qualiter vndique diabolus, vt dei donum ignoremus, persuadere festinat. Seruos dominis commiscet, tanquam mancipium quoddam & ingratus seruus. Liberum in eandem cum eo qui offendit, vilitatem inducere nititur: & iudicium quidem duntaxat tollere videtur, tollit autem esse deum: talis enim semper est diabolus. Omnia cum arte, non ex directo praetendit, ne caueamus. Si non est iudicium, deus non est iustus, secundum hominem dico: si iustus non est, neque deus: si deus non est, omnia temere feruntur. Nihil virtus, nihil vicium, sed horum nihil aperte dicit. Vidisti satanicam cauillationis cogitatum: qualiter ex hominibus bruta nos facere studet, imo vero feras, quin potius daemones? Itaque ne credamus: est enim iudicium o miser & infelix. Noui & vnde venias ad istos sermones. Multa tibi peccata sunt, lapsus es, fiduciam non habes. Rationes tuas & rerum sequi naturam existimas. Interim, inquis, gehennae expectatione animam non conficiam. Licet gehenna sit, ei persuadebo gehennam non esse, interim hic gaudebo. Quare peccata peccatis accumulasti? si praeparicaris, gehennam tamen esse credideris, peccatorum duntaxat poenas luens abibis. Si vero & istam addideris impietatem, & impietatis & cogitationis huius extremas dabis poenas: & frigida breui facta tibi consolatio, perennis erit ultionis materia. Esto, peccasti: quid & alios hortaris peccare, non esse dicens gehennam? Quid simpliciores decipis? quid populi refoleus manus? Tota pars tua subuersa est, neque studiosi studiosiores erunt, sed segnes: neque mali recedent a malicia. Nunquid enim, si reliquos corrumpamus, peccatorum habemus veniam? Nonne vides diabolus, qualiter Adam adgressus est prosternere? Nunquid hoc ei venia fuit causa? Immo maioris occasio supplicij, vt non tantum de propriis, verum & de alienis criminibus torqueatur. Ne putemus, quod alios in eandem nobiscum perditionem praecipitare, mitius nobis paret iudicium, quinimmo grauius hoc faciet. Quid nos ipsos praecipitamus & perdimus? hoc totum diabolicum est. Homo peccasti, misericordem habes dominum, ora, supplica, luge, geme, & alios terre, & postea ne amplius in eadem cadas. Dic mihi, quae so, si quis esset domi seruus, qui postquam peccasset, filio suo diceret: Fili, ego dominum offendi, tu stude placere, ne patiaris haec eadem: non habet aliquid veniae, non franget dominum, & flectet? Si vero dimittens haec verba, dicat illa: Quod putas dominum habere consilium, vt vnicuique pro

De his qui gehennales poenas credere nolunt.
Et de iudicio. Homilia L.



IDS est praesens vita, charissimi, ex festucis & luto coagmentatus: licet mihi magnas aedes ostendas, siue regias ipsas auro multo fulgentes & gemmis, nihil ab hirundinum nido differre cesebo: hyeme siquidem instante, omnia sponte corruent, hyemem vero diem illum voco, non omnibus hyemem: quoniae & deus noctem simul & diem vocat: illud quidem quantum ad peccatores, hoc autem quantum ad iustos. Itidem & ego nunc hyemem ipsum voco, si non in aetate bene alamur, vt volare possimus instante hyeme, non nos matres suscipient, sed esurie sinent perire, vel nido ruente perdi. Taque enim nidum, quinimmo & facilius quam nidum, omnia deus tunc destruet, delens & transmutans omnia. Volatu vero carentes, & ipsi non valentes occurrere in aera: sed ita vulgare nutriti, ne leues habeant pennas, ea, quae pati tales est verisimile, patientur. Hirundinum itaque pulli, cum ceciderint, statim perunt: nos vero non morimur, sed continue punimur. Hyems erit illud tempus, quinimmo hyeme difficilior, Non enim aquae torrentes profluunt, sed ignis flumina: non ex nubibus tenebrae consistantur, sed insolubiles, & omni luce carentes tenebrae, vt neque caelum videatur, nec aer: sed plusquam terra obruti, comprimantur. Frequenter haec dicimus, sed quibusdam non persuademus, & nil mirum si nos homines vtique viles haec patimur, etiam de his dissonantes: quippe & prophetae talia patiebantur, non tantum de talibus loquentes rebus, verum & de bello, & captiuitate. Et Sedechias ab Hieremia redarguebatur, & non confundebatur. Propterea prophetae dicebant: Vae qui dicitis, appropinquet in celeritate, vt videamus quae faciat deus, & veniat voluntas sancti Israel vt cognoscamus. Ne hoc admiremur: nec enim qui arcam fabrefieri videbant, crediderunt: sed tunc credidere demum, cum fidei lucrum erat nullum. Neque Sodomorum habitatores expectauerunt, verum & ipsi crediderunt, cum ipsis nihil profuit. Et quid dico futura? quis haec vnquam expectauit, quae nunc per diuersa sunt loca, vrbium terrarumque destructiones? Et haec quidem sunt illis magis credibilia, arca dico. Vnde patet? Quoniae illi quidem non habebant in quod aliud exemplum respicerent, neque scripturas audierant: hic autem infinita sunt gesta, tum annis nostris, tum praesentibus. Sed vnde talium infidelitas? ex animae mollicie. Bibebant & comedebant, & non credebant propterea. Quae enim quispiam vult, haec & existimat, haec & expectat: contradicentes vero nugae sunt: sed ne nos idem patiamur. Non enim diluuium iam erit, nec ad mortem vsque supplicium: sed poenarum initium mors, non credentibus fore iudicium. At, inquiet aliquis, Quis illinc aduenit & haec annunciauit? Si iocans quidem dicit, nec ita bene: nec enim in huiusmodi ludendum est. Non enim in ludicris, sed periculose ludimus: si vero sic serio sentis, & post haec nihil esse putas, quo modo te dicit esse Christianum? Nulla namque

Luc. 16.

Psal. 9.

1. Cor. 15.

merito reddat: quod non temere sunt omnia confusa tam bona quam mala: Non est gratitudo in hac domo: nonne maiores peccatorum poenas exoluit: & merito. Nam illic quidem affectus aliquam posset excusationem inuenire, licet ægre hic vero nihil. Si neminem igitur, illum saltem imitare diuitem, in gehenna dicentem: Pater Abraham mitte ad cognatos meos, ne veniant in locum hunc. Quoniam ipse proficisci non poterat, ne in eadem & illi corruerent. Ab istis recedamus diabolicis verbis. Quid igitur cum nos gentiles interrogant: non vis illos curare, sed in superbiam Christianum impellere: sub gentilis curandi prætextu, vis dogma confirmare satanicum? Nam quoniam ipse solus animam alloquens hæc persuadere non potest, alios vis testes producere. Si vero gentilem oportet alloqui, non hinc fit loquendi principium. Sed si deus Christus, & dei filius: si demones illorum dei, si hæc probata fuerint, omnia reliqua sequuntur. Priusquam principium ponatur, de fine disputare stultum est: priusquam prima discantur elementa, superfluum est & inutile circa finem versari. Incredulus est gentilis iudicio, & ipse tecum idem patitur: quoniam habet & ipse multos de his philosophos, qui licet corpus diuiserint, & hoc animæ dixerint: attamen tribunal constituerunt, & tanta est rei claritas, ut nemo ferè hoc ignoret. Verum & poëta, & omnes sibi consentiunt, & de tribunali, & de iudicio. Itaque nec ille suis credit principibus. Neque Iudæus de his dubitat, & omnis homo. Quid ita nos ipsos seducimus? Ecce hæc mihi dicis. Quid deo dicis, qui finxit singillatim corda nostra, qui nouit omnia quæ sunt in mente, viuenti, & efficaci, & penetranti super omnem gladium ancipitem? Dic enim mihi cum veritate, tu temetipsum non damnas: Et quo modo spõte tantum sapientiæ innatū est, ut ipse peccator semetipsum condēnet? hoc enim est magnæ sapientiæ. Tu temetipsum condemnas. Qui vero talem tibi dat cogitationē, omnia temere fieri permittet? Regula hæc est vniuersalis, & determinatio. In virtute viuētium nemo iudicij sermonem negat, siue gentilis, siue sit hæreticus: in multa viuētium malicia nemo, præter paucos, resurrectionis sermonem admittit. Et hoc ait Psalmista: Auferuntur iudicia tua à facie eius. Quare: quoniam inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore. Ait enim: Comedamus & bibamus, cras enim morimur. Vides quod abiectionum est ista dicere, ex comedendo & bibendo ista sunt verba resurrectionis confutatoria. Non sustinet enim anima peccatrix, non sustinet conscientia tribunal. Et idem fit, quale si homicida cum prius præsupposuit se non captum iri, sic eadem committat. Quoniam conscientia ipsam iudicante non facile ad facinus venisset. Et nouit igitur, & nosse dissimulat, ne conscientia torqueatur & timore: alioquin enim ad ausum infirmior fuisset. Itidē & qui peccat, & quotidie in iisdem malis versantur, videre nolunt, licet eos arguente conscientia. Sed illis ne nos attendamus. Erit enim omnino iudicium & resurrectio, neque tanta deus opera temere permittet. Propterea suadeo, ut viciis abstinētes, virtutem retineamus, ut verum suscipiamus sermonē in Christo Iesu domino nostro. Et vtrum facilius, resurrectionis verbū admittere, an de fato? Illud iniusticiæ plenum, dementia, crudelitatis & inhumanitatis: hoc autem iusticiæ, promeritis distributium, & ipsam tamen non admittunt. Causa vero segnicies: quoniam nemo mentem habens illud suscipit. Nam & in Græcis qui voluptatem desinientes, finem esse dicunt, ipsum illi susceperunt: qui ve-

ro virtutis amorem sectati sunt, nequaquam: sed deiecerunt tãquam irrationabile. Si autem hoc in Græcis, multo magis similiter & in ipsa de resurrectione sententia. Intuere vero mihi contrarium, quo modo duo contraria intulit: si virtutem quidem negligamus, necessitate diabolus intulit, ut & demonas prompte colamus: & pro vno duo cõtraria persuasit. Quam itaque oportebat rationē reddere, qui rei tam admirabili nõ credit, & illa nugantibus fidem præstat? Itaque nec ista te consolatio pascat, quod venia sis assecuturus: sed nos conuertētes ad virtutem excitemus, & vere deo viuamus: ait enim: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Nam si homines talium miserentur, multo magis deus. Non miserentium vero nequaquam. Sine misericordia enim iudiciū illi, qui non fecit misericordiam. Bona res est. Cur igitur eam aliis non præstitit: vis peccatorū veniam concedi? Cur igitur ipse peccanti non ignouisti? Sed ad deum quidem accedis regnum petens cœlorum, ipse vero petitus argentum non dedisti? Propterea non accipimus misericordiam, quoniam nõ miseremur. Quare, inquires, quare, quæso? Nõ & hoc est misericordia, immiseri cordiū misereri. Nã qui crudeli, & immiti, quiq; plurima proximo mala intulit, humanitatē exhibet: quo modo misericors fuerit? Quid igitur inquires, lauacrū, nonne nos infinita operatos mala saluabit? Ab illis liberauit, non ut iterum ea faciamus, sed ne deinceps patremus. Ait enim: Si mortui sumus peccato, quo modo adhuc viuemus in eo? Quid igitur, peccabimus quoniam nõ sumus sub lege? Absit. Ab illis te propterea liberauit, ut ad illam ignominiam amplius non recurreres. Quoniam & medici febricitantes ab ardore liberant, nõ ut sanitate ad afflictionem & dissolutionem abutantur: nam egrotare melius foret, si quis propterea cõualescere deberet, ut lecto rursus semetipsum affigeret: sed ut ex morbo mala scientes, amplius in ea nõ incidant, ut sanitatem cautius retineant, ut omnia faciant ad hanc conferentia. Vbi igitur, inquis, dei misericordia, si quidem malos saluaturus non est? Frequenter enim & hoc dicentes multos audio, quod misericors est, & omnes omnino saluabit. Ne nos itaq; frustra seducamus (nam & meminimus me talem vobis promississe materiam) eia sermonem hunc hodie moueamus. De gehenna vobis antea disserui, & de dei misericordia distuli sermonē. Huc hodie bonū est reddere. Quod igitur erit quidem gehēna, satis, ut arbitror, hoc probauimus, diluuium in medium proferentes, & priora mala: & dicentes, quod qui fecit ea, dimittere præsentis inultos est impossibile. Si sic enim ante legem peccātes puniuit, maiora mala post gratiam operatos impunitos non relinquet. Quærebatur itaq; quo modo bonus, quo modo misericors, & sermonē distulimus, ne multitudine vestras obtunderem aures. Eia reddamus id hodie quo modo bonus deus, & vnde bonus, siquidē puniat. Nam & ad hæreticos nobis hic sermo conuenit, ut sedulo aduertamus. Nihil de nobis indigēs deus nos fecit: quod autē nullius indigeret, ex eo quod postea fecit, manifestauit. Nam si indignisset, iam pridem fecisset, sed si sine nobis ipse fuit, nos autem in posterioribus seculis facti fuimus, nostri non indigens nos fecit, fecit cælum, terram, mare, quæque sunt, omnia propter nos. Hæc quæso, nonne sunt bonitatis: & multa quispiam dicere posset. Sed ut sermonem contrahamus: Oriri facit solem super malos & bonos, pluit super iustos & iniustos. Hoc nonne bonitatis est? Non, inquit aliquis. Etenim quondam

De concordia & charitate, & de benefaciendo calumniantibus. Homilia LI.



CONCORDIAE nihil æquale charissimū, nihil cõsentientium paci. Vnus enim minimus est. Si vero sunt vnanimis duo, vel decem, non vnus iam vnus est, sed decuplus eorum quisque fit, & in decem vnum inuenies, & in vno decem: siue inimicum habeat, vnum offendens, tanquam decem offenderit, capitur: non enim ab vno duntaxat ore percucitur, sed à decem. Indignit vnus, sed non est in egestate. Maiori siquidem, id est nouem abundat, & pars indigēs obumbratur, minus autem per maius abundans. Horum quisque viginti manus habet, & oculos viginti, & totidem pedes. Non enim suis tantum oculis intuetur, verum & alienis: non suis tantum, verum & illorum manibus operatur. Animas habet decem: non enim ipse tantummodo pro se, verum & illa pro eo curam gerit. Si vero sint & centum, idem erit similiter, & potentia producet. Vidisti charitatis excellentiam, qualiter vnum inexpugnabilem reddat, & multiplicet, qualiter vnus & multis in locis esse potest, idem & in Perside, & Roma: & quod natura nõ potest, potest charitas. Nam eius hoc quidem hic erit, hoc autem illic: quin potius integer hic, & integer illic. Itaque si mille habeat amicos, vel duo milia, perpende quod rursus potentia perueniet. Vides quo modo charitas sit res augmentatiua. Hoc enim est mirabile, quod vnum facit millenū. Cur itaque non hanc comparamus potentiam, & nos ipsos in tuto constituimus? Hoc est omnibus diuitiis melius, hoc sanitate maius, & ipsa luce. Hæc læticiæ materia. Quousque in vnum vel duos charitatem cõcludimus? Disce negocium & a contrario. Sit aliquis nullum habens amicum, quod est extrema demētia. Fatuus enim dicit, Non est mihi amicus. Huiusmodi qualem viuet vitam: licet enim millies sit diues, licet in opibus & deliciis, licet infinita possideat bona, omnibus est priuatus & nudus. In amicis vero non ita, verum licet fuerint pauperes, diuitibus sunt opulentiores: & quæ ipse pro seipso dicere non aggreditur, hæc amicus dicit: & quæcunque sibi non potest indulgere, per alium poterit, & multo plura, & omnis erit nobis materia delectationis & cautela. Non enim male pati potest, qui tot satellitibus custoditur: nec enim male huiusmodi sunt regij corporis custodes seduli, quales isti. Illi nãque metu vel necessitate custodiam exhibent: isti vero beneuolentia, non autem necessitate: hæc autem multo metu potentior est. Et ille quidem custodes suos timet, hic autem his plus quam sibimetipsi confidit, & propter hos insidiantium timet neminem. Negociemur itaque negotiationem istam: pauper, ut habeat paupertatis consolationem: diues, ut diuitias in tuto possideat: princeps, ut cum securitate dominetur: subditus, ut beneuolos habeat principes. Hoc mansuetudinis occasio, hoc benignitatis materia. Quoniam & in feris ille sunt maxime crudeles, & immansuetæ, quæ non gregatim iunguntur. Propter hoc & vrbes habitamus, & fora frequentamus, ut simul inter nos conuersemur. Hoc & Paulus iussit, dicens: Non deserētes collectionem nostram. Nihil enim tam malum, quam solitudo, & status inconciliabilis & inaccessus. Quid igitur, inquiet aliquis, monachi, quiq; montium vertices comprehenderunt: nec illi carent amicis, sed forenses quidem tumultus fugerunt: multos autem concordēs habent, & inter sese intime colligatos, & ut hoc consequerentur, secesserunt. Nam quoniam rerum contentio multas

Hebr. 10.

quondam cuidam Marcionistæ dicebam, an non essent hæc bonitate digna? Et dixit, quod si peccatorum rationem non exigeret, bonitatis esset: si vero repetit, non bonitatis. Ille quidem nunc non adest. Age vero tunc dicta dicamus, & his plura. Ex superabundanti nãque probo, quod nisi rationem exigeret, bonus non esset: sed quoniã exigit, propterea bonus est. Dic enim mihi, nisi rationem exigeret, nunquid vita staret humana? Nonne in feras erupissemus? Nam si timoribus & poenis imminentibus, & tribunalibus, pisces superauimus alter alterum comedentes: leones & lupos abscondimus, aliena alter alterius rapientes: nisi rationem à nobis exigeret, & hoc essemus passivi, quanta turbatione plena foret vita? Quid iam foret qui fabulis celebratur labyrinthus ad mundi confusionem? Nonne vides infinitos tumultus, & absurditates? Quis patrem fuisset reueritus? Quis vero matri pepercisset? Quis autem vllam voluptatem, vllum vicium omisisset? Et quod hæc ita se habeant, ex sola domo tibi persuadere conabor. Si vobis hæc interrogantibus, & seruos habētibus, manifestum his faciam: quod licet dominatum corrumpan, & in dominorum corpus contumelientur: licet omnia distrahant, & superiora reddat inferiora, & hostiliter eos afficiant: non minantur, non castigant, non punient, & ne verbo quidem contristabunt: nunquid hæc bonitatis esse videntur? At hæc probo quod extrema sunt crudelitatis, non tantum vxorem & filios per hanc ineptam bonitatem prodere, verum & hos ipsos priusquam illos perire. Ebrj siquidem & dissoluti, procaces, & contumeliosi, & omnibus feris erunt brutiores. Hoc ergo, quæso, bonitatis, animi generositatem conculcare, & seipos perdere? Vides, quod poenas exigere, hoc est multæ bonitatis? Et quid dico seruos ad hæc peccata promptius ruentes? Sed aliquis filios habeat, illos omnia permittat audere, neque puniat: igitur quo, quæso, non erunt peiores? Postmodum in hominibus quidem punire bonum est, non autem punire, seuum: in deo vero nõ itidem? Itaque quoniam bonus est, ideo gehennam præparauit. Vultis & aliam commemorem dei bonitatem? Non hoc duntaxat, verum quod & bonos fieri malos non permittit. Nam si deberent eadem assequi, omnes essent mali. Nunc autem hoc non parum bonos consolatur: nam audi Prophe tam dicentem: Lætabitur iustus cū viderit vindictam impij, manus suas lauabit in sanguine peccatoris. Non insultans, absit: sed timens, ne eadem patiatur, puriorem suam efficiat vitam. Hoc multæ est prouidentia. Est, inquit, sed oportebat tantummodo minari, non tamen punire. Si punit, & dicis quod comminatio res est, & propterea negligentior efficeris: si verba duntaxat essent minæ, nonne segnior esses? Niniuitæ si sciuisent, quod negocium minæ forent, pœnitentiã non egissent, vsque ad verba minas statuisent. Vis id esse minas? Ipse dominus es facti. Melior efficere, & ad minas tantum progreditur: si vero, quod absit, minas cõtempseris, venies ad experientiam. Qui diluuij temporis fuerunt, si minas timuisent, periculum nõ sustinuissent. Et nos si minas timuerimus, periculum non subibimus. Nec id accidat, sed præstet clementissimus deus nos omnes hic iam expiatos illis ineffabilibus potiri bonis: quibus omnes vtinam digni censeamur, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cum quo patri simul & sancto spiritui gloria imperium & honor, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Psal. 57.

inducit lites, propterea de medio sublata, multa cum diligentia charitatem excolunt. Quid igitur si quis solus esset? innumeros & ille amicos habet. Ego quidem volo, si fieri potest, & simul conuersari scire: sin vero minus, interim amicitia manet immota fœdera. Non enim amicos locus efficit: multos quidem habent admiratores, qui non admirarentur, nisi diligerent. Et ipsi rursus pro toto terrarum orbe precantur: quod est maximum amicitia signum. Propterea & in mysteriis alter alterum amplectitur, ut vnum multi fiamus, & super non sacratis communes facimus preces, pro ægrotantibus orantes, & mundi fructibus tam terrarum quam maris. Vides omnem charitatis potentiam in orationibus, in mysteriis, in admonitionibus? hæc omnium causa bonorum: si hanc habeamus perfectionem, & bene præsentia disponemus, & regnum assequemur. Quoniam vero maiori, perfectiori que doctrina digni sumus habiti, non amplius per prophetas, sed per filium deo nobis loquente in nouissimis diebus istis, multo maiorem & honore dignam conuersationem oportet exhibere. Absurdum enim ipsum tantum descendisse, ut non amplius per seruos, sed per seipsum nos alloqui vellet: nos vero prioribus nihil amplius exhibere. Nam Iudæi quidem Moysen, nos autem pro Moysen dominum præceptorem habemus. Hoc igitur honore dignam præstemus conuersationem, & cum terra commune nihil habeamus. Propterea superne nobis de cœlis doctrinam attulit, ut eò mentem transferremus, & præceptoris fieremus imitatores pro viribus nostris. Quo modo vero licet Christi imitatores fieri? si ad communem vtilitatem omnia faciamus, quæ nostra sunt non quærentes: ait enim, Christus non sibi ipsi complacuit, sed (sicut scriptum est) opprobria exprobranti tibi ceciderunt super me. Nemo quod suum est, quærat. Sic tamen quispiam quod suum est quærit, si id quod est proximi, consideret. Res enim illorum, nostræ sunt: corpus vnum sumus, & alter alterius partes & membra. Itaque ne tanquam dissipati disponamur, nemo dicat: ille mihi non est amicus, neque cognatus, neque vicinus, nec cõmune cum eo quicquam habeo. Quo modo accedam: quo modo alloquar? quamquam enim neque cognatus est, nec amicus, homo tamen est, eiusdem tecum naturæ particeps, eundem habens dominum, conseruus, & contubernalis: in eodem nanque natus est mundo. Si vero & eiusdem est fidei particeps, ecce tibi membrum quoque factus est. Quæ nanque posset amicitia tantâ vnionem operari, quantum fidei cognatio? Non enim quantum amicis amicos exhibere necessitudinem decet, tantam oportet nos in alterutrum vnionem præstare: sed quãtam membrum membro. Hoc enim amicitia charitatisque modo maiorem nullam necessitudinem quis vnquam inuenit. Sicut itaque non posses dicere, vnde mihi cum eo necessitudo, & propinquitas: (hoc enim ridiculum est) ita neque de fratre poteris hoc dicere. Ait enim: Omnes in vnũ corpus baptizati sumus. Quid est, in vnum corpus? ne distrahatur, sed mutua inter se coniunctione & amicitia corporis vnus consequentiam conseruet, ne nos alterutrum contemnamus, ne nos ipsos despiciamus. Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit, sed enutrit, & fouet eam. Propterea domũ vnã nobis deus dedit, mūdum, omnibus vnum Solem accendit, vnum extendit tectum, vnã apposuit mensam. Dedit & aliam hac multo maiorem mensam, verum & hanc vnã, mysteriorum cõsortes norunt quod

1. Cor. 12.

Eph. 5.

dicatur. Vnum omnibus generationis modum est largitus, spiritualem: vna cunctis patria, quæ est in cœlis. Ex eodem omnes calice bibimus, non diuiti quidẽ amplius & preciosius, pauperi vero vilius & minus indulget, sed omnes æqualiter vocauit. Carnalia pari sunt honore, spiritualia similiter præbuit. Vnde magna vitæ inæqualitas? Ex diuitum auaricia simul & superbia. Sed ne, fratres, amplius ista fiant: nec vniuersalibus & necessariis nos in idem congregantibus, à terrenis & vilibus diuidamur, diuitiis, inquam, & paupertate, & carnali cognatione, vel inimicitia, & amicitia. Hæc enim omnia sunt vmbra, & vmbra viliora superne charitatis vinculum habentibus. Hoc ergo seruum indurptum, & malorum nullum viciorum vnitate diuidentiũ subrepere poterit. Nihil vero rursus ita deum reddit propiciam, sicut inimicos diligere, & calumniatibus benefacere. Cum igitur aliquis infestat, ipsum ne respicias, sed demonem instigantem, & omnem in illum iram effunde: ipsius autem & miserere qui mouetur ab eo. Nam si mendaciam à diabolo, etiam irasci temere multo magis ab ipso. Cum mordentem videris cõsidera quod est diabolus qui eum instigat. Nõ enim Christianorũ sunt scommata. Nam cui præcipitur lugere, & cui dicitur, Vx qui ridetis: & postmodum exprobrat, & mordet, & accenditur: non qui conuicium à nobis patiat, sed qui deploratur est dignus: quoniam & Christus turbatus est, cũ ludam cogitasset. Hæc igitur omnia cogitemus in operibus. Nam si hæc non obierimus, nequicquam & incassum in mundũ venimus, vel potius ad malum. Non enim per se fides in regnum introducere potest, sed potius habet vnde malam degentes vitam condemnet. Qui nouit enim voluntatem domini sui, & non facit, plagis vapulabit multis. Et iterum: Nisi venissem, inquit, & locutus eis fuisset, peccatum non haberent. Quam igitur excusationem habebimus, in regni constituti, & in adyta vocati, & liberantium facti mysteriorum participes, si gentilibus, qui nihil horum habuerunt, peiores inueniamur? Si enim illi propter inanem gloriam, tantam ostendere sapientiam: multo magis, ut deo placeamus, omnem obire virtutem oportet. Nunc vero neque pecunias contemnimus. Illi vero suam quoque frequenter animam despexerunt, & in bellis filios demonum tradidere furori, & propter demonas naturam contempserunt: nos propter Christum, nec argentum, nec iram propter dei beneplacitum cõtemnimus, sed excaudescimus, & febricitantibus peius disponimur. Sicut illi qui malo detinentur, ardentes sunt: sic nos, tanquam ab igne quodam angamur, concupiscentiam sistere nusquam possumus, & iram augentes ac auariciam. Propterea confundor, & consternor: apud gentes quidem pecunias videns contemni, apud nos autẽ omnes insanire. Nam & si quos has inuenerimus despicientes, aliis capiuntur, ira, vel inuidia. Et est res difficilis, puram inuenire conuersationem. Causa vero quod ex scripturis remedia sumere non curamus, nec eis cum compunctione, dolore & gemitu vacamus: sed negligenter, si non nunquam ocium agamus. Propterea cum multus rerum secularium tumultus ingruerit, omnia submergit: & si quod lucrum fuerat cõparatum, perit. Nec enim si quis vulnus habens, & superimponens medicamentum, non diligenter alligauerit: sed & aquam, & puluerem, & squalorem, & alia mille vulnus suum atterere vilitia permiserit incidere, quicquam amplius ab eo poterit effici: sed nõ propter medicaminum inaffirmitatem, sed

Luc. 6.

Luc. 11.

Ioh. 15.

sed propter proprium torporẽ. Hoc & nobis accidere solet, cum diuinis sermonibus parum intendamus, nos vero penitus & semper secularibus addicamur: sic enim totum semen suffocatur, & omnia fiunt infructuosa. Hoc itaque ne fiat, parumper vigilemus, & in cœlum respiciamus, & oculos declinemus in monumeta, & defunctorum tumulos. Nam & nos hic idẽ manet finis, & eadem transitus necessitas ante vesperam plerumque nobis instabit. Ad hunc igitur exitũ præparemur: multis enim nobis opus est viaticis: quoniam & multus illic est æstus, multa siccitas, multa solitudo. Non iam licet in diuersorio requiescere, non est quod ematur ab eo, qui nõ hic omnia sumperit. Audi certẽ quid dicat virgines: Ite potius ad vendentes: sed profectus non inueniunt. Audi quid dicat Abraham: Quoniam chasma est inter nos & vos. Audi quid Ezechiel dicat de die illo: Quia Noë, Iob, & Daniël filios suos non liberabunt. Sed absit, ut nos hæc verba audiamus. Sed viatica sumentes hic æterna vitæ sufficietia, videamus cũ fiducia dominum nostrum Iesum Christum, cum quo patri, simul & spiritui sancto gloria, potestas, & honor, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Quod in mansuetudine Christum oportet imitari, & de malorum obliuione. Et quod in virtute positum ledere potest nihil, Homilia LII. Ex Mattheo.



ANTEA quidem vobis dicebam, charissimi, quod manus est lingua nostra dei pedes apprehendens. Nunc autem magis dico, quod lingua est lingua nostra, Christi linguam imitans, si congruam exhibeat diligentiam: si loquamur ea, quæ vult ipse. Quæ vero sunt, quæ nos loqui vult ille: Quæ sunt humanitatis plena, & mansuetudinis verba. Sicut scilicet & ipse loquebatur, dicens se contumelia prosequentibus: Ego demonium non habeo. Et iterum: Si male quidem locutus sum, testimonium perhibe de malo. Si tu quoque sic dixeris, si loquaris ad proximorum emendationem, linguam illi similem habebis. Et hæc ipse deus testatur: Qui enim educit dignum ab indigno, sicut os meum erit. Cũ itaque lingua tua tanquã Christi lingua sit, & os tuum, quasi patris os fiat, & sancti sis spiritus templum: quis iam huic fuerit æqualis honor? Nec enim si tuum ex auro foret os compositũ, aut ex preciosis lapidibus, ita fulgere deberet, ut nunc mudo mansuetudinis illustratum. Quid ore, quod contumeliam proferre nesciat, sed semper benedicere meditetur, desiderabilius? Si vero maledicenti benedicere non potes, tace: hoc interim elabora, & paulatim procedens, & (ut decet) studes, ad illud quoque peruenies, & os habebis tale, quale diximus. Nec audax esse dictũ existimes. Benignus enim est dominus, & bonitas eius donum efficitur. Audax est, os diabolo simile possidere, & linguam maligni demonis habere simile, quã habere non oportet Christi mansuetudinis sectatorem: præsertim talium participem mysteriorum, & ipsi dominicæ carni communicantem. Hæc itaque reputans, illi fias pro tuis viribus similis. Te iam talem effectum diabolus ne contra quidem respicere poterit. Regiam enim impressionem agnoscit, Christi nouit arma, quibus fuit superatus. Quæ vero sunt hæc? Benignitas, & mansuetudo. Etenim cum in monte eum irruentem confregit atque prostrauit, non innotescens quod esset Christus: sed his eum verbis illaqueauit, mansuetudine cepit, benignitate fugauit. Hoc tu quoque facias: si videris hominem diabolum factum, & ad

Mat. 25.
Luc. 16.
Ezech. 14.

Ioh. 8.

Hier. 25.

te venientẽ, ita & tu vince. Dedit tibi Christus potestatem, ut ipsi similis pro tuis viribus efficiare. Hoc audies ne trepides, timor est nõ ipsi simile esse. Secundũ igitur illũ loquere, & in hoc factus es talis, qualis ille, quantum homo fieri potest. Propterea maior est ita loquens quæ prophetans: illud quidem donum est totũ, hic autẽ & labor tuus & sudor, animam edocere, os tibi formare Christi ori simile. Potest enim talia facere, si velit: arte nouit, nisi negligens sit. Et quo modo tale formabitur os, inquit aliquis, quibus coloribus? qua materia? Coloribus quidem & materia nulla, sed virtute sola, mansuetudineque ac humilitate. Videamur & quo modo formetur os diaboli, ne vnquam illud cõparemus. Qualiter itaque fingitur? per imprecationes, per contumelias, per inuidiam & periurium: cũ enim illius verba quis loquitur, illius linguam sumit. Quã igitur habebimus veniã? vel potius quã non subibimus pœnam, cũ linguã, quæ carnẽ gustare dominicã digni sumus habiti, negligamus diabolica loquẽte? Ne negligamus, queso, sed vtamur omni studio, ut eam doceamus suum imitari dominũ. Si enim eã docuerimus, hoc nos cũ multa fiducia ante Christi tribunal constituet. Nisi quis ita loqui sciuerit, neque iudex eum audiet. Sicut enim cum euenit Romanum esse iudicem, non audiet se defendentẽ ita loqui nescientem: itidem & Christus, nisi secundũ ipsius morem loquaris, te non audiet nec intedet. Disca-mus igitur ita loqui, sicut audire rex noster consuevit, illam imitari linguã studeamus. Quod si in luctum incidis, considera, ne tristitia tyrãnis os tuũ subuertat: sed loquaris tanquam Christus: plorauit enim & ipse Lazarum & Iudam. Si cecideris in metum, ita rursus vt Christus loqui quære. Nam & ipse propter te in timorem cecidit iuxta dispensationis rationem. Dic & tu, Veruntamen non sicut ego volo, sed vt tu. Et si lugeas, quiete luget, sicut & ipse. Et si in insidias, & tristitiã incidis, & hic vt Christus afficiaris. Etenim & insidias passus est, & tristitiã, & ait: Tristis est anima mea usque ad mortem. Et omnia tibi exempla præbuit, ut eadem custodias mensuras, & datas tibi regulas ne corrupas. Ita poteris os habere illius ori consimile, ita super terram ambulans sursum sedentis linguam nobis ostendens similem, in tristitia mensuras, in ira, in luctu, in anxietate conseruans. Quot ex vobis sunt, qui cupiunt illius formam intueri? Ecce nõ tantum videre, verum & secundum eum fieri possumus, si studeamus: itaque ne differamus. Non ita prophetarum os amplectitur, sicut initium & mansuetorum hominum. Multi nanque dicent mihi, inquit: Nonne in nomine tuo prophetauimus? & dicã eis: Nescio vos. Moysen vero, quoniam humanus erat & mitis (ait enim: Moyses homo mitissimus super omnes homines qui sunt super terram) ita complectebatur, & diligebat, ut præsentem præfens suam diceret voluntatem, & facie ad faciem loqueretur, tanquam amicus ad amicum suum. Non imperabis demonibus nunc, sed gehennæ tunc igni imperabis, si Christi simile ori os habeas, ignis præcipies abyssis, & dices: Tace, obtumescere: multaque cum fiducia cœlos ascendes, & regno poteris. Cum hæc igitur habeamus exempla, non dico vobis, pro inimicis moriamur, nam & hoc quidem opus fuerat: sed quoniam nos infirmiores, illud interim dico, saltem amicis non inuideamus, ne beneficientes liuore prosequamur. Non adhuc dico, malefacientibus beneficiamus. Cupio quidẽ & hoc, sed quoniam nos pigriores, ne saltem vlciscamini: non enim fabulæ sunt nostra & simulatio. Quare tandẽ per diametrum

Mat. 7.

Nume. 12.

diametrum aduersus negocia sistitis: Nō temere scripta sunt & alia, quæq; circa crucē ipsam gesta sunt, quæ possent ipsos reuocare: sed vt bonitatem imiteris, vt be-
 nignitatem amuleris. Eos enim supinos prostrauit, & serui restituit auriculam, & cum mansuetudine locutus est: & cum suspensus esset, magna monstrauit miracula, radios auertens, frangens lapides, defunctos excitans, iudicis vxorem terrens per somnia, omnem in ipso præse ferens iudicio mansuetudinem, quæ non minus eos quam miracula possent attrahere: infinita prædicens coram tribunali, in ipsa clamans cruce: Pater dimitte illis peccatum. Sepultus verò quanta ad illorum ostendit salutem: Resuscitatus autem non statim Iudæos vocauit: non dedit peccatorum remissionem: non innumera contulit bona: Quid hoc mirabilius? qui crucifixi erunt, & occiderunt, postquam crucifixi erunt facti sunt dei filij. Quid huic par prouidētia? His auditis abscondamur, quod ab hoc tantum distamus, quem imitari iubemur. Videamus quantum sit discriminis, vt vel ita nos condemnemus, his bellum inferentes, pro quibus animam Christus impendit: nec volentes conciliari, quos vt conciliaret, neq; iugulari recusauit, nisi fortassis & hoc dispendiū aliquod est, & pecuniarum erogatio, quod in eleemosyna prætentis. Cogita quantum sis reus, & non tantum ad eorum qui te affecerunt iniuria, dimissionem non retrocedes: verum & cures ad eos qui te contristarunt, vt tibi sit dimissionis occasio, vt priorum inuenias malorum lenimen. Gentilium filij nihil expectantes in hoc plerunque philosophati sunt: & tu cum tali spe migraturus retraheris, & torpes. Et quod tempus facit, hoc propter dei legē ante tempus facere non sustines, & sine mercede potius, quam cum mercede vis tibi viciū extinguere? Nec enim si per tempus hoc tibi fiat, erit tibi quicquam amplius: verum & multa potius pœna, quoniam quod tempus effecit, hoc facere dei lex non persuasit. Si vero dicis, quod exandescis tuæ recordatus contumelia: reminiscere, si quid boni collatum tibi fuit ab eo qui contristauit, & quot tu malis alios affecisti. Male tibi dixit, & te confudit: cogita quid aliis tu quoque dixisti. Quo modo veniam igitur assequeris, quam aliis non concessisti? Sed nulli maledixisti? At audisti dicentes, & suscepisti, nec hoc reatu caret. Vis discere, quantum mali sit, malorum meminisse, & qualiter hoc maxime deum irritat? Insultantes his qui ab ipso iuste puniuntur, punit: licet iuste castigentur, tamen te non oportebat gaudere. Et propheta postquam multa impropertauit, & hoc subiecit: Nihil patiebantur super contritione Ioseph. Et iterū: Non est egressa quæ habitat Enam, plan- gere domum contiguam suā. Licet & Ioseph, id est tribus ab eo procedentes, & vicini secundum dei sententiam puniebantur: attamē vult cū his nos dolere. Nam si nos cum mali simus, quando seruū castigamus, si quæ seruorum viderimus ridentem, & irritamur, & in ipsum irā transferimus, multo magis deus puniet insul-
 tantes vlciscetur. Si vero his qui à deo puniuntur, nō insultare, sed potius oportet misereri: multo magis eorum qui contra nos peccarunt. Hoc enim charitatis est indicium: hanc deus præponit. Sicut in regali prætexta, illi flores & colores preciosi sunt qui hanc conficiunt chlamydem: itidem & hic illæ sunt preciosæ virtutes, quæ charitatem contineant. Nihil autem ita conseruat charitatem, sicut in nos patrata non meminisse. Nunquid enim & alterius partis curam deus non gestit? Nunquid iniuriam operatum ad iniuriam passum

Amos 6.
Mich. 1.

non deduxit? Nunquid eum ab altari ad illum nō mittit, & post reconciliationes ad mensam reuocat? Ne tamē illum propterea, vt ad te veniat, expectes, alioquin omnia perdideris. Nam tibi propter hoc maxime mercedem ineffabilem definit, vt illum præuenias: quippe si rogatus reconcilieris, nō iam dei præcepto facta fuit amicitia, sed illius studio. Et propterea sine corona recedis, illo præmia capiente. Quid ais? Inimicum habes, & non erubescis? Nōne satis est nobis diabolus, quod & consanguineos superducimus? Vtinam nec ille nobiscum bellum gerere vellet, vtinam nec ille diabolus esset. Nōne scis, quāta sit post reconciliationes voluptas? Quid enim & si in inimicitia nō multum appareat? Quod enim inferentem iniuriam diligere sit iucundius quam odisse, postquam inimicitia fuerit soluta, bene tunc dicere poteris. Quid itaq; furētes imitamur, alter alterum corro dentes, propriam impugnantes carnem? Audi certē, quantus & in veteri testamēto fuerit de huiusmodi sermo. Væ mala reminiscuntur in mortem. Homo homini iram seruat, & à deo quarit sanitatem. At concessit oculum pro oculo, & dentem pro dente: quo modo igitur accusat? Quoniam & illa concessit, non vt in alterutrū illa faciamus, sed vt patēdi timore peccare caueamus: alioquin autem illa cuiusdam sunt temporalis iræ, iniuriam vero reminisci est animæ nequiciam meditantis. At male passus es? Sed nunquam cum tanto, quanto temetipsum afficies malo, seruans iniuriæ recordationem. Alioquin autē fieri nō potest, vt bonus vir quicquā mali patiatur. Esto enim aliquis filios habens & vxorem, & philosophetur: habeat autē nocuementi multas occasiones, & pecuniarum copiam, & principatus potentiam, atq; cōplures amicos, & honore potiatur, tamen philosophetur (hoc enim oportet accedere) & illi sermone flagella inferamus, & aliquis malus vir aggressus, iacturam inducat: quid igitur ad hominem, pecunias nihil esse censentem? Filios occidat, quid ad eum qui de resurrectione confidit? Vxorem iugulet, & quid hoc ad institutum dormientes nō lugere? Inuoluat ignominia: & quid hoc ad eum, qui præsentia fœni florem existimat? Si vis, & corpus torqueat, & intrudat in carcerem: quid tandem ad doctū dicere, Etsi exterior noster homo corrumpitur, sed interior renouatur: & Tribulatio patientiam, patientia autem probationem operatur? Equidem ipse nihil iri læsum promisi, progressus autē sermo probauit, quod & adiuuatur, dū renouatur, & efficitur probabilis. Ne alios igitur dolore nos afficere putemus, dum nobis ipsi iniuriam inferimus, & infirmam reddimus animam. Non enim tantum est proximorum vltio, quantum miseria nostra dolor. Propterea si quis contumeliam inferat, lugemus, & contrahimur: si quis diripiat, idem patimur, illorum more paruulorum infantum, quos astutiores coetanei pro nihilo irritant, sed ex minimis contristantes occasionebus. Veruntamen & illos si ægre ferre viderint, mordere pergunt: si vero ridentes, absistunt. At nos & his stolidiores sumus: pro quibus oportebat ridere, pro his lamētamur. Propterea supplico puerilem hanc omittentes sententiam, cœlos petamus, Nos etenim esse viros vult Christus perfectos. Itidem & Paulus præcepit, dicens: Fratres, nolite esse paruuli sensibus, sed malicia paruuli estote. Quod ad maliciam itaque spectat, paruuli simus, & nequiciā fugientes, virtutem apprehendamus: vt & æternis potestiamur bonis, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cum quo patri simul & sancto spiritui gloria

Leuit. 24.

Deut. 19.

2. Cor. 4.

Roma. 4.

gloria imperium & honor, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

De charitate secundum deum, & quod inuidus deo repugnat, & inimicus est. Homilia LIII.



VONIAM præter dei gratiam, charissimi, per quam iustificati sumus, opus est & cōuersatione, studium dono dignum exhibeamus: exhibebimus autem, si bonorum matrē multo studio conferes charitatem. Charitas est non in solis verbis, nec penitus in salutationibus, sed cura, & in ipsis rebus officiū: puta, paupertatē soluere, ægrotantibus subuenire, eruere periculis, in necessitatibus assistere, flere cū flentibus, & gaudere cū gaudentibus: nam & hoc charitas est. Et quāuis paruum esse videatur gaudentibus gratulari, tamē valde magnū est, & exercitata mentis opus habens. Et multos quidem inuenimus, quod acerbius quidem est, præstantes, ad hoc autem infirmos. Nam multi flent quidē cum flentibus, cum gaudentibus autem non etiam gaudent: sed gaudentibus aliis, ipsi lugēt: quod est liuor & inuidia. Non itaq; paruum est meritum gaudente fratre gaudere, verum, & altero maius: fortasse vero non tantum, quā cum flentibus flere, verum & quā in periculis assistere maius. Nam multi quidē cum periclitantibus periclitantur, claritatem vero consequentibus compuncti sunt: tāta vis est inuidiæ: licet illud quidem laborū sit & sudorum, hoc autem voluntatis duntaxat sententiæ. Et tamen multi, quod grauius est, per se ipsi, facilius non expedierunt: sed tabescunt & pereunt, cum alios se præclare gerentes, cum omnem ecclesiam vel verbo, vel quopiam alio modo adiuuari viderint, quo quid peius esse possit? Nec enim iam fratri, sed & dei talis repugnat volūtatī. Hoc itaq; considerans ab ægrotudine desistas, & si proximum non vis, te saltē ad innumeris malis erue. Quid menti tuæ bellum indicis? Quid animā implet tumultu? Quid hmem paras? Cur superiora deorsum statuis? Quo modo poteris ita dispositus peccatorum poscere veniam? Nam si in se patrata non dimittentibus, nec ipse peccata dimittit, qualem dabit remissionem? Hoc enim est extremæ probatio maliciæ. Cum diabolus tales ecclesiam impugnant, fortassis autem & diabolus peius. Nam ab hoc quidem cauere potest: illi vero dilectionis induētes personam, clanculum ignem accendant, sapius in fornacem immittētes, & morbo laborantes: qui non solū haberi misericordiæ possit, verum multū habeat risum. Quid enim, quæso, palles, & fremis, & trepidus factus es? Quid mali factū est, quod splendidus frater & illustris est, & probabilis: Non itaque coronari fuit opus, & gaudere atque deum glorificare, quod membrum tuum est splendidum & illustre: sed doles, quod deus glorificatur? Vides quod tēdat impugnatō: sed non quod deus, inquit, sed quod frater clarificatur. At per hunc ad deum gloria redundat: igitur & impugnatō tua. Verū hoc, inquit, me nō contristat, sed per me deū vellem glorificari. Gaudeas igitur se gloriosum exhibēte fratre, & per te rursum deus clarificabitur, & omnes dicent: Benedictus deus, qui tales habet seruos ab omni liberatos inuidia, mutuis gaudentes bonis. Et quid dico fratre? Nam licet hostis esset & inimicus: si tamen per hunc deus glorificaretur, amicū fieri propter hoc oporteret: tu vero amicū facis inimicum, quoniam propter illius prosperitatē deus glorificatur. Si quis corpus tuum male se habens curauerit, licet sit inimicus, ipsum iam de primis amicorum esse

censebis: Christi vero corpus ornantem, id est ecclesiā, & amicū ducis inimicum: & quo modo cōtra Christum pugnam aliter præ te tulisses? Propterea siue quis signa faciat, siue virginitatem, siue ieiunium, siue humistratum excolat, siue ipsos angelos virtute præueniat, omnium erit scelestissimus, hunc habens defectum, & adultero, lenone, & latrone ac fure iniquior. Et ne quis sermonis excessum redarguat, illud à vobis libeter interrogauerim: Si quis ignem sumens, & fossorium, hanc destruxisset domum & incendisset, & hoc suffodisset altare: nōne quilibet eum lapidibus obrueret, tanquam prophanum & impium? Quid igitur si quis voraciorem hoc igne flammam inferat, inuidiam dico, non lapidum ædificia destruentem, nec aureum suffodientem altare: sed quod parietibus & altari multo preciosius est, doctorum ædificationem subuertentem & corruptentem, quali venia dignus esset? Nemo nāque mihi dicat, quod frequenter aggressus non valuit: ex voluntate enim negocia iudicantur: quoniam & Saūil Dauidem occidit, licet votum non impleuerit. Nō animaduertis, quæso, quod Christi ouibus insidiaris, impugnans pastorem: ouibus, inquam, pro quibus & sanguinem Christus effudit, & omnia facere ac pati præcepit? Num reminisceris, quod dominus quidem tuam quæsiuit gloriam, non autem suam: tu vero non dominicam, sed tuam exquiris: alioquin autem tunc & tuam assecutus fuisses, nunc autem tuam quærens ante domini gloriam, nec hac vnquam poteris. Quod igitur erit huius remedium? Cōmuniter omnes oremus, & vnā pro talibus vocem emittamus, tanquam pro energumenis: nam & ipsi hi miseres sunt, quantum & volūtarius est furor. Orationis enim indiget huiusmodi morbus, & plurimā supplicationis. Nam si fratre nō diligens, siue pecunias erogat, siue martyrio fulgeat, nihil amplius efficit: qui nullam quoque persequitur operatum iniuriam, quanta sit dignus vltione, considera. Hic & gentilibus est peior. Nam si diligentes diligere nihil amplius illis nos habere permittit, amantibus inuidens vbi, quæso, statuatur? Nam & inuidere peius est, quā bellum inferre. Qui enim bellum gerit, soluta causa propter quam bellum gerebatur, inimicitiam quoque dissoluit: inuidus autem nunquam efficitur amicus. Et ille quidem apertam ostendit pugnam, hic autem obumbratam: & ille quidem legitimam habet, quam dicat impugnandi causam plerunq; hic autē nihil aliud præter inuidiam, & diabolicā mentem. Itaq; cui talem aliquis animam cōparauerit? Cui viperæ: cui aspidi: cui vermī: cui scarabæo? nihil enim huiusmodi scelestius anima, peius nihil: hoc enī, hoc ecclesiam subuertit, hoc hēreses peperit, fraternam manum armauit, & fecit vt dextra pro tingeretur cruore, & natura leges abstulit, & morti fores aperuit, & in opus illā deduxit maledictionem, & neque partium, neque parentū, nec vllius alterius illum permisit miserum reminisci: sed eum ita furiauit, & in tantum egit furorem, vt & deo se commonente atque dicente: Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illi: nec ita acquiesceret, licet & à crimine eum absoluerit, & subdiderit fratre: attamen tam insanabilis est iste morbus, vt & innumeris medicaminibus superpositis propriā scaturiat tabē. Quānanq; de causa doles, o tu omnīū infelicissime: quoniam honoratus est deus: sed hoc est diabolicæ mentis. At quoniam frater te factus est probabilior: sed & te vicissim præcurrere licet. Itaque si vincere cupis, ne iugulaueris, nec occideris, sed manere sinas, vt certaminū cōferuetur oc-

Gen. 4.

tur occasio, & vince viuentē: sic enim tibi splendida paratur corona. Nunc vero cū occideris, maiorē iacturę sententiā aduersus temetipsum profers. sed nihil horū nouit inuidia. Qua vero de causa gloriam, & in tanta diligis solitudine? Hi nanq; soli tunc terrā habitabāt, sed neq; hoc eū cohibuit: sed omnibus ex animo proiectis, cū diabolo stetit, & opposuit aciem. Etenim erat ille tunc cum Cain malicię dux. Quoniam enim ei nō erat satis hominem factum esse mortale, & mortis genere maiorem facere luctum aggrediebatur, & vt fieret fratricida persuadebat. Festinabat enim, & cupiebat videre sententiā in opus prodire, qui nostris nunquā malis exsatiatur: quemadmodū si quis captiuum habēs inimicum, & prolata videns damnatū sententiā, priusquam urbem exeat, properet & intus iugulatum videre, neq; congruum tempus expectet: ita tum quoq; diabolus licet audisset, quōd in terram homo reuersurus esset, optabat & aliquid maius cernere, coram patre filium morientem, & germanum interimentem germanum, & pręmaturam violentamq; necem. Vides quātis fuit ministra malis inuidia: qualiter insatiabile diaboli mentem impleuit, & ei tantam apposuit mensam, quantam is cernere cōcupiuit? Fugiamus itaq; pestem. Non enim licet illum ignem euadere diabolo paratū, ab hoc malo non liberatos. Liberabimur autē, si cogitemus quo modo Christus & nos dilexit, & alterutrum amare pręcepit. At quo modo nos itaque dilexit? Preciosum sanguinem dedit pro nobis, qui eramus inimici, & modo peccaueramus, hoc fac etiā pro fratre. Nā propterea dicit: Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicē, sicut ego dilexi vos: imō vero nec ita mensuram statuit. Nam ipse pro inimicis hoc fecit. At non vis tuum pro fratre sanguinem effundere. Quid igitur illius sanguinem fundis, ex opposito mandatum impugnans? Et ipse quidē quod fecit, non ex debito fecit: tu vero si facis, debitum soluis. Quoniam ille qui decem milia talentorum accepit, & centum exigit denarios: non propter hoc tantū puniebatur quōd exigeret, verum & quoniam ex beneficio nō est melior factus, nec incipientem dominum secutus est, nec debitum reddidit: iam enim erat & debitum quod a seruo factū fuit, si modo factum fuisset. Etenim omnia quę facimus, agimus, debitum implentes: propter hoc & ipse dicebat: Cum omnia feceritis, dicite, quia inutiles serui sumus: quę enim debebamus facere, fecimus. Igitur siue charitate exhibuerimus, siue dederimus pecunias egenis, debitum implemus: nō tantum quoniam a beneficiis ipse cepit, verum & quoniam ipsius bona distribuimus, si cuncta erogemus. Quid igitur illis te spoliās, quorum ipse te vult esse dominum? Propterea te iussit alteri ea dare, vt ea ipse retineas. Nam donec ipse solus ea detinet, nec ipse quidem habes: quum alteri vero dederis, tunc & ipse cepisti. Quid huic par sit amicicię pignori? Ipse pro inimicis sanguinem effudit, nos autem neque pro benefactore pecunias: ipse preciosum sanguinem suum, nos vero neque pecunias non nostras: ipse ante nos, nos neq; post ipsum: ipse pro salute nostra, nos neque pro nostra quidem vtilitate. Nec enim ipsi quicquam amplius ex nostra fit humanitate, sed totum in nostrum cedit emolumētum. Propter hoc enim & ipsa dare iubemur, ne nos ex ipsis excidamus: quemadmodum enim si quis argentum paruo dederit puerulo, & retinere propensius imperet, vellet seruo dare custodiendum, ne volenti rapere liceat, itidem & deus agit: ait enim, Da indigenti, ne quis tibi rapiat: puta vel sy-

cophanta, vel accusator, vel fur, vel nouissime mors. Nam donec ipse retines, non habes in tuto: si vero per pauperes mihi dederis, omnia tibi diligenter ipse pręstito, & in tempore congruo cum multa accessione restituiam. Non enim vt auferam sumo, sed vt plura efficiam, vt custodiam diligētius, vt ea tibi conseruem in illud tempus, in quo qui mutuet nemo, nemo qui misereatur. Quid igitur nobis crudelius fuerit, qui post tot promissiones ei mutuari non sustinemus? Inopes enim & nudi transimus ad eum, credita non habentes: quoniam ea diligentissime super omnes custodienti non commendamus, ideoq; & extremam luemus pœnam. Quid enim dum accusabimur, dicere poterimus? Quā perditionis nostrę prętere excusationem? Quam defensionem? Cur enim non dedisti? Non credis, quōd iterū recipies? Et quo modo rationem hoc habeat? Qui nanque non danti dat, quo modo non multo magis, postquam acceperit, dabit? Sed eorum te delectat aspectus. igitur propterea magis eroga, vt illic te magis delectet, cum ea surripierit nemo: sicut econtra nunc retinens innumera patieris incommoda. Tanquam enim canis, ita diabolus diuitibus insilit, tanquam buccellā, vel placentam tenenti puerulo volēs auellere. Demus igitur ea patri. Et si diabolus factū hoc viderit, omnino recedet: cum vero recesserit, tunc ea pater omnia dabit in tuto, quum ille non poterit infestare in futuro seculo. Nunc enim a paruis infantibus qui a canibus vexantur, nihil diuites differunt, omnibus circa eos latrantibus, laniantibus, trahentibus, nō hominibus tantum, verum & illiberalibus passionibus, ingluuie ventris, ebrietate, assentatione, & omni intemperantia. Et si fœnerare quidem suppetat, multum dantes conquirimus, & gratos consideramus: hic autem contrariū facimus. Grate suscipientem deum, & non centesimā partem, sed centuplum pręsentem dimittimus: at ne sortem quidem nobis reddituros quærimus. Quid enim nobis venter reddet, qui plurima consumit? stercus & corruptionem? Quid autem inanis gloria? liuorem & inuidiam. Quid vero auaricia: curam & sollicitudinē. Quid intemperantia? gehennam, & veneniferum vermem. Hi nanque sunt diuitum debitores, has sorti iungentes vsuras, pręsentia mala, pœnasq; futuras. His igitur quæso, ad tantam mutuabimus vltionem, & nostra Christo non credemus, cœlum prętendenti, æternam vitam, & arcana bona? Et quā inueniemus excusationem? Cur enim non das illi qui proculdubio daturus est, & plura daturus: fortasse, quoniam post multum dat temporis? Atqui & hic prębet. Non mentitur enim qui dicit: Quærite regnum dei, & hæc omnia apponentur vobis. Vidisti liberalitatis magnitudinem? Illa ibi seruata sunt, inquit, & non diminuuntur: pręsentia vero in adiectionis & superabundantię loco tibi largior. Pręterea vero post longum recipere tempus, tibi talentum multiplicat: fœnus enim efficitur maius. Nā & in mutuantibus hoc faciētes videmus fœneratores, post multum temporis redimentibus libentius fœnerantes. Qui nanque statim totum reddit, vsurę cursum interrumpit: qui vero diu retinet, maiorem facit & operationem. Itaque in hominibus quidem dilationem non agrē ferimus, verū & studemus, vt maior efficiatur: apud deū vero tam pusillanimitate nos gerimus, vt propter hoc torpeamus & retrocedamus. Et quidē, sicut dixi, hic quoque prębet dictam causam, & aliud quiddam maius dispensans, illic totum seruatur. Eorū enim quę dantur, magnitudo, & illius donationis de-

cor pręsentis vitę transgreditur vtilitatē. Nec enim in corruptibili & caduco corpore illas immarcescibiles fas est accipere coronas, nec in pręsentis tumultuosa plenaq; turbationis conuersatione multas habēte mutationes, innotam illam & imperturbatam fortē acquirere. Et si quis aurum quidem tibi debens, in aliena moranti regione, nec habenti seruos, neq; domum reportare pręvalenti mutuum se dare promitteret: etiam ac etiam rogares, ne tibi peregre, sed domi potius id erogaret. Illa vero spiritualia & ineffabilia vis hic accipere: & quantę sunt ista dementia? Nam si hic quidem ceperis, omnino corruptibilia recipies: si vero tempus illud expectes, incorrupta tibi reddet & immortalia. Si recipis hic, plumbum recepisti: si vero illic, probatum aurum, veruntamen neque pręsentibus te priuauit. Cū illa nanque promissione & alteram posuit, ita dicens, quōd omnis qui cœlestia diligit, centuplum accipiet in hoc seculo, & vitam æternam possidebit. Si vero centuplum non capiamus, nos authores qui tantum reddere valenti nō mutuamus. Quoniam omnes qui dederunt, tanta receperunt, licet pauca dederint. Quid enim magnum, quæso, Petrus erogauit? Nōne rete fractum, & calamū, & hamum duntaxat: veruntamen ei deus orbis terrarū domos reserauit, & terrā explicuit, & mare. Et omnes eum ad sua vocabāt, quin potius & sua vendentes ad ipsorū pedes precia deferebant, nec in manus quidē immittentes, non enim audebant, tantum eis & cum largitate tribuebant honorem. Sed ille Petrus erat, inquit: & quid hoc? homo. Non enim hæc soli Petro promisit, neq; dixit, Tu vero Petre centuplū accipies solus: sed, Quicumq; reliquerit domos, vel fratres, centuplum accipiet. Non enim personarum dixit differentiā, sed rerum merita. At, inquit, infantum me cœtus circumstat, & illos diuites relinquere cupio. Quā igitur ob rem eos faciamus pauperes? Nam si ipsis quidem omnia dimittas, periculosa rursum custodia tua cuncta cōmendasti. Si vero deum eis relinquantur hæredem & tutorem, innumeros reliquisti thesauros. Sicut cū nos ipsos vlciscimur, deus nos non defendit: quum autem ipsi concedimus, plusquā expectamus, efficitur: Sic & in pecuniis, si nos earum curam gerimus, ab earū ille prouidentia recedet: si vero totum in eum proiciamus, & eas & filios in omni securitate constituet. Et quid mirum si hoc apud deum contingit, cū & in hominibus hoc ipsum euenire videre possumus? Nam si necessariorum neminem ad liberorum tutelam aduocaueris, confunditur & erubescit frequēter, & qui spōte volebat his acriter ingruere. Si curā igitur in eū proicias, tanquam magno decoratus honore, maximam & ipse reddet retributionem. Si vis itaque multas filiis diuitias relinquere, deo relinque tutelam. Qui enim te nihil operato, & animam dedit, & corpus plasmauit, & gratiam donauit, cum tantā liberalitatem viderit exhibentem, & res illorum sibi cum illis distribuentē: quo modo non omnes eis aperiet diuitias? Si enim Helias modica partus farina, postquam vidit mulierem illam se filiis pratulisse, indeficiētes areas, & torcularia in viduę domo pręstitit: cōsidera quantā Helias dominus ostendit charitatem. Hoc itaque ne consideremus, quo modo filios diuites relinquamus, sed quo modo virtute pręditos. Nam si diuitis confidant, nil aliud curabunt, habentes vnde morum maliciā obumbrent pecuniarū abundantia. Si vero se viderint illarū esse cōsolatione destitutos, omnia faciant, vt aliquā paupertatis releuationem per virtutem inueniāt. Ne diuitias

itaque relinquant, vt relinquant virtutem: extrema nanque stoliditatis est, viuentes quidē eos non facere omnium dominos: mortuos autē multam iuuentutis facilitate prębere licentiā. Atqui viuentes quidē, & pœnas exigere poterimus, & male rebus vtētes, cohibere & refrænare. Si vero morientes pręter orbitatem, & iuuentam, diuitiarum quoque potētiam prębeamus, in mille pręcipitia miseros impellemus & infelices illos, ignē igni adiicientes, & atroci oleum instillantes fornaci. Itaque si vis diuites in tuto relinquere, deum ipsis relinque debitorem, & hoc eis chirographum trade. Nam si pecunias quidem ipsi ceperint, neque cui dent, norū: sed in multos incident calumniatores & ingratos. Si vero pręueniēs ea deo fœneraueris, indireptus iam manebit thesaurus, & erit cum multa copia retributio. Et enim gratiam habet & debens & erogans nobis deus, & fœneratores suos non fœneratis iucundius intuetur. Et quibus maxime debet, hos maxime diligit. Itaque si vis cum semper amicū habere, multorum constitue debitorem. Nec enim ita fœnerator debitores habens gaudet, sicut deus creditores habēs delectatur. Et quibus quidem nihil debet, hos refugit: quibus vero debet, ad hos accurrit. Igitur omnia faciamus, vt ipsum habeamus debitorem. Hoc enim fœnorum tempus est, & nunc in necessitate constitutus est: nisi igitur nunc ei dederis, postquam hinc migraueris, tui non indigebit: hic enim sitit, hic esurit: sitit autem, postquam tuā sitit salutem. Et propterea quoque mendicat, & nudus circumcūdit tibi negocians vitam immortalē. Eum itaque ne despexeris. Non enim vult cibari, sed cibare: nō indui, sed induere, & aureum illud tibi parare indumentum, & regalem stolam. Nōne vides & medicorum studiosiores, quum ægros lauāt, & se licet nihil indigentes lauare: sic & ipse propter te laborantem omnia facit. Propter hoc neq; te cum violentia repetit, vt tibi magnam det retributionem, vt discas, quōd non opus habens exigit, sed tuam implens vtilitatem, propter hoc & in vili te petit habitu, & dexteram extendēs: neque si dederis obolum, auerfatur: neque etiā si spreueris, abscedit, sed ad te rursus accedit: vehementer enim amat, inquam, salutem nostram. Pecunias itaque contemnamus, ne a Christo condemnemur, contemnamus pecunias. Si enim eas hic custodimus, eas omnino perdemus & hic & illic. Si vero multa cum largitate dispensamus, multam in vtraque vita felicitatem assequemur. Qui vult itaq; diues fieri, fiat pauper, vt diues euadat: expendat, vt colligat: dispergat, vt congreget. Si autē hæc noua videntur & mirabilia, seminantē animaduerte, & cōsidera quōd nec ille posset aliter plura colligere, nisi quę habet, dispergeret, & parata pręmitteret. Seminemus igitur & nos cœlum, vt cum multa metamus opulentia, & æternis potiamur bonis, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, per quē, & cum quo patri gloria, simul & sancto spiritui, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Quod non datur pariter secundum deum, & secundū mundum gaudere. Et contra eos qui ebrietati vacant & deliciis. Homilia LIIII. Ex Actibus Apostolorum.

MALRES est vbiq; remissio charissime, & propterea ab initio Adę dictū est: In sudore Gen. 3. vultus tui vesceris pane tuo: & vt ex afflictione multa ad requiē perueniēs, deo gratias agāt. Magnū enim bonū est tribulatio: audi nāq; Prophetā dicentē: Bonū mihi domine, quia humiliasti me. Si vero Psal. 118. magnis

Ecd. 7.

Psal. 29.

2. Reg. 15.

1. Reg. 18.

Gen. 28.

Psal. 27.

Philip. 4.

magnis & mirabilib⁹ viris magnū quid est tribulatio, multo magis nobis. Si vero vultis & ipsam per se tribulationem inquiramus. Sit aliquis valde gaudens, & lætus, & effusus, quid turpi⁹? quid hoc stolidius? Sit aliquis dolens, & mœstus, quid hoc est sapientius? Melius est enim, inquit, in domum luctus ire, quàm in domum risus. Fortasse quidem & quæ dicuntur, repellitis: tamē videamus qualis Adā fuerit in paradiso, & qualis postmodum: qualis antea Cain, & postea qualis. Nō enim firma stat anima sede, sed tanquam à quodam flumine tollitur, & eleuatur à voluptate, nihil habens stabile, & ad repromissiones facilis, prompta ad pollicitationes, & multa cogitationum fluctuatio, intempestius risus, hilaritas ratione carens, multa verborum & superflua nugacitas. Et quid alios cōmmemorem sanctos? Vnū proferamus, & intueamur quis in voluptate quidē, quis autem esset in tristitia. Vultis ipsum Dauid videamus, quum in voluptate foret & læticia, propter multa trophæa, propter victoriam & coronas, propter delicias & fiduciam, vide qualia & dixit & fecit: Ego autem dixi, in abundantia mea, inquit, non mouebo in eternū. Postquam autem in tribulatione constitutus est, audi quid dicat: Si autem dixerit, mihi non places, præsto sum, faciat quod bonum est coram se. Quid hisce verbis modestius? ait enim: Quomocumque deo gratū est, ita sit. Et iterū ad Saulem ait: Si dominus incitat te aduersum me, odoretur sacrificium tuum. Et tunc quidem quum in tribulatione foret, & inimicis parcebat: post hæc vero nec amicis, nec his qui nullam intulerant iniuriā. Rursum Iacob quum in tribulatione fuit, dicebat: Si dederit mihi dominus panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum. Quoniā & Noë filius antehac quidem nihil tale fecit, postquam vero de salute confidit, qualis factus est contumeliæ patratore? Et Ezechias quidem cum esset in tribulatione, vide qualia pro salute faciebat, & sacco induebatur, & quæcunq; talia: postquā vero voluptatem incurrit, de cordis sui cecidit altitudine: ait enim, Cum comederis & biberis, & fueris impletus, attende tibi metipsum, præceps enim est locus deliciarum. Attende, inquit, tibi metipsum. Cum tribulabantur Israëlita, tanto plures fiebant: postquam autem eos dimiserunt, tunc omnes perierunt. Et quid antiquorum exempla commemoro? Nūc videamus, si placet, nōne cum in secundis rebus sunt plures, efficiuntur inflati omnibus inimici, iracundi, quum adest potentia: cū vero fuerit ablata, mansueti sunt homines, & humiles, & in propria naturæ cogitatione veniunt: ideo inquit: Tenuit eos superbia, prodit quasi ex adipe iniquitas eorū. Hæc mihi dicta sunt, vt non omnibus modis læticiā exquiramus. Quid ergo Paulus ait: Gaudete semper? Non simpliciter dixit, gaudete: sed addidit, in domino. Hæc maxima læticia quali gaudebant apostoli, ex carceribus scilicet, flagellis, persecutionibus, maledictis, ex omnibus tristibus principiū habens, & radicem, atq; materiā, vnde & ad bonū peruenit exitum: quæ vero mundi est, in contrarium: incipit quidē à suauibus, at in mala definit. Nec ego secundum dominū gaudere prohibeo, imò: vehementer exhortor. Flagellabatur apostoli, & gaudebat: vinciebantur, & gratias agebant: lapidabantur, & prædicabant. Hanc & ego quæro læticiā, ex nulla re corporali principium habentē, sed ex spiritualibus. Non licet secundum mundū gaudentē, pariter & secundum deū gaudere. Quo modo enim qui secundum mundum gaudet, gaudet in diuitiis, in deliciis, in gloria atq; po-

tentia & elatione: qui vero secundum deum, in ignominia propter eum, in paupertate, in ieiunio, in modestia. Vides quod contraria sunt occasiones: quotquot hic citra læticiam sunt, & citra tristitiā: quotquot citra tristitiā hic sunt, & citra voluptatē. Et hæc reuera sunt, quæ verā faciunt læticiā, quoniā illa læticiā tantū nomen habent, quū omnia sint in tristitia. Quantū habet tristitiā superbus? quo modo cruciatur, dū extollitur, innumeras sibi contumelias inferens, multū odij, multum inimiciā, liuoris multum, multū inuidiā. Quod si à maioribus contemnatur, dolet: si non super omnes insurgat, roditur. Humilis autem est in magna voluptate, honorē expectans à nemine, si fortasse quidem honoretur, gaudet: si vero non honoretur, nec dolet: gratum enim habet, quod honoratus non fuerit, ipsum autem præsertim afficit contumelia nemo. Igitur ex eo quod honorem, & honorari non requiramus, magna voluptas: illic autem contrarium, & quærit honorem, & non honoratur: non autē æqualiter honore lætatur, & qui quærit eum, & qui non quærit. Ille quantuncūq; ceperit, se nihil accepisse putat: hic vel si parū exhibueris, quasi totum accepit, suscipit. Rursum qui deliciis vacat, innumeras habet molestias, licet de facili & tanquam ex fontibus ipsi prouentus affluant, ex deliciis nascencia patitur mala, & futurorum incertitudinem. Hic autem in securitate semper est, & in voluptate qui victus tenuitati semetipsum assuefecit. Nō enim ita semetipsum miserum vocat, quoniā opiparæ mensæ particeps non est: sicut gaudet, futurorum non metens incertitudinem. Ex deliciis vero quanta sint mala, nemo nescit. Necessarium autē & nunc dicere, quod duplex bellū, & animæ & corporis: duplex tempestas, duplex & morbus. Nec hoc tantum, verum & insanabilis, & magnas afferens calamitates. Sed non tale quid est tenuitas, sed duplex est sanitas, duplex bonū. Somnus sanitatis, inquit, in homine parco. Nam mensura quidē semper est desiderabilis, immodestia vero nequaquā. Modicæ scintillæ multā lignorum pyram superpone, iam non ardentem videbis ignem, sed multum insuauem fumum. Viro valde forti & magno onus impone vires excedens, & cum onere videbis humi iacentē & proiectum. Multū onusingere nauigio, & grave feceris naufragium, quale quidem & hoc est. Sicut insuper plenis nauigiis multus est tumultus nautarū, gubernatoris, proreta, & remigū, qui superiora quidē in mare iaciūt, inferiora vero & seipsum per dentes pereunt, & quod omnium est turpissimū, os posteriorum partium assumit vsum, & illud fit ignobilis. Si vero in ore tanta turpitudine, cogita quanta sit in anima. Nam & illic omnia tenebræ, omnia tēpestas, omnia caligo, multus cogitationum clamor, dum premuntur & tribulatur, ipsa calumniam anima proclamante, omnibus sese accusantibus, aduocantibus, supplicatibus interiorem fimum alicubi reponi: & postquam eiectus fuerit, nec ita sedatur tempestas, verum & febris, & ægri tudines. At, inquires, quo modo licet hos cernere deliciis vacantes, bene valentes qui super equos vehuntur? Quid, inquis, temere nugaris ægri tudines nobis dicens: Ego quidem ægroto, & distrahor & deturpor: ego qui non habeo quod comedam. Hei mihi, lachrymis enim digna sunt ista verba. Pedibus vero dolentes, qui vehiculis gestantur, compeditos vnde, quæso, videbimus? Et nisi rem contumeliā putarent, & verba impropertoria censerent, iam & nominatim eos protulisset. Sed sunt quidam qui bene valent, quoniam non solis vac-

1. Tim. 5.

cant deliciis, verum & laboribus. Nam da mihi hominem semper se pinguefacientem, sine dolore iacētē, curantem nihil, licet infinitorum concurrat medicorum multitudo, ab ægri tudinibus eum eruere non poterit: nec enim ita se habet rei natura. Medicinalem enim vobis sermonē commemorabo. Ex his quæ mittuntur in ventrē, non solum alimentum efficitur, quoniā nec in ipsa nutrimenti natura totū est nutritiuum, sed eius quidē aliquid in secessum dissoluitur, hoc autē in nutrimentum. Igitur si perfecte quidē conficiatur, hoc efficitur, & propriū acceperit locū, & sanum quidem & bonum in propriū currit locum: superfluum autem & inutile descendit, & excernitur. Si vero nimium ingeratur, & quod ex eo nutritiuum est, noxiū efficitur. Et vt exempli gratia loquar, quod res vobis reddatur manifestior. Tritici quidem hoc est siligo, hoc farina, hoc furfur: igitur si mola quidē sit idonea molere, hæc omnia separauerit: si vero plus ingereris, confuderis omnia: itidem & vinum, si congruam cocturam, & temporum assequatur temperiem, quoniam citra quidē hoc, omnia confusa sunt: post hæc vero hoc quidē in fecem subsidet, hoc autem in spumam exilit, hoc vero in gustantium vsum, & hoc est bonum, quod nunquā facile subuertetur. Quod vero dicunt tropiam, neq; vinū est, neq; fex, omnibus commixtis. Hoc & in flumine quispiam viderit, quum aquarū vortex efficitur. Sicut tunc mortuos videmus pisces adnantes, & fimi crassitudine oculis captos: itidē & in nobis efficitur, quum multus ingluuii superne fluxerit imber, postquam omnia cōmouerit, mortuas adnare facit cogitationes pridem sanas, & in puro viuētes. Postquam igitur ex multis est exemplis damni magnitudo nobis probata, hos beatos vocare desinamus in his quib⁹ miseros vocare debebat, deslere vero in quibus beatos oportebat appellare, & mediocritatem diligamus. An nō auditis & medicos dicentes, egestas sanitatis est mater? Ego vero nō tantum corporalis matrem sanitatis egestatem dico, verum & animæ, hæc q; Paulus vere medicus clamat, inquires: Habentes autem victum & vestitum, his contenti sumus. Pareamus igitur ei, vt in bona valetudine quæ facere decet, agamus. Dic enim mihi, si quis tibi cicutam dedisset habendam, nōne præter naturam foret? si quis lapides & ligna, nōne auersatus fuisset? Verisimiliter & meritō, præter naturam enim est. Tale quid sunt & delicia. Sicut enim hostibus urbem subeuntibus, & obsidione facta & perturbatione, multus efficitur tumultus: ita fit & in anima, subrepente vino cum deliciis. Cui vax: cui tumultus? cui molestia, contentiones, & rumores? Cuius oculi liuidi? nōne vino indulgentibus: Sed enim quæcunq; dixerimus, in deliciis occupatos non separabimus, nisi passionem aliam opposuerimus. Et primum quidem nobis ad mulieres fit sermo, nihil muliere deliciis dedita turpius, ebria fœdus nihil, ipsius aspectu flos deletur, oculorum tranquillitas, & mansuetudo turbatur, quasi nebula quadā radios subeunte solares. Opus illiberale, ac seruire, omnique plenum ignauiā. Quam est iniucunda fœtens, vinum olens putrefactum, mulier carniū corruptarum succum eructans, grauata, nec surgere valēs, plus æquo rubens, oscitatione plena, multaq; caligine? At non eiusmodi quæ deliciis abstinet, sed speciosior & modestior: etenim corpori multum afferit decorē animæ cōpositio, ne tantum enim ex corporalibus formis hunc effici censeas. Da speciosam puellam, turbatam, loquacem, iurgiosam, ebriam, ornatā, nōne turpissima qua-

que fœdior est? si vero verecunda, si taceat, si erubescere discat, si moderate loqui, ieiuniis vacare, duplex pulchritudo, species maior, desiderabilior aspectus, modestia plenus & ornatu. Vis iam & de viris dicamus? Quid ebrius turpius, familiaribus derisibilis, derisibilis inimicis, apud amicos miserabilis, infinita dignus damnatione, fera magis est quàm homo. Multa nanq; voracitas pardaleos, & leonis est, & vrsæ, & meritō, nō enim habent rationalem animā. Et tamen & illa si plus necessitate, & mensura ipsis à natura definita comederint, totum corpus corrumpunt: quāto nos autē magis? Propterea nobis in breue ventrē deus coarctauit, propterea breuem statuit cibi mensuram, vt animæ curam gerere doceret. Ipsam nostri compositionē discamus, & vnam in nobis partem hanc operationē habere viderimus. Os nobis & lingua ad laudes est assignata diuinæ, guttur ad vocem. Et propterea nos naturæ necessitas constringit, vt nec inuiti cadamus in nimiam repletionē. Itaq; nisi delicia labores haberent, & ægri tudines, & infirmitates, esset fortē tolerādū: nūc vero tibi naturæ terminos posuit, vt neq; volens transgrediaris. Nōne voluptatē quæris dilectē? hanc ab eo quod satis est, inuenies. Nōne sanitatem? & hanc. nōne securitatem? & hanc. nōne libertatem? nōne corporis robur? nōne bonam habitudinem, & animi solertiam? nōne vegetationem? ista sunt hic omnia bona: in illa vero contraria, iniucunditas, mala habitudo, ægri tudo, illiberalitas, impēsa. Vnde igitur, inquit, omnes ad hanc concurrimus? ex morbo. Dic enim mihi, quare quod lædit, ægroto inquirat? nōne & hoc ipsum ægrotare signū est? Quare claudus recte nō ambulat, cū hoc ipsum non ex torpore fit, nec eo quod ad medicum ire nolit? Rerum enim hæc quidē temporariam habent voluptatem, pœnam autem perpetuam: hæc vero contrarium, patientiā quidem temporaneā, delectationē vero continuam. Itaq; tam mollis & ignauus, vt pro futuris præsentia nō despiciat, statim capitur. Dic enim mihi, vnde captus est Esau? vnde præsentem voluptatem futuro præposuit honoris? ex segnitie & mollicie. Hoc autem ipsum, inquit, vnde? Ex nobis ipsis. Et inde patet, cum volumus, nos ipsos excitamus, & tolerantēs effici-mur: si quando itaq; necessitas venerit, frequenter autē & contententes diuitaxat vile cognoscimus. Cū igitur deliciis vacaturus es, considera voluptatis momentaneum, & damnum (vere siquidem damnum est cum propria pernicie tot absumere pecunias) ægri tudines, infirmitates, & contemne delicias. Quot tibi vis enumerē ex deliciis mala perpeffos? Noë factus est ebrius, & denudatus, & vide quot ex hoc orta sunt mala. Esau per ingluuiē primogenita perdidit, & ad fratricidium animum dedit. Populus Israël sedit māducare & biberere, & surrexerunt ludere, & propterea dicitur: Cum māducaueris, & biberis, memento domini dei tui. In præcipitium enim ceciderūt, in delicias delapsi. Vidua illa deliciis vacans, viua mortua est. Et iterum: Impinguitus est, & increpatus, & recalitravit dilectus. Et iterū Apostolus ait: Curam carnis ne feceritis ad concupiscentias. Non promulgo ieiunium, nec enim est qui audiatur: sed tollo luxum, præcido delicias propter vtilitatem vestram: tanquam enim correns omnia delicia subuertunt, nihil est quod eas coërceat, eiciunt ex regno. Quid amplius: vis frui deliciis? da pauperi, voca Christum, vt & postquam mensa remota fuerit, habeas quibus fruare deliciis. Nam nunc quidē non habes, & meritō: tunc autē habebis. Vis deliciarum? animā palce, trade ipsi

ipſi cibos quorum conſuetudinem habet, eam ne fame perimas. Tempus belli, tēpus certaminis, tu vero fedes in deliciis. Non vides & regis præpoſitos in exterioribus caſtris tenuiter viuentes? Nō eſt nobis luſta aduerſus ſanguinem & carnem, tu vero luſtaturus temeripſum impinguas? Stat ſtridens dentibus aduerſarius, tu vero diſfunderis, & menſis vacas. Noui me nequicquā hęc dicere, ſed non omnibus. Qui habet aures audiendi, audiatur. Chriſtus fame tabeſcit, tu vero voracitate temetipſum diſſedis, duā immodeſtia. Quid enim mali non faciunt deliciæ ſibiipſis cōtrariæ ſunt. Vnde neſcio quo modo nomē hoc habeāt: ſed ſicut gloria, quā ignominia ſit: & diuitiæ, cū ſit paupertas, vocatæ ſunt: ſic & deliciæ, cum iniucunditas ſit. Nunquid enim mandandi ſumus, quoniam nos ipſos ſaginamus? Quid lautam vermibus menſam apponis: quid maiorem alis ſaniem? quid fetentes ſudorum fontes reponis? quid ad omnia temetipſum reddis inutilem? Vis oculum fortē fieri: fac corpus robuſtū. Nam & in chordis, craſſa quidem & immunda ad cātus ſuauitatem inutilis eſt: vndique vero raſa, intenſa eſt, & conſonantiſſima. Quid animam obruis? quid parietem facis craſſiorem? quid multum fumum & nebulam, cum vapores tanquā caligo quædam vndique reddantur? Si nō alius quiſquā, te ſaltem athletæ doceāt, quoniam gracilius corpus eſt & fortius, & anima fortior aurigæ ſimilis eſt & equo. Sed illic vides, ſicut in his qui deliciis vacāt, & carnoſis: ſic & equi carne fluētēs motus ſunt difficiliſ, & multos aurigis labores præbentes. Optabile eſt, facilem & expeditum agentem equum brauium accipere: cum autem eum auriga trahere cogitur, & frequentiffime cadentem ſtimulans, nec ita quidem excitare poteſt, licet ipſe ſit valde peritus, victoria priuabitur. Ne noſtram contemnamus animam, propter corpus calumniam patientem: verum & illam faciamus perſpicaciorem, alas ei leues neſtamus, molliora vincula, rationibus eā paſcamus. Satis eſt, quantū vt valeat corpus duntaxat, tantum vt ſit robuſtum, gaudeat & non doleat, vt quā ita bene noſtra diſpoſuerimus, ſummam poſſimus virtutem apprehendere, & æternis potiri bonis, gratia & miſericordia domini noſtri Ieſu Chriſti, cum quo patri, ſimul & ſancto ſpiritu gloria, honor, imperiū, nūc & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

Contra luxuriantes & deditos deliciis, & de præſentis ſeculi conſummatione. Homilia LV.

NON tam vehementer fluuium aquarū curſus ripas corrodere, & ſubmittere ſolet, ſicut D deliciæ & luxus omnia valetudinis noſtrę firmamenta facile ſubruere. Siue nanq; medicinalem ingrediari officinam, & accedens interrogaueris, omnes fere morborum cauſas illinc inuenies eſſe. Vilis enim tenuiſque menſa ſanitatis mater eſt, & eam propterea medicorum pueri ita nominauerunt: non ſaturari quidem vocantes ſanitatē (cibi nanque penuria ſanitas eſt) minus veſci ſanitatis matrem appellantes. Si vero mater eſt ſanitatis egeſtas, patet quod ſaturitas ægritudinis mater eſt, & infirmitatis, morboſque parit, ipſorum quoque medicorum artem tranſgrediētes: pedum enim dolores, & capitis grauedines, & vertigines, & manuum cruciatus, & tremores, & remiſſiones, & arquatus, & longæ febres & æſtuofæ, & alia his multo plura (non enim omnia percurrere vacat) non ex indigentia, parcoq; victu, ſed ex crapula & ſaturitate naſci ſolent. Si vero vis animi morbos inde naſcen-

tes videre, auariciæ, molliciæ, melācholiæ, ignauiæ, in- 312
temperantiæ, omnis ignorantia hinc habēt principiū. Nihil nanque ſunt aſinis meliores animi taliū menſarum deliciis ſectantes, tot feris diſtracti. Dicam & quot triſticiæ & moleſtias habeant deliciis inhærentes. Omnes quidem recenſere non poſſumus, at vno capite totum reddam manifeſtum. Hanc enim ipſam lautam menſam cum voluptate nunquam attingūt. Egeſtas enī ſicut ſanitatis, ſic & voluptatis eſt mater. Saturitas autem ſicut morborum, itidem & ſtidiij ſons atque radix eſt. Vbi nanque ſatietas fuerit, non poteſt eſſe appetitus: abſente vero appetitu, quo modo poſſit ad eſſe voluptas? Propterea nō tantum pauperes diuitibus prudentiores inuenimus, verum & maiorem aſſequentes delectationem. Quibus omnibus animaduertiſ, ebrietatem fugiamus atque deliciis: non tantum in meſis, verū & in omnibus ſecularibus negociis, & pro illis recipiamus ex ſpiritualibus voluptatē, & iuxta Prophe- tam delectemur in domino: ait enim, Delectare in domino pulchram, quum aēr appropinquauerit, ſplendidam oſtendit: itidem & aſpectum ſpecioſum hilaritas animæ meliorem exhibet. Si vero ſit in triſticia, & doloribus, deformior redditur. Mœſticiā vero morbi faciūt, & cruciatus: porro morbos corporis molliciæ ex multis cōſtata deliciis. Igitur & propter hoc, ſi mihi parebitis, fugietis deliciis. Sed voluptatem, inquit, habet deliciis frui. At non tantam quātas inſeſtationes. Nam voluptas quidem ad guttur vſque peruenit & linguā: remota nanque menſa, vel vorato cibo, ſimilis eſt illi qui non gultauit, imō longe peior, onera inde ferens, & capitis grauedinem, & ſomnum morti ſimilem: frequenter autem & inſomniā ex crapula & ſpiritus præcluſione & eructatione. Et innumera ventri imprecatuſ es, quæ magis erant imprecanda immodeſtiæ. Ne corpus itaque ſaginemus, ſed Paulum audiamus dicentem: Curam carnis ne feceritis in concupiſcentiam. Sicut enim ſi quis in cloacā cibos deiiciat, ita quoq; qui mittit in ventrem: imō vero non ita, ſed multo peius. Hic nanque cloacam nullis afficit malis, illic autem & innumeros parit morbos. Quod enim nutrit tantum, eſt mediocritas, quod & conſici poteſt: quod vero ſupra neceſſitatem affluit, non modo non nutrit, verum & illud corrumpit: ſed hęc nemo videt ex quadam in- tempeſtiua voluptate & temeritate. Vis corpus alere: tolle ſuperfluum, da quod ſatis eſt, & quantum conco- quere poteſt, ne aggraues ipſum, vt non ſubmergas. Quod ſatis eſt, eſt cibus & voluptas: nihil enim ita voluptatem parit, ſicut cibus bene digeſtus: nihil ita ſanitatē, nihil ita ſenſuum velocitatem, nihil eſt quod ita morbos expellat. Sufficiens enim modus & voluptas eſt, & alimētum & ſanitas: plus autem & perniciæ, & ſtidiū, & ægritudo. Quæ nanque facit famem, hęc & ſaturitas facit: imō vero grauiora. Nam illa quidem paucis abſoluit diebus, & hominem liberat: hęc autem corpus abſumens & tabefaciens, diuturnæ tradit ægritudini, & morti demum atrociffimę. Nos vero famem certē rem abominandam cenſemus, ſed ad ſaturitatē hęc peiorem currimus. Vnde igitur hęc ægritudo? vnde hic furor? non dico vt nos abſumamus, ſed tantum comedamus quod & voluptatem habeat, quæ vere voluptas ſit, & corpus alere poſſit, & ordinatum, & nobis ad animę congruum actiones, & bene firmatū, & compositum reddere. Cum vero deliciis ſuperabundauerit, clauos ipſos, vt ita dicam, & iuncturas ex vndatione conti-

continere non poteſt cōpactas: ſubrepens enim æſtuatio totum diſſoluit atque diſſundit. Carnis itaq; prouidentiam ne feceritis ad concupiſcentias: bene dixit: deliciæ nāque ſunt abſurdarum occaſio cupiditatum. Licet omnium ſit ſapiētiffimus qui deliciis yacat, aliquid ipſum pati neceſſarium eſt: à vino, cibis, neceſſe diſtendi, neceſſe maiorem flammam ſuſtinere: hinc fornicationes, hinc adulteria. Non enim venter eſuriens amorem parere poteſt, vel potius parſimoniæ deditus. Qui vero malas parit cupiditates, eſt ille qui deliciis laquet, & velut multū humida terra vermes gignit, & humefactus ſimus, & multum habens humorem. Ab illa vero liberatus humiditate, multos affert fructus, cum nimium non habeat humorem: licet non excolatur, herbā producit: ſi vero colatur, fructus. Ne carnem itaque reddamus inutilem, neque ſegnem & noxiam, ſed vtiles fructus in ea plantemus, & ligna fructifera, nec ea deliciis ſoluamus. Etenim & illa vermes pro fructibus emittūt, cum marcuerint: ſic & ingenta cupiditas, ſi eā irrigaueris, malas parit voluptates, & quā abſurdiſſimas. Et propterea de gehenna iugiter audiamus, vt ex huius minis & timore multum emolumentum capiamus. Nam ſi deus peccantes in eam deiecturus huius minas nō præmiſiſſet, in eam multi cecidiſſent. Si nunc enim timore animas noſtras concutiente, ſunt aliqui tam facile peccantes, tāquam nec ipſa ſit: ſi nihil horum dictum fuiſſet, neque intentatum, quid mali non feciſſemus? Itaque quod ſemper dico, gehēna non minus, quā regnum, dei circa nos curam oſtendit. Gehenna nāque cum regno cooperatur ad ipſum homines timore compellēs: ne ſauiciā, neq; crudelitatis rem eſſe cenſeamus, ſed miſericordiā, multaq; benignitatis & curæ, & dulcis erga nos amoris. Niſi per Ionam ſubuerſio denunciata fuiſſet, non fuiſſet prohibita ſubuerſio. Niſi dixiſſet, quod ſubuertetur Niniue, Niniue non ſteſiſſet: niſi fuiſſet intentata gehēna, in gehēnam omnes cecidiſſemus: niſi prænunciatus ignis fuiſſet, ignem fugiſſet nemo. Eorum quæ facere vult contraria dicit, vt quæ vult faciat. Non vult mortem peccatoris: & dicit mortem peccatoris, ne mittat in mortem. Nec verbo tantum teſtatur, verum & factis oſtendit, vt fugiamus. Ne quis vero minas hoc eſſe ſolum exiſtinet, verum & eſſe re vera, ex his quæ hic facta ſunt, patet. An non tibi videtur gehēnæ ſignum eſſe diluuium vniuerſalis, & omnibus pernicioſæ pluuiæ? ſicut enim, ait, in tempore Noë erant nubentes & nuptui tradentes: ita tunc quoque prædixit ante multū temporis, & nunc prædicit ante annos quadringētos, & plures: ſed nemo, qui attendat. Omnes fabulam rem eſſe putant, omnes riſum, timor habet neminem, nemo luget, nemo peccus tundit. Ignis exaſtuat, fluuius flamma ſuccenditur, & nos ridemus, & deliciis amplectimur, & licentioſe peccamus. Nullus vnquam in mētem illum diē admittit, nullus cogitat, quod præſentia prætereunt, quod hęc ſunt tēporanea, licet ipſis rebus quotidie clamantibus, & vocem emittentibus. Præmaturæ mortes, rerum noſtrarum mutationes, nobis etiam videntibus factæ nos non corrigunt, non languores, & reliqui morbi. Nec ſolum autem in corporibus noſtris mutationes, verum & in ipſis elementis quiſpiam videbit: & in ætatibus per ſingulos dies mortē meditemur, & in omnib; ſemper inſtabilitas per opera designatur. Nunquam hyems remanſit, nunquam æſtas, nunquam ver nec autumnus: ſed omnia currunt, & auolant, & fluunt. Sed quid dixerim flores? ſed quid vis? dignitates, reges, & qui ſunt hodie, cras autem non erunt? Sed

Tomus quintus.

A diuites, ſed ædificia ſplendida, ſed noctem & diem, ſed ſolem, ſed lunam: an nō & ipſa decreſcit, ipſe vero ſol non frequenter deficit, non obtenebratur, non eum nubes abſcondit? Nunquid viſibilem quippiam ſemper manet? Nihil, ſed anima ſola omnium quæ ſunt in nobis, & hanc negligimus: eorum quidem, quæ variantur, tanquam permanentium, multam gerentes curam: manentis autem ſemper, tanquam tranſeuntis nullam habentes rationem. Ille magna poteſt, ſed in craftinum vſque: poſt hęc vero peribit. Et hoc manifeſtum ex his qui maiora valuerunt, & nunc nuſquam apparent. Fabula quædam eſt, & ſomnium vita: ſicut enim in ſcena aulæo ſublato varietates diſſoluuntur, & omnia coruſcante luce ſomnia auolat: ita nunc quoq; conſummatione veniente tam cōmuni, quā vnuiuſcuſque, omnia diſſoluuntur & euaneſcūt. Et lignum quidem quod plātati, manet: & domus quam ædificas, & ipſa manet: faber autem & agricola abducuntur & pereūt. Et cum hęc fiant, nec ita veremur: ſed tanquā immortales hęc omnia comparamus, deliciis, & luxui vacātes. Igitur audi, quid Salomon dicat, qui præſentium experientiam rebus ipſis cepit: Aedificauit mihi domos, inquit, plātati ortos & viridaria, vineas, natatorias aquarum, argentum, & aurum factum eſt mihi, feci mihi cantores & cātatrices, greges & armenta. Nemo nanque fuit ita delicioſus, nemo tam glorioſus, nemo tam ſapiens, tantum dominans nemo, nemo tantum ad vota ſibi vidit omnia ſucceſſiſſe: quid igitur? nullam ex his cepit vtilitatē. Sed quid ait poſt hęc omnia? Vanitas vanitatū, & omnia vanitas. Non ſimpliciter vanitas, ſed per excellentiam. Ei quæſo credamus, & res apprehēdamus, in quibus non eſt vanitas, vbi veritas, vbi cuncta firma ſunt atq; ſtabilia, vbi ſunt omnia ſupra petram ædificata: vbi ſenectus non eſt, neq; tranſitus: vbi florent omnia, omnia vigent, vbi nihil veteraſcens, ſenescens nihil, nihil perditioni proximū. Generoſe quæſo deum deſideremus, non gehēnæ metu, ſed regni deſiderio. Quid enim rogo Chriſti par viſioni: nihil eſt. Quid illorum æquale bonorum gaudio: nihil. Quæ nec oculus vidit, nec au- 1. Cor. 2.
ris audiuit, nec in cor hominis aſcēdit, quæ præparauit deus diligentibus eum. Illa conſequi ſtudeamus, iſta cōtemnamus: nōne frequenter ea damnamus: quoniam nihil eſt humana vita? Quid circa nihil laboras? Sed ſplendida reſpicias ædificia, & horum te fallit aſpectus, ſtatim in cælum reſpice. A lapidibus & columnis ad illum decorem oculos reſpecte, & videbis quod hęc formicarum ſint & culicum opera. Cōtemplare ſpectaculum, aſcende ad cœleſtia, illinc ædificiorū diſce ſplendorem, eſſe nihil inuenies: ſed paruulorū ludibria puerorum. Vides quanto ſubtilior, quanto leuior, quāto purior ſit aēr atq; lucidior, quanto magis alta cōſcendiſ? Illic qui præſtant eleemoſynam, domos habēt & tabernacula. Hęc in reſurrectione reſoluūtur, quin potius & ante reſurrectionem ſuperueniēs tempus corrupti, perdidit atque diſſoluit: & ante tempus autem in ipſo plerunque vigore & flore, vel terræ motus proſtrauit, vel etiam incendium omnia frequenter vaſtauit. Nō enim in ſolis hominum ætatibus, verum & in ædificiis præmaturæ ſunt clades: & frequenter marcida quidem tēpore facta, concuſſa terra, manſerunt immota: coruſcātia vero fixaq; & recenter conſtructa ſolo tonitru cōcuſſa perierunt. Et hoc diſponēte deo fieri cenſeo, ne in ædificiis altum ſapiamus. Vis & aliter nō dolere: ad cōmunia veni ædificia, quorū æquē particeps es & tu. Nō enim eſt domus, licet ſit valde ſplendida, cœleſtibus ſplē- didior.

didior edificijs. Ibi quantumvis temporis immorare, tua sunt illa, tua sunt, cum aliis communia sunt & non propria. Sed non delectant: primum quidem consuetudinis est, secundum autem auaricia: igitur quod delectat est auaricia, non pulchritudo. Igitur auaricia delectatio est, & quæ sunt omnium, velle tibi vendicare. Quousque hic erimus affixi? Adhæsimus terræ, tanquam vermes, in cœno voluntamur. Corpus de terra nobis deus contulit, ut ipsum & in cœlum reuehamus, non ut animam per ipsum ad terram detrahantus. Terrenum est, sed si velimus, efficitur cœlestis. Vide quanto nos honore profecutus est, tale nobis opus præcipiens. Feci, inquit, ego cœlum & terram, do tibi quoque creationem. Fac terram cœlum, nam potes. Qui facit omnia & mutat, de deo dictum est: hanc & hominibus potestatem dedit. Sicut aliquis pater charitate plenus pingens, non ipse solus, sed & filium ad patrum disciplinam perducere studet. Feci, inquit, ego speciosum corpus, do tibi melioris creationem, tu bonam fac animam. Dixi ego, Germinet terra herbam virentem, & omne lignum pomiferum: dic & tu, producat ipsa terra fructum proprium, & exhibit quicquid facere velis. Facio ætatem & nebulam, firmo tonitru, & creo spiritum, formaui draconem ad illudendum ei, hoc est diabolum, nec hanc inuidi tibi potestatem: illud te quoque si vis: potes enim eum ut passerem vincere. Facio oriri solem super bonos & malos. Imitare tu quoque, comunica quæ tua sunt & bonis & malis. Contumelias patiens tolero, contumeliasque parantes beneficiis prosequor. Imitare etiam tu. Nec ita beneficias propter retributionem, neque propter gratiarum actionem. Accendi luminaria in cœlo, his splendidiora tu quoque fac accendas: potes enim. Eos qui sunt in errore, illumina: maius est illud beneficium, quam solem intueri, me agnoscere. Hominem facere non potes, sed iustum facere potes, & deo gratum. Ego substantiam creavi, tu voluntatem exorna. Vide, quo modo te diligam, & in maioribus tibi virtutem dederim. Videtis dilectissimi, qualiter honorati sumus, & ex irrationalibus & ingratissimis quidam dicunt: Quare voluntatis domini sumus: hæc omnia quæcunque percurremus, in quibus deum possumus imitari, nisi liberum esset arbitrium, sectari minime possemus. Dominor, inquit, angelis ego, & tu per principium. In throno regali sedeo, & tu confides per primitias. Conresuscitauit, inquit, & confedere nos fecit in cœlestibus. Adorant te Cherubin, Seraphin, omnis angelica virtus, principatus, potestates, throni, dominationes per primitias. Noli corpus accusare, quod tanto fruitur honore, quod & incorporea tremunt virtutes. Sed quid dixerim? Non his tantum amorem ostendo, verum & his quæ passus sum: propter te conspuitus sum, colaphis cæsus, gloriam exinaniui, patrem reliqui, & ad te veni, qui me oderas & auersabaris: neque nomen meum audire volebas. Secutus sum & accurri, ut te comprehederem: te mihi met vniui & copulaui. Manda me dixi, bibe me, & te sursum habeo, & deorsum tibi connecto. Non satis est tibi, quod tui primitias sursum habeo: Hoc non tuum satiat desiderium. Et deorsum rursus descendi, nec simpliciter tibi commisceor: sed connecto, manducor, paulatim attenuor, ut magna fiat temperies, commixtio & unio. Nam quæ uniuertur, in propriis permanent terminis, ego vero tecum contexo. Nolo deinceps esse quicquam interualli: vnum utraque esse volo. Hæc itaque scientes, & multam eius sentientes curam, agamus omnia, quæ nos magnis ipsius donis non indignos ostendere possint: quæ utinam

omnes assequamur in Christo Iesu domino nostro, cum quo patri, simul & spiritui sancto, gloria, imperium, honor, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

De monachorum vita, & quod quæ videtur eorum grauis esse vita, dulcior est ea, quæ facilius esse videtur.

Homilia LVI.



M maiore libertate dilectissimi, hodie vos alloqui volo, sed sustinete, ut discatis, quod hæc monachorum vita & crucifixorum, quæ grauis esse putatur, & onerosa, hæc quæ facilis & mollior esse videtur, multo dulcior est atque concupiscibilior. Et huius vos ipsi testes, qui frequenter in ætatis & mioribus circumuenientibus mortem postulant: & illos vocatis beatos, qui in montibus & speluncis habitantes coniugium non attigerunt, & vitam degunt tranquillam, cum vos in arcibus, vel in castris, temere viuatis & frustra, & in scena diem & orchestris agatis. Nam licet inde multæ voluptates scaturire videantur, & laticæ fontes, innumere tamen acerbiores oriuntur fagitæ. Si quis enim puellæ cuiusquam illic saltantium amore captus fuerit, super omnem militiam, super innumeras peregrinationes grauius sustinebit tormentum, omni ciuitate circumsessa se miserius habens. Veruntamen ne hæc interim exquiramus, ipsa captorum relinquentes conscientia, de multorum agite vita loquamur: & tantum vtriusque vite reperiemus interuallum, quantum est portus & pelagi, quod continuis frangitur ventis, discrimen. Ex ipsis autem diuersis statim tranquillitatis præmia contemplare. Foras namque fugientes & ciuitates, & medios tumultus, in montibus vitam elegerunt cum præfenti commune nihil habentem, nihil sustinentem humanum, non secularem tristitiam, non dolorem, non curam tantam, non pericula, non insidias, non inuidiam, non zelotypiam, non absurdos amores, non aliud quicquam huiusmodi. Hic iam quæ sunt regni meditantur in saltibus cœuersantes, & montibus, & speluncis, & quiete ac solitudine multa, & super hæc omnia cum deo. Et ab omni quidam eis munda tumultu domacula, omni vero vicio ac morbo libera anima, subtilis & leuis, & aere subtilissimo longe purior. Opus autem eis, quod erat & Adæ ab initio, & ante peccatum cum erat gloriam indutus, & deo cum fiducia colloquebatur: & locum illum multa felicitate plenum habitabat, & cum ante præuaricationem ad colendum paradysum positus fuit. Quid enim deterius hi sunt illo dispositi: nec vna quidem ei cura secularis erat, at nec his. Deo cum pura loquebatur conscientia, hoc & hi faciunt: quinimo multo maiorem illo fiduciam habent, quanto maiorem quoque consecuti sunt gratiam per spiritus ministerium. Igitur oportebat quidem oculis nos hæc haurire. At postquam renuitis, & in tumultibus & foris cōmoramini, vel sermone vos doceamus, vnam eorum conuersationis partem assumentes: non enim omnis eorum vita potest recenseri. Hæc orbis terrarum luminaria, quando sol oritur, quin potius multo ante auroram ex lectulo surgentes incolumes, & solertes, & sobrii: (nec enim vlla tristitia vel sollicitudo, non capitis grauedo, negociorumve labores, non turba, vel huiusmodi quicquam aliud eos disturbat, sed tanquam angeli degunt in cœlo.) surgentes itaque statim ex cubili hilares & læti, chorumque constituentes in alacri conscientia, cōsonanter omnes tantquam ex vno ore hymnos omnium deo concinunt, eum venerantes, & ei gratias de omnibus agentes, tam propriis quam communibus beneficiis. Itaque, si videtur,

Adam

Adam omittentes, interrogemus quid ab angelis differat hic chorus super terram canentium, & dicentium: Gloria in altissimis deo, & in terra pax, in hominibus bona voluntas. Vestis autem eis fortitudine digna. non enim caudatis vtentes vestibus, ita eneruatos & molles induuntur, sed iuxta beatos illos angelos, Heliã, Heliã, Ioanem, secundum Apostolos: cum vestimenta sint ipsis parata, his quidem ex caprarum pilis, his autem ex pilis camelorum. Sunt autem & quibus sole sufficiunt pelles, & hæc iam dudum cōfecta. Mox ut illa dixerint cætica, flexis genibus laudatum deum pro negociis inuocant, in quorum congregatione quidam nec statim veniunt. Petunt enim præsentium quidem nihil (eis enim horum nulla ratio) sed ut cum fiducia stent coram illo tremendo tribunali, cum veniet viuos iudicaturus, & mortuos vniuersos dei filius, & nullus illa audiat horredam vocem dicentem, Nescio vos. Et ut cum pura conscientia, multisque meritis hæc laboriosam trāfigant vitam, & secundo vento difficile nauigent pelagus. Præcedit ante eos in oratione pater prælatus, deinde surgentes perfectis illis sanctis & continuis precibus, orto iam sole vadunt ad opus quicquid suum, multum hinc prouentum egentibus cumulantes. Vbi nunc sunt se choris dedentes diabolicis, & meretriciis cætibus, & in theatris sedentes: Pudet enim illorum meminisse, tamen propter infirmitatem vestram opus est & hoc facere. Paulus enim ait: Sicut igitur exhibuistis membra vestra seruire iusticiæ, sic nunc exhibete membra vestra seruire immundiciæ, sic nunc exhibete membra vestra seruire iusticiæ in sanctificationem. Igitur & nos ex fornicantibus fœminis, & iuuenibus scortantibus in scena constitutum chorum inquiramus, & horum beatorum ad voluptatis rationem, qua præfertim multi fo cordes iuuenum capiuntur illarum laqueis: tantum enim discrimen inueniemus, quantum si quis angelorum in cœlo canentium illam consonantissimam audisset melodiam, & canes in fimo defossos & latrantes. Per hæc enim ora Christum, per illam vero linguam diabolus resonat. Et illis quidem fistula non articulata consonant voce, buccis interim eis tumescuntibus, & se distrahentibus nervis insuauis spectaculo: sed hic spiritus insonat gratia, pro tibia, cithara & fistula, sanctorum vna labiis. Quia vero quæcunque dixerimus voluptas explicari non potest, propter istos luto affixos, & operi lateritio: & propterea vellem horum aliquem circa talia furietum suscipere, & eò perducere, horumque sanctorum ostendere chorum, neque mihi iam verbis opus fuisset. Veruntamen licet ad terrenos loquamur, sermone vel modicum eos ex cœno & paludibus extrahere conemur. Nam illinc quidem auditor absurdi statim amoris ignem concipit: tanquam enim non satis sit meretricis aspectus ad mentem succendendam, & vocis pestem adiunxerunt: hic vero si quid habet anima tale, statim deponit. Neque porro vox & aspectus, verum & harum vestes magis spectantes conturbant. Et si quis sit pauper crassorum & neglectorum, ex aspectu plurimum indignabitur, & frequenter ad semetipsum dicit: meretrix quidem & leno, & coquorum & coriariorum filij, & plerumque seruorum in tantis viuunt deliciis: ego vero liber & ex liberis, iustos sequens labores, ne per somnium quidem hæc concipere possim, & ita succensus ætore discedit. Apud monachos autem nihil huiusmodi, sed omnia cōtraria. Cum enim diuitum filios & generosis progenitoribus ortos talia viderit indutos vestimenta, qualia neque pauperum extremos, & ad hæc gaudetes: considerate, quantam paupertatis consolationem capiens abijt: siue sit diues, cor-

Tomus quintus.

rectus recedit, melior effectus. Rursum cum in teatro quidem aurea meretricem indutam viderint, pauper quidem ingemiscet & flebit, suam videns uxorem huiusmodi nihil habere: diuites autem videbunt, & ex hoc spectaculo suas aspernabuntur confortes. Cum enim habitum, & aspectum, & vocem, & gressum, & omnia videntibus illa præferat mollia: accensum recedunt, & iam captiui suas petunt domos. Hinc iniuriæ & contumeliæ, hinc inimiciæ, bella & quotidiana mortes, hinc captis vita minime vitalis, & iam ingrata coniunx, & filij non æque desiderabiles, & omnia domi cōfusa, & ab ipsa iam luce vexari se putant: sed ex his cætibus nulla talis molestia, sed mansuetum & mitem virum vxor suscipiet, ab omni liberatum mala voluptate, & eo facilius quam antea vtetur. Talia quidem ille chorus parit mala, hic autem bona: ille quidem ex ouibus lupos faciens, hic autem ex lupis agnos constituens. Sed nihil adhuc ferè nobis de voluptate dictum est. Et quid possit esse iucundius, quam nos tumultuari, neque mitem tristari, neque dolere & gemere: Verum & altius sermone prouehamus, & vtriusque cantus atque spectaculi fructum indagemus: & illum quidem ad vesperam vsque manentem videbimus, donec in teatro sedeat spectator: post hæc autem omni stimulo grauius eum contristantem: hunc autem spectatorum animis continue vigentem. Nam & virorum formam, & loci iucunditatem, & conuersationis dulcedinem ac vitæ puritatem, & pulcherrimi spiritualisque cantus gratiam sibi semper habet insidentem. His itaque portibus potientes, quasi quandam deinceps procellam fugiunt multorum tumultus. Neque vero canentes tantum & orantes, verum & libris affixi, iucundum sunt videntibus spectaculum. Cum enim chorum dissoluerint, hic quidem Esaiam sumens, cum illo loquitur: hic autem cum Apostolis conuersatur, alius ab aliis elaborata percurrit: & de hoc vniuerso philosophantur, de deo, de visibilibus, de intelligibilibus, de vitæ præsentis vtilitate, de futurorum beatitudine: & optimo cibo pascuntur, non brutorum carnes elixatas habentes appolitas, sed eloquia dei super mel & fauam, mel admirabile, & multo melius, quam quod Ioannes per desertum olim degustabat. Hoc enim mel non syluestres quæpiam apes floribus insidentes colligunt, neque rorem maturantes aluearibus immittunt: sed spiritus gratia contruens, pro fauis & aluearibus, & fistulis, in sanctorum animis reponit, ut volenti liceat cum libertate iugiter vesci. Has igitur apes & ipsi imitantes, sanctorum voluminum fauos circumuolant, magnam hinc decerpentes voluptatem. Et si vis illorum discere mensam, accede propius, & eos experieris talia eructantes. Omnia mitia & iucunda, & spirituali odoris suauitate plena. Nullum turpe verbum illa possunt ora emittere, nihil scurrile, nihil asperum, sed omnia cœlis digna. Nullum aberrauerit, ora multorum, qui per fora trahuntur, & circa secularia rabiem exercent, cœni cuiuspiam riuus comparans: horum autem ora fontibus melle manantibus, & pura fundentibus flueta. Si quis vero, quod multorum ora cœni riuus assimilauerim, indignetur, sciat quod multum ignoscens locutus sum. Scriptura namque nec hac vititur mensura, sed altero longe grauiori exemplo, ait enim: Venenum aspidum sub labijs eorum: & Sepulchrum patens guttur eorum. At illorum non sunt talia, sed multæ sunt plena fragrantia, & presentia quidem huiusmodi, futura vero qualis sermo nobis explicauerit: Quæ mens concipiet angelicam fortem, beatitudinem, ineffabilia arcanaque bona: Forte multi nunc in-

l ij caluisti,

caluistis, & in huius pulchræ cecidistis desiderium conuersationis. Sed quid emolumentum, si dum hic estis, huc ignem habetis: egressi vero flammam extinguistis, & hic ardor contabescit? Qualiter igitur agendum, vt hoc non accidat? Dum est tibi feruens hic amor, ad ipsos abeat angelos illos, eum magis accende. Non enim ita te poterit sermo noster accedere, sicut rerum aspectus. Ne dicas: alloquar prius uxorem, & res dissoluiam: torporis initium est huiusmodi dilatio. Audi, quod quidam cum domesticis suis pacisci voluit, neque propheta permisit: & quid dico pacisci? Patre sepelire discipulus voluit, & nec istud Christus concessit: licet quid tam necessarium videatur esse, quam patris sepultura, attamen nec hoc concessit. Cur tandem? quoniam acer instat diabolus ingressum aliquem capere volens, si vel breuem arripuerit vacationem & dilationem, magnum inducit torporem. Propterea quidam admonet, ne differas de die in diem: sic enim plura perficere poteris, sic & domestica tibi bene disponentur: ait enim, *Querite regnum dei, & hæc omnia apponentur vobis.* Si namque sua despicientes, & nostrorum curam præferentes, in multa nos constituimus tranquillitate: multo magis deus etiam sine his curam gerens & providens. Ne cures itaque tua, sed ea deo dimitte. Nam si satagas, tãquam homo satagis: si vero dimittas, deus providebit. Ea tu ne curaueris, maiora dimittens, quoniam ipse multum eis non providebit. Vt igitur eorum magnam gerat providentiam, ipsi soli omnia committe. Si vero & ipse spiritualibus omisissis ea tractaueris, non multam eorum ipse curam geret. Vt igitur & hæc tibi bene disponantur, & omni cura libereris, spiritualia tene, contemne secularia: sic enim & cum cælis terram habebis, & futura consequeris bona, gratia & clementia domini nostri Iesu Christi, cui gloria, & imperium, cum patre, sanctoque spiritu, in secula seculorum, Amen.

De monachorum vita, & de solita ab eis fieri post mensam gratiarum actione, & de iudicio.

Homilia LVII.

RVSVM ad desertum proficiscar, & iterum eodem attingam sermones: quoniam cum maiori voluptate vos audietes video. Videamus igitur & hodie spiritualia castra, videamus à timore puram voluptatem. Non enim cum hastis sunt in tætoris, sicut milites (hic enim antea sermonem dissolui) neque cum clypeis & thoracibus: sed his omnibus nudos videbis, & talia facientes, qualia neque cum armis illi. Et cõsciis esse potes, veni, & mihi manum porrige, & eam ambo in hanc expeditionem, & instructas acies videamus. Hi namque per singulos dies bellum gerunt, & iugulant aduersarios, & omnes concupiscentias nobis insidiantes superant, & has solo prostratas videbimus, & apostolicum illud rebus exhibitum dicens: *Qui vero sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum viciis & concupiscentiis. Vidisti mortuorum multitudinem iacentium, spiritus gladio iugulorum? Propterea non est illic ebrietas, neque crapula, & ostendit id mensa, & trophæum in ea statutum.* Nam ebrietas quidem & crapula iacet mortua per aquæ potum in fugam conuersa, multiformis hæc & multiceps bestia. Sicut enim in Scylla fabulis decantata, & Hydra, itidem & in ebrietate multa possunt capita reperiri, hinc fornicatio, illinc ira, aliunde mollicies, aliunde amores nefarii nascentes: sed hæc omnia sublata sunt. Et omnes illi exercitus, licet innumera profligauerint bella, ab his capiuntur.

Gala. 5.

Atur. Et nec arma, nec hasta, nec quicquam aliud aduersus has acies stare potest: sed ipsos gigantes strenuos, multa præclara gerentes absque vinculis inuenias victos, somno & ebrietate, sine cæde atque vulneribus tanquam vulneratos iacetes, quoniam nimis & multo crudelius. Nam illi quidem vel palpitant: hi vero nec hoc quidem, sed statim decidunt. Vides, quod maior hic exercitus & mirabilior: hostes enim interficit, qui superant illos, volendo duntaxat. Sic enim illam omnium malorum matrem infirmam faciunt, ut iam non infestet. Iacente vero duce, & sublato capite, reliquum quoque corpus quiescit, & illic manentium quæque videas hanc obeuntem victoriam. Non enim quemadmodum in his hostibus, si quis ab aliquo vulnus accipiat, iam alteri non est infestus, cum semel ceciderit, sed omnes est opus hæc feram percutere. Et qui non percusserit eam atque prostrauerit, omnino venatur. Vidisti splendidam victoriam: quale siquidem exercitus vndique simul congregati trophæum erigere non possent, hoc eorum quilibet erigit. Et ibi destructa sunt omnia furiosa, rationem non sequentia, insaniam verba, morbi; furentes, & iniucundi fastus, & omnia quotquot ab ebrietate armantur, & suum imitantur dominum, quæ admirans scriptura, dicebat: *De torrente in via bibit, propterea exaltabit caput.* Vultis & aliunde mortuorum videre multitudinem? Videamus ex deliciis concupiscentias, ex lixis, ex coquis, pincernis, placentariis: confundor enim omnia quidem dicere, verum tamen dicam, phasianas aues, fercula affluenter mixta, humidos & aridos cibos, leges super his positas. Velut enim quandam habitantes ciuitatem, & exercitus instructes: sic & hi quid primum, & quid secundum sanciant & statuunt. Et hi quidem primum aues ad prunas tostas, intus piscibus refertas introducunt. Alij vero faciunt aliunde illegitimum horum conuiuiorum principia. Et multum de his certamen, & de qualitate, & de ordine, & de multitudine, & in quibus confundi decebat, gloriatur: hi quidem quod diei dimidium absumpserunt, hi vero quod totum diem: alij porrò quod & noctem addiderunt, dicentes: *Vide miser ventris mensuram, & de immodico studio confundere.* Sed nihil huiusmodi penes angelos illos, verum & omnes hæc concupiscentiæ sunt mortuæ. Non enim ad saturitatem, & delicias, sed ad necessitatem eis nutrimentum. Non autem ibi venatores, neque piscium, sed panis & aqua. Hæc autem confusio atque tumultus omnino sunt illinc procul: & ex cellula, & ex corpore tranquillus portus, apud hos vero multa tepestas. Scindas igitur mente ventrem talibus vescetium, & multam videbis ingluuiem, & immundam cloacam & dealbatum sepulchrum. Quæ vero sequitur, & dicere pudet, molestas eructationes, ex superiori parte vomitus, ex inferiori excrementa. Vade vero, & has illic quoque concupiscentias vide, & ardiores in his amores, venereos dico: nam hos omnes videbis prostratos cum equis & impedimentis: impedimentum enim & arma, & equus, turpis actionis est turpe verbum: equum pariter videbis & ascensorem talem, & arma iacentia: hic autem omne contrarium, & corpora vulnerata, & animas iacentes mortuas. Nec in mensa vero tantum splendida sanctis est illis victoria, verum & in aliis, in pecuniis, in gloria, in inuidia, in omnibus morbis. Nunquid tibi videntur hæc illis esse castris fortiora, & meliora mensa? Et quis contradicet: nemo, nec vllus quidem illorum ipsorum, licet multum insaniat. Hæc enim in cælum transmittit, illa vero trahit in gehennam: hanc diabolus instruit, illam vero Christus: hanc lux sancit, & immodestia,

immodestia, illam vero philosophia & modestia. Huc Christus venit, illuc vero diabolus: vbi siquidem ebrietas, vbi diabolus: vbi turpia verba, vbi saturitas, illic demones choreas agunt. Talem habebat mensam diues ille, propterea ne gutta quidem aquæ dominus fuit: at hi non talem, sed iam angelica meditantur. Non nubunt, neque ducunt uxores, neque multum dormiunt, neque deliciis vacant, sed præter pauca quædam, ut in corpore facti sunt. Quis est igitur inimicus tam facile vincens, ut prædens trophæum erigat propter hoc & propheta dicit: *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me.* Non enim quisquam errauerit, & de hac mensa dictum illud pronuncians. Nihil enim sic animam angit, sicut concupiscentia mala, & luxus, & ex his orientia mala. Et hoc bene norunt, qui experientiam ceperunt. Si vero discas, & vnde hæc colligitur mensa, & vnde illa, tunc vtriusque differentiam bene videbis: igitur hæc vnde colligitur: ex innumeris lachrymis, ex viduarum oppressione, orphanorum rapina: illa vero ex iustis laboribus. Et hæc quidem mensa similis est pulchræ ac speciosæ mulieri, nihil exteriorum indigentis, sed naturalium habenti pulchritudine: illa vero meretrici cuiuspiam turpi atque deformi, multos quidem habenti fucos, neque tamen turpitudinem obumbrare valenti, sed quanto quis propius accesserit, magis redargutioni obnoxie. Nam & hæc cum accedenti propior fuerit, tunc magis turpitudinem ostendit. Illa namque simul accubentes nihil turpe, tanquam libera, dicere permittit: hæc autem tanquam meretrix & contempta nihil honestum. Illa quarit vtile secum conuersantis, hæc damnum: & illa quidem deum offendere non sinit, hæc autem non sinit non offendere. Migremus igitur ad illos, inde sciemus, quot vinculis sumus inuoluti, inde sciemus mensam apponi bonis plenam innumerabilibus, suauissimam, nunquam deficientem, à solitudine liberam, inuidiam, liuoris, & omnis pestis immunem, & bona spe refertam, & multa statuentem trophæa. Non est illic tumultus, non morbus, non ira, omnia tranquillitas, omnia pax. Nec enim mihi dicas ministrantium in diuitum aedibus silerium, sed prandentium clamorem: non alterius ad alterum dico (nam & hic quidem deridendus est) sed interiorum in anima magnam inferentem captiuitatem, cogitationum tumultus, tempestatem, caliginem, procellam, per quæ omnia miscentur & confunduntur, & nocturnæ cuidam pugnae similia sunt. At non in monachorum tabernaculis talia, sed multa tranquillitas, quies multa. Et illa quidem mensam somnus, morti simillimus excipit: hæc vero sobrietas & vigilia. Et propterea hos præsertim laudo & admiro, tum propter alia, tum propter hæc dilectionem. Illi namque postquam pransi fuerint, imò vero post cœnam, nunquam enim prandium norunt, sciètes quod præsens tempus est luctus & ieiunij. Itaque post cœnam deo quosdam gratiarum hymnos dicentes, & huius vocis reminiscuntur. Et si vultis & ipsos hymnos audire, ut & vos continue dicatis, illum omnem sacrum vobis cantum recensebo. Ipsius itaque verba se sic habent: *Benedictus deus, qui pascis me à iuuentute mea. Qui das escam omni carni, imple gaudio & læticia corda nostra, ut omnem sufficientiam habentes, abundemus in omne opus bonum, in Christo Iesu domino nostro, cum quo tibi gloria, honor & imperium, cum sancto spiritu in secula, Amen.* Gloria tibi domine, gloria tibi sancte, gloria tibi rex: quoniam dedisti nobis cibos in læticia, imple nos spiritu sancto, ut inueniamur in conspectu tuo beneplacetes, non erubescentes, quando reddes vni-

Acuique secundum opera sua. Omnem hunc quidem hymnum admirari dignum est, præsertim autem hunc finem. Quoniam enim mensa & cibus diffundere consuevit atque grauari, animam quasi frænum quoddam hanc dictionem apponunt, circa remissionis tempus, iudicij temporis eam comonefacientes. Didicerunt enim quid passus fuerit Israël ex lauta mensa: ait enim, *Comedit, & impinguatus est, & recalcitrauit dilectus.* Et propterea Moses dicebat: *Cum comederis & biberis, & fueris repletus, recordare domini dei tui.* Post illam enim mensam patrata sunt ipsis illa nefaria scelera. Considera igitur & tu, ne quid huiusmodi patiaris: quæuis enim lapidi non sacrifices, nec immoles auro pecudes & vitulos, aliter tamen immolas. Caue furori sacrifices animam tuam, ne fornicationi tuam macles salutem, nec aliis huiusmodi viciis. Propter hoc enim & illi talia timentes præcipit, potiti mensa, vel potius ieiunio (nam eorum & mensa ieiunium est) tremedi tribunalis & illius diei memoria sibi metipsis faciunt. Si vero illi ieiunij & humi stratis cubilibus, vigiliis, & sacco, & innumeris semetipsum modis domantes, etiam huius indigent comonitionis: quando nos vnquam mansuete poterimus viuere, qui mensas apponimus infinita ferentes naufragia, nec vana penitus oramus, nec in principio, nec in fine: propterea ut hæc naufragia soluamus, hymnum illum, quem in medium protulimus, totum replicemus, ut ex ipso videntes vtilitatem, ipsum continue post mensam canamus, & ventris comprimamus petulantias, & illorum mores angelorum, & leges in domos nostras introducamus. Nam oportebat quidem nos illuc euntes hæc lucrari. At postquam non vultis, vel per sermones nostros spirituales hanc melodiam audite, & vnusquisque vestrum post mensam hæc verba dicat, hoc incipiens modo: *Benedictus deus.* Apostolicam enim legem statim implet dicentem: *Quicquid facimus in sermone vel opere, in nomine domini nostri Iesu Christi faciamus, gratias agentes deo & patri per eum.* Mox gratiarum actio non pro vno tantum illo die, sed pro tota vita exhibetur. Ait enim, *Qui pascis me à iuuentute mea.* Et hinc sapientie doctrina: deo siquidem pascente, non est opus nos esse sollicitos. Nam si rege pollicito, quotidianum victum ex propriis cellariis se tibi præbiturum, iam in futurum confidis: multo magis cum deus præbeat, & omnia tibi tanquam ex fonte fluant, ab omni solitudine congruum est absolui. Propter hoc enim & talia dicunt, ut & sibi metipsis, & à se discentibus persuadeant omnem exuere secularem sollicitudinem. Postmodum ne putes, quod pro se solis hanc reddant gratiarum actionem, subdunt dicentes, *Qui das escam omni carni, pro toto gratias agentes mundo: & tanquam totius terrarum orbis patres, ita deo pro omnibus laudes referunt, & semetipsum ad veram hortantur fraternitatem.* Nec enim illos odisse possunt, pro quibus, quod pascatur, deo gratias agunt. Vidisti charitatem quoque per gratiarum actionem introduci, & eiici secularem vitam, & per anteriora, & per hæc: si enim omnem pascit carnem, multo magis sibi dicatos. Si namque secularibus deditos curis, multo magis ab his absolutos: hoc & Christus confirmans dicebat, *Quot passeribus meliores estis vos? Hæc autem dicebat, instruens non esse confidendum diuitiis, & terræ, vel feminibus. Non enim ista sunt que nutriunt, sed verbum dei.* Ex his & Manichæos & Valentini sectatores, & omnes cum illis sentientes obmutescere faciunt. Non enim malus est hic, qui sua omnibus proponit, & blasphemantibus eum. Postmodum & petitio: *Imple*

Deut. 32.

Coloss. 3.

Psalm. 135.

Matth. 10.

gaudio & læticia corda nostra. Quali dicit gaudio? Nūc quid seculari? absit. Hoc enim si vellent, montium cacumina non petissent & solitudines, neque saccū induerentur. Sed illud dicūt gaudium, cum præfenti vita nihil habens commune, angelicum, cœleste. Neque simpliciter illud petunt, sed multa cum superabundantia. Non enim dicunt, Da: sed, imple: neque dicūt, nos, sed, corda nostra. Hoc enim præfertim est cordis gaudium. Fructus enim spiritus, charitas, gaudium, pax. Postquā enim peccatum tristitiam intulit, petunt sibi per gaudium iusticiam inseri. Non enim aliter gaudium inueniretur. Vt semper omnem sufficientiā habentes abundemus in omne opus bonum. Vide dictionem euangelicam impleri, dicentem: Panem nostrum substantialem da nobis hodie. Et hūc ipsum vero quæretes propter spiritualia: aiunt enim, Vt abūdemus in omne opus bonum: non dicūt, vt solum quod debemus faciamus, verum & plura mandatis. Hoc enim est superabundemus, & à deo quidem sufficientiam exposcunt in necessariis: ipsi vero non tantum cum sufficientia obedire volunt, verum cum superabundantia multa, & in omnibus. Hoc seruorum est gratiorum, hoc virorum sapientium, semper & in omnibus abūdare. Postea rursus se propriæ commonentes imbecillitatis, & quod nihil absque superno favore generosum fieri potest, postquā dixerint, Vt abundemus in omne opus bonū: subdunt, in Christo Iesu domino nostro, cū quo tibi gloria, honor & imperium in secula, Amen. Aequalis principio finis per gratiarum textitur actionē. Mox rursus à principio quidem incipere videntur, eundem autem continuant sermonem. Sicut & Paulus in epistolæ primordio, cum in glorificationem terminasset atque dixisset, Secundum voluntatem dei & patris, cui gloria in secula, Amen: rursus incipit materiam, de qua scribebat. Et iterum alibi, cum dixisset, Coluerunt & seruiertur creaturæ omisso creatore, qui est benedictus in secula, Amen: non consummauit sermonem, sed rursus incipit. Nec hos itaque redarguamus angelos, tanquam inordinate faciētes, quod sermonem in glorificationem terminantes, denuo sacros incipiunt hymnos. Apostolicas nanque sequuntur consuetudines, incipiētes à glorificatione, & in eandem desinentes, & post finem iterato hæc exordiantur, dicētes: Gloria tibi domine, gloria tibi sancte, gloria tibi rex: quoniam dedisti nobis cibos in læticiam. Nec enim pro magnis tantum, sed etiam pro paruis agere gratias oportet: gratias autem & pro his agunt, Manichæorum confundentes hæresim, & quotquot præfentem vitam esse malam asserunt. Nam ne quid propter summam virtutem, & ventris cōtemptum de ipsis tanquam cibos abominantibus, quale de illis semetipfos suffocātibus suspicareris, per orationem te docent, quod non dei creaturas detestantes pluribus abstinent, sed virtutem exercētes. Et vide quo modo post gratiarum actionem de datis, & de maioribus supplicat, neque circa secularia morātur, sed super cœlos ascendunt, & dicunt, Imple nos spiritu sancto. Nec enim bene nos gerere possumus, vt oportet, nisi gratia sumus illa repleti: sicut nemo potest quicquā generosum, vel magnum facere, nisi Christi potiatur auxilio. Sicut itaque postquam dixerunt: Vt abūdemus in omne opus bonum: subdiderūt, in Christo Iesu. Itidem & hic dicunt, Imple nos spiritu sancto, vt inueniamur in conspectu tuo beneplacentes, & non erubescētes, Non enim, inquiunt, nobis est cura de hominū confusione, sed quicquid homines de nobis improperantes

Gala. 1.

Roma. 1.

dixerint, ridentes, minime curamus: omne vero nobis certamen est, ne tunc confundamur. Cum autem hæc dixerint, & ignis fluium introducunt, & præmia certaminis, & brauia. Non dixerunt, Ne puniamur: sed, ne confundamur. Hoc enim nobis gehenna multo terribilius est, ab illa decidere gloria, dominum offendere. Sed quoniam multos & crassiores hoc non terret, subdunt: quando reddes vnique secundum opera sua. Vides, quantum hi nobis externi & peregrini profuerunt, eremi ciues, imò vero ciues cœlorum: nos quidem cœlorum hospites, terræ vero ciues, hi vero econtra. Post hunc autem hymnum multa repleti compunctione, & feruentibus lachrymis, sic ad somnum se conferunt, tantum dormientes, vt parum requiescant. Et rursus noctes dies faciunt, in gratiarum actionibus & hymnodiis degentes. Nec vero viri tantum, sed & mulieres hanc exercent philosophiam, naturæ infirmitatem promptitudinis abundantia superantes. Illarū itaque studium nos viri reueramur, & præfentibus inhiare tabescentes desinamus, vmbra scilicet, somniis & fumo. Etenim maior vitæ nostræ pars in sensibilitate. Nā & ætas prima multæ plena est dementia: quæ vero rursus ad senectutem tendit, omnem in nobis sensum contabescit: & parum est medium, quod cum sensu delictis vi valeat. Quinimo nec illud has pure potest gustare, cum multæ sollicitudines, & labores illi noceant. Propterea, supplico, immota quæramus, & immortalia bona, & vitam nulli senio deinceps obnoxia. Potest enim & urbem habitans monachorum sapientiā imitari, potest & uxorem habens, & domi conuersans orare, ieiunare & compungi. Quoniam & in principio ab Apostolis instructi ciuitates quidem habitabāt, & solitudines petentium pietatem exhibebant. Alij vero rursus officinis præpositi, vt Priscilla, & Aquila. Et omnes Prophetæ, & uxores habebāt, & domos: vt Esaias, Ezechiel, & magnus Moses, & inde nil ad virtutem lædebantur. Hos igitur & nos imitati, semper deo gratias agamus, semper eum laudemus, & modestiæ ceterarumque virtutum curam geramus, & vigentem in desertis conuersationem in vrbes introducamus, vt & deo grati, & hominibus probabiles videamur, & futura consequamur bona, gratia & humanitate domini nostri Iesu Christi, per quem, & cum quo deo & patri gloria, honor & magnificentia, simul cum sancto & viuifico spiritu, nunc & semper, & in infinita secula, Amen.

De vita monachorum, & quod scripturarum lectio est medicinalis officina. Homilia LVIII.

VLTIS dilectissimi, rursus ad virtutis ciuitatē eamus, sanctorum tabernacula dico, montes & saltus: illic enim hanc humilitatis videbimus altitudinem. Homines enim, hi quidē exterioribus dignitatibus, hi vero pecuniis olim splendidi, vndiq; semetipfos corripunt, veste, domo, ministeriis, & tanquam in literis per omnia scribunt humilitatem: & quæ sunt superbiæ fomenta, bene vestiri, & splendide ædificare, & multos habere ministros, quæ frequenter & inuitos in superbiam agunt, hæc illic omnia sublata sunt. Et ignem ipsimet accendunt, ipsi ligna cōminuunt, ipsi coquunt, venientibus ministrant ipsi. Nō potest illic quisquam audiri contumeliam inferens vel patiens: nec imperans, nec cui imperetur: sed omnes ex ministratium sunt numero, & hospitem quisque pedes abluit, & multa de hoc contentio: & hoc facit non examinans, quis ille sit: nec vtrum liber sit an seruus, sed vnique

vnique ministerium hoc exhibet. Nullus ibi magnus, nullus paruius. Quid igitur? Cōfusio: absit, sed perfectissimus ordo: licet enim quis paruius sit, magnus hoc non respicit, sed & illo se rursus inferiorem existimat esse, & ita maior efficitur. Vna mensa & ministerium suscipientibus & exhibentibus, eadem fercula, eadem indumenta, habitacula eadem, eadem vita. Magnus illic vilis opus arripit. Nō est ibi Meum & Tuum, sed hoc verbum eliminatum est infinitorum causa bellorum. Et quid miraris, quod vna sit omnibus dicta, vestis & mensa: quippe cum omnibus sit vna anima, non tātum quo ad substantiam (hoc enim & omnibus) verum & quo ad charitatem? Qualiter igitur hæc vnquam contra se ipsam insurgeret: Non est ibi paupertas & diuitiæ, gloria & ignobilitas: qualiter igitur aditum inueniret arrogantiæ, vel superbiæ? Nam sunt quidē & parui, & magni secundum virtutis rationem, sed quod dixi, nullus hoc inuenitur. Paruius non dolet quasi contemnatur, nec vllus est qui contemnat: quod si quis tamen aspernetur, hoc maxime docentur contemni, respui, & vilipedi per verba, per opera, & cum mendicis, & debilitatis conuersantur. Et ipsis mensæ talibus sunt plenæ cōuiuui: & propterea cœlis quoque sunt digni. Et hic quidem vulnera virus habentia curat, hic autem cœcum manu ducit, hic vero crure portat debilem. Non est illic assentatorum multitudo, neque parasitorū, imò vero neque quid tandem assentatio sit, norunt. Vnde igitur vnquam extolleretur? Apud eos enim est æqualitas multa, & propterea multa virtutis facilitas. Etenim his inferiores magis docentur: quā si per principatus eis cedere cogentur. Sicut enim audacem percussus & cedens corrigit: itidem & ambitiosum gloriam non vendicans, sed cōtemnens: hoc autem illic cum largitate faciunt. Et quæta penes nos est pugna primas partes assequendi, tantū apud illos certamen, ne consequantur, sed repellant. Et multum est studium, quis magis præcellat, contemptum patiens, non honorem admittens. Alioquin autem & ipsa opera modestè se gerere docent, & exandescere non permittunt. Quis enim, quæso, terram fodiēs & irrigans, plantans, ac sportellas aut saccum texens, vel alia quædam huiusmodi tractans, vnquam altum sapit: Quis autem in paupertate viuens, & pugnans cum fame, tali morbo laboret? Nemo: propterea facilis est illis humilitas. Et sicut hic est difficile modestè se gerere, propter plaudentium multitudinem & admirantiū: similiter illic perquam facile. Etenim ille tantum solitudini vacat, & aues videt volantes, & arbores concuti, & flantem Zephyrum, & riuos per valles deferri. Igitur vnde tali viuens in solitudine extollatur? Non tamen propterea nos excusationem habebimus, quoniam in medio conuersantes altum sapimus. Nam & Abraham cum esset inter Chanaanos, dicebat: Ego vero sum terra & cinis. Et David in mediis castris, Ego autem sum vermis & non homo. Et Apostolus in medio terrarum orbe, Nō sum dignus vocari Apostolus. Quæ nobis igitur erit consolatio? quæ vero purgatio? cum neque tot habentes exempla modestè nos geramus? Sicut enim illi sunt innumeris digni coronis, primi virtutis viam perambulantes: ita nos infinitis vltionibus obnoxij, qui neque post illos prægressos & in literis positos, neque post hos viuētes, & admiratione per facta dignos, ad parem trahimur æmulationem. Quid enim dicere possis, si nō corrigaris? Nescis literas, nec ad scripturas declinasti, vt virtutes antiquorum disceres: hoc quoque præcipue quidem crimen est, cum Ecclesia continue sit aperta,

Tomus quintus.

A non ingredi, & illos latices optimos haurire. Veruntamen si defunctos per scripturas non agnouisti, hos viuentes cernere licebit. Sed nullus est qui deducat. Veni ad me, & ego tibi sanctorum istorum ostendam tabernacula: veni, & ab eis discere quippiā vile. Lucernæ sunt hi lucentes vbique terrarum, muri sunt vrbibus circūfidentes. Propterea solitudines petierunt, vt & te doceant populares contemnere tumultus. Nam ipsi quidem, vt pote qui fortes sint, etiam in medio turbine frui possunt tranquillitate: tibi vero penitus exhausto quies est necessaria, & ab assiduis fluctibus aliquantulum respirare. Illuc itaque frequenter vade, vt continuam diluas maculam, precibus eorū & monitionibus. Dic enim mihi, quo modo seruis nostris febricitantibus medicos accertimus, & domū separamus, & illic cogimus artis legibus obedire: & ignauiter se gerentibus difficiles sumus, & custodes adhibemus qui ne volentes quidē eos suas implere concupiscentias permittant. Et si dixerint eorum curam gerentes, opus esse medicamenta cōparari preciosa, cedimus, quicquid præceperint paremus, & eis horum præceptorum præmia soluimus. Cum vero nos laboramus (at vero non est tempus, quo non laboremus) neque medicum accersimus, neque impendimus pecunias: sed tanquam aliquo carnifice, vel inimico & hoste iacente, ita nullam animæ curam gerimus. Et hæc dico, non circa seruos obsequium damnans, sed suadens vel tantam animæ nostræ curā gerere. Et qualiter, inquit, faciemus? Eam ostende Paulo languētem, introduce Matthæum, adhibe Ioannē, ab ipsis audi, quid oporteat agere laborantem, dicētem omnino, neque celabunt. Nec enim mortui sunt, sed viuunt atque loquuntur. Sed febre detenta non attendit. Coge tu eam, & ipsius rationem excita, accerse Prophetas. Nō est opus his medicis erogare pecunias, nec enim ipsi pro eis pecunias exigunt, neque pro medicamentis, quæ componunt, in impendij te mittunt necessitatem, præter eleemosynam. In aliis autem & erogant, vt quando modestè viuere præcipiunt, intēpestiuis & absurdis te liberant impensis cum ab ebrietate abstinere, opulentiorē te faciunt. Vidisti medicorum artem cum sanitate pecunias quoque tributū: eis igitur asside, & agritudinis tuæ naturam ab eis discere. Puta, pecunias & auariciam amas frequenter, sicut febricitantes frigida: igitur audi quid admoneant: tāquam medicus enim tibi dicit: Si indulgeas concupiscentiæ, peristi, & hoc & illud sustinebis. Itidem & Paulus: Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & desideria inutilia & damnosa, quæ demergunt homines in perditionem & mortem. Sed impatiens es, ipsum audi dicentem, Adhuc modicum, veniens veniet, & non morabitur. Dominus propè est, nil solliciti sitis. Et iterum, Præterit figura mundi huius. Nec enim solum imperat, verum & consolatur, tanquā medicus. Et sicut illi pro frigidis alia quædam excogitant, ita & hic concupiscentiam trāsferat: ait enim, Vis diues fieri? in operibus bonis. cupis thesaurizare: nō prohibeo, sed in cœlis tātum. Et sic vt medicus dicit, quod frigida nocent dentibus, neruis: itidem & ipse, breuius quidem tanquam breuitatē affectans, multo tamen manifestius & efficacius. Radix enim omnium malorū est auaricia. Quid igitur tenendum est? & hoc dicit, Sufficientia pro auaricia: ait enim, Quæstus magnus sufficientia cum pietate. Si vero ægre fers, & plura concupiscis, nec dum omnia superflua proicere sustines, & huiusmodi dicit infirmo, & qualiter his vtendum sit, vt qui gaudent in possessionibus, tanquam non gaudentes: &

I iij habentes,

habentes, tanquam non habentes: & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtatur. Vidisti qualia praecepit? Vis & alium post hunc medicum adducam? Mihi certe placet, nec enim sunt medici, sicut corporum, qui frequenter sibi amulantes infirmum demerferunt. At non hi: nam ad laborantium sanitatem, non ad propriam respiciunt ambitionem: igitur eorum ne timueris multitudinem, vnus in omnibus loquitur magister Christus. Alium igitur vide rursum ingredientem, & graua de hac aegritudine dicentem, imò vero magistrum per eum: Non potestis deo seruire, & mammona. Ita est, inquit aliquis, & qualiter hae erunt? Quo modo concupiscentiam relinquamus? hinc & hoc dicere licet. Et quo modo sciemus: audi eum & hoc dicentem, Nolite thesaurizare vobis thesauros super terram, vbi arugo & tineae demolitur, & vbi fures perfodiunt & furantur. Vides qualiter a loco, & a nocentibus, nos ab eorum quae sunt hic, concupiscentia deterret, & affigit caelo, vbi sunt omnia in consumpta? Si diuitias enim illuc transtuleritis, vbi nec arugo, neque tineae, neque fures effodiunt & furantur, & hunc morbum repellitis, & animam in magna constituetis opulentia. Praeter dicta vero exemplum quoque in medium agit, quod te modestum faciat. Et sicut medicus aegrotum terrenum, ait, Ille frigida vsus mortuus est: sic & ipse diuitem introducit laborantem quidem, & vitam sanitatemque concupiscentem, sed voti minime compotem, eo quod auaricia sectatus fuisset, sed inanem repulsum. Et post hunc alium tibi rursus alius ostendit Euangelista, qui torretur, neque guttam aquae potest habere: mox ostendens, quod facilia sunt mandata, ait: Respicite volatilia caeli: cum benignus sit, neque diuites desperare permittit. Quae namque sunt apud homines impossibilia, possibilia sunt apud deum, inquit. Quauis enim diues sis, te medicus curare potest. Nec enim occidunt diuitiae, sed esse diuitiarum seruum, & auariciae amatorem. Et quo modo diues saluari potest? qui indigentibus communia possidet: qualis erat Iob, & ex anima plurimum eliminat cupiditatem, nec villo pacto necessarium vsu excedit: ad haec tibi demonstrat & hunc ipsum publicanum, qui auariciae vehementi febre detinebatur, cito liberatum. Quid enim publicano dolosius? attamen homo factus est pauper, quod medici legibus paruit. Tales enim habuit discipulos his morbis laborantes, quibus & nos, & statim sanatum eorum quoniam nobis ostendit, ne desperaremus. Vide igitur hunc publicanum, qui quadruplum quidem pro his quae rapuit, reddere promittit, & omnium quae possidebat, dimidium, vt Iesum susciperet: at tu succenderis, & ardentem pecunias concupiscentis. Habe quae sunt omnium pro tuis, & his quae quaeris plus tibi do, inquit, tibi per orbem diuitum referans domos. Qui namque reliquerit patrem, vel matrem, vel agros, vel domum, centuplum accipiet. Ita non modo plurimum delectationem, verum & infestam hanc sitim penitus auferes, & omnia facile sustinebis: non tantum plura non cupiens, verum neque necessaria plerumque: ita Paulus esuriit, & magis gloriabatur, quam cum manducaret. Quoniam & athleta cum certat & coronatur, discedere & in voluptate esse non eligeret. Vel mercator maris vias aggressus in ocio iam esse non mallet. Et nos itaque si spirituales fructus, vt par est, gustauerimus, nil iam praesentem vitam existimabimus, veluti quadam optima ebrietate, futurorum capti desiderio. Gustemus igitur, vt & praesentium liberemur tumultu, & futuris bonis potiamur, in Christo Iesu domino nostro, cui gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Mar. 10.

Mat. 19.

De beneficio, quod a nobis indigentibus exhibetur. Et de vita monachorum. Homilia LIX.



MAGNA merces est dilectissimi, quod aliquis & aliena dispensare possit. Non autem tantum dandi merces est, verum & bene dispensandi quae dantur. Quare tu mercedem non arripis? Stephanum cum aliis in viduarum ministerium. Vt tu sis tuorum dispensator, ipse te dei timor eligit & humilitas. Hoc & ab inani gloria liberatum est, & animi requiem praestat, hoc manus sanctificat, sensum humiliat, & philosophiam docet, propiorumque reddit, hoc te benedictiones accipere facit. Abit caput tuum omnes a viciis suscipiens benedictiones, in orationibus propiorum efficiaris. Exquire sanctos quoque viros, & vere sanctos in desertis sedentes, qui mendicare non possunt, deo vacantes. Vade longam viam, eroga per te ipsum: multum namque per te ipsum proficere poteris, si des: Vides tabernaculum & tugurium, vides desertum, vides solitudinem? Frequenter pecunias daturus accedens totam animam dedisti, & detentus es, & illius captiuitatis particeps factus, cum mundo simul peregrinatus es. Magni opus est & pauperes videre: ait enim, Bonum est in domum luctus intrare, quam in domum risus. Hinc excandesces, nam si pariter ridere suppetat, ad lasciuia stimulum accepisti: si vero non suppetat, hausisti tristitia. In luctus autem domo nihil huiusmodi, verum siue delicias non habeas, non dolueris: siue habeas, corripieris. Vere lugendi domus est monasterium, vbi foccus & cinis, & solitudo: vbi risus non est, neque secularium turbela negotiorum. Vbi ieiunium, & stratum humi cubile, omnia pura a nidore, cruoribus, tumultu, perturbatione & vexatione, portus est tranquillitas, sunt tanquam faces ab *Uldem* excelso loco procul aduenientibus, in portu sedentes, & omnes ad suam trahentes tranquillitatem, neque sine fieri naufragia ad se respicientibus, eod contententes in tenebris non permittentes versari. Ad eos abi, hospitare, accede, sanctos tange pedes. Multo namque honestius est illorum pedes tangere, quam aliorum caput. Dic enim mihi, si quidam statuarum pedes apprehendunt, quoniam tantum regiam habent figuram: tu ipsum habentem in seipso Christum non pedibus tenebis, & saluus eris: Sancti sunt pedes, licet viles sint: inquinatorum vero neque caput venerandum est. Sanctorum namque pedes magna potuerunt, quam obrem & vlciscuntur, cum pedibus puluerem excusserint. Cum sanctus sit apud nos, nihil eius nos confundat. Sancti vero sunt omnes, quotquot cum vita rectam fidem habent: licet signa non faciant, licet demones non eiiciant, sancti sunt. Si sanctorum, inquit, pedes lauit. Sicut enim a terra in caelum, sic est ad viri sancti confugere monasterium. Non illic ea vides, quae domi. Ab omnibus est mundus ille locus, silentium & quies multa: Meum & Tuum ibi non est. Si vero vnum vel alterum ibi diem manseris, tunc plus senties voluptatis. Dies lucefcit, imò vero ante die gallus cantauit, & non sicut domi, stertunt serui, ianuae clausae, omnes mortuis similes sunt dormientes, mulio tintinabula concutit. Illic huiusmodi nihil, sed omnes statim cum reuerentia somnum deponentes exurgunt, excitante eos praefato, & consistunt sanctum constituentes chorum, & statim manus extendentes, sacros hymnos decantant. Non enim, sicut nos, multis egent horis, vt somnum excutiatur, & grauedinem capitis. Nos enim simul ac excitati sumus, & multum sedemus nos distendentes, ad necessitatem abimus, mox faciem abluimus & manus,

manus, post haec indumenta sumimus & calceamenta, & multum absumitur temporis. Illic vero tale nihil, nemo seruum vocat, sibi quisque sufficit, non multis eget indumentis, non opus est somnum excuti, sed simul ac oculos aperuit, illi qui iam dudum excitatus fuit, similis est propter sobrietatem. Cum enim cor cibis minime grauatum non deorsum mergatur, non indiget multi temporis, vt se referat: sed statim est in solertia, mundae manus, somnus enim est ordinatus. Nullus ibi stertentes audit, aut anhelantes. Nullus se per somnum versantem videt, nullus se denudantem, sed dormiunt, vigilantibus iacentes honestius. Hoc autem totum ex animae compositione procedit. Hi verè sancti, & inter homines angeli. Multus enim dei timor in profundum mergi somnum non sinit, & animam obruere, sed in superficie accedit, ipsos tantum requiescere faciens. Talia ipsorum & somnia, non phantasiae & monstris plena: sed, vt dixi, postquam gallus cantauit, statim venies praefatus, & pede solum simpliciter cadens, omnes excitauit: nec enim nudos illic fas est dormire. Mox statim surgentes stant hymnos cantantes propheticos multa cum vocis consonantia, cum apte compositis concentibus. Neque cithara, neque fistula, nec vllum aliud musicum instrumentum talem emittit vocem, qualem audire licet in profunda quiete & solitudine, sanctis cantantibus illis. At & ipsa cantica commoda, & in deum charitate plena. In noctibus, inquit, extollite manus vestras ad deum. Et de nocte vigilauit spiritus meus ad te deus, quoniam lux praefata tua super terram. Et Dauidica cantica multos mouentia fontes lachrymarum. Quippe cum cantet, dicens: Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo. Et iterum, Quia cinerem tanquam panem manducabam. Et iterum, Quid est homo, quia innotuisti ei: aut filius hominis, quia reputas eum? Homo vanitati similis factus est, & dies eius sicut umbra praetereunt: & Ne timueris cum diues factus fuerit homo, vel cum multiplicata fuerit gloria domus eius. Et rursus, Qui habitare facit vnius moris in domo. & Septies in die laudauit te super iudicia iusticiae tuae. Et iterum, Media nocte surgebam ad confitendum tibi super iudicia iusticiae tuae. & Deus redimet animam meam de manu inferi. & Si ambulauero in medio umbrarum mortis non timebo mala: quoniam tu mecum es. Et iterum, Non timebis a timore nocturno, a sagitta voluntate in die, a negotio perambulante in tenebris, a ruina & demone meridiano. & Aestimati sumus tanquam oves occisionis. Quoniam & cum angelis cantant: nam & angeli canunt, Laudate dominum de caelis: nobis hiantibus, & nos scalpentibus stertentibusque, vel supinis negligenter iacentibus, & innumeras cogitationibus fallacias. Quanti est eos in hoc totam noctem insumere. Cum vero dies iam lucefcere debet, tum requiescunt: & cum nos incipimus opera, illi tempus habent quietis. Facto autem die quisque nostrum alterum vocat, egressorum rationem agit, in forum educit, assistit magistratui, tremiscit, & poenas metuit. Alius in tabernaculo, ad suum alius opus. Illi vero cum rursus matutinas orationes celebrauerint & hymnos, ad scripturarum lectionem conuertuntur. Sunt autem & qui libros transcribere docti, assignatum quisque sumes habitaculum, semper agit quietem, nugante nemine, nemine quicquam dicente. Tertiam, sextam, nonam & vespertinas orationes celebrat. Et in quatuor partes diem dispartiti, dum singulae par-

tes implentur, psalmodiis & hymnis deum venerantur. Omnibus autem prandentibus, ridentibus, lugentibus, & ingluuie se disrumpentibus, hymnis hi vacant: Nusquam metae tempus, nusquam sensibilem horum. Rursum post prandium eadem continentur, postquam se prius somno dederint. Itaque mundani quidem & die dormiunt, illi vero & nocte vigilant, verè lucis filij sunt. Tum illi multo circa somnum tempore consumptio, grauari procedunt: hi vero sunt adhuc sobrii, sine cibo manentes, & hymnis vacantes. Vesperè rursus facti, illi quidem balnea petunt, & remissiones: hi vero se laboribus absoluentes tunc mensam petunt, non seruatorum excitantes multitudinem, neque domum circumcursantes, neque tumultuantes, neque lautos apponentes cibos, & nidorem exhalantes: sed hi quidem cum sale panem, hi vero & oleum adiungentes. At alij quicunque sunt infirmiores, olera quoque habent atque legumina. Deinde parum sedentes, vel potius hymnis omnia concludentes, in suo quisque lectulo requiescunt, ad solum somnum, non delicias comparato. Non est principum illic metus, non est dominorum insolentia, non est seruorum timor, non mulierum tumultus, non est puerorum perturbatio, non arcularum multitudo, neque superflua vestium repositio, non aurum, non argentum, non sunt custodiae, non cellarium, non aliud quicquam huiusmodi: sed omnia sunt oratione plena, hymnis omnia, omnia spirituali fragrantia, nihil ibi carnale. Latronum non timent insidias: nec enim habent quo spoliuntur, pecuniae non adfunt: corpus est & anima: si hac priuentur, iacturam non faciunt, sed proficiunt. Mihi namque viuere Christus, inquit, & mori lucrum. Sic enim verè vinculis absoluuntur, Vox exortationis in tabernaculis iustorum. Nunquam illic vltimatus audiri potest, nunquam deploratio, mundum est ab huiusmodi molestiis tectum, ab hoc purum clamore. Moriuntur quidem & ex eis aliqui: non enim sunt immortales corpore, sed morientes nesciunt mortem: hymnis defunctos prosequuntur, honorem hoc appellant, non funus. Et si nunciatum fuerit, quod ille mortuus est, multum ubique laetitia, voluptatis multum: quin vero nec vllus audet dicere, ille mortuus est, sed, ille costumatus est. Tum gratiarum actio, laetitia, gloria multa, vnoquoque talem habere finem orante, ita certamen hoc exire, a laboribus & certaminibus quiescere, videre Christum. Et si quis aegrotat, non lachrymae, non luctus, sed rursus orationes, non medicorum manus, sed sola frequenter fides aegrotum liberat: si vero medicis opus sit, multa & hic modestia, tolerantia multa. Non adstat mulier crines soluens, neque pueruli nondum factam orbitatem deplorantes: neque serui expirantem deprecantes, vt in tuto cuiquam se commedet: sed ab omnibus his anima liberata, duntaxat extremam considerat expirationem, vt deo migret amica. Si vero morbus accidat, ex ingluuie non accidit, nec ex capitis grauedine. Quin & haec morborum causae sunt laudibus plena, non accusatione, sicut illae. Nam vel vigiliae, vel ieiunij nimietas, vel aliquid huiusmodi morbos inducit, ex quibus & facile liberantur. Satis enim est non amplius similiter laborantem omnibus esse molestiis liberatum. Quid dicis igitur, inquit, mihi? Si sanctorum pedes lauit, licet & in ecclesiis tales inuenire. Non enim quoniam illorum viam enarrauimus, ecclesiasticos contemnimus. Multi plerumque tales & in medijs sunt ecclesijs, sed in secreto. Non enim quoniam domos circumueunt: neque quoniam in forum se conferunt, neque quoniam

Philip. 1.

Psal. 117.

quoniam præsentem, ipsos contemnimus, & hoc deus præcepit: ait enim: ludicate pupillo, & defendite viduam. Multa virtutis semitæ, sicut & multa margaritarum differentia, cum omnes margaritæ vocentur: sed hæc quidem est lucida, & vndique rotunda: alia vero hanc non habet pulchritudinem, sed alteram. Quam autem hanc? Sicut ex quadam arte corallium productam habet lineam, & angulos tornatos, & alium alibi coloris amœniorem: hæc autem rursus viridem omni viriditate gratiorem, alia sanguinis floridum ruborem exhibet, alia mari magis cœrulea, alia purpura coruscantior, alios multos flores & solis colores quispian inueniret: tales & sancti, hi quidem semetipsos exercent, hi vero & ecclesias curant. Si sanctorum, inquit, pedes lauit, si tribulatis subministravit. Curamus ad opus, ut illic gloriari possimus, quod sanctorum lauimus pedes. Si pedes ipsorum oportet lauare, multo magis & de manu pecunias eis erogare. Nesciat, inquit, sinistra tua, qui agat dextera tua. Quid innumeris testibus assumis: neque seruos sciat, si fieri potest, nec vxor. Multa si audulenti scandala, frequenter quæ nihil vnquam impediuit, tunc impedit, vel ex inani gloria, vel alia re capiam. Quoniam & Abraham licet admirabilem haberet vxorē, filium oblaturus latuit, quantum futurum ignoraret, sed omnino se credens occisurum. Quid igitur dixisset, si fuisset vnus de multis? Quis est hic talia faciens? Nonne crudelitatis & rusticitatis eum accusasset? Neque suum videre filium vxor habita digna est, neque supremam vocem audire, neque palpitantem conspici, sed tanquam captiuum suum mens sic abducebat. Sed horum nihil ille iustus cogitauit, ebrius desiderio: nihil enim aliud intuebatur, nisi quo modo mandatum impleveret. Neque filius illic erat, nec vxor, imò vero nec ipse futurū sciebat. Ita per omnia purum offerre sacrificium studebat, non lachrymis, non contradictione polluere. Et ait ad eum Isaac: Ecce ligna & ignis, ubi est victima holocausti? Quid itaque pater? Deus prouidebit sibi victimam in holocaustum fili. Dicitur quidem hoc & prophetia, quod filium sibi prouidebit in holocaustum, & simul & tunc euasit. Quid & ipsum celas? Dic immolandum. Profecto, inquit, timeo, ne langueat, timeo ne non dignus inueniatur. Vides qualiter omnia cum diligentia gerebat: ut dicit scriptura, Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua: hoc est, licet tanquam proprium membrum aliquē habeamus, ipsi monstrare ne studeamus, nisi necesse sit: nam hinc multa nascuntur mala. Ad inanem gloriam quis tollitur, plerumque sit impedimentum. & nos ipsos si fieri potest, lateamus, ut promissa bona cōsequamur, in Christo Iesu domino nostro, cum quo patri, simul & spiritui sancto gloria, honor, & imperium, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

*De sumentibus indigne diuina & sancta mysteria,
Homilia LX. Ex Matthæo.*



SICVT ad perfectionem nostram, dilectissimi, promptitudo nostra non sufficit, nisi superno potiamur fauore: ita nihil à superno lucrabimur auxilio, si promptitudo defuerit: & hæc vtraque ludas ostendit & Petrus. Ille nanque multo potitus adiutorio, nihil profecit, quoniam noluit, neque quod suum erat, exhibuit: hic autem & valde promptus, postquam nullum nactus est auxilium, cecidit. Ex his duobus enim virtus textitur. Quamobrem exhortor, ut neque totum deo dimittentes dormiamus,

neque studentes nos propriis laboribus totum efficere putemus. Nec enim nos esse supinos vult deus, propterea non ipse totum operatur: nec vult esse superbos, & ideo totum nobis non concessit: sed vtriusque tollens nocumentum, nobis vtile reliquit. Propterea & apostolorum principē cadere permisit, eum ita demissum reddens, & deinceps ad maiorem præparans charitatem. Cui nanque plus, inquit, dimissum fuerit, magis amabit. In omnibus itaque deo pareamus neque contradicamus: licet cogitationibus nostris aduersari videatur & oculis, quod dicitur: sed sit & cogitationibus & visu dignior ipsius sermo, sic & in mysteriis agamus. Nec solum præ oculis posita respiciamus, sed ipsius verba contineamus. Ipsius enim sermo infallibilis, sensus autem noster seduci facilis: ille nunquam decedit, hic autem vt plurimum errat. Quoniam igitur verbū dicit, Hoc est corpus meum: & pareamus & credamus, & intellectu-
Matth. 26.
libus ipsum oculis, intueamur. Nihil enim sensibile nobis Christus tradidit, sed res quidem sensibiles, omnes autem intelligibiles. Itidem & in baptisate: per rem, nempe sensibilem aquam, donum confertur: intelligibile vero, quod perficitur, generatio & renouatio. Si enim incorporeus esses, nuda & incorporea tibi dedisset ipsa dona: sed quoniam anima corpori conferta est, in sensibilibus intelligibilia tibi præbet. Quot nunc dicunt, vellem ipsius formam aspicere, figuram, vestimenta, calceamēta. Ecce eum vides, ipsum tangis, ipsum manducas. Et tu quidem vestimenta videre cupis. Ipse verò tibi concedit, non tantum videre, verum & māducare, & tangere, & intra te suscipere. Igitur accedat nemo cum nausea, nemo resolutus, omnes accensis, omnes feruentes & excitati. Nam si ludæi stantes, & calceamēta manibus gestantes & baculos, agnum cum festinatione comedebant, te multo magis oportet esse solertem. Nam illi quidem in Palaestinam erant prodituri, & propterea viatorum figurā habebāt: tu verò debes in cœlum migrare, quapropter in omnibus oportet te vigilare. Nec enim parua pœna proponitur indigne sumentibus. Considera quantum aduersus proditorem indignaris, contra eos qui crucifixerunt: itaque considera, ne tu quoque sis reus corporis & sanguinis Christi. Illi sanctissimum corpus iugularunt: tu verò polluta suscipis anima post tot beneficia. Nec enim satis fuit, homo fieri, colaphis cardī, verum & semetipsum nobis commiscet, & non fide tantum, verum & ipsa re nos suum efficit corpus. Quo non oportet igitur esse puriorē, tali fruente sacrificio: quo solari radio non splendidiorem manum, carnem hanc diuidentem: os quod igne spiritali repletur, linguam quæ tremendo nimis sanguine rubescit. Cogita, quali sis insignitus honore, quali mēsa fruaris: quod angeli vidētes horrescūt, neque libere audēt intueri propter emicantem inde splendorem, hoc nos pascimur, huic nos vnimur, & facti sumus vnum Christi corpus, & vna caro. Quis loquetur potentias domini, auditas faciet omnes laudes eius? Quis pastor oves proprio pascit cruore? Et quid dico pastor? matres multæ sunt, quæ post partus dolores, filios alii tradunt nutricibus: hoc autem ipse non est passus, sed ipse nos proprio sanguine pascit, & per omnia nos sibi coagmentat. Et quod bene considerandum est, natis inde nostra substantia. At nihil hoc ad singulos, inquit, licet ad omnes. Nam si ad nostram venisset naturam, clarum est, quod ad omnes: si vero ad omnes, & ad vnumquemque. Et quo modo non omnes lucrati sunt hoc lucrum: inquit aliquis. Hoc non proprie
ter eum,

ter eum, qui hoc pro omnibus cepit, sed propter nolentes. Vnicuique fidelium semetipsum per mysterium commiscet, & quos genuit, per semetipsum enutrit, nec alteri tradit, & hoc tibi rursus persuadens, quod carnem tuam assumpsit. Ne torpeamus igitur tanta digni charitate & honore putati. Nonne videtis quanta promptitudine paruuli papillas capiunt, & quanto impetu labia vberibus insunt: accedamus cum tanta nos quoque ad hanc mensam, & vber spiritualis poculi, quin immò cum longè maiori trahamus tanquam infantes lacteani, spiritus gratiam, & vnus sit nobis dolor hac esca priuari. Non sunt humana virtutis opera proposita: qui tunc ipsa fecit in illa cœna, idem ea nunc quoque facit. Nos ministrorum tenemus locum: qui vero sanctificat ea & immutat, ipse est. Nullus itaque ludas assidat, nullus auarus. Si quis est discipulus, adsit. Nam tales mensa non suscipit: ait enim, Cum discipulis meis facio pascha. Hæc est illa mensa, & minus nihil habet. Non enim illam quidem Christus, hanc autem homo perficit, verum & hanc ipse quoque. Hoc illud cœnaculum, ubi tunc erant. Hinc in oliuarū montem illi prodierunt, prodeamus & nos ad manus pauperum. Hic enim mons oliuarum locus: oliuæ sunt etenim plātata in domo dei, pauperum multitudo, destillant oleum illic nobis vtile, quod quinque virgines habuerunt: alia vero hic non capientes, perierunt. Hoc sumentes introeamus, vt luminosis lampadibus sponso occurramus, hoc sumentes hinc exeamus. Inhumanus accedat nemo, nemo crudelis & immisericors, nemo prorsus immundus, hæc ad communicantes dico, & ad vos ministrantes. Nam & ad vos sermonem conuertere necessarium est, vt multo cum studio hæc dona distribuatis. Non parua vobis imminet vltio, si quem cuiuspiam conscium nequitiæ, huius mēse participem esse concedatis, sanguis eius de manibus vestris exquiratur. Siue quis dux militiæ sit, siue præfectus, siue princeps diademate coronatus: indigne autē accedat, prohibe, maiorem illo potestatem habes. Tu vero si tibi quidē aquæ fons traditus fuisset purus gregi custodiendus, & pecudem multum ore finum habentem vidisses, deorsum inclinari non permisisses, & fluentem turbare: nunc vero non aquæ sed sanguinis, & spiritus fontem habens creditum, & cœno fœdius habentes peccatum, videns accedentes, non indignaris, nec arces, & quam consequeris veniam? Propterea vos deus hoc insigniuit honore, vt talia discernatis. Hoc vestra dignitas est, hoc securitas, hoc omnis corona, non vt albam & splendentem tunicam circumeatis induti. Et vnde, inquit, noui illum & illum? Non de ignotis, sed de notis loquor. Dicam aliquid terribilius. Non tam graue energumenes intus esse, quam istos, vt ait Paulus, vt Christum conculcent, & sanguinem testamenti cōmunem existiment, & gratiam spiritus afficiant contumelia. Dæmonium enim patiente peior est, qui postquam peccauit, accedit. Verum & tu laice, cum sacerdotem videris offerentem, ne vt sacerdotem esse putes hoc facientem, sed Christi manum inuisibiliter extensam. Sicut enim cum baptizaris, ipse te non baptizat, sed deus est, qui tuum caput inuisibili potentia continet, & nec angelus, nec archangelus, nec vllus alius accedere & tangere audeat: ita nunc quoque cum deus regenerat, ipsius est solius donum. Nonne vides eos, qui sunt hic filij, quo modo non seruis opus demandant, sed ipsi adsunt baptisterio? Itidem & deus non angelis minus mandauit, sed ipse iubens adest & dicens, Nolite

vocare patrem super terram: non vt parentes honore priuet, sed omnibus illum præponens, qui te fecit, & inter suos conscripsit filios. Qui nanque plus dedit, hoc est, seipsum apposuit: multo magis & corpus tibi tradere non dedignabitur. Audiamus igitur & sacerdotes & subditi, quali esca facti sumus digni, audiamus & horreamus, sanctis carnibus suis nos dedit impleri, semetipsum apposuit immolatum. Quæ nam igitur erit nobis excusatio, cum talibus pasti talia peccemus, cum lupi simus agnum comedentes, cum tanquam oues pasti, more leonum diripiamus? Hoc enim mysterium non à rapina tantum, verum & ab omni vel tenui inimicitia purum esse penitus iubet: est enim pacis mysterium. Mysterium hoc pecunias acquirere non permittit: si enim ipse sibi propter nos non pepercit, quid meremur pecuniis parcentes, & animam negligentem, pro qua ille sibi non pepercit? Itaque ludæis quidem annuatim priorum monumenta beneficiorum solennitates deus alligauit: tibi verò (vt ita dicam) per singulos dies, per hæc mysteria. Itaque ne crucem erubescas: hæc enim sunt insignia nostra, hæc nostra mysteria, hoc ornatur dono, hoc decoramur. Et si dixerō, quod cœlum extendit, & terram explicuit & mare, prophetas & angelos milit, nihil æquale dicam: hoc est enim bonorum caput, quoniam filio suo non pepercit, vt seruos alienatos saluaret. Nullus itaque ludas hanc mensam petat, nullus Simon. Hi nanque duo propter auariciam perierunt: hoc igitur barathrum fugiamus. Neque satis nobis esse existimemus ad salutem, si viduis & pupillis expilatis aureum calicem & gemmatum mensam offeramus. Si vis enim honorare sacrificium, offer animam: propter quam & immolatus est, hanc fac auream: si verò plumbo maneat & testa deterior, vas autem aureum, quid vtilitatis? Itaque nec hoc consideremus, vt aurea vasa duntaxat offeramus, sed etiam vt ex iustis laboribus: hæc enim sunt & aureis preciosiora, quæ auaricia carent. Nec enim aurificina est, aut argentaria officina ecclesiæ, sed angelorum cōcio, propterea nobis opus est animis. Nam & hæc deus propter animas acceptat. Non erat illa mensa tunc ex argēto, nec aureus calix, ex quo sanguinem propriū Christus suis dedit discipulis: preciosiora tamen erant illa omnia & tremenda: quoniam erant spiritu plena. Vis Christi corpus honorare, ne nudum eum despicias: nec eum hic quidem sericis honoribus vestibus, extra vero gelu & nuditate pereuntem contemnas. Qui nanque dixit, Hoc est corpus meū, & verbo factum confirmavit: hic & dixit, Esurientem me vidistis, & non paupersis me. Et in quantum non fecistis huic ex his minimis, neque mihi fecistis. Hic quidem non eget vestimentis, sed anima munda, illud autem magna diligentia: Discamus itaque philosophari & Christum prout ipse vult venerari. Honorato nanque iucundissimus honor, quem ipse vult, non quæ nos putamus. Nam & se Petrus eum honorare putabat, cū sibi pedes eum lauare prohiberet. Sed non erat honor quod agebat, sed contrarium: itidem & tu hoc eum honore, quem statuit prosequere, diuitias expendens in pauperes. Nec enim aureis vasis deus eget, sed aureis animabus. Et hæc dico, non prohibens huiusmodi oblationes fieri, suadens autem cum his & ante has elemosynam exhiberi. Siquidem & hæc suscipit, sed illam multo gratius. Nam hic quidem offerens solus vtilitatem capit, illic autem & accipiens. Hic opus esse videtur & ambitionis occasio: illic autem elemosyna totum, & humanitas est.

tas est. Quenam utilitas est cum ipsi mensa sit aureis calicibus plena, ipse vero fame dispareat? Ipsum satura prius esurientē & tunc ex abundantia ipsius quoque mensam orna. Aureum facis calicem, nec frigida aqua calicem porrigis: & quid utilitas aurea pallia mensa parare, ipsi vero ne necessarium quidem indumentum præbere? Quod ex hoc lucrum est? Dic enim mihi, si quem necessario conspicatus egere nutrimento, fame ipsi solvere prætermittens, argento mensam operire tantum stuidiisses, nunquid tibi gratias habuisset, non magis vero fuisset indignatus? Quid vero si pannis indutum conspicens, & gelu fixum, omittens ei dare vestimentum, aureas comparas columnas, in eius dicens honorem fieri: nonne te dixisset ironice loqui, & hanc extremam putasset contumeliam? Hoc & in Christo cogita, cum vagus & peregrinus indigens tecti circummeat, tu vero prætermittens eum suscipere pavimentum pariter ornas, & columnarum capita. Et argenteas quidem catenas ad lucernas suspendis, ipsum autem in carcere vincitum ne vis quidem visere. Et hæc dico, non prohibens in his gloriari: sed & hæc cum illis, quin potius ante illa comonens fieri: de his namque non factis accusatus unquam est nemo, pro illis autem & gehena intentata est, & ignis inextinctus, & cum dæmonibus altio. Noli itaque domum exornans fratris angustiam despiciere: hic enim est illius templum verius, & has quidem possessiones & infideles reges & tyranni & latrones auferre poterunt: quotquot autem in fratrem contuleris esurientem vel peregrinantem, & nudum, neque diabolus tollere potuit, sed in thesauro reponitur intermerato. Quid igitur ipse dicit: Pauperes semper habetis vobiscum, me autem non semper habetis: Propterea namque præsertim oportet misereri, quoniam eum non semper habemus esurientem, sed in præsentia duntaxat vita. Si vero vis & omnem dicti sententiam intelligere, audi quod non hoc ad discipulos dictum est, licet ita videatur, sed ad mulieris infirmitatem. Quoniam enim adhuc imperfectus erat affectus, ipsam autem illi fatigabant, eam consolans hæc dicebat. Et quod eam consolans hæc dixit, clarum est ex eo, quod statim intulit: Quid molesti estis huic mulieri? Quonia quod & ipsum semper nobiscum habeamus, vide quid dicat: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Ex quibus omnibus patet, quod non ob aliud hæc dicebantur, nisi ut mulieris fidem tunc germinantem discipulorum increpatio non labeficeret. Ne nunc igitur hæc in medium proferamus, quæ propter quandam dicta sunt dispensationem. Sed omnes leges tam noui, quam veteris testamenti de eleemosyna ab ipso promulgatas legentes, multum huius rei studium geramus. Hoc enim & peccata purgat: ait enim, Date eleemosynam, & omnia vobis erunt munda. Hoc sacrificio maius est. Misericordiam enim volo, & non sacrificium: hoc celos aperit. Orationes enim tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu dei. Hoc virginitate magis necessarium. Sic enim ex nuptiali thalamo eiecit fuerunt illæ, sic ingressæ sunt aliæ: quæ considerantes omnia, large feminemus, ut cum maiori metamus abundantia, & futuris fruamur bonis, gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi, cui est gloria in seculum seculorum, Amen.

De sacrarum participatione mysteriorum: & quod communicare nolens, nec orationi dignus est interesse.
Homilia LXI. ex Ioannis euangelio.

NCESSARIUM est dilectissimi, mysteriorum discere miraculum, quid tandem sit, & quare sit datum, & quæ rei utilitas. Vnum corpus sumus & membra, ex carne eius, & ex ossibus eius. Sequamur autem initiati, quæ dicuntur. Ut itaque non tantum per charitatem hoc sciamus, verum & ipsa re in illam miscemur carnem, hoc per escam efficitur, quam largitus est nobis, volens ostendere desiderium, quod erga nos habet. Propterea semetipsum nobis immiscuit, & corpus suum in nos cõtemperauit, ut vnum quid efficiamur, tanquam corpus capiti coaptatum: ardentem enim amantium hoc est. Hoc itaque Iob insinuans dicebat de seruis, quibus erat supra modum desiderabilis, quod desiderium ostendentes dicebant: Quis dederit nobis ex carnibus eius impleri? Propterea quidem & Christus id fecit, in maiorem nos inducens charitatem, & suum erga nos ostendens desiderium, non tantum se præbens cupientibus videndum: sed & palandum & comedendum, & carni dentes infingere & coimplicari, & omne desiderium implere. Tanquam leones igitur ignem spirantes ab illa mensa recedamus, facti diabolo terribiles, & caput nostrum mente reuoluentes, & charitatem, quam nobis exhibuit. Nam parentes quidem aliis sæpe filios tradunt alendos: ego autem, inquit, non ita, sed carnibus meis alo, me ipsum vobis appono, vos omnes generosos esse volens, & bonas vobis præterdentes de futuris expectationes: quippe qui vobis hic me ipsum trado, multo magis in futuro. Volui frater esse vester, carnem propter vos & sanguinem assumpsi. Vobis vicissim ipsam carnem & sanguinem, per quæ cognatus vester factus sum, trado. Hic sanguis floridam nobis reddit regiam imaginem, hic decus indelebile, hic anima generositatem tabescere non permittit, eam irrigans iugiter & nutriens. Nam ex cibis quidem sanguis in nobis nascens, non statim hoc efficitur, sed aliud quiddam: hic autem non ita, sed statim animum irrigat & magnam inducit quandam virtutem. Hic mysticus sanguis dæmonas quidem expellit, & procul esse facit: ad nos autem angelos vocat, & angelorum dominum. Vbi namque dominicum viderint sanguinem, dæmones quidem fugiunt, concurrunt autem angeli. Hic sanguis effusus omnem terrarum orbem abluit. Multa de hoc sanguine beatus Paulus in epistola ad Hebræos sapienter disseruit. Hic sanguis adyta mundaui & sancta sanctorum. Si vero figura ipsius tantam habuit virtutem & in Hebræorum templo, & in Aegypti medio superliminaribus inunctis: multo magis veritas. Hic sanguis aureum altare sanctificauit, sine hoc potest adyta non audebat intrare. Hic sanguis sacerdotes creabat, hic in futuris peccata purgabat. Si vero tantam habebat vim in figuris, si mors umbram ita perhorrebat: quo modo veritatem ipsam, quæso, non timuerit? Hic est salus animarum nostrarum, hoc abluitur anima, hoc adornatur, hoc inflammatur. Hic mentem nostram igne reddit splendidiorem, hic auro clariorem animam facit. Hic sanguis effusus est, & celum fecit accessibile, horrenda scilicet ecclesie mysteria, horrendum altare. Ascendebat ex paradiso fons fluuius emittens sensibiles. Ex hac mensa fons ascendit, spirituales emittens fluuios. Apud hunc fontem plantata non infructuosa salices, sed arbores ad ipsum celum peruenientes, fructum habentes semper maturum, & immarcescibilem. Si quis æstuat, ad hunc veniat fontem, & æstum refrigeret: nam & siccitates resoluit, & cuncta refouet inflammata, non à Sole, sed iaculis ignitis: supernè

1. Cor. 11.

Heb. 10.

supernè enim principium habet, & inde radicem unde & deriuatur. Multi fontis huius riuus, quos emittit paractetus, & mediator filius efficitur, non ligonem habens, & vitam præparans, sed nostrum aperiens affectum. Hic fons est, veritatis radios effundens, fons luminis. Huic & supernè potestates assisunt, in fluentorum respicientes decorem: quoniam & illæ nobis manifestius propositorum virtutem speculantur, & inaccessiblees admirantur splendores. Sicut enim auro liquecente, siue manum, siue linguam, aliquis immittat, eam statim auream reddit: ita & hic proposita preciosam reddunt animam. Effluet quidem fluuius & igne vehementius, sed non comburit, sed tantum baptizat, quicquid acceperit. Hic sanguis antea semper præsignabatur in sacrificiis, in iustorum cædibus. Hic terrarum orbis est precium, hoc Christus emit ecclesiam, hoc eam omnem adornauit. Sicut enim homo seruos emens aurum erogat, & rursum eos ornare volens, id auro facit: sic & Christus, & sanguine nos emit, & ornauit sanguine. Huius sanguinis participes cum angelis & archangelis, & supernis manent virtutibus, ipsam Christi regiam induti stolam, & arma gerentes spiritualia. Sed nondum quicquam dixi: ipsum enim induti sunt regem. Sed sicut est magnum & admirabile, ita si cum puritate quidem accesseris, ad salutem accessisti: si vero cum mala conscientia, ad pœnam & ultionem. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Nam si regiam cõtaminantes purpuram similiter puniuntur, sicut & discindentes: non est vero dissimile, domini corpus, impura mente suscipientes, eandem subire vindictam cum his qui clauis ipsum disciderunt. Vide certè, quam terribilem Paulus ultionem ostendit, dicens: Irritam quis faciens legem Mosi absque miserationibus coram duobus vel tribus testibus moritur: quanto peiori putatis dignus censetur ultione, qui filium dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est? Attendamus itaque nobis ipsi dilectissimi, talibus fruente bonis: & cum aliquid turpe dicere voluerimus, vel nos ab ira corripi viderimus, vel alio quopiam huiusmodi vicio, cogitemus quibus facti sumus digni, & sit irrationalium nobis motu correctio, talis cogitatio. Quotquot igitur huius participes corporis efficimur, quotquot sanguinem degustamus, cogitemus, quod illum sursum sedentem, qui ab angelis adoratur, incorruptibili vicinus virtuti, hunc degustamus. Hei mihi, quot ad salutem nobis via: Nos corpus suum effecit, nobis suum communicauit corpus, & horum nos nihil à malis auertit. O tenebras, & profunditatem magnam. O indolentiam. Quæ sursum sunt, inquit, sapite, vbi Christus est in dextra dei sedens. Et post hæc omnia quidam pecuniarum curam gerunt, quidam gloriam ambiunt, ab aliis alij capiuntur cupiditatibus. Nonne videtis, quod & in corpore nostro quæcunque quidem inutilia sunt, & superflua, refecantur & præciduntur. Et nihil prodest, quod ex corpore sint, cum debilitata, cum mortua cum tabefacta sint, & reliquo noceant. Ne confidamus itaque, quod semel ex corpore facti sumus: si verò corpus cum naturale sit, tamen præciditur, nisi voluntatis opera manserint: quid graue non patietur, cum huius nutrimenti partem non capiat corpus: cum via fuerint obstructa, tunc mortificatur: cum fistula, tunc debilitatur: itidem & nos, cum aures obturauerimus, caro nostra debilitatur: cum spirituale nutrimentum non hauriamus, cum nequicia quæ-

dam pro corruptis succis nos vastent, hæc omnia morbum pariunt, morbum grauem, morbum tabem generentem. Et iam illius ignis indigebit, per medium opus habebit diuidi: Non enim cum tali corpore Christus in nuptialem thalamum ingredi patitur: si sordidas vestes indutum abduxit & eiecit, corpori sordes aggregantem quo non afficiet: quid non inferet? Multos video domini corporis participationem temerè sumentes, ut à casu, & consuetudine potius & lege, quam cogitatu & mente. Si superueniet, inquit, sanctæ tempus quadragesimæ, qualiscunque sit aliquis, mysteria sumit. Si superuenierit Epiphaniarum dies, licet tempus aduentus vel epiphania, vel quadragesima, dignos accedere non facit: sed animæ sinceritas & puritas. Cum hac igitur semper accede, sine hac nunquam, ait enim, Quotiescunque hoc feceritis, mortem domini annuntiabitis: hoc est, facietis commemorationem salutis vestræ, beneficij mei. Cogita qui sacrificij participes veteris erant, quanta utebantur continentia, quid non faciebant, quid non agebant: semper expiabantur. Tu vero petens sacrificium, quod horrent & angeli, temporum circulis rem definis. Et quo modo Christi assistes tribunali, scelestis manibus & labijs ipsum corpus impetens? Et fœtente quidem ore tuo regem osculari non eligeres: regem verò cœli fœtente anima deoscularis? Factum hoc est contumelia. Dic mihi, immundissime manibus ad sacrificium eligeres accedere? Non (ut ipse putot) sed nec omnino malles accedere, quam manibus lotis. Ita in paruo quidem es tam reuerens, sordidam autem habens animam, accedis, & audes tangere? Atqui sub manibus quidem ad tempus detinetur, in illam autem totum resoluitur. Quid vero non cernis vasa tantum vndiq; tersa, sic resurgentia: his nobis animas oportet esse puriores, his sanctiores & splendidiore. Quare verò tandem? quoniam illa propter nos talia sunt: illa non eius qui inest, partem capiunt nec sentiunt: nos autem certè: sed nunc sordido quidem uti vase non eligeres, anima verò sordida accedis. Multam video rerum inæqualitatem. In aliis quidè temporibus cum puri frequenter sitis, non acceditis: in Pascha vero, licet sit aliquid à vobis patratum, acceditis. O consuetudinem, o præsumptionem, sacrificium frustra quotidianum. In cassum assisimus altari, nullus qui communicetur. Hæc non ut temerè communicemini, dico, sed ut vos dignos reddatis. Non es hostia dignus, vel cõmunionem, igitur nec orationem. Adstantem audis præconem, atque dicentem: Quotquot estis in pœnitentia, omnes orate. Quicunque non participes sunt, in pœnitentia sunt. Quid stas, si es in pœnitentia? sumere nõ debes: qui namque non communicat, est ex pœnitentibus. Cur itaque dicit, Abite qui non potestis orare: Tu vero stas impudens. At ex his non es, sed ex his qui possunt esse participes, & nihil curas, aut magnum opus censet. Considera, quæso, mensa regalis est apposta, angeli mensa ministrantes, ipse rex adest, & tu adstas oscitans. Sordescunt tibi vestimenta, & nihil est tibi curæ. At pura sunt, igitur adora & comunica. Per singulos dies venit discumbentes visurus, omnes alloquitur. Et nunc in conscientia dicit: Socij, quo modo adestis hic, non habentes vestem nuptialem? Non dixit, quare discubuitis? Sed ante reclinationem & ingressum semetipsum indignum esse fatetur. Non enim dixit: Quare recubuitis? sed, quid intraisti? Hæc etiam nunc nobis omnibus loquitur, impudenter & procaciter adstantibus. Omnis enim qui mysteriorum participio nõ fruitur, impudens & procax

procax est, si adstat. Propterea qui sunt in peccatis, priores eiiciuntur. Sicut enim ad mensam veniente domino seruos qui dominum offenderunt adesse non oportet, sed procul arcentur: ita scilicet & hic dum proferretur sacrificium, & Christus immolatur, & onis dominica: cum audieris, oremus omnes communiter: cum vela videris retrahi, tunc supernè cœlum aperiri cogita, & angelos descendere. Sicut itaque prophanorum fas est adesse neminem, ita nec vllum sacratorum quidem ac fordidorum. Dic mihi, si quis in conuiuium vocatus, manus ablueret, & recumberet, & mensa paratus adesset, postmodum nihil gustaret, non afficit contumelia vocantem? Nonne melius huiusmodi nec venisse? Ita scilicet & tu, venisti, cecinisti deo laudem, cum omnibus es confessus de dignis esse, cum indignis non fecedendo: quo modo mansisti, neque participas de mensa? Indignus sum, inquit. Igitur & illa quæ per preces fit communionem. Non enim per proposita tantum, verum per illa cantica spiritus semper descendit. Nonne vides ministrum spongia mensam circumlinientem, & expurgantem domum, & tabellas ponentem? Hoc per preces efficitur, per præconis vocem. Sicut spongia circumlinimus ecclesiam, ut in ecclesia munda proponantur omnia, ne qua sit macula, ne qua ruga. Indigni sunt & oculi peccatorum hisce spectaculis, indignæ sunt & aures. Si enim bestia, inquit, tangat montem, lapidabitur. Ita nec ascensu digni fuerunt, licet post hæc & accesserint, & viderint vbi deus consisterat: post hæc accedere licet, & videre. Cum adest quidem, abique non tibi magis adstare licet, quam catechumeno. Alioqui par non est, nondum attigisse mysteria: & postquam attigeris, offendisse, contempnisse, & se gratia indignum constituisse. Poterant & plura terribilioraque commemorari, sed ne mentem vestram grauemus, hæc quoque sufficiant. Qui enim his non emendantur, neque pluribus. Ne maius itaque vobis iudicium faciamus, vos exhortamur, non ut accedatis, sed ut præsentia vos, & accessu dignos constituatis. Dic mihi, si quis rex statuisset atque dixisset: Si quis hoc facit, mensam meam sit particeps: nonne propter hoc omnia fecissetis? In cœlum vos vocauit, ad magni regis mensam & admirabilis, & retrocedimus, & cessamus, & non festinamus, nec ad rem accurrimus: & quæ nobis est salutis spes? Non vacat imbecillitatem accusare, non naturam, sola nos negligentia facit indignos. Hæc quidem à nobis dicta sunt. Qui verò corda compungit, qui compunctionis dat spiritum, corda nostra compungat, & in profundo semina ponat, & ab ipso timore concipiat, & patriam spiritum salutis, & cum fiducia accedat, ait enim, Filij tui, sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ. Nihil vetus, immite nihil, nihil crudele: tales enim nouellæ sunt ad fructum idoneæ, fructum mirabilem oliuæ dico. Et fortes, ita ut omnes fiant in circuitu mensæ. Et nec temerè, nec à casu huc conueniant, sed cum metu & timore. Sicut autem cibus cum sit nutritiuus, si à crudo sumatur, omnia perdit & corrumpit, & fit morbi causa: ita scilicet & horrenda mysteria. Mensa spirituali frueris, mensa regia, & rursus luto corpus contaminas, vngis vnguento, & fœtore rursus implet. Dic mihi, quæso, post annum communionem sumens, quadragintane dies ad totius temporis peccatorum purificationem tibi satis esse putas? & hebdomade lapsa rursus ad priora reuerteris. Dic enim mihi si post longam ægritudinem quadraginta dies valens, rursus temetipsum illis cibis morbum inducentibus tra-

deres, nonne pristinum amisisses laborem? Nam si naturalia transferuntur, multò magis quæ in voluntate consistunt. Quæ quid dico: Naturaliter videmus, & sanos habemus oculos per naturam, sed frequenter ex habitudine mala, visua virtus nostra læditur: ita si naturalia transeunt, multò magis voluntaria. Quadraginta diebus animæ sanitatem assignas, fortè verò neque quadraginta diebus, & deum habere propitium expectas. Ludisne, quæso? Hæc dico non vno, & annuo vos prohibens accessu, sed vos semper ad sancta volens accedere: propter hoc & diæconus acclamat tunc sanctos vocans, & per hanc vocem omnium taxans maculas. Sicut enim in grege, vbi multæ quidem sunt oues sanæ, multæ vero lepra squalidæ, opus est has à valentibus arceri: itidem & in ecclesia, quoniam & hæc quidem oues sanæ sunt, hæc vero morbidæ, per hanc excitat vocem, & has ab illis diuidit, passim circumiens sacerdos per illum clamorem nimis horrendum, & omnes vocans sanctos, & trahens. Quoniam enim homo proximi res scire nō potest (quis enim, inquit, hominum scit, quæ sunt in homine, nisi spiritus hominis qui est in eo?) hanc vocem emittit, postquam consummatum est omne sacrificium, ut nemo temerè, & à casu ad spiritualem veniat fontem. Etenim in grege (nihil eadem rursus vti similitudine prohibet) morbidas quidem intus claudimus, & in tenebris detinemus, & alia pascimus esca, nec aëris puri, nec herbæ synceræ, nec exterioris finentes fontis participes esse: & hic igitur hæc vox pro quodam est vinculo. Non potes dicere: Nesciebam, ignorabam, quod esset in re periculum. Igitur manifestè quidem Paulus hoc testatus est. Sed dices, Nesciui: hoc non est purgatio, sed potius accusatio. Per singulos dies ecclesiam ingrederis, & adhuc hoc ignoras? Tamen ne vel hoc præendas, propterea sublimis constitutus, magna voce, terribili clamore, quasi quidam præco, manum in altitudinem tollens, stans erectus, omnibus apparens, & magnum in illa tremenda quiete exclamans, hos quidem vocat, hos autem arceat, non hoc manu faciens, sed per linguam quam per manum efficacius. Illa nanque vox in aures incidens nostras, tanquam manus, hos quidem pellit & eiicit, hos autem introducit & assistit. Dic mihi quæso, in Olympiis certaminibus, nonne adstat præco magnum clamans, & altum: num aliquis hunc accusat dicens: num fur est, & seruus? num prauorum est morum? cum tamen illa certamina non animæ sint, neque bonorum morum, sed roboris & corporis. Si igitur, vbi corporum est exercitatio, multa sit volūtatis inquisitio: multo magis, vbi totū anima decertat. Stat igitur apud nos & nunc præco, non capite quenque tenens & producens, sed omnes pariter interiori detinens capite. Non apponit illis alios accusatores, sed ipsis semetipsos. Non enim dicit, Nunquid aliquis hunc accusat? sed quid? si quis seipsum accusat. Cum enim dixerit, Sancta sanctorum, hoc dicit: si quis non sanctus non accedat: non simpliciter dicit, à peccatis purus, sed sanctus. Non peccatorum tantum liberatio, verum & spiritus præsentia sanctum facit, & bonorum operum diuitiæ. Nolo vos tantum, inquit, à cœno vos esse liberatos, verum & candidos ac splendidos. Nam si rex Babylonius ex captiuitate diligens adulescentes pulchros specie, & decoros aspectu sumpsit: multo magis & nos sanctæ mensæ assistentes regis, specie pulchros esse decet, aureum animæ mundum habentes, vestem puram, calceamenta regia, decorum animæ cultum, aureum ipsius ornatum, esse indutos cingulum veritatis:

lum veritatis: talis accedat, & regios tangat calices. Si quis vero pannis indutus; fordidus; squalens regalem velit mensam petere, videat quanta patietur, nō valentibus quadraginta diebus in omni tempore patrata abluere. Nam si gehenna non sufficit, curti sit sempiterna: multo minus hoc breue tempus. Nec enim validam exhibemus penitentiam, sed infirmam. Eunuchos præfertim regi decet assistere, eunuchos dico mente, candidos, nullam habentes maculam, mente sublimes, hilarem habentes animæ oculum, & acute videntem, volubilem & velocem: non autem somnolentum, non stupidum, multa plenum libertate, ab impudentia remotum & procacia, vigilantem, sanum, nec austerum nimis & tristem, neque diffusum & lubricum. Hunc nos possemus oculum efficere & acutum, & honestum reddere. Cum enim eum ad fumum non agamus, nec ad puluerem (tales enim sunt omnes humanæ res) sed ad tenuem auram, ad leuem aërem, ad sublimia & alta, & multa plena quietis & mundiciæ, & multæ iucunditatis, statim eum reparabim⁹ & corroborabimus, tali nos oblectantes spectaculo. Vidisti præstantiam, & diuitias multas, ne deducas illuc oculum. Lutum id est, est fumus, vapor viciosus, caligo & anxietas multa, & curæ suffocatio. Vidisti hominem iusticiam exercentem, suis contentum, & multam habentem remissionis latitudinem, nihil curantem, nihil de præsentibus satagentem, temetipsum illic statue, & modifica, & longe melior fies & clarior: non terre, sed virtutum epulans floribus, modestia, humanitate, & omnibus aliis. Nihil enim oculum ita perturbat, sicut mala conscientia. Turbatus est, inquit, à furore oculus meus: nihil tantum obtenebrat: ab hoc te libera supplicio, lætum & fortem semper bonis epulantem expectationibus. Detur autem ut nos omnes & hanc, & alias animæ constituamus actiones, quales vult Christus, ut facti superposito nobis capite digni, quò vult, migrem⁹. Ait enim: Volo vbi ego sum, ut & illi sint mecum, ut gloriam meam videant: quam utinam omnes assequamur in Christo Iesu domino nostro, cum quo patri, simul & sancto spiritui gloria imperium & honor, nunc & semper, &c.

psal. 6.

ioan. 17.

Quod vtilis sint moderatæ tentationes ad omnes: deo seruens tribulationem expectare debet.

Homilia LXII.



CVT corpus tritum laboribus, & arumnis confectum, amor non vult vacare, non indulgere ventri, sed requiescere & quiete iacere: sic & anima plurimis obsita malis, ad quietem & quietum statum festinat. Quæ vero in remissione stupuit, & tumultuata est & elata: hæc autem nihil habens, quod hiet, quod diffuat: & hæc quidem virilior, illa vero puerilior est: hæc quidem grauior, illa lenior: sicut in aqua multa leue quippiam superueniens concutitur, sic in multam lapsa læticiam anima. Et ex multa voluptate maxima nobis oriri peccata quispiam viderit. Et si vultis, duas domos describamus: hanc quidem nubentium, hanc vero lugentium: mente vtranque ingrediamur, videamus vtra melior. Inuenietur enim lugubris, sapientiæ plena, nuptialis autem plena confusionis. Nam vide turpia verba, incompósitos risus, incompósito locutiones, & vestis, & incessus deformitate plenus. Verba multæ fatuitatis, & stulticiæ plena, & aliud omnino nihil, risus omnia, & derisio, quæ sunt illic: non nuptias dico, absit, sed quæ sunt in nuptiis: tunc natura debacchatur, bruta pro homi-

nibus sunt præsentis: hi quidem, ut equi hinniunt, hi autem, ut asini, calcitrant: Multa effusio, nihil studiosum, generosum nihil. Diaboli pompa, cymbala & tibia, & cantica fornicationis & adulterij plena. At non ita illic, vbi luctus, omnia composita, multa requies, silentium multum, correctio multa, inordinatum nihil, nihil incompósito: si quis aliquid locutus fuerit, omnia sunt verba philosophiæ plena. Et id quidem mirabile, quod per illud tempus non modo viri, verum & familia & mulieres sapienter agunt: talis enim est luctus natura, & videntur quidem lugentem consolari, plurima vero totius philosophiæ plena loquuntur. Orationes statam, ut hætenus sistant, & viri graues laborantem consolantes, & enumerationes talia lugentium innumeræ. Quid enim est homo? Nostræ examinatio natura. Quid igitur est homo? Vitæ vilitatis ipsius accusatio, futurarum rerum expectatio, commemoratio iudicij. Quisque domum redit, à nuptiis quidem mœstus: quoniam ipse non est in prosperis: à luctu vero remissus, quoniam non ipse talia passus est, & omnem extinxit æstus. Sed quid vis? Vis carceres & theatra perquiramus: ille quidem tribulationis, hic autè voluptatis locus est. Indagemus iterum. Illic philosophiæ multum: vbi nanque tristitia profus & ibi philosophia. Qui antea diues erat & multum tumidus, post luctum quemlibet se sustinebit alloquentem: postquam timor & tristitia, quasi quidam acrior ignis & ipsius inciderit animam, & duriciam emollierit, tunc humilis fit, tunc exorabilior, tunc mundanam sentit mutationem, tunc ad omnia patiens erit. In theatro autem omnia temporaria, risus, ineptitudo, diabolicus fastus, effusio, temporis impendium, & superflua dierum consumptio, male cupiditatis inductio, adulterij meditatio, fornicationis gymnasium, intemperatiæ schola, turpitudinis exhortatio, risus materia, inhonestatis exempla. At in carcere non ita, sed illic humilitas, supplicatio, philosophiæ profectus, secularium contemptus, omnia conculcata sunt & contempta: & tanquam infanti pædagogus adest timor, ad omnia congrua dirigens eum. Vis autem & alia rursus loca scrutemur? Te vellem occurrere homini de theatro redeunti, & alteri de carcere egresso: videres vtique illius animam pauidam, tumultuantem, & vere ligatam: huius autem liberatam solutam & penatam. Nam ille quidem ex theatro recedit mulierum, quæ sunt illic, aspectibus ligatus, vincula ferens omni chalybe grauiora, loca scilicet illa, verba & formas: hic autè è custodia penitus remissus, non vltra se quid graue passurum putabit, alienis sua comparans, quod non est adhuc compeditus, gratias habebit: iam res humanas despiciet, cum multos ibi diuites in ærumnis viderit, qui multa magnaque poterant, & tamè ibi victos: etiam si quid iniuste patiat, & in hoc patiens erit: nam & huius multa sunt illic exempla: in futuri veniet iudicij recordationem, & eius typos hic cernens perhorrescet: quasi nanque sit hic in carcere conclusus, sic erit & illic, & ante futuri diem iudicij in vxorem, in filios, in seruos humanior. At ex theatro non ita, sed iniucundius vxorem viderit, & in familiares erit difficilis, in filios exacerbabitur, efferabitur in omnes. Magna ciuitatibus mala ferunt theatra magna, nec hoc videmus quod magna. Vultis & alia risus loca perlustrem, conuiuia dico, vbi parasiti & assentatores, & multæ delicia: & loca rursus, vbi claudi & debiles: igitur illic quidem ebrietas & delicia: & effusio: hic autem contrariū. Vide & in corpore, cum æstuat, cum bene se habet, celerrimam habet in ægritudinem

Exod. 19.

psal. 117.

nem ruinam: cum autem pressum fuerit, non ita. Manifestiorem itaque vobis reddam sermonem. Sit corpus multum habens sanguinis, & carnes multas, & vigen. hoc ex quacunq[ue] mutatione febrem parere poterit, si simpliciter orietur: si autem aliud cum fame potius pugnans & afflictione, hoc est captu difficile, & ad infirmitatem inexpugnabile. Sanguis enim licet in nobis sit sanus, multitudine frequenter morbum inducit: si vero sit modicus, licet non sanus, facilius curari potest. Talis enim est iuxta superbiam, & voluptatem, & inanem gloriam, & inuidiam, & insidias, & sycophantias. Ecce quanta ciuitas est hæc magna nobis, Vnde nascuntur mala: nonne à diuitibus? nonne à gaudentibus? Qui in iudicia trahunt, qui facultates distrabunt: ærumnosi & abiecti, aut multum inflati, & gaudentes? Non est animæ contritæ quicquam mali facere: ipsius lucrum Paulus nouit, propterea dicit: Tribulatio patientiam operatur, patientia vero probationem, probatio spem, spes autem non cōfundit. Ne cadamus igitur in tribulationibus, sed in omnibus agamus gratias, vt aliquid magni lucremur, vt apud deum inueniamur probabiles, qui tribulationes permittit. Magnum est bonum tribulatio, & hoc ex nostris discimus filiis. Nam absque tribulatione nihil vile discerent, nos autem plus illis afflictionis indigemus. Si enim illic passionibus quiescentibus illos muniant, multo magis nos, & præsertim tantis detentos: sed nos potius pædagogos oportebit habere. A puerulis enim nunquam magna cōmittuntur peccata, à nobis vero magna nimis: pædagogus autem noster tribulatio. Nec hanc itaque alliciamus, & præsentem semper generose feramus, cum sit infinitorum causa bonorum, vt & dei fauorem assequamur. Etenim certamen est vita præsens: est igitur opus pugnare, bellum est & pugna. In bello remissionem querit nemo, nemo delicias, nemo pecuniarum curam gerit, nemo de vxore sollicitus est: sed vnum duntaxat intuetur, quo modo superet inimicos: hoc & nos curemus. Si vicerimus, & cum victoria redierimus, nobis deus omnia conferet. Hoc nobis queratur, quo modo diabolum superemus: quinimmo nō nostri studij opus est, sed dei gratiæ totum. Vnum nobis curetur, vt eius gratiam assequamur, vt munimētum illud ad nos trahamus: Si deus pro nobis, quis contra nos? Vnum id elaboremus, ne nobis fiat inimicus, ne nobis aduersetur. Non tribulari malum est, sed malum est peccare: graues deliciae sunt ex hoc, etiam si viuamus in deliciis: non in futura dico vita, verum & in presenti. Nam quo modo putatis vestrā morderi conscientiam: quo non esse peiorē tormento? Vellem in malis viuentes diligenter interrogare, nunquam ne veniant in suorum memoriā peccatorum: nunquid tremant, nunquid formident, nunquid doleant, nunquid beatos vocent in ieiunio positos, in montibus, in virtute multa? Vis illic remissionē inuenire, hic propter Christū tribulare, huic remissioni par nihil. Gaudebant apostoli cum flagellarentur. Paulus hoc admonet, dicens: Gaudete in domino. Et quo modo gaudere licet, vbi sunt vincula, vbi tormenta, vbi iudicia? Hic maxime gaudere licet. Quo modo vero licet, vbi non hæc? Qui nanq[ue] sibi nullius magnæ rei cōsciens est, quo modo delectabitur? Itaq[ue] quanto maiorē dixeris tribulationē, tanto maiorē dicis voluptatē. Qui mille vulnera miles excepit, nonne cum magna reuertetur læticia, libertatis habens claritatem, & gloriæ materiam vulnera? Et tu si poteris, erumpe vocem illam, quam Paulus, Stigmata

Roman. 5.

A Iesu porto: magnus & illustris, atque probabilis fieri poteris. At non est persecutio? Sta aduersus gloriam: & si quid aliquis contrarium dixerit, ne timeas male propter Christum audire. Sta contra superbiam tyrannidem, sta contra pugnam iræ, contra concupiscentiæ tormentum, & hæc stigmata sunt, & hæc tormenta. Dic enim mihi, quid tormentis grauius? nonne cum anima dolet & vritur? Nam illic quidem corpus fecatur: hic autem totum est ipsius anima. Circa ipsam est dolor, cum irascitur, cum inuidet, cum aliquid huiusmodi facit, vel potius patitur. Non enim hoc est facere, sed pati, irasci, inuidere: propterea & animæ passiones appellantur, & vulnera, & cicatrices. Vere enim passio est, & passio grauior. Cogitate qui irascimini, quoniam has facitis passiones. Ergo non irascentes, neque patiuntur. Vides quod cui fit contumelia, non patitur: sed qui contumeliam facit, sicuti iam dixi. Quod enim patitur, patet quidem & ex hoc, quod passio vocatur: manifestatur autē & ex corpore. Hæc namque agritudines ex ira nascuntur, visus hebetudo, consternatio, & huiusmodi mille. Sed filium, inquit, affecit contumelia, sed agricolam. Ne imbecillitatem esse putes, quod & ipse non hoc facias. Dic enim mihi, hocne bene factum est? Non, inquit. Ergo ne facias quod non bene fit. Scio quales in talibus iri pariuntur. Quid igitur, inquit, si contemnat? Argue, increpa, hortare. Mansuetudine soluitur ira, accedens acula. Nam pro his quidem quæ in nos geruntur, non opus est hoc facere, pro aliis autem hoc facere necessarium est. Ne propriam putes contumeliam, si filius sit affectus contumelia: licet pro eo doleas, non tanquam ipse passus contumeliam. Non enim quoniam filius male passus est, tu contumelia es affectus, sed qui male dicit. Extingue gladium acutum, in theca reponatur: si nudum eum habeamus, frequenter & cum nō sit tempus, vtemur, ab ipso perimus. Si vero celatus sit, si etiā opus fuerit, dū querimus tegere, extinguetur ira. Pro se Christus non vult irasci: audi namque quid dicat ad Petrum, Mitte gladium tuum in vaginam: & tu pro filio irasceris? Doce filium quoque philosophari. Dic tu quoque tuas ipsi molestias, tuum imitare præceptorem. Cum & discipuli contumelias essent passuri, non dixit vlciscari: verum & hæc mihi fecerunt, inquit, ferte generose: non enim vos meliores. Hæc & tu dic ad filium & puerum. Non es domino tuo melior. Sed nugæ videntur esse verba philosophiæ. Heu mihi, quod non ita verbis afferere licet, sicut ipsa potest experientia doceri. Et vt discas, considera. si in medio duorum statutus pugnantium, sis partis iniuriam patientium, non autem inferentium, nisi victoriam apud te videris, nisi præclaras reportes coronas. Vide quo modo Christus afficitur contumelia, & quo modo respondet, quam mansuete. Vbi est, inquit, Abel frater tuus? Et quid ait ille: Nunquid custos ego sum fratris mei? Quid hoc insolentius, si etiam à fratre quis hæc audiat? Nam si à fratre, nonne contumeliam id existimasset? Quid igitur? Vide quo modo rursum mansuetè deus respondet: Vox sanguinis fratris tui, inquit, clamat ad me. At deus, inquit, est ira superior. Sed propterea dei filius descendit, vt te deum faciat, quantum humana capit virtus. At non possum, inquit, cū homo sim. Eia ergo tibi homines producamus, neque me Paulum credas dicturum, neque Petrum, sed quosdam de minoribus, & iōge inferioribus. Heli Ananiam derisit dicens: Digere vinum tuum. Quid hoc contumeliosus? Quid hæc igitur dixit mulier? In aspera die ego sum. Nihil verè tribulationi par, philosophiæ mater est.

344

Gen. 4.

Rom. 1.

Luc. 7.

345 OB AMOREM CHRISTI, FERENDAM ESSE AFFLICTIONEM. 346
ter est. Eadem autē hæc & suam habens æmulā, non est autem contumelia persecuta. Sed quid ad deum cōfugit. Et orans nec eius meminit, neq[ue] dicit: quoniā illa mihi impropere, defende me: tam sapiens erat mulier: erubescamus viri. Et quidem scitis, quod zelo nihil comparatur. Publicanus à pharisæo contumeliā passus, contumeliam non reddidit: licet si voluisset, vtique potuisset, sed æquè tulit dicens: Propicius esto mihi peccatori. Miphiboseth à seruo accusatus, & passus calumniā, nihil dixit, aut fecit in eum mali, neq[ue] coram rege suo. Vis & meretricis audire sapientiā? Audi Christum dicentem, cum pedes ipsius capillis extersit: Publicani & meretrices præcedent vos in regno. Vidisti eam stantem & confidentem, & propria abludentē peccata? Vide quo modo Phariseo non est irata, cum impropere retur: ait enim: Si sciret, quia peccatrix est hæc mulier, nō eam dimisisset. Nec ad eum dixit: Quid enim quæso, tu mundus es à peccatis? sed plus patiebatur, plus gemebat, feruidiores effundebat lachrymas. Si vero mulieres & meretrices & publicani philosophantur, & hoc ante gratiam: qua sumus digni venia, qui post tantam gratiam efficiamur bestiis feriores, mordentes & calcitrantes: Nihil ira turpius, nihil ignobilius, grauius nihil, nihil inuicundius, damnosius nihil. Hæc dico, vt non tantum erga viros mites simus, verum & vt, licet vxor sit loquax, sufferas, sit tibi coniunx palastra & gymnasium. Quo modo nanque non absurdum gymnasia quidem admitti nullum habetia lucrum vbi corpus atterimus, domi verò gymnasia nō facere, coronam & ante certamina nobis præsentia? Contumeliam facit vxor: ne sit vxor tibi. Est enim muliebri contumeliam facere, morbus est animæ, defectus est. Ne rem indignam esse credas, cum vxor contumeliam infert. Indignum cum tu quidem contumeliam facias, ipsa verò sapienter ferat, tunc dehonestaris, tunc verè contumelia es affectus: si verò passus æquè feras, fortitudinis tuæ magnum est argumentum. Non ad contumelias mulieres inducens, hæc dico, absit, sed si quando contigerit per satanicam circunventionem, virorum est fortium ferre imbecilles: etiam si seruus contradixerit, tu philosophare. Ne quod ille dignus est audire, dixeris aut feceris: sed quod te decet tam facere, quam dicere. Nunquam contumelia puellam afficiens, turpe verbum emittas, nunquam seruum appelles sceleratum: non enim ille, sed tu contumelia fueris affectus. Non potest iratus in seipso manere, sicut in fluctus surgens mare: ita commiscetur omnia, & tanquam fons purus immisso turbatur cœno, & superiora fiunt inferiora. Siue percusseris, siue tunicam diffrigeris, tu maius damnum sustinuiisti. Illi nanque circa corpus & vestē hæret vulnus, tibi vero circa animam. Illam dissecuisti, illam vulnerasti. Deiecasti deorsum ab equis aurigam, trahi supinum fecisti, & est idem, ac si alteri succedens auriga trahi mallet. Siue increpes, siue commoneas, siue quicquid facias, absque ira fiat & furore. Si enim increpans medicus patiens est, quo modo poterit alium curare, qui se prius afflixit, semetipsum non sanans? Si quis medicus alterum curaturus accederet, prius habens suā manum vulneratam, ita quæso curationem obibit? absit. Similiter & tu, siue increpes, siue commoneas, pura videant oculi tui, ne mentem conturbes: alioqui quo modo fit curatio? Non potest in eadem esse tranquillitate carens ira & iracundus. Cur præceptorem de sede deturbans, ita humi iacentem alloqueris? Nonne vides iudicantes, qui cum iudicare debent, super throno sedent

Tomus quintus.



In habitu congruo: Itidem & tu animam tuā veste iudiciali exorna: hæc autē est humanitas. At non timebit, inquis: imò magis timebit. Tunc autem, etiā si iusta dicas, furori seruus imputabit: si verò cum mansuetudine, seipsum condemnabit. Quod autē est principale te deus suscipit, & ita poteris aeterna consequi bona, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cum quo patri, simul & spiritui sancto gloria imperium & honor, nunc & semper, & in secula, Amen.

Quod ob amorem Christi omnem oportet afflictionem sufferere, neque rerum mutationes timere debent. Homi. LXIII.

Sicut est, dilectissimi, nunc quidem nox, nunc autem dies: & interdum quidem æstas, interdum autem hyems: sic & in nobis, nunc quidem tristitia, nunc autem voluptas: & nunc quidem agritudo, nunc vero sanitas. Itaq[ue] ne admiremur, cū ægrotamus, alioquin & cū valemus, admirandum esset. Neq[ue] tumultuemur, cū dolemus: alioquin & cum gaudemus, opus esset tumultuari. Omnia nanque secundum naturā fiunt, & secundum consequentiā: & quid admiraris, si hæc in te? Nam & sanctis illis hoc accidisse quispiam viderit. Et vt hoc discas, eia quam maxime voluptatis plenam esse vitam existimas, & à molestiis absolutam, hanc in medium agamus. Vis Abraham vitam ab exordiis inquiramus? quid igitur hic statim audiuit? Exi de terra tua, & de cognatione tua. Vides rem molestam imperari, verum & lætam vide subsequenter: Et veni in terrā, quam monstrauero tibi, & faciā te in gentē magnam. Quid ergo, postquam venit in terram, & portum attingit, infesta deserunt? Nequaquam, sed & rursum alia prioribus grauiora sunt subsecuta, fames & peregrinatio, vxorisq[ue] rapina, & post hæc alia bona successerunt ei: Pharaonis plaga & dimissio, honor, & illa multa dona, & ad priora reditus, & omnia sequentia talem habent seriem ex lætis & tristibus textam. Et apostolis similia contigerunt, propter quod & Paulus dicebat, Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, vt & nos possimus consolari positos in omni tribulatione. Quid igitur, inquit, ad me semper in tristitiis constitutum? Ne sis ingratus, & gratiæ immemor. Nec enim quis potest esse semper in molestiis, nec enim natura sufficit. Sed quoniam in læticia semper esse volumus, propterea nos in tristitiis semper esse putamus, neque propter hoc tantum, verum quoniam lætorum quidem & bonorum statim obliuiscimur, tristitium autem semper recordamur. Idcirco nos semper in tristitiis dicimus. Nec enim fieri potest, vt homo sit semper in ærumnis: & si vultis, & vitam in deliciis positam indagemus, mollem & disfluentem, & grauem & onerosam & flebilem. Et hanc enim ostendemus vobis tristitias habentem, illam vero remissiones, sed ne tumultuemini. Proponatur autem in medium homo captiuus, & alius iuuenis orphanus magnus succedens hereditati. Proponatur autem & quidam mercenarius per totam laborans diem, & alter deliciis continuè vacans. Vis illius, qui deliciis affluit, molestias prius commemorare? Cogita quo modo par est ipsius mentem vexari, cum gloriam se supergradientem appetat, cum à seruis contemnatur, cū à minoribus contumeliā habeatur, cum innumeros patiatur opulentiam suam accusantes pariter & calumniantes, & alia quæcunque in diuitiis accidere credendū est. Neque dicere licet, inimicicias, offensiones, accusationes, iacturas inuiditium insidias: qui postquam ipsius diuitias ad se transfere

Gen. 12.

2. Cor. 1.

ferre non potuerint, detrahunt, vndique laniant adolescentem, innumeras ei tempestates concitant. Vis & huius mercenarij voluptatem recensam? Ab his omnibus est absolutus: quod si quis eum affecerit contumelia, non dolet: se nanque maiorem putat nemine: non pro pecuniis timet, cum voluptate māducat, cum multa dormit læticia. Non ita delectantur vinum bibentes Thasium, sicut ille petens fontes, at illius nequam talia. Si verò dicta tibi non sufficiunt, vt maiorem faciam, eia regem & captiuum comparemus, & videbis hunc quidem in voluptate frequenter versantem, ridentem & ludentem atq; saltantē: illum autem in diademate & purpura, mœstum, timentem, & innumeris pressum sollicitudinibus, & præ timore mortuum. Nullius enim vita sine tristitia prorsus inueniri potest, sed neque voluptatis expertis, neque enim nostra sufficisset natura, sicut prædixi. Si verò hic quidem magis gaudet, hic autem amplius dolet: hoc euenit ex ipso dolente, cum pusilli sit animi, non ex ipsa negociorum qualitate. Nam si iugiter gaudere velimus, multas habemus occasiones. Nam si virtutem arripuerimus, nil iam erit, quod nos contristet: hæc enim se possidentibus bonas præterdit expectationes: & deo gratos & apud homines redditi probabiles, & ineffabilem affert voluptatem. Licet enim in obeūdo virtus laboris aliquid habeat, multa tamen conscientiam implet delectatione: & tantā intrinsecus affert voluptatem, quantā sermo nullus exprimere posset. Quid enim tibi de presentibus iucundum esse videtur: nonne lauta mensa, & corporis sanitas, & gloria ac diuitiæ? Sed hæc suauia, si illi cōpares voluptati, sunt omnibus amariora ad eā collata. Nihil enim bona suauius conscientia, & bona spe. Et si vultis hoc discere, hinc migraturum interrogemus, vel senio confectum, & commonefacientes eum lautā mensā, qua quondam oblectabatur, & honoris & gloriæ & bonorum operum, quæ vnquam fecit: rogemus, in quibus magis exultat. Et in illis quidem videbimus erubescantem & se celantem: in his verò gestientem & exultantem. Sic & Ezechias, cum agrotauit, non gloriæ, non regni, non opiparæ meminit mensæ, sed iusticiæ: ait enim, Memento domine, quo modo ambulauerim in conspectu tuo, in via recta. Vide & Paulum ex his exultantem & dicentem, Bonum certamen certavi, cursum consummaui, fidem seruauit. At inquis, Quid hic habebat, quod diceret? Multa & plura quam diuites: & honores, quibus honoratus fuit: & ministerium, quo potitus est, & multum obsequium. An non audis ipsum dicentem: Tanquam angelum dei suscepistis me, tanquam Christum Iesum: & Si posset fieri, oculos vestros eruentes, dedissetis mihi: & quod pro anima ipsius ceruicem supposuerunt? Sed nihil eorum in medium agit, sed ipsos labores & pericula, & pro his coronas, & valde quidem iuste. Hic enim ista relinquuntur, illa verò nobiscum migrant. Et istorum quidem rationem dabimus: horum autem præmia repetemus. Non nostis in nouissima die, quo modo peccata animam conuoluunt? qualiter ab imo cor mouent? Tunc itaque cum ista fiunt, bonorum assistentes operum memoria, tanquam in tempestate serenitas animam consolatur tumultuantem, Si nanque vigilemus, & viuētibus nobis hic semper motus aderit: sed quoniam sensu carere videmur, cum hinc eiiciemur, adstabit omnino: si quidem & reus tunc maximè dolet, cum ipsum ad tribunal eduxerint: tunc maximè contremiscit, cum tribunali vicinus est, cum sit opus

Esa. 38.
2. Timo. 4.

Gala. 4.

pœnas dare. Propterea nanque multorum timores tūc audire licet narrantium, & aspectus terribiles: quorum spectaculum non amplius ferentes qui moriuntur, lectum ipsum multa cum perturbatione concutiunt iacentes, & præsentis toruū aspiciunt, anima se intro compellente, & corpus erumpere differente, nec angelorum venientium præsentiam ferente. Nam si tremendos homines nos videntes expauescimus: angelos minaces, & potestates sæuas accedentes cum videbimus, quid non patiemur, cum anima de corpore nobis extrahetur, & vi rapietur, & multum incassum & frustra lamentabitur? Nam & diues ille postquā hinc migravit, multum desuauit, sed nihil profecit. Propterea suadeo, omnia faciamus, ne à tanta decidamus gloria, futura scilicet. Nihil enim difficile, si velimus: nihil graue, si attendamus, Nam si patimur, & conregnabimus. Quid est, patimur? si tribulationes ferimus & persecutiones, si viam ambulemus angustam. Nam angusta quidem à natura est laboriosa, voluntate verò nostra leuior efficitur, propter spem futurorum. Momentaneum enim & leue tribulationis per excellentiam in excellentiam æternam pondus gloriæ operatur: non considerantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Transferamus igitur oculos in cœlum, & illud cogitemus semper, & spectemus. Si enim in illis semper immoremur, nihil circa quæ sunt hic iucunda, patiemur, non tristitia, agrè feremus. Verum & hæc & similia deridebimus, & nos aut extollere, aut mancipare nihil poterit, si modò desiderium illuc intendamus, si respiciamus ad illam charitatem. Et quid dico? non dolebimus malis præsentibus: nec enim iam ea cernere videbimur, tale quid enim est amor. Certè nobis non præsentis, sed absentes, ac desideratos per dies singulos cogitamus. Magna nanque vis est charitatis, ab omnibus separat, & amato animam alligat. Si Christum ita dilexerimus, omnia præsentia vmbra, omnia imago videbuntur & somnium: dicemus & nos, Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio an angustia? Non dixit, pecunia, an diuitia, an ornatus: hæc enim valde vilia & deridenda: sed quæ videntur esse grauiā posuit, Fames, persecutiones, mortes: & ille quidem & hæc, tanquam nihil essent, contempsit: nos autem propter pecunias à vita nostra separamur, & à lumine abscindimur. Et Paulus quidem non mortem, non vitam, non præsentia, non futura, non aliam creaturam, eius charitati præponit: nos autem si modicum auri viderimus, accendimur, & ipsius pessundamus leges. Si verò non hæc cum dicuntur, tolerabilia, multo magis cum fiunt. Hoc enim est graue quod audientes quidem horrescimus, facientes autem non horremus: quin & iuramus leuiter, & peieramus, & rapimus, & exigimus vsuras, & nullam molestiæ gerimus curam, & à diligentissima recedimus oratione, & mandatorum plura præuaricamur: & propter pecunias nullam nostrorum agimus membrorum rationē. Qui nāque pecunias diligit, & innumera proximo mala patrabit, & sibi pariter cum illo. Nam & facile irascetur, & conuiciabitur, vocabit stultum, & iurabit ac peierabit, & nec antiquæ legis seruabit mensuras: non enim diligit proximum, qui diligit aurum, cum nos & inimicos diligere propter regnum iubeamur. Nam si prisca obeuntes præcepta ad cœlorum regna peruenire nō poterimus, nisi superabundet iusticia nostra magis quam illorum: & illa præuaricantes, quam assequemur excusationem: Qui pecunias amat, nō tantum

inimi-

inimicos non diligit, verum & amicis tanquam inimicis vtetur. Et quid amicos dico? Nam & frequenter ipsam ignorauere naturam, qui pecuniarū amore sunt capti. Talis confanguinitatē non nouit, familiaritatis non reminiscitur, non reueretur ætatem, amicum habet neminem: sed in omnes se geret inimice, ante omnes alios in semetipsum, nō eō tantum quod animam suam perimat, verū & innumeris semetipsum affligat solitudinibus laboribus & tristitiis. Nam & peregrinationes, & inimicicias, & pericula & insidias, & quodlibet sustinebit, tantum vt omnium malorum penes se radicem habeat, & multum auri cōnumeret. Quid igitur hac peste grauius esse possit? Nam & deliciis, & omni voluptate, propter quam multa peccant homines, & gloria & honore caret. Qui nanque pecunias diligit, innumeros habet suspectos & multos accusatores, inuidos, & calumniatores & insidiantes. Qui nanque patiuntur iniuriam, oderunt tanquam male habitū: nondum vero passī, timentes ne patiantur, & passis condolentes idem indicunt bellum. Maiores autem & potentiores dolentes, & ægreferentes pro humilioribus, insuper & iniuentes, similitur inimici sunt, & oderunt. Et quid homines dico, cum & deū aliquis habeat hostem? Quæ iam huic spes supererit, quæ consolatio, quæ refrigeratio? Qui pecunias diligit, nunquam eis vti poterit, sed seruus erit & custos, nō dominus semper: plures enim efficere studens nequaquam impendere vult: semetipsum autem cruciabit & omnium pauperū parcissime viuet, nullum faciens cupiditatis terminū: cum pecuniæ sint, non vt custodiamus, sed vt vtamur. Si vero defodere debeamus aliis, quid nobis possit esse miserius, qui circumcurramus, aliena comprehendere quærentes, vt intus includamus, & communem præcidamus vsu? Est autem & alia pestis hac non inferior. Nam hi quidem in terram infodiunt, hi autem in ventrem & voluptatem & ebrietatē cum iniuria, & ex intemperantia pœnam sibi ferentes: & hi quidem parasitis & assentatoribus, hi vero aleis & meretricibus, & aliis huiusmodi suppeditant impensas: innumeras sibi secantes vias ad gehennam ferentes, rectam & sanctā deserentes in cœlum ducentem: cum non modo lucrum, sed etiam voluptatem dictis maiorem habeat. Nam qui meretricibus erogat, ridendus erit & turpis, & multa feret bella, & modicam voluptatem, imò vero neque modicam: quotquot enim fornicantibus dederit mulieribus, ei nullam habebunt gratiam. Dolium enim perforatum est aliena domus: alioquin autem impudens est huiusmodi genus, & inferno similem esse ipsius amorem Salomon comparans dixit. Et tunc tantū desistit, cum omnibus nudatum amatorem esse viderit: quinimò neque tunc cohibetur, sed magis furatur, & insultat iacenti, & multum in eum cōmouet risum: & tantis eum malis afficit, quanta neque sermone possunt recenseri. Sed saluatorū nō est talis voluptas: nec enim hic riualet quispiam habet, sed omnes gaudent & exultant & prospere agentes & intuentes. Non furor, non mœsticia, non dedecus & opprobrium huius animam obsidet: sed multa quidem conscientia læticia, multa vero spes futurorum: porro præclara gloria, & claritas multa, & quod est omnium maximum, dei beneuolentia & protectio, & nullum præcipitium, aut suspicio: sed quietus portus atque tranquillitas. Hæc igitur omnia cogitantes, & voluptati voluptatem comparantes, eligamus meliora: vt & futuris fruamur bonis, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, Tomus quintus.

cum quo patri gloria, simul & sancto spiritui, in secula seculorum, Amen.

Quod maximum est lucrum in tribulationibus gratiarum actio, Homilia LXIIII.



ihil tam præclarum, dilectissimi, ad gloriæ rationem & fiducia, quàm à deo diligi, & ipsum diligentem tanquam deum diligere. Hoc angelos splendidos facit, hoc principa-

lus & potestates, hoc reges maiores: propterea & Paulus hoc ante regnum posuit: propterea & incorporeas virtutes beatas existimo, quod eū diligunt, & in omnibus parent. Hinc & Propheta eas admirabatur dicens, Potentes virtute facientes verbum eius. Hinc & Seraphin Esaias prædicabat, magnam eorū virtutē ostendens, & ex eo quod stent apud gloriam illā: quod maximæ charitatis est signum. Imitemur & nos itaque supernas virtutes: neque tantū iuxta thronum stare studeamus, verum & inhabitantē eum habere in throno sedentem. Nam ille quidem & exosos dilexit, & diligens perseuerat. Nam & solem oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Tu vero diligentē ama: diligit enim. Et quo modo diligens, inquit, gelē nam & pœnam & vltionē minatus est? Propterea diligit: etenim tuam mutilans vltionem, & tanquā fræno quodā timore in peiora cohens impetum, omnia facit & tractat, tam per suauia, quā per tristitia ab vltiori ad inferiora decursu te reprimens, & ad se reducens, & ab omni soluens malicia, quæ gehenna peior est. Si vero rides dicta, & multo potius in nequicia viuere vis, quā solo die puniri, nihil mirandum. Nam & hoc est sententiæ tuæ vilis indicium, ebrietatis & insanabilis morbi. Quonā & infantes parui cū medicū viderint, ignē vel sectionem inferentē, fugiunt, & vlulantes resiliunt & plangentes: & malunt cōtinua corporis tabe consumi, quā temporale sustinentes dolorē futura sanitate potiri. Mentem autē habentes, norunt quod agrotare quàm secari grauius est: sicut & malum esse peius est quàm puniri. Nam curari quidem est & conualescere: perire vero, & in continua esse ægitudine. Quod autem sanitas infirmitate melior est, cuique manifestum: quoniam & latrones non quādo & latera fodiantur, lugere dignū est, sed cum parietes perfodiunt, & cædem patrant. Nā si corpore melior est anima, sicut certe melior est, hæc pereunte magis dolendum est & conquerendum: si vero non sentiat, & ita magis oportet eum deslere. Nam & lasciuo captos amore magis, quàm grauius febricitantes dignum est miserari: & ebrios amplius, quàm eos qui torquentur. Sed si hæc, inquit, grauiora, quare potius hæc eligimus: quoniam multis hominum, iuxta prouerbum, peiora placent, & hæc eligunt, omittentes meliora: quod & in ferculis videri potest, & in conuersationibus, & in vitæ imitationibus, & voluptatis delectatione, in vxoribus, & in seruis, & agris, & in omnibus aliis fieri. Et licet naturalia præternaturalibus iucundiora sint: attamen multi sunt, qui deridenda, & iniucunda, & pœnam habentia, tanquam iucunda sectantur. At illis, inquit, hæc esse videntur iucunda: sed propter hoc ipsum quidem sunt miseri, quod non voluptuosa, voluptuosa esse putant: sic & peccati pœnam peccato peiorem censent, non est tamen, sed cōtrarium omnino. Si enim esset malum peccantibus castigari, malis mala deus non adiunxisset, nec eos peiores facere voluisset. Qui enim omnia facit, vt extiguatur malicia, non eam auxisset. Non itaque peccati ma-

psal. 102.
Esa. 6.

lum est castigari, sed ita perseverantem non corrigi: sicut egrotum non curari. Nihil enim tam malū, quam mala cupiditas: malam autem cum dico, & deliciarū dico, & intempestivā gloriā, & potentiam, & omnium generaliter ultra necessitatem rerum cupidinem. Talis enim lubricam & dissolutam vivens vitam, omnibus quidem beatorum esse videtur: omnium tamen est miserimus, suā superinducens animā graues dominos & tyrannos. Propterea deus presentem vitam nobis fecit laboriosam, ut ab illa nos absoluat seruitute, & ad puram libertatem perducatur. Propterea poenam quoque minatus est, & vitā nostrā labores constituit, lasciviam reprimens. Ita quidē & Iudaei dum luto fuerunt & lateritio operi alligati, mites erant, & continue deum vocabant: postquam vero libertate potiti sunt, murmurabant, & deum exacerbauerunt, & se malis infixerunt innumeris. Quid igitur, inquit, de his dices, qui frequenter à tribulatione subuersi sunt? Quod non tribulationis opus subuersio, sed illorū imbecillitatis. Nec enim si quis infirmum habens stomachum, amarā non admittat medicinam ipsū curare valentem, sed potius atteratur, medicinam nos accusabimus, sed mē bri infirmitatem, sicut & hic mētis facilitatem. Etenim à tribulatione subuersus, multo magis hoc à remissione pateretur: nam si ligatus cadit, hoc enim est tribulatio, multo magis lascivē vivens. Et qualiter, inquit, poterō non à tribulatione subverti? Si cogitaueris, quod siue velis, siue nolis, illatum patieris: sed si grate quidem, maxima lucraberis: si vero agrefereus, superbiēs & blasphemans, neque calamitatem ita minorem facies, & maiorem reddes procellam. Hęc itaque cogitantes, quod necessitatis est, hoc nostrā voluntatis esse faciamus. Quale quod dico: Filium aliquis amisit legitimum, alter totam rem: si cogitaueris, quod factum quidem solui nō potest, potest autē ex insanabili calamitate aliquid decerpi, casum generose ferēdo, & pro blasphemis verbis domino benedictionem referendo: ita mala non voluntarie illata, tibi fient liberā merita voluntatis. Vidisti filium ante tempus raptum: dic, Dominus dedit, dominus abstulit. Vidisti diuitias exhaustas: dic, Nudus exiui de ventre matris meae, nudus & illuc revertar. Vidisti malos prosperis videntes, & iustos aduersis laborantes, & innumera patientes mala, nescis autem rerum, quae fuerit, causam inuenire: dic, Ut iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum. Si vero & causam quæris, cogita, quod constituit diem, quo iudicaturus est terrarum orbem, & omnem expelles dubitationem: pro meritis enim tunc quisque recipiet, sicut Lazarus & diues. Reminiscere apostolorum. Nam & cum flagellarentur, pellerentur, & innumera sustinerent tormenta, gaudebant, quod digni fuissent habitū pro nomine Christi contumeliam pati. Igitur & tu si fueris aegritudine correptus, fer generose, & deo gratias age, & eandem cum illis mercedem accipies. Quo modo vero in aegritudine positus & doloribus, deo gratias habere poteris? Si cum legitime diligas. Nam si pueri tres in caminum proiecti, & alij in carceribus, & in alijs innumeris constituti malis, agere gratias non desinebant: multo magis in aegritudinibus positi, grauibus oppressi morbis hoc facere poterunt. Nihil enim est quod non superet amor cum desiderio. Cum autem autem & dei sit desiderium, omnium est altissimum, & neque ignis, neque ferrum, neque paupertas, non infirmitas, nō mors, nec aliud quid huiusmodi graue videbitur talem amorem

Iob 1.

Psal. 72.

possidenti: sed omnia deridens, ad cœlum volabit, & illic morantibus nihilo se geret indignus, aliud intuens nihil, non cœlum, non terram, non mare: sed ad vnam tantum pulchritudinem intentus illius gloriæ: & nec eum presentis vitæ tristitia humiliabunt, nec extollere & inflare suaui poterunt, & voluptatem habentia. Capiamur igitur hoc amore: huic enim par nihil & propter presentia, & propter futura. Quin insuper propter ipsam amoris naturam liberabimur & à presentis vitæ, & à futuri seculi supplicijs, & regno fruimur. Veruntamen neque gehennæ absolutio, neque regni delectatio magnum aliquid est ad id, quod est dicendum. Hoc enim omnium est maximum, Christum amatum, simul & amatorem habere. Si enim hoc in hominibus contingens omni voluptate superius est, cum hæc vtraque circa deum euenerint, quis sermo, quæ mens exprimere poterit huius animæ beatitudinem? Nulla profecto, sed experientia sola. Ut itaque per experientiam discamus hanc spiritualem læticiam, & beatam vitam, & mille bonorum thesaurum, omnia dimittentes illam charitatem retineamus. Hęc igitur audientes, nunquam in tribulationibus abominationem patiamur, neque cogitationes proprias sequentes indignemur: sed multam exhibentes tolerantiam, spe pacemur nostri scientes facilitatem, & quod nos non despiciens, tristitiam experientiam capere permittit, sed nos volens certantes præclaram reportare coronam: sic omnes sancti probabiles apparuerunt: propter hoc & apostoli dicebant, Per multas tribulationes oportet nos in regnum dei introire. Et ipse Christus discipulis dicebat, In mundo tribulationem habebitis. Ne tristemur itaque propter tribulationes: sed Paulum audiamus dicentem, Quod volentes pie vivere in Christo Iesu, persecutionem patietur. Et neque consternemur, aut agere feramus: sed cum omni virtute, ingruentia feramus, non ad tribulationes, sed ad lucrum respicientes hinc nobis proueniens: hæc enim spiritualis mercatura. Et sicut pecunias colligere volentes: & hanc secularem exercentes mercaturam, non aliter propriam rem augere possent, nisi multa terræ, marisque pericula sustinerent: necessarium enim est & latronum insidias, & piratarum incursum sustinere, & prorsus omnia cum magna subeunt promptitudine, propter lucri expectationem, nullum capientes tristitiam sensum: eodem & nos modo diuitias hic nobis confluētes, & spiritualem cogitantes mercaturam, gaudere decet & exultare: nec quæ videntur, sed quæ videri non possunt, considerare: sicut & Paulus monet, dicens, Non considerantibus nobis quæ videntur. Hoc enim fides est, cum corporeis duntaxat oculis non sumus contenti, sed mentis obtutibus inuisibilia cogitamus. Illa namque præsertim his quæ corporeis cernuntur oculis, credibilia censere nos oportet. Ita Patriarcha fuit illustris & gratus, quoniam dei credidit promissioni: & natura factus altior & humanis rationibus: quam ob re & reputatum est ei in iusticiam. Cogita quod est iusticia, his quæ dicuntur à deo credere. Cum ille quid promiserit, ne mihi res secundum humanam exigas consequentiam: sed talibus sublimior cogitationibus, pollicentis virtute confidas. Ita iustorum quisque probabilis fuit: sic & admirabilis Ioseph tot medijs post somnia factis obstaculis, non est cogitatione turbatus, non tumultuatus, sed corroborato sensu generose cuncta ferebat, sciens quod dei decreta cadere non possunt. Quapropter & post seruitutem, & carcerem, & tantam calum-

calumniam, totius Aegypti principatum accepit. Hęc igitur omnia cogitantes, ingruentibus fortiter occurramus, clementiæ diuinæ pro omnibus agētes gratias, & ab eo protectionem expectantes: qua nos omnes frui concedatur, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cum quo patri simul & spiritui sancto gloria, imperium & honor nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Quod deo gratias agere debemus, qui commensurata nobis certamina largitus est, nihil autem graue præcepit. Homi. LXV.



Nihil diabolo scelestius aut peius, dilectissimi: semper enim inutilibus suis inuoluit laboribus & distrahit: neque modo brauia consequi non permittit, sed & supplicij reos facere consuevit. Non tantum prædicationem, verum & ieiuniū, & virginitatem eis lancit, non modo præmijs priuatus, verum & magnum malum ea exercentibus illaturus: de quibus dicitur, Caeteriatam habentium conscientiam suam. Quapropter exhortor, pro omnibus deo gratias agamus, quod nobis & labores releuauit, & auxilium præmia. Quibus enim apud nos modeste nubentes potiuntur mercedibus, apud hæreticos virginitate seruantes non potiuntur, sed fornicantium poenæ facti sunt rei. Totum autem est, eò quod recta nihil faciant intentione, sed in accusatione dei creaturarum, & ineffabilis dei sapientiæ. Ne torpeamus itaque: nobis deus mensurata dedit certamina nullum habētia laborem, ne propter hoc tamen contemnamus. Si enim hæretici se laboribus intendunt inutilibus: quæ nobis erit excusatio, neque minores, & maiorem afferentes mercedem sustinere nolentibus? Quid enim graue, quidve molestum in Christi præceptis? Non potes virginitatem seruare, licet tibi nubere: non potes te tuis omnibus priuare, licet tibi de tuis ministrare. Vestra superabundantia illorum inopiam suppleat. Hęc enim videntur esse grauiora: qualia vero? Pecunias dico contemnere, corporalem vincere concupiscentiam: reliqua vero nullius indigent impensæ, nullius violentiæ. Quæ enim, quæso, violentia non detrahere, neque temere calumniari? Quæ vero violentia non alienis inuidere bonis, vel gloria non capi? Torqueri & ferre, tolerantia sunt: philosophiam exercere, tolerantia: ferre paupertatem, tolerantia: fame impugnari & siti, tolerantia. Cum vero nihil adsit huiusmodi, sed suis liceat videntem, ut Christianum decet, alienis non inuidere, quæ violentia: Inuidia non aliunde, quam ex nimia presentium cura, quinimò omnia mala. Nam si pecunias nihil esse putares, & huius mundi gloriam habentibus non inuideres: sed quoniam eis inhias & admiraris, & attonitus concupiscis, propter hoc & inuidia te pullsat, propter hoc & inanis gloria, & omnia nascuntur ex rerum vitæ presentis admiratione. Inuides quod ille diues est: At potius misericordia dignus est, & lachrymis huiusmodi. Sed statim ridens dices. Ego lachrymis dignus, non ille. Lachrymis dignus & tu, non quoniam pauper es, sed quoniam te miserabilem existimas. Nullum enim malum habentes, & agere ferentes dessemus: non quoniam malum aliquod habeant, sed quoniam non habentes habere se putant: sicut si quis febre liberatus mereat, & valens versetur in lecto positus, nonne febricitante magis est deplorandus? non quoniam febre laboret, sed quoniam nihil habens graue, se putat habere. Et tu propterea lachrymis dignus es, quoniam te putas miserabilem, non propter paupertatem. Paulus quintus.

2. Tim. 4.

Ierem. 17.

1. Tim. 4.

pertatis enim ratione beatus es existimandus. Quid inuides diuiti: quoniā se maiorum curarum reum constituit, quoniam grauiori seruitio, & infinitis mœroribus, quasi quidam canis suis alligatus est pecunijs. Præoccupauit vespera, præoccupauit nox, & hic quietis tempus habet tumultus occasionem, & amaritudinis, & tristitiæ ac solitudinis. Somnus factus est, statim exiliit. Ille spoliatus est, maiorem habet illo solitudinem, qui perdidit: ille enim semel perdidit, & contristatus curā deposuit, hic autem eam habet continue. Superuenit nox nostrorum portus malorum, nostrarum lenimen ærumnarum, vulnerum medicina. Nam & aliquo dolore detenti, amicis quidem & confanguineis, & familiaribus, frequenter autem & patribus non cessere consolantibus, nec paruerunt: verum & ad ipsa verba sunt indignati: somno verò quiescere iubenti, neque contra aspicere valuerunt. Doloris enim amaritudo magis omni æstu nostras affligit animas. Sicut igitur corpus exæstuans, & ardentioribus radijs fatigatum demulcet diuersorium, multos fontes & ab aura tenui consolationem habens: ita nox somno nostram tradit animā. Sed potius tamen neque nox, neque somnus hoc operatur, sed deus hoc ærumnosum intus genus, hæc omnia fecit. At nostri nos ipsi nō miseremur, sed tanquam nobis inimici sumus, maiorem excogitauimus naturali necessitate & requie tyrannidem, ex diuitiis vigilandi solitudinem: ait enim, Cura diuitiarum amouet somnum. Et vide quanta sit dei cura. Non proposito requiem permisit, sed naturalibus eam vinxit necessitatibus, ut & inuiti beneficio fruamur. Nam dormire naturæ est: nos autem quasi nos multum exosi, tanquam alios impugnantes & affligentes, hac naturali necessitate maiorem excogitauimus tyrannidem ex pecunijs. Dies illuxit, & huiusmodi sycophantas timet. Nox comprehendit, tremat latrones. Mors adest, magis quam morte mordetur quod illa sunt aliena. Filium habuit, maior cupiditas, & tunc pauper esse sibi videtur. Non habuit, magis doluit. Hunc ergo beatū vocas, qui nulla ex parte latari potest? Huic inuides naufraganti, in tranquillo paupertatis portu constitutus. Et hic vere est humanæ defectus naturæ, bona generose non accipere, & in beneficia contumeliosum se gerere. Et hæc quidem hic, cum autem illuc migrauerimus, audi quid diues loquatur qui fuerat innumerosum, ut ipse dicit, bonorum dominus. Nam ego nō hæc bona dixerim, sed indifferentia. Hic igitur infinitorum dominus bonorū quid dicat, audi, & in cuius rei sit inopia constitutus: Pater, inquit, Abraham mitte Lazarum, ut summo digito instillet aquam linguæ meae, quoniam torreo. Nam si nihil eorum, quæ dixi, pateretur ille diues, si in libertate sine cura totam egisset vitam: & quid dico totam egisset vitam? vñ illud momentū, momentū enim est: ait enim, Quasi vnum momentū tota ætas nostri ad infiniti seculi comparisonem. Si igitur ei pro votis omnia successissent, nōne mirabilis est ex hisce verbis, imò vero factis? Nōne vino exundabat mensa tua? nunc verò nec guttæ laticis es dominus, & hæc in multa necessitate constitutus. Nōne pauperem vlceratam despiciebas: nunc autem rogas eum videre, & nemo præbet. Pro foribus tuis adstabat, nunc autem in Abraham sinibus. Sub magnis tu recubabas tectis, nunc in igne gehennæ. Hęc audiant diuites, imò vero non diuites, sed misericordia carentes. Non enim quoniam diues fuerat, puniebatur, sed quoniam misericordiam non exhibuit. Potest enim fieri, ut locuples & miserens om-

Eccles. 8.

Luc. 16.

ne bonum assequatur. Et propterea nullum aliū videt, nisi illum sui indigentē: vt discat, quod hęc iuste patiantur, in memoriam eorum veniens, quæ gerebat. Num non erant innumeri diuites iusti? Sed ad eius ianuam iacens hic ipsi occurrit: ipsum & nos docens, quantum sit bonum in pecuniis non confidere. Nihil illum læsit paupertas ad regnū acquirēdū, nihil huic profuerunt diuitiæ ad fugiendā gehennā. Quousq; pauperes, quousque mendicæ? Non est pauper, qui nihil habet, sed qui multa concupiscit. Non est diues, qui multa possidet, sed qui nullius indiget. Quid enim vtilitatis omnē terrarum orbē possidere quidem, & in maiori viuere miseria, quàm qui nihil habet? Voluntates & diuites faciūt & pauperes, non pecuniarū copia nec egestas. Vis fieri diues tu pauper? licet tibi, si velis, & est qui prohibeat nemo, Contemne mundi pecunias, nihil esse cogita, sicut & sunt: elimina pecuniarum amorem, & diues factus es. Hic est diues, qui diues esse non vult: qui pauper esse renuit, hic est qui pauper est. Sicut enim egrotus est ille, qui & in sanitate mæstus est: non ille qui morbum omni sanitate fert leuius. Itidem & pauper est, qui paupertatem ferre non potest, sed in diuitiis se pauperibus pauperiorem esse putat: nō ille qui pauperiē, quàm diuites opulentiam fert lætius: hic enim est ditior. Cur enim, quæso, pertimescis paupertatem? quare cōtremiscis? Nonne propter famem? nonne propter sitim? nonne propter frigus? an non propter hęc? Sed est nemo, qui de his vnquam dubitauerit. Nam respicite in antiquas generationes, & videte quis credidit domino, & derelictus est: vel quis sperauit in eum, & confusus est. Et iterum, Respicite volatilia cœli, quod non semināt, neque metunt, neque congregāt in horrea, & pater vester cœlestis pascit ea. Neminē facile quis haberet, quæ fame vel frigore mortuum ostēderet: cur ergo paupertatem formides, non potes dicere. Si necessarii enim abundas, quid tandem tremis: quod non est tibi seruorum multitudo: hoc est à dominis esse liberū, hoc perennis beatitudo, hoc à solitudine libertas. At quod vasa, lecti & supellectilia tibi nō sunt ex argēto elaborata: sed quid te plus habet delectationis, qui talia possidet? Nihil. Vsu nanque sunt paria, siue ex hac, siue sint ex illa materia. At quoniam terribilis non es multis. Nec vnquam fiat. Quæ nanque voluptas, quod te multum tremant atque formident: Sed quod alios ipse times. at timendum non est. Vis enim non timere potest, bonum fac, & habebis laudem ex ea. At quoniam contemptui sumus obnoxij, & malè pati periclitamur. precipue quidē paupertas hoc nō facit, sed malicia. Quoniam cum multi pauperes quiete præsentem vitam degant, principes, diuites & potentes omnibus malefactoribus, latronibus & furibus migrare miseri. quod enim in te paupertas habet, in illo diuitiæ. Sicut enim tibi per contemptū hi malefaciunt, affligere volentes: sic illi per inuidiam & liuorē: & magis hic quàm illic scuitur: hęc vis malefaciendi, quàm illa fortior. Nam inuidens quidem totis viribus & potentiis omnia facit, contemnens autem & quandoque miseretur eius, quem contemnit: & hoc illi factum est liberationis causa, quod pauper est, & nihil habet fortitudinis: & dicentes, magna geres, si illum interfeceris: si vnus occideris inopem, quibus poteris præmiis: ita illius irā reprimimus: at in diuitibus instat inuidia, non prius desinens, quàm quod vult fecerit, & suum effuderit venenum. Vides, quod non paupertas, neque diuitiæ bonum, sed voluntas nostra: Hanc bene componamus,

Matth. 6.

A & sapienter se gerere doceamus. Si hęc bene disposita fuerit, neque diuitiæ nos à regno pellere poterunt, neque paupertas vt minus habeamus faciet. Sed paupertatem æque feremus, nec hic vllam de futurorum delectatione bonorum iacturam facientes: verum & his fruimur, & cœlestibus potiemur bonis: quæ nos omnes assequi detur, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cum quo patri, simul & spiritui sancto gloria, imperium & honor nunc & semper, & in seculum seculorum, Amen.

Quod cœleste regnum absque tribulatione & laboribus acquiri non potest.

Homilia LXVI.



Inculum est indurptū tribulatio, charissimè dilectionis argumentum, compunctionis & reuerentiæ materia. Audi nanque David dicentem, Bonum mihi domine, quia humiliasti me, vt discam iustificationes tuas: & rursus alium prophetam dicentem: Bonum est viro, cum portauerit iugum à iuuentute sua. & iterum: Beatus homo, quē tu erudieris domine. Et alium quendam dicentē: Noli cōtēnere disciplinā domini. Et si vadis seruire deo, prepara animā ad tentationē: at rursus & Christus dicebat, In mundo tribulationem habebitis, sed confidite. & iterum, Plorabitis & lugebitis vos, mundus autem gaudebit: & iterū, Angusta est & arcta via. Vides vbiq; tribulationem laudari, passim assumi tanquam nobis necessariam? Si enim in externis certaminibus absq; hac nemo coronam capere potest, nisi laboribus, & ciborum obseruatione, viuendi norma, & vigiliis, & innumeris aliis semetipsum corroborauerit: multo magis hic. Quem enim vis dicere regem? sed nec ille procul à curis vitam agit, sed multis plenam tribulationibus & curis. Ne nanque diadema respicias, sed curarum tempestatem, per quam ipsi corona paritur. Neque purpuram intueres, sed animam & ipsa purpura magis nigrescentem. Non ita corona caput circumdat, sicut animam sollicitudo: nec in satellitum cateruā, sed in molestiarum multitudinem spectes: nec enim priuata domus tot curis plena reperiri potest, quot regni sunt mortes per singulos dies expectata, & ante mensam cruor spectatur, & ante potum. In noctibus autem ne dici quidem potest, quoties anima profilit, & exilire se putat, & hęc quidē in pace: si vero bellū ingruat, quid hac vita miserabilius esse possit: quot autem à familiaribus irruunt & subditis? quippe consanguineis cruoribus regium pauimentum semper est plenum. Et si vultis, aliqua narrē, forsitan agnosceris, maximè quidem & antiqua: at & nostris facta temporibus, quæ tamen adhuc memoria seruantur. Ille coniugem adulterij suspectā habens, nudam in montibus alligauit, & feris tradidit, iam factam multorum sibi regū matrē: qualem illum vitam degere creditis? Non enim, nisi magno fuisset morbo consumptus, in tantam erupisset vltionem. Hic ipse quidem suum iugulauit filium, quin potius ipsius frater. Eius filiorum hic quidem semetipsum interemit à tyranno comprehensus: ille verò nepotem suum regni secum consortem, quod ipse arripuerat, & vxorem vidit à Persis corruptam: quasi enim ea quæ non pariebat, mulier misera quedam & arum-nosa: misera quidem & infelix, quæ dei donum per suam se sperauit præstituram esse sapientiam: cum alca iecisset, reginam corrupit, & ipsa simul est corrupta: hic autem dicitur & fratrem suum peremisse: alter rursus post hunc venenatis sublatus est medicaminibus, & calix

& calix fuit ei non iam poculum, sed mors: & eius filio, futurorum timore, cum nihil iniuriæ patrasset, oculis erutus fuit. Alius, neque dicere decet, quàm miserabiliter vitam finiuit. Sequentium autem hic quidem incensus fuit, tanquam miser quidam & infelix, cum equis & curribus, & aliis omnibus, & vxor in viduitate. Vita enim ærumnas nemo sermone posset exprimere: quas cum hic insurrexerit, habere coactus est. Hic verò qui nunc imperat, nonne postquā coronatus fuit, est in laboribus, in periculis, tristitiis, mœrore, calamitatibus & insidiis? At non talis cœlorum regia: sed postquam eam acceperis, pax, vita, gaudium, læticia. Verum, vt dicebam, non est vita sine miseria. Si vero in secularibus, & in regia facile primus, tantis est plenus ærumnis, quid censes in priuatis, & quot alia mala? Neque dici quidem potest, quot fabulæ frequenter ex his contextæ sunt. Omnes ferè quæ sunt in scena tragœdiæ & fabulæ, de regibus exhibentur: eorum enim quæ fabulose dicuntur, plurima pars de factis fingitur: sic enim habent & voluptatem Thyestæ, & tota domus illa calamitatibus est obuerfata. Sed hęc quidem ex his quæ ab externis composita fuere, didicimus. Si vero vultis, & ex scripturis dicemus. Saul primus regnauit, verum scitis, quo modo post illum Dauid, & hic transiit innumeris tentatus malis. Salomon, Abia, Ezechias, Iosias similiter. Non enim potest citra tribulationem, non potest citra tristitiam præfens vita transmitti. Sed nos mœreamus nō huiusmodi rebus, de quibus reges, sed ex quibus & magnum habemus emolumentum. Nam quæ secundum deum est tristitia, pœnitentiam in salutem immutabilem operatur. Ex his oportet tristari, de his dolere, his morderi. Ita Paulus pro peccantibus tristabatur, ita lugebat: ait enim, Ex multa tribulatione, & compressione cordis scripsi vobis per multas lachrymas. Quoniā enim de propriis non habebat quod lugeret, hoc pro alienis agebat: quin & illa secundum luctus rationem propria putabat. Alij scandalizabantur, & ipse vrebatur: alij infirmabantur, infirmabatur & ipse. Bona est talis tristitia, omni mundana melior læticia, ita lugentem omnibus hominibus præpono: imò vero & ipse dominus ita lugentes beatos vocat misericordes. Non sic eū in periculis admiror, quin verò neq; minus q̄ in periculis: in his quotidie moriebatur, sed hoc me magis mouet. Ex anima nanq; religiosa fit & pia, ex charitate quam ipse Christus quærebat, ex fraterna paternaq; pietate: imò quod his duobus maius est, ita affici, ita lugere oportet. Huiusmodi lachrymæ multa sunt plenæ læticia, huiusmodi luctus læticiæ materia: licet nihil deploratis profimus, nobis saltem ipsis proderimus. Qui nanque sic de alienis dolet, multo magis ex propriis hoc patietur. In alienis ita deslens, non sine lachrymis sua pertransibit errata, quinimo nec facile peccabit: id autem grauissimum est: quod ita super peccantibus lugere iussi, neque de propriis vllam exhibemus pœnitentiā, sed sine dolore cadimus: omnium maiorem gerimus curā, & omnia plus quàm propria recogitamus peccata: propterea gaudio lætamur inutili, quod est mundi, quod statim extinguitur, & infinitos parit mœrores. Tristemur tristitia gaudij genitricæ, non autem læticia tristitiæ parente gaudeamus. Lachrymas fundamus multā seminantes voluptatem. Neq; risu rideamus, dentiū nobis stridorem pariente. Affigamur tribulatione, ex qua remissio nascitur. Neque delicias quæramus ex quibus multa tribulatio paritur & angustia. In terra paulisper

Tomus quintus.

A laboremus, vt in cœlis lætemur. In corruptibili vita nos ipsos affligamus, vt in immortalis requiem assequamur: ne in hoc breui effundamur momēto, ne in infinitum angamur. Nonne videtis, quod & hic tribulantur propter secularia? Cogita quod tu quoque de illis vnus es. Sustine tribulationem & dolorem, spe futurorum te pascens. Tu neque Paulo melior es, neque Petro, qui nunquam remissionem assecuti sunt, sed fame, & siti, & nuditate laborarunt. Si vis eadem cum illis assequi, quid contrariam ambulas viam? Si vis ad illam peruenire ciuitatem, qua digni sunt illi putati, illam perambula viam illuc ferentem. Non illuc perducit remissionis via, sed tribulationis: illa lata, hęc angusta: hanc perambulemus, vt vitam assequamur æternam. Vbi nanque tribulatio, ibi & consolatio: & vbi consolatio, ibi & gratia. Cum itaque & Paulus in carcerem cecidit, tunc illa fecit mirabilia: cum naufragatus est, & in Barbaram eiectus regionem, tūc maximè glorificatus est: cum vincus forum intrauit, tūc vicit & iudicem. Sic & in Veteri fiebat testamento, in tentationibus iusti florebant, ita tres pueri: ita Daniël, & Moses, & Ioseph: hinc omnes magnis & splendidis sunt habiti coronis digni. Tunc enim & anima purgatur, cum propter deum tribulatur: tunc maiori potitur adiutorio, quando & maioris tunc indiget auxiliij maiorisque gratiæ. Quin & ante mercedem à deo propositam magna bona decerpuntur, ab anima sapiente iam reddita. Nam & fastum contrahit, & omnē excidit torporem tribulatio, & ad patientiam vngit, & humanarum rerum vilitatē reuelat, & multam introducit sapientiam: omnes enim motus ipsi cedunt, inuidia, æmulatio, concupiscentia, potentia, pecuniarum & corporum amor, arrogantia, fastus, ira, & omne reliquum viciorum examē, & si vis rebus ipsis videre, & virum seorsum, & totum populum ostendere tibi poterimus, & in tribulatione positos, & in remissione: & quantum hinc lucrum, docere, & quantus illinc torpor. Nam & Hebræorum populus, dum affligebatur quidem & pellebantur, gemebant, & deum inuocabant, & multum superne momentum attrahebant: cum autem impinguati sunt, reuoluerunt. Niniuitæ rursus cum libertate potirentur, ita deum irritauerūt, vt totam à fundamentis urbem subuertere deus minatus sit: postquam vero ab illo sunt humiliati præconem, omnem nequam terere sapientiam. Si vero & singularem virū vis cernere, cogita Salomonē. Nam & hic dum in curis quidem, & perturbatione fuit, de principatu gentis illius consultans, illa visione dignus est habitus: vt vero nactus est delicias, in ipsum maliciæ barathrum delapsus est. Quid vero ipsius pater, quādo mirabilis fuit & gloriosus: nonne dum in tentationibus fuit? Absalō vero quoad fugiebat, nonne modestus erat: postquam autē rediit, & tyrannus, & patricida factus est? Quid autem Iob? Hic enim clar⁹ quidē erat & in quiete, clarior autē post tribulationē apparuit. Et quid opus est antiqua & prisca recensere? Si quis enim nostra nunc discutiatur, quantū sit tribulationis lucrū videbit: nunc enim pace potentes recidimus & defluximus, & innumeris impleuimus malis ecclesiam: cum vero pellebamur, & modestiores, & humaniores eramus, & studiosi magis, & ad has conciones promptiores, & feruentes ad audiendum. Quod enim ignis est auro, hoc & animis tribulatio, sordem abstergens, faciens mūdōs, claros reddens & splendidos. Hęc in regnum introducit, illa vero in gehennam: quapropter hęc quidem est lata, illa vero

m iij vero

vero angusta: propter hoc & ipse dicebat, In mūdo tribulationem habebitis: tanquam magnum nobis bonū relinques. Itaque si discipulus es, angustam & asperam incede viam, nec ægreferas, nec indigneris. Nam etsi non ita tribuleris, tribulari omnino necessarium est ex alia materia sine lucro. Nam & inuidus & pecuniarū amator, & meretrices deperiens, & gloriæ cupidus, & aliorum quisq; malas exercentium actiones, multas sustinet tristitias & tribulationes, & lugētibus nihilo minus tribulatur. Si vero neq; lachrymas fundit, neq; luget, propter inuerecundiam & insensibilitatem id facit. Itaq; si ipsius animam discutias, innumeris fluctibus plenam videbis. Cum igitur & illam, & hanc degentes vitam tribulari necesse sit, cur hanc non eligimus, quæ cum tribulatione nobis infinitas coronas accumulatur? Nam & omnes sanctos deus ita per tribulationem & angustiam agebat, simul & illis vtilitatem afferens, & reliquos insensatos cautos faciens, ne maiorem meritis de ipsis sententiam habeant. Sic enim & idololatria principium cepit, cum homines nimiam supra meritum haberetur admirationi. Ita tertium decimum deū esse putauit Alexandrum Romanorum senatus. Hic enim hanc habebat potestatem deos creandi & decernēdi. Cum igitur ei omnia Christi opera renūciata fuissent, misit gentis princeps interrogatum, an eis videretur & ipse deus decernendus. Illi vero non annuerunt, indignantes & ægrè ferentes, quod ante decretum & sententiam suam, effulgens crucifixi virtus omnem terrarum orbem in sui traxisset venerationem. Hoc autem & ipsis nolentibus dispensatum est, ne mortali decreto Christi prædicaretur diuinitas, nec vnus de multis esse putaretur, qui ab eis fuerant instituti. Nam & pugiles deos esse putauerunt, & exoletum Adriani: vnde & ciuitas Antinouis dicitur. Quoniam enim mors naturam conuicit mortale, aliam adinuenit diabolus viam, animæ immortalitatem superantem, post mortem assentationem, per quam in impietate multos induxit, quod quidem & in illo Macedone fecit: ait enim, Multa magna que viuens gessit, nam & ciuitates subegit, & gentes, & multa bella profligauit & pugnas, & erexit trophæa: & quid hoc? Nō enim hæc diuinæ sunt argumenta naturæ: sed quæ Christus fecit, magna sunt illa & admirabilia & inenarrabilia: nec vlli quidem hominum, nec vlli vero angelorum, at soli deo possibilia. Et quæ sunt hæc, inquit? Quæ totus terrarum orbis per opera clamat, & per singulos prædicat dies. Et id quidem est admirabile, quod post crucem hæc Christus operatus est, per vndecim mendicos & piscatores. Nā quod viuens bella quidem expedit, & victorias, cum sit rex, & exercitus habeat, & pecuniarū copiam, nihil est mirandum, inopinatum nihil, & nouum: quod vero post crucem & sepulturam tanta facta sint vbiq; terrarum, & maris, hoc est præcipue multa plenum admiratione, diuinam & ineffabilem prædicans virtutem. Et Alexander quidem post mortem suam dissipatum imperium suum, & penitus exterminatum non reparauit, neq; aliud gessit neq; magnum, neque paruum: quo modo nanq; facturus erat mortuus? Christus autē tunc omnem terrarum orbem ad se traxit adorandum, cū mortuus fuisset. Et quid de Christo loquor, cū & discipulos postquā obierunt, tunc effulgere fecerit? Quid dico discipulos? Nam & eorum loca & sepulchra, simul & tempora perenni memoria celebrari curauit. Tu vero mihi sepulchrum ostendas Alexandri, & profer diē quo vitam finiuit. Sed nihil horum insigne, sed omnia

destructa sunt & exterminata: Christi vero seruorum & sepulchra clara sunt, regiam affecta ciuitatem, & dies notissimi mundo festam afferentes læticiam. Et illius quidem loculum & proprii nesciūt, horum autem sciūt & barbari. Et seruorum crucifixi sepulchra regis aulis sunt clariora, non magnitudine & ædificiorum pulchritudine (nam & in hoc quidem superant) sed quod multo maius est conuenientium studio. Nam & ipse qui purpuram indutus est, accedit illa complexurus sepulchra, & fastu deposito stat factis supplicatur, vt pro se apud deum intercedat: & scenarum fabrum, & piscatorem etiam mortuos vt protectores orat, qui diademate redimitus incedit. Audebis igitur, quæso, horum dominum nūcupare mortuum, cuius serui vel mortui terrarum orbis regum sunt protectores? Nec hoc tantum quis Romæ fieri viderit, verum & Constantinopoli. Nam & hic Constantinum Magnum ipsius filius honore magno censuit haberi, si pro foribus piscatoris paternum corpus collocaret. Et quod in regis sunt ianitores regibus, hoc sunt in monumento piscatoribus reges: & illi quidem vt domini loca tenent interiora: hi vero tanquam inquilini & vicini aula ianuam sibi gratū habuere deputari, & infidelibus ex his ostendentes, quod in resurrectione maior erit piscatoribus dignitas. Si hic enim ita in sepulchris, multo magis & in resurrectione ordo cōmutatus est. Reges quidem ministrorum, subditi vero regum vicem induerunt, quinimō & splendidiorē. Et quod hoc nō assentatio sit, ipsa veritas ostēdit: ex illis enim & hi illustres facti sunt. Multo nāq; cæteris regalibus sepulchris hæc monumēta sunt clariora. Nā illic quidē magna solitudo: hic autē magnū cōcurfus. Quod si velis & regalibus aulis monumenta cōparare, rursum & hic victoria: nā illic quidē multi deterrentes: hic vero multi vocantes & attrahentes, diuites, pauperes, viros, mulieres, seruos, liberos: Illic magnus timor, hic inexplicabilis voluptas. Sed dulce spectaculum est, regem aureis indutum & coronatum spectare, & adstantes duces, & principes, ductores, tribunos, & militum magistrōs: verum hæc tanto sunt illis honestiora, & magis reuerenda, vt illa fabulæ sint & ludicra. Simul ac enim pavimenta calcaueris, ad cælum mentē locus transfuderit, & ad supernum regem, & illum angelorū exercitum, & sublimē thronum, & inaccessibilem gloriam. Et hic quidē regnans alicui subiecto præcipit, vt hūc quidē soluat, illū vero liget, sanctorum autem ossa non hanc habent miserabilem & abiectam potestatem, sed illa multo maiorem. Dæmonas enim sistunt & torquent, & victos ab illis soluant sanissimis vinculis. Quid hoc foro magis reuerendū, cū videatur nemo, nemo dæmonis inflet lateribus, voces sentiuntur & lacerationes, flagella tormentaq; ac linguæ ardētes, terribilē illam vim dæmone non ferente? Et corpus induti, incorporeas opprimūt potestates. Et cinis & ossa, & fauilla inuisibiles illas potestates dilaniant. Itaq; quod regis quidem aulas videat, nullus vnquam peregrinatus fuerit: multi vero reges plerūq; huius spectaculi gratia peregrinati sunt. Futuri nanq; iudicij vestigia & signa, sanctorū ædes exhibent, vbi dæmones flagellantur, corriguntur homines & liberantur. Vidisti vel mortuorū hominū virtutem? vidisti peccatorum, & viuentium imbecillitatem? fuge maliciam itaq; vt talia cōsequaris, & omni studio virtutē sectare. Nā si præsentia sunt huiusmodi, cogites qualia sint futura, & horum amore iugiter detentus, æternā vitam apprehende: ad quā omnes vtinā attinga-

attingamus, gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi, cui gloria in secula seculorum, Amen.

Quod hic affligi, peccatorum exhibet remissionem: & quem admodum hominem inuenire non licet immortalem, ita neque sine tristitia, dum viuat. Homilia LXVII.



EMO dilectissimi, malos prospere videns agentes tumultuetur. Nō est hic retributio neque maliciæ, neque virtutis: sicubi vero nequiciæ sit & virtutis, non tamen pro dignitate, sed simpliciter, quasi iudicij prælibatio: vt resurrectionem non credentes, vel in præsentibus corrigantur. Cum malū locupletari videmus, ne titubemus: cum bonum mala viderimus patientem, ne tumultuemur. Illic enim coronæ, vbi pœnæ. Alioquin vero nec potest malus omnino malus esse, sed euenit, vt & aliquid habeat boni: neque bonus, esse bonus omnino, sed & nō nulla solet habere peccata. Cū itaque malus prosperis vitur rebus, ad capitis sui perniciem: vt enim illorum paucorum retributionem bonorum hic capiens, illic deinde puniatur, hæc de causa recipit. Et ille præsertim beatus est, qui hic pœnas luit, vt peccatis omnibus depositis, probatus migret, & mundus ac insons: hocque nos docens Paulus, ait: Ideo in vobis infirmi multi & imbecilles, & dormiunt multi: & iterum, Tradidi huiusmodi satanæ. Et propheta quoque dicit, quod suscepit de manu domini duplicia pro omnibus peccatis suis: & iterū David: Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt, & odio iniquo oderūt me, & dimitte vniuersa delicta mea: & rursum alter: Domine pacem da nobis, omnia enim retribuisti nobis. Sed hæc quidem probantis sunt bonos, pro peccatis pœnas hic luentes: vbi vero bona mali recipientes hic, illic omnino cruciantur. Abraham audi dicentem diuiti: Recepisti bona tua, & Lazarus mala. Quæ bona? cum enim dixerit hic, recepisti, non autem cepisti, ostēdit ambos ex debito passos: & hunc quidem in felicitate, illum autem in erumnis versatum: & ait, Propterea nunc hic consolatur. Vides enim eum a peccatis purū, & tu doles. Itaque ne morreamus, cum peccatores hic prosperis rebus vtētes videmus, sed cum ipsi rebus aduersis premimur, gaudeamus: hoc enim est peccatorum expiatio: Ne remissionem queramus, suis enim discipulis Christus tribulationem prænuñciauit: & Paulus ait: Omnes qui volunt pie viuere in Christo, persecutionē patientur. Nullus athleta generosus in stadio balnea querit aut mensam cibis & vino redundantem. Hoc non est athleta, sed delicati. Athleta nanque pugnat puluere, oleo, Solis ardore, sudore largo, tribulatione & angustia. Hoc est certaminis tempus & pugna: igitur & vulnerum, & cruoris, & doloris. Audi quid dicat beatus Paulus: Ita pugno, non tanquam aërem cadens. Omnem vitam certamen esse putemus, nec vnquam remissionē queramus, nunquam in tribulationibus iniustata pati nos arbitramur: quoniā nec athleta, cum est in certamine, noui quid patitur. Aliud est remissionis tempus. Per tribulationem consummari nos oportet, licet tribulatio non adsit, neque persecutio, sed adsunt alia tribulationes per singulos dies nobis irruētes. Si vero has non ferimus, illas profecto segnius pertulissimus, Tentatio vos non apprehendat, nisi humana, inquit. Precemur itaque deum, ne intremus in tentationem: inducti vero generose feramus. Nam illud quidem est modestorum virorum, se periculis non ingerere, hoc autem generosorū atque sapiētum. Nec itaq; nos ingeramus te-

*Esai. 40.
Psal. 24.
Esai. 26.*

Luc. 16.

merariē, audacis enim est: neque rebus tracti vocantibus cedamus: timidi siquidem est: sed si prædicatio quidem vocet, ne recusemus: cum vero nulla causa profusus, aut vtilitas, necessitasve secundum pietatem vocet, ne curramus: ostentatio enim est & superflua iactatio. Si quid vero fiat, quod noceat pietati, licet innumeras sustinere mortes oporteat, nihil recusemus. Noli tētaiones accerere, cum secundum pietatē vota tibi successerint, quid superflua attrahis pericula, quæ nullā habent vtilitatem? Hæc dico, cupiens vt Christi leges custodiatis, qui iubet orare ne inducamur in tentationē, & vt tollentes crucem sequamur eum. Hæc enim non sunt cōtraria, sed & valde cōsona. Tu nanque ita quidem te præpara, tanquā miles generosus. In armis continue verferis, solers, vigilās, semper hostem expecta, ne tamen hostes tibi parias: hoc enim non est militis, sed feditiosi. Si vero religionis tuba vocet, statim progredere, & animam paruipende, & multa cum alacritate descendas ad certamina, hostium aciem dissipa, confringe caput diaboli, trophæū erige. Si vero pietas nihil lædatur, nec vllus nostra populetur dogmata, secundum animam dico: nec aliquid quod deo displiceat, agere cogit, ne sis superfluous. Sanguine plenam esse decet Christiani vitam, non alienum effundendo, sed se paratum suum effundere præstado. Tanta ergo propertudine propriū effundamus cruorem, cū pro Christo sit hoc agendum, quanta quis aquam effunderet. Nam & aqua sanguis est corpus irrigans. Et tanta facilitate carnem exuamus, quāta vestimentum. Hoc autem fiet, nisi pecuniis alligati fuerimus, nisi domibus, & nisi affectionibus, nisi sumus ab omnibus suspensi. Nam si militarem hanc vitam degentes omnibus abrenunciant, & quod Mars vocauerit, eō proficiscuntur, & iter agunt, & omnia cū sedulitate ferunt: multo magis nos Christi milites oportet ita præparari, & opponere nos viciorum certamini. Non est nunc persecutio, nec vnquam vt sit, accidat: pugna tamen incumbit alia, pecuniarum, cupiditatis, inuidiæ, viciorum. Hoc bellum recensens Paulus, ait: Non est nobis colluctatio aduersus sanguinem & carnem. Semper hoc bellū instat. Propterea nos semper armatos vult stare. State ergo, inquit, accincti. Quod ipsum & sententis est temporis, & ostendit quod semper oportet armatum esse. Multum enim certamen per linguam: multum per oculos: hos itaque reprimamus, Multum per concupiscentias: Quapropter illinc Christi militem incipit armare: ait enim: State accincti lumbos vestros: & subiunxit, In veritate. Cur in veritate? Illusio enim est & vanitas concupiscentia: vnde dicit Propheta: Lumbi mei impleti sunt illusionibus. Res ea non est voluptas, sed vmbra voluptatis. Accincti ergo lumbos vestros in veritate, hoc est, vera voluptate, modestia, honestate. Propterea hæc admonet, peccati sciens absurditatem & omnia volens membra nostra esse circumcuncta: ait enim: Ira iniusta & nocens non seruabitur. Et nos lorica vult esse circumdatos, & scuto. Fera siquidem est libenter insiliens ira, innumeris obicibus & septis ad eam nobis est opus superandam & arcendam. Et propterea nobis deus hanc maxime partem, tanquam ex quibusdam lapidibus ex ossibus condidit, ei circumponens firmamentum, ne facile prorumpēs & dissipans, totum animal perdat. Ignis enim est, inquit, & tempestas magna. Nec aliud membrum hanc vim reprimere possit. Aiunt autem & medicorum pueri, hac de causa cordi pulmonem esse substratum: vt super eum qui mollis est,

Eph. 6.

Psal. 37.

est, quasi super quandam spogiam cor saliens requiescat, ne in repugnantem & asperam soliditatem pectoris, saltum offendatur impulsu. Opus est itaque nobis forti lorica, ut hanc feram in quiete semper seruemus: opus autem est & galea. Quoniam enim illic ratio versatur, & ex hoc vel saluari possumus, cum congrua fiant, vel perire accidit: propterea dicit, Et galea salutis. Cerebrum enim natura quidem est tenerum: quapropter & ipsum quasi quadam testa sincipitio supernè contegitur. Omnium autem nobis bonorum causa fit, atque malorum, siue congrua cogitauerit, siue cõtraria: quin & manus armorum nobis indigent, Non autè hæ manus, & hi corporis pedes, sed potius animæ: hæ quidem vtilia meditantibus: illi verò quò decet euntes. Ne aduersis itaq; casibus frangamur: sunt enim correctio. Ne festines, inquit, in tempore illationis. Multi tristitia domi frequenter habent, & tristitiam quidè alter alteri communicamus, materiam vero non itidem: sed hic quidem ab vxore, hic autem ex filio, alter ex seruo, alter ab amico, alter ab inimico, ex vicino quidam, quidam ex iactura. Et multa sunt & differentes tristitiæ causæ, & omnino nullus inueniri potest à tristitia purus, & mœrore: sed hic quidè maiora, hic vero minima habet cõtristiantia. Itaque ne indignemur, neque nos in erumnis solos esse putemus. Nec enim licet hominem hanc mortale vitam degere tristitia carere, sed si nò hodie, cras: nisi cras: posthæc aliquid accidit triste. Sicut enim nauigans non in agonia versari non potest, nauigans, inquam, mare magnum: ita hanc viuens vitam, non in tristitia esse non potest. Siue diuitem dixeris, quoniam diues est, multas habet tristitiæ causas: siue regè ipsum, nam & à multis ipse tenetur, nec omnia pro votis facit, sed multa præterquam sibi gratum est, indulget: & super omnes ea fecit omnia quæ nullatenus vellet. Quid vero tandem, quòd multos sustinet, qui de suis accipere volunt? Cogita vero quanta sit in tristitia, cum vellet quippiã agere, nec possit, vel propter timorem, vel propter suspitionem, vel propter hostes, aut propter amicos. Frequenter autem & cum aliquid sibi gratum facere contenderit, omnem exterminant ei voluptatem multi propter illam actionem illi se gerentes inimicè. At ociosam degentes vitam esse censet in seculo tristitiæ immunes? Nequaquam. Sicut enim immortalis homo non potest inueniri, ita nec absque tristitia. Quot eos pati molestias est verisimile, quæ verbis quidem recenseri non possunt, rebus autem ipsis ab illis tantum sciri: Quot sapissime in illis opibus & deliciis mori optauerunt: Deliciis enim vacare, nò penitus contra tristitiam constituit: quinimò ipse deliciarum vsus innumeras gignit tristitias, morbos & fastidia, nulla præter has causas subsistente. Cũ enim in tali fuerit habitu anima constituta, & simpliciter dolere consuevit. Nam & medicorum aiunt pueri, quòd & ex stomachi præparatione intempestiua nascuntur tristitiæ. Nónne & apud nos hoc accidere verisimile videtur, cũ doleamus, & tristitiæ causam ignoremus? Et nemo prorsus sine tristitia inueniri potest. Si vero tantam non habet tristitiæ, quantam nos, occasionem, ita quisque putat: propriũ enim eum plus quàm alienũ afficit. Sicut enim in corporis dolentes partibus, se proximos doloribus superare putant: & oculum habens viciatũ, nullã agritudinem aliam, talem esse censet, qualem suam: rursum qui stomacho laborat, hoc omnium esse difficillimum asserit: & quo quisque tenetur, hoc omnium molestissimum esse dicit: itidè & in tristitia, qua quis detinetur,

A hanc asserit esse difficillimã: cum propria enim hoc experientia iudicat. Sicut qui filios nò habet, nil ita graue putat, sicut filiis carere: qui multos habet cũ paupertate, nil tam accusat, quàm filiorum multitudinem. Vnum habes, nil peius quam vnum habere putat. Hinc enim, inquit, & segnis efficitur, & in tristitia patrem semper constituit, quum sit illi semper desiderabilis, & nullam correctionem admittat. Qui pulchram habet vxorem, nihil se peius habere dicit, quàm quòd pulchrã habet: suspitionis enim plena res est & insidiarũ. Qui deformem, nihil esse peius asserit, quàm deformè habere cõiugem: res enim est fastidio plena. Priuatus nihil huiusmodi vita dicit inutilius esse, nihil abiectius. Miles nihil esse militia laboriosius, nihil periculosius asserit: satius enim pane solo cũ aqua vesci, quàm tot ferre molestias. In magistratu positus, nihil magis laboriosum, quàm alienas curare necessitates affirmat: subditus nihil ait feruilius, quàm alienæ potestati subiacere. Vxor iuctus, vxore nihil & solitudine peius asseuerat: vxore carens, nil illiberalius quàm vxorem non habere testatur, & domo carere & quiete. Mercator agricolã ex securitate beatum vocat, agricola mercatorẽ ex diuitiis, & morosum omnino genus humanum, fortè suam accusans, & animũ gerens grauatum. Cum omnes cõdemnat homines, tunc ait, nihil homo: omnem dicens naturam, laboriosum animal & erumnosum. Quot senectam admirantur? quot beatam vocant iuuentam? Sic & in ætatibus multum tristitiæ, cum nos propter ætatem videmus accusari, dicimus: Quare non fuimus senes? cum vero vertex albescit, rursum dicimus, vbi iuuetã: Et omnino multas tristitiæ causas habemus. Vna tantũ est ab hac inæqualitate libera via, quæ secundum virtutem est: quin vero & hæc tristitiam habet, sed tristitiã non inutile, sed lucrum habentem & vtilitatem. Vel enim aliquis peccauit, & per tristitiam compunctus abluit peccata, vel cum fratre lapsõ doluit, & hic quoque non exiguã habet mercedè. In calamitatibus enim cũ proximo dolere, multã nobis apud deum fiduciã præbet. Audi quanta de Iob diuina philosophatur scriptura, audi quid dicat & Paulus: Flete cum flëtibus, humilibus cõsentientes. Mœretium enim societas graue tristitiæ vehementiã auferre cõsuevit. Sicut enim in onere, si quis ponderis partè susceperit, soli ferèti sarcinam leuauit: sic & in omnibus aliis. Nunc autè ex necessariis aliquo nobis defuncto, multi assidetes, cõsolantes multi, & asinũ quando lapsum suscitamus: amicorũ autem nostrorũ animas cadetes, magis quàm asinum despiciamus ac negligimus. Et si turpiter in cauponè eum viderimus intrantem, non inhibemus: siue ebrĩũ, non arceamus: siue quicquid aliud gerètem absurdi, sed omnia cooperamur: propterea Paulus dicebat, Nò tantum ea qui faciunt, verum & consentiunt facientibus. Et potus & ebrietatis confortia multi faciunt. Fac homo conspirationes, ut ebrietatis furorem deponas. Bona vinctis hæc amicalia, & in tribulatione positis: tale quid & Paulus Corinthiis præcepit, Ne cũ venero, inquit, tunc rationes fiant. Nunc autem propter ebrietatem delicias quidem, & luxum omnia facimus: & communem luctum, & mensam communem, commune & vinum, communem facimus & impensam, eleemosynam autem facit communem nemo. Hæc erant apud apostolos amicalia: omnes in mediũ sua ponebant. Ego vero non omnia, sed aliquam partè quam quisque probauerit: inquit, Definat vnusquisque per vnã sabbatorũ, ut aliquem censum pro septem ferat diebus, & deponat, & ita

& ita det eleemosynam, siue paruum, siue magnum: ait enim, Non apparebis vacuus coram domino. Iudæis hæc dicebantur, quanto magis nobis? propterea pauperes ante fores positi sunt, ne quis vacuus ingrediatur, ut introeat cum eleemosyna: si ut misericordiam consequaris, intras, prius miserere: qui vero posterius venit, plus debet. Cum enim nos inceperimus, secundus plus erogat. Fac tibi deum debitorem, & tunc eum pete, mutua & tandem deum repete, ut cum scœnore recipias. Vult hoc deus, non refugit. Si cum eleemosyna petas, gratias habet: si cum eleemosyna reposcas, mutuas & capis scœnora: ita vos exhortor. Non in manuum extensione fatis est audiri. Extende manus tuas, non in cœlum, sed ad pauperum manus. Si ad pauperum manus extenderis manum, ipsum cœli verticem tetigeris: qui enim illic sedet, eleemosynam suscipit. Si vero porrexeris vacuas, nihil profeceris. Dic enim queso, si rex ad te veniens cum purpura, rogasset, nónne omnia prompte tua dedisses? Non enim in manuum eleuatione, nec in verborum copia, sed in operibus exauditor. Audi nanque prophetam Esaiam dicentem: Si manus vestras extederitis, auertam oculos meos à vobis. Et si multiplicaueritis orationem, non exaudiam vos. Opus enim est tacere, nec in cœlum respicere misericordiam indigentem, utpote qui fiduciam non habeat multa loquendi. Sed quid ait? Iudicate pupillo & humili, & iustificate viduam, & discite bonum facere. Ita licet deorsum manus habeamus, audiri poterimus, licet nihil loquamur, aut petamus. Hæc itaque imitemur, ut bona vobis promissa assequamur, in Christo Iesu domino nostro, cum quo patri, simul & spiritui sancto gloria, imperium & honor, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Esai. 1.

Quod infestantem magnanimiter ferre propter deum manus est quàm benefacere. Thef. 1. Homilia LXVIII.

Philip. 4.



EMPER gaudete, beatus inquit Paulus, dilectissimi, sine intermissione orate, in omnibus gratias agentes. Hæc est enim voluntas dei, semper gratias agere: hoc est animæ sapienter instituta. Passus es aliquid mali, sed si velis, non est malum: gratias age deo, & malum in bonum fuerit transmutatum. Dic tu quoque quemadmodum & Iob: Sit nomen domini benedictum in secula. Quid enim tale, queso, passus es? Incubuit morbus. At nihil nouum est, corpus enim mortale nobis est, & pati natum. Sed pecuniarum inopia: verum & hæc acquiri possunt, & amitti, & hic tantum manent. Sed ab inimicis insidiæ & calumniæ: Sed nos in his iniuriam non patimur, sed illi qui faciunt: ait enim, Anima quæ peccat, ipsa & morietur. Peccauit autem non qui male passus est, sed qui malefecit. Non ergo mortuum oportet vlscisci, sed orare pro eo, ut eruatur à morte. Nónne videtis apem quemadmodum immoritur aculeo. Per illud nos animal docet deus, ne proximos afficiamus tristitia, ipsi nanque prius mortem excipimus. Et illos quidem fortè paululum lædimus, nos autem non amplius viuimus, quemadmodum nec illud animal. Et si laudat illud scriptura, quòd operarium sit asserens, cuius opes reges & priuati ad sanitatem offerunt: nihil tamen ipsi prodest, ne moriatur, sed omnino moriatur est opus. Ergo si illam non liberat malefacientem in reliquis præstantia, multo minus nos. Ferarum est vere scruissimarum, nemine quempiam lædente iniuriam incipere, imò verò neque ferarum. Illa nanque si permittas in

Ezech. 18.

A deserto se pascere, neque coangustans in necessitatem redegeris, nunquam lædent, nunquam impetent, nunquam mordebunt, sed propriam transibunt viam: tu vero cum sis homo rationalis tanto decoratus principatu, tanto honore & gloria, circa conflaguineos feras inuitaris, & iniuria fratrem afficis & deuoras, & unde poteris excusari? Non Paulum audis dicentem: Quare potius iniuriam nò patimini? quare potius non priuamini? At vos iniuriam facitis, & auferitis, idq; fratribus. Vides quòd male pati, in malefaciendo est: bene vero pati, in male patiendo. Dic enim, queso, si quis principes conuiciis infestaretur, si quis rerum dominos afficeret iniuria, quem læderet, semetipsum an illos? Planũ est quòd semetipsum. Ergo principem quidem lædens, non illi, sed sibi nocet: Christum autem contumelia afficiens, per illud eum contumeliam patitur cogit? Nequaquam. Imagines lapidibus impetis, quem lapidat: nónne semetipsum? Et postea regis quidè terreni lapidans imaginem, se lapidibus obruit: Christi vero temerans imaginem (homo nanque dei imago) nónne semetipsum lædit? Quousque pecuniarũ amore feremur? Non desisto aduersus eas clamare: hæc nanque sunt omnium causæ. Quousque satietatem non capimus inexplibilis huius cupiditatis? Quid habet aurum boni in hoc consternatus sum. Fascinatio quædam est huiusmodi res, quòd aurum & argentum à nobis tantum pendatur. Ergo nostrarum quidem animarum nulla nobis cura, irrationalium autem imaginum multa sollicitudo. Vnde surrepsit hæc orbi terrarum agritudo? Quis eam exterminare poterit? Quæ hanc difficilem eliminare ferã ratio? quæ perdere armatura? Hominum mentibus est insepulta cupiditas, & eorum qui in pietate constituti videntur. Euangelica reuereamur præcepta, in scriptura tantum verba sunt sita, in operibus vero nusquam inueniuntur. Sed quæ honesta multorum ratio? Pueros, inquit, habeo, & timeo ne quando in famis & indigentia constituar necessitate, ne quãdo alienis egeam. Mendicare erubescio. Igitur propterea facis alios medicare: Non possum, inquit, esurire, ergo propter hoc alios fame conuoluis? Nosti quantũ sit malum mendicare, quantũ fame perire? parce & fratribus tuis. Erubescis queso, esurire, rapere vero non erubescis? Times fame necari, alios autem necare non times? Atqui esurire quidè nec dedecus nec crim: habet: alios autem his inuoluere, nò tantũ est dedecus, verũ & extremũ infert supplicium. Prætextus hæc omnia sunt & verba, & nugæ. Quòd enim propter filios non facitis, testantur quotquot filios quidem non habent, nec habebunt: ita tamen cruciantur & laborant, & diuitias congregant, ac si filios haberet innumeros quibus relinqueret. Non est filiorum cura quæ pecuniarum amorem faciat, sed animæ morbus. Propter hunc & multi non habentes circa pecunias insanunt: alij vero liberis affluentes, & diuitias contemnunt, illi te redarguet in illa die. Nam si te filiorum necessitas ad illam pecuniarum accumulationem cogebat, oportebat & illos eandè habere cupiditatem. Si vero non habent, nò ex numerosa sobole, sed ex auaricia bacchamur. Et qui sunt, inquit, qui cum filiis pecunias contemnunt? Multi, & multi in locis. Si vero vis & ex antiquorum temporibus commemorabo. Nónne duodecim filios habuit Iacob? Nónne mercenariorũ vitã degebat? Nónne à socero patiebatur iniuriam? Nónne frequenter eum spreuit? Nunquid eum copiosa soboles aliquid indignũ deliberare coegit? Quid autem Abraham? nónne cum Isaac, & alios plures

1. Cor. 6.

plures habebat filios: Quid ergo: nonne sua hospitibus parabat? Vides quod non tantum non iniuriam inferebat, verum & propria largiebatur: non enim tantum bene merens, verum & eligens à nepote iniuriam pati. Multo nãque maius est, cum cui quid aufertur, propter deum & que ferre, quàm bene mereri. Quare? quoniam hic quidem est animæ fructus & voluntatis, vnde facile fit: hoc autem est infestatio, & violentia. Et facilius aliquis mille talenta voluntarius amitteret, nihilq; graue se passum esse putaret, quàm tribus obolis inuite priuatus eque ferret. Hoc itaque magis est animæ philosophia. Et hoc in Abraham factum esse videmus. Videbat enim Loth regionem finitimam, & erat irrigua, & paradus dei, & eam elegit, & nihil ille cõtraxit. Vides quod non modo non afferebat iniuriam, verum & iniuriã sustinebat: Quid filios tuos accusas homo: non propterea nobis deus filios dedit, vt aliena rapiamus. Vide ne deum irrites, hoc dicens. Nã si hoc dicit, quod ipsi rapinã tuã sunt autores, & auariciã, vereor ne eis tanquam tibi nocentibus & insidiantibus priueris. Deus tibi filios dedit, vt in senectute te pascant, vt abs te discant virtutem. Propter hoc enim ita voluit hominum genus consistere, duo magna comparans, vnum quidem patres præficiendo magistros: alterum vero magnam infundendo charitatem. Si enim homines erant incassum futuri, nulla cuique ratio cū vllò fuisset. Nam si nunc, cum nunc patres & filij sint, & progeniti, multi multorum curam non gerunt: multo magis tūc, propterea tibi deus liberos dedit: ne filios igitur accuses. Si vero filios habentes nullam habent excusationem: non habentes, & circa diuitiarum accumulatione laborantes, quam proferent rationem? Sed est quædam & illis ratio omni caris excusatione. Quæ vero tandē est ista? Vt pro filiis, inquit, diuitias monumentum habeamus. Multus vero risus. Pro filiis, inquit, domus memoria fit immortalis gloriæ meæ. Nō gloriæ tuæ, ô homo, sed auariciæ monumētum erit. An non vides nūc quàm multi splendidas domos pertrãseunt, inter se talia differunt: Quantum ille vsurpauit, quātum rapuit vt hanc domum ædificaret? Et ille nunc quidem factus est cinis & puluis: hæc autem in aliorum hæreditatem transiit. Non ergo gloriæ tuæ relinquit monumentum, sed auariciæ. Et corpus quidem tuum terra conditum est: auariciæ vero memoriam temporis longitudine cum latere possit, nō permittis, sed per domum refutare facis, & refodi. Donec enim hæc steterit tuum habens cognomētum, vt domus talis dicatur, omnino necessarium est, & omnium ora cõtra referari. Vides quod melius est nihil habere, quàm hanc accusatorem sustinere? Et hic quidem ista: illic vero quid faciemus, quæso? Tantorum quidem facti possessores, nihil autem de nostris vel paucissima dilargiti, quo modo rapinas exuemus? Qui nãque rapinam vult exuere, nō ē multis pauca erogat, sed raptis multo plura, & rapere desistit: audi quid Zacchæus dicat. Et omnium quæ rapui, quadruplum reddo. Tu vero decies mille rapiēs talenta, si paucas dederis drachmas, te totum reddidisse putas, & tanquam plura dederis, ita te geris, & ita vero vix. Quare? Oportet enim & ipsa reddere illa, & alia de propriis adiungere. Sicut enim fur, cū illa sola reddiderit, nō est excusatus, sed & frequenter animam adiecit: frequenter autē cum multo plura tribuerit, absolutus est. Sic & rapax: nã & auarus rapax, fur est & latro, illo lōge deterior, quanto & violentior. Ille nanque tum latēdo, tum nocte grassando multum

de facinore succidit, vt pote qui vereatur & timeat peccare: hic autē perfricata fronte, nudo capite, per medium forum res omnium rapit, se furem simul exhibēs & tyrannum, non perfodit parietes, neque lucernã extinguit, nec arcam reseat, aut corrūpit signacula. Sed quid? his audaciora facit, carētib; his qui patiuntur iniuriam, per portam expellit, omnia cum fiducia aperit, ipsos sua per se cogit exponere, tantus est excessus violentiæ. Hic illis multo scelestior, quāto & impudentior & violentior. Nam ille quidē per insidias aliquid passus, dolet quidem: non paruam tamen habet consolationem, quod & ipse qui facit iniuriam, formidat: hic autem vltra quod passus est atque contemptus, neque vim ferre poterit. Maior enim risus. Dic mihi, si quis latens vxorem polluisset: alius autem hoc cernente viro fecisset, vter maiorem tristitiam attulisset, vter maiori dolore affecisset? Hic enim præter quod male fecit, insuper & contempsit: ille vero si non aliud, se ostendit læsum timere. Idem & in pecuniis hic quidem claculum accipiēs, ita reueritus est, furtim scilicet surripiedo: qui vero palam & publice, præter damnū & ignominiam inuexit. Desinamus igitur aliena rapere, & qui sumus pauperes & diuites. Non enim ad diuites solos hic mihi sermo, verum & ad pauperes. Nam & ipsi rapiūt se pauperiorib; & artifices qui sunt ditiores & potentiores, eos qui magis indigent & pauperiores expilant, caupones alios caupones, & omnes qui in foro versantur. Itaque volo vndique iniuriam auferre. Non enim in eorum quæ rapiuntur & sublegūtur quantitate, sed in furantis voluntate iniuria constituitur. Quod autem hi potius fures sunt & raptores, qui neque parua aspernantur, scio meminiqu; me vobis dixisse, siquidē & vos meministis. Veruntamen nihil subtiliter supputemus, sint & ipsi pariter cum diuitibus. Jam mentē instituemus maiora non aggredi, plus nō concupiscere. In cœlis vero nunquã habeat terminū maiorum concupiscētia, sed quisq; semper amplius appetat. In terra vero necessitas, & modic⁹ vsus cuiq; sufficiat, & nihil amplius quærat, vt ita possit vera consequi bona, quibus vtinam omnes digni simus, gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi, cū quo patri, vna cū sancto spiritu gloria, decus & imperium nunc & semper, &c.

Quod peccatores lugendi sunt viuentes & mortui, & quid multum defunctis profunt elemosina, & officia pro eis exhibita.

Homilia LXIX.

MORS fratres indifferens est, & media. Non enim malum est mors, sed malum si mortuus tormentis tradatur. Neque rursus est bonum mors, sed bonū si defunctus seculo cum domino viuat. Quæ sunt post mortem, ea vel bona vel mala sunt. Circa defunctos itaq; ne temere lugeamus, neque de viuentibus stulte lætemur. Sed quid? lugeamus peccatores non tantum defunctos, verū & viuentes: de iustis autem gaudeamus, non modò superstibus, verū & mortuis. Nam illi quidem & viuētes mortui sunt: hi vero mortui quoque viuunt. Illi cū hic quoque supersunt, sunt omnibus miserabiliores, quoniam deum offendunt: at hi cū hinc quoque migrauerint, felices omnino: ad Christum enim transferunt. Peccatores vbi cūque fuerint, procul à rege morātur: propterea lachrymis sunt digni. Iusti siue hic, siue illic, cum rege sunt, & illic amplius & propinquius, nō per introitum, non per fidē, sed facie ad faciē. Ne mortuos itaque temere desleamus, sed in peccatis mortuos: hi nanq; luctu sunt

Psal. 6.

sunt digni, hi planctibus & lachrymis. Quæ nanq; spes, quæso, cum peccatis migrasse, vbi peccata non datur exuere? Nam donec quidē hic erāt, multa fortassis erat expectatio, quod essent penitentiã acturi, futuriq; meliores: si vero tartarum vbi per penitentiã nihil lucrari cõceditur, petierint: dicitur enim, in inferno autem quis confitebitur tibi: quo modo nō sunt lachrymis digni? Ita migrantes lugeamus, nō prohibeo. Lugeamus, sed non indecenter, nō comas vellentes, non detegentes brachia, oculos non dissipantes, non pullis vtentes vestibus: sed tantum in animo silenter amaras fundentes lachrymas. Licet enim & absque hoc exteriori cultu amariter lugere, nec illudere dūtaxat. A ludibriis enim minime differunt, quæ geruntur à nonnullis. Quod etenim non ex doloris communicatione sint illi forenses planctus, sed ex ostentatione potius & ambitione sint, & inani gloria: inde clarū est, quod multæ per artem hoc faciunt. Amare plora, domi luge, vbi nemo te spectet, hoc est misericordiã, hoc & tibi prodesse potest. Alium enim ita desēs, multo magis studebit, ne & ipse in eadem incidat mala. Terribile nãque peccatum deinceps esse videbitur. Infideles itaq; deplora, deplora nihil ab illis differēs, absque illuminatione migrātes, & sigillis: hi vero lachrymis digni & luctibus: Sunt enim cum damnatis extra regales aulas, & pœnæ addicti. Amen quippe dico vobis, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non introibit in regnum cœlorum. In diuitiis desle defunctos qui nullam ex diuitiis sibi cõparauere consolationem, qui sua diluendi peccata potestatem acceperūt, & neglexerunt. Hos, inquam, seorsum & communiter lugeamus, sed cum modestia, sed honestatis ratione seruata. Sed ne nos ostētemus, hos desleamus, non vno vel altero die, sed totum vitæ nostræ tempus. Hæc siquidem haud sunt irrationalis motus lachrymæ, sed potius charitatis. Illud igitur est irrationalis motus, & propterea citius extinguitur: cum autē ex dei timore fuerit factū, semper manet. Hos lugeamus, post hos pro virib; clamemus, excogitemus eis aliquid solatii, minimum quidem, clamemus tamen. Qualiter & quoniam modo: Orantes & alios precātes, vt pro eis deprecētur, pro eis pauperibus largientes cõtinue. Habet hæc res aliquam consolationem: audi nãque deum dicentem: Protegā ciuitatē istam propter me, & propter David seruum meū. Si iusti duntaxat memoria tantum potuit, cum & opera pro ipso fuerint, quantū non valebit? Non temere ab apostolis hæc sancita fuerunt, vt in tremendis mysteriis defunctorum agatur cõmemoratio. Sciūt enim illis inde multum contingere lucrum, vtilitatem multam. Cum enim totus constiterit populus extēsis manibus, sacerdotalis plenitudo, & tremendū proponatur sacrificium, quo modo deum non exorabimur pro his deprecantes? Sed hoc quidem de his qui cum fide migrarūt. Catechumeni vero nec hac digni consolatione censentur, sed omni sunt tali suffragio priuati, præter vnum solum. Quod autem illud? Dare licet pro eis pauperibus, & ex hoc aliquid eis præstare refrigerationis. Vult nãque deus nos alterum alteri prodesse. Nam quare pro pace, mundi; tranquillitate nos iussit orare? quare pro omnibus hominibus: cum hic vbi que sint latrones & fures, ac sacrilegi, & infinitis pleni facinoribus, & tamen pro omnibus precamur, forsitan aliqua fiet eorū mutatio. Sicut itaque pro viuentibus precamur, qui nihil à mortuis differunt, ita pro illis quoque licet orare. Iob pro filiis hostias offerebat, & eos à peccatis absoluebat, ne fortē cogitassent

aliquid in corde suo, ita de filiis curam gerit. Nō dixit vt hominum plurimi. Relinquam eis patrimonia: non dixit, gloriam eis cõferam: nō ait, principatum emam: non ait, agros acquiram: sed quid? Ne fortē cogitauerint aliquid in corde suo. Quænam illorū vtilitas, nihil hic manētium: Omnium, inquit, regem eis reddam propiciam, & nihil eis amplius deerit. Dominus enim pascit me, & nihil mihi deerit. Hæc magne sunt opes, thesaurus magnus. Si dei timorem habeamus, nihil nobis est opus: si vero non hūc habeamus, etsi regnum ipsum possideamus, sumus omnium pauperrimi. Nihil & quæle deum timenti: timor enim domini omnia superat. Hunc possideamus itaque, omnia propter hunc faciamus, vt hunc assequamur timorem. Nemo iam itaque plāgat, aut ploret, nec Christi meritum afficiat calumnia: mortē etenim vicit. Quid igitur superfluas fundis lachrymas? somnus ea res est. Quid gemis & luges? hoc nanque si vel gentiles facerent, oportet deridere: quum vero fidelis in his se turpiter gerat, quæ fuerit excusatio? quæ venia talia fatue sectanti, & hæc post tantum temporis, & tam manifestam resurrectionis probationem? Tu vero quasi crimem augere festinās, & præficias nobis gentiles obiicis mulieres, dolorem suspendēs, & accendens fornacem. Neque dicentē audis Paulum: Quæ conuentio Christi ad Belial, aut quæ pars fidelis cū infideli? Et Græcorum quidem pueri, qui de resurrectione nihil nouerant, cõsolationis tamen inueniunt verba, dicentes: Fer generose, nam facta non licet infecta reddere, aut luctibus emēdare. An tu his altiora discēs? & vtiliora non confunderis, maiorem illis præferens deturpationem? Nec enim nos dicimus, Fer generose: nam factum nō licet infectū reddere: sed fer generose: omnino nanq; resurget: dormit infans, & nō est mortuus: quiescit, non autem perit, nam eum resurrectio suscipiet, & vita perennis & immortalis, angelicusque confessus. Non Psalmistam audis dicentem: Cõuerte re anima mea in requiē tuam, quoniam dominus benefecit tibi: Rem istam deus beneficiū nuncupat, & tu luges? Quid fecisses amplius, si defuncti hostis & inimicus fuisses? Nam si lugendum est, diabolū oportet luge-re. Ipse plāgat, ingemat ipse, quoniam ad maiora tendim⁹ bona. Ipsius est digna nequicia huiusmodi deploratio, non tibi cõueniens, qui coronam & requiem expectas. Tranquillus enim est portus, mors. Itaque considera quot plena malis est vita præfens: cogita quoties & ipse præsentem execratus es vitam: res etenim in deteriora prolabantur, quin & ab initio nō paruam fortitudo es damnationem. In doloribus enim ait, paries filios: & In sudore vultus tui vesceris pane tuo: & In mūdo tribulationem habebitis. De illic vero positus nihil huiusmodi dictum est, sed omne cõtrarium, quia fugit dolor, & gemitus & tristitia. Et quod ab Oriēte veniet & Occidente, & recumbent in sinibus Abraham, Isaac & Iacob. Et quod illic spiritualis spōsi thalamus, ardētē; lampades, & in cœlum transitus. Quid itaque defunctum cõfundis? quid facis vt alij timeant mortem, & perhorrescant? Quid agis vt multi deū accusent, vt pote qui magna parauerit incōmoda? Imò vero quid post hæc pauperes vocas, & orare facerdes exhortaris: Nonne vt in requiē transeat defunctus, & propiciū iudicē habeat? Pro his ergo luges, & vlulas? Nonne tibi metipsum repugnas & aduersaris, ex his quibus in portum ille deuenit, tibi parans procellā? Et quid faciam⁹ talis est natura. Non est naturæ crimen, neque rei consequentia, sed nos sumus qui confundimus omnia, qui mollescimus,

mollescimus, & propriam prodimus generositatem, & infideles reddimus peiores. Quo nāque modo proximum de immortalitate alloquemur? quo modo gentili persuadebimus, quū plus quā ille formidemus mortem & exhorrescamus? Multi quidē apud gentiles, licet de resurrectione sciētes nihil, sibi defunctis filiis coronati sunt, & apparuere cādidati, vt præsentem tantum gloriā consequerentur: tu vero neque propter futuram agere muliebriter & plāgere desistis. At heredes bonorumq; successorē non habes? Et quid malebas, eum tuorum, an cōlestium haredē fieri? Quid vero cupis eum pereuntia suscipere, quæ paulo post esset dimissurus, an permanentia & immobilia? Non heredem eum habuisti, sed ipsum pro te deus habuit. Propriorum non fuit fratrum coheres, sed Christi constitutus est, at iniquis, Cui vestimenta, cui domicilia, cui seruos & agros reliquimus? Ipsi rursus & tutius quā si vixisset, prohibet enim nihil. Nam si cum defunctis res barbari comburent, multo magis te cum defuncto propria mittere conueniens est, non vt fiant illis similia, sed vt hūc maiori gloria circundes. Et si peccator quidem obiit, vt soluat peccata: si vero iustus, vt mercedis fiat & retributionis accessio. Sed ipsum cernere desideras? Eādem cum eo vitam viue, & sacrā ocyus illam accipies præsentiā. Præter hæc autem & illud cogita, quod licet nos non audias, omnino tempore tibi persuadetur, sed nulla tibi tunc merces. Ex dierum enim multitudine consolatio confatur. Si vero nūc philosophari velis, duo maxima lucraberis. Nam & te malis in medio positus absolues, & a deo præclarā accipies coronam. Eleemosyna nanque & aliis huiusmodi multo maius est ærumnam æquanimitèr tolerare. Cogita quod dei filius mortuus est, & ille quidē propter te, tu vero propter te ipsum, & postquam dixit: Si possibile est, transeat calix iste, tristiciamq; pertulit, & agoniam, mortem tamen non effugit: verum & ipsam multa cum amaritudine sustinuit. Nec enim simpliciter mortem passus est, sed turpissimam, & ante mortē flagella, & ante flagella opprobria, derisiones atq; conuicia, te docēs vt omnia generose feras. Verūtamen postquam mortuus est, & corpus deposuit, rursus ipsum maiori cum gloria resumpsit, & hinc tibi bonā sp̄e præten-des. Si fabulæ non hæc sunt, noli lugere: si fide digna hæc esse putas, noli lachrymas fundere. Quod si fleueris, quo modo gentili poteris quod credas persuadere? Verū & ita tibi casus intolerabilis esse videtur: ergo propter hoc ipsum non est legendus. A multis enim huiusmodi calamitatibus ille liberatus est, noli ergo ipsi inuidere aut æmulari. Sibi nanque mortem propter immaturū illius obitum expetere, illum autem quod nō viuat, lugere, vt scilicet multa patiatur huiusmodi, æmulantis & inuidētis magis esse videtur. Ne cōsideres illud, quod non amplius domum reuertetur, sed quod paulo post & ipse ad eum reuertetur. Noli hoc cogitare, quod ille nō vltius huc regreditur, sed quod nec ista quæ cernuntur, permanētalia, verum & ipsa transformātur. Etenim & cælum, & terra, & mare, & omnia simul transmutantur, tunc cum maiori gloria filium tuum recipies. Et si peccator quidē abiit, mala repressa sunt: nec si deus pœnitentiā acturū nouisset, ante pœnitentiā eum rapuisset. Si vero iustus vitam finiuit, in tuto bona consecutus est: itaque planum est, quod non ex charitate tuæ sunt lachrymæ, sed ex irrationali motu. Quoniam si defunctū diligeres, gaudere oporteret, atq; lætari, quod ex præsentibus procellis esset absolutus. Quid enim amplius superest,

quæso? quid vero peregrinū & nouum? Nonne per singulos dies eadē cernimus retorqueri? Dies & nox, nox & dies, hyems & æstas, æstas & hyems, & amplius nihil: & hæc quidem semper eadem, mala vero peregrina & recetiora. Hæc igitur ipsum sustinere per singulos dies, & hic manere volebas, & ægrotare, flere, formidare & contremiscere, & has quidem pati molestias, has vero ne patiat, timere. Nec enim illud dicere possis, quod hoc vastū nauigās mare possit mœrere, & curis, & aliis huiusmodi liber extare. Adhæc & illud cogita, quod non immortalē genuisti, & nisi nūc mortuus fuisset, hoc paulo post sustinisset. Sed ex eo non es saturatus? Verum illic omnino frueris. Sed etiam hic cernere cōcupiscis: & quid est impedimētū? Licet enim & hic si viles futurorū nanq; spes est visu manifestior. Tu vero si fuisset in regalibus aulis, nunquam eum cernere quæsis, audiens eum se præclare gerentem: ad multo meliora vero peregrinatum videns, modico tēpore frangeris, & hæc cum pro illo cohabitātem habeas. Sed verum non habes, habes tamen cōsolatorem, patrem orphanorum, & iudicem viduarum. Audias & Paulū huiusmodi beatā vocantem viduam, atque dicentē: Quæ vere vidua est, & desolata, speret in deum. Etenim probabilior huiusmodi videbitur, cum maiorem exhibeat tolerantia. Noli ergo lugere vnde coronaris, vnde recipies mercedem: depositū enim reddideris, si quod tibi creditū est, exhibueris. Ne iam sollicita sis, cum in tuto possessionē thesauro reposueris. Si vero & cōsideres, qualis sit ista præsens vita, qualis vero futura: & quod præsens aranea quidem est & vmbra, omnia vero futura sunt immota, & immortalia, nec aliis iam opus habueris sermonibus: nunc quidē infans ab omni liberatus est mutatione: si vero morat⁹ hic fuisset, fortasse bonus, fortassis autē non fuisset huiusmodi. An non vides quot proprios abdicāt filios, quot his qui abdicātur peiores domi cōercere coguntur? Hæc omnia meditātes, sapienter agamus. Sic enim & defuncto rem gratam agemus, & ab hominibus multas laudes assequemur, & a deo magna recipiemus præmia patiētiæ, & æternis partiemur bonis: quæ nobis omnibus detur adipisci, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, &c.

Quod pro defunctis legendum non est, sed orandum.
Homilia LXX.

MORTIS tyrannidem eiiciens deus, charissimi, simul & diaboli soluit potentia. Quināque de resurrectione multa sapienter nouerit meditari, quo modo mortem formidauerit? quo modo iam exhorrescat? Itaq; ne turbemini dicentes, Quā ob rem hæc & hæc passi sumus: sic enim corona splendidior efficitur, nec esset splendida, nisi mortē morte soluisset. Hoc autē est admirabile, quod eam per ea quibus præualebat, euicit, ipsius facile & leuissimam semper ostendens expugnationē. Ne prodamus itaque collatum nobis munus. Non enim accepimus spiritum seruitutis, sed spiritū virtutis & charitatis & modestiæ. Stemus itaque fortiter mortē deridentes. Sed occurrit mihi amarissimus gemitus, vt deplorē, quōnam Christus quidē nos perduxit, quōd vero nos ipsos deiecimus. Cum enim circa forum planctus, eiulatus circa vitam relinquentes exhibitos, vllulatusq; & alias turpitudines video: credite, pudet Iudæorum cernentium & hereticorum, & omnium nos propter hoc deridentium. Nam quæcunq; iam dixerō, de resurrectione differens, inuānum loquar. Quare vero? Quoniam his quæ dicuntur a nobis,

nobis, non intendunt gentiles, sed his quæ geruntur a vobis, statim enim dicent, Quando fiet vt horum aliquis mortem contemnat, qui nec alterum videre mortuum potest? Bona quæ dicta sunt a Paulo, bona cœlisq; & dei benignitate condigna. Quid enim ait? Et liberabit hos qui metu mortis per omnem vitam erant rei seruitutis. Sed vos ista credi non finitis, aduersus ea operibus pugnantes, licet multa fieri deus antea struxerit, vt hanc improbam tolleret consuetudinem. Quid enim ardētis, quæso, lampades sibi volunt? nonne tantquam athletas eos comitamur? Quid autem hymni nonne glorificamus deum, & illi gratias agimus, quia iam defunctum coronauit, absoluit a laboribus, & ab incertitudine sublatus penes se retinet? Nonne hymni propterea? nonne propterea psalmodiæ? Hæc omnia sunt gaudentium. Lætus enim est aliquis, psallat, sed non hæc intuentur gentiles: ait enim, Ne mihi proponas illum qui carens affectu philosophatur. Hoc enim in se nil magnū, nil habet mirabile. Ostende mihi hominem in ipso seruātem disciplinam affectu, tunc de resurrectione credam. Et seculares quidē mulieres hoc facere nihil est mirandum, licet & ipsum graue sit: nam & ipsæ parem exigunt disciplinam, & propterea Paulus ait, De dormientibus autem nolimus vos ignorare, vt non contristemini, sicut & ceteri qui spem non habent. Non hæc solum solitariis scribebat, neque perpetuam vouentibus virginitatem, sed secularibus: nec tamen hoc tam graue. Quando vero mulier aliqua, vel vir se cum Christo crucifixum esse dicens: hic quidem capillus laniat, illa vero nimum plorat, quid hoc de seipsum esse possit? Mihi credite dicenti: si fieret, vt oportet, multum temporis ab ecclesiæ liminibus tales essent arcēdi. Hi nanque luctu vere sunt digni, qui mortem timent & perhorrescunt, neque resurrectione credunt. At, inquis, resurrectionem nō nego, sed familiaritatem desidero. Quare ergo, cum peregrinatur, & peregrinatione quidem longinqua, non eadem facis? Sed tunc quoque ploro desiderans, & lugeo. Illud quidem vere consuetam est quærētium præsentiam: hoc autem reuersionem desperatis. Quid psallas, cogita, quum ad illum perueneris locum, Conuertere anima mea in requiem tuam, quia dominus benefecit tibi: & iterum: Non timebo mala, quoniam tu mecum es: & rursum: Tu es refugium meum a tribulatione quæ circumdedit me. Quid isti velint psalmi recogita, sed non animaduertis, & es luctu ebria, saltem in alienis funeribus diligenter considera, vt in tuis remedium habeas. Dicis, Conuertere anima mea in requiem tuam, quia dominus benefecit tibi, & luges? Nonne fabulosa est representatio? nonne simulatio? Nā si vere quæ profers, credis, ociose luges: si vero ludis, & simulas, & fabulas hæc esse putas, cur & tu psallis, & aduenientes toleras? Quare psallentes non abigis? Sed hoc est furentium, verum & multo magis illud: igitur interim quidē admoneo. Processu vero temporis hoc acrius faciam. Magnopere nanque timeo, ne per hunc modum aliquod graue vicium ecclesiæ subrepat: luctuum ergo postea corrigemus errorem. Nunc autem annuncio, & plurimū pro testor diuitibus & pauperibus, mulieribus & viris, fiat quidem vt omnes absque luctu vita migretis: & iuxta congruam legem profecti, senes a filiis & a filiabus, & natis, & progenitis matres in pingui senio deducantur, nec vnquam mors sit immatura. Hoc, inquam, fiat, hoc precibus exposco. Et præidentes vero, & vos omnes exhortor, deum alter pro altero rogetis, & hanc

communem faciatis orationem. Si vero (quod absit, nec accidat) acerba quæpiam mors ingruat (acerba vero dico, non naturaliter: nec enim mors iam est acerba: nihil enim a somno differt, sed ex affectu nostro videtur acerba) si ingruat, & aliqui præficas lugentes istas conduxerint, mihi credite dicente, non aliter atque sentio loquar. Quicumque voluerit irascatur, eos ab ecclesia multum temporis arcebo, tanquam idolorum cultores. Nam si Paulus avarum vocat idolorum cultorem, multo magis eum qui circa fidelem, ea quæ sunt idololatrarum, exhibet. Quæ nanque de causa, quæso, presbyterosque vocas, & psallentes? nonne quo te consolentur? nonne quod defunctū honoret? Cur igitur ipsum afficis contumelia? Quare publica prosequeris ignominia? Cur nanque in scena deludis? Nos venimus de resurrectione philosophantes, docentes cunctos & nondum percussos, per honorē illis redditum, si quando tale quid accidat, generose perferre: tu vero fœminas nostra destruentes, quantum in ipsis est, producis? Quid hoc risu peius & subfannatione? quid hac inæqualitate grauius? Erubescite & reueremini. Quod si vos non vultis, nos tales ecclesiæ perniciosas consuetudines introducere non toleramus. Peccantes enim, ait Paulus, corā omnibus argue. Et illas vero miserās, & infelices per vos prohibemus, ne vnquam efferendis intersint fidelibus, ne propria cogamus eas mala verè desere, & doceamus, nō in alienis hæc agere, sed proprias potius grummas lætari. Nam & pius pater cum filium habet prodigum, non illum admonet solum, ne viciosis iungatur, verum & illos perterrefacit. En igitur & illas per vos commoneo, vt neque vos huiusmodi vocetis, nec illæ veniāt. Et fiat quidem, vt sermo quid amplius operetur, & minæ præualeāt. Si vero, quod absit, contēpti fuerimus, minas ad rē deducere demū cogemur, vos quidē ecclesiasticis castigates legibus, illas vero, sicut eis cōueniet. Si quis autē arrogās cōtemnit, audiat Christū nunc quoq; dicentē: Si quis in te peccauerit, vade, corripe eum inter te & ipsum solum: si vero non audierit, assume tecū vnum vel duos: si autē & ita cōtradicat, dic ecclesiæ: si vero nec ecclesiā audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Sed si cōtra me peccātem, postquam me nō audierit, ita præcipit auerlari: in seipsum & in deū peccantē qualiter habere debeo, vos iudicate. Vos enim nos nō contemnatis tam mollitèr in vos insurgētis. Si quis autē nostra contēnit vincula, rursus eum Christū corrigit, dicens: Quæcunq; ligaueritis super terrā, erunt ligata & in cœlis: & quæcunq; solueritis super terram, erunt soluta & in cœlis. Nam si nos quoq; miseri, & nihili pendendi, & contemptu digni (sicut verè digni sumus) nō tamen nos ipsos viciscimur, nec iram vindicamus, sed nostræ curæ gerimus salutis: reueremini precor, & confundimini. Si quis enim amicum tolerat acrius æquo insurgentē, intentionem considerans, quod beneuole, non insolenter hoc agit: multo magis doctore increpantem, non autoritate tyrannica ista dicentē, neque quasi principis loco constitutum, sed curatoris: nec enim potestate ostentare volentes hæc dicimus. Quo modo nāque, qui nec in eorū experientiam venire volumus: sed dolentes pro vobis atque gementes. Ignoscite mihi, nec vllus ecclesiastica despiciat vincula. Non enim qui ligat est homo, sed Christus, qui nobis hanc cōtulit potestatem, & tāti dominos honoris homines constituit. Nā nos quidē ad soluendū duntaxat vti potestate vellemus, quinimō nec huius necessitatē vellemus habere: nullum enim volumus

mus apud nos esse captiuum. Non ita miseri sumus & ærumnosi, licet valde simus viles. Si vero coacti fuerimus, ignoscite. Nec enim sponte, vel volentes, sed plus vobis dolentes ligatis iniicimus vincula. Si quis autem hæc contemnat, iudicij tempus aderit, quod eum doceat. Reliquum autem nolo dicere, ne metem vestram consternem. Nam nos quidem primum, ne trahamur in necessitate, optamus. Quod si venerimus, nostrum implemus officium, vincula iniicimus. Si quis autem hæc diruperit, ego iam quod meum est erogo, & iam innocens sum. Ratio vero tibi ponetur apud eum qui me ligare præcepit, tu vero dic, Si rege coram sedete licetorum aliquis adstatiuum iustus sit aliquem in ordine positorem vincere, & imponere compedes: ille vero non tantum hunc repulerit, verum & contriuerit vincula: licetor est ne qui passus est iniuriam: nonne vero multo magis rex qui præcepit? Nam si que sunt contra fideles ipse sibi vendicat, eo qui docere statutus est, contumeliam passo: multo magis tanquam ipse sit passus contumeliam, afficietur. Sed absit quod aliquis eorum qui sunt in hac ecclesia, in horum veniat vinculorum necessitatem. Sicut enim speciosum est non peccare, ita est vile increpationem sustinere. Obiurgationem itaque feramus, & laboremus nunquam peccare: quod si peccauerimus, sustineamus redargutionem. Sicut bonum quidem non percuti, quod si tamen accidat, vulnere medicinam imponere: itidem & hic, sed nunquam accidat nos talium medicaminum indigere. Audiuius enim meliora de vobis, & quæ salutem apprehendant, etsi sic loquamur. Vehementius autem locuti sumus ad cautelam maiorem. Me namque melius est audacem a vobis, immitem & insolentem putari, quam quæ deo placent, vos non facere. Credimus autem deo, quod non erit inutilis hæc admonitio nostra, sed ita mutabimini, quod hi sermones in commendationes, & laudes vestras conuertentur: ut omnes digni bonis censeamur, quæ deus promissit diligentibus se, in Christo Iesu domino nostro, cum quo patri, simul & spiritui sancto, gloria & imperium, in secula seculorum, Amen.

*Quod nihil prod est nobis ieiunium, si reliqua desint merita:
& de oratione.*

Homilia LXXI.

SICVT hoc corpus quotidie corporalis indiget nutrimenti, ne multam cadens in imbecillitatem inefficax iaceat: itidem & anima spiritalis indiget pabuli, & optimæ conuersationis, ut in aliqua bonorum consuetudine posita, maligni demum insidiis constituatur inexpugnabilis. Per singulos itaque dies huius fortitudinem satagamus, & nos ipsos scrutantes, nunquam desistamus: & nobis ipsis rationem proponamus supputandam, & de his que introducuntur, & de his itidem que promuntur, quidnam vtiliter locuti sumus, quod autem ociosum protulimus verbū: & rursum quid vtile per aures in animam transmisimus, quid est contra nociturum intulimus. Et lingue quidem regulas quasdam, & leges ponamus, ut prius verba ruminet, & ita proferat. Metem quoque doceamus nihil admittere noxium. Verum & si quid huiusmodi extrinsecus inferatur, hoc quasi superfluū & nociturum repellere: & si nascatur intrinsecus, pia cogitatione statim fugare. Nec solam nobis in mediam ad vesperam vsque, ad salutem satis esse putemus. Nam cum ingratis ludæis misericors per Prophetam dixerit dominus: Ecce anni septuaginta, nunquid ieiunium ieiunastis mihi: Et cum comedistis, & bibistis, nūquid non

Zach. 7.

vobis comedistis, & vobismetipsis bibistis: Hæc ait dominus exercituum. Iudicium iustum iudicate, & misericordiam & miserationem facite vniuersis que cum proximo suo. Et viduam, & pupillum, & aduenam, & pauperem, nolite calumniari. Et malum vir fratri suo non cogitet in corde suo. Cum igitur illis adhuc in umbra sedentibus, & errorum affixis caligini, nulla de solo ieiunio fieret vtilitas, nisi reliqua corrigerent, & ex corde malignam in proximum voluntatem eiicerent: quam nos habebimus excusationem, a quibus exiguntur maiora, quiq; non tantum hæc facere iubemur, verum & inimicos diligere docemur, & beneficiis prosequi: Et quid dico prosequi beneficiis: orare nepe pro ipsis, dominumq; deprecari, & de habenda eorum providentia supplicare. Hoc enim nobis omnium maxime in illa tremenda proderit die, nostrorumq; peccatorum maxima erit cōsumptio, si nos in inimicos nostros ita disponamus. Nam & si præceptum est valde magnum, tamen si præmium hoc enauantibus propositum cogitaueris, nihil omnino videbitur. Quod autem illud est: Si hoc feceritis, similes eritis patri vestro qui est in cælis. Et ut manifestiorem nobis sermonem faceret, intulit, quod solem suum oriri facit super malos & bonos, & pluit super iustos & iniustos, ait enim, Imitare iuxta vires humanas deum. Nam sicut ille non iustus tantum solem facit oriri, verum & mala patrantibus: & pluuiam, & anniuersarios imbres non tantum bonis, verum & malis subministrat: ita tu quoque si non solos te diligentes diligas, sed etiam inimicum in te animum habentibus indulgeas, & beneficia cōferas, pro viribus tuis dominum imitaris. Vides qualiter in summum verticem hanc volentem obire virtutē eduxit? Ne solam itaque facti difficultatem charissime cogites, sed prius intra te reputa, quanto sis decorandus honore: & honoris occasio, licet sit graue quid & onerosum, leue tibi reddetur. Nonne enim debes habere gratias, quod per beneficium inimico collatum occasionem nascisceris, ut apud deum tibi fiduciæ fores referentur, & peccatorum tibi fiet absumptio: Sed forte cupis inimicum vlcisci, & eum qui te malis affecit, iisdem inuoluere, vel maioribus: Et quid ex hoc amplius erit, cum vltra quod nihil inde tibi nascetur vtilitatis, in illo terribili iudicio sis ex hoc pœnas daturus, tanquam positas ab ipso leges præuaricatus? Dic enim mihi, si quis rex super terram talem tulisset legem, ut inimici placarentur, vel mors esset supplicium: nonne propter huius corporeæ mortis metum omnes ad explendam legem concurrerent? Quæta ergo non esset dignus accusatione, propter mortem corpoream quidem, quam & alioqui naturæ nobis omnino debitum infert, omnia facere sustinens: at propter mortem, cui consolatio non potest inueniri, legis ab omnium domino late curam gerens minorem? Sed non animaduertebat hæc dicens, cum his qui neque parem se diligentibus exhibent charitatem, mihi sermonem esse. Quis itaque nos iam ab illo liberabit supplicio, cum non tantum ab illo simus mandato procul constituti, sed nec eadē cum publicanis efficiamus: ait enim: Si diligatis diligentes vos, quid magnum facitis? nonne & publicani idem faciunt: Cū itaque nec hoc a nobis impleatur, quæ iam nobis salutis spes? Propterea cohortor, ne simus absq; visceribus misericordiæ, sed sensum nostrum domemus, primumq; doceamus, ut proximum in charitate superet, & iuxta beatum Paulum dicentem: In humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes, ne tolleretur superari, sed vincat atq; transcendat, & maiorem exhibeat,

exhibeat, & feruentiorem in se diligentes affectum. Hoc enim est, quod maxime nostram continet vitam, atque connectit, & per hoc a beluis & brutis differimus: quod si velimus, congruum nobis possumus ordinem conseruare, & magnam in proximum vnanimitatem exhibere: tum reprimere sensum, & hanc indomitam feram: animum dico, mansuefacere, & ipsi tremēdi certamen iudicij proponere: & docere quod si cum inimicis conciliari polliceatur, magnis bonis potietur: si vero cōten dat adhuc, multum damnationis incurret. Non enim incassum & temerè nos tempus oportet absumere, sed per singulos dies & horas domini iudicij ante oculos ponere: & quæ nobis multam possunt præbere fiduciam, quæ vero supplicium inferant, ut ita nostris hæc præcordiis versantes, vincamus, & carnis nostræ reprimamus lasciuias, mortificemusque, iuxta beatum Paulum, membra nostra, quæ sunt super terram, fornicationem, immundiciam, libidinem, concupiscentiam malam, furorē, auariciam, inanem gloriam, & inuidiam. Si nos his mortuos viciis constituerimus, ne possint in nobis operari, spiritus fructum capere poterimus: qui est charitas, gaudium, pax, longanimitas, suauitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia. Hæc Christiani sit ab infideli differentia: hæc nostra sint insignia, ne nomine solo gloriemur, nec ex habitu altum sapiamus: imò verò neque si quæ recēsumus, verè possideamus, vñquam exaltemur: sed multo magis nos & tunc contrahamus: ait enim, Cum omnia feceritis, dicite, inutiles serui sumus. Si fuerimus ita meditati, & ita nostram curemus salutem, & aliis, & nobismetipsis plurimum prodesse poterimus. At si fide quidem opus est, quid est opus ieiunio? quoniam & illud cum fide non modicam inducit fortitudinem: multam enim adfert disciplinam, & angelum ex homine reddit, & cū incorporeis pugnat virtutibus, sed non per se: opus enim est & oratione, & oratione primo. Nā aspice, quot ex ambobus bona nascuntur. Orans enim, & ut oportet ieiunans non multis eget: qui vero multis non eget, nunquam fiet avarus, & ad eleemosynam magis est aptus. Ieiunans leuis est, & alatus, & cum solertia orat, & improbas extinguit concupiscentias, deum placat, & insurgentem animam humiliat. Propterea & Apostoli ferè semper ieiunabant. Orans cum ieiunio geminas habet alas, & ipsis quidem ventis leuioribus: nec enim oscitat, & distenditur, & orans languescit, quod multi patiuntur: sed est igne vehementior, & terra superior: & propterea talis maxime dæmonibus est infestus, & hostis. Nihil enim fortius homine legitime orate. Nam si sanum principem quandam, qui neque deum timebat, nec hominem reuerbatur, placare potuit mulier: multo magis deum alluciet, qui ei iugiter assistit, vincit ventrem, & delicias eliminat. Si vero tibi corpus infirmum ad continue ieiunandum, non tamen est infirmum ad orandum, nec ad vtrius respectum imbecille. Nam si ieiunare non etiam potes, potes tamen abstinere delicias. Hoc autem non minimum est, nec a ieiunio multum distans: sed ipsum quoq; diaboli furorem prostertere idoneum. Nihil enim illi tam gratum dæmonio, quam deliciae sunt, & ebrietas: quoniam omnium est fons malorum, & genitrix. Per hanc demum Israëlitas in idolorum cultum præcipitauit. Per hanc Sodomitas in nefarios accendit amores. Hæc est enim, inquit, impietas Sodomorum. In superbia, satietate panum, & conuiuio luxuriabantur. Per hanc alios perdit innumeros, & gehennæ tradidit. Quid enim mali non operantur deliciae: ex hominibus porcos efficiunt, & porcis deterio-

Luc. 17.

Exeb. 16.

Math. 5.

A res. Porcus enim intuluit in cœno, & stercore pasci- tur: hic autem abominabili magis vescitur mensa, illi- citos excogitans coitus, & nefarios amores. Huiusmodi nihil a dæmoniaco differt: simili nanque fertur impudentia, similique bacchatur furore, & dæmone quidem pressum saltem miseramur, huc autem auersamur, & odimus. Quid ita tandem? quoniam spontaneum ad se trahit furorem, & os, & oculos, & nares, & omnia generaliter diuersoria, ductus & riuos facit furoris. Quod si videas & interiora, animam quoque cōspicies quasi quadam in hyeme & gelu coagulata atque languentem, & propter nimiam procellam magnitudinem scaphæ nihil prodesse valentem. Quot ex hac tempestate mala viri mulierisque patientur, dicere pudet: ipsorum autem conscientia derelinquo, quæ hæc plenius nouit. Quid enim ebria turpius muliere, quæ temerè circumferatur: Quanto nanque vas est imbecillius, tanto maius est naufragium, siue libera, siue sit serua. Nam libera quidem in medio seruorum theatro turpiter agit. Serua vero rursum similiter inter seruos, & agunt ut dei dona blasphemiam ab insipientibus patiantur. Multos nempe dicentes audio, cum tales accidunt turpitudines: Non sit vinum. O ignorantiam, o stoliditatem! Aliis peccantibus dei donum accusas: quantus hic est furor? nūquid vinum hoc malum effecit: non vinum, sed male dispensantium immodestia. Dic itaque, ne sit ebrietas, ne sine delicia. Si vero dicas ne sit vinum, dices & sensim procedens: Ne sit ferrum propter homicidas, ne sit nox propter fures, ne sit lux propter calumniatores, ne sit mulier propter adulteria, & omnia penitus tolles: sed noli ita facere, hoc enim est satanicæ mentis. Nec vinum, sed ebrietatem accusa. Et hunc vigilantem arripiens ipsius subscribe turpitudinē, & dic ad eum. Vinum est datum, ut delectemur, non ut deonestemur: ut rideamus, non ut rideamur: ut valeamus, non ut agrotemus: ut corrigamus corporis valetudinē, non ut animam prosternamus virtutē. Te dono deus honorauit, cur te ipsum per immodestiam afficis contumelia? Audi quid Paulus dicat: Vino modico vtere propter stomachum, & frequentes infirmitates tuas. Si vero sanctus ille morbo laborans, & fre- quentes patiens agitudines, vinum non gustabat, donec præceptor mandauit: quam nos habuerimus veniā, qui in bona valetudine sectamur ebrietatē? igitur illi quidem dicebat: Vino modico vtere propter stomachum. Cuius vero nostrum ebriorū dicit, Vino modico vtere propter fornicationes, propter crebra turpiloquia, propter cæteras turpes concupiscentias quas solet ebrietas parere. Si vero propter hæc abstinere recusatis, propter concupiscentias saltem & molestias ex eo venientes abstinete. Vinum enim ad laticiam datum est. Vinum enim, inquit, lætificat cor hominis. Vos autem & hanc eius virtutem destruitis. Quæ nanque leticia non esse in semetipso, innumerosque pati dolores, & omnia se circumferentia spectare virtiginēq; detineri, & iuxta febricitantes opus habere caput oleo rigantibus: Hæc a me non ad omnes dicta sunt, imò vero ad omnes: non quoniam omnes inebrietur, absit: sed quoniam ebriorū non ebriamur non gerunt: propter hoc & in vos sanos magis inuehor. Nam & medicus agrotantes omittens, ipsis assidentes alloquitur. Ad vos itaque sermonem dirigo, supplicans, & ne tali vñquā vicio capiamini: & captos, ne brutis peiores videantur, admoneatis. Hæc nanque nihil amplius necessitate querunt, illi vero & illis brutiores facti sunt, mediocritatis terminos excedentes. Quanto nanque melior his est asinus? quanto melior canis?

Psalm. 103.

Nam & horum quodlibet animalium, & omnium brutorum, seu comedere, seu sit opus bibere, necessitatem terminum nouit, nec ultra quod est opus progreditur: licet sint infiniti qui cogant, in immodestiam procedere non patitur. Non ergo sitis vos deteriores: non apud sanos tantum, sed etiam apud uos ipsos. Quod enim canibus & asinis vos uiliores iudicatis, inde manifestum est: hec nanque bruta supra mensuram cibum sumere non cogis. Et si quis dixerit, quare dices, ne ledantur tibi uero nec hanc curam impendis. Ita te ipsum & illis uiliorem esse putas, & continue fluctuantem despicias. Nec enim tantum in ebrietatis die tempestatem sustines, sed etiam post illum diem. Et sicut febre praeterita, febris manet detrimentum: ita & ebrietate sublata, ebrietatis tam in anima, quam in corpore uersatur tempestas: & miserum quidem corpus solutum iacet, sicut ex naufragio scapha. Hoc autem infeliciores anima, etiam hoc soluto procellam suscitatur, & accedit libidinem: & cum continens esse uideatur, tunc praefertim insanit, uinum & dolia, phialas & crateres mente concipiens. Et sicut in tempestate sedata procella, tempestatis tamen remanet nocumentum, itidem & in ista: sicut enim illic mercium sit iactura, similiter & istic omnium ferè bonorum efficitur: siue modestiam inueniat, siue pudorè, siue prudentiam, siue mansuetudinem, aut humilitatem, in iniquitatis omnia proicit pelagus ebrietas. Sed quae sequuntur, non adhuc similia. Illic enim post iacturam scapha leuis efficitur: hic autem magis grauatur. Nam pro diuitiis illis arenam admittit, & salum laticem, & omnem ebrietatis sordem: quae cum nautis pariter & gubernatore, scapham illico submergit. Itaque ne talia patiamur, nos ab huiusmodi liberemus procella. Non licet cum ebrietate caelorum regna uidere: ait enim Apostolus, Nolite errare, non ebriosi, neque maledici regni dei possidebunt. Et quid dico regna caelorum? Cum ebrietate neque praesentia conspici possunt. Nam dies nobis noctes ebrietas esse facit, & lucem tenebras. Et apertis oculis nec ea, quae praepedibus sunt, ebrii cernunt. Ne hoc solum est graue, uerum & praeter haec aliam uisionem molestissimam patiuntur, stultos mæores, insaniam, malam ualitudinem, derisionem, & opprobrium continue sustinentes. Ergo quae uenia maneat se tantis insignentes incommodis? Nulla profecto. Hunc itaque morbum fugiamus, ut & praesentibus bonis, atque futuris potiamur, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cui gloria & imperium cum patre, sanctoque spiritu, in secula seculorum, Amen.

De ieiunio & quod maximum est sacrificium dei beneficia recogitare.
Homilia LXXII.

NON tantum sibi Christianum satisfacere deus uult fratres, uerum & alios aedificare: non tantum per doctrinam, uerum & per vitam & conuersationem. Nihil enim sic in ueritatis uiam inducit, ut conuersationis integritas. Nec enim ita dictis nostris intendunt, sicut his quae a nobis geruntur. Et ut discas quod hoc ita se habet, licet in infinitum uerbis philosophemur, & de tolerantia disseramus, nisi cadente tempore hanc exhibeamus per opera, non tantum sermo profuerit, quantum nocuerit actio. Si uero & ante uerba, & post, uirtutem per opera praestemus, digni si de cælebimur, illa commonentes, quae per actiones etiam implemus. Nam & Christus hos beatos uocauit, dicens: *Beatus qui fecerit, & docuerit.* Considera, quo modo prius actionem posuerit, & mox doctrinam. Praecedentem

te enim actione, licet doctrina non consequatur, possunt opera bona uoce clarius docere in nos respicientes. Hoc ita semper consideremus, ut prius factis, deinde uerbis doceamus: ne nos quoque Paulum audiamus nobis dicentem: *Qui doces alium, te ipsum non doces.* Et cum aliquem admonere uoluerimus, ut necessarium aliquid corrigat, prius illud ipsi praestare studeamus, ut cum maiori fiducia doctrinam faciamus, & omnis nostra sit cura circa animae salutem: & ut refrigeratis carnalibus lasciuiis uerum possimus exhibere ieiunium, a malis abstinentiam dico: hoc enim est ieiunium. Propterea nanque ciborum ieiunium susceptum est, ut carnis impetum coerceret, & equum nobis facilem reddat. Ieiunante omnium maxime decet iram reprimere, mansuetudinemque docere & humanitatem, corque contritum habere, absurdum quoque cupiditatum eliminare cogitationes, ante oculos inopitum illum habentem oculum, & inuitabile tribunal, pecuniis esse superiorem, multam in elemosynis largitatem ostendere, omnem ex corde nequitiam in proximum expellere: hoc uerum est ieiunium, sicut & Esaias ait, ex dei loquens persona: *Nunquid tale est ieiunium quod elegi, per diem affligere animam suam? Nunquid contorquere quasi circulum caput suum, & saccum, & cinerem sternere? Nunquid istud uocabis ieiunium, & diem acceptabilem domino? Nonne hoc est magis ieiunium, quod elegi? Dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes: dimitte eos qui contracti sunt liberos, & omne onus dirumpe. Frange esurienti panem tuum, & egenos uagosque induc in domum tuam. Cum uideris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris: tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur. Vidisti charissime quale sit uerum ieiunium? hoc exerceamus. Neque secundum multos temere cæseamus in hoc contineri ieiunium, si sine cibis ad uesperam usque permaneamus: non hoc est quod quaeritur, sed ut ciborum abstinentia, a noxiis quoque continentiam exhibeamus, & circa spiritualium exercitationem multum impendamus studium. Ieiunante decet esse correptum, mitem, humilem, praesentis uitae despicientem gloria. Sicut cibos aspernatus est, sic & inanem gloriam floccipèdat oportet, & ad illum respiciat solum, qui corda scrutatur & renes, & multa cum sedulitate preces ad dominum, & confessiones emittat, sibi quoque pro uiribus per elemosynam auxilium ferat. Hoc enim hoc maxime praecipit omnia peccata delere potest, & gehennam incendis eripere, si modo cum largitate praestetur, nec ad ostentationem faciamus. Et quid dico, nec ad ostentationem? si enim grati essemus, & solum propter honestum, & in consanguineos misericordiam, hanc oportebat exhibere, non propter praemia tantum a domino nobis promissa: sed quoniam sublime nihil possumus cogitare, licet illud propterea transigamus, nequaquam ab hominibus gloriam aucupemur, ne & impetam patiamur, & mercede priuemur. Nec hoc tantum circa elemosynam, uerum & in quolibet spirituali merito consideremus, & ad hominum laudem respicientes faciamus nihil. Quoniam nulla erit nobis utilitas, siue ieiunemus, siue oremus, siue praestemus misericordiam, siue quodlibet aliud faciamus, nisi propter illum fiat solum, qui nouit abscondita, & in mentis nostrae profundo reposita. Nam si ab illo retributiones expectas, qua de causa uis a cognato laudari, & in admiratione haberi? Et quid dico laudari? Frequenter huiusmodi nec laudat, sed potius inuidet. Sunt enim multi se tam nequiter gerentes, quod & bene a nobis gestata in contrarium conuertunt: eum itaque rogo, corruptum*

illorum

illorum magnipendens iudicium: illum enim inopitum oculum nihil quod a nobis geratur est quod lateat. Et hoc cogitantes, oportet tanta uitam nostram dispensare diligentia, quasi paulo post uerborum & actionum, & ipsarum quoque cogitationum ratione reddituros. Ne nostram ergo salutem contempnamus, nihil uirtuti parantissimè. Haec enim & in futuro seculo a gehenna nos eripit, & regni largitur nobis possessionem, & in praesenti uita nos omnibus superiores constituit, qui temere & incautum nobis insidiari conatur: nec hominibus tantum, uerum & ipsis demonibus, & nostrae salutis inimico, diabolum dico, fortiores efficit. Quid igitur huic sit aequale, cum non tantum hominibus insidias parantibus, uerum & demonibus superiores reddat ipsum sectantes? Virtus autem est omnia humana despiciere, & per omnes horas futura cogitare, nulli inhiare praesentium, sed scire quod omnia humana umbra sunt & somnium, & si quid his uilius. Virtus quasi mortuum ad huius uitae res efficit, & ad nocentia quidem animae saluti, tanquam mortuum operatione carere: ad spiritualia uero sola uiuere & operari. Sicut & Paulus dicebat: *Uiuo autem non iam ego, uiuit autem in me Christus.* Et nos itaque charissimi, tanquam Christum induti, sic omnia faciamus, neque contristemus spiritum sanctum. Cum igitur a uicio vexati fuerimus, uel absurda cupiditate, uel ira, uel furore, uel inuidia, in nobis inhabitantem consideremus, & omnem huiusmodi cogitatum procul a nobis pellamus. Deus enim qui peccanti poenam imposuit, hanc omnino leuiorem esse decernit, continuo quidem nos damnans sudori, continuoque labori: laboris autem partem simul nobiscum multas brutorum attingere faciens species: itaque quod & honorem contulisse uidetur, & rursum abstulisse, & ferarum induxisse timorem: & caetera, si quis diligenter, & grate requirat, multa sunt prouidentia plena, misericordiae multa. Pro his igitur omnibus deo gratias agamus, & in eum qui nos tantis persecutus est beneficiis gratitudinem exhibeamus. Nec enim graue quippiam aut molestum a nobis exposcit, nisi tantum ut tot tantaque confiteamur beneficia: & sibi pro his gratiarum actiones referamus, non quod huius indigeat ipse (nullius enim indiget) sed ut bonorum largitorem nos conciliare doceamur: & ne simus ingrati, sed beneficiis & tanta dignam cura uirtutem praestemus. Sic enim illum in maiore circa nos alliciemus prouidentiam. Itaque rogo ne torpeamus, sed quisque nostrum, si fieri potest, per singulos dies intra se computet, non tantum communia beneficia: uerum & propriae sibi collata, non tantum promulgata & omnibus manifesta, sed etiam peculiaria, multoque latentia. Sic enim continuam gratiarum actionem domino poterit exhibere. Hoc maximum est sacrificium, haec oblatio perfecta. Hoc fiduciae nobis fiet occasio. Et qualiter dicam: qui iugiter enim haec in mente sua reuoluit, & propriae quidem discit utilitatem, ineffabilem uero nimiamque dei misericordiam diligenter cogitat: & quo modo non peccatorum nostrorum merita, sed propriae respiciens bonitatem, nostra disponit: cogitatione contrahitur, cõteritur corde, omnem fastum & arrogantiam corripit, modeste se gerere docet, praesentis uitae gloriam despiciere, omnia deridere uisibilia, futura bona sperare, uitamque sine carentem, nec ullum habentem terminum. Qui uero sic mente fuerit affectus, uerum offert ac delectabile deo sacrificium, sicut & propheta testatur: *Sacrificium deo spiritus contritatus, cor contritum & humiliatum deus non despiciet.* Gratos enim seruos non ita poenae suppliciaque, sicut

beneficia conuertunt: & scire, quod non pro peccatorum merito poenas exoluunt. Sensum itaque nostrum rogo conteramus, humiliemus cogitatione, & praecipue nunc, cum multum nobis adiuuatum ieiunij tempus ad hoc praebet. Si nos enim ita gesserimus, poterimus & orationes cum multa facere solertia, & delicta confessi, multa supernè gratiam attrahere. Et ut sciatis quod talibus sacrificiis deus placetur, ipsum audi dicentem: *Ad quem respiciam, nisi ad humilem & mansuetum, & trementem uerba mea? Propterea Christus differens dicebat: Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus uestris. Qui nanque ueraciter semetipsum humiliat, in iram nunquam inuehi potest, nec proximo succensere, cum anima se corripit, & sua collideret. Anima uero sic disposita, quidnam possit esse beatius? talis in portu continue sedet, ab omni liberata procella, seque cogitationum delectans tranquillitate: & propterea Christus aiebat: *Et inuenietis requiem animabus uestris.* Sicut itaque qui tales sedauit actus multa fruitur requie: torpens itidem, & remissus, qui nascetes in se morbos, ut opus est, refrigare non potest, in continua uersatur fluctuatione, domi bellum habens, cum & praesentetur turbetur nemine, & multam sustineat tempestatem. Propter quod & uindis insurgentibus, & incumbente malorum spirituum turbine, sub fundo frequenter immergitur, & scapha propter gubernatoris imperitiã submersa. Propterea solerter agendum est & uigilandum, & continua iugisque cura gerenda animae salutis. Christianum enim contra carnis uicia semper expeditum esse oportet, & leges nobis a communi omnium domino positas inhabitantes habere, hisque muniri, & longam ipsius circa nos expectationem, ut decet, accipere: non autem ex operibus experientiam expectare, tuncque demum corripit, ne de nobis quoque dicatur: *Cum occideret eos, tunc quaerebant eum.* Habentes itaque charissimi commilitantem ieiunij praesentiam, omnes ad peccatorum confessionem concurramus, & omni quidem abstineamus malicia, omnem uero uirtute obeamus. Sic enim & beatus Propheta docet, inquit: *Declina a malo & fac bonum.* Si sic nostra disponamus, & cum ciborum abstinentia continentiam quoque praestemus nequitiae, poterimus & nos maiori potiri fiducia, & largiorem a deo consequi misericordiam, & in praesenti uita, & in futura die illa tremèda, orationibus, & eorum qui ipsi placuerunt intercessionibus, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cum quo patri, simul & sancto spiritui gloria, imperium & honor, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.*

De sancta quadragesima ieiunio, & quod torpentibus nobis nulla erit excusatio.
Homilia LXXIII.

NON hoc solum exquiratur charissimi, ut per singulos dies hic conueniamus, & de iisdem audiamus continue, & totam ieiunemus quadragesimam. Si nihil enim ex eo quod huc assidue conuenimus, & admonemur, & ex ieiunij tempore lucrari deberemus: haec non modo nihil nobis prodesse, uerum & maioris occasio damnationis fierent nobis: cum tantum inuenientes sollicitudinis iudem permaneamus, nec iracundus mitis efficiatur, nec animosus mutetur in mansuetum, nec in benignitatem inuidus se reducat, neque pecuniarum captus insaniam, a uicio desistens, ad misericordiam & pauperum se transferat sustentationem: nec impudicus continens euadat, nec huius inanis gloriae stupidus amore, discat eam contempnere, ueramque perquirere gloriam, neque circa proximi charitatem

tatem segnis, exurgens seipsum doceat, ut non solum publicanis non sit inferior: ait enim, Si diligitis diligentes vos, quid amplius facitis? nonne & publicani hoc faciunt: sed etiam inimicos benigne conspiciari, & multam eis charitatem exhibere. Nisi hos superemus morbos, & alios in nobis nascentes, per singulos dies huc conuenientes, & continue vacantes auditioni, tantamque consequentes doctrinam, & a ieiunio subsidium habentes: quae nobis erit venia, quae autem excusatio? Dic enim quaeso, si tuum videas filium quotidie scholam petentem, & tempore progresso nihil amplius inde lucrantem, nunquid patienter feres? Nonne & flagella puero infliges, & praecceptorem accusabis? Postea si didiceris, quod a praecceptore quidem omnia facta sunt, & praetermissum est nihil, sed omnium causa fuit pueri negligentia: nonne causa liberans praecceptorem, omnem in puerum transferes indignationem? Idem & hic fieri iustum est. Nos enim quodam modo a diuina sumus gratia constituti, quasi spirituales filios ad hanc scholam quotidie vocantes, salutarem vobis doctrinam apponimus, non quae veniunt ex propria mente loquentes: sed documenta nobis a domino per diuinas donata scripturas in medium proponentes, & haec praedicantes passim. Itaque si nobis omne studium & sedulitatem exhibetibus, & quotidie vos ad virtutis ducibus semitam, vos in iisdem permanetis: & quantus nobis erit dolor, & vobis (ne quid amplius dicam) quanta dānatio, cogitate. Licet enim nos insones faciat, quod nihil ad vestram congruum aedificationem omiserimus: veruntamen quoniam vestrae curam salutis gerimus, non possumus aequae tolerare: quoniam & praecceptor, cum discipulum viderit ex studio suo proficientem nihil, non mediocriter tristatur & dolet, cum se frustra laborare conspiciat. Haec nunc dico, non ut vestram contristem charitatem, sed ut excitem, & persuadeam, ne temere corpus intēdat ieiunio, nec inutiliter & incassum sanctae dies quadragesimae transcurrat. Et quid dico: sanctae dies quadragesimae, cum ne vnum quidem diem toto vitae nostrae tempore nos transigere liceat, si fieri potest, quo non aliquid spiritualis lucri nobis reponamus, vel per orationem, vel per confessionem, vel per beneficentiam, vel per aliam spiritualem quampiam actionem? Nam si Paulus talis ac tantus, qui arcana illa audiit verba, quae nulli licuit haec tenus nosse, clamabat, dicens: Per singulos dies morior propter vestram gloriam. Docens vos quod ita se pro pietate periculum exponebat, ut ipsi quotidie morti propinquaret: & quod natura non suscipiebat (vni nāque morti subiaceamus omnes) hoc voluntatis eius contentio supplebat, quāquam misericors deus propter ceterorum salutem ipsum amplius conseruabat. Itaque si ille tantis praeditus meritis, & tanquam angelus in terra comparans, per singulos dies aliquid lucrari studebat, & ad veritatis pericula se opponere, & spirituale sibi cōgerere mercimonium, nec vquam desistere: quam nos habuerimus excusationem, qui non tantum omnibus priuati sumus meritis, verum & tot subiaceamus delictis, quorum vel vnum cum nobis adsit, potest nos ad ipsum perditionis barathrum deducere: & nullum habemus studium, ut haec saltem corrigamus? Cum autem idem frequenter non vnum modo defectum, sed & plures inueniatur habere, & iracundus sit & lasciuus, auarus simul & inuidus, atque furiosus, nec ista corrigere velit, neque virtutis opera tangere: quae vero spes fuerit salutis? Haec dico, nec dicere desisto, ut audientium quisque congruum sibi sumens remedium, ex his quae a nobis dicun-

2. Cor. 12.
1. Cor. 15.

384
tur, studeat ocyus, & a vexantibus viciis liberatus ad sanitatem reuerti, & ad virtutis operationem semetipsum reddere indultum. Nam & agrotantibus corpore, cum infinita medicus adhibeat remedia, si medelam agrotus non acquiescat admittere: sed postquam imposuerit medicus, frequenter indignans, nec ferens dolorem, medicamen abiciat, nec ex eo capiat vtilitatem: nemo sapiens medicum omnia quantum in ipso est conferentem culpauerit. Itidem & hic nos quidem medicamentum ex disciplina spirituali componentes imponimus, vestrum vero fuerit reliquum & ferre dolores, & ex medela inuari, & morbo liberatos ad veram sanitatem redire. Sic enim & vos multum vtilitatis sensum capietis, & nos non parum consolationis habebimus, cum viderimus prius laborantes, ad sanitatem tam cito reuersos. Quaeque vestrum itaque rogo, etsi non antea, deinceps saltem, quem se plus alius vexare defectum nouerit, hunc ex anima praecedere studeat, & pia quadam cogitatione, quasi spirituali vtens gladio, semetipsum a vicio liberet: idoneum enim deus nobis contulit sensum, & si parum velimus respicere, valentem & quodque nascens in nobis viciū superare. Propterea sanctorum quoque nobis omnium vitam & conuersationem per diuinas contextam scripturas spiritus gratia reliquit, ut discentes qualiter eandem nobiscum sortiti naturam omnia virtutis obierunt officia, circa eius executionem minime torpeamus. Nonne eiusdem naturae nobiscum beatus erat Paulus? Accendor enim in viri desiderium, & propterea continue eum versare non desino, & velut ad quandam archetypam imaginem, in huius respiciens animam, viciorum admiror defectum, fortitudinis magnitudinem, amoris in deum ardorem: & arbitror, quod omnem virtutum congregationem vnus homo qui voluit, acquisiuit, & quisque nostrum nec parte obire querit. Quis igitur ab ineuitabili supplicio nos eruet, cum eiusdem nobiscum naturae particeps, & iisdem obnoxius morbis, & in tanta temporum difficultate constitutus, per singulos dies, ut ita loquar, tractus, discerptus, & ab his publice raptatus, qui praedicationem impugnabant, qui frequenter cum esse mortuum arbitrati, tunc tandem, quasi ad exitum homicidalem mentem suam perduxissent, ita dereliquerunt, tantam virtutis magnitudinem inueniatur exhibuisse: nos autem ita cadamus, & tanto nos ipsos tradamus torpori? Sed ne per linguam nostram huius merita beati, & virtutem quam quotidie pro fidei praedicatione praestabat, audiatis, ipsum necessarium est audiri dicentem. Cum enim propter pseudoapostolorum fraudem sua narrare cogere, adeo fuit ipsi molestum & graue, ut refugeret, & nunquam haec in medium agere vellet: verum & id appellaret audaciam. Sed postquam multam vidit necessitatem, ut deceptorum ora clauderentur, & parum daretur auxilij discipulis, ita ferē cepit, postquam multa dixit alia: In quo autem quis audeat, in insipientia dico, audeo & ego. Considera religiosi animam, non tantum audaciam, verum & insipientiam rem vocat: nos quoque docens non incassum absque necessitate, & cogente nemine gesta nostra iactare, si qui modo de nobis inuenirentur boni quippiam operati. In quo autem quis audeat, inquit, in insipientia dico, audeo & ego. Hoc est, postquam multam viderem necessitatem, audeo volo, & insipientiae opus ostendere. Hebraei sunt, & ego: semen Abraham, & ego: Israelita, & ego. In his, inquit, altum sapiunt, ne nos se vincere putent: nam & nos sumus eorum participes: deinde subiunxit: Ministri Christi sunt, desipiens loquor, plus ego. Hic mihi,

mihī, charissime, considera beatam huius animae virtutem, quoniam factum suum audaciam vocauit & insipientiam, licet in tanta constitutus necessitate, nec ita dictis fuit contentus: sed cum fuit ostensus illos se multum transgressum, ne quis ex proprio eum amore talia dicere putaret, rursus vocat insipientiam a se dictum, tantum non dices: Non enim ignoro, quod rem facio multis damnabilem, nec mihi congruam, sed multa necessitas ad hoc me cogens impellit, propterea parcite mihi, insipientiae verba loquēti. Huius vel umbram nos imitemur, tot habentes peccatorum sarcinas: & si quid paruum reponere sustinentes: sed ut ab hominibus gloriam aucupemur, iactantes, & agentes in medium, & per hanc importunam loquacitatem nos ipsos diuina priuantes retributione. Sed non hic beatus tale quippiam passus est, sed quid? Ministri Christi sunt, desipiens loquor, plus ego. Iam vero deinceps ea profert in medium, quorum pseudoapostoli nihil iactauerant, utpote qui veritatem impugnabant, & ad impediendam pietatis praedicationem faciebant omnia, mentesque concutiebant simpliciorum. Postquam ergo dixit, plus ego, virtutis opera iam enumerat, & ait: In laboribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequentior. Quid ais: inutilitatem & admirabile quiddam est, quod abs te dicitur. Nunquid frequenter potest mors sustineri? Etiam, inquit, & si non experientia, sed sententia, nos docēs quod propter praedicationem se talibus periculis mortem sibi parantibus exponebat, sed dei gratia in ipsorum medio periculorum athletam custodiebat, ut discipulis multum per ipsum praestaretur vtilitatis. In mortibus, inquit, frequenter, a ludaeis quinquies quadragenas vna minus accepi, ter virgis caesus sum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui, in itineribus saepe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in falsis fratribus, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari. Ne temere dicta praetercurramus charissimi: horum enim vnum quodque per se solum nobis tentationum pelagus ostēdit, nec enim simpliciter vnum dixit iter, sed in itineribus saepe, neque periculum fluminum, sed multa diuersaque pericula, & omnia cum magna sustinebat superabundantia. Et post haec omnia rursus ait: In labore & ardua, in vigiliis multis, in fame & siti, in ieiuniis frequenter, in frigore & nuditate, praeter exteriora. Vide rursus aliud nobis tetationum pelagus ad apertum: dices enim, praeter exteriora, innuit, quod omnia dictis esse plura verisimile sit. Nec haec tenus stetit, sed iterum nos docet infestationes & subuersiones quas sustinebat, ita loquēs: Instātia mea quotidiana sollicitudo omnium ecclesiarum. Ecce rursus & hoc idoneum meritum, si etiam solum esse contingeret, ad summum virtutum verticem ipsum perducere. Sollicitudo, inquit, omnium ecclesiarum, non vnus & duarum & trium, sed omnium quae erant per orbem terrarum. Quantum enim terra sol percurrit proprios emittens radios, tantam & hic beatus sollicitudinem & curam habebat. Vidisti latitudinem animae? vidisti mentis magnitudinem? & quod mox rursus inferatur, omnia, ut ita loquar, dicta obuium brat. Quis enim, ait, infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror? Pape, quanta viri huius charitas, quanta vigilantia, quanta sollicitudo: Quae mater febricitante filio, & in lecto iacente visceribus ita discerpitur, ut hic beatus pro omnibus in quocumque loco infirmatis magis infirmabatur, & pro scandaliza-

Tomus quintus

A tis vrebatur. Considera mihi dictionis significantiam: non dixit, quis scandalizatur, & ego non contristor: sed, vror ait, doloris nobis ostēderis intentionem, & se tantum non monstrās interius ignescentem & ardentem propter eos qui scandala patiebantur. Video quod ad multum prolixitatis doctrinam extendi, & haec cum hodie decreuissem contrahere, ut ex ieiunio labore parum respirare possētis. Sed nescio qualiter in huius sancti meritum diuitias incidens, tanquam a vehementissimo aquarum impetu sum ita lingua protractus. Quam ob rem hic sermonem sistentes, vestram exhortamur charitatem, hunc in mente semper circumferre, & hoc continue ratiocinari, quod eiusdem nobiscum naturae particeps, & iisdem motibus subiectus, & vile sectans exercitium & abiectum, pelles confuens, & in officina constitutus, quoniam se virtutis laboribus addicere voluit, & sancti spiritus susceptione dignum efficere, largiori superne potitus est honore. Et nos itaque, si velimus quae nobis pertinent exhibere, nihil est quod iisdem potiri prohibeat. Liberalis enim est dominus, & vult omnes homines saluos fieri, & ad veritatis agnitionem peruenire. Dignos itaque nos ipsos reddamus, & tandem feruenti studio virtutem vel tarde arripiamus, & nostra corrigentes vicia, nos ad spiritum idoneos suscipiendum efficiamus, quo utinam omnes digni censeamur, gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi, &c.

Homilia LXXIIII.

Super orationem Annae, & quod vtilis est paupertas, & maior habet quam diuitiae voluptatem & securitatem. Habetur Tomo 1.

Homilia LXXV.

Ex Evangelio secundum Mattheum, Cum vidisset Iesus turbas, ascendit in montem, &c. Habetur Tomo 2.

Homilia LXXVI.

In Evangelicam dictionem, Domine, quoties in me peccabit frater meus, & dimittam ei? Tomo 2.

Quod ad finem usque stantem confidere non oportet, neque lapsum de se desperare. Homilia LXXVII.

V D A S charissimi prius regni filius erat, & cum duodecim audiit discipulis: Sedebitis super sedes duodecim, sed postea factus est gehennae filius. Aethiops autem cum barbarus esset homo, & eorum qui veniunt ab Oriente & Occidente, iunctis cum Abraham, Isaac, & Iacob, coronis potietur. Hoc & inter nos agitur quotidie: ait enim: Multi erunt primi nouissimi, & nouissimi primi. Hoc autē dicebat, ut nec illi torperent, tanquam redire non possent, nec hi considerent, tanquam stent immoti. Hoc & superne Ioannes exclamans aiebat: Potest deus ex lapidibus his suscitare filios Abraham. Quoniam enim hoc agendum erat, multo antea praedicit, ne quis rei nouitate turbetur. At ille quidem illud tanquam possibile dicit, nam erat homo: Christus autem omnino futuram ex operibus asserens confirmationem. Ne confidamus itaque stantes, sed nobis ipsis dicamus: Qui videtur stare, videat ne cadat. Neque iacentes desperemus, & nobis dicamus: Nunquid qui cadit, non resurget? Nam & multi postquam in ipsum ascenderunt caeli verticem, & omnem exhibuere tolerantiam, & in desertis morati sunt, nec in somnis quidem viderunt mulierem, quod paulum torpuerint, supplantati sunt, & ad ipsum maliciae barathrum deuenerunt: alij rursus illinc ascenderunt in caelum, ex scenaque & orchestra ad angelicam migrare conuersionem.

Matth. 3.

fationem, & tantam virtutem exhibuerunt, vt expulerint dæmonas, & alia multa fecerint huiusmodi ligna. Et his plenæ quidem sunt scripturæ, plena vero nobis exemplorum vita. Et meretrices & molles ora Manichæorum obstruunt, qui maliciam immutabile esse dicunt, diaboli sectantes disciplinam, & laborare volentium manus soluentes, omnemque vitam subuertentes. Qui talia nanque persuadent, non tantum in futuris laudant, verum & hic omnia quantum in eis est, confundunt. Quando nanque viciose viuentium vllus virtutis curam habeat, quum ad illam reditum patere non putet, & in melius mutatione non dari sibi persuadeat. Si nunc enim quum & leges sunt, & pœnas minantur, & gloria multos excitat, expectaturque gehena, & promissum est regnum, & incusantur mala, bonæque laudantur, vix pauci pro virtute sudores eligunt: si ista sustuleris, omnia perire quid, atque corrumpi, prohibebit. Maliciam itaque cognoscetes diabolicam, & quod externis legislatoribus, oraculisque diuinis, & naturæ rationibus, atque communi omnium hominum sententiæ, Barbaris & Scythis, ac Thracibus, & omnibus vniuersaliter huiusmodi aduersantur, qui ficta dogmata sancire conantur: vigilemus charissimi, & omnes illos valere sinetes, per angustâ ambulemus viâ, & confidentes simul atque timetes: timentes quidem propter vtrinque posita præcipitia, confidentes propter nos præcedentem Iesum. Ambulemus vigilantes, & expergefatti, vel si paulum quis dormitauerit, illico prostratus est. Non enim sumus Dauide solertiores, qui quum parumper neglexisset, in ipsum præcipitatus est peccati barathrum, sed citò surrexit. Ne tantum itaque quod peccauit, aspicias, verum etiam quod peccatū absterisit. Propter hoc enim historiam illam descripsit, non vt lapsum consideres, sed vt surgentem admireris, vt discas quum cecideris, quo modo surgere conueniat. Sicut enim medici difficillimas eligentes ægritudines describunt, talisque curationis viam voluminibus docent, vt in maioribus exercitati, minora facile transigant: ita scilicet & deus in medium peccatorum maxima produxit, vt & in paruis offendentes, per illa facile horum correctionem inueniant. Si enim illa sanitate acceperunt, multo magis & minora. Videamus igitur qualiter & infirmatus est, qualiter & illico surrexit beatus ille. Quis itaque morbi modus fuit? Adulterium & homicidium commisit, nec enim ista contego, clara recensens voce. Si spiritus ctenim sanctus dedecus non existimauit hanc omnem historiam exponere, multo magis neque nos oportet obumbrare. Propterea non tantum ea prædico, verum & aliud adiicio: Quotquot enim hæc abscondunt, hi præsertim eius virtutem obumbrant. Et sicut Goliath bellum tacentes, non minimis eum priuant coronis: ita dem & hanc prætercurrentes historiam. Nonne videtur ergo mirabile quod dicitur: Itaque parum expectate: tuncque scietis, quod iuste vobis hæc dicta sunt. Propterea nanque peccatum exaggero, mirabilioremque paro sermonem, vt abundantius medicamina componam. Quid est itaque quod addo? Viri virtutem, quod maius efficit crimen. Non enim omnia similiter in omnibus iudicantur: ait enim, Potentes potenter tormenta patientur: & Qui scit voluntatem domini sui, & non facit, plagis vapulabit multis. Itaque maior sciētia, maioris fit pœnæ materia. Propterea sacerdos eadem cum subditis peccata committens, non eadē, sed multo grauiora patietur. Forsitan amplificatam videntes accusationem, contremiscitis & timetis, meque quasi per præ-

Sapient. 6.

388
cipitia venientem admiramini. Sed ego ita de iusto confido, vt & vterius progredi libeat. Quāto magis enim crimen auxero, tāto magis Dauidicam potero laudem ostendere. Et quid his amplius dici potest? Sicut enim in Cain non sola cædes erat commissum, sed multis cadibus peior. Non enim alienum, sed fratrem: non iniuriam inferentem, sed passum interemit: nō post multos homicidas, sed primus nefas inueniens: ita quidē & hic non tantum cædes erat delictum, non enim quilibet erat vir qui fecit, sed propheta: nec iniuriam ausum, sed passum interemit, in vitalibus eum offenderat vxore direpta, veruntamen post illud & hoc addidit. Vidistis quo modo iusto non peperci, neque sub breuitate quadam ipsius retuli peccata: Veruntamen ita de purgatione confido, quod post tantam peccati magnitudinem vellem & adesse Manichæos hæc maxime contemneres, vt ex superabundantia ipsorum ora concluderem. Nam illi quidem aiunt, quod adulteriū patrauit & homicidium: ego vero non hoc tantum dico, verum & duplam cædem ostēdi, & ex eo qui passus est iniuriam, & ab illius persona qui peccatū perpetravit. Non enim par est, si spiritu præditus, & tantis decoratus meritis, ita lemque consecutus libertatem in tali ætate talia committat, & quod his carens hoc ipsum audeat. Attamen ita quoque valde mirabilis est vir ille generosus, quod in ipsum nequitiæ profundum delapsus, non prostratus iacuit, neque desperauit, neque semetipsum proiecit supinum, tam letali à diabolo vulnere suscepto, sed celeriter, imò statim, & cum multa ferocitate grauius intulit vulnus, quam acceperat. Et idem factū est, quale si in prælio & acie, postquam barbarus aliquis in viri fortis cor hastam fixisset, & in iecur iecisset sagittam, & secundum priori vulnus illo letalius addidisset, collapsus, & multo passim sparsus cruore talia suscipiens atrociam vulnera, itatim surgat, & hastam in iacula: um contorquens, illico mortuum humi demōstrat: ita quidem & hic quāto maiorem dixeris percussione, tanto mirabiliorem animum ostendis percussus, quoniam post hoc graue vulnus potuit & surgere, & in acie prima consistere, & sui prosternere vulneris authorē. Hoc autem quantum sit, sciūt præsertim quotquot in graui crimina decidunt. Non enim tam generosi strenuūque est animi recte ambulare, semper currere (habet enim huiusmodi bonorum spem comitem, vngentem, excitantem, confirmantem promptioremque se reddentem) quam si post innumeras coronas, multaque trophæa & victorias, extremum passus nocumentum, eisdē denuo cursus resumere possit. Et vt quod dico, manifestius efficiatur, & aliud priori nō inferius exemplo in medium vobis adducere conabor. Cogita nanque mihi aliquem nauis magistrum innumeris præteruectum sinibus, postquam totum mare nauigauerit, post multas hyemes, scopulos & vndas, cum magno onere naufragium in iplo portus ore facientem, & nudo vix corpore periculosum hoc naufragium elapsus: quo modo par est circa mare nauigationisque labores esse dispositū? Nunquid eliget vnamquam huiusmodi, nisi generoso sit animo, litus aspiceret vel nauigium, aut portum? Non arbitror ego quidē, sed latitans iacebit, vt noctem diem aspiciēs, & ad omnia refugiens, & mallet mendicando viuere, quam eisdem attingere labores. At non ita beatus hic tale passus naufragium, post innumeros labores illos atque sudores non manit absconditus, sed & nauem deduxit, & extendens vela, clauumque manibus fumens, eosdem aggreditur labores, & maiores rursus diuitias comparauit.

Exod. 6.

Acto. 2.

Matth. 22.

389
QUOD MELIUS EST INIURIAM PATI QUAM INFERRE 390
rauit. Sed si stare, nec semper iacere collapsum tam admirabile, resurgere & talia operari quantis dignum coronis non fuerit: Et multa quidem erant ad desperationem eum trahētia, & primum quidem peccati magnitudo: secundū, quod non in vitæ principiis, cum maior erat spes, sed circa finem hæc passus est. Nec enim mercator portum statim egressus, & passus naufragiū similiter dolet, vt ille qui post innumeras mercaturas scopulo fuerit illisus. Tertium, quod cum iam multas conquisisset diuitias hoc sustinuit. Nec enim modica tunc ei reposita erant pondera, qualia per primam ætatem, cum pastor erat, & qualia circa Goliath congestis, cum præclarum illud erexit trophæum, & sapienter acta circa Saül: euangelicam enim exhibuit longanimitatem, cum millies inimicum in manum habuerit, & semper dederit veniam, & maluerit patriam & libertatem, & ipsam amittere vitam, quam iniustas tendentem insidias occidere. Et postquam regnum adeptus fuerat, nō pauca præclare gesserat: præter dicta vero concepta quoque apud multos opinio, & tam clara excidere gloria non mediocrem inferebat tumultū. Non enim tantum eum ornabat purpura, quātum huius peccati macula fœdabat. Scitis autem omnino quantum sit peccata iactare, & quāto magno talis egeat animo, vt post multorum accusationem, & tot testes criminum suorum non succubatur. Et tamen has omnes ex animo sagittas euellens, generosus ille post hæc ita refulsit, vt maculam absterferit, & ita mundus est factus, vt & posteriorum suorum etiam defunctus peccata corrigeret. Et quod de Abraham dicebatur, & de Dauid hoc dicere deus videtur: quinimmo de hoc longe plura. Nam de patriarcha quidem ait, quod memor fuit testamenti sui ad Abraham: hic vero non ait testamenti, sed quo modo? Propter Dauid seruum meum protegam ciuitatem istam. At & Salomonē tanto crimine commissio propter suam in illum beneuolentiam ex regno non permisit excidere: tantaque erat viri gloria, vt Petrus post tot annos ad Iudæos habēs sermonem, diceret: Cum liceret cum fiducia dicere vobis de patriarcha Dauid, quod mortuus est & sepultus. At & Christus Iudæos alloquens, eum ostendit post peccatum tanto præditū spiritu, vt de diuinitate sua prophettare dignus sit redditus. Rursum eos & hinc obmutesciēs dicebat: Quo modo ergo Dauid in spiritu dominū eum vocat, dicens: Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis? Quod circa Mosem, hoc & circa Dauid factum est. Sicut enim Mariam & inuito Mose puniuit deus propter ipsius in Mosem contumeliam, quoniam sanctum summopere diligebat: itidem & hunc à filio cōtumeliam passum statim vltus est, & hæc nolentem. Igitur idonea quidē nobis & hæc, quinimmo super cetera hæc idonea sunt, viri virtutē ostendere. Cum enim fanciat deus, nil opus est amplius inquirere. Si vero vultis per partes ipsius sapientiam addiscere, nobis licet historiam post peccatum percurrentibus, ipsius apud deū videre fiduciam, charitatem, virtutis incrementum, & ad vltimum spiritus feruorem. Hæc igitur habentes exempla, vigilemus, & nunquā cadere studeamus: si quandoque vero ceciderimus, nequaquam iacere. Nō enim vt ignauiam vos inducerem, Dauid peccata recensui, sed vt maiorem metum afferrem. Nam si iustus ille paululum torpescens talia cepit vulnera: quid patiemur nos, si negligentes fuerimus? Ne cōsideres itaque quod cecidit, aut torpeas, sed quanta post hæc fecit, confidens, quot lachrymas exhibuit, quantum pœnitentiæ, noctes iungens diebus, fontes emittens lachrymarum, letum lachrymis abluens, & hæc saccum indutus. Si vero ille tanta egiit conuersione, quando nos saluari poterimus, qui post tot peccata nullo dolore afficimur? Nam multa possidens merita, facile his peccata obumbraverit. At nudus vbicumque sagittam exceperit, letale suscipit vulnus. Ne hoc itaque fiat, nos bonis armemus operibus: & si quod erratum aduenerit, abluamus, vt ad dei gloriam præsentem transacta vita, futuro digni censeamur: quo potiri: quod vtinam omnes assequamur, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cum quo patri simul & sancto spiritui gloria, potestas & honor, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Quod melius est iniuriam pati quam inferre.

Homilia LXXVIII.



OLITE errare, beatus inquit Paulus, neque fornicatores, nec adulteri, neque molles, neque ebriosi, neque contumeliosi regnum dei possidebunt. Hunc multi carpsērunt locum, quasi nimis asperum: siquidem ebrium, & contumeliosum cum adultero & fornicatore & masculorum sectatore ponit, quā non equalia sint crimina. Quo modo itaque paria sunt supplicia: quid ergo dicemus? Primum quidē quod nequaquam paruum est ebrietatis & contumeliæ peccatum, quoniam & Christus eum qui fratrem fatuū appellat, gehennæ tradidit: frequenter enim inde mors est exorta. At & Iudæorum populus ex ebrietate grauisima perpetravit peccata. Deinde quod nunc non est ipsi de pœna sermo, sed de regni amissione: igitur ex regno quidem hic, & ille similiter excidunt. Si quid autem in gehenna differentia sortientur, non presentis est temporis inquirere: nō enim nunc nobis de hoc propositum est. Et hæc, inquit, quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati. Admodum instanter intulit, dicens: Cogitate quantis vos malis eruit deus, quantam misericordiæ vobis exhibuit experientiam. Nec ad liberationem vsque gratiam contulit, sed ad multum vsque beneficium prouexit, purum enim constituit. Hoc ergo solum? Minime, verum & sanctificauit: sed nec hoc solum, verum & iustificauit, cum & à peccatis liberari sit magna donatio. Nunc autem & bonis impleuit innumerabilibus. Et hoc factum est in nomine domini nostri Iesu Christi, non in hoc & in hoc, sed in spiritu dei nostri. Hæc itaque scientes charissimi, & collati beneficij cogitantes magnitudinem, modeste viuere perseueremus, & ab enumeratis omnibus puris nos præstantes, & in externis tribunalibus iudicia fugiamus, & generositatem, quam nobis deus donauit, custodiamus illam. Cogita nanque quanti sit dedecoris, sedere gentilem tibi iusta dispensantem. Quid ergo, dicet aliquis, si ecclesiasticus inique iudicet? Cur enim quæso? Nam secundum quas leges iudicat gentilis, & secundum quas Christianus: Nonne constat secundum humanas gentilem, secundum diuinas vero Christianum iudicare? Igitur magis hic iustum, quoniam & leges sunt à cœlis demissæ. Nam in exterioribus quidem dictis, licet & alia multa suspicari, & oratorum grauitatem, & corruptelam principum, & reliqua non pauca iusticiam temerantia, hic autem nihil huiusmodi. Quid igitur, inquit, si potes fuerit aduersarius? Propter hoc ergo præcipue quidem hic oportet iudicari. In externis enim tribunalibus te vincet omnino. Si vero non tolerat, verum & ecclesiasticos contemnit, & externos ad vim trahit, melius est quod de necessitate passurus es, spontaneum subire, neque iudicio contendere, vt & mercedē accipias. Si quis

n iiii enim

enim tecum iudicio contēdere velit, & tunicam tuam accipere, dimittas ei & palliū. Et sis beneuolus aduersario tuo statim, donec es in via cum eo. Et quid est opus nostra proferre: etenim ipsi exteriorum oratores tribunalium millies talia referunt, quod melius est extrinsecus dissolui. Sed o pecunias, vel potius o absurdū pecuniarum amorem, quoniam omnia subuertit atque prostrauit. Et omnia nugæ multis & fabulæ propter pecunias censentur. Et seculares quidē tribunalia terere non est mirandum. Multos autē eorum qui seculo abrenunciarunt, hæc eadem facere scelus est, quod omni venia caret. Nam si videre velis quantum ab huiusmodi tribunalium scilicet vsu te fugere scriptura mandauit, & quibus leges factæ sint discēda, audi quid dicat Paulus: Iusto lex posita non est, impiis autē & insubditis. Quod si de Moisaica talia refert, multo magis de gētilibus. Itaque si iniuriam quidem facias, argumētum fuerit quod minime iustus sis: si vero feras iniuriā paties (hoc enim præsertim est iusti) nec externarum indiges legum. At quo modo læsus, inquit, ferre poterō? Atqui Christ⁹ aliquid & hoc amplius præcepit. Non enim tantummodo læsum æque ferre mandauit, verum & aliquid lædenti supererogare, per promptitudinēq; patendi, maleficientis superare libidinem. Non enim dixit: Volenti tecum contēdere iudicio, & tunicam tollere, dimitte tunicam: sed insuper & palliū trade: vincis enim, ait, male patiendo, non malefaciendo. Hæc est nanq; præclara nobilisque victoria. Et propterea progrediens dicebat Paulus: Iam igitur omnino detrimētum vobis est, quoniam iudicia habetis inter vos, & quare non potius iniuriam patimini? Quod enim iniuriam ferens plus sapieret, quam lædi non tolerans, hoc vobis reddam manifestum. Iniuria se non patiens affici, cum in iudicium traxerit, & quū vicerit, tunc maxime victus est: quod enim nolebat, passus est. Coëgit enim ipsum aduersarius dolere, & ad iudicium cōfugere. Quid enim quod vicisti: quid vero quod omnes recepisti pecunias? Quod nolebas interim sustinuisse, litigare coactus. Sed si pertuleris iniuriam, victor es, pecuniis quidem carens: non autē victoria quam per tantam cōparasti sapientiā. Non enim ille te potuit cogere, vt quod nolebas, committeres. Et quod hoc sit verū, responde mihi: quis vicit, inuidus an sedēs in stercore? Quis fuit victus, omnibus amissis Iob, an omnia tollens diabolus? quem admiramur victorem, diabolum percussorem, an Iob percussurum? Constat quod Iob, quamuis non potuerit retinere pereuntes pecunias, non filios suos saluare. Et quid dico pecunias & filios? Corporis non potuit conseruare salutem, & tamen hic est qui vicit, qui quæ possidebat, omnia perdidit. Nam pecunias quidem conseruare non potuit, pietatem vero retinuit cum omni diligentia. Sed pereuntes filios non defendit. & quid hoc? Etenim illos mors reddidit clariores, & ita se dum tentaretur, vindicauit. Si vero male passus non fuisset, & iniuriā a diabolo pertulisset, nō illam præclaram reportasset victoriā. Si malum esset iniuriam pati, non id nobis deus præcepisset, nam deus mala non præcipit. An non scitis quod ipse deus est gloria, nec cōfusione nos & derisione dānoq; voluerit inuoluere, sed cōtraria præbere? Propterea nos iubet iniuriam pati, & agit omnia, vt nos a secularib⁹ separet, & intelligere faciat, quid gloria, quid decus, quid iactura, quid lucrū. Sed est graue iniuriam pati & calumniam. Non est graue, nō est homo. Quousque circa præsentia stupidus hæres? Nec enim id deus instituisset, si graue foret. Animaduerte vero, qui fecit

Math. 5.

392
iniuriam, abiit habens quidem pecunias, sed & cōscientiam percussam: læsus autem, pecuniis quidem priuatus, habēs autem apud deum fiduciam, possessionem innumeris digniorem thesauris. Hæc itaq; scientes, ex voluntate philosophemur, neq; patiamur quæ solent insipientes, qui se tunc non lædi putant, cum hoc ex iudicio fuerint passi. In contrarium autem penitus maximum est damnū, & omnino cum in his non sponte philosophemur, sed inde superati: nullū enim lucrum est, si iudicio victus tolerat: iam etenim necessitatis opus efficitur. Ergo quæ clara victoria: cum tu contēpseris, cum non cōtenderis iudicio. Quid ais? Priuatus sum omnibus meis, & iubes tacere: Calumniam sum passus, & ferre iubes æquanimitē? Et quo modo poterō? Facillimē profecto, si tātum in cœlum respicias, si spectes hanc pulchritudinem, & quod te deus suscipere promisit, iniuriā generose ferentem. Hoc ergo fac, & in cœlū respiciens, cogita quod illic super Cherubim sedēti factus es similis. Nam & ille cōtumeliis affectus fuit, & tolerauit, & opprobria pertulit, nec vltus est: percussus, & non insurrexit, sed e contra beneficia reddidit his innumera qui talia perpetraverant, nosq; suos esse iussit imitatores. Cogita quod nudus existi de ventre matris tuæ, nudus reuerteris & tu, & ille qui fecit iniuriam, & magis autem ille cum innumeris vulneribus vermem parientibus. Memento quod temporanea sunt præsentia, progenitorum tumultos animaduerte. Disce quæ sunt manifeste gesta, & videbis quod fortiorem te fecit eo qui iniuriam intulit. Suum enim morbum grauiorē reddidit, auariciam dico: tuum autem leuiorē, ferē tollens nutrimentum. Et ad hæc te curis absoluit, solitudine, inuidia, calumniatoribus, tumultu, turbatione, metuque continuo, & malorum turbam in caput suum congesit. Quid ergo si mihi cum fame certādum sit? Cum Paulo hoc pateris dicente: Vsq; ad hæc horam & esurimus & sitimus, & nudi sumus. At ille propter deum. Tu quoque propter deum. Cum enim nō insurgas, propter deum hoc agis, sed qui fecit iniuriā, cum diuitibus gaudet. imō potius cum diabolo, sed tu cum Paulo coronaris. Itaque noli famem timere, non enim fame interficiet dominus animas iustorum. & rursum alius inquit: læta cogitatum tuū in domino, & ipse te enutriet. Nam si passeris agri nutrit, quo modo te nō nutriet? Ne simus itaq; pusillanimes, nec modica fide charissimi. Qui nanq; regnū promisit cœlorum, & tanta bona, quo modo præsentia nō dabit? Ne superflua concupiscamus, sed retineamus modestiam, & semper erimus diuites. Operimenta quæ ramus & escas, & omnia capiemus & hæc, & multo maiora. Si vero doles adhuc, & deorsum inclinaris, vellē tibi facientis iniuriam post victoriam animā ostendere, quo modo cinis efficitur. Etenim tale peccatum est: donec enim fuerit patratum, nonnullam afferre voluptatem videtur: post quā vero fuerit consummatum, tunc breuis voluptas elabitur, succedit autem tristitia. Hæc & cum aliquos afficimus cōtumelia, patimur: nam postmodum nos ipsos condemnamus. Ita quoque dum vsurpamus, lætamur: post hæc vero cōpungimur a conscientia. Vides penes quendam pauperis domum. Deste non priuatū, sed vsurpantem: non enim dedit, sed accepit malum. Illum enim præsentibus priuauit, se vero bonis expulit ineffabilibus. Nam si qui egenis non erogauit, in gehennam abiit: indigentium res capiens quid patietur? Et quid lucrī cum ego male patiar? Magnū nempe lucrū. Non enim in maleficiētis vitione retributionem tibi deus cōcludit, alioqui nil magnū fuisset. Nam quid vti-

Math. 5.

quid vtilitatis, si cum ego male passus fuero, & ille male patiar? Licet multos nouerim maximam existimantes hanc consolationem, seq; totum existimantes recepisse, cum calumniatos puniri prospexerint. Non tamē in his deus vicissitudinem sistit. Sed discere vis quot te bona sequentur? Totum tibi referat cœlum, sanctorum ciuem efficit, vt in eodem degas parat confortio, a peccatis absoluit, coronat iusticia. Nam si peccantibus dimittentes dimissionem consequuntur, non tantum dimittentes, verum & supererogantes, quid non excusationis obtinebūt? Ne feras igitur pusillanimitē, verum & pro lædente preceris, hoc enim pro temetipso facis. Tuas tulit pecunias, verum & peccata, quod & in Naaman & Giezi factum. Quantum non voluisses impendere diuitiarum, vt tua dimitterentur peccata? Hoc ergo nunc efficitur. Nam si generose tuleris, nec maledicas, præclaram reportaueris coronam. Non meus est sermo, sed Christum audi dicentem: Orate pro calumniatoribus vos, & quantum sit præmium, cogita: Vt sitis similes patri vestro qui est in cœlis. Itaque nihil amissi, sed accepisti potius. Non es affectus iniuria, sed coronatus, anima redditus sapientior, deo similis constitutus, cura liberatus pecuniarum, cœlorum regnum adeptus. Hæc igitur omnia cogitantes, in iniuriis philosophemur charissimi, vt & a præsentis vitæ tumultu liberemur, & inutilem eiiciamus tristitiam, & futura potiamur læticia per Christi gratiam, cui gloria in secula seculorum, Amen.

De oratione. Homilia LXXIX.

MAGNUM

verè bonum charissimi, oratio: si virtute præditum hominem alloquens, non parum ex eo caput vtilitatis: cui deū alloqui donatū est, quot bonis fruatur? Qualiter ergo nō absurdum fuerit, iubere seruos toto tempore nobis seruire: nos autem nec minimum ocij deo dicare: non nosti tu vtilia homo, frequenter damnosa petis & periculosa: sed ille magis tuæ curam gerens salutis, non tuā intuetur petitionem, sed antequam petas, quid tibi cōferat, prouidet. Nam si patres, licet carnales, non omnino quæ petunt filij, præbent, non quod petentes aspernentur, sed quoniam eorum curam gerunt maiorem: multo magis deus, qui plus & diligit, & plus omnibus nouit, quod nobis expedit, affert. Cum ergo defeceris orans, & non acceperis, cogita quoties pauperem audisti te petentem, & non exaudisti, & indignatus ille nō est, nec te contumeliis affecit. Et tu quidē hoc ex crudelitate facis, deus autem ex benignitate. Si ergo tu cōseruum propter crudelitatem nō audiens, te dignū accusari non censēs, dominum propter misericordiam seruum non audientem accusas: Si ergo beatus Dauid cū esset rex, & innumeris immeris curis, & vndiq; distractus, septies in die dominum rogabat: quomodo veniā habuerimus & excusationem, tantum habētes ocij, nec ipsi continue supplicantes, & hæc cum tantum lucrī capere debeamus? Impossibile enim, impossibile hominē congruo precantem studio, deoq; continue supplicantem, vñquam peccare. Qui nanque mentem suā accendit, & erexit animam, & in cœlum seipsum transtulit, & ita suum inuocauit dominū, & suorum memoriam peccatorum accepit: ad eum de ipsorū locutus est dimissione, & propiciū & mitem deum orauit fieri: ab ipsa in his verbis mora, omnē deponit secularem curā, & eleuatur, & humanis æstibus superior efficitur. Non enim ita fontes aquarum ortos reddūt fertiliores, vt oratio-

nis plantam lachrymarum fontes irrigantes ad maximam exrescere faciunt altitudinem, & orantem corā domino constituūt: hinc enim maxime fit vt exaudiat. Quoniam si corpore humi prostrato, & ore incassum nugante, mēs totam domum & forum circumeat: quo modo talis dicere poterit, quod in conspectū dei precatus sit: nam orat in dei conspectū, totam colligēs animam suam, & nihil habēs cum terra commune, sed in ipsum se transferēs cœlum, & omnem ex animo pellens humanam cogitationem. Sic enim deprecantem oportet orare, vt totam cogitationem suam colligens, cum animi dolore contendens deū vocet, neq; longos extendat sermones, nec in longum orationem producat, sed pauca simpliciaq; dicat verba. Nō enim in verborum multitudine, sed in mentis solertia positum est, vt exaudiat. Et hoc ex Samuelis matris Annæ precib⁹ intelligere licet. Illa nanq; dixit: Adonai domine deus sabaoth, si respiciens respexeris ad humilitatem ancillæ tuæ, & mei fueris recordatus, & dederis ancillæ tuæ semen viri, dabo ipsum in conspectū tuo dicatum vsque ad diem mortis ipsius, & vinum & siceram nō bibet, & ferrum non ascendet super caput eius. Qualis hæc verborum multitudo? Verū tamen quoniam cū attentione & solertia fecit hanc orationē, quæcūq; volebat expediuit, & deficientem correxit naturā, & matricem cōclusam aperuit, seq; multā induxit in fiduciā, ex sterili semine fecundam metens segetē. Oportet igitur orantem neq; longos extendere sermones, & iugiter orare: Breues enim & frequētes orationes fieri Christ⁹ & Paulus præceperūt paruis ex interuallis. Nā si sermonem in longum extenderis, in negligentiam frequēter lapsus, multā diabolo subrependi facultatē dederis, & supplārandi & abducendi cogitationē ab his quæ dicuntur. Si vero continuas & crebras orationes facias, totumq; tēpus interpolans frequētia, facile poteris modestiam exhibere, & ipsas orationes cum multa facies solertia. Vis orationis vigilantia discere, solertiam & assiduitatem? Abeas ad Annā, discere quid illa fecerit. Surrexerunt, inquit, omnes a mensa, & illa statim non ad somnū se cōuertit, non ad requiē. Vnde mihi videtur & ad mēsam sedens sobria fuisse, nec vllis se ferculis onerasse. Non enim tot emisisset lachrymas. Si nanq; nos cū sobrii sumus & ieiuni ita vix oramus: multo magis illa post mēsam ita non orare potuisset, nisi circa mensam ieiunantibus fuisset assimilis. Reueremur viri mulierē, confundamur de regno supplicantes, & oscitabundi, considerantes de filio precantē & fundentē lachrymas. Hincq; mihi mulieris pietatē considera. Vox, inquit, eius nō audiebatur, labia vero tantū mouebantur. Obtinere volēs ista a deo, accedit nō fathiscens, nec oscitās, neq; se scabens, aut negligens. Nōne poterat & sine oratione de⁹ præbere? Nōne sciebat & ante orationem mulieris desiderium? Sed si ante petitionem dedisset, nō apparuisset mulieris studium, non virtus fuisset manifesta, non inde præmium possedisset. Sed ipsius & sapientiam videamus, postquam enim eam Heli sacerdos ebriam existimauit, vide quid ad eum respōderit: Ne des ancillam tuam in filiam pestis: quoniam ex multitudine sermones meos extendi vsq; nunc. Hoc vero cōtriti cordis est, cum in contumeliam facientes nō indignamur, sed etiam nos excusamus. Nihil enim ita cor continēs efficit vt tribulatio, & secundum deum luctus. Opus est itaq; nos & mensam petentes, & desistētes deo gratias agere. Ad hoc enim paratus nūquam in ebrietatē decidet, aut insolentiam, nūquam crapula distrumpet: sed orationis

orationis expectationem pro frano sensibus habes impositam, cum debita modestia ex omnibus appositis sumet, & multa quidem anima, multa vero benedictione corpus implebit. Mensa namque ab oratione sumes initium, & in orationem desinens, nunquam deficiet: sed fonte largius omnia nobis afferet bona. Ne tatum itaque praetermittamus emolumentum. Absurdum est enim seruos quidem nostros, si quam appositorum partem a nobis accipiant, nobisque gratias agere, & cum benedictione recedere: nos autem tot bonis potentes, nec tantum honoris deo rependere. Propterea namque multa tam in communibus, quam in priuatis rebus praeter sententiam nobis eueniunt: quoniam non circa spiritualia primum, tum vero circa secularia studium exhibemus. Nonne scis, quod si veniens deum adoraueris, & praesentis hic occupationis sis particeps, quae in manibus habentur negocia, tibi magis cedunt secunda? Sed seculares curas habes? propter has saltem huc occurre, vt per hanc moram allecta dei beneuolentia, tutus ita prodeas, vt ipsum habeas commilitonem, vt demonibus inexpugnabilis fias superna succurrente manu. Nam si preces paternas consequaris, si communis particeps orationis fias, si dei compares auxilium, & ipsius armis munitus ita progrediaris, iam neque diabolus ipse contra te respicere poterit, nedum homines mali te contumeliis afficere studentes & calumniari. Quod si prodiēs in forū ē domo nudus armis huiusmodi reperiaris, omnibus calumniatibus expugnabilis eris. Neque mihi quispiam dicat, quod nequit homo secularis affixus foro continue per diem orare, & ad Ecclesiam concurrere: potest enim & quamfacillime. Nam licet in Ecclesiam non sit facile concurrere, illic ante fores constitutus, & affixus tribunali potest orare. Et hoc multi fecere frequenter, & intus clamante magistratu, comminante, contendente, furere, pro foribus stantes signumuniti, & pauca verba per cogitationem orantes, ingressi mutauerunt eum, atque mitigauerunt, & mitem ex ferro reddidere, nec a loco, nec a tempore, nec a clamore quicquam ad hanc orationem impediti sunt. Nec enim tam voce opus est, quam cogitatione: neque manuum extensione, quam animi intentione: neque figura, sed intellectu. Quonia Samuelis mater Anna, non quia claram & magnam edidit vocem, propter hoc audita fuit, sed quoniam intus in corde multum clamabat: ait enim: Vox eius non audiebatur, & exaudiuit eam deus. Ne nos excusemus dicentes, quod non esset facile quempiam orare secularibus negociis implicitum, prope se domum non inuenientem oratoriam. Nam vbiūque sis, potes altare tuum constituere. Nihil enim locus prohibet, nec impedit tempus. Verum licet genua non flectas, neque percutias pectus, nec in caelum manus extendas, si mentem tantum feruentem exhibeas, orationis perfectionem consummaueris. Licet enim & forum petentem, & ambulantem per se, prolixas facere orationes. Licet & in officina sedentem, & suentem pelles, animam domino dedicare, licet & seruo & emeti, & ascendenti & descendenti, & astanti coquo, cum ad Ecclesiam ire non poterit, orationem facere prolixam & solertem. Non enim locum deus veretur, sed vnum exquirat, feruidam mentem, & continentem animam. Nam & Paulus non in oratorio, sed in carcere iacens supinus, neque stans erectus, neque flectens genua: non enim sinebat lignum quo pedibus vincis tenebatur: quoniam cum studio iacens orauit, carcerē concussit, & labefactauit fundamēta, carcerisq; custodē ligauit, & post hanc ad sacrā

396
 A initiationem deduxit. Et Ezechias haud stas rectus, neque genua flectēs, sed supinus propter aegritudinem lectulo recubās, cum ad parietem seipsum conuertisset: quonia deum feruenter inuocauit, & anima continente, & prolatam reuocauit sententiā, & multam adeptus est beneuolentiam, & ad pristinam rediit valetudinem. Et latro in cruce distentus, paucis verbis caeleste regnum affectus est: & Hieremias in caeno & in lacu, & in lacu ferisq; Daniël, & Ionas in ipso ceti ventre deū deprecatur, circumstantia quaeque mala dissoluerunt, & gratiam inuenire diuinā. Quid ergo debes oras dicere? Quod Chanaanā. Sicut enim illa dicebat: Miserere mei, filia mea male a demonio vexatur: ita dic & tu: Miserere mei, anima mea male a demonio vexatur. Magna enim damno peccatum: demonium habens misericordiam inuenit, odio peccans habetur. Miserere mei, breue verbum, & clementiae pelagus continet: nam vbi misericordia, ibi sunt omnia bona. Siue sis extra Ecclesiam, clama dicēs: Miserere mei: & si non mouēs labia, sed mente clamās, nam & tacentes deus exaudit. Non est querendus locus, sed loci principium. Hieremias erat in caeno, & deum *Hier. 38.* exorauit: & Iob erat in stercore, & deum reddidit pro- *Iob. 1.* piciū: Ionas in ventre ceti, & facilem habuit. Licet in *Iona 2.* balneo sis, ora: vbiūque sis ora. Templum es, ne locum queras. Mare erat ante Iudaeos, & post terga Aegyptij, *Exod. 14.* & medius Moses nihil loquens. Multa enim in oratione angustia: & ait deus, Quid clamas ad me? Et tu igitur cum ingruerit tentatio, ad deum confuge, dominum inuoca. Nunquid enim est homo, vt locum petas? Deus semper propē est. Adhuc enim loquente te, dicam, Ecce *Esa. 41.* adsum. Nondum orationem fecisti, & ipse medicinam affert. Si mentem namque mundam habeas ab immundis motibus, licet in foro sis, siue in via, siue in foro constitutus, siue in mari, siue in diuersorio, siue in officina positus, siue sis vbiūque, deo poteris inuocato petitionem obtinere. Quid enim manuū in oratione vult extensio? Haec multis sceleribus ministerium exhibent. Et propterea iubemur eas extollere, vt orationis ministerium sit eis vinculum nequiciae, & a malicia separatio: vt cum rapturus, vel oppressurus, vel alterum sis percussurus, recorderis, quod has ad deum pro patronis emisurus es, & per has illud spirituale sacrificium offerre debeas, nec illas confundere, nec actionis prauae ministerio fiducia priuare. Eas igitur emunda per elemosynā, per misericordiam, per indigentium tutelam. Et ita eas offer ad orationem. Si non enim immundis vsus illis ad orationem fueris, multo minus in peccatis eas extendens fueris iustus. Si minus times, illotis manibus orare, quod est multo grauius, magis expansece. Illotis quidem manibus orare non tam absurdum est. Eas autem innumeris contaminare criminibus, hoc multam affert indignationem & exitium. Vis discere, quanta sit orationis in Ecclesia factae potentia? Vincit erat olim Petrus, *Act. 12.* multisq; circumdatus erat catenis, oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia pro eo, & statim eū a carcere liberauit. Quid hac igitur sit oratione potentius, quae columnam, & Ecclesiae turrim adiuuit? Et catechumenis quidem permissum hoc nondum est, quoniam nondum ad hanc peruenere fiduciam: vobis autem & pro terrarū orbe, & pro ecclesia, quae vsq; ad terrae terminos extenditur, & pro gubernantibus ipsam & praesidentibus iubetur orationes emittere. Cum diligentia igitur obedite, opere testantes, quod magna vis est orationis in Ecclesia concorditer a populo oblata. Nam cum inter homines, populo fontes viros, cum ad mortem trahū-

tur, petente, rex multitudinis motus sententiam deponat: multo magis rex caelestis a vobis placatus petitionem praebet. Non audistis, quod ita Petrus de carcere ereptus est, quoniam erat oratio prolixam, quae pro eo fiebat? Quanto maius esse nostra creditis exiguitate, ad deum pro tanto accedere populo & supplicare? Nam si pro meipso precari fiduciam non habeo, multo minus pro aliis: beneplacitum enim hoc est. Cum igitur offenderim & ipse, qualiter pro alio deprecabor? Nam quod vnus quidem pro multis orat, est magna res fiducia, multatq; libertatis indigens. Multos autem vnā congregatos pro vno supplicatione facere, nil graue videbitur. Et domi quidem orari potest, sic autem, vt in Ecclesia, non potest, vbi tanta patrum multitudo, vbi clamor ad deum vnanimiter emittitur. Non ita dominum per te solum orans, audieris, vt cum fratribus tuis. Hic enim maius aliquid est, puta, vnanimitas & consonantia, charitatisq; vinculum, & sacerdotum orationes. Propterea namque sacerdotes praepositi sunt, vt multitudinis orationes cum sint infirmiores, hisce potentiores adiungentes, pariter cum illis in caelum ascendant. Si namque Petrum Ecclesiae adiuuit oratio, & illam ex carcere columnam eduxit, quo modo tu ipsius potentiam contemnis? Sicut enim charitatis virtus interuallo non arcetur, ita nec orationis efficacia: sed sicut illa inter se distantes coniungit, itidem & haec, & procul positos plurimum adiuuare potest. Nam & Moses, quanquam corpore pugnantibus non intererat, non tamen minus quam pugnantes, sed multo plus in illam contulit pugnam, manuum extensione suorum extollens vires, & tremendas faciens aduersariis. Nullum enim meritum esse magnum posset, nisi lucrum & aliis communicaret, siue ieiunus maneat, siue dormias humi, siue fauillam comedas, siue lugeas contine, & nulli profis alteri, nil magnum efficit. Nam & a Mose multa, magnaq; miracula & signa sunt edita: sed illud nihil tam magnum efficit, quam illa beata vox, quam ad deum emisit, dicens: Si dimittis quidem eis peccatum, dimitte, sin autem minus, & me dele. At & David hoc ipsum ostendens, aiebat: Ego pastor peccaui, & ego malum feci: & hi, grex, quid fecerunt? Fiat manus tua super me, & domum patris mei. Magna quidem & haec, & angelica conuersatione digna. Pauli vero dicta multum haec superexcedunt. Gloria namque futura optauit excidere pro aliorum salute. Ionas vero, quoniam propriam utilitatem quaesuit, etiam periclitatus est: & ciuitas quidem stabat, ipse vero submergebatur. Magna quidem & reliqua Mosi virtutis merita, summum tamen & sanctae animae culmen: quoniam ex libro delerit elegit pro Iudaeorum salute. Pauli vero votum ex multa superauit abundantia. Nam ille quidem cum aliis perire malebat, hic autem non simul perire, sed sospitibus aliis ab aeterna solus gloria excidere optabat. Bonum est igitur sanctorum oratione frui. Sed cum & nos simus cooperatores, quod si non affuerit, nihil aliorum prodest auxilium, verum & cum illo perimus. Quid enim Iudeis profuit Hieremias? Nonne ter ad deum accessit, & ter audiuit: Ne ores, neque petas pro populo isto, quoniam te non exaudiam? Quid Sauli profuit Samuel ad vltimum vsque diem orans, & pro eo lugens? Quid autem & Israelitis profuit? Nonne dicebat, Mihi autem absit peccare pro vobis orare cessanti: Nonne cuncti perierunt? nam deum audi dicentem per Prophetam: Si steterint Noe, Iob, & Daniël, non liberabunt filios suos & filias: quoniam inualuit eorum malicia. Quid ergo, nihil profunt orationes? Profunt, & quamplurimum:

A sed cum nos quoque cooperamur. Et si vis discere, quantum contulerint, cogita mihi Cornelium, & Thabitam: audi quoque deum dicentem: Protegam ciuitatem istam propter me, & propter David puerum meum. Sed quando? Tempore iusti Ezechiae. Alioqui si malorum quoque valebant preces, quare Nabuchodonosor regi quoque deus hoc non dixit, sed ciuitatem tradidit? quoniam inualuerat peccatum. Et hic ipse rursum Samuel pro Israelitis orauit, & obtinuit: sed quo tempore? Cum & ipsi deo grati fuerunt, tunc hostes in fugam verterunt. Et quid est, ait ille, mihi opus alienis orationibus, cum ego gratus sim? Quid ais homo? Paulus non dixit, mihi non est opus oratione, licet orantes eo digni non essent: imo nec ipsi pares, & tu dicis, quid mihi opus est oratione? Petrus non dixit, quid mihi opus est oratione: ait enim: Oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad deum *Act. 12.* pro eo, & statim liberauit eum ex vinculis: & tu dicis, quid mihi est opus oratione? Propter hoc & indiges, quoniam indigere non te credis. Nam si deus nostrum in orationibus torporem & negligentiam exquirat, & quod in eius conspectu positi, & orantes, neque tantum ei praebemus honorem, quantum dominis serui, quantum ducibus milites, quantum amicis amici: amicum enim alloqueris hoc cum attentione facis: deo autem pro peccatis occurrens, pro totque criminibus veniam petes, & rogās tibi remissionem fieri, torpes, & genibus tuis humi prostratis, circa forum & domum matrem tuam vagari frequenter dimittis, ore tuo frustra rugante & incassum: nec hoc semel & bis, verum & frequenter patimur. Si hoc tantum exquirere deus voluerit, nunquid veniam habebimus? nunquid excusationem assequi poterimus? Non, arbitrator ego: si vero curiosus aspectus nostros deus exquirat, & nequam concupiscentias, quas mente concipimus, turpes & immundas admittentes cogitationes ex incauto oculorum nocimento: si detractiones quas per singulos dies inurimus, alter alteri in medium producat: & intempestiua iudicia, quibus proximum condemnamus nullum habentes negociū: dolosque, quos alter in alterum suimus, nunc quidem praesentem laudantes fratrem, & tamquam amicum alloquētes, absentem vero criminantes: nunquid pro his rationes reddere poterimus? Quid vero loquar inuidiam, per quam se bene gerentibus frequenter inuidemus, non tantum inimicis, verum & amicis: & aliis male patientibus letamur, & propriae putamus aeternae consolationem alienas calamitates? Nam si secularibus & praesentibus abstinere iubemur: quo modo miseri non sumus, & infelices haec a deo poscentes, quae praecipit & habentes abiicere? Si vero non pro fidelibus tantum, sed etiam pro infidelibus orare iubemur: cogita quantum mali sit, contra fratres imprecari. Quid agis homo? Ad deum accedis vt propiciū reddas, & imprecaris alteri. Nisi dimittas, nec tibi dimittetur: nec tantum ipse non dimittit, verum & deum, ne dimittat, exposcis. Si tibi non dimittitur, etiam dominum, ne dimittat, oranti, quo modo dimittitur? Si enim inimicos habere dedecus est, & illis imprecare, cogita quantum sit malum. Cum enim te purgare debeas, quod inimicos habeas, tu & illos accusas, quam vero veniam consequeris, detrahens, & in tali tempore, quo non mediocri indigeas misericordia? Nam & pro tuis oraturus peccatis accessisti, ne recorderis igitur aliena, ne propria seruentur. Si namque dixeris: inimicum percutē, os tuum obstruxisti, & lingua

iam abstulisti libertatem. Primum quidem, quoniam iudicem irritasti, & statim ab ipsis exordiis exacerbasti. Deinde quoniam contraria petis, & orationis formæ repugnantia. Nam si pro remissione peccatorum accedis, quo modo de punitione verba facis? Contrarium enim oportebat facere, & pro aduersantibus supplicare, vt cū fiducia pro nobis quoque possimus orare. Si namque pro illis orabis, licet pro te nihil dicas, omnia consequeris. Si igitur anima scelestius nihil imprecāte, nec lingua siququam talia loquēte sordidius, quam obrem omnia non expedis, vt orans nihil dicas, quod tuū irretet dominum: Es homo: ne venenum euomas aspidum. Homo es: fera ne fias. Propterea tibi factum est os, non vt mordeas, sed vt medearis. Recordare, quid te palam deo admonuerit, vt parcas & remittas: tu vero me quoque rogas, meorum fieri mādatorum subuersionis participem, & cruentas linguam, sicut furentes ex propriis artibus dentes. Quo modo diabolū letari credis atque ridere, cum talem audierit orationem? quo modo irritari deum, & auerti simul & odisse, cū talia rogaueris? Considera, quem petas homo cōtra inimicos tuos. Ad illū accedis, qui dixit, Orate pro inimicis vestris. Qualiter igitur aduersus eos clamas: Quo modo deū rogas, vt propriam destruat legem? Non est hæc supplicis forma. Nemo rogat, vt alius pereat, sed vt ipse saluetur. Quid igitur supplicis quidem habitum indueris, accusatoris autem verba pronuncias: Et cum pro nobis quidem oramus, oscitamus, & in multas recidim⁹ cogitationes: cum autem aduersus inimicos, vigilantes hoc agimus. Quoniam enim diabolus nouit, quod in nos ipsos ensem agimus, tunc nos non circūfert, neque distrahit, vt magis nobis noceat. Sed iniuriā passus sum & tribulor. Itaque contra diabolū ora, qui nos super omnes afficit iniuria: hic enim & inimicos parit: sin autem aduersus inimicos oraueris, orationē quam ille querit, orabis: sicut econtra, si pro inimicis, aduersus eum. Hic enim est impacatus hostis, at homo quæcūque faciat, amicus est & frater. Quid ergo vere inimicū omittens, propria mordeas mēbra? Hæc itaque scientes, dilectissimi, studeamus iuxta domini voluntatē, & mandata conuersari, vt eorum quoque regnū assequamur, in Christo Iesu domino nostro, cui gloria & imperium cum sanctissimo patre, viuificoque spiritu, in secula seculorum, Amen.

De penitentiā. Homilia LXXX.

Propterea de penitentiā continue sermonem moueo charissimi, vt neque peccās desperet, neque recte viuens altum sapiat. Iustus es, ne excidas: es peccator, ne desperes. Et si pecces quotidie, quotidie penitentiā agas: quod in antiquis domibus facere solemus, cum fuerint putrefacta, putrida subtrahimus, & supponimus noua, & à continua cura nunquā desinimus. Si fueris antiquatus à peccato, per penitentiā te renoua. Num penitentiā licet saluari? & maxime. Totam vitam in peccatis absumpsi, & si penitentiā egero, saluabor: & maxime. Vnde constat: Ex domini clementia. Ne tuæ confidas penitentiā: tua namque penitentiā tanta nequit peccata delere. Si sola foret penitentiā, iure timeres: sed postquam cū penitentiā commiscetur dei misericordia, cōfide, quoniā tuam vincit nequiciā: multum enim est misericors deus, & tantum clemens, vt neque filio pepercerit, vt ingratos seruos redimeret. Nec mihi dicas, Nimum peccavi, & quo modo possum saluari? Tu nō potes, tuus potest dominus, & ita delet peccata, vt nec eorum remaneat ve-

Astigiū. In corporibus quidem hoc non licet, quin etiā si millies medicus elaboret, & imponat vulnere remedia, vulnus quidem tollit, cicatrix verò permanet, vulnere circumferens argumētum, aspectus deformitatem. Et licet in infinitum medicus contendat, non tamē cicatricem delere potest. Ipsa namque nature repugnat imbecillitas, & artis impotentia, vilitasque medicamentorum. Deus autē cum delet peccata, neque cicatricē relinquit: neque permittit remanere vestigiū, sed cum sanitate pulchritudinem quoque restituit, cū liberatione à pœna dat & iusticiā, & prauaricatū nō prauaricato similem reddit. Si namque vel infinita quis habēs vulnera, penitentiā egerit, & aliquid fecerit boni, sic ea deus delet, vt neque cicatricem, neque vestigiū, neque peccatorum ostēdat indicium. Sicut igitur in corpore vulnera sunt, & medicamina: itidē in anima peccata sunt, & penitentiā. Et quid loquar, animaduerte: Vulnus & medicamentum, peccatum & penitentiā. Vulnus saniem habet, medicamentum saniei purgationem exhibet. Nunquid est sanies in medicamine? Nūquid in vulnere curatio? Nōne proprium hæc, & illa propriū habent ordinem? Nūquid potest hoc in illud, vel illud in hoc transmutari? Nequaquam. Veniamus & ad animam morbos. Peccatum confusionem habet, fiduciam possidet penitentiā. Sciens itaque satanas, quod peccatum quidem habet confusionem, quæ peccantem satis repellere possit: penitentiā vero fiduciam, penitentem ad se attrahere satis idoneam, ordinem cōmutauit, & penitentiā confusionem adiecit, fiduciam autem peccato. Et peccato confundi non sinit hominem. Scit enim quod si confunderetur, peccatum fugeret. In penitentiā vero facit vt erubescat: nouit enim quod erubescēs non agit penitentiā. Penitens enim malorum quæ gessit, licet peccatis condignam non exhibeat penitentiā, & huius tamen habebit retributionem. Nondum itaque vicio captos admoneo, ne capiantur. Facilius enim est casum cauere, quā lapsos resurgere. Detentis autem atque contractis, si se statim penitentiā tradere voluerint, multam salutis spem polliceor. Etenim tam bona, quā mala, cum fuerint plurimum immorata, potentiora fiunt. Et planta quidem nuper humi consista facile reuellitur: per multum vero temporis radicibus firmata non itidē. Et ædificium recenter fundatū à ventibus facile subuertitur: bene vero firmatum multa diruere conantibus præbet negocia. Et fera, quibus locis multum temporis est conuersata, difficulter expellitur. Et sicut febris ab initio aggressa, non magna siti laborantes exurit: postquam autem inualuerit, & flammam extulerit, iam sitim inducit immedicabilem. Etiā si quis eis concesserit, vt potibus impleantur, nō extinguit, sed accendit fornacem: Sic & vicioso accidit affectui. Si se circa primordia in animam nostram inferentem non prohibuerimus, neque fores occluserimus, ingressus iā insanabilem morbum susceptoris infert. Sicut igitur animo degener & segnīs, licet multum ad penitentiā tempus accipiat, magni nihil efficiat, nec per torporem sibi deum reconciliabit: ita solers & promptitudine feruens, & multo cum studio gerens penitentiā, & breui temporis momento multi temporis peccata delere poterit. Et qualiter? audi. Nōne ter Petrus negauit? nōne cum iuramento ter? Nōne vilis ancillæ verba veritus? Quid ergo? multum ne temporis fuit illi necessarium ad penitentiā? Nequaquam. Sed eadem nocte lapsus est & resurrexit. Post illum enim grauem casum (negationi namque nullum est malū æquale) rursus

rursus eum ad priorem reduxit honorem penitentiā, & ei per totum orbem terrarum Ecclesiæ præsentiam tradidit: & quod omnibus maius est, illum nobis maiorem omnibus Apostolis in dominum habere charitatē ostendit. Quid vero Niniuitæ? Venit ad eos Propheta, sententiā aperuit, quasi quandam regalem epistolam supplicium continentem, & clamabat dicens: Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur. Audierunt illi talia, neque fuerunt increduli, neque neglexerunt, sed omnium statim fit ad ieiunium cōcursus, virorum, mulierum, puerorum, neque brutorū natura fuit à tali immunis ministerio. Nam & ipse rex diademate coronatus, regali delapsus folio saccum sibi subtrauit, & cinere conspersus est. Et erat rem cernere tremendam atque mirabilem, neglectam sub sacco purpuram. Quod enim prætexta non valebat, hoc poterat saccus. Quod diadema non est affectum, hoc cinis obtinuit. Cogitemus ergo, quot quisque nostrum habeat onera peccatorum, & æquiuales exhibeamus misericordias: imò vero vel longe plures, vt non modo peccata deleantur, verum & in iusticiam nobis eleemosynæ computentur. Nisi namque tot fuerint bona, vt & exuant crimina, & ex relictis aliquid in iusticiā nobis reputetur, de nobis à suppliciis liberabitur nemo. Nam cū hominem quidem irritasti, amicos rogas & vicinos, & ianitores, impendis pecunias, & multos dies absumis accedēs & supplicans: si vel semel, vel bis, vel millies irritatus te reiciat, omnino non recedis, sed maiori labore contendens, maiorem adhibes supplicationē. Cum vero deus prouocetur, nos oscitamus, & relabimur, & gaudemus. Et quādo vnquam eum habere poterimus propiciū? Quo modo non eum ex hoc ipso magis irritamus? Peccare enim, & peccantes non dolere, magis eū indignari facit & succensere. Neque dicas, Nimum peccavi, neque deum rogare possum indignantem. Nam si iudicem illum neque deum timentem, nec homines verētem vidua flectere potuit: multo magis bonum assidua conciliabit deprecatio. Itaque licet amicus nō sis, licet debita poscas, licet paterna deuoraueris, & absumperis, & longo tempore procul ab aspectu fueris, siue succēsentem, siue indignantem petieris, fac tantum velis redire, & omnia recipies, & iram & damnationem statim extingues. Deo namque propositum est charissimi peccātes longanimiter sustinere. Dupliciter est ad salutem propicius, & eis ex penitentiā salutem exquirens, & ipsorum posteris in virtutis studio proficere debentibus referens beneficium. Et vt denuo sermonem resumā: Deus longanimiter agit, vt & peccans ad penitentiā veniat, & ne ex eo nascituris salutē excludat. Nam etsi peccator incorrigibiliter peccet, parit frequenter radici, vt fructus conseruet, frequenter tamen & ipsius expectans salutem. Et qualiter? audi: Tharam pater Abrahamæ fuit idolorum cultor, sed in hoc mundo impietatis pœnas non dedit: & merito. Nam si deus præueniens radicem præcidisset, vnde tātus fidei fructus extortus fuisset? Quid Esau malignus? Quid illa impudentius nequicia? Nōne fornicator erat & immundus: vt ait Paulus. Non matricida & patricida? Nō fratricida, quantum in ipso fuit proposito? Nōne deo fuit odio habitus, vt scriptura testatur: Iacob dilexi, & Esau odio habui? Si fuit ergo fratricida, fornicator, & immundus, & odio habitus, quare non perditur? quare non exciditur? quare non illico cōgruam patitur vltionem? Quare? Bonum est vere dilectissimi causam dicere. Si suc-

1014.3.

Gen. 11.

Hebr. 12.

Malach. 1.

Roma. 9.

Acifus fuisset, maximum eleemosynæ fructum & iusticiæ mundus amisisset, & qualem, audi: Esau genuit Raguel, Raguel Zara, Zara Iob. Vides quantus tolerantia fructus fuisset perditus, si præueniens deus à radice pœnas exegisset? Nullus igitur in vicio positus desperet: in virtute dormitet nemo, nec hic confidat. Frequenter enim & meretrix præcedet, nec ille desperet: potest enim & primos anteire. Cum enim in vehementem dei charitatem redierimus, priorem non meminit, non vt homo, deus: non enim exprobrat præterita, neque dicit: quare tanto tempore defecisti? sed gratos habet, quando cunque accesserimus, dummodo, sicut decet, accedamus. Quid enim Manasse peius? Quid vero beatus Salomone? Attamen ille quidem deum potuit habere propiciū: hic autem quia dormitauit, lapsus est. Propterea nec Esau veniam assecutus est, quia penitentiā non egit, vt oportebat. Nam lachrymæ non erant ex penitentiā, sed tentationis & iræ. Penituit & Iudam, sed male: nam suffocatus est. Si vero perfectam queris penitentiā, audi Petri penitentiā post negationem. Quoniam enim erat verisimile, ipsum altum sapere sibi consciū, quod plus aliis deum diligeret: propterea egressus foras fleuit amarè. Nec hoc solum, verum & innumeris se post hæc periculis immisit. Penitentiā egit & beatus Dauid, ita dicens: Lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo. Et longo iam tempore commissum peccatum post tot generationes, quasi nuper accidisset, lugebat. Penitentem enim non oportet irasci, nec efferari: sed conteri, quasi damnatum, quasi non habentem fiduciā, quasi addictum, vt ex misericordia sola saluari debeatem, vt visum in benefactorem ingratum, & reprobū, & innumeris dignū supplicis. Nec itaque scenicus desperet, neque confidat ecclesiasticus. Nam ad hunc quidem ait deus: Qui videtur stare, videat, ne cadat: ad illum autem, Nunquid qui cadit, non resurget? Ille namque debet, quod habet custodire: hic vero fieri, quod non est. Ille sanitatem conseruare, hic ab ægritudine liberari: laborat enim: ad illum itaque dicitur, Ecce sanus factus es, ampli⁹ noli peccare, ne quid tibi deterius fiat: ad hunc vero, Vis sanus fieri: surgens tolle grabatū tuū, & ambula in domum tuā. Licet enim octo & triginta geras annos, sicut paralyticus ille, si modo san⁹ fieri studeas, qui prohibeat, est nemo: tantū resurgere velis. Attinge modo viam eō tendentem, & velociter progredieris, ne fores occludas, ne obstruas ingressum. Breue præsens tempus, quod si multum quoque foret, nec ita refugiendum esset. Quāuis enim hunc pulcherrimum penitentiā laborem non desudes, in illo penitus mundo laborabis, & aliusmodi patieris arumnas: si vero & hic, & illic labor, quare non hunc eligimus, qui multum affert fructum, magnamque retributionem? Nam si nos qui sumus indigni, beneficiis deus afficit, & his qui peccauerunt, benignus est: si à malicia digressi, virtutem sectamur, quæ non assequemur? quibus non fruemur bonis? Mentem enim habentes magis beneficia, quā pœnæ ad mandatorum attrahunt obedientiam. Si igitur & priusquam aliquod bonum exhibeamus, quinimo cum iam vltione digna fecerimus tanta deus nos beneficentia dignatus est: si grati simus, & de iā acceptis gratiarum actionem exhibeamus, & in melius faciamus mutationem, quanta nō à seipso nos exornaret largitate? Nam si nos offendentes seruos, si meliores fieri promiserint, & acceptamus, & in pristino tenem⁹ honore, frequenter autē ipsis & maiorem tradimus libertatē: multo magis

3. Reg. 11.

Lucæ 22.

Psal. 6.

1. Cor. 10.

Ioan. 5.

magis deus hoc in nobis faciet, si parem peccatis pœnitentiam exhibeamus. Et hoc ex his, quæ circa beatum David euenerunt, manifestum est. Quoniam enim supplicatus cecidit, adulterij reus & homicidij crimine, non mansit deinceps in ruina iacens: sed & denuo surrexit, sed aduersus hostem cum deo se opposuit, & ipsum tam generose deuicit, ut & defunctus suos tueretur progenitos. Salomoni nanque magnam illam iniquitatem aufero, milleque digno mortibus facta, propter David deus ait se regnum permittere integrum, ita dicens: Disrumpens disrumpam regnum de manu tua, & dabo ipsum seruo tuo: veruntamen in diebus tuis hæc non faciam propter David patrem tuum. De manu filij tui tollam illud. At & Ezechia de supremis periclitanti quamquam iusto, rursus propter beatum illum, se succurrere dixit: Protegam, inquit, ciuitatem hanc propter me, & propter David puerum meum. Sicut scilicet in propriam exhibentibus gratitudinem, per congruam sibi bonitatem suas deus sententias reuocat, & admittit pœnitentiam, & ab imminente liberat pœnitentia rursus cum aliqua dare bona pollicetur, vel pœnitentiam tempus, indignos autem videat effectos, & tunc sua reuocat promissa. Non enim peccare tam malum est, quam in peccatis permanere. Proptereaque præueniens deus in nos beneficia confert, & rursus præuocatos venia dignos efficit, & pœnas statim non infert, ut per omnia nos trahat ad pœnitentiam, & per quæ benefacit, & in eo quod longanimiter sustinet, frequenter autem & per quæ quosdam castigat, ut illorum timore correcti, pœnæ fugiant periculum. Multum peccasti, iam desiste, in contrarium reuertere, deo confitere gratias, quod te non in medijs rapuit peccatis. Noli & alium querere terminum, ut male opereris: ne dicas, Erit tempus, cum sit opus conuerti. Multi, dum aliena usurpant, interea rapiti sunt, & migrare impræparati. Alarum utilitas nulla laqueo detentis, inuanum & incassum alas excutiunt: ita tibi quoque cogitationum utilitas nulla, si penitus ab ulla mala cupiditate fueris captus. Nam si nec in vno quidem hic volumus dedecus pati, in tot milibus illic quid agemus? Non enim à pristinis tantum malis desistere, sed etiam meliora sequi officia, dicitur pœnitentia: dicitur enim: Declina à malo, & fac bonum. Nec enim ad fanitatem nobis satis est, sagittam tantum extraxisse, verum & medicamenta vulneri sunt imponenda. Accidit autem aliquem pœnitentem, multa magnaque facere bona, rursus autem in illorum medio bonorum æquiualens perpetrare peccatum. Et hoc validissimum est ad inducendum in desperationem, tamquam ædificatis, & curatis omnibus illis incassum & à se inaniter elaboratis. Opus est autem illud sentire, & hanc expellere cogitationem: quod nisi præuenientes, meritorum mensuram peccatis post hæc perpetratis æquiualem reposuissimus, nihil nos vehementer & funditus submergi prohibuisset. Nunc vero quasi fortis quidam thorax, acuta & amaram sagittam effectum suum habere non permittit: sed ipse diuisus, magnum amouit à corpore periculum. Non est ergo tam graue pugnatum vulnerari, sed post vulnus desperare, vulnusque negligere. Nullus mercator postquam naufragium fecit, licet mercimonium amiserit, destitit nauigare: sed denuo mare pertransit, & longos per nauigat sinus, & pristinas recuperat diuitias. Frequenter athletas cernimus post multos lapsus coronatos. Iam vero miles quoque qui fugit, postea se strenuum exhibet, & hostes superat. Eorum quoque multi, qui propter tormentorum pauorem Christum negauerant, de-

3. Reg. II.

Psal. 36.

404
A nuo certamen inierunt, & cum martyrij recessere corona. Quod si prædictorum quisque post primum vulnus desperasset, secundis potitus præmijs nunquam fuisset: quæ nos vtiã omnes assequamur, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cui honor & imperium, gloria & adoratio, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

FINIS.

REVERENDŌ IACOBO

HYRALTO HEDVORVM

Episcopo, Germanus Brixius

Altijsiodorensis.



B T S I mihi nunquam dubium fuit, clarissime antistes, quin tibi essem charissimus, tuque mihi, pro tua in me beneuolentia, quibuscumque rebus posses, benigne facere velles: tamen huius rei nouissimè evidens edidisti argumentum, extatque id quod nouissimo nostro tecum colloquio mihi humanissime declaraueras, cum tu magni cuiusdam amici mei, eiusdemque magna & autoritate & dignitate viri literas, quibus apud te de meliore nota commedabatur, de manu mea acceptas legisses: tale antea semper fuisse, hodieque esse tuam erga me voluntatem, nostramque tecum coniunctionem, ut si quid ego à te vellem, ad id impetrandum nullo mihi interprete, nullo deprecatore alio, quam me ipso opus esset. Scripsit enim ad me clarissimus vir Ioannes Huraltus frater tuus germanus, libellorum in regia magister, per liberaliter annuissè te postulationi ei, qua de ipse tecum verbis meis egisset: & ita annuissè, ut non tam dare beneficium, quam accipere videris, facile ut intelligeret, esse me ex eorum numero vnum, quos tu charissimos haberes: tum autem quorum causas suscipere, negocia amplecti, studia ornare, comoda tueri, atque adeo augere, quantum quidem tua dignitas pateretur, maiorem in modum velles. Pro qua quidem nostra postulatione, tam facile, ut dixi, abs te impetrata, immortales ago gratias tibi, agamque dum viuam: nam relaturum me affirmare vix ausim: tali enim tuæ erga me beneficentia, tum perpetua isti in me voluntati, non videor mihi respondere vnumquam posse: nisi forte, quod vos vere magnanimi ac liberales viri facere soletis: tum demum me ab ubi gratia referre existimaturus es, cum beneficium abs te acceptum iugiter memoria complectar: quod equidem mihi ita faciendum propono, ut sim, quo ad viuam, re ipsa atque animo erga te gratissimus, operamque posthac omnem nauem, ut amore, cultu, obseruatione omni memorem me tibi probem. Quod si qua vnumquam res se offeret, in qua animi tibi nudare, & penitus patefacere meum possim: ne viuam, nisi te etiam iudice, omnes omnium obseruantias, omnes omnium cultus, assiduitates, industrias, sedulitates, diligencias, labores, nauitates, summo meo erga te studio superem. Quod eo etiam libentius facturum sum, quod non nunc primum experior, qui sit tuus erga me animus, quæ voluntas, quæ beneuolentia: memor enim sum, eroque dum viuam, te iam olim nasceti prope nostræ laudi, dignitate, virtuti prolixissime liberalissimèque fauissè: cum tute videlicet tanto isto sacerdotio iam tum præditus, inque Ludouici hoc nomine duodecimi Regis aula, multis nominibus præ alijs gratiosus, me, me, inquam, nouum adhuc hominem, apud Ioannem Ganacium Cancellarium, tum pro eo quoungebatur magistratu, tum pro ea qua præcallebat & virtute & doctrina primariè inter togatos autoritatis virum, in cuius me clientelam

clientelam addixeram, ac cui à secretis erant: cum tu, inquam, me apud Ganacium oratione identidem tua ornans, insignires, commendares, & ita commendares, ut cum ad eam voluntatem, quam vltro ille erga me eximiam haberet, tum ad eam, quam de me opinionem aliquam concepisset, quotidie experirer, magnum etiam tuo de me sermone pondus accedere. Erat autem tanta tua apud Ganacium gratia, illa quidem partim eximij ingenij istius dotibus quaesita, partim amplissimi viri Iacobi Huralti patris tui, viri in regia gratiosissimi autoritate commendata, ut te ille in intimam secum coniunctionem receptum eorum numero haberet, quos sibi maxime omnium familiares necessariosque esse voluisset. Quem nobis virum si fata diutius incolumem esse fuissent, neque tam cito seculo suo inuidissent: profecto neque tu in que postea incidisti tempora, incidisses, fortuna paulo duriore conflictatus, quin potius ex tuis virtutibus omnibus vndique ornatus floreres, cum omni gradu amplissimo dignissimus, tum certe ordinis tui facile princeps (& si perpusillum illud est, quod ad tuam amplitudinem addi possit) & nos quoque, si veri sunt amicorum de me sermones, multo amplissimis fortunæ ornamentis honestati in primis appareremus. *Ατὰρ θεὸς ἄλλοτ' ἐπ' ἄλλῃ Ζῆθε ἀγαθὸν πεκαὶὸν πε δισδοί.* Quamquam quod ad me quidem spectat, quid tandem est quod de fortuna queri vel velim, vel possim? quam quidem ego, vere ut dicam, de me eouique benemeritam agnosco, ut planè nihil quicquam sit, in quo illius maiorem in me benignitatem desiderem, cui videlicet plus satis facultatum largita ea est, ad id ocium excolendum sustentandumque, quod nobis, fastiditis ceterarum rerum curis, humanæ nostræ felicitatis proram & puppim, ut Græcorum est prouerbium, constituimus: quo nos ocio vno affatim delectati in nostris studiis libentissime acquiescimus, estque nobis illorum usus & delectatio istorum omnium & actus, & voluptatibus, & opibus etiam prior, atque antiquior: nunc denique experimento edoctis, quam sint ea inania, leuia, vilia, quæ nos olim præclara, magnifica, splendida putauimus. Neque vero cogito quod ego honorum, quod dignitatum non aspirauerim, sed quod potius animum non adiecerim, ut aspirarem: tum quod vitæ genus secutus, quid eo affectus fuerim: hoc est, quid, quantumque ex studiorum cultu meorum fructus consolationisque ad nos redierit, redeatque quotidie: denique quid inter me æqualisque meos permultos, eosdem adolescentiæ nostræ socios: quos partim vidimus ipsi, indoluimusque: immoderato rerum successu perditos, arborum earum in morem, quas fecunditas & luxuries enecat, partim ambitionis & auariciæ cæcitate in caput præcipites actos, partim libidinis & ventris voragine, & tamquam charybdi absorptos. Sed de his plura aliàs: nunc ad te & ad Ganacium redeo. Mihi quidem cum in mentem venit mansuetudinis, comitatis, vrbaniæ, hilaritatis eius, quam summus ille vir, vel in puppi sedens, clauumque reipublicæ tenens, in amicos communiter suos, quorum tu vnus, vel præcipuus, eras: plena manu, aperto, quod dicitur, pectore transunderet, quoties illi à rerum actu, cui pro dignitatis suæ amplitudine, non intererat modò, sed præerat, respiciendi potestas daretur, cum amicis iisdem liberius agendi, seque vna cum illis, suauissimis, modestissimis, doctissimis sermonibus recreandi, siue id inter epulas, siue ab epulis, siue vtroque fieret: sed dum temporis illius tranquillitas, suauitas, & ut nunc loquimur, bonitas animo obuertatur meo: moriar, nisi dies eos, quos Ganacius Cancellarium obtinente (ea est

A summa togatorum apud nos hominum dignitas) tibi, mihi alijs permultis tanquam Halcyonios exigere licuit, vitæ vere beatæ instar fuisse putem, præ diebus iis, quos postea longe commutatos, grauiore verbo uti non libet, experti omnes sumus: libenterque omnibus omnibus opes, dignitates, honores (quorum & alioqui nobis *ἀλυσ* tanquam *ἀπυδς*) concesserim, ut mihi quod tui superest, liceat, nulla vi interpellate, in qua tum viuebamus festiuitate, simplicitate, coniunctione, amicitia, concordia viuere. Quam voluntatem equidem cum non paucis comunem me habere arbitror. Quotus enim quisque est, ex iis reliquijs, quæ de Ganacii honestissimo illo, atque inter se amantissimo grege superare adhuc possunt, qui si modo sapiat, non illum integrum, toto suo mundo, atque organo, quod dicitur, instructum sibi restitui, inque eo atatem consumere malit, quam vel

B Cræsi, vel Cræsi tum consuetudine uti, tum opibus abundare: Et erat certe Ganacius extra eum, quem multum habebat, publicarum rerum usum, extra eam, qua varia ac multiplici præcallebat, doctrinam, tanta præterea ingenij benignitate ac facilitate præditus, tantam morum comitate, ac sermone suauitate commedatus, quæ omnia natura in eo iucunda quadam ac festiua grauitate condierat, ut cum, quibuscumque consuetudinis suæ copiam fecisset, eos omnes ad sui amoris viuus mirabiliter pellexerit, tum vero eosdem mortuus ad sui desiderium, ut si quis alius, maiorem in modum reuocet. Quid ni autem is reuocet: qui vel tanta autoritate cum polleret, talis tamen esset, ut ab eo nihil vnquam in quenquam asperum fuerit, aut violentum, nec tamen quicquam remissum, aut dissolutum, sed ita in eo temperata, ita ordinata, ita composita omnia, ut cum in republica summam constantiam exhiberet, tum in priuata parem præstaret modestiam: qui etiam tantam tota illa Cancellariatus sui administratione integritatem præ se tulit, ut nulla vnquam priuata utilitas illum ad facinus, ac ne ad cuiusquam quidem offensionem impulerit: ut enim gubernatori cursus secundus, medico salus, imperatori victoria: sic illi rempublicam moderanti ciuium ratio vna & causa propolita erat: qua quidem ex re effectum est, ut à nobis ille, oculisque nostris licet recesserit, tamen nobiscum adhuc viuat, victurusque sit semper: cuius videlicet laus & memoria in nostris omnium sermonibus, animisque, nullo non tempore sacrosancta futura est. Ego vero magna adeo cum voluptate hic apud te in illius mentionem incidi, à quo vidi ipse, tanquam ea quæ oculis cernuntur, & te propter summum tuum ingenium, cultissimos mores, singularem probitatem, constantiam, grauitatem, prudentiam in primis dilectum amatumque: quem vicissim non nescio abs te eximie propter incredibilem eius humanitatem, admirabilem integritatem, pari sapientia coniunctam cultum fuisse atque obseruatum. Qui quoniam existimo te, quæ summa tua est modestia, haud paulo plus voluptatis illius laudibus audiendis, quam tuis ipsius lectandis capere, libens hic occasionem tantam à mutua vestra coniunctione nactus, ad vtriusque vestrum iustas plenasque coniunctim laudes aggredere, tum tuam, tum illius effigiem suis, quod aiunt, coloribus, quantum à me fieri posset, depingens: veruntamen quod verear, ne veluti makus pictor bonas formas imperitia mea reddam deteriores, reliquis in aliud tempus reiectis, intra ea quæ de amobus vobis pauca dixi, me continebo & ad me reuertar: hoc est, ad animum, amoremque erga te meum, quem ego quum ad summum creuissè iam crederem, maximum

maximum tamē illi cumulum accessisse sentio, ob eam causam, quam initio epistolę attigi, vt maximopere mirer, locum fuisse augendi in eo, quod ego iam pridem cumulatissimum esse rebar: tantum porro ad amorem eundem auctarium accessit, vt quę me antea tuerat dilectio, nunc denique vere amor esse videatur. Quem quidem ego amorem cum non intra me tantum celari vellem, sed vel per estistolam aliquam nostram, quę illius tanquam testis esse posset, foras productam ad eorum saltem hominū, qui a nostris legendis non abhorrebunt, conscientiam peruenire maximopere auerem, commodum rei huius periclitandę, non ausim dicere conficiundę, occasionem posterioris nostri tecum colloquij recordatio in animum nostrum inuadēs suppeditat. Memini equidem cum nouissime apud te essem, vnaq; de literis iucundissime commentaremur, indicare mihi te maiorem in modum scriptorum meorum lectione, quę summa tua est facilitas, capi: maxime vero animum tuum afficere, ac nulla nō sui parte tibi aridere nostram illam qualemcumque Chrysofomi de sacerdotio translationem. In cuius quidē lectione quoniam te sic diesq; ac noctes versari dicisti, vt te ipse interpreter tam illius esse studiosum, quā olim vel ille Alexander magnus perdiscendę Homericę Iliados, cuius amore sic illum captum ferunt, vt illam dormiens sub puluinari iacentem semper haberet: vel Cyprianus Carthaginēsis protomythes Tertulliani apologeticę lectionis studiosus fuisse dicitur, quem scripsit Hieronymus, ne diem quidem vnum absque illius peramata lectione vnquam pręteruisse, ita illum quocumque se cōferret, in manibus semper habebat: sed cum Chrysofomi liber idem a tuis vix vnquam oculis facebat, quidnam, quęso, hinc aliud coniectandum nobis relinquis, quā te, hac quidem ratione, summopere curare, eniti, operam nauare, vt tu a tanto doctore edoceare, quem admodum dignē munus istud tueri & sustinere valeas: tum vero vitam, quod facis, accommodes, mores componas, deniq; actiones omnes tuas ad eam dirigas regulam atque amussim, quam Chrysofomus, ille quidē author talis, vt illius authoritati refragari religio sit, seque dā ei esse sanxit, qui iuste episcopi officia atq; partes implere cupierit: quod ipsum quisquis præstabit, nā is nobis albam, quod dicitur, auem relaturus est: tam rarum est deplorata hac ætate, ex tanto episcoporum catalogo, vnum aut alterum numerare posse, non dico titulo, sed re ipsa episcopum, vsque adeo seculi nostri mores a prisci seculi moribus degenerarunt. In quo videlicet qui ad eam perducebatur dignitatem (inuitos autem ac repugnantes non raro perduci solere accepimus, vt de Chrysofomo) hūc sibi ante oculos scopum proponebāt omnes, vt creditarum sibi animarum salutem prospicerent: & ita prospicerent, vt illam suis vel commodis, vel cupiditatibus, ne libidinibus dicam, nō posteriorem, sed priorem haberēt. Sed de hoc quoque plura aliās: redeo ad tuū Chrysofomicę lectionis studium: quod quidem tametsi per se satis accensum videbam, tamen vt illud etiam magis ac magis incitarem, equumq; quod dicitur, sua satis sponte currentem instigare: faciendum mihi putauī, vt illud idem de sacerdotio opus tibi tam probatum exactissime & diligentissime recognoscerem, recognitumq; sub tuo nomine, & quidem ornatiore elegantioreq; forma, quā priore editione exierit, in studiosorum hominum manus emitterem: præposita operi eidem epistola hæc, qua lectori perpetuum meum erga te amorem, fidem, obser-

uantiam spectatam testatamq; relinquerem. meretur enim animus iste tuus Chrysofomo sic deditus, additus, deuotus, vt tibi per me recognitionem eam, ornatum, elegantiam, quantulacumq; ea est, studiosi debeāt. Nam & alioqui priorem ipsam editionem nemini homini separatim, sed lectori communiter nuncupanti. Quod equidem factum a me licet improbitum, feliciter tamen cecidisse interpreter: quod videlicet videatur ex composito peculiaris operis nūcupatio tuo fuisse nomini referuata, vt habeat nostrā lucubratiō te peculiarem sibi fautorem defensorēq; sine cōtrouersia talem, cuius præsidio tanquam Aiacis clypeo ab aduersariorum petitionibus ictibusq; facta & tecta, vt aiūt, esse possit. Quod reliquum est, recte tu quidē feceris, eritq; mihi abs te summi beneficii loco, si ita statueris, cū summa tua ista dignitate, ac virtute, & amicos, & propinquos, & clientes, & tibi obstrictos, innumeros habeas: me in fide, amore, cultu, obseruatiā erga te eorum nemini concedere. Bene vale, & in amore erga me isto perseuera. Ex Bertocuriano nostro, calendis Decembris. M. D. X X X I I I I.

ARGUMENTVM IN SEX Libros D. Ioan. Chrysofomi de sacerdotio, per eundem Germanum Brixium.



DIVI Iōanes Chrysofomus & Basilus Magnus etiam dum adulescentes ac condiscipuli, cum maximopere inter se amarent, animisq; mirē conuenirent, iisdem studiorum sacris iam inde à puericia initiati, paciscuntur, iurantq; vita sibi reliqua commune contubernium. Ad quod dum sese accingunt, ecce tibi exortus rumor quidam disseminat, fore, vt vterque iam tum ad sacerdotale episcopaleque munus adlegeretur. Hic Basilus cum Chrysofomo ea de re communicat, ab quo facile per amiciciam impetrat, vt eandem consiliorum rationem, eadem item fortuna honorumq; aleam vnanimis sequantur, neve alter ab altero quocumque casu emergente vnquam deferatur. Verum cum paulo post vterque ad id, quod dixi, munus posthabitis aliis compluribus, cunctis suffragiis electus fuisset, sese Chrysofomus (Basilio interim a suis suffragatoribus ad eum honorem pertracto) occultat, delatum ad se munus deprecatus. Tum demū Basilus a Chrysofomo proditum sese animaduertēs (neque enim ille pactis promissisq; steterat) ad eum primo quoque tempore adit: qui cum dum verba facit, exprostat primum, quod fidem sibi datam violauerit: tum vero rogat, causam vt dicat, qua causa adductus delatum sacerdotium repudiauerit: putare enim se id ab illo temere nequaquam fuisse factum, sed cōsideratopius ratione quadam, quam ipse Chrysofomo edocente edoceri cupiat. Itaque Chrysofomus se Basilio primum purgat, ostendens bonā fide, atque adeo ex vsu Christiani

Christiani gregis illum a se circumuentum: deinde haud se alio nomine occidisse, dignitatēque oblatam recusasse docet, nisi quod imbecillitatis suę conscius, intelligeret humeros suos tanto oneri ferendo non esse: interim copiosissime simul atque elegantissime declarans, quā multę sit dignitatis, sed quā difficile tamen episcopum vere agere: quem ipsum talibus ille coloribus depingit, totque ac tantis virtutibus perpolitum esse vult, vt si quis hodie episcopis nostris talem depingere velit, dispeream, nisi futurum sit, vt cum sua tabula, vt delirus rideatur, atque exhibetur. In tantum enim seculi nostri mores a priscæ ætatis moribus degenerarunt, vt bona episcoporum nostratium pars (neque enim de omnibus id a me dictum esse velim) non solum non elaborent, vt tales ipsi sint, quales esse deberent: verum etiam ex professo animi sui imaginem diuersissimam reddere studeant, ab ea episcopi imagine, quam nobis diuus Chrysofomus, hac quidem in parte. Apellem ipsum superans, peniculo suo artificiosissime atque elegantissime expressam reliquit. Quos ipsos tamen optarim, ex tam alto illo ocio, eoque veluti sedentario, in quo assidue desides inertes que vitā transigunt, descendere nonnunquam ad Chrysofomi aureum opus hoc lectitandum, vt vel vitæ anteactę pœnitentia tandem compuncti, id ipsum parte saltem aliqua præstare curent, quod præstare illos oportere voluit Chrysofomus, autor talis cui refragari nefas fuerit: vel, quo nullum illis supplicium grauius fore puto, infelices perpetuò obstinatique virtutem videant, intabescantque relictā.

DE DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI ARCHIEPISCOPI Constantinopolitani de sacerdotio liber primus, Germano Brixio Atisiodorensi interprete.



VERE mihi olim amici complures, iidemq; veri & germani, ac qui amicicię leges exactē intelligerent, tum diligenter seruarent. Horum complurium in numero vnus quidam eximia ergo nos charitate ac benevolentia, ita illos exuperare studuit, vt omnes tanto post se interuallo ipse relinqueret, quanto illi reliquos alios, a quibus vterque amaret, reliquissent. Hic idem ex iis erat, qui lateri meo perpetuò assiderent: etenim cum earūdem disciplinarum sacris initiati fuimus, tum etiā præceptoribus iisdē operam vterque dedimus, erat & nobis eadem animi propensio: erat studium par in illas ipsas, in quibus verfabamur, literas: præterea idem desiderium iisdem e rebus natum. Neque enim solum quo tempore ad magistrōs scholęq; condiscipuli ventitarem, sed etiam

quum illinc egressos consiliū iam inire oporteret, quā tandē præstaret reliquę nobis vitę viam tenere: & hic quoque eadem in nobis animorum cōspiratio, eadem concordia apparebat. Erant & alia item, quę voluntatum nostrarum conuenientiam hanc, constantem incōcullamq; seruarent. Neque enim ob patrię amplitudinem claritatemq; alter altero sese plus efferre ac veditare poterat: neque ego summa diuitiarū copia abundabam: ille contra, extrema premebatur paupertate: quinimō facultatum nostrarum modum consiliorum paritas ac studiorum æquabilitas æmulabatur. Adde quod & nobis idem generis honos ac splendor: vt nihil non concurreret ad volūtatum, studiorum, sententiarum consensionē. Postea vero quā eō a nobis vterum est, vt iam oporteret monasticam vitam, beatam illam quidem ac felicē persequi, ac verę philosophię studiis inhærere: iam non hæc erat nobis par eademq; statera: nam illius quidem lanx sublimis, vt quę leuior esset, ferebatur: ego vero humanarum rerum cupiditatibus etiamnum abundans, meam lancem deprimens, propedere cogebam, iuuenilibus eam aggrauās cogitationibus. Hic amiciciā quidem nostra constans stetit, vt & antehac: at cōsuetudo dirempta: neque enim dabatur, vt qui haud in iisdem amplius versarentur studiis communes inter se congressus haberent. Cæterum vbi & ipse paululum caput a vitę huius tempestate exerui, hic nos ambab? ille manibus porrectis excepit. Sed tamen ne sic quidem pristinam inter nos æquabilitatem retinere quiuimus. Etenim quum nobis ille tēpore anteuertisset, tum autē vehemētiam studiumq; ad id non modicum attulisset, rursus me ipso sublimior ferebatur in altum admodū sublatus: idem tamen bonitate sua, & quod amiciciam nostrā magnificeret, a cæterorum omniū contubernio sese abducens, assiduus nobiscum erat: id quod & antehac desiderauerat: sed quod dixi, ab animi huius languore prohibitus, assequi minimē potuerat. Nam qui fieri posset, vt qui continenter iudiciis ac foro interesset, ac scenę oblectamenta attonitus sectarer, frequenti vti possem cōsuetudine eius, qui non nisi libris affixus in forum nunquam ventitaret? Quocirca quum id illi per nos prius nequaquā licuisset, vbi primum factū est, vt me in cōmunem secum vitę cōditionem acciperet, tum demū quod iam pridem desiderium parturiebat, cōfertim peperit: ac ne breuissimam quidem diei partē a nobis absens fieri sustinuit, nunquam nō adhortans, vt domo vterque sua relicta vnā habitarem, atque id quidē persuasit: iamq; ea res nobis in manibus erat. At vero assidue matris illecebrę obstiterūt, quo minus hac ego illum gratia demererer, seu potius quo minus id beneficii illi deberem. Etenim vbi illa subodorata est id me consilij inire, dextra apprehensum introduxit in peculiare sibi cubiculum. Hic illa quum me sibi assidere voluisset, super eum lectum, in quo me enixa fuerat, in lachrymarum fontes prorupit, verba etiamnum adiiciens, quę me plus lachrymis illis omnibus ad misericordiam pertraherent. Porro eius quidem lamenta eiusmodi fuere: Patris tui virtute ac præstantia, fili, me haud ita multum temporis vitifruī numē permisit: vtpote cuius mors dolores eos, quos in te pariendo passa sum, continuo exceperit, ac tibi orbitatem, mihi viduitatem attulerit intempestiuam: vt sileam viduitatis ipsius mala, erumnas, incommoda, quę quidem solā animo illę complecti rectē queant, quas cōtigerit ea ipsa perpeti. Nullius enim sermo, nullius oratio par esse possit enarrandę tempestati

Matris oratio.

ac turbulētia illi quam subire oportet puellam, quæ ipsa etiam dum rudis, rerumque humanarum experis, simul atque paternam domum reliquerit, de repente immensorum dolorum facibus æstuans, curā solitudinemque ætate ac sexu superiorem sustinere cogatur: quàm videlicet necesse est seruatorum ignauias emédantem, eorundem maleficia obseruare, cognatorum propulsare insidias, publicanorum molestias, & quam illi, dum eis tributa numeratur, immanitatem exercere solent, forti generosoque animo ferre. Proinde quum decedit pater, relicta à se prole, si forte fœmina ea est, magnam vel sic matri curam exhibet, sed tamen hoc ipso tolerabilem, quòd illius educatio tum impèsa caret, tum etiam formidine vacat. At masculus à patre relictus matris animum in dies singulos immensa formidine, tū permultis còplet solitudinibus, vt nihil hic agam de sumptu, deq; impensa, quam multam tolerare cogitur mater, quæ adlaborat, vt masculus ille liberaliter educetur. Quorum rerum omnium nulla me tamen permouit, vt nuptiis iteratis sponsum alterum in patris tui ædes inducerem: quin potius in æstu illo, in fluctuatione ac turbine perseuerans, cœlestis gratiæ suppetiis in primis adiuta, ferream illam viduitatis fornacem nulla ex parte refugii: quum mihi inter eas ipsas erumnas atque incommoda solatio esset non modico, quòd aspectum istum assidue spectare, inq; eo tanquam vitalem defuncti mariti imaginem, veris que ac certissimis characteribus expressam mihi asseruare daretur. Quo nomine puerulus quum adhuc esses, necdum fandi gnarus, qua potissimū ætate maximam liberorum suorum voluptatem parentes sentiunt, magno certe mihi solatio, magnæ iucunditati fuisti. Atqui ne id quidem mecum expostulare possis, quòd nos viduitatis quidem conditionē perpessæ fortiter simus, sed viduitatis eiusdem angustias coarctatæ paternas tibi imminuerimus facultates: id quod infelicibus orphanis permultis vsu venisse scio. Siquidem patrimoniū tibi nulla non parte saluum integrumque seruauimus: quum tamen nihil etiam præter miseriam sumptuum eorū, qui tibi nominis istius existimationem aliquam parare possent, quos sumptus suffeci ex meo peculio: hoc est ex iis pecuniis quas mecum domo paterna attuleram. Neque vero existimare te velim, exprobrandi gratia hæc nūc à me dici: pro rebus porro his omnibus vnam abs te gratiam peto, ne me viduitate altera inuoluas, neu luctū iam sopitum rursus excites: obitus huius diē potius expectato: hinc paulo post nobis fortasse emigrandum. Nam vt qui iuuenes sunt, ad longæ senectutis annos accedant, sperare quidem liceat: qui autem iam cōsenuimus, quid tandem aliud, quàm mortem iam iam aduentantem præstolamur? Itaque vbi corpus hoc à te sepultum cum patris tui ossibus coniunxeris, tum demum fili lōgas profectioes suscipito, & quodeunque æquor collibitum fuerit, emetitor, per me nemo tūc prohibitorum est. Cæterum tantisper dum spiramus, contubernium conuictumque hūc nostrum tolerato, dei offensionem frustra ac temere ne incurrito, neue cōmittito, vt matrem nihil cōmeritam tam multis inuoluas incōmodis: qui si forte criminari potes quòd in mūdanas molestias pertractum, rerum tuarū curam temet gerere cogā: te non iam naturæ leges moueant, non educationis consuetudinēque iura tangāt, denique nulla te res alia impediatur, quò minus nos ita iam insidiatorum atque hostiū loco habeas, vitato etiam cōtubernio nostro. Sin vero nihil non agimus, vt tu facile altoque in ocio possis vite huius

412
A vsura frui: si minus aliud vinculum, certe hoc vnū te apud nos detineat: nam vt te à sexcentis amari dicas, nemo certè fuerit, qui tibi tanta in libertate viuere cōcedat: quum & neminem esse putem cui nominis istius existimatio æque ac mihi vni chara esse possit. Hæc & his longè plura matris ad me monita erant: quæ quum amico illi verè magnanimo ac generoso recitasset, tantum abfuit, vt iis ipse moueretur, vt acrius etiam instaret, eadem à me, quæ & antea efflagitans. Hæc cum inter nos versaremur, remque ille assiduis vrgeret precibus, me interim nihil innuente, ecce exortus de repente rumor quidam nostrum vtriusque animum cōmouit: percreebrerat autem fore, vt ad episcopos dignitatem vterque perduceremur. Quo ad me rumore perlato, hinc formidine, hinc hæsitantia percussus sum: formidine, ne forte vel inuitus eò ipse raperer: hæsitantia, dū idēdem animo versarer, vnde nam in illorū patrum animos obrepisset, vt de nobis tale quiddam cogitaret. Nam mihi quidē ingenij mei vires circumspicienti non succurrebat quicquam quod honorē illum mereretur. Generoso autē vir ille animo ad me quū adisset, semotisque arbitris mecum rem totam cōmunicasset, ratus nōdum me quicquam de ea audisse, obsecrabat, vt quemadmodum antea semper apparuisset, ita etiam nunc appareret nos ambos eorundem factorū cōsiliiorumque rationem hac in re sequi velle: paratū sese vt sequeretur, ac mihi comes foret, vtracumque ego via preire mallet, seu fugiendū, seu quod offererent illi, sequendum magis esset. Itaque animaduertens tam propèsam in eo volūtatē, tum vero arbitratus me hoc nomine magnum vniuersæ ecclesiæ detrimentum allaturum, si ob meā imbecillitatē infirmitatēque, Christianū gregem iuuenē tanta probitate prædito, eodemque regedis moderandisque aliis maximè idoneo spoliare, non iudicauit detegendū illi esse quid animi super ea re haberem, quanquā nūquam antea passus, vt illū cōsiliiorum meorum quicquā lateret: Cui quum iudicasset me negocij huius cōsiliium in aliud tēpus reuicere (neque enim id in præsentia vrgeretur) factum est, vt statim persuaderē nō esse vltius super eo cogitandum. Præstiti autem vt cōsideret vnanimē me ac cōcordē secum fore, si quando tale aliquid euenisset. Tēpore autē haud ita multo elapso, quum iam dies aduenisset, in quo eligēdi vterque essemus, ac me ipse occultaessem, idē ille harū omnium rerum ignarus quum esset, apprehensus, ducitur quidē à patribus tanquā alio prætextu, sed tamē iugum nequam detrectat: quòd promissa nostra spē illi faceret, nos eò omnino sequuturos, seu potius nos iā præire, se subsequi. Etenim nonnulli ex eorū numero qui aderant, quum viderent illū haud equanimiter se captum ferre, facile ei verba dedere, acclamantes, absurdū esse, illum qui omnium iudicio ferocior visus semper fuisset (me designantes) multa cum comitate patrum suffragiis parere: eum vero qui prudentia ac facilitate semper excellisset, ferocire & tanquā gloriosulū apparere, resistentem, tergierantē, obstinentem. His ille verbis parens, posteaquam intellexit me subterfugisse, tristis admodū ad me adiit, ac mihi propior quū assedisset, eloqui quidem nescio quid velle videbatur: cæterū ab animi angustia oppressus, quum oratione vim eā qua premere tur assequi nequiret, in ipso oris hiatus fari prohibebatur, animi cōsternatione orationem, priusquā ea dentes transiisset, interrumpente. Itaque illum ego intuitus lachrymis permadentē, ac multa animi percussus cōturbatione, mali causam quum intelligeret, in risum præ-

nimia animi voluptate prorupi: apprehensumque dextra deosculari conatus sum: deo acceptum referens, quòd astus meus felicem tandē fuisset exitum sortitus, ac non alium ab eo, quē animus hic optauerat. Vt vero me vidit latā hilarēque: si frontem præferre, ac tum primum à me deceptum sese animaduertit: hoc magis animo cōpunctus indignatusque est. Porro ab eo animi astu quietior tandem paulum factus, Tu vero, inquit, vt partes etiam nostras respueris, ac nullā iam nostri rationem habeas (id quod si ita est, qua tandē causa nō facile perspicio) te certè oportuit vel famæ existimationisque tuæ rationem habere. Nunc vero mortalium omnium ora adaperuisti, quorum hæc vna cōsentiens vox est: te per inanis gloriæ cupiditatē munus hoc recusauisse: neque enim quisquam est qui te ab hoc crimine eximat: mihi autē ne in forum quidē ventitare licet: tam multi nobis occurrant nullo nō die facinus istud vicio vertentes. Nā quoties illi quacunq; vis vrbis parte me cōspexere, semotis arbitris abductum (de iis loquor qui amicicia ac necessitudine aliqua nobiscum cōiuncti sunt) bonæ criminis huius partis reum faciūt. Illius enim, inquit, animus tibi exploratus quum esset (quid autem rerum ad illū pertinentium latere te poterat?) oportuit te rem minime dissimulare, sed nobiscum cōmunicare: id quod si fecisses, nunquā profecto nobis defuisset ars, qua illum in retia cōiecissemus. Me vero hic fateri pudet, nesciuisse id à te consilij multo iam ante tempore ininitum: idque ne amicicia nostram fictā illi ac simulatam hæctenus fuisse ducant. Nam si ea simulata est, vt omnino est, quod ne tu quidem inficiari possis, vel ex cōmissis aduersum nos tuis: tamen externos homines, eos præsertim qui vel mediocrē de nobis opinionem concepere, pulchrū esse reor, vicia, si qua in nobis sunt, celare. Itaque rem, vt se habet, verè apud illos edisserere dum vereor, cogor prorsus, quod vnū superest, caput in terram silentio mihi indictō demittere, amicorumque occursum auersari ac declinare. Etenim vt prius illud crimen, cuius nos illi dānant, effugiam: restat tamē necessario, vt me mēdaci cōiuncant. Neque enim persuasum illis vnquā esse queat, quòd & Basilianorum eorum loco ac numero habueris, quibus arcanorum cōsiliiorumque tuorū cōscientia interdīcta esset. Cæterum posteaquam id tibi cordi fuisse video, de eo nō admodum laboro. Reliquum vero dedecus quū ferre possimus: Certe alij te fastidij ac cōtumaciæ, alij inanis gloriæ accusant: qui autē rem dānare feuerius rigidiusque volunt, ij nos duplicis huius criminis reos agūt: addētes contumeliæ crimen, qua cōtumelia à nobis affectos fuisse eos dicūt, qui nos honore illo dignati sunt: quos etiam censent, nō ea solū iniuria, quam à nobis acceperunt, sed lōge etiā grauiore dignissimos: propterea quòd egregiis atque excellentibus viris (quos multos habent) à se relictis contemptisque, duos quosdam adolescentiæ annos heri aut nudius tertius egressos, vitæ huius curis etiamnum inuolutos, vt per exiguum tempus supercilia ipsi sua fastuosi cōtraherent, pullos habitus induerent, vultusque tristitiam adfingent, de repente ad tanti honoris culmen perduxerint, quātum ne in somnis quidē assequi sperauissent. Atque ij quidē, inquit, qui à prima ætate ad extremam vsque senectutē acerbis atque assiduis meditationibus vigiliisque sese exercent: ecce tibi, si diuis placet, inter subditos sunt: imperant autē illis ipsorum filij, atque adeo hi qui ne leges quidē ac præcepta audiere, quibus huiusmodi magistratus regendus moderandusque sit. Hæc ipsa & his longè etiā plura qui

A nobis assidue obiciant passim exoriuntur: quum ego interim defensionē planè non habeam, qua me aduersus illos tuear. Itaque partes hic tuas imploro: neque enim puto leuiter te ac temere cum genus hoc fugē que siuissetum vero in tam acrem viroꝝ tam præstantium offensionē incurrere voluisse: sed te potius consilio quodam atque animi cogitatione ad id descēdisse: quo fit, vt coniectem paratam tibi rationē, qua tu factū istud tuum rectè tueri ac defendere valeas. Effare, obsecro, si qua tibi iusta excusatio adest: quā asserere possimus aduersus eos, à quibus in crimē vocaris. Neque enim postulo, vt causam hic dicas cur factū sit, vt me sic offenderes, deciperes, proderes, nulla etiam ratione habita fructus eius, quem tibi perpetuus amiciciæ nostræ vsus antea peperisset: quum nos animum nostrum gestantes, vt sic dicam, tibi tanquam in manum tradiderimus: tu contra tantum aduersus nos astum adhiberis, quantum maximum potueris, ac quantū utique adhibuisses, si tibi fuisset ab aduersariis tuis cauendum. Atqui oportuit, si quidem consilium istud vtile ac cōmodum noveras, te lucrū eiusmodi minime deuitare: sin detrimētosum, & me quoque (quem tute semper omnibus in amicicia prætulisti) à detrimento isto per te factū tectum esse: quum tu tamen operam omnē nauaueris, vt in aduersariorum laqueos inciderem, dolo etiā ac simulatione aduersus eum adhibita, cuius dicta factaque omnia sincera, simplicia, ac dolo vbique carētia nūquam non expertus esses. Enimuero, quòd iam à me dictū est, nihil horum hic tecū expostulo, neque exprobro solitudinem, in quā tute nos coniecisti, cōgreisibus colloquiisque iis per te diremptis, ex quibus nō vulgarem idētidem tum voluptatem, tum vtilitatem cepimus. Hæc enim omnia mihi faciens facile atque humaniter fero, non quòd tu humaniter in nos deliqueris, sed quia hanc mihi ipse legē præscripserim, ex quo amicicia mihi tua coli cœpta est, vt si quid postea in me delinqueres, nūquā te ego ad causæ dicendæ necessitatem adigerem. Nam quòd sim ego non mediocri abs te dāno affectus, tute etiā nostri: si modo memor esse velis sermonū eorum, quos tum alij, tū nos de nobis ipsis perpetuò vsurpauimus: qui sermones haud aliud sonabant, quàm ex animorum nostrorū cōspiratione magnū nobis fructum olim sperandum. Proinde muniendos firmadosque nos cesebas mutua inter nos charitate atque amicicia: quin & cæterorum omnium sermo in hoc consentiebat, vt concordiam amiciciamque nostrā etiam aliis permultis imprimis vtilem ac necessariam fore dicerent. Ego vero, quod ad me quidē spectaret, nunquā mihi persuasi ad alios vtilitatem istam manaturam dicebā, quòd magno cum negocio capiendi expugnandique essemus ab iis, qui nos oppugnassent: ac te quidē antea semper hisce à me verbis cōmonefactum memini, Temporis difficultas magna, insidiatores permulti, vera ac germana charitas extincta: in cuius locū inuidiæ labes inuasit: per laqueos medios ingredimur, in ambulamus per murorum pinnas minasque: neque desunt qui siquid calamitatis forte acciderit, malis nostris insultaturi sint (multi autē multitis ex locis imminentes circumstant) qui vero mali dolorisque participes futuri sint, nulli prorsus, aut si qui hi esse possunt, pauci admodū sunt. Vide ne forte diuinitati dissociatiq; risum aliis luculentū præbeamus: neue, quod risu deterius futurum fuerit, magnum nobis ma-

quàm regnum quoddam tãquam vectibus repagulisq; vndique constabilitur: Ne obsecro, ne istã dissolvas necessitudinem, neu amicicia nostrę vectem cardinemq; reuellas. Hęc ipsa vnã cum aliis pluribus nũquam non inculcabã, nihil omnino tale accidere posse quod accidit suspicatus: quin potius arbitratus te sano admodum erga nos animo esse, amoris abundantia quadam medelam afferebam, minime animaduertēs ægrotanti medicinam me adhibere. Ac ne sic quidē miser opem tuli, neque mihi lucri quicquam accessit ex tanta illa cautione ac prouidētia. Quandoquidem omnia illa simul excutiēs, ac ne in animi quidem cogitationem influere permittens, me continuo tanquam nauem nullis fulcimentis vallatam in immensum pelagus præcipitem egisti: nihil expensens fluctuum illorum, quos sustinere cogimur, sæuiciam atque asperitatem. Nam si quãdo nos vel calumniam, vel cachinum, vel aliam id genus iniuriam molestiãve pati oportuerit (per se autē multa eiusmodi necessario erũpũt) ad quem, obsecro, cõfugiendum nobis erit? quĩ cum quæso, animi nostri dolores atq; angustias cõmunicabimus? quis necessitate aliqua presis auxilio esse volet? quis molestiæ auctores retũdet? quis animi huius mœsticiam fedaturus est? quis nobis solatium ac iucunditatē allaturus? quis animum nostrũ præparaturus ad aliorum ineptias fortiter perferēdas? Certe neminē futurum puto, posteaquam te ipse à graui isto ac periculoso bello eõ subtraxisti, vnde ne clamorē quidem exaudire possis. Ecquid igitur animaduertis quã atrox, quãq; nefariũ scelus feceris? Ecquid, post inflictã saltem à te plagam, sentis quãm perniciosum ac letale nobis vulnus intuleris? Cæterum de his satis superq; neque enim quæ facta sunt, fieri ea infecta possint: neque rei quę deplorata sit, remedium afferre vllum queas. Tantum edoce, quam nos tandem orationē apud alios vsurpare, quõue defensionis genere illorum criminationes retũdere possimus. **Bona** quã, animo esto: neque enim harum modo rerum nomine paratus sum ad rationē reddendarum calculos descendere: sed à quarum etiam culpa immunem me esse voluisti, earum tibi hic rationē defensionemq; expedire pro viribus enitar. Quibus ab ipsis, si placet, apologię nostrę exordium sumatur: quippe absurdo planē, neque satis candido ac liberali animo fuerim si sollicitus quamnam alij de me opinionem habeant, studiumq; omne adhibens, vt criminandi accusandiq; mei finem tandem illi faciant: hominem mihi amicissimum, quiq; sic me ipse vereatur, colat, obseruet, vt ne de iis quidē, quas à nobis accepisse se dicit, iniuriis, mecũ expostulare velit: denique talem, vt suam ipsius causam dignitatemq; postponēs ac pro nihilo ducens, nostrã in primis curam habeat: nõ possim hic fletere, illique persuadere, nulla à me iniuria læsum fuisse: quin potius committam, vt maiorem nostram erga illum somnolentiam ac negligentiam, quã illius erga me studium, ac sedulitatem extitisse appareat. Itaque quid tandem illud est in quo te ipsi læsumus? siquidem hinc constituimus apologiã pelagus ingredi. Læsus ne, quod circumuenerim atque imposuerim? quod animi mei sententiã occultandam tibi duxerim? quod tamen factum à nobis est partim tuo quē circumuenimus cõmodo, partim eorũ vtilitate quibus te impostura nostra prodidimus. Nam si in vniuersum fraudis genus omne, malũ vituperandumq; est, neque eam cuiquã licet in hominum vsum vtilitatemq; vnquam vertere: equidē paratus sum pœnas dare quascunq; præscrip-

CHRYS.

seris: seu vt verius dicam, quandoquidem tu, ni fallor, nunquam à nobis sustineas pœnas exigere, vltro ipsi nobismet eam pœnam irrogabimus, qua iudices multare eos solent, qui iniuriã illata rei sunt, quoties ab auctoribus suis rei peracti fuerint: sin vero fraus ipsa nõ semper incommoda, sed pro eorum qui eam adhibent animo atque cõsilio bonæ malæve rei nomen sortitur, missam faciens criminationem istam, qua te à me circumuentũ quereris, edoce, nisi graue est, in malũ damnũq; tuum fraudem huiusmodi fuisse à nobis excogitatam: quandoquidem donec animus malus abfuerit, consentaneum est, vt qui sese iustos equosq; in causa eiusmodi ostendere velint, deceptorem hunc, quem dico, non modo non accusent culpẽtve, sed etiam laudent atq; approbēt. Tam lucrosa enim tamq; fructuosa esse solet opportuna ac recto animi iudicio facta fraus, vt permulti etiam pœnas sepnumero luerint, hoc ipso quod rem fraude nõ egissent. Ac si exquirere velimus, quinam copiarum Imperatores iam inde ab orbe condito claruere: illorum trophæa bona ex parte cõperimus imposturæ ac fraudis facinora fuisse, eosdemq; fatēbimur maiore quidem laude dignos, quã qui aperto Marte victoriã de hostibus reportant. Hi enim magno cum sumptu, tum pecuniarum tum corporum sic bella cõficiunt, vt ab ipsa etiam victoriã nihil illis amplius accedat: quin potius victores quĩ sunt, nihilo tamen secius pari cum iis, qui victi sunt, calamitate premuntur, tum copiis absumptis, tum arario exhausto. Adhęc qui victi sunt, ne ipsos quidem victores patiuntur solida victoriæ gloria perfrui: cuius bona pars ad eos redit qui cecidere: vt pote qui animis victores, corporibus solum inferiores fuerint: quibus item si per sua vota in bello nõ cadere licuisset, neque illis mortis interuentus dimicationis finē attulisset, nimirum alacritatis magnanimitatisq; suæ ostendendæ modum fecissent nullum. At qui fraude aliqua victoriã sibi parat, is præterquam quod calamitatē atque perniciem hostibus affert, id etiã præstat, vt cæteris illi de se risum præbeant. Neq; vero vt illic fortitudinis, sic & hic prudentiã laudē gloriãq; ex æquo vtrique reportant: verum integra victoriã totius laus ad victores solos pertinet. Et quod iis, quæ dixi, inferius nequaquam esse reor: qui astu vincunt, ciuitati suæ seruant synceram illibatã atque integrã ex victoriã parta voluptatem: neque enim commune quicquam habet animi prudētia cum pecuniarum corporumq; multitudine atque copia: quibus quidē vsuuenit, vt quo magis in bello vtare, eõ magis infumãtur, magisq; suos deficiãt possessores: quum cõtrã natura sic comparatum sit, vt animi prudentia, quo magis exerceas, eo magis adolescat. Neque vero foris tantum ad militiam, sed etiã domi ad pacem nõ publicis modò ciuitatis, sed & priuatis vniuscuiusque negociis pertractãdis, & marito aduersus vxorem, & vxori aduersus maritũ, & patri in filiũ, & amico in amicum, addam etiã & liberis in patrem, astus huius vsum cõmunem necessariumq; cõperies. Neque enim filia Saũl maritum suum alia ratione de Saũl manibus exinere, quã circumuento ac decepto patre potuisset. Cuius itē frater eundē illum ab ea semel seruatum de vita periclitantem seruare dum vellet, iisdē telis quibus & vxor sese armauit. Atque hic Basilius: Sed nihil horũ, inquit, ad me: neque enim hostis ego atque aduersarius, neque ex eorum numero, qui nocere iniuriãq; afferre parant: quin ipse cõtrã, animi tui sententiã omnia mea quũ cõmississem, de ea via nunquã deflexi, qua me ipse subsequi

CHRYS.

subsequi iussisses. Ego vero ò admirãde idemq; optime Basili, non ob aliud, in quã, quã ob hoc ipsum auertens nuper docui, non in bello tantum cõtra hostes, sed etiam in pace aduersus amicissimos quoque, astus huius vsum cõuenire. Nam quod id cõducatur non circumuenientibus solum, sed etiam circumuentis: ad vnum aliquem ex medicis profectus, sciscitare, quem nam illi in modum laborantes, morbo liberare soleãt: certe ex iis audies meram nudamq; artem ipsis non satis esse: sed & aliquoties ipsos impostura vt, cuius auxilio cum arte medica coniuncto ægrotantem sanitati pristinã restituant. Etenim dum hinc ægrotantium morositas, hinc morbi difficultas medicorum auersatur consilium: tum cogũtur illi, fraudis atque imposturæ personã induere, vt quod in scena fieri solet, in qua fictis omnibus & adumbratis loci plurimum est, rerum factorumq; veritatē occultare possint. Atque hic si placet dolũ vnum explicabo ex multis, quẽ olim à medicis fuisse structum audiui. Inciderat quidam in acrem vehementemq; febrim. Idem astu febris indies gliscente augefcentemq; remedia ea omnia auersabatur, quæ ad ardorem illum restinguendum facerēt: cæterum quum desiderio ferretur, multusq; esset in vrgendis hortandisq; omnibus iis, qui ad ipsum introissent: id perpetuo agēs, vt multo vino, eoq; meraco, sibi porrecto, exitiosam illam appetentiam extingueret: futurum quippe erat vt si quis illi obsecundans, hac in parte gratificatus fuisset, febris ardorem non solum magis inflammaret, sed miserum etiam illum prorsus ad insanã furoremq; adigeret: hic demũ quum ars ipsa efforta iam atque exhausta nullum salutis remediũ inueniret, in eius locum sese fraus insinuans, tantam exhibuit virium suarũ efficaciam, quantam mox ex me auditurus es. Etenim medicus acceptũ vas testaceum (id recēs à fornace exierat) vino permulto immerisit: quod quum vacuum, sed apprime tinctum extraxisset, aqua implet: tũ iubet ægrotantis cubiculũ tapetibus velisq; vndique adumbrari, ne fraus ipsa lumine detegatur: hic testam egroto propinat, quasi mero plenam: quã ille manibus quum necdum apprehendisset, vini odore eius nares statim peruadente, nõ sustinuit curiose indagare, quid sibi à medico porrigeretur: verũ eo odore persuasus, & tenebris deceptus, tum etiam appetitę rei desiderio victus, quod propinabatur, propensissime hausit, ac satius febris astu statim exculsit, periculo eo, quod graue imminēbat, liberatus. Quod si quis fraudis eius, de qua loquor cõmoda vtilitatemq; vnã cum medicorũ dolis omnibus recensere volet, huius certe oratio nullum prorsus finem habitura sit. Cõperies autem nõ ab iis solum qui corporum medendorum, sed etiã ab iis qui animi curam suscipiũt, pharmaci huius vsum alsiduum vsurpanti solitum. Sic beatus ille Paulus multas illas Iudeorum myriadas ad se allecxit. Per huius item consilij rationem, idem ille, qui Galatis cõminatur fore vt Christus circuncisos nihil adiuet, Timotheum tamen circuncidit. Propterea item legi aliquoties sese submittit: qui idem censet post fidem deo datam, exitiosam esse legis sanctificationem. Fraudis quidē magna vis, modo ne fraudulentum ea animo fiat: quã ipsam tum ne fraudem quidē nominandã putauerim, verum œconomia quãdam potius ac sapientiam artemq; qua possis è mediis iisq; imperuiis desperatarum rerũ angustis difficultatibusq; correctis emendatisq; animi vicis euadere. Neque enim Phinees illum homicidam ego vnquam appellauerim, quãquam is plaga vna corpora duo sustu-

lit. Quemadmodum neque Heliã vel post milites centum vnã cum ducibus suis interfectos, atque adeò post magnũ illum sanguinis torrentem, quẽ ex eorum nece qui demonibus consecrati essent, fecit excurrere. Nam si hoc dederimus, & res ipsas per se singulas, nudas ab autorũ suorum cõsilio propositoque separatas expendere quis voluerit: nemini sanē nõ licebit, vel Abrahã ipsum parricidij accersere. Item & illius tum nepotem tum abnepotē doli ac malefici reos agere: sic enim ille ius sibi primogenitorum vsurpauit: hic autē Aegyptiorum opes in Israëlitarum castra transtulit. Sed non est ita, non est ita. Faceat hinc tanta ista impudētia: neque enim solum eos quos modo nominauit, culpa liberamus: sed etiam eosdem vel hoc nomine admiramus: quandoquidem & ipsi hoc demum nomine gratiam à deo magnã inierunt. Proinde veri illusoris deceptorisq; nomine dignus fuerit, quisquis re ipsa iniquo ac nocendi animo abutitur, alioqui sæpenumero profuit decepsisse: & hac potissimum arte in maximis rebus alteri opem subsidiumq; tulisse. Cæterũ qui recto semper calle ingreditur, de eo nunquam dessectens: sæpe fit vt ei etiam cui non astum aliquem struxerit, malorum incommodorumq; quamplurimorum autor sit.

LIBER SECVNDVS.



ROINDE quod fraudis vim atq; vsum bonam etiam in partem adhibere possis, seu (vt verius dicam) quod ne fraudis quidē, sed admirandæ cuiusdã dispēsationis nomine tum fraus ea designãda sit, pluribus quidem hic à me exemplis doceri poterat: quũ vero quę à nobis adducta sunt, ea idoneam rei comprobandæ fidē facere possint, graue molestũque arbitror in prolixitatē quæ superuacanea sit orationem nostram producere. Reliquum est vt tute expēdas, num ex vsu ac cõmodo tuo fraus ea à nobis adhibita sit. Tũ Basilius: Et quodnam, inquit, cõmodũ ad nos ex hac rediit, seu œconomia, seu sapientia, seu quocunq; eam nomine appellare mauis: vt testatum nobis esse queat ac persuasum, fucum mihi à te nequaquam esse factum? Quodnam vero, inquam, hoc vno maius commodum existat, quã si ea nos facta præstare constiterit, quæ quidem dilectionis charitatisque in Christũ exempla esse Christus ipse nos docuit: Hic enim cum apostolorũ principe verba faciens: Petre amas me, inquit, atque illo id confitente, adiungit: Si amas me, palce oues meas. Interrogat discipulum magister, num ab eo ametur: non quod id ipse edocetur: (qui enim id edoceri studeat is, cui vni mortaliũ omnium corda peruia sunt?) verum vt nos doceat, quãtã sibi curę sit gregis huius præfectura. Id quod vbi constiterit, & illud item pariter cõstabit: copiosam atque adeò immensam mercedem illum expectare, qui consiliũ, curam, cogitationē, atque operam in iis suam ponat, quæ quidē magno apud se in precio atque æstimatione Christus esse voluit. Nam si quoties videmus seruorum pecuariorũve nostrorum curam à quibusdam suscipi, ex eo studio aduersus illa impẽso colligimus, ab iis nos amari (etiam si illa ipsa eiusmodi esse soleant, vt pecunia veneãt) qui neque pecunia, neque alia re vlla, sed morte propria armentum hoc redemerit, suũque propriũ sanguinem gregis huius pastores ac rectores remuneratarum olim credimus? Propterea enim quum respondisset discipulus: Tu scis domine, quod amē te, testemque citasset amoris huius ipsummet qui

BASIL.

CHRYS.

Ioan. 21.

amaretur, haud se hic continuit seruator Iesus, sed & amoris quoque indicium adiunxit. Neque enim tum volebat testatum esse, quatum à Petro amaretur: siquidem id multis nobis argumentis costabat: verum hoc ille tum agebat, vt & Petrum & ceteros nos edoceret, quanta benevolentia ac charitate erga suam ipse ecclesiam afficeretur: vt hac ratione & nos quoque eiusdem ecclesiae studium curamque toto animo susciperemus. Nam qua de causa filio suo eique vnigenito deus optimus maximus vsque adeo non parcendum putauit, vt etiam quem vnicum haberet hunc dederet? Certe vt qui in ipsius offensionem incurrisset, eos sibi reconciliaret, tum vero peculiarem selectumque sibi populum redderet. Quanam item de causa idem ille sanguinem effudit suum? certe vt pecudes eas acquireret, quarum curam, tum Petro, tum Petri successoribus committeret. Iure igitur ac merito sic loquebatur Christus. Quisnam fidelis seruus & prudens, quem dominus super familiam suam constituit? Rursus verba quidem ista, heresitantis esse videntur: quum tamen ab eo prolata sint, qui minime haesitare. Nam quemadmodum Petrum dum interrogaret, num ab eo amaretur: interrogabat profecto, non ex eo quod vellet amorē huiusmodi ex discipuli verbis intelligere, sed quod declarare cuperet quanam censeret deberet nostrae erga se charitatis dilectionisque magnitudo: ita & hic dum ait: Quisnam fidelis seruus & prudens? non hoc ait, quod ei ignotus sit fidelis ac prudens seruus: sed quod exprimere velit, tum hoc opus quam rarum sit: tum quae sit functionis huius amplitudo. Contemplantur itaque & praemium, quatum: super omnia, inquit, bona sua constituet eum. Etiam ne nunc nobiscum contentes, fraudem istam tibi non bene ac feliciter celsisse, qui per eam vniuersis dei optimi maximi bonis sis praeficiendus? quum praesertim ea agas, quae quum Petrus ageret, illi Christus autoritate praedictum esse voluit, ac reliquos item apostolos longè praecellere. Petre enim, ait, amas me plus quam hi omnes? At qui illi quidem licebat verbis huiusmodi Petrum affari: Si me amas Petre, ieiunia exerce, super nudam humum dormi, vigila continenter, iniuria pressis patrocinare, orphanis patrem te exhibe, viduae item te maritorum loco habeant. Nunc vero praetermissis omnibus his, quidnam ille ait? Pasce oves meas. Nam quae modo à me dicta sunt, ea complures etiam ex subditis praestare facile possint, non viri solum sed etiam foeminae. At quum de ecclesiae praefectura, de credenda huic vel illi tam multarum animarum cura agitur: vniuersa quidem mulieris natura functionis istius moli ac magnitudini cedat oportet, itemque & bona virorum pars. Prodeat autem in medium qui longe omnibus praestant: quique animi virtute tantum reliquos excellent, quatum corporis magnitudine Saül Hebraeorum gentem vniuersam excelluit: seu potius multo etiam magis. Neque enim hic nobis humerorum excellentiae ac proceritatis mensura quaerenda: sed quanta inter sese differentia homines rationis usum habentes, & bruta ratione carentia discedit: tantum sane discrimen inter eum qui pascit, atque eos qui pascuntur esse velim: vt ne maius etiam exigam: si quidem in multo etiam maioribus rebus periculum ipsum versatur. Etenim qui oves perdidit, vel lupis rapientibus, vel latronibus adorientibus, vel lue aliqua, aut alio id genus casu saeuiente: fortassis veniam nonnullam à domino gregis impetret: sin & poenas ille exigit, danum non nisi pecunia constat. At vero cui homines ipsi, rationalis Christi grex, concrediti sunt: hunc primum

Math. 24.

Ioan. 21.

420
ouibus deperditis non pecuniarum, sed animae propriae iacturam facere oportet: tum vero & certamen longè maius ac multo molestius sustinere. Neque enim illi aduersus lupos pugna est, neque à furibus timet, neque sollicitus anxiusque est de peste à grege abigenda. Contra quos ergo illi bellum? quibus cum luctat? Audi obsecro beatum Paulum loquentem: Non est vobis lucta aduersus sanguinem & carnem, sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mundi dominos, rectores tenebrarum seculi huius, aduersus spirituales malicias in caelestibus. Vidēsne terribiles aduersariorum copias? vides phalanges asperas, non ferro quidem circumseptas, sed quibus pro vniuersa armatura ingenium ipsi suum abunde satis est: Vis & alium exercitum spectare immanem ac crudelem gregi isti insidiantem? Hunc ipsum tibi de eadem specula spectare licebit. Nam qui de illis, quos ante dixi, aduersariis verba fecit: hic idem & hos nobis hostes indicat, ita loquens: Manifesta sunt opera carnis, quae sunt haec: Adulterium, fornicatio, immundicia, lasciuia, simulariorum cultus, veneficium, inimicitia, insimulationes, irae, contumeliositates, obloquutiones, susurri, animi tumores, & alia his longe plura: neque enim omnia annumerauit, sed ex his nobis caetera reliquit intelligenda. Porro quod ad brutorum pastorem pertinet, qui gregem perdere querunt, vbi viderint illius praefectum fugam se mandare, missa aduersus illum pugna, contenti sunt ipsarum pecudum raptu. Hic vero vt vniuersum gregem ceperint, ne sic quidem à pastore manus abstinent: sed eò magis instat, eò magis ferociunt: neque certe dimicandi finem prius faciunt, quam vel illum supplantarint, vel victas ipsi manus prebuerint. Adde his, quod pecuarij morbi aperti sunt ac manifesti, si vel fames sit, vel pestis, si vulnus, si aliud quoduis dolorem & agritudinemve pariens: quae res non modico adiumento esse solet morbis à pecudibus abigendis. Est item & aliud hoc ipso maius, quod quidem praesentaneum affert & agritudinem illi remedium. Quidnam porro hoc est? Magna cum autoritate pastores pecudes suas porrectam medicinam capere cogunt: nam & eas vincire procliuē, quoties vrere, quoties incidere opus: itemque & diutius asseruare facile, quodcumque id conducit: & aliud item pro alio pabulum praebere, & arcere à fluentis: praeterea caetera omnia quaecumque pastores probauerint pecudum saluti conferre, nullo ipsi negotio, nullo labore adhibere solent. Horum vero morbi principio haud facile sese homini produnt. Nam quae intra hominem latent, praeter hominis spiritum, qui in ipso est nemo certe alius intelligit. Qui igitur pharmacum adhibere quis possit morbo ei, cuius genus nequaquam intelligat: quum etiam per se vsuueniat, vt ne intelligere quidem possit, morbus subsit necne: qui vbi sese prodidit, tibi tum maius negotium facessit. Neque enim homini licet tanta cum autoritate homines curare, cum quanta oves pastor curat. Hic enim liberum est & vincire, & à pabulo arcere, & vrere, & secare: quum illic medicinae ac curationis suscipienda facultas posita minime sit in illo qui medicinam adhibet, sed in eo tantum qui laborat. Hoc enim admirandus ille vir quum intelligeret, sic Corinthios alloquitur: Non quod dominemur vobis nomine fidei, sed adiutores sumus gau-dij vestri. Christianis enim minime omnium licet peccatum lapsus vi corrigere. Exteri quidem iudices quum facinorosos homines leges transgressos fuisse deprehenderint, magna se praeditos autoritate ac potestate ostendunt, eosdemque vel inuitos, suos ipsorum mores mutare

Eph. 4.

Gal. 5.

2. Cor. 1.

mutare cogunt. Hic vero non vim afferre, sed suadere tantum oportet, atque hac ratione meliorem efficere, quem emendandum susceperis. Neque enim nobis facultas tanta à legibus data ad delinquentes coercendos: ac ne si dedissent quidem, haberemus vbi vim huiusmodi potentiamque exercere possemus: quum Christus eos aeterna corona donet, non qui coacti, sed qui certo animi proposito à peccato abstinent. Quamobrem multa quidem arte opus est, vt qui laborant Christiani vltro sibi ipsi persuadeant sacerdotum curationibus sese submittere oportere: neque id solum, sed vt etiam curationis ac medicinae nomine gratiam illis habeant. Nam siue qui vincit illigatusque est, contumaciter restiterit (id autem per se ipse potest) malum certe exasperat, grauiusque reddit: siue admonentis verba ferri modo secantia neglectim transmiserit, nimirum aliud sibi vulnus contemptu infert: vsque adeo vt curationis illius praetextus grauioris morbi color fiat: neque enim est qui hic vim afferat, nec qui curare inuitum possit. Quid igitur facias? Etenim si blandius eum tractes, cuius affectum corpus sectione, eaque magna indiget: ac nisi altam inflixeris plagam ei, qui ea opus habet: nimirum fiet vt vulnus ipsum partim sit resectum, partim relictum. Rursum si nulla ex parte parcere volens debitam adhibueris sectionem: fiet saepe vt animus ille doloris impatientia despondens, atque adeo omnia simul detrectans, tum pharmacum, tum vinculum, se ipse praecipitem ferat, contrito iugo, ac coactio laqueo. Equidem complures recensere possim, quos constat in extrema mala adactos, non ob aliud nisi quod digna ab eis poena, & quae peccatis perpetratis par esset, exigeretur. Neque enim temere ad delictorum modum oportet & multam ipsam adhibere: sed tamquam coniecturis quibusdam explorandus est delinquentium animus: ne qua fiat vt dum consuere vis quod interruptum est, scissuram deteriore facias: ac dum eum qui lapsus est, erigere atque emendare studes, casus ipse maior per te reddatur. Nam qui infirmi sunt ac remissi, & magna ex parte mundi huius deliciis illecebrisque illaqueati, quique iudem à generis claritate, à potentia atque opibus habere se putant vnde animos magnopere tollant: ij si sensim ac paulatim peccatorum correctionem adhibeas, possint vtique, si non penitus, attamen parte aliqua eximere se ac liberare malis peccatisque, quibus occupantur: quos si iusta statim animaduersione emedes, fiet vt minori etiam illa correctione quam sustinere poterant, priues. Humanus enim animus posteaquam verecundiae fines semel transire coactus est, in indolentiam dilabatur: tum autem neque blandis verbis paret, neque minis flectitur: neque beneficiis mouetur maliciam etiam superans ciuitatis illius in quam propheta conuictus huiusmodi insurgebat: Factus est tibi meretricius aspectus, depuduit te aduersus omnes. Quocirca multa quidem opus est pastori prudentia, sextetis etiam, vt sic dicam, oculis: vt recte vndique humani animi habitum circumspicere possit. Nam sicut aliquoties vsuuenit, vt animus plerique despondeat, atque in suae salutis prouant desperationem, non ob aliud nisi quod ab amaris acerbisque medicamentis abhorreant: ita nonnullos reperias, qui hoc ipso quod poenas peccatis suis pates non luerint, in negligentiam ac contemptum dilabuntur, ac longe deteriores facti, maiorem peccandi licentiam sibi vendicent. Itaque nihil horum relinquentium est, quod probe non excutiat atque examinet episcopus: quin omnia accurate ac studiosè perscrutatum tum

Hier. 3.

Tomus quintus.

demum illum oportet sua ipsius remedia congruè, apte, accommodatè afferre: idque ne operam forte ludat. Ceterum non iis solum quae dixi, verum etiam in abscessis ecclesiae membris committendis coniungendisque multis illum negociis distringi videas. Etenim ouium pastor gregem habet è vestigio subsequetum, quacumque praerit: quod si quae de recta via oves descedant, ac feraci pabulo posthabito, sterilia atque abrupta loca depascant: satis habet pastor altius aliquantum inclamare, vt palantes ac dispersas reducat, atque in gregem cogat. Sin vero à recto Christianae fidei tramite aberraverit quis: hic pastori magnè certe opus incumbit, magnum negocium, magna tolerantia. Neque enim vis illi inferenda, neque terrore ille cogendus: verum suadendus tantum, vt de integro ad veritatem redeat, vnde initio dilapsus est. Itaque magnum ac generosum animum ad eam rem episcopum afferre oportet: vt ne animo deficiat ac delassetur, vt ne errantium salutem despondeat ac desperet: denique vt nunquam non illud secum cogitet ac dicat: Si quando det illis deus veritatis agnitionem, ac respiciant è diaboli laqueo. Propterea dominus quum discipulos alloqueretur, ait: Quis nam fidelis seruus ac prudens? Etenim qui suum vniuersum animum excolit, sibi duntaxat vtilis est: at pastoralis functionis lucrum ad vniuersum populum manat. & qui pecuniam indigentibus erogat, aut qui alioqui iniuria pressos subleuat, is & proximos quidem iuuat. sed tamen id tanto minus praestat quam episcopus, quanto disident inter se interuallo corpus atque anima. Non ab re igitur dominus pastorem aduersus gregem impensum, amoris ac charitatis erga se symbolum esse dixit: Tu vero, inquit, Christum non amas? Et amo, inquam, CHRYS. & amare certe nunquam desistam: ceterum verum ne que amo, eum iritem. Hoc vero, inquit, aenigmate quodnam aliud obscurius esse queat: si Christus illum à quo ametur, oves suas pascere iussit: tu autem hoc nomine nolle pascere affirmes, quod eundem illum qui hoc iusserit, ames. Non est, inquam ego, sermo hic aenigma: quinimo valde apertus & simplex. Nam si par atque idoneus administrando muneri isti, iuxta id quod Christo placitum est, nihilo secius tamè munus ipsum detrectassem, haesitare quidem ad verba mea conueniret: postea vero quam me ad functionis istius praestantionem, animi huius imbecillitas minus idoneum reddidit: quis huic quaestioni, dubitationi ve locus? Etenim vereor ne si prouinciam sumpsero regendi Christi armentum iam valēs ac vegetum, deinde illud idem socordia negligentiaque mea deprauauero: eum contra me iritem, qui sic armatum id dilexit, vt seipsum ob illius salutem ac precium dederit. Ioco haec, inquit ille, loqueris: nam si extra iocum, equidem non video quibusnam aliis melius argumentis à te demonstrari potuerit, iusto nos dolore vexari, quam istis tuis verbis: quibus tamen ab animo meo maesticiam hanc depellere studiosè adlaborasti. Antea enim quum nouissem me à te deceptum ac proditum, nunc autem id longe etiam apertius, dum tu obiecta tibi crimina diluere aggressus es: equidem bellissimè hinc capio atque intelligo, quod me tandem malorum adegeris. Nam si te hoc demum nomine à functione huiusmodi summouisti, quod intelligeres animi istius facultates, nequaquam patres rei ipsius moli sustinenda, me sanè prius exemptum esse oportuit, etiam si id muneris summo studio ambuissem, ne dicam hic rei totius consilium curamque tibi à me fuisse commissam. Nunc vero tu tuis vniuersi parti-

Math. 24.

BASIL.

CHRYS.

BASIL.

CHRYS.

BASIL.

bus prospiciens, nostras planè neglexisti. Atque vtinam neglexisses tantum: mecum enim vel hac ratione præclarè actum existimassem. At vero & tu quoque autor consultorq; eius artis fuisti, qua facile in hostium nos captatium manus incideremus. Neque enim possis ad id effugij te conferre, quòd tibi videlicet vulgi opinio fucum fecerit, atque hinc adductus sis, vt magna quædam atque admiranda de nobis cõciperes: vt pote qui is certe non essem, qui inter admirandos, insignes atque excellentes viros numerari deberem. Neque tamen vt se ita res haberet, vulgi opinionè veritati præpositam esse oportuit. Nam si tibi nõquam antea per nos licuisset vt consuetudinis nostræ periculum faceres: haberes certè, vnde honestũ sumeres prætextum, in hoc quòd in suffragio isto ferendo vulgarè famã fueris sequutus: sin nemo omnium est, qui res nostras omnes notiores habeat, quàm ipse habeas, eousq; vt animus hic vni tibi magis spectatus respectusq; sit, quàm iis qui me vel genere vel educauere: quæ tandem oratio sic probabilis vsurpari à te possit, vt persuadere auditoribus queas, me abs te vltro in periculum hoc nequaquã fuisse coniectum: Verũ præmittantur & hæc in præsentia: neque enim cogimus, vt tu horum nomine causam dicas: tantum effare quamam defensione apud eos vtamur, qui nos insimulant. Ego vero, inquã, non antea ad illa me conuertam, quàm ea diluero quæ ad te spectant, etiam si nos sexcẽtes velis criminibus huiusmodi vacare. Ignorantiam enim dixisti veniam nobis impetrare posse, nõsque nulli prorsus criminationi obnoxios fore, si in rerum tuarum omnium ignoratione versantes, te in præsentem rerum statum deduxerimus. Caterum quoniam te non ignoratione prodidimus, sed quum maxime res omnes tuæ cognitæ nobis essent, propterea vis excusationem omnem, quæ ratione niti ipsa posset, defensionemq; quamlibet iustam sublatam præreptamq; nobis esse. At nobis sane cõtraria sententia. Huiusmodi enim res magno admodũ, iudicio quidem meo, examine indiget: cumq; oportet, qui exhibiturus sit, quem ad sacerdotij functionem idoneum cõset, non vulgarem tantum famam atque opinionem sequi, eaq; esse contentum: sed eundem item necesse est vnã cum ea, illius vires facultateq; in primis excutere, atque ante omnia examinare. Nam quum beatus ille Paulus ea de re disserens ait: Oportet autè illum & bonum habere ab externis testimonium: nequaquam tollit exactam exploratamque indagacionem: neque sanè fidem eã, quæ tibi à vulgi opinione facta sit, vt præcipuum signum, aut rei totius cardinem esse vult: quippe multa prius quum disseruisset, id postea adiõxit: ostendere volens non satis hoc esse oportere ad huiusmodi electiones creationesq; faciendas, sed vnã cum aliis, & hoc item præsidij à nobis assumendum esse. Nam sæpe vsuuenit, vt vulgi opinio falsa sit: à qua tamen nihil periculi exoriri possit, si res ipsa tota per se prius exactè ac diligenter discussa atque examinata fuerit. Quocirca post alia, illud ipse de testimonio ab externis posuit. Neque enim simpliciter hoc dicit: Oportet autem illũ bonum habere testimonium, sed illud etiam ab externis, attextit: planum facere volēs, futurum episcopum intrinsecus magna cum diligentia excutiendum atque examinandum antequam ad eam opinionem descendas, quam de eo vulgus conceperit. Itaque quòd vita tua ac mores magis mihi, id quòd tute profiteris, notis spectatiq; sint quàm parentibus ipsis tuis, ob id dignum, qui ab omni criminatione liberer. Vel hoc no-

mine, inquit ille, hoc certe nomine elabi atque enadere nequaquam possis, si te quis accusare, atq; in iudicium trahere velit. An non ipse meministi à nobis audire, id quòd & sæpenumero re ipsa comprobasti, animus hic quàm parum fortis generosusq; esset: an non perpetuis istis cauillis pusillanimitatem nobis obiecasti: quòd videlicet natura nostra curis etiã leuibus facile succumbamus? Memini, inquam, huiusmodi quidem ex te verba sæpenumero audire: neque ibo inficias. Ego vero si quando cauillabar, ioco, non serio, id factitabã. Mihi tamen hic ea de re tecum contendere non est animus. Postulo autem à te, eandem mihi vt tu equanimitatem præstes, bonorum virtutumq; quibus animus iste præditus mentionem facere aggredienti. Nam si tum conaberis mendacij nos conuincere, equidem nihil dissimulans liquidò commonstrabo, modestiã potius istius quam veritatis causa sic te de te verba facere. Id quòd non aliis argumētis comprobaturus sum, quàm nudis tum verbis, tum factis tuis: quibus ego perinde atque certissimis testibus vtar, ad plenam dictorum meorum fidem faciendam. Atque id ex te primum querere volo, Nostin' charitatis vis quanta sit? Certe Christus reliquis prodigiis ac miraculis posthabitis, quæ ab apostolis edenda essent: In hoc, inquit, cognoscent homines, quòd discipuli mei sitis, si charitatè inter vos mutuam habueritis. Quinetiam Paulus charitatem legis esse cõsummationem affirmat: sine qua ipsa dona nulli esse vsui vult. Proinde eximium istud bonum idemq; Christi apostolorum signum vnicum, ac quòd quidem cæteris donis superius excellentiusq; est scio in animo tuo generosè admodum ac præclare insitum esse copiosoq; inibi fructu exuberare. Tum Basilius: Mihi, inquit, magnæ eam rem curæ ac studio esse, ne ipse quidem inficior: me tamen eadem ne dimidia quidè parte illius numeros impleuissè, vel tu ad eam rē testis mihi optimus fueris, si quidem quòd verũ est spectare magis quàm quæ ad gratiam faciunt loqui, in animum induxeris tuum. Ergo ad argumenta ipsa, inquam, me conuertam, atque hic certe quòd promissi, exequar, facta per me fide, te animi istius modestiam magis quàm rei veritatem sequi. Proferam autem historiam admodum recẽtem, vt ne quis suspicari possit, vetera recensentem, temporis diurnitate verum ipsum tanquam adumbrare me velle: quum alioqui etiã veritas minimè permittat quicquam nos affingere, vel iis ipsis quæ ad gratiam prolata à nobis fuerint. Nam quo tempore vnus quidam ex amicis necessariisq; nostris per calumniam accusatus contumeliã, ac contumaciã, de salute periclitaretur: hic te ipse, quum neq; is qui periclitaretur auxiliũ tuum imploraret, in media ipsa pericula vltro cõiecasti. Ac factum quidè tale tuum extitit. Vt autem te verbis etiam tuis conuincamus: quum animi tui propensionè huiusmodi alij non probassent, alij cõtrã laudassent admiratiq; fuissent: hic tu ad eos, qui te accusarent, dixisti: Quidnam ipse facerem? aliter enim amare non didici, nisi vt & meam animam in discrimen adducam, dum periclitantem amicum aliquem seruare opus est: diuersis quidem verbis, sed sensu eodem, ea enuncians, quibus Christus discipulos suos alloquebatur, positis ab eo perfectæ charitatis terminis. Maiorè enim, inquit, hac charitatè nemo habet, quàm vt animã suã ponat pro amicis suis. Igitur si maiorem hac inuenire non est, ad ipsius finè peruenisti: atq; adeo tum verbis, tum etiam factis istis ad ipsius verticem conscendisti. Propter quòd vnũ te ipsi, dolo illo à nobis

bis confuto, prodidimus. Etiam ne igitur tibi persuasum est, te à nobis in istud stadiũ protractũ, neque vlla maleuolentia erga te nostra, neque quòd te in periculũ aliquod coniceremus: quin potius id à nobis factum, quòd certum nobis esset, quàm vtilis accomodusq; futurus esses? Itane, inquit, charitatis vim sufficere putas ad proximorum correctionè atq; emendationem? Maxime quidem, inquã, ac magna adeo ex parte ad id conferre charitas possit. Caterum si me vis & prudentiã item istius specimina proferre, ad id quoq; me accingam: ostendamq; maiori te prudètia quàm charitate ac beneuolentia præditum. Ad hæc ille verecundia tactus, ruboreq; suffusus: Quæ ad me, inquit, spectant nunc omittantur: neque enim iam inde ab initio horum rationè à te exegimus. Tu vero si quid habes quòd iustè aliis opponere possis, lubens eos sermones auscultabo. Itaq; prætermissa hac vmbatili pugna, edoce quidnam cæteris respondere possimus: hoc est, tum iis, qui nos tali honore dignati sunt: tũ iis qui vicè illorũ tanquã iniuria à nobis affectorũ dolèt. Equidem ad id, inquam, iam festino: nam quandoquidè tibi iam expediui facti erga te mei rationè, facile ad apologiã istius partem me conuertam. Quam igitur super hiis acculationem, quas illi criminationes asserunt: Grauem se videlicet iniuriam à nobis accepisse querũtur, quòd quem nobis illi honorem deferebant, eũ deprecati simus. Ego vero illud primũ dico: Nullam nos rationem habere oportere iniuriã per nos hominibus illatã, quoties per delatũ eis honorem, dei optimi offensionem subire cogimur: quum iis etiam qui se iniuriam huiusmodi accepisse ægrè ferunt boni eam non consulètes, hoc certe ipsum, quòd boni scilicet non cõsulant, ne à periculo quidem alienum sit, verum in primis dispendiosum ac detrimetosum. Decere enim existimo illorũ animos qui deo opt. dicati sunt, quicq; in illũ vnũ intuentur, tãta religione affici, vt ne id quidè iniuriã loco habeant, etiam si abs te iidem contumeliis mille affecti sint. Sed quòd huiusmodi audacia, ne in huius quidem animi cogitationem descenderit, constare illinc potest. Nam si contumacia, fastu, atque ambitione (vt tute sæpenumero affirmasti multos calumniari) ad id deductus sum: certe nihil prohibeat quin hominis maxime iniuriã notam subeã, iis sic per me cõtemptis, qui præterquam quòd magna atque admirabili virtute clarent, de me quoq; sunt bene meriti. Etenim si in eos animaduertere debemus, qui iniuriã iis inferunt, à quibus nulla ipsi iniuria laesiti sunt: quanto, quæso, honore digni esse queant, qui nobis ex se vltro honorem aliquem deferre proposuerint? Neque enim hoc dicere quis possit, illos beneficio à me vel tenui, vel magno affectos, meritorũ acceptorum vicem rependere voluisse. Quodnã igitur supplicium non mereatur, si quis contrariis factis repeset? Sin autem id ne cogitauimus quidè, sed longe alio cõsilio graue istam sarcinã detrectauimus: quorsum prætermissa facti nostri condonatione ac venia, si probare id ipsi factũ nolint, criminantur insimulãtes, quòd nostræ animæ pepercimus: Tantũ enim abest, vt ij vllã à me iniuriam acceperint, vt eos etiã honore affectos dicere possim recusatione hac nostra. Neq; vero mirũ id tibi esse debet quòd dixi, perinde quasi dictũ id sit præter cõmunè hominũ sensum: nam de eo quoq; tibi mox satisfecerimus. Tũ enim si minus omnes, certe qui maledicentia delectãtur, potuissent pleraq; tũ suspicari, tũ eloqui, partim de me electo, partim de illis eligetibus. Verbi gra-

tia, quòd diuitias illi solas spectet, quòd generis splendorem admirarentur, quòd à nobis adulatione victi eũ nobis honorè mandassent. Nã quòd & pecunia adducti corruptiq; dicere non habeo, si quis & ipsum hoc suspicetur. Præterea, Christus quidem piscatores, tabernaculorumq; texendorum artifices, itemq; publicanos ad huiusmodi principatum aduocauit: hi autè eos respiciuntq; despiciuntq;, qui sibi quotidiano opere victum parat: sin vero quis peregrinas literas, studiãque nihil ad scripta euangelica pertinentia attigerit, atque in ocio vitam transigat, hunc ipsum admittunt, probant, admirantur. Nam quò nomine eos qui sudores propemodum infinitos pertulere, dũ ecclesiã vtilis esse student, contempserunt: at eum, qui nihil vnquam sudorum illorum gustauerit, totam vero ætatè in futili atq; inutili externorum studiorum labore insumpserit, derepente in tam sublimè honorem traxerit? Hæc quæ dixi, atque adeo plura dicere illis licuisset, si huiusmodi honos à nobis fuisset susceptus: id quòd illis nunc in contrariũ euenit, vt quibus maledicentiã occasio omnis præcisa sit: neque iam mihi adulationem, neque illis sordes ac corruptelam obiicere possunt: nisi si qui forte erũt, qui merè insanire volēt. Nam qui adulatione largitioneue honorem aliquem candidatus ambierit: hic qua ratione eum tum quum suscipere oporteat, aliis suscipiendum ipse relinquit? Id enim perinde fuerit, ac si quis lahoribus multis in excolenda terra impensis vt segetem copiosam nouales reportent, ac vino lacus exundent, post sudores infinitos, post multum pecuniæ sumptũ, cum mæsis ac vindemiæ tempus appetit, tum aliis fructuum illorum prouentum fruendum relinquit. Intellegisne tum calumniari illos volentibus occasionem haudquaquam fuisse defuturam, etiam si longe à veritate alienã: quòd videlicet facta ab illis de nobis electio, à recto animi iudicio nata nequaquam fuisset? qui tamen nunc ne hiscere quidem, aut labia tantum diducere per me possunt. Ac tales quidè initio illorum editissent sermones, seu etiam his, quos dixi, plures additi. Caterum posteaquã muneris functionem attigissent, nulla certè illorum defensionem criminationibus quotidie exorietibus pares esse potuissent: etiam si à nobis omnia inculpate administrata fuissent: ne dicã necessario futurum fuisse, vt partim ministerij imperitia, partim etatis huius vicio in multis aberraremus. Nunc vero eisdem criminationis huius occasionem sustulimus: tum autem futurum erat, vt probris ipsos innumeris obnoxios redderemus. Quotusquisque enim id nõ fuisset conquestus? Pueris insipientibus res tam miras tamque magnas crediderunt. Deprauaerunt dei opt. gregem. Ludicræ ac iam deridiculæ factæ sunt res Christianæ. At vero nunc quotquot vbique existunt iniqui ac improbi, sibi ipsi os obturabunt: qui si propter te ista protulerint, è vestigio eos re ipsa edocebis, non oportere prudentiam ætate metiri, neque senem canicie probare, neque iuuenem arcendum ab huiusmodi ministerio, sed neophytum nouitiũque. Maximum autem inter vtrunque discrimen.

Libertertius.



Q V E quòd ad eã iniuriã pertinet, qua eos à me affectos fuisse dicis, qui me cohonestarunt, tũ quòd nullo eos dehonestandi consilio ab isto me honore subtraxerim, afferri quidem à nobis ea possent, quæ diximus. Caterum quòd nullo etiã fastidio, nulla cõtumacia inflati id fecerim? id ipsum

idipsum quoque nunc pro viribus tibi planum facere ad-
 nitar. Etenim si nobis vel imperij militaris, vel regni
 etiam proposita fuisset optio, potuisset quis id merito de-
 me suspicari, si modo eandem hanc sententiam sequi-
 tus fuisset, quam hic secutus sum: seu verius dicam, tum
 sane nos nullus fastidij ac contumaciae infimulasset, a-
 mentie vero ac stulticiae nemo non dānasset. Sacerdotij
 vero optione proposita (quod quidem regno tanto est
 excellentius, quantum spiritus & carnis interuallū esse
 potest) sustinebit ne quisquam contemptus, ac fastidij
 nos accerere: Qui porro id non absurdum? eos qui pro-
 uincias pusillas respuunt, ut deliros incusare? eos vero
 qui hoc idem in maxime excellentibus faciunt, libe-
 rare quidem amentia crimine, insolentia autem ac su-
 perbia reos agere? perinde quasi si quis cum, qui bonū
 armentum despiceret, armentarius esse recusans, animi
 quidem insolentia nequaquam prāditum esse, mentis
 autē alienatione prorsus laborare criminaretur: ei ve-
 ro, qui orbis vniuersū regnum deprecaretur, neque pa-
 teretur exercituum vbiq; terrarum instructorum im-
 perium ad se deferri, pro amentia crimine, factus tan-
 tum atque insolentia crimine impingeret: Sed non est
 ita, non est ita: neque certe nos magis quam seipsum in-
 cusant, qui ista afferunt. Nam vel cogitasse tantum, fie-
 ri posse, ut tanta illa sacerdotij dignitas ingenio sit hu-
 mano despiciabilis: id vero contra eos ipsos, qui sermo-
 nes huiusmodi vsurpant, indicium argumentūq; esse
 possit opinionis eius, quam iidem de re, qua de agitur,
 concipiunt: nam nisi sacerdotium inter res viles mo-
 diciq; precij ponerent, ne ista quidem suspicio sese in
 animo ipsorum insinuasisset. Cur enim de angelica di-
 gnitate nullus vniquam inuentus est, qui tale aliquid
 sustineret suspicari, ac pronūciare, humanum ingenium
 prae factu, ac contumacia ad naturā angelicā honorē,
 dignitatemq; non aspirare: Nempe magna quidem ea
 sunt, quae animo concipimus de potestatibus illis: atque
 idipsum vetat, ut credamus licere homini maiore illa
 dignitatem animo concipere: quo fit ut consentaneū
 magis sit, si quis in illos, factus ac contumaciae crimē id
 torqueat, quod in nos impingunt ipsi: neque enim id
 de aliis suspicari fuissent, nisi rem ipsam prius damna-
 sent, ac nihili aestimassent. Porro autem si id me dicēt
 gloriae atq; ambitionis nomine commississe, iidem sibi-
 ipsis non constare, imō pugnantia secum loqui aperte
 coarguentur. Neque enim video quamnam aliam ora-
 tionem questuissent, si nos inanis gloriae criminibus li-
 berare voluissent. Nam si in animum forte meū laudis
 amor huiusmodi inuasisset, amplecti potius munus il-
 lud oportuit, quam auersari: quid ita? Nempe quod ea
 res magnae nobis gloriae, magno honori futura fuisset.
 Hominem enim hoc aetatis, quiq; idem haud ita pridē
 vitae huius curis se abdicasset, derepente in tantam ho-
 minum admirationē venisse: ut iis etiā, qui in labori-
 bus huiusmodi omnē aetatem consumpsissent, antepo-
 neretur, & plura illis suffragia reportaret: id vero nemi-
 nem non attraxisset in magnam aliquā atq; admiran-
 dam nostri opinionē: tum autē nobis passim venera-
 tionē illustremq; nominis huius gloriae cōciliaisset: vbi
 me nunc depris paucis, ecclesiae bona pars ne de nomi-
 ne quidē norunt. Quamobrē ne omnibus quidē inno-
 tesceret deprecatur me fuisse quod offerebatur: sed pau-
 cis quibusdā, quos paucos ne omnes quidē ipsos rem,
 ut se habet, resciscere opinor. Cōsentaneū enim est ex
 iis etiā cōplures, aut existimare nullā prorsus de nobis
 electionē factā, aut ab electione nos reiectos fuisse, tan-

quā non satis idoneos viros: non etiā nos vltro id fun-
 ctionis deuitasse. At vero, inquit, quibus rei cōperta
 est veritas, demirabūtur. Atqui hos ipsos dixisti ambi-
 tionis nobis atq; insolentiae crimē impingere: vnde nā
 ergo laudē sperare licet? A multis: sed nesciunt illi rem,
 ut se habet, at a paucioribus: Verum & hic nobis res in
 contrarium recidit. Neque enim alio nomine huc in-
 troisti, q̄ ut edocereris, qua aduersum illos defensione
 vti posses. Sed quorū horū gratia hīc tantopere di-
 scceptamus? Quod enim si vel omnibus res ea innotuis-
 set, ne sic quidē aut insolentes, at ambitiosi iudicandi
 essemus: paulisper sustineto, idq; aperte intelliges: Itēq;
 illud, quod non iis solū qui hoc audētia sibi sumunt, si
 modo quisquā existit mortaliū talis: nā existere haud-
 quaquā credo: sed iis etiā qui id de aliis suspiciantur, pe-
 riculū imminet non mediocre. Etenim sacerdotium ip-
 sum in terra quidē peragitur, sed in rerū caelestium clas-
 sem ordinēq; referendū est. Atq; id per quā merito: quip-
 pe non mortalis quisquā, non angelus, non archange-
 lus, non alia quauis creata potētia, sed ipse paraclētus
 ordinē huiusmodi disposuit: qui mortalibus hominib;
 etiam nū in carne manentibus author fuit, ut angelorū
 ministeriū animo conciperet. Idcirco necesse est sacer-
 dotē sic esse purū, ut si in ipsis caelis collocatus inter cae-
 lestes illas virtutes mediis staret. Terribilia namq; atq;
 horrida fuisse ferunt, quae gratiae tēpus praecesserunt:
 quod gen^o fuere, tintinnabula, mala punica, lapides pe-
 ttori sacerdotis, itemq; alij humeris eiusdem superpo-
 siti, mitra, strophium, vestis ad pedes vsq; demissa, la-
 mina aurea, sancta sanctorum, ingēs intus quies atque
 silentium. At vero si quis ea, quae gratiae tempus nobis
 aduexit, examinet, terribilia atque horrida quae dixi,
 iudicabit esse admodum leuia, ac quod de lege a Paulo
 dictū est, hic demū verum esse comperiet: quādoquidē
 ne glorificatū quidē fuit, quod glorificatum est in hac
 parte, propter eminentē gloriā. Nam dum cōspicis do-
 minū immolatū, sacerdotē sacrificio incumbentē, ac
 preces fundentem, tum vero turbam circumfusam pre-
 cioso illo sanguine intingi ac rubesceri, etiā ne te inter
 mortales versari, atque in terra cōsistere censes: an nō
 potius euestigio in caelos transferris, an non carnis co-
 gitationem omnem abiiciens, nudo animo, mente pu-
 ra circūspicis quae in caelo sunt: d mirāculum, d dei be-
 nignitatem: qui cum patre sursum sedet, in illo ipso tē-
 poris articulo omnium manibus pertractatur, ac se ip-
 se tradit volentibus ipsum excipere ac cōplecti. Fit au-
 tem id nullis praestigis, sed apertis, ac circūspicienti-
 bus circūspicientium omnium oculis. Num tibi ista cō-
 temptu ac despectu digna esse videntur? aut eiusmodi,
 ut possit quis contra ea attolli atque insurgere: Vis ne
 & sanctimoniam istius excellentiam alio miraculo per-
 spicere? Ponito ob oculos Heliam illum, praeterea & in-
 finitam illam turbam circumfusam, & sacrificium lapi-
 dibus superpositum, tum vero reliquos omnes admo-
 dum quietos ac taciturnos, solum autem prophetā pre-
 ces fundentem, secundum id flammam derepente e cae-
 lo delabentem, sacrificiumq; ipsum lambentem: mira
 sunt ista profecto, ac stupore omni plena. Ab illis ergo
 sacris ad nostratiam sacra te transfer: nec ea mira modo
 esse videbis, sed etiam omnem stuporē excedētia. Ad-
 est enim sacerdos, non ignem gestans, sed spiritū san-
 ctum: is preces diuturnas fundit, non quod flāma cae-
 litus dilapsa, sacra apposita absumat: sed ut gratia in
 sacrificium influens, per illud ipsum omnium ani-
 mos inflammet, & puriores reddat argento igni exco-
 cto

cto purgatoq;. Hoc ergo mysterium omnium maxime
 horrendum verendumq;, quis tandem qui insanus idē
 minime sit, quiq; e potestate nō exierit, fastidire ac de-
 spicere poterit? Ignoras futurū nunquā fuisse ut huma-
 nus animi captus sacrificij ignem illum sustineret: sed
 funditus omnes tum fuisse interituros, nisi magnū di-
 uinae gratiae auxilium affuisset? Nam si quis consideret
 quantū id sit mysteriū, ut is scilicet qui homo ipse sit,
 carne ac sanguine etiamnum constans, iisq; inuolutus,
 beata atq; immortalī naturae illi fieri propior queat: tū
 probe intelliget quanto sacerdotes honore, quanta di-
 gnitate spiritus sancti gratia dignata fuerit: operanti-
 bus enim illis, tum sacra haec quae dico, inchoantur per-
 ficiunturque: tum etiam alia his nihilo inferiora, quae
 ipsa ad dignitatis salutisque nostrae rationem spectāt.
 Etenim qui terram incolunt atq; in ea versantur, iis cō-
 missum est ut ea quae in caelis sunt, dispensent: iis datū
 est ut potestatem habeant, quā deus opt. neque angelis,
 neque archangelis datā esse voluit: neque enim ad il-
 los dictum est, Quaecunque alligaueris in terra, erunt
 alligata & in caelo: & quaecunq; solueris in terra, erunt
 soluta & in caelo. Habent quidem & terrestres princi-
 pes vinculi potestatem, verum corporum solum. Id autē
 quod dico sacerdotum vinculū ipsam etiam animam
 contingit, atq; ad caelos vsque peruadit: vsque adeo ut
 quaecunq; inferne sacerdotes cōfecerint, illa eadē deus
 supernē rata habeat, ac seruatorū sententiā dominus cō-
 firmet. Etenim quid nā hoc aliud esse dicas, nisi omnē
 rerum caelestium potestatem illis a deo cōcessam: Quorū-
 cunque enim, ait, peccata retinueritis, retēta sunt. Que-
 nam, obsecro, potestas hac vna maior esse queat? Pater
 omnifariā filio potestatem dedit: ceterū video ipsam eā-
 dem omnifariā potestatem a deo filio illis traditam. Nā
 quasi iam in caelum translati, ac supra humanam natu-
 ram positi, atque nostris ab affectibus exēpti, sic illi ad
 principatum istum perducti sunt. Quid multa? Rex a-
 liquis si cui ex subditis suis honorem hunc detulerit, ut
 potestatem habeat quoscunq; velit in carcerem conici-
 endi, eosdemq; rursus laxandi, beatus ille & admiran-
 dus iudicio omnium fuerit: at vero qui a deo tanto ma-
 iorem accepit potestatem, quāto caelum terra precio-
 sius est, quanto etiam animae corporibus praestant, hic
 vilem eousq; dignitatem accepisse nonnullis videri de-
 bet, ut vel in illorū cogitationē descendere queat, repe-
 riri quandoq; posse vni aliquē ex eorū numero, quibus
 tanta illa quae paulo ante dixi, fuerint a deo concredi-
 ta, cui ipsi munus suum sordescat, quique donum sibi a
 deo datum despiciat: Procul, procul hinc facessat hu-
 iusmodi infania. Infania enim manifestaria, despiciere
 tantū istū principatū, sine quo neq; salutis neq; promif-
 sorum bonorū compotes fieri possumus. Nam si nō po-
 test quis in regnum caelorum ingredi, nisi per aquam
 & spiritum regeneratus fuerit: & Qui non manducat
 carnem domini, & sanguinem eius non bibit, aeterna
 vita priuatur: omnia autem haec haud aliter quam per
 sacrosanctas illas manus perficiuntur, manus, inquam,
 sacerdotum: qui fiet ut citra illarum opem aut gehēnae
 ignem euitare quis possit, aut reposita in caelo corona
 praemia assequatur. Hi enim sunt, hi sunt in quā, quibus tum
 concredita sunt spirituales parturigines, tum etiā bap-
 tismatis partus a deo est commissus: per hos ipsos Chri-
 stum induimus, vna cū dei filio sepelimur: beatę carnis
 illius membra efficiuntur: quo nomine sacerdotes meri-
 to non modo plus vereri debemus, quam vel princi-
 pes vel reges, verum etiam maiori honore quam pa-

rentes proprios honestare. Hi enim ex sanguinibus &
 voluntate carnis nos genuerunt: illi vero authores no-
 bis sunt natiuitatis eius quam a deo habemus, beatę re-
 generationis illius, libertatis verae, atq; adeo adoptio-
 nis eius, qua nos per gratiā filij dei sumus effecti. Cor-
 poris lepram purgare, seu verius dicam, haud purgare
 quidem, sed purgatos probare, Iudaeorum sacerdoti-
 bus solis licebat: neque nescis quanta cum ambitione,
 quanto cum studio ac concertatione sacerdotalis di-
 gnitas id temporis acquireretur. At vero nostris sacer-
 dotibus non corporis lepram, verum animae sordes, nō
 dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum
 est: quare iudicio quidem meo qui istos despiciunt cō-
 temnuntq;, multo sceleratior ac maiori supplicio di-
 gni fuerint, quam fuerit Dathan, vna cum suis omni-
 bus. Illi enim tametsi principatum ad se non spectantē
 sibi vendicabant, tamen miram quandam de eo prin-
 cipatu opinionem animo conceperant: id quod decla-
 rauit ingens rei concupitę studium. Hi autem tum quū
 iam sacerdotalis honos incrementum, ornatum, pra-
 stantiam magnam accepit contra quā illi, sed tamē
 multo maiora audent. Neque enim perinde est ad de-
 spicientia rationem subducendam, honorē aliquē in-
 debitum appetere, & tot tantaq; bona fastidire: verum
 facinus hoc tanto est illo grauius, quanto inter se dissi-
 dent interuallo fastidium, & admiratio. quis ergo tam
 infelici genio natus, ut tot tantaque bona fastidiat?
 Equidem neminem existere talem dixerim, nisi si quis
 furiarū aestro percitus sit. Sed enī eō iam se oratio no-
 stra referat, vnde digressa est. Neque enim in puniēdo
 solum, sed & in benemerendo maiore deus potestatem
 sacerdotibus largitus est, quā naturalibus nostris parē-
 tibus: quos inter vtrosque tantū est sanē interiectū in-
 teruallum, quantū vitā inter praesentē & aeternā. Parē-
 tes enim nos in praesentē, sacerdotes in vitā aeternā ge-
 nerant. Atque illi certe ne corporale quidē interitū a
 liberis amoliri possunt, neq; ingruentē morbū propul-
 sare: quū hi laborantē ac morti iam iā propinquā ani-
 mam identidē seruarint: alius remissiorē penā infligē-
 tes: alios prorsus labi non permittētes, nō doctrinae so-
 lum atq; cōmonitionis, sed etiā precū praesidio: neq; e-
 nim solū quū nos regenerat, sed postea etiā cōdonan-
 dorū nobis peccatorum facultatē obtinet. Infirmatur,
 inquit, inter vos aliquis, accersat praesbyteros ecclesiae,
 & orēt super eū vngentes eū oleo in nomine domini,
 & obsecratio fidei saluū reddet laborantē, & eriget eū
 dominus, & si in peccatis fuerit, remittētur ei. Iam vero
 naturales parentes, si quos eorum liberi principes ma-
 gnatesve offenderint, opē certe illis nullā afferre pos-
 sunt, quū sacerdotes non principes, nō reges sed ipsum
 deū nobis infensum saepenumero concilient. Nos igitur
 sustinebit ne adhuc quisquā fastidij atq; arrogantie
 reos agere: Equidē ex iis quae a me dicta sunt, auditorū
 mentes tanta puto religione occupatas, ut nō iam eos
 qui fugiunt, sed eos qui per se accedūt, honoremq; istū
 vltro sibi ambiunt, contumaciae, temeritatis atq; auda-
 ciae accusent. Nam si vsuuenit ut quibus ciuitatū prin-
 cipatus concreditus est, ij nisi valde prudentes pariter
 ac vigilantes fuerint, tum ciuitates ipsas euertant, tum
 seipsum perditū eant: quanta illū virtute non sua tantū
 vnius, sed & caelesti praeditū esse cōuenit, cui forte ob-
 tigit ut Christi spōsam colat, ornetq;: si modo peccādi
 occasione vitare is velit. Christum nemo est qui Paulo
 vehementius dilexerit, nemo qui apud deū gratiosior q̄
 Paulus fuerit: tamen post tot priuilegia a deo accepta
 veretur

Math. 16.
 19.

Iaco. vlt.

2. Cor. 11.

Ibid. 2.

Roma. 9.

veretur adhuc ac tremit, principatus istius subditorū; A
suorum gratia. Metuo enim, inquit, ne qua fiat, ut quē-
admodum serpens Heuā decepit versutia sua, ita cor-
rumpantur sensus vestri à simplicitate quæ erat in vo-
bis erga Christū. ac rursus: In timore ac tremore mul-
to vobiscū versatus sum. Atq; hæc quidem dicit homo
is, cui à deo datū fuit, ut in tertium vsq; cælum rapere-
tur, ac diuinorū arcanorū particeps fieret, qui idē toti-
dem, ut sic dixerim, mortes pertulit, quot ipse dies post
fidē Christo datā vixit: qui itē idem, ne concessa quidē
à deo potestate vtendū sibi vbiq; iudicauit, ut ne quis
eorū qui fidem suam Christo obstrinxissent, offende-
retur. Si igitur Paulus dei mādāta sic obseruans, ut ma-
iora etiā quàm ipsi à deo iniuncta fuissent, præstaret,
nunquā suo ipsius, sed subditorū tantū commodo stu-
dens, sic vbiq; formidauit, magistratus sui molē expen-
dens: quid faciemus ipsi, qui multi vbiq; sumus in B
quærendis quæ nostra sunt: qui Christi mandata Pauli
exemplo non solum nō superamus, sed ea maiori qui-
dem ex parte transgredimur. Quis infirmatur, inquit
ille, & ego non infirmor? quis offenditur, & ego non
vror? Eiuscemodi sanē conuenit sacerdotē esse: quin-
imo non eiuscemodi tantū, parua enim sunt ista, ac cer-
te nulla præ eo, quod ipse sum dicturus: hoc autē quid-
nam esse potest? Optarim, inquit, anathema esse à Chri-
sto pro fratribus meis, pro cognatis meis secundū car-
nem: quod si quis existit, qui vocē hanc obsecrās enun-
ciare possit, is demū dignus quidē est, qui si oblatū epi-
scopi munus detrectet, infimuletur: sin à Pauli virtuti-
bus illis pari nobiscū interuallo distat, is nimirū odiū
ac vituperationē meretur, quū munus idē delatū am-
plectitur, non quū detrectat. Neq; enim, proposita mi-
litaris dignitatis electione, si ij quibus prouincia ea de-
mādāta foret, fabro ærario, aut cerdoni, aut cuipiā id
genus opificū in mediū tracto, honorē huiusmodi ad
illum deferrent, laudarent vtiq; miseri ac stolidi illius
cōsiliū, qui oblatū munus nō statim detrectaret, nihilq;
nō faceret, ut ne se ipse in præfens coniceret periculū.
Nā si id vnū fatis sit pastore simplicitate vocari, & pro-
uincia ista vtcunq; defungi, nec vllū prorsus inde peri-
culum exoriri possit: equidem nihil moror quin me,
quisquis volet, inanis gloriæ studiosum appelleret: sin ve-
ro rara prudentia, rara itē à deo opt. data gratia, quæ
prudentiā etiā ipsam præcedat, præterea si morū inte-
gritate, si vitæ puritate, deniq; si maiori q̄ pro humano
captu virtute præditū eū esse oportet, qui administra-
tionis istius curā in se suscipit, ne me venia priuatū per-
te velis, si frustra ac temere vitæ mihi meæ exitiū accer-
sere noluerim. Etenim si nauem quis agens amplissi- D
mam, & quæ decem milia pondo ferat, quæq; eadem
remigibus suis sit instructa, ac sumptuosarum mercū
pondere onerata, me illius gubernaculo præfectū iu-
beret Aegēy Tyrhenūmve mare traicere, nimirum
fieret, ut ad primā statim auditionē mandatū id detre-
ctarem: ac me si quis interrogaret, Quid ita: ne nauem
submergā, vtiq; responderē. Itane igitur, vbi pecuniæ
tantū iactura subest, nec nisi corporis interitus pericli-
tatur, nemo est qui inculset reprehēdatq;, si quis magna
cautione prouidentiaq; hic vtatur: vbi autē nauē fran-
gentibus, nō in hoc vel illud pelagus, sed in ignis æteri
abyssum corruendū est: vbi itē eosdē naufragos in-
teritus manet, vnā qui corpus ab anima dirimit, sed qui
animā ipsam vnā cū corpore in sempiternū exigit sup-
plicii: hic mihi vos succensibitis: hic mihi odiū inimi-
citiæq; præferetis, si me ipse temere in tantā nō conie-

cerim perniciem? Ne, obsecro atq; obtestor, cōmittere
id velitis. Noui profecto animi huius vires q̄ sint infir-
mæ atq; exiguæ, noui quanta sit functionis illius moles,
nouī q̄ ingēs negocij ipsius difficultas. Fluctus enim e-
piscopi animū concutientes, ventis mare identidē cō-
turbantibus crebriores infestioresq; esse solent. Ac pri-
mum quidē omnium occurrit pestilentissimus inanis
gloriæ scopulus, longē iis infestior, quos poētæ prodi-
giose effingunt. Hunc tametsi cōpluribus licuit saluis
præternavigare, atq; incolumibus effugere: mihi tamē
sic molestus est, ut ne nunc quidē, quū nulla me in vo-
raginem illā impellit necessitas, facere possim ut pror-
sus hac noxa vacem. Quod mihi si quis prouinciā ma-
gistratus istius imponat, quid aliud q̄ manibus his post
tergum tantū non reuinctis, beluis scopulū illum infi-
dentibus, in dies singulos lacerandū me tradat? beluæ
vero quænam tandē illa? Animi tum citatio, tum re-
missio, inuidia, contentio, calumnia, excā descen-
tiæ in minime noxios, delectationes natæ ex ministe-
rio inepte atq; indecenter ab aliis administrato, dolor
si cui forte muneris sui functio prospere cesserit, laudū
appetētia, honoris desiderū: quod ipsum in primis ho-
minis animū præcipitē ferri cogit: doctrina volupta-
tem, non etiā vtilitatē captans: illiberales adulationes,
palpationes minime generosæ, pauperum despiciētia,
diuitum cultus, honores nulla ratione impenſi, gratia-
rum munerūq; largitiones damnosæ, periculum pa-
rientes tam largientibus quàm accipiētibus: timor ser-
uilis, ac non nisi pessimis quibusque mancipiis conue-
niens: fiducia interitus: modestiæ animi species quidē
multa, veritas autē nulla: coarguendi atq; increpandi
procul reiecta facultas, seu vt verē dicam, contra ino-
pes increpatio modum nullum seruans, ac contra eos,
qui potentia aliqua præditi sunt, ne diducere quidē la-
bia quisquā audeat. Has enim omnes atq; his longe etiā
plures feras noxios scopulus ille nutrit: à quibus quidē
homines semel captos in tantam profecto seruitutem
distrahi necesse est, vt sæpe etiā plerāq;, dum mulierib⁹
placere atq; obsecundare student, necessariō commit-
tant, quæ ne eloqui quidē honestū. Eas quidem diuina
lex ab hoc ministerio remotas esse voluit. Illæ verò vi-
facta intro irrumpunt: quæ quandoquidem per se ni-
hil ipsæ possunt, per alios omnia faciunt, ac tantā sibi
vendicant potestātē, vt quoscunq; illæ episcopos ve-
lint, & adlegent & summoueant, fitq; tandem per eas,
vt quod est in veteri proverbio, sursum ac deorsum se-
se habeant res, ac principes suos subditi ipsi regant, atq;
vtinā id tantū viri facerent, non etiā ea, quibus ne
docere quidem permissum est. Sed quid dico, docere?
certe ne in ecclesia quidem fari illis beatus Paulus per-
misit. At memini sanē ex quodā me audire, quod & tā-
tam ipsis impertisset libertatem, vt & ecclesiarum præ-
sides obiurgaret, illosq; acerbis incesserent, quàm ser-
ui à dominis suis incessantur. Cæterum nolim, vt quis-
quam existimet episcopos omnes à me criminum eor-
um, quæ dixi, reos factos: sunt enim, sunt, inquam, per-
multi, qui sese ab iis retibus probe extricarūt: atq; adeo
plures iis, qui se capi atq; intra ea inuolui passi sunt: ne-
que tamen ob id sacerdotale ipsam dignitatem malo-
rum istorū authorē fecerim. Absit enim tanta à me in-
fania: neque enim ferrum, cædis: neque vinū, ebrietatis:
neque robur, contumeliæ: neque fortitudinē, inconfi-
deratā audaciæ: sed eos potius qui præterquam deceat
donis à deo datis abutuntur, quisquis sana mēte fuerit
auctores esse dicet punietq;: quandoquidē & sacerdo-
tium

tium merito nobiscum expostulare possit, si se non rite
atq; ordine pertractemus administremusq;: neq; enī il-
li accepta ferre debem⁹ mala ea, quæ dixi, sed nobis po-
tius qui illud idē, quantum in nobis fuit, cōspurcauimus
atq; coinquinauimus, hominibus quibuslibet illius ad-
ministrationem in manum tradentes: qui quidem ne-
que viribus suis ipsorum prius consultis, neque confi-
derata rei magnitudine, obuiis statim vlnis munus
oblato amplectuntur: quum autem eò ventum est
vt negociorum functioni manus admoueant, nimi-
rum infestitæ caligine occupati, calamitatibus infinitis
populos fidei suæ concreditos replent. Hoc ipsum, hoc
ipsum certe est quod nostra ætate propemodum acci-
disse vidimus, nisi nos repente deus è periculis illis as-
seruisset, partim suæ ecclesiæ, partim animarū nostrarū
saluti culpam eam condonās. Alioqui vndēnam, quæ-
so, existimas tam multas in ecclesiis turbas nasci? Equi-
dem non aliunde opinor, quàm ex episcoporum, anti-
stitūmque electionibus casu potius ac temere, quàm di-
ligenter atq; accurate factis. Nam caput valentissimū
quidem esse oportet, vt prauas exhalationes ab infe-
riori reliqui corporis parte sursum ascendentes dispē-
sare, easdēque rite atque ordine componere possit:
quum enim per se caput infirmum est, ac fumorum in-
sultus illos morbificos repellere minime potens, tum
fit vt ipsum etiam infirmius in dies reddatur, tum autē
reliquum corpus secum perdat. Id quod vt ne in præ-
sentia accideret, voluit deus, vt nos in loco & numero
pedestri, quem fors nostra initio tulerat, permanere-
mus. Multa enim alia sunt Basili, præter ea quæ iam à
nobis dicta sunt, quæ sacerdotem præstare oportet, ac
quæ certe in nobis non agnoscimus. Inter quæ illud
præcipuum, Sacerdotis animū honoris illius desiderio
vndique vacare oportet. Nam si ad eum principatum
adipiscendū vehemētī animi affectu rapietur, eo adepto
impotentiorē sane ambitionis suæ flammā incen-
det, ac vi tandē captus vt sibi adeptum honorē stabi-
liat, nulli non peccato seruiet, seu adulandum, seu ser-
uile quid atq; indignum sustinendū, seu res magno pe-
cuniæ sumptu tentanda. Nam quod nonnulli cædibus
ecclesias compleuerint contaminarintque: tum eius
honoris gratia depugnantes ciuitates aliquot funditus
euerterint, dicere hic prætermitto: ne quibusdam vi-
dear ea in mediū asserre, quæ fide maiora sint. Opor-
tere autē puto tāta cum religione ac cautione ad rem
ipsam accedere, vt illius molē magnitudinēq; primū
prorsus detrectes: deinde adepto honore aliorū iudi-
cia sententiāsque nō expectes, si quod fortē cōmissum
deprehendatur, propter quod oporteat te honorē illū
deponere: quin potius illis anteuertens te ipse munere
abdis. Sic enim par est vt diuinam concilii impe-
trēsque misericordiam: qui si tibi honorem illum præ-
ter decorum tanquā mordicus retinere studueris, in-
dignus es qui veniam consequaris: tum vero diuinam
iram magis ac magis incendis, altero peccato, & eo
grauiore per te addito. At vero constantiā hanc præ-
stare nullus valeat: tam pestilens, tamq; letale est appe-
tentiæ istius virus. neq; id dico, cum B. Paulo pugnare
volens, quinimo vt maxime cum illius verbis consen-
tiam. Ea vero cuiusmodi sunt? Si quis episcopi munus
appetit, honestum opus desiderat. At ego nō operis ip-
sius, sed dominationis ac potentie desiderium pestilens
esse dixi. Atq; hoc ego desiderium sic toto studio ab a-
nimo abiciendum esse cenſeo, vt ne animum quidem
ipsum prorsus permittas ab illo occupari, vt is rerū om-

1. Tim. 3.

nium libere agendarum potestatem habeat. Nam quē
nulla cupiditas trahit, vt sese in eo munere collocatū
ostentet, ac tanquam digito ab aliis monstratur, is cer-
te ab eo folio deturbari non formidat. Porrò autē qui
id non formidat, hic cum ea libertate quæ Christianas
mētes decet, omnia exequi potuerit: dura enim & acer-
ba atq; adeo multis referta incōmodis illorū est serui-
tus, qui honoris huiusmodi casum reformidant: ob
quem sæpenumero fit, vt & hominū & dei opt. offen-
sionem subire cogantur: decet autē affectus nostros ta-
les non esse. Sed quemadmodū in præliis videmus ge-
nerosissimos quosq; milites alacriter manum cum ho-
ste cōserere, tum, si ita res ferat, fortiter occumbere: ita
oportere puto animatos esse qui ad ministerij istius fun-
ctionem se conferunt, vt quod vere Christianos viros
decet, & cōsecrari & summoueri iuxta parati sint: quū
intelligant summotionem priuationēq; huiusmodi
non inferius præmium asserre solere, quàm honor ipse
asserat. Nam quoties tale aliquid cupiam euenerit, ea
ferre nolenti, quæ indecora, ac muneris sui dignitati
minime conuenientia putat: fit vt & illis, qui ipsum ini-
iuste summouerint, grauius supplicium, & sibi copio-
siorem mercedem pareat. Beati enim, inquit, estis, quum
probra iecerint in vos, & insectati fuerint & dixerint
omne malum verbum aduersus vos, mentientes, prop-
ter me: gaudete & exultate, quoniā merces vestra mul-
ta est in cœlis. & hæc certē ipsa tanto magis locum ha-
bent, quoties à sociis ac cōiunctioribus, aut per inuidiā,
aut dū aliis placere illi studēt, aut p̄ similitudē, atq; ini-
micicias iniuste quis loco suo depellitur. nam quoties
id te ab aduersariis pati contigerit, ne oratione quidē
opus esse puto ad lucrum id demonstrandum, quod
illi malicia sua tibi acquirunt. Illud igitur oportet vn-
dique circumspicere ac diligenter perferutari: necubi
desiderij illius scintilla aliqua ardens lateat. Præclare
enim actum fuerit vel cum eis qui iam inde ab initio
ab hoc morbo liberos sese esse student, si ad honorem
istum quum peruenerint, tum demum effugere morbū
eum possint: quod si quis existet qui honore illo nōdū
adepto atrocem hanc atq; efferam beluam secum enu-
triat, verbis assequi non possim in quantam perniciē
accepto honore præceptus iturus sit. Nos aut (ac ne me
rerum nostrarum eleuandarū studio hic apud te falsa
loqui velle putes) cupiditatis, desiderijq; istius morbo
vehementer laboramus: quæ res vna cū aliis omnibus
non parum nos exterruit atq; in fugam hanc vertit. Nā
quemadmodū qui corporū amore capti sunt, ij donec
propinquos eos habent quos amant, grauius quidem
morbi sui tormentū vimq; sustinent: quum autē quàm
longissime sese ab illorū conspectu abduxerint, tū fu-
rorē ipsum ab animo excutiūt: sic & qui honoris istius,
quē dico, cupiditate titillantur, dum propius adsunt,
malo ferēdo impares sunt: quū autē sese illinc summo-
uerint, honorēq; desperauerint, fit vt desiderij vnā
cū expectatione extinguant. Porrò vna hæc causa non
mediocri est, quæ vt sola existat, tamen idonea fuerit,
quæ nos à munere isto arceat. Verū & alia quædā sub-
est hac ipsa nequaquam inferior. Quænam tandē ea est? So-
brium modestūq; episcopū esse oportet: eundēque
perspicacē, atq; innumeros quoquoersus oculos circū
ferre: quippe qui non sibi vni tantū, sed & tam multis
viuat populis. Cæterū quod nos segnes simus ac remis-
si, ac vix nostrā ipsorū salutis sufficientes, vel tute fatear-
e, qui amoris abundantia quadā, vicia, si qua in nobis
sunt, dissimulare studeat. Absit enī vt mihi hic iactes vel
ieiunia,

435
ieiunia, vel noctes infomes vel corpus humi decubare assuetum, vel si qua alia est corporis indurati afflictio. Nam tibi satis innotuit quantum ab his virtutibus absumus, quas vt nos etiam exacte atque absolute praestiterimus ne sic quidem possent cum huius animi segnitie coniunctae nobis ad praefectura illius, quam dico, administratione obeundam praesidij quicquam afferre. Homini enim in cubiculum aliquod incluso, tum de suis tantum rebus sollicito, magnam res ex adiumentum afferre possint. Ei vero, qui in tot populos scissus est, cuas sollicitudinesque suas in subditos suos singulos partiens, non video quid idonei adiumenti ad illorum profectum conferre queant, nisi idem acrem fortissimumque animum nactus sit. Neque sane mirum tibi esse debet si vna cum tanta tolerantia, alia quadam fortitudine episcopi animum spectatum esse volo. Nam cibum, potum, stratum item molle contemnere, multis ne labori quidem id esse videmus, B
iis praestertim qui natura agrestiores per aetatis vigorem ita sunt educati: ac multis item aliis: aliam corporis habitudine, aliam ipsa etiam assuetudine laborum illorum asperitatem molliente mitigataeque. At contumeliam, vim, incommodum, molestum aliquod verbum, tum vero scemata ab inferioribus nonnunquam leuiter, atque impraeditate, nonnunquam etiam reddendo iure contorta, praeterea & querelas temere ac nulla causa tum a principibus tum a subditis natas, non multorum est ferre posse, sed vnius tantum, & alterius. Ac videre sane est eos qui animi virtutibus illis plurimum possunt, ad haec ipsa tanta veluti animi vertigine laborare, vt vel immanissimis beluis facilius exasperentur. Huiusmodi autem ingenio praediti homines ab episcopatus cancellis, a sacerdotum claustris procul arcendi sunt. Nam episcopum inedia minime cruciari extenuariue, tum eundem nudis pedibus non ingredi: id certe nihil incommodabit ecclesiam vniuersitati: at vero agrestioris animi ferocitas furorque, tum domino possessori que suo, tum etiam proximo ingentium calamitatum author saepe fuit. Atque iis quidem, qui virtutes illas non praestant, nulla a deo comminatio: at temere excandescentibus gehennam ac gehennam flammam aeternam deus comminatus est. Ac quemadmodum fit, vt qui inanis gloriae titillatione mouetur, si quando populi principatum obtineat, materiae igni succenso suppeditet: sic qui solitudini assuetus, ne in paucorum quidem hominum consuetudine, animi sui iram imperare non potest, quinimo per facile ab ea transuersus agitur: huic si popularem magistratum credas, instar ferae alicuius a multis vndique extimulate, neque quieto vnquam animo esse queat, & commissos sibi populos in infinita mala atque incommoda distrahat. Nihil enim sic ingenij perspicuitatem, nihil sic metis aciem hebetat, vt ira nullum ordinem feruans, ab animi impotentis impetu nata. Ira enim, inquit, ille, & prudens perdit: quasi enim in nocturna pugna aliqua obtenebratus animi oculus, non internoscit amicos ab aduersariis neque ignobiles a claris, sed omnes simul vno loco habet: & si iactura etiam aliqua, calamitasque subeunda sit, omnia perfert vt animi voluptatem impleat satiataeque. Est enim etiam quaedam voluptas, irae excandescentia: cuius tyrannide crudelior truculentiorque est, vniuersum illius statum sursum ac deorsum conturbans, incolumitatemque excarnificans: nam & ad arrogantiam fastumque facile impellit, & simultates intempestiuas, & odium nulla ratione subortum, & offensiones leuiter ac temere natas assidue parat: & mul-

ta id genus alia cum verbis, tum factis vi aggreditur: quum animus interim clam vehemeter morbi illius flatu raptus, non habeat vbi suam vim affirmans tanto impetui resistat. Tum Basilus: Ego vero te, inquit, non amplius dissimulantem hic patiar: quis enim nescit quantum ab hoc morbo sis alienus? Cur me igitur, inquam, ob bone, vis flammam atque incendio admotum esse: cur beluam quiescentem irritare pergis? ignoras id nobis non nostra virtute successisse, sed potius ex solitariae ac quietae tantum vitae cultu ac studio? cum eo autem qui ad animi morbum huiusmodi propensior sit, praclare sane actum fuerit, si solitariam vitam sequutus vnusque & alterius amici vsu delectatus, possit excandescentiae incendium illud deuotare: vt ne dicam cogi illum alioqui in tam multarum curarum altissimum pelagus praecipitem ruere. Tum enim non se solum, sed & alios complures secum ad interitus praecipitium pertrahit, redditque minus animatos ad humanitatis facilitatisque studia excolenda: quando sic natura comparatum esse videmus, vt subditorum multitudo magna quidem ex parte principum suorum mores tanquam exemplarem quandam imaginem spectent, seque ad illos formare studeant. Qui ergo fieri possit, vt illorum tumores, & inflammationes sedet is, qui ipse tumescat: quis vero plebeius vir concupiscat statim temperans moderatumque fieri, principem intuitus iracundum? Neque enim possunt episcoporum vicia dissimulari, sed vel parua atque exigua confestim manifesta fiunt. Quando & athleta tantisper dum domi se continet, cum nemine occultare aliis potest: vbi vero nudato corpore in arenam decertaturus descenderit, tum facile apparet, quid ille possit. Eadem ratione qui priuata hanc & quietam vitam viuunt homines, solitudinem habent suorum viciorum tanquam velamen quoddam: iude rursus quum in medium prodierint, solitudinem illam, sicut vestem exuere, ac per externos aduentitiosque motus, suos animos omnibus nudos exhibere coguntur. Quemadmodum ergo illorum officia rectique mores multis vsui sunt, acceduntque ad studij aemulationem eiusdem: ita & vicia ad virtutis cultum segniores reddunt, praestantque vt ceterorum animi ad bonorum operum labores capessendos torpescant: quamobrem sacerdotis animi pulchritudinem vndique splendescere oportet, vt oblectare pariter & illustrare possit eorum animos, qui suos in illum oculos iniiciunt. Nam vulgariarum hominum delicta, veluti in tenebris commissa, authores suos solos perdunt. Ceterum hominis illustri, & vulgo cogniti delictum commune omnibus damnatum adfert: cum eos, qui ad virtutis capessendam sudores remissi sint, supiores etiamnum reddens: tum eos, qui sibiipsis attendere, ac virtuti acquirendae aduigilare volunt, ad desperationem extimulans. Praeterea ignobilium delicta si in medium prodierint, neminem insigniter vulnerant: at qui in istius dignitatis fastigio positi sunt, primum nemini non noti manifestique sunt, tum vero si vel tantillum peccauerint, parua eorum peccata aliis magna videntur. neque enim peccata magnitudine, sed peccantis potius dignitate peccatum plerique omnes metiuntur. Ac certe episcopum conuenit & studio acri, & perpetua vitae continentia tanquam adamantinis armis circumseptum, quoquoque circumspicere, necubi nudo quis aut neglecto loco deprehenso letale vulnus adferat. Circumsistunt enim ceteri parati vt vulnerent, ac si liceat supplantent:

BASIL.
CHRYS.

tent: neque ij ex hostium atque aduersariorum numero, sed ex iis, qui se amicos esse adsimulant. Episcoporum ergo animi tales eligantur, qualia olim in Babylonia fornace sanctorum illorum corpora diuinae gratiae largitas exhibuit. Neque enim ignis eius, qui episcoporum animos depascit, alimenta sunt fermentum, pix, stupa: sed alia quaedam his longe infestiora: quando ne ignis quidem sensibile illud elementum hic substernitur, sed pro igne episcopum circumlambit voracissima inuidiae flamma, vndique se attollens, atque adeo vitam illius ac mores altius subiens, scrutans, probans, quam ignis ille Babyloniis puerorum illorum corpora probauerit. Quoties igitur repererit vel tenue aliquod stipulae vestigium, celeriter admota partem illam debilem ac viciatam exurit: tum vero reliquam structuram, vt ea solaribus radiis radiantior lucidiorque fuerit, fumo illo inuoluit, totamque denigrat: quandiu enim sacerdotis vita pulchre partibus ex omnibus congruens, concinnataque fuerit, nulla illi aduersariorum insidiae nocere possunt: qui simul atque vel tantillum officij recti praetermiserit (vt par est nonnunquam praetermittere eum, qui homo quidem ipse sit, quiue humanae vitae plenum erroribus pelagus traiciat) iam illum nihil antea actae vitae honestas adiuuat ad incusantium voculas effugiendas: quinimo, leue illud commissum, reliqua illius vitae luminibus officit: ac certe sic sacerdoti omnes iudices esse volunt, vt carne nequaquam composito, vt humanam naturam non sortito, verum vt angelo, vt humanae infirmitatis minime participi. Porro quemadmodum tyrannum donec imperio potitur, reformidant, eique adulantur omnes, non ob aliud, nisi quod illum tyrannide deturbare non possunt: quum autem illi res in contrarium cedere viderint, hic relicto honore illo simulato, qui haud ita pridem amici erant, fiunt repente aduersarij atque hostes: ac viciatas infirmasque in illo partes rimati, per quas videlicet illum facilius adoriantur, impressione facta imperio depellere conantur: sic & in sacerdotibus vsu venit. Nam qui sacerdotem paulo ante ac dum munere potiretur, reuerentur, colebantque, ij occasionem nacti per exiguam, magno se studio accingunt, vt illum infestius etiam quam tyrannum imperio depellant: atque vt tyrannus corporis sui custodes timet, sic sacerdos eos quos sibi propinquos, collegasque habet, maxime omnium reformidat: nulli enim alij perinde illius magistratum affectat, eiusdemque res omnes notas habent atque illi: propinqui enim ac familiares quum sint, si quid tale acciderit, continuo ante omnes praesentiscunt: ac facile illis etiam calumniantibus fides adhibetur: possuntque illi haud ita magno negotio calumniis suis circumuentum episcopum capere, illius errata, quantumlibet leuia, aggravantes. Qua in parte apostolicum illud dictum immutatum est: siue patitur vnum membrum, gaudent omnia membra, seu glorificatur vnum membrum, simul patiuntur omnia membra, nisi si forte ingentem quandam pietatem, ac religionem praestiterit, quam aduersus illa omnia opponere queat. In tantum igitur bellum nos emittit: & aduersus pugnam tam variam, tamque multiformem animum nostrum sufficere posse existimas? Vnde nam, quae so, & a quo id edoctus es? nam si caelitus id tibi innotuit, oraculum ipsum mihi indica, & tibi iam assentior. Sin id non potes: verum ex hominum opinione de hac re pronuncias: ab isto tandem errore animum libera. In iis enim quae ad

nos spectant par est, vt nostrum potius, quam aliorum sequamur iudicium: quae enim in homine sunt nullus nouit, nisi spiritus hominis, qui in ipso est. Nam quod tum nos ipsos, tum eos a quibus electi ipsi sumus, ridiculos fecissemus, illo per nos munere suscepto: ac magno item cum nostro dispendio ad vitae conditionem hanc, quam hodie quoque tuemur, reuertissemus, si minus antehac, nunc certe per haec me verba persuasisse puto. Neque enim inuidia solum, sed & quae inuidia longe infestior est, principatus huius affectatio, complures armare solet aduersus eum, qui principatum ipsum occupat. At quemadmodum qui principatum affectant filij, molesto animo intuentur longam patrum suorum senectutem: sic ex his nonnulli quum viderint constitutum, vt sacerdos ad longum aliquod tempus dignitatis suae munere fungatur, quandoquidem interdiceret nefas, deturbare illum imperio accelerant: omnes in deturbati locum suffici cupientes, ac singuli honorem illum ad se deferri expectantes. Vis & aliud tibi pugnae huius genus aperiam, periculis mille plenum: Ito hinc iam, ac publica festa spectato: ea dico in quibus dignitatum ecclesiasticarum electiones de more fiunt, & tam multis videbis inibi criminationibus lacerari episcopum, quanta est tota illa subditorum multitudo, quibus eligendi potestas concessa est. Hos omnes tum in multas factiones scindi, neque inter se consentire, neque cum eo cui sorte episcopatus delatus sit conuenire videas: sed vnusquisque a suis vnus partibus stat, alius hunc, alius illum eligens. Cuius rei causa haec est, quod id ipsum non spectant, quod solum spectandum fuerat, nempe animi virtutem: sed aliae sunt causae quibus honores conciliantur. Verbi gratia: hic, quod claro genere natus sit, in episcopatum, inquit, ordinem cooptetur. Ille, quod opibus abundet, neque indigeat alimentis ex ecclesiae prouentibus quaestis: alius quod ab aduersariis ad nos transfugerit: alius sibi genere propinquum ac necessarium: alius adulatorum ceteris anteponebat: nemo est qui eum, qui idoneus sit, spectare velit, aut animi partes explorare curet. Ego vero tantum abssum, vt causas huiusmodi ad probandos sacerdotes idoneas esse putem, vt si quis etiam magnam perpetua vita religionem, pietatemque praestiterit, quae ipsa tamen non paruum ad id adfert praesidium, ne hunc quidem huius nomine adlegere statim audeam, nisi magnam etiam animi prudentiam religionem huiusmodi coniunctam habeat. Nam multos ipse noui, ex iis qui sese perpetua continentia cohibuissent, ac quorum corpora ieiuniis multis exhausta essent, donec solitariam vitam agere, ac suas dumtaxat res curare licebat, deo maxime acceptos fuisse, eosdemque in dies singulos cepta illi philosophiae auctarium non paruum adiecisse: qui iidem posteaquam in hominum lucem venerunt, vulgi inscitiam emendare coacti, alij prorsus muneri illi administrando impares fuere, alij in eo ipso munere perseverare dum cogentur, pristina vitae cura atque austeritate procul excussa, tum sibi detrimento maximo, tum aliis nulli prorsus vsui fuere. Neque vero si quis vitae tempus perpetuum in extrema sacrarum functionum classe persistens consumpsit, ac sic demum ad vltimam vsque aetatem peruenerit, hunc protinus propter aetatis reuerentiam ad summum honorem perducemus. Quid enim si vel ea aetate quum sit, tamen minus idoneus adhuc reperitur? quod tamen sic a me dictum non est, quasi velim canicie vituperare:

perare: vel statuere lata hic per me lege eos, qui è monachorum sodalitiis prodire, ab huiusmodi prefectura arcendos prorsus esse: contigit enim aliquoties, vt ex eo grege complures ad id muneris pertracti, vitæ candore in primis elucescerent. Verum illud eo nomine dixi, vt ostendam, si neque religio per seipsa, neque senectus longæua satis esse possunt, vt eum qui episcopatum obtinuerit, munere illo dignum efficiant: certe vix hoc ipsum causas eas, quas paulo ante commemoravi, efficere posse: quibus causis nonnulli etiam absurdiores alias adiungunt. Etenim alij quosdam, vt ne aduersariorum partes sequantur, in clemi ordinem recensent: alij propter maliciã, ne contempti scilicet luculentorum malorũ reliquũ tẽpus auctores fiant. Potestne quicquam hoc ipso iniquius esse: quum videlicet homines peruersos, malis flagitiisque omnibus abundantes propter hæc coli ab aliis videmus, ob quæ puniri ipsi deberent: eosdemq; quarum rerum nomine ne ecclesiæ quidem limen introire oporteret, vel ad sacerdotalem dignitatem ascendere. Etiam ne, obsecro, queremus diuinæ in nos iræ causas, quum nos mysteria tam sancta, tamq; horrenda hominibus partim flagitiosis, partim nihili labefacta tradamus: Quum enim alij prouinciam ad se minime pertinentis, alij multo etiam maioris quam propriæ patiantur vires, prefecturam fortiti fuerint, ij certe efficiunt, vt ecclesiã dei nihilo ab Euripo differre videatur. Equidẽ principes externos antea ob id iridebam, quod honores prefecturasq; distribuerent non animorum virtutis, sed pecuniarum ratione habentes: atq; vt alij alijs vel annorum multitudine, vel dignitatum gradibus iam antecedant, ita demum eos vterius promouentes. Posteaquam vero audiui indignitatem hanc in nostrum etiam ordinem quodam modo debacchatam irrepisse, facinus huiusmodi mihi non perinde graue visum est. Quĩ enim mirum fuerit homines rerum humanarum cultui deditos, popularem tantum auram venãtes, pecuniæ causa nihil nõ agentes, in huiusmodi vicia prolabi, vbi qui se puros esse ab iis omnibus viciis simulant, illis nihilo sese melius animo affectos ostendunt: quinimo rerum cœlestium certamen suscipientes, perinde atque si de terræ iugeribus, aut alia id genus re deliberarent, gregarios quosdam homines temere assumptos, rebus iis præficiunt: quarum nomine & gloriam suam exinanire, & homo fieri, & serui formam accipere, & conspui, & colaphis cedi, & morte ignominiosissima occumbere secundum carnem, vni genitus dei filius non deprecatus est: Neque isti tamen intra hos fines se continet, sed & alia addit absurdiora. Neque enim immeritos solum adlegunt, verũ & idoneos euiciunt. Nam quasi conueniret vtrinque ecclesiæ firmitudinem labefactari, ac causa illa prior non sufficeret ad diuinam iram accendendam, ita illi alteram nihilo deteriore coniuixerunt. Etenim iuxta ego pestilens esse reor, vtilis arcere, & inutiles intromittere: id quod ab illis certe fit, vt Christianum armentum nulla ex parte aut cõsolationem inuenire, aut respirare valeat. Hæc igitur nonne millies dei fulmen merentur: nõne digna sunt quæ gehennæ, non illius quam nobis sacræ literæ comminatur, sed longe etiam grauioris igne plectantur: veruntamen mala huiusmodi sustinet patiturq; qui peccatoris mortem non vult, vt conuertatur ipse ac viuat. Cuius in nos benignitatẽ miram quĩ satis mirabimur: ad cuius misericordiam quĩ satis obstupescemus? En qui Christiani sunt, sc̃uius etiã quam aduersarij, quam ho-

440
 A stes Christi opes perdunt. At ille etiamnum bonus benignitatem vbiq; præfert, ad pœnitentiam inuitas. Tibi gloria, tibi, inquam, gloria domine: quantæ apud te clementiæ abyssus, quantæ est paciẽtiæ copia? Hem qui nominis tui prætextu ex ignobilibus & obscuris clari atque illustres effecti sunt, honore abutuntur, cõtra eũ qui honorem est largitus, audentq; nõ audenda, in sacrosancta illa tua mysteria iniurij, probos extrudentes euicentẽs; vt homines malis perditisq; moribus præditi, magna cum quiete ac summa cum licentia quacunque collibuerit inuertant atque conturbent. Cuius quidem morbi si causas perdiscere cupis, iis ipsis quas paulo ante numeravi, similes comperies: radicẽ enim, & vt sic dicam, matrem vnam habet, inuidentiam: eorum vero non vna tantum species est, sed admodum diuersa. Hic enim, inquit, quãdo quidem iuuenis est euiciatur. Ille quando quidem adulãdi nescius est: alius propterea quod illius cuiuspiam offensionem incurrit: alius vt ne indoleat ille, nescio quis: si quem ipse eligendum obtulit, explosum, hunc vero adlectum viderit: alius propterea quod probitate, benignitate, facilitate, humanitate præditus: alius propterea quod delinquentibus asper ac terribilis: alius alia simili de causa: neque enim illis causæ atque excusationes desunt, quotquot afferre voluerint. Atque adeo dum causari aliud non possunt, opum, diuitiarumque copiam causantur: ad dentes non oportere quenquam repente ad dignitatẽ huiusmodi assumi, sed sensim & per gradus quosdam. Possunt & iidem alias quidem atq; alias quotquot illis libitum fuerit causas comminisci. Ego vero lubens hæc sciscitarer, Quidnam igitur episcopus hæc faciet, confictu illi contra tot vêtos proposito: quonam ille modo aduersum tam multos fluctus vnus resistere poterit: quĩ insultus impetusq; machinarum huiusmodi repellat? Etenim si rem recta ratione ac iudicio aggredi vollet, inimici protinus atque hostes tum eidem, tum electis omnes illi: tum vero omnia statim illi per contentionem, atque vt episcopo aduersentur faciunt: præterea & simultates seditioesq; quotidie concitant, & sexcentis etiam scommatis eorũ vitam qui electi fuerint incesunt, horum nullum finem facientes, donec vel illos eiecerint, vel suos cãdidatos intromiserint. Deniq; perinde esse videas, vt si quis gubernator, piratas habeat eadem nauis vnã secum nauigãtes, qui quidem, tum ipsi, tum nautis, tum vectoribus assidue horisq; singulis insidias struant. Quod si episcopus illorum gratiam salutis suæ præposuerit, admissis iis, quos admissos esse non oportet: fiet profecto vt illorũ loco deũ sibi offensum habeat: quare quid illi pestilẽtius accidere potest? Adde quod episcopo eidem cum illis res erit lãge difficilior, molestiorq; quam antehac, omnibus inter sese iam cõsistentibus, ac multo etiã fortioribus rei controuersæ contentioisq; victoria accedente redditis. Nam quemadmodum sc̃uientibus pugnantibusq; inter sese asperrimis ventis, derepente mare antea quietum ac tranquillũ fuit atque intumescit, eosq; omnes quos tum vela facere contigerit, perdit: ita ecclesiæ tranquillitas, perditis hominibus admissis, turbulentia ac naufragius permultis infestatur. Hic igitur animo expẽde, qualem esse oporteat eum, qui tantæ tempestati opponendus, ac tam multa impedimenta rerum ad communem salutem spectantium probe temperaturus sit. Nam & grauem illum, sed minime fastuosum & terrificum, sed humanum: & visenda maiestate principem, sed omnibus tamen appellandis comẽ eundemq; integrum,

grum, officiosum, humilem, sed mini me seruilem, ac re quoque ac vehemẽtẽ esse conuenit: sed tamen & mansuetum, vt nullo ipse negotio cõtra illa, quæ dixi, omnia depugnaret, tum vero eum, qui idoneus visus fuerit, magna cum autoritate ac libertate, quãquam omnibus reclamãtib; in medium promouere possit: rursus eum qui alius compertus fuerit, cum eadem illa autoritate ac libertate, vt etiam omnes conspirent, nõn admittere: denique vt nihil in cuiusquam vel gratiam, vel odiũ, facere conatus ecclesiasticæ vnus ædificatiõis decus, cõmodumq; tantum spectet. Tibi ne hic Bassili merito videor negocij istius ministeriũ deprecatus fuisse? atqui nõdum omnia tibi percensui: supersunt enim alia mihi dicenda. Tu vero ne delasseris tantisper dum patienti aure persers viri amici ac vere germani orationem, tibi persuadere conantis sese criminũ eorũ reum haud quaquã esse, quorũ tute eum insimulas. Neque enim ipsa hæc tantum cõducunt ad defensionem eam, qua apud alios nomine nostro vti potes: sed & ad ipsam muneris eius, quo de agitur, functionẽ, lucrũ auxiliũq; non exiguum conferunt. Eũ enim oportet, qui ad tentandam vitæ huiusmodi semitam accessurus est, omnia prius ad vnguem perscrutari, atque ita demum negotio manus admouere. Quãobrem? quãdo quidem vt nullum aliud inde nascatur emolumentũ, certẽ rerũ omnium prudenter gnaro lucrum id supererit, vt cũ id genus procellæ tempestatesq; emerferint, nihil rerũ insolẽtia ac nouitate perturbetur. Vis igitur tibi hæc à me prius expediri præfidiũ patrociniũq; id, quod viduis impendendum est, an studiũ curamq; eam, quã episcopus virginibus debet: an potius iudicialis partis, cui ab illo maximo opere attendendum est, difficultatem? Nam vnũquodq; horũ diuersam sibi curam vëdicat, timoremq; cura etiam illa lãge grauiorẽ. Ac primum vt ab eo quod inter alia leuissimũ esse putat, exordiamur: Viduarum quidẽ cultus videtur haud aliam, quam pecuniæ infundendæ sollicitudinem iis præbere, qui illarum tractandarũ curandarumq; prouinciã suscipere. Id autem longe aliter se habet: nã quoties illæ deligendæ, ac tanquam in catalogum referendæ sunt, & hic quoque magno admodum examine opus est. Id enim ipsum, qd temere, & vt casus tulit, in album referantur, innumera olim mala peperit: nã & familias pessundedit, & nuptias diuellit: præterea hac vna de causã compertum est viduas aliquot tum furando, tum cauponãdo, atq; alia id genus committẽdo, multa præter dignitatem atque ordinem gessisse. Huiusmodi vero viduas ecclesiastica pecunia ali, præterquam quod dei vindictam paratam habet, facit etiam vt apud homines maximo opere ea res improbetur damneturq;, ac multorum quoq; beneficiã remoretur. Quis enim vnquã velit, quas quis Christo offerri mandauit facultates, eas iis sustentandis insumi, quæ Christi nomen calumniari nõ cessant: quo nomine multam huc ac diligentem afferre discussione conuenit: idq;, ne quæ sibi ipsa vitam sufficere possunt, ne dum illæ de quibus locutus sum, indigentium mensam absument. Porro discussio huius diligẽtiã sequitur cura nõ mediocris, vt viduis videlicet in album relatis alimenta, quæ præstanda sunt, affatim tanquam ex fonte quodam affluãt, nec vnquam desint. Fit enim nescio quo pacto, vt inuita paupertas malũ sit insatiabile, querimonia semper atque ingratitude plenum. Ac multa sanẽ prudentia, multo item studio opus est, vt qui criminationis causas omnes amouere à se cupit, ipsarum ora obstruat. Iam plerique vbi aliquem viderint

A pecuniã imperantem, cõtinuo idoneum ad huiusmodi æconomiam pronunciant. At ego nunquam existimauerim, hanc illi animi magnitudinem satis esse, quã ipsam præstandam quidem in primis esse (quippe sine ea vastator potius quam antistes, & pro pastore lupus fuerit) verum & vnã cum ea videndum puto, num & aliam animi virtutẽ habeat. Ea est autẽ mortalibus bonorum omniũ author patientia atque æquanimitas, hominis animum tanquam in serenum quẽdam portum appellens. Nam viduarum genus tum paupertatis, tum ætatis, tum sexus nomine immodicam sibi libertatem vsurpat, (sic enim loqui præstat) vociferanturq; importune semper, & ab re conqueruntur, & lamentantur vbi gratia habenda, & incusant quod laudandum ac probandum: qua in parte antistitem oportet omnia generose ac fortiter pati: neque irritari, si quando illæ aut intempestiue obtundant, aut immerito expostulent. Illarum enim infelicitas misericordiam potius quam cõtumeliam meretur: quarum certẽ calamitatibus antistitem insultare, & dolori ob paupertatem nato contumeliã etiam molestiam addere, extremæ crudelitatis atque immanitatis fuerit. Quo circa vir quidam sapientissimus, humani ingenij auariciã fastumq; contemptum, tum intelligens paupertatis vim naturamq; tantum posse, vt vel generosissimum quenq; animum prosternat, cogatq; identidem iisdẽ rebus postulandis impudentem esse, vt ne quis per pauperum efflagitationes ira excandesceret, tum vero assiduo illorum occurru irritatus illis aduersarius is fieret, qui opem afferre deberet, ipsum instruit ad sese mitem ac facilem indigentem præstandum: Pauperi, inquit, citra animi tui molestiam aurem inclina, atq; illi pacifice humaneq; respondeo. ac missum faciens indigentem eundemque irritantem, (quid enim dicere quis ad illum possit, qui simplex iaceat?) cum eo sapientissimus ille idem verba facit, qui illius infirmitatem subleuare potest, exhortans, vt tũ vultus mäsuetudine, tũ orationis humanitate, antequã ad largitionẽ descẽdat, illius enim animũ erigat excitetq;. Quod si quis destinatas viduis facultates ne vsurpet quidem: in ipsas autem probra coniciat infinita, cõtumeliãq; afficiat, atq; adeo aduersus eas irretetur: non solum liberalitate sua natum à paupertate dolorẽ non leuat, verum & malum ipsum conuiciis aggrauat: cogunt enim perfricta admodũ esse fronte ob ventris esuriẽtis necessitatem: veruntamen & dolorem etiam ab huiusmodi vi contumeliãq; concipiunt. Proinde cũ ob inedia timorem mendicare, & ob mendicitatem impudentes esse cogantur, rursus cum ob impudentiam cõtumelia afficiantur, multiformis quẽdam angoris, mœsticiã, dolorisq; vis, & quæ caliginẽ multam afferat, in illarum animum irruit: eumq; oportet qui illarum curã suscipit, hæc tenens æquanimem patientemq; esse, vt non solum non sua destomachatione illarum mœsticiã anxietatemq; augeat, sed & consolatione sua dolorem eũ magna ex parte sopiat, qui aliunde enatus illarum animos occupauerit. Nam quemadmodum nescio quo pacto fit, vt quem contumelia affeceris, is non sentiat pecuniarum acceptarum subsidiũ ob inflictã contumeliã plagam: sic quem blande atque humaniter appellaueris, quiq; donum aliquod vnã cum sui consolatione à te acceperit, exultat magnopere ac lætatur: tum vero donũ ipsum donantis vultus gestusq; cõduplicat. Quæ ipsa non ex me pronuncio, sed ex illius verbis, cuius illa ipsa est admonitio, quæ præcessit. Fili enim, inquit, in bonis ne des querelam, & in quocunq; dato ne des tri-

Eccle. 4.

Eccle. 18.

sticiam verbi: nonne ros ardorem tollet? sic verbū melius quam datum. Ecce enim verbū supra dona ipsa excellens bonum: vtrūque autem vir gratus praeferat. Proinde non humanum solum ac patiemem qui illarum curam suscipit, verum nihilo etiam minus economicum esse oportet: quando quidem si ipsum hoc abfuerit, rursum pauperum facultates in idem damnus recidunt. Pridem enim quidam, cui administrationis huiusmodi provincia demandata fuerat, magnam auri copiam cum collegisset, id ipse quidem haudquaquam deuorauit, sed neque in indigentium vsum praeter pauca quaedam insumpsit: maximam autem pecuniam illius partem terra obrutam asseruauit, donec temporis iniquitas superueniens hostibus in manum illam totam tradidisset. Magna igitur prouisione opus est vt Ecclesiae facultates neque redundant, neque rursus desint: sed quae Ecclesiae erogantur, continuo indigentibus sunt dispersenda: caeterum in subditorum animis ac benevolentia Ecclesiae thesauri collocandi. Enimuero quanta pecuniarum impensa opus esse exultimas, tum in excipiendis hospitibus, tum in curandis aegrotis: quantam autem tum diligentiam, tum prudentiam ad eam rem afferre debent, qui illi praefecti sunt: quando hanc ipsam impesam nequaquam ea, quam dixi, inferiorem, plerūque autem & maiorem esse oportet: praefectumque ipsum largitorem esse decet circumspectum, ac prudentem, vt eos, qui bonis abundant, animet ad certatim etiam, atque hilariter bona sua eroganda: ne dum consulit tollenda ab infirmis inopia, largietium animos percellat, offendatque: atque hac quidem parte animi propensionem, studiumque multo vehementius praestare conuenit. Sunt enim quodam modo qui aegrotant, morosi ac torpescetes: ac nisi summam vndique diligentiam curamque adhibeas, vel tantillum, quod quidem a te fuerit neglectum eiusmodi est, vt aegrotati mali plurimum afferre possit. Sed quod ad virginum curam spectat, tato certe maior inibi timor inest, quanto virginitatis donum preciosius: quanto virginalis grex caeteris regalior. Pridem enim factum est, vt & in sanctarum virginum chororum infinita eademque vicium referta infinitis inuaserint, debacchataeque fuerint: quae res & luctum multo acerbissimum parit. Ac quemadmodum non ex aequo se res habet, puellane liberalis, an illius ancilla peccet: sic paria inter se non sunt virginis ac viduae delicta. Viduis enim impune est & nugari, & conuiciis inter se depugnare, & adulari, & frōte perfrecta esse & nusquam non apparere, & in foro frequentes esse. At virgo ad maiora sese accinxit certamina, vt pote quae caelestis illius philosophiae aemulatrix, profitetur se angelicam vitam in terris referre: cui item propositum est illa eadem praestare, quae caelestes illae atque incorporeae virtutes praestant: quam ipsam non conuenit, neque frequentes ac superuacaneas inambulationes agere, neque verba temere atque inconsulte effutire: conuicij vero atque adulationis, ne nomen quidem agnosceret: propterea tutissima custodia, ac maiori praesidio indiget: nam sanctimoniae aduersarius assidue astat, iisque in primis insidiatur, deuorare paratus, sicubi virgo aliqua cadat labaturque. Propterea ex hominibus insidiantur permulti, cumque his omnibus naturae infania: denique suus ille ordo in quem se adscribi voluit bellum coduplicat, tum quod extrinsecus ingruat, tum quod intrinsecus obturbet. His igitur de causis efficitur, vt ei, qui regendis virginibus praefectus sit, magnus timor imminet: sed maius tamen periculum, maior animi dolor: si quid forte praeter animi sententiam (quod

444
A deus auertat) eueniat. Nam si patri filia occultata in animo vigilantiam affert, si item cura de ea suscepta somnum a paternis oculis excutit, vbi timoris illi tantum incumbit, ne vel filia sterilis euadat, vel nubilem aetate domi paternae trahat, vel inuisa aliis negligatur: quid facturum putamus eum, cuius animum nulla harum rerum quas dixi, cura tangat: sed qui de aliis quibusdam longe grauioribus sollicitus sit? Neque enim hic agitur de mariti, sed de Christi neglectu ac contemptu: neque ipsa sterilitas probum ignominiamque tantum, sed & animae tandem internecionem parit. Omnis enim arbor, inquit, fructum non faciens bonum, exciditur, & in ignem mittitur. Iam virgini, quam sponsus Christus oderit, non satis est accepto repudij libello abire: sed odij illius poenas luit, supplicium aeternum. Ac pater quidem secundum carnem multa habet praesidia, quibus proclue illi sit filiam asseruare: ad cuius virginis custodiam opitulatur, tum mater, tum nutrix, tum famularum turba, tum domus tutela. Neque enim licet ei frequenter in forum descendere: neque si quando ea descenderit occurrentium oculis conspicua esse cogitur. Praeter haec autem culpa omnis atque criminatiois expertus est, quod nunquam cogatur in virorum prodire conspectum. Neque enim rerum necessariorum cura, neque iniuriorum hominum improba molestia, neque id genus aliud hominum occursum congressumque necessarium illi efficit, cum illi pater pro omnibus sit. Ipsa autem vnam duntaxat curam habeat, vt nihil scilicet vel faciat, vel loquatur, quod virginali honestatem dedecet. At si episcopi partes spectes, multa certe sunt, quae illi virginis custodiam difficilem seu potius omni arte superiorem efficiunt. Neque enim illam secum domi habere possit: neque illud sanè contubernium decens, aut periculo vacans fuerit: etenim vt nullum vel hinc detrimentum ipsi patiantur, sed synceram constantemque sanctimoniam seruent: nihilo tamen minus rationem reddituri sunt pro iis animis, quas offenderint, ac praua aliqua suspitione asperserint, quam si inter se peccasse eos contigerit. Porro cum episcopo non liceat virginum contubernio vti, relinquatur, vt facile illi non sit virginalis animi motus perdiscere, & quae nimis exuberant, ordinemque excedunt circuncidere: quae autem intra ordinem ac numerum consistunt, magis ac magis excolere, atque in meliorem profectum perducere: tum vero eadem non perinde proclue erit perscrutari curiosaeque indagare, si quando virgines domo egressae foras eant, videnturque. Nam quod virgo inops sit, atque imperio soluta, id ipsum certe efficit, vt episcopus haud ita magnam diligentiam praestet in examinanda illius honestate: quippe cum ipsa sibi omnia administrare cogatur, complures intemperate viuere volenti egressuū vagationumque tituli ac praetextus: quos quidem impedire eum oportet, qui illam iusserit domi assidue demorari, rebus necessariis suppeditatis, ac data pedissequa, quae illi admittret. Iam & virgini oportet funebres pompas, ac publica perurgilia interdicta esse. Nouit enim, nouit ingeniosissimus serpens ille, vel per bona opera suum virus disseminare: propterea virginem oportet vndique tamquam muro circumseptam esse, ac toto anno perraro domo egredi: idque demum cum inexcusabiles ac necessariae vrgebunt causae. Quod si quis dicet episcopo opus non esse, vt res huiusmodi pertractet: nouerit is singulas virginalis studij curas, atque adeo criminationes omnes, quas in virgines conuici contigerit, in illum recidere: quae ex re vtilius multo fuerit, si ipse re per se administrans

ministrans ab iis causis vacet, quas illum per aliorum delicta sustinere oportet, quam administratione ea relicta rationis reddenda iudicium reformidare, eorum delictorum quae alij commiserint. Adde quod qui per se ipse hoc munus exequitur, magna cum facilitate omnia transigit: qui autem necesse habet vicaria aliorum opera defungi, praeterquam quod magnum illi adest negocium, vt omnium animos ad id munus gerendum sibi persuasos reddat: certe laboris remissionem tantam non habet ex functionis illius abstinentia, quanta negocia, quantosque turbines sustinet ab iis qui resistunt, atque ipsius sententiae ac iudicio repugnant. Sed virium nostrarum non fuerit eas omnes curas sollicitudinesque percensere, quas sibi studium virginibus impendendum vendicat: quae ipsae cum in album referenda sunt, mirum dictum est quanta illi negocia facestant, cui prouinciam hanc credideris. Iam pars illa, quam episcopum tractare in iudiciis conuenit, infinita certe odia, infinitas offensiones parit: quae quidem praeterquam quod negociis permultis plena est, tam multas etiam difficultates affert, quam multas ne foreses quidem iudices subeunt. Nam cum iustum ipsum inuenire labor est, tum eo inueto id non sequi inuidiosum. Neque vero hic negocium tantum ac difficultas, sed & periculum non mediocre inest. Pridem enim ex infirmioribus quidam, molestiis cum premerentur, neque haberent quorum defensione ac patrocinio subleuantur, fidei naufragium fecerunt. Fit autem, nescio quo modo, vt qui iniuria afficiuntur, nihilo minus eos oderint, a quibus non adiuuantur, quam eos qui iniuriam inferunt, ac neque negociorum distractionis, neque temporum inclementiae, neque episcopalis magnitudinis, neque alterius id genus rei cuiusquam rationem vllam habere volunt: quinimo iudices se ipsi praestant inexorabiles, defensionem vnam praetendentes, malorum se praemertium defunctionem: quam quidem qui praestare non potuerit, quantum mille etiam causas afferat, nunquam effecerit, quo minus condemnationem subeat. Et quonia nos in patrocinij mentionem incidimus, age hic & aliam quandam querelam speciem causamque tibi patefaciam. Nam nisi quotidie episcopus omnium domos circueierit, in hac parte vel eos superas quibus nullum aliud studium est, quam in foro versandi deambulandi: hinc continuo offensiones infinite emergent. Neque enim is solum qui aegrotant, sed & qui sani sunt, inuisi se volunt. Id quod non religionis ac pietatis, sed honoris dignitatisque potius nomine plurimi sibi vendicant: ac si quem forte contigerit ex ditioribus potentioribusque Christianis, Ecclesiae vsu lucroque communi ita urgente, ab episcopo frequenter inuisi, hic protinus episcopus palpatoris atque adulatoris notam sibi inurit. Sed quid attinet patrocinandi, inuisendi: partes hic persequi, cum & sola appellationes, salutationesque, quibus episcopum vti oportet, tam magnum etiam criminationum pondus afferant, vt & ille pondere ferendo incurruet, atque adeo praeranimi maestitia, plerumque succumbat: vt nihil hic agam, quod & ob oculos illud potius, quam illud coniectos ad calculos vocare illum volunt. Quae enim ab episcopis temere ac simpliciter sunt, plerique accurate ac diligenter excutiunt, pensitata etiam vocis mensura, aspectus habitus, ac risus quantitate. Illi enim, inquit, magnifice arripit, eundemque tum hilari vultu, tum voce liberali, salutauit: me vero longe parcius, atque vt casus tulit: ac nisi multis vno in loco simul sedentibus quoquoersus oculos ille circumtulerit, omnes appellans, id ipsum contumeliosus Tomus quintus.

liam esse vulgus dicitant. Quis igitur qui idem non sit admodum fortis, tam multis accusatoribus sufficere poterit: vt vel ab illis prorsus non accusetur, vel accusatus crimine effugiat? Oportet enim primum te ne reum quidem esse, accusatoresque habere: deinde si id praestare nequaquam potes: diluenda sunt crimina, quae illi obiecerint. Quod si ne istud quidem facile erit, sed delectabunt quosdam temerariae, ac nulla causa subsistentes criminationes, tum demum generose ac fortiter animi doloribus huiusmodi occurrendum, resistendumque. Etenim qui merito incusatur, facile tulerit eum, a quo incusatur: quippe cum accusator minus quam conscientia ipsa infestus sit, efficitur, vt quoties ab ea, quae omnium molestissima est, deprehensus, conuictusque prius fuerimus, accusatores extraneos, tanquam mansuetiores facile postea patiamur. Porro qui nullius sibi culpe conscius est, dum iniuste accusatur, continuo ad iram propensus fertur, nec non animus facile despondet: nisi idem sic se prius animo comparauerit praeparaueritque, vt multorum insipientiam patientissime ferat. Fieri enim vix potest, vt qui se temere calumniam pati, atque inique damnari intelligit, non aliquo modo aduersus tantam hominum iniquitatem atque absurditatem commoueatur. Quorum autem hic enumerare attinet reliquas illas molestias, doloresque, quos tolerare episcopum oportet, dum necesse est amouere aliquem ab Ecclesiae caetera: quae atrocitas vtrina intra molestiam dolorumque consistat, ac non etiam perniciem non mediocrem afferat. Timendum enim est, ne ille forte ad iniustius supplicium adactus dolore immodico, quod beatus Paulus ait, abforbeat. Magna ergo diligentia hic opus est, ne dum prodesse illi cupis, maioris damni author sis: nam quaecumque ille post huiusmodi curationem peccata commiserit, futurum est vt horum singulorum poena cum medico illo communis sit, qui vulnus probe non incidit. Quam multa igitur supplicia episcopos manent, cum ex eis vnusquisque non solum rationem redditurus sit suorum delictorum: sed eorum item omnium, quae alij commiserint, ad extremum illos venire oporteat periculum? Nam si horremus, dum iudicium id nobis subeundum est, in quo peccatorum priorum rationem reddituri sumus: vt qui sentiamus, nos ignem illum aeternum effugere nequaquam posse: quid illi expectandum est, qui tam multorum nomine causas sit dicturus? Quod autem hoc verum sit, audi beatum Paulum, seu potius non Paulum, sed Christum Pauli ore loquentem: Parete iis qui praesunt vobis & concedite: nam illi vigilant pro animis vestris tanquam rationem redditori. Hicne exiguis tibi videtur comminationis terror? equidem illum quantus sit, verbis exprimere non possum. Vsq; adeo vt qui admodum etiam animo duri sint, ac qui se facile aliorum oratione persuaderi non patiantur, quae dixi abunde sufficiant, vt persuasum illis sit, nos neque fastu, atque contumacia, neque inani gloria adductos, sed tum nobis ipsis tantum timentes, tum rei ipsius magnitudinem emensos, fugae genus hoc quaesiuisse.

LIBER QVARTVS.



AE C Basilius cum audisset, paululum cunctatus: tu vero, inquit, si ad huiusmodi dignitate acquirendam studium intendisses tuum: mirum animi tui formido ista, ratione aliqua niteretur. Nam qui se idoneum ad munus alicuius functionem semel professus est, hoc ipso quod functionem eam studiose arripuerit, hic certe si quid post creditam

sibi muneris administrandi prouinciam aberrauerit, haudquaquam ad inficitiae pretextum confugere possit, vt qui antea accerserit, sibi ipse defensionem ademerit, vel ob id quod accerserit, quodque administrationem eam sibi rapuerit: tantum vt qui sponte, ac volens eò accesserit, iam non sermonem hunc usurpare possit: inuitus peccauit, inuitus illum aliquem perdidit. Dicit enim ad eum qui tum illi hac in causa iudex futurus est. Et quo tandem nomine, cum animi, consiliique tui vires pares non essent functioni huiusmodi inculpate pertractandae, aduolasti aususque es prouinciam humeris istis minime parem subire? quisnam, obsecro, te ad id coegit? quisnam vi te attraxit detrectatam fugientemque? Tu vero nihil tale vnquam auditurus es: neque enim possis delicti cuiusquam huiusmodi teipsum damnare, estque omnibus iam spectatum, te ne tantillum quidem laborauisse, vt honore hunc assequeris, sed aliorum potius officium beneficiumque id honoris tibi detulisse. Atque adeo quod illos delictorum veniam impetrare non patitur, hoc certe abundans tibi apologiae argumentum suppeditat. Ad hos sermones caput cum mouissem, sensimque arriuissem, hominis facilitatem simplicitatemque demiratus, hac ego ad ipsum oratione usus sum: Equidem optarim vir omnium optime, hac ita se habere vt dixit: idque non vt id muneris amplectar, quod iam detrectauit. Nam vt mihi etiam nullum propositum sit supplicium defunctorie, atque adeo imperite Christiani gregis administrationem gerenti, tamen omni supplicio grauius fuerit, si constaret me, cui tam excellens credita fuisset functio, pro eius dignitate qui credidisset, sustinere eam non posse. Quamobrem igitur optarim tuam istam opinionem nequaquam falsam, sed potius veram esse: Nempe vt miseris calamitosisque; (neque enim alio nomine ij digni sunt, qui recte non aspirarunt ad muneris istius praefecturam, vt millies tute eos dicas vi pertractos fuisse atque ignorantia peccasse) vt miseris, inquam, illis effugere liceat igne illum aeternum: exteriores tenebras, ac vermum nunquam emortuum: postremo vt ne dissecetur, ac perdit cum hypocritis partem habeant. Verum quid facias: certe longe aliter sese res habet. Ac si placet a regno primum, cuius quidem studium apud deum tanti non est, quanti est sacerdotij, verborum meorum fidem tibi faciam. Saül ille qui patrem Cis habuit, non suo ipse studio rex factus est, vt qui cum abiisset a finas peruehigatum, Prophetam super iis rogare coepit. At ille eum eo de regno locutus est. Porro Saül ne auditis quidem Prophetarum verbis, ad regni administrationem suscipiendam accurrendum sibi putauit, quinimo tergiversatus deprecatusque est, cum diceret: Quisnam ego sum? quae nam item patris mei domus? Quid tandem? Saülne posteaquam non recte honore sibi a deo delato usus est, potuere verba ista eximere ab eius ira, a quo rex creatus ipse fuerat? At qui liesbat illi aduersum Samuelem increpantem, insimulantemque verbis his vt: Num ad regnum ipse administrandum accuri? Num ad huius potestatis regimen profilij, atque aduolasti? Equidem in animo habui priuatam vitam viuere, quae tam istam quidem, ac molestis vacatam: tu vero ad hoc me dignitatis auctoritatisque pertraxisti. In illa ergo vitae humilitate, atque obscuritate versatus, facile offensiones huiusmodi deuittassem. Nam si ex vulgarium, atque ignobilium hominum numero vnus fuisset, mihi aduersus Amalechitas bellum deus non credidisset, quo mihi non credito peccatum huiusmodi nunquam perpetrasset. Verum hec,

CHRYS.

quae dixi, omnia ad defensionem sunt infirma, neque infirma tantum, sed etiam vsque adeo periculosa, vt deiram magis irritent. Eum enim, qui magistratum meritis suae maiorem assecutus est, vt errata ipse sua tueatur, defendatque, magistratus magnitudinem pretendere non oportet: quinimo in maiorem virtutis profectum magna illa dei erga se beneuolentia vt. Qui vero ob id peccandi licentiam sibi permittit, quod praestatori dignitate ornatus sit, certe nihil aliud quam dei benignitatem, peccatorum suorum auctoritate facere conatur: id quod solene quidem est impiis hominibus, iisque quorum vita in ignauia, ac socordia versatur. Nos autem sic animatos haudquaquam esse conuenit: neque in parē cum illis insaniam prolabi, sed omni ex parte operam dare, vt vigilantiam nostram omnem pro virili exhibeamus, bene vique de deo ominantes, nuntiantes, cogitantes. Neque enim Heli (vt misso regno ad sacerdotium, de quo nobis sermo, veniamus) studiose, ambitioseue dignitatem eam sibi parauit. Hoc ipsum igitur quid illi post delictum profuit? Et quid dico parauit? cum ne illi quidem id muneris detrectare per legis necessitatem fas fuerit: vt qui vnus esset ex tribu Leui, ac quae ipsum oporteret dignitatem eam, ad se iam a maiorum suorum retro origine descendente suscipere: qui idem tamen liberorum suorum petulantiae non mediocres poenas dedit. Iam quid dicas de primo illo Iudaeorum sacerdote, de quo tam multa eum Mose deus verba fecit? nonne hic posteaquam vnus non potuit tanti populi insaniam resistere, partem abstulit quin periret, nisi fratris patrociniū dei iram auertisset? Posteaquam vero Moysis mentione intulimus, consentaneum est ex iis, quae illi obuenerunt, orationis nostrae veritatem demonstrare. Hic quippe Moses vir vere beatus, tantum abstulit a rapida Iudaeorum praefectura, vt & oblatam recusaret, & deum etiam quod illi id iubenti non auscultaret, contra se irritaret. Quod quidem non solum id temporis fecit, verum & postea cum iam praefecturam eam administraret: qua vt explicaretur, lubes ē viuis decessisset. Quid igitur posteaquam ad aquam peccauit, potuere ne a se illa reculationes illum tutari, ac deo persuadere, vt veniam ei concederet? Quamā alia, quae de causa terra illa promissa priuatus est: certe non alia (quod quidem omnibus nobis notum est) quam ex peccato huiusmodi, propter quod viro illi admirando haudquaquam lieuit rebus iisdem potiri, quibus subditi eius potiri sunt. Quinimo post diuturnum tempus insumptum, post multas afflictiones, post immensum illum errorem, post bella ac trophaea permulta, procul ab ea terra mortuus est, cuius gratia tot tantosque labores sustinuerat: ac qui pelagi mala atque incōmoda grauisissima perpessus fuerat, portus tamē fructus nullos capere potuit. Vides vt iam nulla peccatorum excusatio relicta sit, non solum iis qui rapiunt, sed ne iis quidem qui alieno studio huc euehantur? Nam vbi qui vel deo decernente, eligenteque saepenumero honorem ipsum recusauerunt, tantas tamen poenas luerunt, ac nihil quicquam a periculo huiusmodi eximere potuit, neque Aaron, neque Heli, neque virum illum per beatum, sanctum, prophetam, admirandum, mortaliū omnium humanissimum, eundemque quasi amicum quendam cum deo colloquentem: mirum vix nobis, qui ab illius virtute tantum absumus, satis esse ad defensionem poterit, eosēcios esse nobis ipsi, quod ad honorem eiusmodi nullo ipsi studio, nulla ambitione aspirauerimus: idque eò etiam magis, quod ex his ipsi electionibus plerisque humano studio acceptas referre non

re non oportet. Iudam deus elegit, eundemque in sacrosanctum illud cooptauit collegium, dignitate Apostolica vnā cum aliis ornatum, cui etiam maius quiddam quam aliis dedit, pecuniarum dispensationem. Quid igitur? Num posteaquam duabus illis praerogatiuis contra quam debuit usus est, tum eo quem praedicandum susceperat prodito, tum pecuniis (illi hoc nomine creditis, vt recte eas administraret) male impensis, impunitate donatus abiit? Certe hoc potissimum nomine grauius sibi accersuit supplicium: idque perquam merito. Neque enim praerogatiuis a deo acceptis sic abuti decet, vt per eas deum offendas: quinimo vt magis ac magis deo acceptus fias. Caterum qui hoc nomine, quod alios honore aliquo excellat, pro delictis poenam committentibus venia dignum se esse censet: perinde facit, vt si quis ex infidelibus Iudaeis Christum audiens sic loquentem, Nisi venissem, eisque locutus fuisset, peccatum non haberet: ipsum seruatore optime de humano genere meritum his verbis increpet infimuletque: Tu vero cur venisti, ac locutus es? cur & signa fecisti, vt grauioribus in nos suppliciis animaduertes? At vero demetiae ac summae adeo insaniae verba haec: neque enim medicus, vt te magis condemnaret, curatum accessit, sed vt profusus a morbo liberaret. Te autem vltro ipse ab illius manibus summoisti. Igitur & grauius supplicium sustineto: nam quemadmodum si curationi paruisses, futurum erat, vt a pristinis morbis peccatisque liberareris: sic quandoquidem medicum, quem praesentem habuisti, auersatus es, iam non peccata illa abstergere potes. Quod autem id nequaquam possis, propterea horum certe poenas dabis. Idque eo magis quod medicus, quod quidem ad te spectat, studium operamque suam perdidit: quibus de causis efficitur, vt non pares communisque poenae ex sint, quas ante dignitatem a deo acceptam damus, cum iis quas dignitate iam accepta luere cogimur. Hic enim longe grauius, quam illic plectimur. Etenim quem beneficia accepta meliore non reddunt, is certe etiam grauius supplicium committetur. Itaque cum defensio huiusmodi iam non satis firma esse videatur, ac non solum eos non tueatur qui ad eam confugiunt, sed magis etiam prodat: mirum aliud nobis praesidium inueniendum, quo nos tueamur ipsi. Qualem nam, quae, futurum hoc est praesidium (Bassilius inquit) quandoquidem apud me iam esse ipse non possum, tantum mihi terroris, ac formidinis tua istae verba incusserunt. Ne te, inquam, obsecro atque obtestor, ne te ipse eò vsque deiicias: est enim, est certe praesidium: si qui scilicet infirmi sumus, eò nunquam descendamus. Rursum si qui firmi ac valentes estis, salutis vestrae spes non alibi sitas habeatis post gratiam a deo acceptam, quam vt nihil committatis, quod indignum esse possit tum munere, tum deo muneris ipsius largitore. Maxime autem puniendi illi fuerint, qui post eum honorem studio atque ambitione adeptum, vel per ignauiam, vel per maliciam, vel per imperitiam re ipsa non recte vtuntur. Neque vero propterea paratam veniam esse dixerim iis qui nulla sua ambitione dignitatem eam obtinuerint: nam ne illis quidem quicquam relicta est excusationis defensionisque locus. Decere enim arbitror vel si te eò sexcenti vocent, atque adeo cogant, non illos spectare: verum animi tui dotes prius examinare, viresque tuas omnes exacte perscrutari: atque ita demum cogentibus cedere. Iam domum se aliquam adificaturum polliceri nemo audeat, qui idem architectus non sit: neque agrotantia contingere corpora quicquam

Ioh. 15.

BASIL.

CHRYS.

Tomus quintus.

aggrediatur, qui medicinam non didicerit: quinimo vel pluribus vim afferentibus deprecabitur, neque eum suae pudebit ignorantiae. Cui autem tam multarum animarum cura credenda sit, is non prius se ipsum examinet, quin potius, vel omnium imperitissimus, munus ipsum suscipiet, posteaquam vel ille iubet, vel ille cogit, atque adeo vt ne illum offendat? Et quoniam ille pacto sese vna cum illis in praesentaneum non conicit periculum? Nam cum illi liceat vt se ipse per se seruet, nimirum & alios secum perditos perdit. Vnde enim speranda salus? Vnde venia expectanda? quinā tum nobis interuenij, deprecatoresque existent? illi ipsi fortasse, qui nunc nos cogunt, & ad necessitatem adigunt? Hocse vero quis per id tempus seruaturus est? siquidem ipsi deprecatoribus indigent, vt ignis aeterni supplicio deuitent. Quod porro hoc dicā, non quò terream, sed vt rem ita, vt vere se habet, edoceam, auscultate quid beatus Paulus ad Timotheum dilectum, ac vere germanū filium scribat: Manus cito ne cui imponas, neque communices cum peccatis alienis. Intelligis ne quanto non crimine modo sed & supplicio (quod quidem in nobis fuit) eos liberauerimus, qui nos eò honoris perducturi fuerant? Nā sicuti iis, quid ad id dignitatis electi ab aliis fuerint; non satis est defensionem hanc afferre: volūtarius ipse ad huiusmodi munus administrandum non accessit: atque ideo sanē non aufugi, quod non praesens fore vt eligeret. Sic neque eos qui elegerint, subleuare quicquam poterit, si dixerint ignorasse se eum quē elegere. Verum vel hoc ipso crimine grauius efficitur, quod quem ignorauerunt, perduxerint: ac certe quae illis videtur excusatio, accusationem auget. Nam qui id absurdum non sit, eos qui mancipium aliquod empturiunt, id tum medicis ostendere, tum emptoris sponsores postulare, tum vicinos interrogare, ac ne tum quidem adhuc confidere, quinimo & diuturnum aliquod tempus poscere, intra quod probare illud possint: eos vero qui quēpiam ad episcopale munus huiusmodi cooptaturi sunt, si cui placitum sit ad aliorum, vel gratiam, vel inuidiam testimonium suum accommodare, ita eum temere atque vt casus tulit adlegere nulla prorsus alia discussione facta? Quis igitur nos tum deposcet, atque a noxa eximet: cum praesertim qui patrocinari nobis debet, patronis ipsi indigeant? Proinde illum oportet, qui aliquem electurus sit, rem diligenter admodum expendere, sed multo etiā diligentius cum qui eligendus proponitur. Tametsi enim illi peccatorum suorum supplicium commune est cum iis a quibus electus est, tamen ne ipse quidem hac ratione supplicium euadit: quod quidem & grauius ferret, nisi si electores rem confecerint morbo aliquo humano victi, reclamante etiam ipsorum conscientia, neque secuti quod illa dictabat honestius esse. Nam si in eiusmodi delicto deprehensi illi fuerint, & quem indignum esse certo scirent, per causam tamē aliquam elegerint: vtrique illi pari digni sunt supplicio. Fortasse autem & maius supplicium illum manet qui sponte adlegerit minime idoneum. Qui enim potestatem facit volenti Ecclesiam corrumpere, is certe auctor fuerit eorum omnium quae perdit illius audacia turbauerit. Qui si nulli rei earum, quas dixi, obnoxius fuerit, sibi vero a vulgi opinione fucum fuisse factum dicat, ne sic quidem impune tulerit, sed paulo tamen leuiores poenas dabit, quod daturus sit, qui ab ipso electus est. Quid ita? Nepe quod verisimile videri potest eos, qui elegerunt, a falsa aliqua opinione deceptos ad danda suffragia descendiisse. Qui vero electus est, dicere vtique non queat, se sibi vt & aliis

1. Tim. 5.

p. iij. fuisse

fuisse incognitum. Igitur sicuti is de quo grauius supplicium, quam de iis à quibus ascitus, productusque est sume dum sita debet sui ipse periculum accuratius quam illi facere, ac si eum illi ignorantes traxerint, illis obuiam ire, docereque diligenter causas eas, per quas tū illi ab errore desistat, tum se ipse functione illa indignum cum ostenderit, tantarum rerum molem effugiat. Quamobrem enim sit, vt de militia, de mercatura, de agricultura, ceterarumque ad humanum victum pertinentium rerum ratione deliberatio inennda cum sit, neque agricola navigationem, neque miles agriculturam, neque gubernator militiam suscipiat, etiam si mortē illis millies cōmineris? Nempe propterea quōd illorum vnusquisque prospicit nepe, vt periculum sibi ab imperitia artis incognita imminet. Itāne ergo, vbi modicis in rebus periclitamur, tanta ipsi vtremur prouidentia, neque cogentium nos violentiā parēdum esse putabimus: vbi vero æternum illos manet supplicium, qui episcopatus administrationem iuste prestare nescierint, temere atque vt ea sus tulerit in tantum nos cōiciemus periculum, alienæ violentiæ causam oppositentes? Atqui rationem huiusmodi admittitur haudquaquam est, qui causā istius iudicem aget. Decebat enim multo maiorem cautionem ac prouisionem spiritualium rerum, quam carnaliū prestare. Hic vero ne parem quidem nos exhibere cōstat. Etenim quæro ex te, si quem suspicamus fabrum esse, ad opus vocemus, sequaturque ipse: deinde manus admouēs materiam ad ædificandum paratā, ligna itēque & lapides auertat, opus autem sic eoagmetet, sic domum ædificet, vt statim collapsura ea sit, num ille sese abunde hac defensione tutaturus est, si dixerit, ab aliis se coactum, nō etiam vltro ad ædificandum accessisse. Certe nequaquam, idque iure optimo: oportebat enim vel aliis ad id vocantibus pedem referre ac tergiuersari. Itāne vero qui ligna ac lapides auertit faber, huic nullus prorsus suffugij locus, quo minus pœnas pēdat: qui vero animas negligenter ædificās perdiderit, hiccine alienam vim, abundans sibi suffugium præsidiumque putabit? & quod pacto non valde ineptum atque absurdum? nōdum enim adici, nolentem à nemine compelli posse: sed & ipsum volo vim fuisse immodicam perpersum, artibusque variis circumseptum, vt in retia caderet. Hoccine igitur illum à supplicio eximet: ne obsecro, ne eō vſque nobis imponamus, neque simulemus ignorare nos ea, quæ vel admodum pueris nota esse possunt: reuera enim cum rationis reddendæ tempus aderit, ignoratiæ simulatio hæc nihil nobis allatura est præsidij. Principatū huiusmodi nihil ipse ambiuisti, imbecillitatis tuæ cōsciūs? Probe id ac recte. Oportebat ergo cum eodem hoc consilio vocantibus etiam aliis tergiuersari. An ne cum te nullus vocaret, imbecillus tu, ac minime idoneus eras: vbi primam vero comperti sunt qui honorē ad te deferrent, derēpente in valētem atque idoneum euasisti? Certe huiusmodi res deridicula prorsus ac nugatoria est, eadēque extremo etiam supplicio digna. Nam hac vna de causā dominus admonet, ne qui turrim ædificaturus est, fundamentum prius iaciat, quam suas vires expendat: ne qui illac transituri sunt, iis infanti ludibrij ac risus ansam in se præbeat. Atqui illius multa sese intra derisum cōtinet, cum hic supplicium sit ignis æternus, vermis nunquam emoriturus, detium stridor, extremæ tenebræ, dissecari atque in hypocritarum ordine cogi: quorum tamen omnium nihil ij expendere volunt, qui factum nostrum accusant. Id quod si facerent, profecto cessaturos tandem putauerim, ab eo

452
accusando, qui se temere ac nulla causā perire noluerit. Nobis quidem haudquaquam nunc res est de frumēto hordeōve dispensando, de bobus quibusve pascendis, aut aliis id genus rebus distrahēdis: sed de ipomet corpore Iesu curando. Christi enim Ecclesia, ex beati Pauli verbis Christi corpus est. At certe eū conuenit, cui creditum corpus id fuerit, ipsum illud tum ad multam honestatem, tum ad pulchritudinem incredibilem perpolire, vndique circumspectentem, necubi macula, aut ruga, aut nequus, viciūve aliquod huiusmodi, pulchritudinem honestatēque illam labefactet. Et quidnam aliud prestare oportet, quam vt capite illo immortali ac beato, quod ipsi superpositum est corpus ipsum pro humanarum virium captu, dignum efficiat? Nam si qui suum corpus ad athleticam habitudinem cura adhibita componūt, iis necessarius est vſus & medicorum, & pædrotibarum, & temperatē diætæ, & exercitationis assidua & infinita adeo obseruationis (etenim minimus quisque rerum illarum cōtemptus, labefactare omnia, atque euertere potest) quibus forte obtigit Christi corpus hoc quod dico curadum (cuius quidem exercitatio non corpora ipsa, sed inuisibiles potētias spectat) ij quibusnam artibus cōseruare illud syncerum atque incolumē poterunt, nisi omnifariam animæ curationē congruant, conuenientem, atque humana virtute longe superiorem calluerint? An ignoras corpus id quod dico pluribus tum morbis, tum insidiis obnoxium esse, quam caro nostra hæc obnoxia sit? Itemque & celerius corrūpi, & ægrius sanari? Certe humana corpora curantibus, diuersa suppetunt medicamenta. Itemque & instrumentorum adparatus varij, & sibi ægrotantibus congrui: plerūque autem & sola æris natura satis fuerit ad sanitatem laboranti restituendam: alias etiam somnus qui oportune obrepserit, medicum ipsum labore omni leuat liberatque. At vero hic nihil huiusmodi comminisci licet, sed vna quædam post operum præstationē ars accuratioris via tenenda sequendaque est: nepe per sermonem euangelicum doctrina. Siquidem hoc demum instrumentum est, hoc cibus, hoc æris temperamentum optimum, hoc medicamentum instar, hoc ignis loco, hoc ferri vice: ac si vel vrere vel secare opus, hoc ipso vti necesse: atque hoc si nihil profuerit, reliqua omnia euania pereant oportet. Hoc & iacentem animam suscitamus, & tumescētē compeſcimus: hoc & superuacanea amputamus, & quæ desunt supplemus, ceteraque omnia conficimus, quæ ad animi conferunt incolumitatē. Ac sanē vt vitam quam optime constitutas, alterius hominis vita te ad idē exemplum æmulationemque parem pertrahere possit. At cum humanus animus decretorū minime verorum, sententiarumque à fide abhorrentium morbis laborauerit, hic demum euangelici sermonis vſus magnopere necessarius, non solum vt qui tibi domestici sunt, robores atque cōfirmes: verum etiam vt cum externis bellum geras, ac manus conseras. Nam si quis armatus foret tum spiritus gladio tum fidei scuto, eō vſque vt miracula edere, & per miraculorum editionem, impudētium maledicorumque hominum ora obturare possit, huic certe euangelici sermonis præsidij nihil opus fuerit: quin potius ne tum quidem sermonis vſus inutilis est, sed admodū necessarius. Quando & beatus Paulus ab eo non abhorruit, tamesi à signis editis vbique in admiratione habitus. Et alius quidam ex Apostolis vnus hortatur vt huiusmodi sermonis vim studiose amplectamur, inquit: Parati semper sitis ad respondendum cuiuslibet petenti, vt loquamini

mini de ea que in vobis est spe. Atque adeo vniuersi Apostoli, cū vnā essent, nullo alio nomine, Stephano eiusque collegis viduas regendas cōmiserunt, nisi vt in eiusdem sermonis ministerio versarentur. Veruntamen si contigerit nos aliquid posse in signis per nos edēdis, sermonis huius studio non æquē erit nobis inuigilandum. Sin ne vllum quidem virtutis illius vestigium in nobis relictū est, ac multi vndique assidue imminent aduersarij: superest necessarium vt nos hoc sermone armemus muniamusque, simul vt ne aduersariorum telis feriamur, simul vt illos feriamus: Quapropter ingēs adhibere studium oportet, vt Christi sermo in nobis largiter inhabitet: neque enim nobis pugna species vna parata est, sed bellum nobis varium ac multiplex propositū, variis multiplicibusque aduersariis constans atque instructum, qui ipsi neque iisdē armis vtuntur omnes, neque vno eodēque nos artificio adoriri meditantur, eumque oportet, qui cū illis omnibus prælio decertaturus sit, omnium artes notas habere, eundemque & sagittarium, & funditorem, & centurionem, & manipuli ductorem, & militem, & ducem, & peditem, & equitē, & naualis & muralis pugnae peritum esse. Etenim in militaribus præliis quod quisque opus peragendum susceperit, hoc adoriētes hostes defendit. At hic haudquaquam sic se res habet: nisi enim qui victoriam reportaturus est, dimicandi artes ad vnam omnes sigillatim percalluerit, nouit diabolus vel parte vna aliqua, si ea fortē neglecta fuerit, piratis prædonibusque suis introductis pecudes diripere. At non ita vsuuenit, cum pastorem ille senserit omni sciētia esse præditum atque instructum, insidiarumque omnium suarum probe gnarum. Qua de causa omnibus nos ex partibus munitissimos esse oportet. Nam & ciuitas quandiu muro vndique cinctā est, eos irridet à quibus obidetur, præsidio illo tutissima: vbi vero quis murū diruerit ad portulam tantum magnitudinem, tum longe illi abest septi præsidium, etiam si firmum alioqui ac tutum illud maneat. Haud aliter igitur & dei ciuitas, dum ipsam vndique pro muro pastoris solertia atque prudentia cingit, aduersariis suæ omnes machine, artesque in opprobrium risumque cedunt euaduntque: qui eam incolunt indemnes atque illæsi: si autem eā parte aliqua demoliri quis possit, vt vniuersam non diruerit, à parte totum, vt sic dicam, labefactatur. Quid enim profuerit aduersus gētiles viriliter aliquem dimicare, si illum populentur Iudæi? Quid item de ambobus his victoriam reportare, si Manichæi illum deprædentur? Atque adeo vel his superatis, si qui dicunt fato omnia regi, pecudes intus iugulent? Et quid hic opus est omnes diaboli hæreses sectasque connumerare? certe nisi omnes eas pastor recte nouerit propulsare, poterit lupus vel per vnā ex istantibus, bonam pecudum partem deuorare. Iā in bellis militaribus ab iis qui stant, ac depugnant fore cum victoriam, tum cladem expectandum semper est. Hic vero res longe in contrarium cedit. Persæpe enim vsuuenit, vt pugna aduersus alios cæpta, ad eos qui prorsus non congressi fuerint, quique nihil omnino pulueris bellici haulerint, quiescentes sedētesque victoriam deferat: tum vt qui in iis non magnopere exercitatus fuerit, proprio ipse gladio confossus & amicis & hostibus ludibrio sit: Verbi gratia (periclitabor enim tibi id exemplo planū facere quod dico) Legem quā Moses à deo accepit, qui Valentini ac Marcionis insanum dogma tanquam per manus traditū accepere, atque adeo quicūque eadē cū illis sentiunt, de sacrorum scriptorum catalogo delēt. Rursus illa eadem Iudæis tam sacrosancta est, vt con-

tendant, tempore etiam id iam vetante, nihil in ea esse quod obseruari non debeat, præter diuinum etiam placitum. At dei Ecclesia vtrorumque intemperantiam vitans, mediam viam secuta est: quæ neque censet collum illius iugo submitendum: neque patitur vt illam calumneris. Sed vel exoletam laudat, quod ea scilicet ad tempus vsu atque vtilitate pepererit. Oportere igitur putato eum qui aduersus vtroque libet depugnaturus sit, modū huiusmodi adhibere. Nam si Iudæos docere volens, in tepestiue nunc veteris legis ceremoniis impediri, acriter increpitare atque inculcare illam cœperit, nimirum hæreticis oblatrare volentibus ansam nō mediocrem dederit: qui si huiusmodi hæreticorū ora obturare volēs veterem legē laudibus extulerit immodicis, eam tanquam hodie quoque necessariam commendans, fiet vt Iudæis ora laxet. Rursus qui Sabellij insaniā insaniunt, ac quos Arrij rabies inuauit, ij quod modū minime seruari, à sana vtrique fide prolapsi sunt: qui iisdē Christianum etiam nomen obtinēt. At si dogmata examines, alteros inuenies Iudæis nihilo meliores sanioresve, nisi quatenus appellatione tantum inter se differunt: alteros maxime conuenire cum Pauli Samoſatēsis hæresi: ceterum vtroque longe à veritatis tramite aberrare. Magnum igitur hic periculū, arctaque & angusta via, præcipitijs vtrique intercepta: verendumque maxime, ne alterum dū ferire vis, ab altero vulnus accipias. Etenim si quis deitatem vnam posuerit, hic Sabellius cōtinuo debacchabitur, vocem hæc ad suam insaniā impietatemque pertracturus. Sin vero diuisione quis facta alium patrem, alium filium, alium esse spiritum sanctū dixerit, hic instabit Arrius, in diuersitatem essentię, personarum differentiam trahens. Fugiēda vero auerſandaque est tum illius impia confusio, tum huius insana diuio, ita vt patris, filij, ac spiritus sancti deitatem vnam fateamur, personas quas vocant hypostaseis tres addētes. Hac enim ratione vtrorumque incursionem, quasi vallo obiecto impedire poterimus. Sunt item & alij congressus insultusque permulti, quos hic colligere possemus, aduersum quos nisi diligenter fortique animo decertaueris, fiet vt pugna decedas vulneribus confossus innumeris. Iam quis numerare queat domesticorum nugæ atque contētionem? quæ quidem externis insultibus inferiores cum non sint, maiorem etiam ei qui docere illos velit, sudorē pariunt. Sunt enim alij, quibus præ curiositatis studio temere ac nullo cum consilio solite indagare ac scrutari ea placet, quæ neque facile disci possunt, neque iis vtilia esse, qui ita edocti fuerint. Alij rursus iudiciorum diuinorum rationes ab eo postulāt, conati abyssum illam magnam dimetiri. Iudicia enim tua (inquit ille) abyssus multa. Item fidei, ac vitæ institutionis paucos ac modum inuenias studiosos: plures autem curiose ea indagantes exquirentesque, quæ nequaquam inuenire queas, quorum item exquisitio deum etiam irritat: nam quoties quæ ille noluit nos scire, ediscere conamur, ea ipsi neque sciēmus, (quæ enim deo id nolēte) & periculum vel ex ipsa tantum indagatione ad extremum reportabimus. Atque hæc cum ita sint, tamē cum quis auctoritate interpolata huiusmodi curiosorum hominum ora obstruxerit: iis sibi tum arrogantiæ, tum inscitæ notam inurit. Qua de causa antistitem magnam huc adhibere prudentiam oportet, vt tum illos ab huiusmodi quæstionibus abducatur, tū eas quas dixi criminationes à se amoliat. Ceterum aduersus hæc omnia nullum aliud quam euangelici sermonis suppetit auxilium: qua facultate si antistes spoliatus fuerit, fiet, vt eo-

BASIL.

CHRYS.

rum animæ qui illi subditi fuerint (de iis loquor qui infirmiores curiosioresque sunt) nihilo melius sese habeant, quam naues ex, quas assidua maris tempestas exagitat. Quamobrem episcopum oportet nihil non agere, ut sibi facultatem hanc cõparet. Atque hic Basilius: Quid igitur, inquit, Paulus ille facultatis huius sibi parãdã stu diosus nequaquam fuit? qui ne eloquentiæ quidem in opiam dissimulat, sed aperte idiotam se esse proficitur. Idque tum maxime cum ad Corinthios scribit viros ab eloquentia, in qua magnopere sibi placerent, claros atque illustres. Hoc ipsum, inquam, hoc ipsum certe est, quod plerosque perdidit, remissioresque ad verã doctrinã studium reddidit. Etenim cum non possent illi Apostolica mentis altitudinem exacte rimari, neque verborum sensum capere: totius ætatis tẽpus consumpsere in somnolentiã atque oscitantia, insciam eam amplexati, non quam sibi ipse Paulus tribuit, verum à qua tanto ille absuit intervallo, quanto non alius quisquam eorum omnium hominum qui sub cœlo hoc viuunt, abesse potest. Caterum propositum hoc aliquantisper à nobis intermittatur. Interim autẽ illud dicam: Sit nobis Paulus ex ea quidem parte idiota, qua tenus illi iidem eum faciunt. Quid tum, si illum contuleris cum nostrã ætatis hominibus? Etenim facultatem ille obtinuit, orationis facultate multo præstantiorem, ac longe potentiorẽ. Ostendens enim sese tantum, ac tacens, dæmonibus formidabilis erat. Nostri omnes si vnum in locum simul conuenerint cum infinitis tũ precibus, tum lachrymis, nunquam certe tantum possint, quãtum olim Pauli semicincta potuere. Paulus quidem precib⁹ mortuos suscitauit, præterea miracula alia edidit tam multa, ut apud externos pro deo haberetur: atque antequam vitam cum morte commutasset, dignus habitus est, qui vsque ad tertium cœlum raperetur, verborumque particeps fieret, quæ humanam naturã audire nequaquam fas est. At qui hodie viuunt homines, sed nihil ego eloqui possum quod molestum inuidiosumque sit. Neque enim hæc dico, quod memoriã nostrã hominibus insultem, sed quod admirer, quo pacto non perhorrescant, dum sese cum tali viro conferunt. Nã si miraculis omisissis ad illius vitam descendimus, eiusdemque mores ac studium vere angelicũ excusserimus, per hoc demum Christi athletã magis quam per miracula victoriã reportare videbis. Quorsum enim dicere attinet zelum, mansuetudinem, continentia pericula, frequentes curas, perpetuas animi sollicitudines Ecclesiarũ causa susceptas, commiserationẽ affectumque in languẽtes agrotãtesque, afflictiones permultas, alias atque alias persecutiones, quotidianas mortes? Quis enim locus or bis vniuersi, quæ cõtinens, quod mare iusti illius certamina ignorauit? Illũ vel deserta atque inhospita tellus cognouit, atque adeo periclitãtem identidem hospitiõ excepit. Nam & insidiarũ genera omnia pertulit, & nullum non victoriã modum expertus est, ut in decertando indefessus, ita & in reportanda victoriã corona cõtinuus. Sed eni nescio quo pacto eò ipse perductus sum, ut tãti viri laudes oratione mea eleuarem magis quam exornarem. Eximia enim illius facinora ut omniũ orationem accedunt, ita nostram tantum superant, quantum ab iis relinquimur, qui dicendi facultate in primis excellunt. Atqui ne sic quidẽ (neque enim euentu, sed animo potius consilium nostrum ille metitur) superfedebõ, donec elocutus id fuero, quod tanto est iis quæ dixi præstantius, quanto ille mortalibus omnibus excellentior. Hoc igitur quid est? Certe post tãta multa egregia

facinora, post innumeras coronas, in gehennam detru di, & æterno tradi supplicio optauit, ut Iudæos qui ipsum crebro tum lapidarant, tum etiam quantum in ipsis erat interfecerant, serualet, & Christo lucrifaceret: quis mortalium sic Christum desiderauit, si modo desiderium hoc appellandum est, ac nõ potius aliud quiddam desiderio maius? Etiamne igitur nos ipsos cum illo conferemus: idque post tantam gratiam quam partim cœlitus accepit, partim ex se ipse præstitit? Hoc vero quidnam esse queat audacius, ac temerarium magis? Atque quod vnum reliquum est, Paulum sic idiotã nequaquam fuisse, ut isti existimant, id iam commõstrare aggrediar. Isti enim non eo modo qui in peregrinã ac profanã eloquentiã præstigijs tyrocinium non posuerit, sed etiam eum qui pro tuendo veritatis dogmate depugnare nesciat, idiotam appellant: & recte id quidem. At Paulus non utrobique idiotã se proficitur, sed in horum altero distinxit. Id quod dum confirmaret, rem diligenter admodum diffiniuit: oratione non etiã cognitione idiotam se appellat. Et certe si hæc exigere vellemus Isocratis tersum laurore, Demosthenis amplam sublimitatem, Thucydidis verendam maiestãtẽ, Platonis excellentem dignitatem, Pauli testimonium hoc adductum esse oporteret. Nũc vero, si placet, omnia illa præmittentes, ac peregrinã eloquentiã or natum ut superuacaneum ducentes, dictionem, enunciationemque negligamus: ac nobis orationis paupertatem sic permittamus, ut rerum verborumque compositio nuda nobis ac simplex sit: modo ne quis in cognitione, atque adeo in dogmatibus diligenter excutiẽdis idiotam se præstet: neque quo suam ipsius ignauiam protegat, Paulum illum beatum ornatu suo maximo, tum laude quæ in eo summa est, dispoliet. Vndẽnam enim, obsecro, Iudæos eos, qui Damascum incolerent, confudit, signis miraculisque; ab eo nondum captis? Vnde Græcos idem supplantauit? Quamobrem autem Tharsum relegatus est: nõne id factum est, posteaquam vi dicendi victor ille euasit: sic, ut cum victos se illi ferre non possent, ad illius cædem inflammati ferrentur? Nondum enim miracula edere cõperat. Neque vero dicere quis possit: Paulum ab editorum miraculorum gloria, apud multitudinem in admiratione habitum: eosque qui cum eo congrederentur ab ipsius fuisse existimatione oppressos. Ad id enim vsque tempus non nisi ab eloquentia victoriã de aduersariis reportabat. Aduersus eos autem qui Iudaismum sequi in Antiochia cepissent, quibus auxiliis pugnavit disputauitque? Rursum Areopagita ille superstitionis ciuitatis illius ciuis, nõne vnã cum vxore, audita tantum Pauli concione illum secutus est? Eutychus vero quo modo de fenestra delapsus est: nõne posteaquam vsque ad multam noctem Pauli docentis orationi intentus operam dedit? Quid vero in Thessalonica atque Corintho, quid in Epheso & in ipsa Roma, nõne totos dies totaque noctes insump sit, dum diuinas scripturas ordine exponeret? Iã quorsum percerere opus est disputationes eas, quas cum Epicureis Stoicisque palã habuit? Nam si hæc omnia referre velim, profecto noster sermo in magnam sese longitudinem producat. Cum igitur Paulum constet ante miraculorum editionem, tum in medijs ipsis miraculis magnam adhibuisse eloquentiam: qua fronte iam sustinebũt idiotam illum vocare, cuius magna fuit apud omnes qua disputantis, qua concionantis admiratio? Quamobrem enim Lycaones ipsum Mercurium esse suspicati sunt? Nam quod Barnabam ac Paulum

1. Cor. 10.

2. Tim. 4.

Tit. 1.

lum deos esse crederent, id à signis editis fiebat. Quod autem Paulum Mercurium esse vellent, id iam non à signis, sed ab eloquentia nascebatur. Quam autem re prærogatiuã ille vere beatus vir inter ceteros apostolos obtinuit? Vnde item per vniuersum terrarũ orbẽ multus in omnium mortalium ore versatur? Vnde noni apud nos modo, sed etiam apud Iudæos, ac gẽtiles in primis admirationi est: nõne ab epistolarum facultate ac virtute: per quam non eos tãtum qui id temporis in Christum crederent, sed eos quoque qui ab eo tempore in hunc vsque diem credidere, ac qui postea credituri sunt (tantisper dum ille de vnoquoque iudicaturus aduen erit) adiuuit, adiuturusque est? Id quod facere nunquã cessabit, donec mortale gẽnus duraturum est. Cuius certẽ scripta instar muri ex adamante constructi omnes orbis vniuersi ecclesiãs quouis in loco positas circumualant. Idẽmque illi fortissimi ac generosissimi bellatoris exemplo medius etiam nunc stat, captiuam ducens omnem cogitationem ad obediendum Christo: itemque & consilia celsitudinemque omnem aduersus dei cognitionem sese extollentẽ demolliens: quæ omnia ille perfecit per illas ipsas quas nobis reliquit epistolas admirabiles, easdemque diuina sapientia refertas. Sunt autẽ Pauli scripta nobis accommoda, non solum ut notha atque adulterina à nobis dogmata amoliamur, veris que ac germanis nos muniamus, sed etiam ad bene beateque viuendum maximopere conducẽtia. Horum enim antistites etiam hodierni vsu ac præsidio castam virginẽ quam ille Christo adaptauit, desponditque, cõcinnatam deformatamque: ad spiritualem venustatem pulchritudinemque perducunt. His item simul irruentes in illã morbos propulsant, simul presentẽ conseruant incolumitatem. Talia sunt ea ipsa medicamina, quæ nobis idiota ille reliquit, ac tãtas certẽ illa vires obtinent: quorũ quidẽ experientiam probe admodum norunt qui assiduum eorum vsũ adhibent. Atque ex his quidem liquido constat Paulum non mediocre his in studiis operam collocasse. Tu vero audi præterea, quibus ille verbis discipulum suum hortetur: Lectioni, inquit, operam dato, exhortationi, doctrinã: quarum rerum & fructũ addit, quum ait: Nam si id feceris, te ipsum seruabis, & eos qui te audierint. Ac rursus: Seruũ domini non oportet pugnare, sed placidum esse erga omnes, propensum ad docendum, tolerantem malos cum mansuetudine. Ac progressus ait: At tu persistito in iis, quæ didicisti, & quæ tibi cõcredita sunt, sciens à quo didiceris, & quod à puero sacras literas noueris, quæ te possunt eruditum reddere. Ac rursus: Omnis scriptura diuinitus inspirata, & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in iusticia: ut integer sit dei homo ad omne opus bonum apparatus. Audi autem quæ ille addat, dum cum Tito de episcoporum constitutione disserit: Oportet enim, inquit, episcopum tenacem esse eius, qui secundum doctrinam est, fidelis sermonis, ut potens sit etiam exhortari per doctrinam sanam, ac contradicentes conuincere. Quo igitur modo qui sic idiota erit, ut hi esse volunt, contradicentes conuincere, eorumque ora obturare poterit? Quorsum vero opus est operam nauare lectioni, ac scripturis, si ea nobis imperitia amplexanda est? Crede mihi, nihil aliud esse omnia ista possunt quam excusationes quardã, quam foci cordiã atque pigriciẽ tituli ac pretextus. At vero, inquires, episcopis hæc Paulus præcipit. Et nobis sanẽ de episcopis sermo habetur. Quod autem ea etiam subditis præcepta sint, audi rursus quid Paulus in alia

quadam epistola alios commonesciat: Sermo Christi inhabitet in vobis opulente cum omni sapientia. Ac rursus: Sermo vester semper cum gratia sit sale conditus, ut sciatis quod modo oporteat vos vniciueque respondere. Iam id quod Petrus vult, ut parati scilicet simus ad respondendum, omnibus quidem præceptum est. Paulus item ad Thessalonicenses scribens: Aedificetis, inquit, singuli singulos, sicut & facitis. Quum autem de sacerdotibus verba facit, Qui bene præstunt, inquit, presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime ij qui laborant in sermone ac doctrina. Hic enim demum doctrinã terminus consummatissimus, quum sacerdotes tum factis, tum verbis eos, quos erudiunt, ad beatã illam vitam à Christo institutam conducunt. Neque enim nuda facta satis sunt ad hoc ut alios edoceas, nisi & cum his verba accedant: quæ vox non mea est, sed seruatoris nostri Iesu. Quisquis enim, inquit, fecerit simul ac docuerit, hic magnus vocabitur: quod si is qui facit, idem & doceret: superuacaneum certe id foret, quod secundum additum est: dixisse enim satis erat, quisquis fecerit tantum. Itaque quod vtraque illa distinxerit, ostendit alias esse operum partes, alias sermonis, atque vtrunque alterius subsidio indigere ad consummatam ædificationem. An non audis, quid Ephesiorum presbyteris scribat Christi organum illud electum? Propter quod vigilate, inquit, memores, quod per triennium nocte ac die nõ cessauerim cum lachrymis monere vnumquemque vestrum. Quis enim vel la chrymarum, vel commonesciat per verba præstata vsus, vita in eo apostolica sic radiante? Certe ut mar data obserues, possit vita huiusmodi magna ex parte conferre: neque enim illi, quicquid belle ac præclare gestum fuerit, cõtinuo soli acceptum retulerim. Quum autem de dogmatibus exortum fuerit certamen, depugnãntque omnes ab iisdem scripturis, quamnam hic vitæ exemplum facultatem præstare, quamnam vim exhibere poterit: quidnam vero utilitatis sudores permulti allaturi sunt, quum vel post labores illos exhaustos, à crassa quadam inscitia in hæresim quis delapsus, ab ecclesiẽ corpore abscissus auulsusque fuerit: quod quidem scio multis vsuuenisse. Quod tandem illi tum fuerit tolerantia commo dum: certe nullum. Sicut neque fidei integrã neque incolumis vsus fuerit vllus, si perditẽ alioqui ac corrupte vixeris. Quibus de causis eum oportet, qui docendorum aliorum munus fortitus est, in primis huiusmodi certaminum peritia valere. Nam tametsi tutus ipse perstat, nihilque profus ab aduersariis læditur, tamen simpliciorum hominũ multitudo illi subiecta vbi animaduertit ducem victum esse, ac nihil habere quo se contra aduersarios tueatur, iam non victi infirmitatem, sed dogmatis potius imbecillitatem viciumque causantur. Atque ita demum ob vnus hominis imperitiam, multus populus in extremam perniciem præceps rapitur, qui quamquam haud sese penitus cum fidei aduersariis coniungunt, tamen de iis ambigere coguntur, de quibus confidere ipsi poterant, & ad quos sese cum fide inconcussa contulerant, iam non illis cum eadem constantia attentis esse possunt: verum tantus æstus, tanta tempestas illorum animas infestat superato præceptore, ut malum ipsum in naufragium tandem erumpat. Quanta autem perniciẽs, quantus item ignis in infelix miserumque illius caput aggregetur, singulis quibusque ex subditorum numero pereuntibus: nihil opus est ut te doceam, qui per te hic ipse omnia ad vnguem nouisti. Hocce igitur est arrogantiã,

arrogantia, hoc inanis gloriæ facinus: quod mihi impingitur? quod scilicet recusauerim tam multarum animarum interitus auctor fieri, ac mihi maius supplicium accerere, quam præparatum alioqui destinatumque post obitum esset? Quisnã vero id mihi vicio verterit: certe nullus, nisi si quis insanire, ac nulla cum ratione exoptulare, inque alienis calamitatibus philosophum agere volet.

LIBER QUINTVS

QUANTVM experientiæ atque exercitationis episcopum ad agendas veritatis tuendæ causas afferre oporteat, satis superq; demonstratum nobis puto. Dicendum autem aliud quiddam superest, cuius causa infinita alia existunt pericula, seu, vt verius dicam, non eius certe causa, sed iis potius auctoribus, qui eodem rectè vti nesciunt. Quãdoquidem res ipsa & salutis, & plurimorum bonorum cõciliatrix est, si illius administratio in studiosorũ ac proborum virorũ manus ceciderit. Id igitur quid est? Nèpe labor ingens concionibus disputationibusque publice ad populum habendis, impenfus. Primum enim bona subditorum pars nolunt se ad concionantes episcopo sic accommodare, vt se ipsi ad præceptores audientes accommodant: sed discipulorum ordinem conditionemque supergressi, spectatorum eorum conditionem vsurpant qui in theatris stadiisve certamina spectaturi ociose sedent. In quibus quemadmodum solenne esse videmus, vt multitudo in contraria scindatur studia, aliis huic, aliis illi applaudentibus: ita sanè & hac in parte discissi, alij cum hoc, alij cum illo sese coniungunt, aliàs ad gratiam, aliàs ad inuidiam dicenti aures accommodates. Neq; vero id solum molestum est, sed & aliud quiddam, hoc ipso nequaquam inferius. Nam si quem fortè ex concionatoribus contigerit partè aliquam eorũ, quæ ab aliis elaborata fuerint, suis ipsius concionibus intextere, certe pluribus opprobriis obnoxium se reddit, quam qui alienas opes suffuratur, quum alioqui etiam sæpe fiat, vt concionator ne aliunde quidem mutuatus quicquam, sed ea de re tãtum suspectus, instar furis alicuius in ipso furto deprehensũ habeatur. Et quid dico, eorũ, quæ ab aliis elaborata fuerint: Certe ne illi quidem licet suis propriis inuentis assidue vti. Aures enim suas vulgus assuefecere, non vt ad vtilitatem, sed ad voluptatem potius audiant, quod faciunt qui vel de tragœdis, vel de citharœdis, iudicaturi sedent: atque adeo dicendi vis illa quam haud ita dudum explodebamus, hac in parte tãtum sui desiderium præbet, vt ne in rhetoribus quidem ipsis, quum illi inter se concertant, tãta requiratur. Hic ergo generoso opus est animo, eoq; qui longe exiguitatè hanc superet, vt multitudinis voluptatem illam immoderatam infructuosamq; compefcet, possitque illorum auditionem ad id quod vtilius futurum sit trãsserre, hac ratione vt populum se sequentem, ac sibi obsecundantem habeat, non etiam vt ipse à populi desideriis agatur: id quod præstare nemo potest, nisi idem simul popularem aurã aspernetur, simul dicendi vim obtineat. Quorum vtrumque nisi adfuerit, certè alterũ alterius auxilio destitutum nulli vsui esse possit. Nam si is laudum titillationem forti animo contemnens, tamen non exhibuerit doctrinam sale ac gratia conditam, fiet vt à multis despicibilis habeatur, nullo prorsus lucro commode ab animi magnitudine illa accepto. Rursum si dicendi partem optime præstare quõ possit, à plausu atq; aura populari vin-

atur, tum ipsi, tum multitudini quæ audit, damnũ detrimentumq; idem propositum, hoc ipso quod laudũ ille suarum desiderio captus ad auditorum gratiam magis, quam vtilitatem dicendi vim exercet. Ac quemadmodum nescio quo pacto fit, vt qui nulla ex parte popularibus laudibus capitur, quiq; idem dicendi est imperitus, is neque obsecudare multitudinis voluptatibus possit, neque rursus auditoribus magno admodum vsui adiumentoq; esse, propterea quod nullis eloquentiæ doctrinæ præfidiis instructus est: sic qui laudum desiderio trahitur, is quum doctrina eloquentiaq; sua multitudinem reddere meliorem possit, mauult certe, dum laudes eas quas à multitudine accepit, compensare cupit, ea in mediũ afferre, quæ auditores delectare possunt, his ipsis populares plausus clamoresq; captans. Eum igitur qui optimus populi ductor futurus sit, vtraq; alterã subuertat. Quum enim in medio exurgens orãnsque populo, ea eloquutus fuerit, quæ ocioforum hominum ignauiam atque socordiam perstringere possunt, ac deinde labatur & intercitat illius oratio, tum vero prædicandi inopia erubescere ille cogatur: diffluit continuo, atque euanescit omnium eorum quæ dixerit lucrũ. Nam qui ab eo perstrikti fuerint, illius verbis succensũ, dum alia rependere non possunt, ignoratã scommatis eum lacessunt, his arbitrati sua ipsorum opprobria adumbrare. Propterea oportere episcopum puto aurigã optimi exemplo vtrasque illas virtutes diligenter attempere, vt ipsi liceat illas simul rite, atque ordine pertractare: quum enim talem se præstiterit, vt à nemine reprehendi possit, tum poterit cum quãta voluerit libertate subditorũ suorum omnium delicta aliàs castigare, aliàs remittere: prius autem, hoc illi haud facile factũ fuerit. Porro animi magnitudinè sic eum prestare oportet, vt illam nõ solum intra popularium laudum cõtemptionem cõtineat, sed & vltius promoueat, vt ne rursus lucrum id quod captat, imperfectum maneat. Quidnã igitur aliud contemnere illum conuenit? liuorem, atq; inuidiam. Intempestiuas autem insimulationes (quippe antistitè necesse est absurdas etiam deuorare criminationes) neq; præter modum vereri, ac reformidare: neque rursus leuiter despiciere conuenit: sed te oportet vt falsè etiam existant, vt à plebeiis ac cõtemptis hominibus in te contorqueantur, contendere eas statim vt extinguas. Nulla enim res alia magis famã auget, vel bonam vel malam, quam vulgus in compositum, vt quod citra omnem delectum, ac iudiciũ & audire, & eloqui quum assuefecerit, id omne quicquid occurrerit, temere ploquatur, nulla prorsus veritatis ratione habita. Quãobrem te non oportet vulgus ipsum contemnere, quin potius suspensiones prauas statim atq; exorta illã fuerint interciderè: blande item appellare eos qui te insimulauerint, vt illi etiã iniquissimi sint: ac nihil prorsus omittere rerum earum, quæ prauam de te opinionem delere possint. Sin vero omnia quum præstiterimus, noluerint qui nos accusant quiescere, tum demũ contemnere eos licebit: quando quidem si quis ob populi dicta huiusmodi, animo statim deiici cõperit, ne is nihil vnaquã quod generosum admirandumque sit, parere poterit. Siquidè mœsticia, itemq; curã ac sollicitudines perpetuã, animi vim maxime possunt prosternere, eũdemq; ad summam etiam imbecillitatè perducere. Oportet igitur similiter episcopũ erga subditos affici, vt si pater erga liberos suos admodũ infantes afficeretur. Ac quemadmodum illis neq; insolescentibus, neq; cædentibus, neque

lugentibus admodum laboramus, ac ne quõ nobis quidem arriserint, cristas tollimus: sic nos oportet neq; vulgaribus laudibus intumescere, neque probris animum despondere, siquãdo ea intempestiue erumpere videas. Id vero õ bone difficile admodũ ac fortasse tale, vt præstari à nemine possit: suis enim laudibus audiẽdis nihil inde delectari, nescio an cuiquam vnquam mortalium obtigerit. Porro consentaneum quidem est, vt qui laudibus delectetur, idem illis etiam frui appetat: eum autè qui frui appetit, omnino necessariũ est mœsticia ac dolore affici, quoties illas non potest assequi. Nam quemadmodum quos diuites esse iuuat, siquãdo in paupertatem inciderint, mœrore afficiuntur, & qui deliciis assueuerunt, tenuem ac simplicem victum tolerare nunquam possint: ita qui laudũ amore capti sunt, nõ solum quum iniuste vituperantur, sed etiam quõ ab aliis assidue non laudatur, quasi fame quadam animum conficiunt. Idq; maxime, si in ipsis laudibus educati fuerint: aut si alios apud se laudari audierint. Qui vero cum laudum appetentia huiusmodi in docedi certamen prodierit, quam multis illum negociis, quam multis animi doloribus obnoxium putas? Certe neque mare vnquam potest vn dis carere, neque illius animus curis atq; angustia: nam si is fortè fuerit magna dicendi vi præditus (hoc autem paucorum quidem est hominum) ne sic quidem ab assiduo labore expedire se potest. Etenim quãdoquidem non natura, sed disciplina eloquentiam parit, quum ad illius etiam fastigium quis peruenerit, tum certe ab ea ipse destituetur, nisi continenti studio atque exercitatione vim huiusmodi excoluerit: quo fit, vt qui peritiores iam sunt, iis maior quàm imperitoribus labor sit propositus. Neque enim par atq; eadem iactura hos & illos manet, si rem vterque neglexerint. Verum tãto ea maior est iactura, quanto inter se intervallo possessio vtraque, hoc est & peritia & imperitia disident. Imperitos quidem nullus in ius vocet, si nihil illi attulerint quod eruditum atque eloquens sit. At periti nisi semper è penu sua vberiora quãdam, & quæ eloquentiæ opinione, quam vulgo iam receptam habet, maiora sint, protulerint, ne auditorum omnium criminationibus obnoxij sunt. Adde quod illi vel à mediocri eloquentia magnas etiam laudes assequi possint: quum horum sermo nisi apprime admirabilis, atque adeo stupendus fuerit, tãtum abest vt laudatores inueniat, vt etiam accusatores permultos conciliet. Neque enim auditorum confessus magis ex præiudicata iam dicentium existimatione opinioneq; quàm ex iis quæ dicuntur iudicium prolaturus est. Quapropter quum quis cæteris eloquentia præstiterit, tum demum illi in primis studio, ac labore opus est: neque enim prætereundum potest id excusationis genus, quod naturæ humanæ commune est: fieri scilicet non posse, vt omnibus horis sapias. Verum nisi vbique dicta illius omnia existimationis ipsius magnitudini responderint, infinitis certe eum scommatis ac criminationibus à populo acceptis domum se recipiet. Quã interim nemo existat qui se cum repute vel tristitiam aliquam, vel angorem, vel sollicitudinem nonnunquã, item & iram quæ in animum irruerit solere metis aciei tenebras offundere, neq; sinere ipsos animi fortis puros syncerosq; euadere: præterea fieri omnino nequaquam posse, vt qui homo ipse sit, vbique eundem se præter: ac quicquid tentauerit, id omne prospere illi vt succedat. At consentaneum quidem esse, vt & nonnunquam ab erret, ac se ipse inferior appareat: quarum rerum omnium nullam illi, quod iam dixi, cõsiderare volunt, quinim-

mo sic in illum crimina impingunt, vt si angelo iudices essent. Quum alioqui etiam natura cõparatum videamus, vt alterius facinora atque officia quantumvis licet multa ac magna despiciamus: sin vel leue quippiã in eo desideretur, isq; vel ex longo intervallo aberrauerit, id plebs statim perferit, prompte mordet, atq; vbi que meminit. Atque hoc ipsum paruum licet ac tenues multorum eorũque magis facinorum gloriam idẽdem eleuauit. Vides õ bone maiori opus esse studio, ei potissimum, qui dicendi præstantia valeat, ac præter studiũ tanta item tolerantia, quanta ne illis quidem omnibus, quos tibi prius nominavi, opus fuit. Etenim illum permulti temerè, ac nullo consilio identidè adoriuntur, qui ipsi aliud habent nihil quod incusent, nisi quod illum ægre ferunt. apud omnes inclarescere: quo magis illorum fortiter ac generose ferenda est inuidia. Cuiusmodi odium execrabile quod temere illi collegere, occultare, ac dissimulare quum ipsi non possint, clam conuiciantur, incusant, calumniantur: malicia etiam suã virus palam diffundunt. Animus autem is, qui ad illa singula dolorem aliquem concipere, atq; inde irritari cõperit, non potest quin eo statim dolore arrodatur, atque conficiatur: neque enim illum per sese ipsi vlciscuntur tantum, sed id etiam aliorum opera agrediuntur: ac sæpe fit, vt vnum aliquem ex eorum numero, qui dicendi facultate minime valeant, eligant: eundemq; laudibus in cœlum extollentes, supra dignitatem admirentur: alios ad id infania, alios inscitia, alios inuidia impellente: non quidem vt illius eloquentiam admirabilem reddant, quæ talis etiã ipsa non sit: sed vt huius gloriam eleuent atq; extinguant. Neq; vero cum huiusmodi aduersariis athletæ illi certamè modo compositum est, sed & sæpenumero cum vniuersi populi imperitia. Nam quandoquidem ex elegantibus eloquentibusq; viris auditorum in vnum coeuntium confessus haudquaquam conflatur: verum bona cõcionis totius pars ex imperitis constat: sunt autem reliqui & ipsi illis quidem prudentiores, iidem tamen tãto iis inferiores, qui de dicendi facultate iudicium ferre possunt, quanto iisdem reliqui omnes. Sed quomiam vnus tãtum aut alter in concione assidet, qui dicendi virtutem huiusmodi obtineat: sit necessario, vt qui doctius, atque eloquentius dixerit, minus plausus reportet: aliquoties autem, ne laudatus quidẽ discedat, ac certe necesse esse puto animum contra huiusmodi ineptias atq; absurditates generose præparare, isq; ignoscere, qui inscitia peccant: eos vero qui inuidia adducti hoc facere sustinent, vt infelices ac miserabiles deplorare: neutro autem horum existimare episcopus debet, de sua dicendi facultate quicquam detractum. Neq; enim si pictor, qui optimus quidem sit, quiq; omnes pingendi arte præcellat, imaginem accuratissime à se expressam ab imperitis artificij illius vellicari videat, conuenire putauerim, vt animũ statim despondeat, picturamque ab imperitorum iudicio ineptam censeat: quemadmodum ne eam quidem quæ verè inepta sit, ob eorum stuporem, qui pingendi rudes ignariq; sunt, admiratione, amore, atque amplexibus dignam censere debet. Sit enim optimus opifex suorum quisque operum iudex, atq; is qui opera ea quæ facit, hac ratione vel venusta, vel inepta iudicet, quum mens atque ingenium, cuius industria opera ipsa deformata fuerint, tale de illis, suffragium iudiciumque tulerit: aliorum autem opinionẽ errantem, atq; arte carentem sic reiciat, vt ne in animi quidẽ cogitatione descedere permittat. Haud aliter sanè, qui aliorũ edocendo-

rum provinciam susceperit, is ne de aliorum laudibus dependeat, neve ab iis animum despondeat. Quin orationes hoc cōsilio meditatus, vt deo opt. gratæ atq; acceptæ sint, hunc vnum sibi statuat canonem, ac terminū optimi illarum opificij, non etiam plausus ac laudationes. Laudatur is ab hominibus, laudes ne reiciat. Laudes ab auditoribus illi negantur: eas ne ambiat, neu negatis indoleat. Abundās enim illi fuerit laborum solacium, idq; omnium certe maximum, si sibi ipse cōsciū esse potuerit, ad hanc se rationem, doctrinam, eloquentiamq; suam composuisse atq; adaptasse, vt deo illa placens acceptaq; fiat. Etenim si illis animum iniquarū laudum appetentia prius occupauerit, ei certē nihil sudores laboresq; illi improbi, nihil dicendi vis illa ac facultas profuerit. Humanus enim animus is qui temeraria ac cæca vulgi iudicia ferre minime potest, statim fathificit, studiumq; ipsū literarum abiicit. Quamobrem in primis erudiendus is est, in laudum contemptu ac despicentia: neque enim satis est eloquentia præditū esse ad dicendi facultatem hanc conferuandam, nisi hic ipse, quem dico, laudum cōtemptus adfuerit. Quod si quis rem ad calculos exactē exigere velit, & illi quoq; qui facultate ista caret, comperiet nihilo minus opus esse cōtemptū isto laudū, quā ei qui admodum eloquens sit. Nam si à popularis auræ illecebris vinci se ille patietur, necessario fiet vt multis in rebus delinquat, vt qui quū non possit claros illustresq; illos docendo equare, non recusabit aliās illis insidias parare, aliās inuidere, aliās iniuste detrudere, multaque alia id genus præter decorum committere: quinimmo nihil non audebit, vel vsque ad animæ exitium, vt illorum gloriā ad suæ tenuitatis humilitatem deducat. Adde quod à studiorum sudoribus laboribusq; abstinebit, tāquam torpedine quadam illius animo circumfusa. Quisquis enim post immensos labores susceptos laudis fructum inferiorē reportat, is nisi se prius ad laudum contemptum gnauiter composuerit, nimirum animū statim despondere, eundemq; ad altam quandam somnolentiam cōuertere solent: quando & agricola dum in steriliū locorum cultu ac labore versatur, ac lapidosam noualem arare cogitur, statim labore superfedit, nisi illū vel agricolationis studium vehemens, vel famis timor ingruentis vrgeat. Etenim si quibus dicendi facultas magna inest, vt donum illud conferuent, tanta opus est exercitatione: qui facultatis illius nihil comparauerit, sed in medijs dicendi certaminibus, in ipso concionum agendarū studio meditari cogitur: is quantū, quæso, subiturus est difficultatis, quantum tumultus, quantum turbulentia, vt magno suo labore tantillum auræ popularis sibi conciliet: sin vero quis existet qui vel inferiorem episcopo dignitatem atq; ordinem fortitus, hac sane in parte plus quā ille clarescere possit, hic demum diuino quodā animo opus est, vt ne vel inuidia vincatur, vel animi desperatione opprimatur. Ab inferioribus enim dicendi gloria vinci eum qui dignitate præcellat, remq; fortiter ac generose perpeti: id vero non cuiuilibet, neque nostri sanē fuerit, sed adamantini potius cuiusdam animi. Porro qui sic excellit, hic si humano fortē ac modesto animo præditus fuerit, malum vtique vtiūque tolerandū. Sin & audaculus, & arrogans, & gloriose sitis, nimirum mors aduersario quotidie optanda: vsque adeo amarulentam ei vitam riualis reddit, in propatulo exuperans, clam subsannans, pleraque de ipsius auctoritate identidem vellicās, omnia ipse esse cupiens: quarum rerum omnium maximum sibi præsidū facit, tum

eam quam in dicendo vsurpat libertatem, tum multitudinis in se studium, tum subditorum erga se omnium dilectionem: Ignoras quantum iam ornate copioseq; dicendi amor, quantum studium in Christianorum animos inuadat, ac tāquam debacchetur: quantoq; iam in precio habeatur, qui studium id excolunt: nō apud externos tantum, sed etiam apud eos qui Christianæ pietatis partes sequuntur: Qui igitur tantum dedecus quis ferat: quum ipso scilicet dicente taceant omnes, ac sese inturbati existiment, tum vero orationis finem, quasi laborum requiem quandam expectēt: alterum autem vel diu admodum orantem, patienter auscultent, & dicendi finem facere volentem ægerrime ferāt: denique quo iam silere volente irritentur, commoueanturque: Hæc enim etiam si tenuia tibi ac despicabilia in experto videātur, tamen eiusmodi sunt quæ possint tum alacritatem extinguere, tum animum enervare atque dissoluere: nisi si quis à perturbationibus humanis omnibus sese asserens ad incorporarum potentiarum exemplū animum ipse suum composuerit: quæ quidem neq; inuidia, neque gloriæ studio, neque alteri id genus morbo obnoxia sunt. Proinde si quisquam est mortalium omnium talis qui bestiam hanc captu difficilem, indomitam, ac truculentam, auram dico popularem conculcare, ac multiplicia illius capita excidere possit: imò vero si quis est, qui illam nullo enasci modo permittat, hic sane facile poterit complures insultus istos à se depellere, ac sereno quodam portu tandem frui: qui si ab ea sese nō asseruerit, idem hic multiplex bellum, tumultū perpetuum, deniq; desponsionis animi reliquorumq; morborum turbam aduersum se depugnaturā præparabit. Quorsum attinet reliquas difficultates persequi: quas quidem nemo neque docere, neque discere poterit, nisi qui in rem præsentem venerit, rerumq; ipsarum administrationem subierit.

LIBER SEXTVS

T certē hoc in orbe dum viuunt, huiusmodi res existunt, cuiusmodi ex me audiisti. Vita vero defunctis quēnam, quæso, in modum ea a nobis ferentur, quæ tum ferēda erunt, quum nos videlicet pro iis sigillatim omnibus, qui nobis concrediti fuerint, rationē reddere cogemur: neque enim dedecoris tantū, atque ignominie pœna, sed etiam æterni supplicij multa nos illic expectat. Illud enim: Parete iis qui præsumunt vobis, & concedite: nam illi vigilant pro animis vestris, tametsi prius iam à me dictum est, tamen ne nunc quidem reticebo. Huius enim comminationis terror animum mihi concutit. Nam si ei qui vnū aliquem duntaxat offenderit, expedit vt mola alinaria suspendatur à collo ipsius, ac demergatur in profundum maris: Item si qui fratrum suorum conscientiam offendunt, ij omnes in ipsum Christū peccant: qui non vnum, non duos, non tres tantum, sed tam multos etiā populos perdididerint, illis quid tandem fiet: ac quānam illi pœnam sunt pensuri: neque enim licet imperitiā exculare, neq; ad ignorantiam confugere, neq; aut necessitatis, aut violentiæ speciem obtēdere: verum subditus potius aliquis, si modo id liceat, suis ipsius, quā antistes aliorū peccatis excusandis, suffugio hoc vti possit. Quamobrem: quando quidem qui delegatus est, vt alienam emendet ignorantiam, tum vero diabolicū instare bellum denunciaret, is profectō ignorantiam prætereundē minime poterit, neque vocem hanc vsurpare: Tubam non exaudiui, bellum non prouidi. Quippe in hoc sedet ille, vt Ezechiel ait, vt aliis signum tuba canens det,

nens det, & quæ futura sunt incommoda prænunciet. Quo nomine supplicium nulla excusatione depellere poterit, quauis vnus duntaxat animæ iactura acciderit. Si enim cum romphæa imminet, populo tuba signū non dederit, neque prænunciarit, inquit ille, speculator, ac gladius animam inuaserit: ipsa quidem anima à sua iniquitate capta fuerit, sanguinem autem ipsius ex speculatoris manu exquiram. Desine ergo nos obtrudere in sic inuitabilis iudicij aleam. Neque enim nobis hic res est de ducendis militibus, aut de regno gubernādo, sed de functione angelicæ virtutis indigēte. Etenim sacerdotis animum solaribus radiis puriorē esse oportet: vt nequando spiritus sanctus desolatū illum relinquat, vt dicere illi liceat: Vno equidem non amplius ego, viuit autem in me Christus. Nam si qui eremum inhabitant, quiq; procul tum ab vrbe, tum à foro, tum à tumultibus illinc enascentibus securi, liberiq; viuunt: denique qui perpetua portus tranquillitate perfruuntur, tuto vitæ illius præsidio fidere nolunt, quinimo infinitas quoque alias addunt custodias, vndiq; seipsos circumspectes, magna adeo cum diligentia & dicere & facere omnia adlaborantes, vt cum libertate ac puritate quadam sincera, quantum humanus captus ferre potest ad dei conspectum accedere possint: quantam putas sacerdotem præstare debere tum vim, tum potētiam, vt animā suam ipsius ab omni vindicet fœditate, vt spirituales pulchritudinem illas atq; incolumē seruet: Etenim multo maior vitæ integritas huic, quā illis necessaria est. Cui porro integritas maior necessaria est, hic certē pluribus quā illi iudem casibus obnoxius esse cogitur, qui eum conspurcare possunt, nisi continentem sobrietatem, ac vehemens admodum studium adhibens, animum imperium impenetrabilemque præstiterit. Nam & oris decor & motuū exquisita mollicies, & incessus affectatum studium, & vocis confractio, & oculorum, & malarum pigmenta, & cinnorum compositiones, & capillij tinctura, & vestium sumptuosarum aurarumq; diuersitas, & gemmarū pulchritudo, & vnguentorum fragrantia, & cetera omnia, quæ muliebri genus affectare solet: talia sunt quæ animū cōmouere possint, nisi is continētia austeritate occalluerit. Proinde ab iis quæ dixi cōmoueri mirū nequaquā est: at per alia quadam, quæ his cōtraria sint, diabolum ferire, humanasq; animas misso velut telo cōfigere posse, id vero admirationis ac dubitationis plenū est. Pridem enim nonnulli, qui retia illa quæ dixi euaserant, à longe diuersissimis capti sunt. Nam & neglecta oris facies, & squallida coma, & sordida vestis, & habitus incompositus, & morum simplicitas, & sermo simplex, & incessus in affectatus, & vox minime figurata, & paupertatis contubernium, & sui contemptus, & libera item solitudo ad misericordiam primum pellexerunt eum, qui ea cernebat, post autem eundem ad extremam perduxere perniciē: permultiq; inuenti sunt, qui priora illa retia quum effugissent, retia, inquam, ex auro, ex vnguentis, ex vestibus sumptuosis, ceterisque, quæ connumeravi, contexta, in hæc longe ab illis diuersa, facile inciderint, hisque perditum tandem fuerint. Quum ergo & per paupertatem, & per opulentiam, & per habitus elegantiam eiusdemque negligentiam, & per mores tum compositos tum incompositos, vno verbo quum per ea quæ dixi omnia in spectantis animo prælium accenditur: illumque dolli, fraudes, artificia vndique circūstunt, vnde illi, quæso, respirare dabitur, inter tot laqueos medio: quānam porro latebras nancisci poterit: nō dico ne vi ipse cap

at succumbat (hoc enim non admodum difficile) sed vt situm ipsius animum à fœdis cogitationibus incussum asserat. Et quidem nihil hic loquor de honoribus, malorum infinitorum authoribus. Honores enim ij qui à mulieribus deferuntur, temperantiæ contentionem eneruant, ac pessundant se penumero, quoties quis assiduam vigilantiam aduersus huiusmodi insidias afferre nefciet: Rursus honores eos, quos viri largiuntur, nisi quis magna cum animi constantia admiserit: morbis duobus contrariis capitur, quorum alter est adulationis seruitus, alter arrogantia amentia: dum hinc sui palpatorib⁹, adulatoribusque sese summittere, hinc propter honores illos quos illi deferunt, aduersus tenuiores cristas tollere, atque aded in fastidij ac contumaciæ barathrum præceps ferri cogitur. Dicta quidem à nobis sunt hæc: sed quā detrimentosa ipsa sunt, nullus planē, nisi qui expertus sit, rectē nouerit. Neque enim solum hæc, verum longe his tum maiora, tum periculosiora subire illū necesse est, qui ipse medius inter homines versetur. At qui solitudine delectatur, is omnium horum immunitatem consequitur: cui si quando absurda quæpiam animi cogitatio simile quid oculis repræsentauerit, infirma tamen imbecillaque est imaginatio huiusmodi, ac talis vt statim extingui atque interiri possit, propterea quod extrinsecus materia nulla subest qua cogitationis flamma illa calefcere possit: Ac monachus quidem sibi vni tantū timeret: qui si quando aliorum curam suscipere cogitur, certe paucissimi illi sunt. Illi autem si forte plures erunt, tamen pauciores iis futuri sunt, qui in ecclesijs viuunt: iidem suis ipsorum curas, sollicitudinesque leuiores, ac minus molestas præfecto suo exhibentes, non tam propter paucitatem, quā quod omnes illi mundanarum rerum securi viuunt, ac neque liberos, neque vxorem, neque aliud quicquam id genus animo versare possunt: quæ sanē res facit, vt qui illis præfectus sit, eos sibi facile parentes, ac communis secum contubernio vtentes habeat: intantum vt illorum lapsus exacte tum intueri, tum emendare possit. Affert autem non modicum ad virtutis studia incrementum assidua magistrorum cura. Eorum vero hominum, qui episcopo subditi sunt, bona pars vitæ humanæ curis vincti distringuntur: id quod pigriores ignauioresque illos reddit ad spiritus opera peragēda. Vnde & episcopum necesse est in singulos, vt sic dicam, dies sementem facere: vt ipsa saltem assuetudine doctrinæ, sermonem auditorum animi retinere possint. Nam & opulentia ingens, & potentiæ amplitudo, & languor à deliciis exoriens, itemq; multa alia his addita semetipsum semel iactas suffocant: nonnunquam autem & spinarum densitas ne ad terræ quidem superficiem sementem ipsam decidere patitur. Adde quod afflictionis magnitudo, & paupertatis vis, & molestiæ assidua, & alia id genus prioribus illis contraria humanos animos à diuinarum rerum studio abducunt. Peccatorum autem quæ subditorum quisque commiserit, episcopo ne minima quidem pars nota esse potest. Qui enim nota foret: quum illorum complures ne de facie quidem ille nouerit: ac talem quidem, tantamque episcopo populi regendi cura molestiam difficultatemque affert. Quod si examinare ea quis volet, quæ illum præstare erga deū oportet: quæ dixi, præ illis nihil profus esse comperiet, tam ingens, tam sollicitum, tam exactum, ea studium requirunt. Eum enim qui pro ciuitate tota, quid dico ciuitate: imò vero pro vniuerso terrarum orbe legatus intercedit, deprecatorque est apud deum, vt hominum omnium,

Gal. 2.

Ezech. 1.

omnium, non viuetium modo, sed etiam mortuorum peccatis propicius fiat: qualem queso esse oportet: Equidem neque Moysi, neque Heliae fiduciam fore vnquam satis putauerim ad supplicationem huiusmodi peragendam: quandoquidem quasi mundus illi vniuersus concreditus, atque adeo omnium sit pater, sic ad deum ipse accedit, deprecans quicquid vbiq; bellorum est extingui, turbas solui, atque in horum locum pacem ac feliciter statum succedere: denique celerem malorum vniuersi cuique imminuentium qua priuatum, qua publice defunctionem postulans. Porro illum ipsum oportet tanto omnibus in rebus iis prestare, pro quibus intercedit, quanto par est vt subditos prefectus excellat. Quum autem ille & spiritum sanctum inuocauerit, sacrificiumq; illud horrore ac reuerentia plenissimum perfecit, communi omnium domino manibus assidue pertractato: quare ex te, quoto illum in ordine collocabimus: quantam autem ab eo integritatem exigemus: quantam religionem: considera enim quales manus illas administrantes esse oporteat: qualem linguam, que verba illa effundat: qua deniq; re non puriorem sanctioremve esse conueniat animam, qua tantum illum tamq; dignum spiritum receperit. Per id tempus & angeli sacerdoti assident, & celestium potestatum vniuersus ordo clamorem excitat, & locus altari vicinus in illius honore qui immolatur, angelorum choris plenus est. Id quod credere abunde licet, vel ex tanto illo sacrificio quod tum peragitur. Ego vero & commemorarem olim quendam audiui, cum diceret senem quandam virum admirabilem, ac cui reuelationum mysteria multa diuinitus fuissent detecta sibi narrasse, se tali olim visione dignum habitum a deo esse, ac per illud quidem tempus derepente angelorum multitudinem conspexisse (quatenus aspectus humanus ferre poterat) fulgentibus vestibus indutorum, altare ipsum circumdantium: denique sic capite inclinatum, vt si quis milites presente rege stantes videat, id quod facile mihi ipse persuadeo. Item & alius quidam mihi narrauit, non ille quidem ab alio edoctus, sed dignus habitus, qui id & vidisset ipse, & audisset, quod qui de vita hac emigraturi sunt, si mysteriorum huiusmodi cum pura ac munda conscientia fuerint participes spiritum efflaturi, ab angelis illorum corpora satellitum more stipantibus, propter assumptum illud sacrum hinc recta in caelum abducuntur. Tu vero nondum exhorrescis talem hanc animam in tam sacrosanctum introducens mysterium: eumq; qui sordidas vestes induerit in sacerdotum dignitatem collegiumq; cooptans, quem tamen a reliquo conuiuuarum choro Christus expulit: Luminis instar vniuersum orbem illustrantis sacerdotis animum splendescere oportet: noster autem tantum habet tenebrarum ex praua conscientia circumfusarum, vt vereatur ac reformidet, fixis intentisq; oculis cum fiducia dominum suum obtueri. Sacerdotes terrae sunt sales: nostram autem insipientiam omnibusq; in rebus imperitiam quotus quisq; est, qui facili patientiq; animo ferat, extra vos ipsos qui me nimia quadam amoris abundantia prosequi consueuistis: Neque enim solum, sicut dixi, purum mundumq; sacerdotem esse oportet, vt qui tali ministerio dignus habitus sit, sed etiam in primis prudentem, atq; adeo multarum rerum experientia instructum ornatumq;, intantum vt secularia mundanaq; omnia nihilo minus noscat, quam norunt ij qui in media hominum turba versantur: rursus rerum omnium mundanarum securior viuat, quam monachi ij qui montes ipsos habitandos occuparunt. Nam cum illum necesse sit eorum hominum consuetudine ac congressio-

ne uti, qui & uxores habent, & liberos alunt, & seruos possident: quiq; & diuites admodum sunt, & publice negociantur, & potentia pollent, certe varium esse conuenit. Varium autem dico, non subdolum, non adulatorum, non dissimulatorum, sed magna tum libertate, tum fiducia plenum, ac qui ex re sese submittere, atq; obsecrare sciat, quoties negotiorum usus postulat, quiq; idem benignus sit & austerus. Neque enim vnum duntaxat in modum subditis omnibus uti debet, quando neque medicis conuenire videmus, vt eos omnes qui morbo laborant, vno eodemq; modo tractent, neque gubernatori, vt vnam tantum artem calleat, qua aduersus ventos depugnet. Etenim sacerdotum nauem assidua tempestates circumstant. Huiusmodi autem tempestates non solum extrinsecus adoriuntur, sed etiam intrinsecus enascuntur: quo fit vt sacerdos diligenter accommodare sese ad multos, ac de iure suo quodam modo concedere debeat: quae omnia vel inter se pugnantia ad vnum hunc finem spectant, nimirum ad dei optimi laudem, atq; ecclesiae aedificationem. Monachorum certamen ingens, ac labor multus est. Verum si conferre quis volet instituti illius sudores, cum recte administrato sacerdotio, certe tantum esse inter illa duo discrimen conperiet, quantum est priuatum inter & regem interuallum. Nam illic quamquam magnopere laborandum, tamen labor conuertitioq; huiusmodi, corporis atq; animi communis est, seu, vt verius dicam, labor huiusmodi maiori quidem ex parte corporis constitutione absoluitur. Quod quidem nisi valens fuerit, animi promptitudo in se ipsa vertitur, ac veluti foliua & ieiuna manet, non habens quemadmodum in opus exeat. Quippe contento studio ieiunare, humi decubare, aduigilare, illoto esse corpore, multum sudare, & caetera id genus, quae monachi ad durandum affligendumq; corpus sibi exercenda proponunt, statim omnia depereunt, nisi corpus quod castigandum est, sufferendis afflictionibus illis par fuerit. Hic vero nulla simplicis animi arte opus est, ac certe tali quae corporis habitudine nihil indigeat, vt sua ipsius virtute prodatur. Quid enim nobis praesidij corporis robur ad id conferre possit, vt neque praefracti, neque iracundi, neque procaces simus, sed sobrii potius, casti, honesti, aliiq; animi virtutibus instructi, per quas beatus Paulus ineffabilis sacerdotis imaginem numeris suis omnibus absolutam esse voluit: quod ipsum itidem dicere non possis de ea virtute quam monachus prestare debet. Ac quemadmodum praestigiatoribus necessaria quidem est instrumentorum, rotarum, funium, gladiorum copia, varietasque: contra, philosophus vniuersam artem in animo reconditam habet, externarum rerum nihil indigens: sic & hic monachus eo amplius alieno indiget officio, eaque benignitate quae vice aliena commoueatur: & conuenientia item rerum locorumque ad vitam illam commodorum, vt ij loci neque ita multum ab hominum consuetu remoti, solitudinis tamen otium quietemque habeant: neque iudem optima anni atq; aeris temperie careant. Nihil enim esse possit intolerabilius ei, qui abstinentiis ieiuniisq; corpus suum macerat, quam caeli atq; aeris intemperies, vt sileam hic quam multa monachis negocia necessario exhibeant, tum vestium confectio, tum vitae cura: quippe quam certatim etiam contendat omnia per se opera peragere. Sacerdoti autem quod ad ipsius usum pertinet, nihil his opus fuerit, utpote qui sese cum minime curiosum, tum promiscuum omnibus his in rebus quae damnatum non afferant, prestare: tum vero scientiam omnem in animi sui thesauro reconditam habere

habere debeat. Quod si quis existeret qui admiretur, laudaretque sacerdotem eum qui sibi ipse viuens domi se contineat, ac multorum consuetudinem usumque auerferet: equidem hoc patientie specimine aliquod esse dixerim: non tamen idoneum id argumentum virtutis omnibus eius illius animo inesse debet, affirmauerim. Nam qui intra portum ad gubernaculi regimen assidet, is non continuo sufficiens artis periculum prebet. At vero qui medio in mari cum esset, nauem saeuente tempestate eripere potuit: hunc certe nemo est qui optimum gubernatorem esse neget. Proinde ne monachum quidem magnopere ac supra modum admirabimur, quod is apud se viuens, neque commoueatur, neque in multa ac magna peccata prolatur. Neque enim ei res illae adfuerunt, quibus ipse animo irritetur extimuleturq;. Sin vero quis se ipse turbis vniuersis tradiderit, ac multorum delicta hominum ferre coactus cum esset, inconcusus immotusque perstiterit, animum ipsum vel tempestate actum tanquam in malicia ac tranquillitate gubernans: hic vero dignus est, quem omnes plausu atque admiratione prosequantur: abunde enim sua ille virtutis periculum fecerit. Ne te igitur admiratio subeat, si qui a foro atque a populari consuetudine abhorremus, accusatores multos nequaquam habeamus. Neque enim si quum obdormirem, non deliqui, neque si quum non colluctarer, non cecidi: neque si quum non depugnarem, non percussus sum, mirari oportuit: quis enim obsecro, quis, inquam, deferre poterit, ac detegere flagitium meum: te dumne cubiculumq; hoc: at in voce erumpere non possit. an mater potius cui vni in primis res omnes meae nota sunt: At ne cum illa quidem mihi quicquam commune est, neque ipsi inter nos in rixam contentionemque vllam venimus. Id quod vt etiam acciderit, equidem nullam esse matrem existimo sic a pietate charitateq; alienam, sic a liberorum amore abhorremus, vt quem parturierit, pepererit, educauerit, nulla causa impellente, ac nemine cogente, eum palam vituperare ac criminari sustineat. Nam si quis alioqui hunc animum exquisite excutere velit, certe permulta in eo desiderabit. Id quod ne tibi quidem incognitum est, qui me tamen apud omnes laudibus in caelum efferre consueuisti. Ac sane quod non extenuandi mei nomine hoc pronuncie, recordare, si placet, quoties tibi dixerim, (cum huiusmodi sermo identidem inter nos incidisset) si quis optionem mihi proponeret, utrum ego institutum sequi, inq; eo clarescere mallet: in ecclesiae alicuius praefectura, an in monachali solitudine, me prius illud vitae genus mille calculis antepositorum. Neque enim cessauim vnquam illos apud te suspicere qui munere illo iuste defungi possent: me vero id munus non detractatum fuisse quod tan topere magnificerem, si modo illi probe pertractando par fuisset, nemo plane contradicturus est. Verum quid facerem: Equidem nihil minus utile, minusque aptum esse puto ad ecclesiae praefecturam administrandam, quam animi mei pigritiam hanc atque socordiam, quam tamen alij exercitationem esse existimant. At ego illam quasi meae imbecillitati velamen praetendo. Qua quidem ex iis quae in me desiderantur, plura obtego, neque sese prodere patior. Quisquis enim tanti otij fructum capere, multaq; in quiete vitam transigere assueuerit, vt magno etiam ingenio praeditus sit: is sane si quid agendum est, in quo tyrocinium non posuerit, animo statim turbatur, ac percellitur, obtundunturque magna quidem ex parte facultates viresq; illius omnes, nisi eas prius ad id ipsum quod facturus est, probe exercuerit. Qui si for-

te simul & tardo ingenio natus, & certaminum huiusmodi expertus fuerit: suscepta ista sacerdotij administratione, nihil prorsus quod nostrate verbo dicitur, a statuis distabit. Quamobrem pauci admodum existunt, qui ex palestra illa in hac certamina descendant: quotquot autem descendunt, ex iis plures sese quales sint, produnt, tum vero animis concidunt, denique insuaves atque acerbis sese res deuorare intelligunt. Nec ab re quidem illud. Quum enim non eadem sunt, neque iisdem de rebus proposita certamina exercitationesque, tum fit vt qui decertat, ab eo qui prorsus in exercitatus est, nihil discrepet. Gloriam in primis contemnere eum oportet, qui in stadium istud decertaturus descendit, iram superare, ac multa prouidentia abundare. Huic autem qui solitariam vitam amplectitur, nullus prorsus exercitationis campus propositus est. Nam neque irritantes habet multos, vt hac ratione meditetur, ac sese exerceat in coercenda animi excaecentia: neque rursus palpatores, applausoresque, vt hac item ratione populari auram respuere discat. Propterea hoc hominum genus non admodum laborant, eam sibi parare animi prudentiam, quam ecclesiae administratio requirit: quo fit vt qui in ea certamina descenderint, quorum nullum antea periculum fecerint, haereant ipsi, hallucinentur, ineundi consilij inopia laborent, atque adeo praterquam quod ad virtutem progressionem nullam faciunt, eas etiam doctes quas secum attulerant, plerique plerumque deperdant.

Tum Basilius: Quid igitur eos qui in media hominum turba versantur, qui vitae huius cultum, negocia,

curas sequuntur, qui ad rixas, ad pugnas, ad maledicentias occalluere, sexcentis ingenij facultatibus artibusq; instructi, deliciisque affluentes, ecclesiae regimini praeficiemus? Bona verba, inquam. Huiusmodi enim hominum ne in mentem quidem tibi venire debet, quum de sacerdotum delectu agatur. At vero si quis existeret, qui vel multorum hominum usum conuictumq; ferens, possit item animi puritatem, constantiam, sanctimoniam, tolerantiam, sobrietatem, caeterasq; virtutes quae monachis insunt, magis etiam incorruptas atque incoscillas seruare quam ipsi etiam monachi seruent: nam hic tibi deligendus erit: quandoquidem quisquis viciis multis quum laborat, eadem illa potest solitudine dissimulare; atque obtegere, sicq; intra se continere ne in opus erumpant, propterea quod nullorum conuictu hominum vitur: hic certe si in medium accesserit, nihil inde lucri assequetur, nisi quod tum ridiculus futurus est, tum etiam maius periculum subiturus. Id quod nobis propemodum accidisset, nisi dei optimi prouidentia ignem hunc a capite statim meo defendisset. Neque enim dissimulare se ipse potest, qui moribus iis fuerit, cum in luce hominumque coetu versatur. Verum quoquo se ille vertat, statim proditur: ac quemadmodum fit vt metallicas materias ignis probet, ita & cleri exacta probatio mortaliu animos secerit, atque internoscit: ac si quis est, vel iracundus, vel pusillanimis, vel gloriae appetens, vel arrogans, vel alio quouis animi morbo obsessus, id omnem detegit, ac latentes statim morbos denudat: nec denudat solum, sed etiam tum asperiores, tum impotiores reddit. Nam vt corporis vulnera si atteris, curatu difficiliora reddis: sic natura comparatum videmus, vt animi morbi, si irrites exasperesq;, magis ac magis rebellent, atq; incru descant, dominorumq; suorum peccata augeant. Etenim ad ambitionem statim attollunt, impelluntq; eum qui sibi cauere atque imperare nesciat. Itemque ad arrogantiam auariciamque: clam autem ad delicias pertrahunt, ad animi de-

BASIL.

CHRYS.

animi demissionem, ad ignauiam: ac pedetētim ad alia deinceps indidem enascentia. Multa enim alia sunt uia iis quæ cōnumerari interiecta, quæ animi vim eneruare, ipsūmq; ad deum cursum interrumpere possunt. Atque in primis mulierum vsus consuetudoque. Neque enim potest antistes, qui gregis vniuersi curam suscepit, uiris tantum curandis operam dare: mulierum autem curā negligere, qua in parte magna profecto opus est prouidentia, quod facile ad peccadum quisque procliuus sit, sed illum oportet cui administrandus episcopatus forte obuenerit, pro illarum salute si non maiorem, at parem certè curam studiūque impendere. Nam & eas inuisere ægrotantes, & solari lugentes, & increpare languentes, & adiuuare afflictas oportet, quæ omnia dum fiunt, plures irrumpendi aditus dæmon inuenire potest, nisi exactissima quis ac munitissima custodia sese vallauerit, quippe animum ipsum ferit ac commouet non impudicæ tantum, sed etiam pudicæ mulieris oculus: præterea & palpationes emolliunt, & honores mancipant. Et simul charitas feruens, eadem bonorum omnium author, iis qui ea recte uti nesciunt, malorum omnium author fit. Aliquoties autem & sollicitudines assidua mentis acumen hæbetant, eumq; qui animo uolucris ac pernici sit, plumbo grauiorem reddunt: demiq; & ira quæ in animum forte inuaserit, fumū instar interiora omnia à se occupata inuoluit. Quis tandem reliqua enumeret incommoda, contumelias, uolentias, inuoluntates, non solum quas uiri prudentes, sed etiam quas tum tenuiores, tum inprudentes intendunt, quæ hominum pars quum recto animi sensu ac iudicio careant, cōqueri atque expostulare nunquam cessant, excusationes quibus te defendas haud facile admittentes. Porro & antistitem qui bonus sit, oportet ne istos quidem contemptui habere, sed multa cum humanitate, facilitate, comitate omnium criminationes diluere, iniustas potius accusationes condonantem, quam ob eas ægre ferentem ac succensentem. Si enim beatus ille Paulus ueritus est ne furti apud discipulos suspectus esset, quo nomine & alios in pecuniarum administrationem secum assumpsit, ut ne quis, inquit, nos carpat in hac exuberantia quæ à nobis administratur: quo modo nō omnia à nobis agenda sunt, ut malas à nobis suspensiones amoueamus, quantum vis licet falsas, iniquas, & ab ea quam habeamus opinione alienas? A nullo enim peccato tantum absumus, quantum à furto aberat Paulus. At tamen tantum ille cum abesset à prauo huiusmodi facinore, ne sic quidem negligendam sibi putauit communem multorum suspensionem, etiam si admodum iniquam atque insanam. Insania enim mera tale quid suspicari de beato illo atque admirabili Pauli animo. Nihil tamen minus, quum huiusmodi suspicio sic iniqua atque absurda foret, ut in nullius animum, nisi eius qui mente alienata esset, influere posset, causas ille à se omnes procul amolitur. Neq; uero hac se defensione tuetur: Quis tandem uestrum hoc ipsum de nobis suspicari sustineat, quum nemo uestrum sit qui nos tum ex signis miraculisque, tum ex uite honestate atque integritate non reueretur atque admiretur: imò contra & suspicatus ille est, & expectauit prauam hæc de se suspensionem, atque idcirco radicatus eam auellit, seu, ut uerius dicam, prorsus ne exoriri quidem eam permisit. quam ob rem? Procuramus enim, inquit, quæ honesta sunt, nō modo coram domino, sed etiam corā hominibus. Tātum certè oportet, imò uero longe maius studium adhibere, ut malas opiniones non solum dum erumpunt,

2. Cor. 8.

Roma. 12.

diuellamus arceamusque, sed & procul vnde erumpere possint, prospiciamus, atque adeo causas ipsas è quibus enascantur, longo ante tempore interimamus, nō etiā dum coalescant, & in vulgi ore versentur, ac diuulgentur, expectemus. Tum enim haud procliuus fuerit illas delere, sed admodum difficile: fortasse etiam nulla eas arte tum extinguere valeas, neq; uero tum res noxa careat, propterea quod hoc ipsum fiat, quo tempore multorum conscientiam iam læseris. Sed enim quousque tandem immorabor in persequendis iis, quæ oratione quidem assequi minime ipse possim: quippe difficultates eas omnes recensere uelle, quas episcopum tolerare oportet, prorsus nihil aliud fuerit, quam maris altitudinem emetiri. Nam ut etiam ille ab omni animi perturbatione vacet (id quod assequi certè nemo potest) tamen emendandis corrigendisq; aliorum delictis, labores ærumnasq; infinitas ferre necessariò cogitur. Quibus quidem si domesticos peculiarēque morbos addideris, hic tu cōtemplare laborum pelagus, curarūque abyssum, & quæ episcopo toleranda erunt, uolenti & domestica & aliena mala edomare. Atque hic Basiliius: Nunc uero, inquit, nullusne tibi labor huiusmodi subeundus? nullane animum tuum curæ in solitudine ista excruciant? Excruciant quidem, inquam, vel hodie. Qui enim potest is qui homo quidem ipse sit, ac vitam hanc ærumnosam uiuat, à curis, à laboribus, angustiis sese expedire? Verum haudquaquam certè paria inter se sunt, immensum pelagus emetiri, & fluuium aliquem nauigio transmittere: tam ingens enim has inter & illas curas interiectum est interuallum. Equidem si hodie possim vsui aliis esse, id utique desideris uotisq; omnibus concupiscam: sin id præstare non possim, at mihi certè factum satis putabo, si me seruare atque à tempestate eximere dabitur. Tu uero, inquit Basiliius, hoc ipsum magnum esse censēs: Prorsus autem & te seruauit iri putas, qui alios nulla re iuueris? Bene ac recte, inquam, elocutus es: neque enim id mihi persuasi, saluum fieri quæquam posse, qui pro proximi sui salute nihil laboris impenderit, quum neque miserum illum quicquam iuuerit, talentum sibi traditum non imminuisse: immo hoc ille nomine perit, quod illud non auxisset duplicassetq;. Veruntamen leuius mihi supplicium adfore putato, accusato cur & alios ipse non seruauerim, quam si & me item vnā cum illis perdiderim, tanta ista sacerdotij dignitate suscepta, longe ipse deterior sceleratiorq; effectus. Equidem nunc mihi persuadeo fore, ut tantum mihi supplicium irrogetur, quantum peccatorum à me perpetratorum magnitudo postulat: qui si principatū hunc suscepero, tum me sanè pœnam pendere oportebit non duplam, triplamue, sed longe item grauiorem: hoc ipso quod simul plures læserim, simul post maiore honorem à me acceptum, deum optimum qui me honore illo dignatus fuerit, offenderim. Propterea enim deus Israëlitas accusans, ob hanc causam acrius ostendit maiori illos pœna dignos, quod peccauerint post honores ab ipso acceptos, aliquoties in hæc uerba eos compellās: at qui uos cognoui ex omnibus terræ tribubus, propterea vindicabo in uos impietates uestras. Alias autem: Assumpsi ex filiis uestris qui essent prophetae, itemq; ex adolescentibus uestris qui mihi sancti essent. Atque adeo ante prophetarum tempora, ostendere uolens deus hominum peccata lōge maiori supplicio expiari, dum à sacerdotibus quam dum à priuatis fiunt, mandat ut tantundem pro sacerdotibus, quantum pro uniuerso populo sacrificium offeratur. Quod quidem

BASIL.

CHRYS.

BASIL.

CHRYS.

Matth. 23.

Lew. 4.

quid aliud signat, q̄ sacerdotis vulnera maiori medicamento atq; auxilio indigere, atque adeo tanto, quanto coniuncta simul uniuersi populi vulnera indigēt? Porro maiori nequaquam indigent, nisi ea grauiora forent. Atqui grauiora certè sunt, non natura ipsa, sed sacerdotis, qui ea commiserit conditione ac dignitate. Cæterum quid hic nos de uiris uerba facimus, qui ministerium pertractantes sacris operarentur: quum & sacerdotum filia quibus ipsis nihil cum sacerdotio commune est, propter dignitatem paternā eorundem peccatorum pœnam multo acerbiorē sustineant. Ac peccatum quidem par æqualeq; tum quod illa, tum quod priuatorum hominum filia cōmiserint: mœchatio enim utrunque, at multa illis irrogata multo seuerior. Cernis quā abunde deus declaret longe maius sese supplicium à principe quam à subditis exigere? Neq; enī qui in filiam propter eius patrē grauius quam in alias quasuis animaduertit, à patre certè, qui ipse auctarij pœnæ in filiam irrogandæ author sit, parem eandemq; cū multis pœnam exiget, sed multo sanè grauiorem. Id quod vel maxime consentaneum est. Non enim dampnum inde exoriens in illum tantum recidit, uerum & infirmorum, & eorum item omnium quorum oculi in illum conuersi sunt, animos tentat. Hoc ipsum & Ezechiel docere uolēs, separat, secernitque arietes ab ouibus. Ecquid tibi nunc uidemur iusto terrore percussi fuisse: Nam præter illa quæ à me dicta sunt, quanquam magnopere mihi ad laborandum est, ut ne penitus ab animi huius morbis opprimar, tamen labore ipsum sustineo, nec certamen quidem subterfugio. Etenim animum quidem meus ab inani gloria uel hodie capitur. Sed tamen exerto capite sæpenumero respisco, ac me captū esse intelligo, atq; adeo aliquoties captum, seruilemque animū increpo. Obrepunt mihi uel hodie absurda quædam appetentia, sed quæ remissiorē incendunt flammā, propterea quod oculis extrinsecus materia nulla suppeditet, qua ignis conceptus foueatur. Vaco autē prorsus ab oblocutionibus maledicentibusq;, quas uel in alios contorqueā, uel ab aliis in me cōortas audiā, cū nullos habeam quibus cum sermones ipse meos conferre possim. Neq; enim priuati hi parietes uocē edere ualeant. Sed nec iræ quidem moderari perinde possum: etiā si nullus adsit à quo irriter. Sæpe enim quum mihi in mentem uenit ineptorum quorundam hominū, facinorumq; ab illis perpetratorū, tum certè fit ut animo intumescam, cōmouearq;: qui tamen animi motus nō ad finem vsque decurrit. Statim enim excandescentē illum compefcimus, persuadentes ut conuiescat, præsertim ubi illū docuerimus, infulsissimū esse extremāq; demum infelicitatis, domesticis malis incommodisq; prætermisissis, in alienis curiosos esse. Qui si in multitudinis consortium me conferam, perturbationumq; illarum infinitate occuper: iam non liceat admonitione huiusmodi perfrui, neque rationes eas cōminisci, quibus animus mihi meus sic instruat, atq; erudiatur. Sed quemadmodum fieri uidemus, ut qui fluctu rapiente, aut alia vi in caput præcipites feruntur, possint quidem interitus sui finem prospicere, at salutis rationem inire non item: sic & ipse si ingentem illum morborū tumultum irruero, potero quidē supplicium meū contueri indies magis ac magis ingrauescens: mihi autem constare, quemadmodū & mihi nunc consto, ac morbos huiusmodi vndique rapientes increpare, non perinde facile atque antea. Mihi enim animus imbecillis, exiguus, & captu admodum facilis, non ab his tantum

1. Reg. 4.

Ezech. 34.

Tomus quintus.

morbis, sed & ab inuidentia, morbo omnium longè molestissimo, qui animus neq; contumelias, neq; honores moderate ferre potest, quin potius supra modū ut his attollitur, ita illis deprimitur. Ergo quemadmodū ferarum immaniū est, ut dū lato saginatoq; corpore gestientes luxuriant, facile eos vincant qui secum depugnent, præsertim si aduersarij imbecilli ac pugnādi minime periti fuerint: sin uero eas quis fame macerarit, strigosasq; effecerit, tum fiet ut illarū furorem sopiat, ac uirium bonā partem sic contundat, ut qui non admodum generosus fortisq; sit, possit cum illis facile decertare ac depugnare: sic & animi morbos quisquis infirmos reddiderit, eos certè sub rationis gyrum facile reducit. Rursus quisquis exquisitè educauerit, molestiorē sibi aduersus illos pugnā constituit: atq; hac demū ratione sic aduersum se terribiles efferasq; reddit, ut cogatur in perpetua tū seruitute, tum in formidine uitæ transigere. Quænam igitur beluarum istarum alimentis: inanis quidem gloria alimenta sunt laudes, atq; honores: Contumacia, potentia, atque adeo licentiæ magnitudo: Inuidentiæ, alienæ famæ celebritas: Auariciæ, largientium liberalitas: Intemperantiæ, deliciae atq; assidui mulierum congressus: In summa, ne hic de singulis agam, alimentū aliud, aliud peccatū alit. Proinde beluæ hæc omnes me, si in medium hominum cœtū accessero, magno impetu adoriētur, animūq; hunc cōturbabunt: tum uero & terrorem afferentes, molestiorē mihi cōtra se pugnam efficiēt. Cæterum tantisper dum solitudinem hæc colo, quanquā cum illis etiā luctans, tamē dei optimi gratia adiutus, eas sic domo, sic subicio, ut præter latratū nihil habeant. His de causis in hoc me ipse cubiculo contineo: his de causis alios querētes, nemini ad me aditum patere, contuberniūq; ac conuictum meum cum nemine communē esse, infinitasq; in me id genus criminationes congerentes facile fero: quas equidem lubens abstergere, sed quum id non liceat, quod proximum quidem est, animū hūc dolore compungo, ac mœsticia excrucio. Neque enim procliuē mihi est vno eodemq; tempore tum hominū consuetudine uti, tum hac in animi securitate ac præsentia persistere, quo fit ut te ego exhorter eum potius miserari, quam calumniari ut uelis, qui tanta difficultate interceptus est. At uero ipse tibi quod uideo, nondum oratione mea persuasi. Itaq; appetere iam tempus reor, ut quod vnū superest, mihi arcanum, id in sinum tandem tuū effundam, etiam si multis id fortasse tale futurum sit, ut credi minime debeat: me uero quicquid id est, ne hac quidem ratione euulgare pudebit. Nam ut illud à me euulgatum futurū sit, tum malæ huius cōscientiæ, tum infinitorum peccatorū argumentum: tamen quum non alius quam deus ipse (cui vni nihil certè occultum est) de nobis iudiciū facturū sit: quid nobis tandem lucri, quid emolumentum ex hominū ignoratione hac in parte accedere poterit? Quod nā igitur arcanum hoc est? Ab eo ipso die quo tute mihi episcopatus suspensionem hanc iniiecisti, factum est identidē, ut corpus hoc ab anima propemodum dissolueretur: tam ingens pauor, tam ingens mœsticia animum meū occupauit. Nam cū apud me considerare Christi sponsa gloriam, sanctimoniam, uenustatem spiritualē, prudentiam, ornatum: tum uero animi mei uicia expedere, fiebat ut assiduis tum illam, tum etiam me gemitibus luctibusq; prosequerer, quo in animi angore doloreq; dum versarer, hisce memet uerbis conueniebam. Quis nā consilij huius author fuit: quid tandem tantū

quid pecca-


peccavit dei ecclesia: quā nā tanta res ipsius ecclesie do-
minum excitavit, induxitq; vt illā tanto cum eius de-
decore mihi mortalium omnium ignominiosissimo
regendam traderet: Hæc ipsa mecum identidem repu-
tans, dum absurditatis indignitatisq; huius ne cogita-
tionem quidem animo sustinere valerem, fiebat vt co-
rum exemplo qui attoniti sunt, stupēs, neq; cernere, ne-
que audire quicquā possem. Ab hæsitantia autē ac con-
sternatione huiusmodi quum animus tandē meus di-
missus esset, (facebat enim intermittebatq; illa non-
nunquā) succedebāt lachrymæ ac mœsticia: tum vero
post lachrymarū satietatē rursus insinuabat sese timor,
animū hunc cōmouens, conturbās, concuties. In tanto
ego æstu antea vixi, cū id tute ignorares, meq; in tran-
quillitate vicitare existimares. Ego vero tibi hic ani-
mi mei æstum detegere tētabo: hinc enim fortasse ve-
niam mihi dabis, meq; tandem insimulare desines. Quī
igitur illum detegam? Nam si eū aperte oculis istis cer-
nere velis, id nimirum haud aliter liceat, quā corde
hoc tibi per me prius detecto, nudatoq;. Quod quia fie-
ri non potest, tibi hic ego per obscuram quandā ima-
ginem vtcunq; potero, experiar mœsticię meæ fumum
representare. Tu vero ex ipsa imagine mœsticiā tantū
nostram colligito. Fingamus puellam aliquam regis fi-
liam, & eius quidem cui terra ea vniuersa quæ sub sole
posita est, pareat, à proco quoquam expeti: tum vero de-
mus nouam quandam in ea inesse formæ venustatem,
quæ sic humanā naturam transcendat, vt per eā puella
muliebri genus vniuersum magno admodū discrimi-
ne superet: præterea tantam illi inesse animi virtutem,
vt virorum genus eorū, in quā, qui vel antea fuere, vel
futuri olim sunt, lōgo post se intervallo relinquat: tum
autem & morū honestate tanta eandē excellere, vt vel
omnes philosophiæ terminos excedat: denique talem
esse, vt proprii aspectus gratia, oculorumq; venustas v-
niuersam illam corporis totius elegantiam obscurat.
Addamus item, si placet, ipsius procum, non ex iis tan-
tum quæ diximus, virginis amore ardere, sed furore itē
nescio quo erga illam affici: quo quidem insanissimos
quosq; qui antea vnquam extiterint, amatores superet:
postea procum hunc dum hoc philtro ac furore defla-
grat, alicunde accepisse, futurum vt puellam illam quā
miro amore depereat, homuncio nescio quis humilis,
abiectus, obscuro atque ignobili genere natus, qui que
idem corpore sit mutilo, denique mortalium omnium
nequissimus, in vxorem ducat. Tibi ne hic exiguā do-
loris nostri partem representauimus: satī tibi à me fa-
ctum putas, vel finita hic à nobis imagine: Equidem sa-
tis me fecisse puto, quod ad animi mei mœsticiam re-
presentandam spectat, cuius vnus rei gratia imaginē
ipsam adhibuimus. Atqui vt tibi item hic metus stupo-
risq; nostri, modum oculis subiiciam, ad aliam rursus
hypothesim descriptionemq; me confero. Pono ante
oculos exercitum ex militibus, tum peditibus, tū equiti-
bus, tum nauticis viris constantē, ac mare quidē obte-
gat triremium numerus. Rursus ipsas camporum pla-
nities, ipsos montium vertices hinc peditū, hinc equi-
tum phalanges contegant: æs item armorū oppositum
soli splendorem reddat, atq; à solarib⁹ radiis, & galea-
rum, & clypeorum coruscatio vibretur: hastarū fragor,
equorumq; hinnitus in celū feratur, neq; mare, neque
terra appareat, vbiq; æs, vbiq; ferrum. Tum sint contra
hos instructi armatiq; efferi quidā ac truces viri. Instet
iam & conflictus tēpus: postea rapiat quis derepente a-
dulescentē aliquem in agro educatum, ac qui nullius

476
A prorsus artis alteri⁹ gnarus sit quā lyra pastorica ac
pedi, eundemq; armatura creā quum induerit per totū
illum exercitum circumiens deducat, ostendatq; mani-
pulos, manipulorum ductores, sagittarios, funditores,
centuriones, duces, cataphractos, equites, iaculatores,
triremes, triremium ductores, milites inibi cōsertos, na-
ualium machinarum copiam: ostendat hostiū proci-
ctam aciem vniuersam, & auersandos formidolososq;
quosdam in illis aspectus, & armorum apparatus ab
aliorum apparatu diuersum, & immensam multitudi-
nem, & conualles, & alta præcipitia & montium ini-
quitates: ostendat & aduersarios in equis volātibus in-
cantatione quadam insidere, & cataphractos per aërē
ferri, explicata etiam ei incantationis illius vi ac for-
ma: Recenseat porro & belli calamitates, misiliū nubem,
iaculorum niuis instar ingruentium impetū, mul-
tam illam caliginem & tenebras, obscurissimam no-
ctem, quā sagittarum multitudo efficiat solis radios
densitate sua auertens, puluerem tenebris non minorē
omnium oculos obcæcantem, sanguinis torrentes, ca-
dentium gemitus, stantium clamores, iacentium acer-
uos, rotas sanguine tinctas, equos præ cadauerum mul-
titudine vnā cū suis sessoribus in caput præcipites, ter-
ram vniuersam mixtim hæc omnia continentem, san-
guinem, arcus, sagittas, equorum vngulas, hominū ca-
pita simul iacentia, & brachia, & collum, & tibiā, & pe-
ctus transfixum, cerebella ensibus traiecta, iaculi cuspi-
dem effractam, cui hominis oculus tanquam infibula-
tus hæreat. Recenseat item & classis mala atq; incom-
moda. Triremes alias in mediis aquis confluentes, a-
lias cum cataphractis ipsis pessum euntes, fluctuum fra-
gorem, nautarum tumultuationem, militum clamorē,
spumam tum vndarum tum sanguinis mixtam, eandēq;
in naues simul omnes irrupentem, cadauera
alia super ipsa nauium transtra iacere, alia submergi, a-
lia adnatare, alia ad littora æstantis maris impetu ci-
ci, alia intra ipsos fluctus sic obrui, vt nauibus iter velu-
ti obsepant. Postremo cum exacte belli tragœdias om-
nes edocuerit: addat item & captiuitatis calamitates,
& seruitutem nulla non morte duriolem. At secundū
hæc omnia iubeat illum continuo in equum ascende-
re, vniuersiq; illius exercitus ducem agere. Hic tu adu-
lescentulū illum censes vel nudæ harum rerum narra-
tioni sustinendæ parem esse posse? ac non potius vel à
primo statim aspectu animo defecturum? Proinde ne
me ipse hic putes rem oratione attollere, neq; hoc ipso
quod corpore sic vt carcere aliquo inclusi, nihil prorsus
rerum inuisibiliū cernere possimus, magna ea esse du-
cas, quæ à me dicta sunt. Videas enim eo prælio longe
tum maius, tum horribilius, si tibi fortē caliginosissi-
mam illam diaboli aciem, conflictumq; insanū oculis
istis cernere liceat. Non enim illic aut æs, aut ferrū, nō
equi, non currus, non rotæ, non ignis, non iacula ista
quæ cernimus, verū alia quædā machinamenta iis quæ
dixi longe terribiliora, certē aduersariis istis nequaquā
opus est thorace, nō scuto, neq; ensibus, neq; hastis. Sed
vel nudus execrandæ illius militiæ aspectus talis est, vt
humanam animā à corpore ipso dissoluere possit, nisi
ea admodum generosa fuerit, atq; adeo antequā à vi-
ribus ipsa suis auxiliū petat, diuinæ in se clemetiæ pro-
uidentia senserit. Ac sanē si liceret corpore hoc exuto,
aut vnā etiam cum ipso corpore perspicere atq; intrep-
de vniuersam illius aciem bellumq; contra nos instru-
ctum ipsis oculis coram contueri, videres vtiq; nō san-
guinis torrentes, neq; corpora demortua, sed animarū
lapsus

lapsus tā multos, sed vulnera sic graua, vt tibi statim
belli vniuersa illa pictura quam modo expressi, puero-
rum delectamenta, & ludicrum potius, quā bellū vi-
deri possit: tam multi certē ac frequentes ij sunt qui in
dies singulos feriuntur, quorū vulnera non idem mor-
tis genus pariunt: sed quantum inter se dissident anima
atq; corpus, tantū est certē inter mortem hanc atq; illā
discrimen. Nam quoties plagā anima accipit, eadē-
que cadit, hīc prostrata quidem iacet mala iam con-
scientiæ cruciatu contabescens: postea vero quā sepa-
rata à corpore hinc emigrarit, per iudicij sui tēpus æ-
terno cruciāda supplicio traditur. Quod si quis existet
qui diaboli plagas non perferat, nimirū illius mor-
bus ex ea indolentia ingrauescit. Quemcunq; enim pla-
ga vna inflicta nō mordet, neq; attritat, is certē facile
& alteram excipit: itemq; hæc accepta, tertiā: neque
enim intermittit ad extrēmū vsque spiritum ferēs ne-
farius ille, quoties inuenit animam supinam, priorēs-
que plagas contemnentem: qui si & congressus mo-
tum expendere velis, hunc vero longe acriorē, ac ma-
gis diuersum comperies. Neq; enim quisquā est qui tā
multas fraudis, doli, artificij formas norit, q̄ multas sce-
leratus ille hostis, qua quidē in parte maior illius vis ac
potentia inest, neq; inimicicias quis tantas tāq; incōci-
liabiles aduersus hostes sibi insensissimos gerere potest,
quantas ille aduersus humanam naturā gerit. Porro si
quis examinet quanta cum inhumanitate is depugnet,
ridiculū certē fuerit homines hoc in loco cōferre. Sin
iracundissimas ac truculentissimas quasq; feras delegeris,
quas cum huius furore atq; insania conferas, reuera
mansuetissimas humanissimasq; eas à comparatione
comperies, tantum ille in animas nostras furorem spi-
rans euomit. Adde quod & pugne inter homines gestę
tempus breue quidem esse solet, qua etiam in temporis
breuitate multæ dantur induciæ. Nam & natura sic cō-
paratum videmus, vt & noctis superuentus, & iugulan-
di labor, & cibi capiendi tēpus, & multa id genus alia
militi respirandi potestatem sic faciant, vt & armatu-
ram exuere, tum vero paulum respirare, seq; & cibo &
potu reficere, multisq; rebus aliis pristinas vires recupe-
rare valeat: aduersus autem diabolū dimicanti nun-
quam licet arma ipsa ponere, somnūve vllum cape-
re, ei præsertim, qui perpetuō inuulnerat⁹ prælio exce-
dere volet. Ex duobus enim necessario alterū cōsequi-
tur, vt aut cadat quis ac pereat armis spoliatus: aut con-
tinenter vigilet, armatusque stet. Siquidem ille conti-
nenter cum sua ipsius acie stat, fœcordias nostras obser-
uans, ac maius quidem asserens studiū ad nostram in-
ternecionem, quā ad nostram ipsi nos salutē assera-
mus. Postremo vt semel finia, quod à nobis hostis ille
minime conatur, quodq; derepente atque improviso
nos adoriatur (quæ res iis qui non assidue in excubiis
vigilantes fuerint, infinitorū malorū causa esse solet) fa-
cit nimirū, vt bello hoc ægrius ac maiore cū negocio,
quā illo defungi possis. In hoc ergo campo, voluisti
nos Christi militibus duces esse: Hoc ipsum vero quid
aliud erat quā diabolo potius duces esse: quū enim is
qui cæteros debet tum in ordines partiri, tum militari-
bus armis instruere, omniū simul infirmissimus, simul
imperitissimus fuerit, fit nimirum vt suæ fidei creditos
prodat, & diabolo magis quā Christo ducem agat.
Tu vero quid ingemiscis: quid lachrymaris: neq; enim
rerum nostrarum conditio lamentatione, sed gaudio
potius ac læticia prosequenda. Mea vero, inquit, nō
perinde se habet, quin potius infinitis digna ea est plā-

A ctibus. Vix enim potui ipse vel hætenus animaduere-
tere, quo me malorum præcipitem egeris. Siquidem ad
te ipse eo solo nomine adierā, vt abs te edocerer, quid
mihi tandem iis posthac respondendum verbis tuis fo-
ret, qui te insimularent: tu vero me ipse emendas, curā
aliam pro alia mihi iniiciens: neq; enim sollicitus iam
sum, qua te ego apud illos, verum qua tum me ipsum,
tum delicta mea apud deum defensione, excusationeq;
tuear. Atqui abs te ipse iterū atq; iterū peto & contēdo,
si qua tibi rerum mearum cura, si qua in Christo conso-
latio, si quod dilectionis solatium, si qua viscera, & cō-
miserationes esse possunt (ipse enim nosti tua potissi-
mum opera me in hocce adductum periculum) manū
mihi auxiliatricem porrigas, ea posthac in gratiā meā
apud me tum dicens, tum faciens, quibus vita mea cor-
rigi atq; emendari possit, neu tute quæso, vel breuissi-
mum temporis punctum nos deferas: quinimō sit tibi
hoc ipso magis tempore quā antea cōmune nobiscū
confortiū, atq; contubernium. Ego autem ad verba CHRYS.
ista subridens: Et quanam, inquam, tibi in re Basili vsui
esse valeam, qui te tanta ista negociorū mole pressum
subleuare atq; adiuuare possim? Enī vero quādoquidē
tibi id gratum acceptumq; video, bono amice animo
esto. Id enim tempus omne, quo tibi à curis illis respi-
rare dabitur, & tecū ipse adero, & te consolatione mea
reficiam, quantum in me erit, nulla tibi in re defuturus.
Quæ verba quum ille audisset, multo etiam quā an-
tea magis illachrymās surgit. Hic ego illum amplexus,
capūtque deosculatus deduco, hortatus vti generoso,
fortique animo id omne perferat quod accidisset. Ta-
lis enim, inquam, mea est in Christo, qui tibi ad se vo-
cato, ouium suarum curam commisit, fides atque expe-
ctatio, vt tu tantam tibi olim ex huiusmodi functione
fiduciam apud illum comparaturus sis, vt & me quo-
que in die illo periclitantē æterni tui tabernaculi con-
fortem efficias.

DIVI IOANNIS
CHRYSOSTOMI ARCHI-
episcopi Constantinopolitani de compunctio-
ne cordis Liber primus, incerto interprete.



VVM te intueor beate Deme-
tri frequēter insistentem mihi,
& omni cum vehementia exi-
gentem de cordis cōpunctio-
ne sermonem, admiror valde,
& beatam iudico sinceritatē
mentis tuę, atq; animi puritatē.
Neque enim possibile est cui-
quam in huiusmodi sermonis venire desiderū, nisi
ei qui semetipsum prius purgauerit à viciis, atque om-
nibus secularibus curis superiorem sese cellioremque
constituerit. Cuius rei indicium haud difficulter asse-
mitur: inde præcipue: quod si quos forte amor horum
exigua saltem ex parte contigerit, tanta in eis repente
efficitur commutatio, vt confestim terrena relinquere,
atque ad cælum properare contendant: & velut mo-
lestissimis quibusdam vinculis, seculi scilicet curis, ani-
mam resoluentes, volatu celeri ad propria redire eam
finant, & ad cognita recurrere. Sed hoc aliis raro fortē
accidit: te autem, o venerabile caput, certum est inde-
q ij sinenter

Math. 5.
Luc. 6.

dexter, & manus dextra nō aliud indicant, nisi eos qui nos amant quidem, sed inutiliter amant. Sed & quę de non relinquendis vxoribus præcipiuntur, quasi nec madata, nec scripta sint contemnuntur. Nam de non iurando erubescō proferre in medium, non solum propter iuramenta, sed & propter periuria. Si enim verē iurare, crimē est, & præuaticatio mandati: periurium vbi ponemus: Si, inquam, supra est & non, quicquid fuerit a malo est: supra hæc iam quę proferuntur, a quo erūt? Post hæc ait, si quis te percusserit in dexteram maxillā, conuerte ei & alteram: & Volenti tecum iudicio contendere, & auferre tunicam tuam, remitte ei & palliū: & Si quis te angariauerit mille passus, vade cum illo alia duo milia: & Petenti te da: & Volenti mutari a te, ne auertaris ab eo. Ad hæc quid dicemus: pro singulis enim his lachrymę tantummodo proferendę sunt, & confusio habenda est. Apertē enim contra hæc omnia militamus. Ad iudicia namq; & rixas, ac bella cōsurgimus. Pati autē aliquid ex his quę scripta sunt, ac ferre toleranter, neque in verbis neq; in rebus amplectimur. Sed & si in aliquo leuiter saltē pulsēmur, continuo velut ferę bestię insurgimus. Quod si proferas mihi aliquos, qui fortē contempserint censum suum, & pauperibus largiti sint: post hæc vero despecti pro penuria, multa passi sint mala: paucos & valde raros tales inuenies. Quod & si ostenderit aliquem, non tamen talem, qualem euangelij sermo describit, philosophum demonstrabis. Hic enim euangelicus philosophus, non istantum qui spontē dederit, describitur: latus namq; est, & exultat qui spontē largitur: sed qui inuitus & iniuste direptus sit, & constanter toleret ac patienter. Et quid dico, toleret patienter? Ampli⁹ aliquid & excelsius Christi sermo componit. Magnum nescio quid, & immensum est, quo sublimare animas voluit, quas ad perfectionis culmen inuitat. Non solum, inquit, iniuriā patiens, nihil iracundię moueas aduersus eum, qui iniuriam fecit: & non solum pro his quę abstulit non indignis, sed & si quid tibi fortē subrelictum est, id sponte largire ei, qui abstulit totum. Cum enim is, qui ad diripiendā quę tua sunt, iniquo spiritu successus aduenit, si te prouocantem reperit in largiēdo, quā ille venerat in diripiēdo: quamuis sit ille ferus, quamuis immanis & barbarus, erubescet bonitatem tuam, mitigabitur a furore, respiciet continuo, ac facti pigebit: & suū quidem peccatum exhorrescet, tui vero animi virtutem mirabitur, & amabit. Sed hunc ego vbi nunc inuenio? cuius talem vitam mirabor? cuius tales actus reperiam? solum scriptum fortassis hoc legere in diuinis paginis potero: geri autem, vel operibus impleri nescio si videbo. Nolo enim nūc mihi aliquem proferas passum iniuriam, patienter tulisse. Hoc enim potest fieri, pro eo fortassis, quia vicem reddere qui passus est, ac similia referre non potuit: aut etsi potuit, tempus fortasse non habuit: aut etsi tempus fortasse non habuit, aut si temporis fuit, & per omnia potuit, sed propter dei timorē continuē se, demus ei patientiē palmam. Nūquid nam & hoc facere potuit, vt cupiditatem nocentis non expleret solum, sed etiam superaret: & plus cederet, quā expētebatur: ac violenter quę sua sunt auferenti, offerret etiam reliqua, & voluntas etiam ea largiretur, quę iam cupiditas nō querebat. Amplius adhuc aliquid, & eminentius Christi philosoph⁹ docetur a Christo. Hūc, inquit, qui diripuerit quę tua sunt, qui læserit, qui nocuerit, non solum donis largioribus cumula, sed & dilige, & amicū habeto, & tota charitate constringe: in

tantum, inquit, vt & ores pro ipso, & deo preces pro anima eius fundas, quod utiq; indicium summę & perfectę dilectionis est. Verum ne iterū putes hæc cohortatorie magis quā verē dici, etiam necessariam huius dicti causam sermo diuinus exponit. Ait namq;: Si enim dilexeritis eos qui vos diligunt, quę vobis merces est? nōne & publicani hoc idem faciūt? & si salutaueritis eos qui vos salutāt, quid amplius facietis? nōne & Gentiles hæc faciunt? Vides ergo quia volēs discipulos suos Christus præstantiores esse ceteris hominibus, idcirco hæc eos facere docuit. Sed si nos in his nec publicanis nec Gentilibus efficimur meliores, nōne lugendi & plangendi sumus? Quinimō tantum nobis deest, & intantū longe sumus a diligendis inimicis, vt nec amicis quidē amoris vicē charitatisq; reddamus: sed ē contrario, odio habeamus etiā diligentes. Cū enim emulamur, & inuidemus bonis, & omnimode vel in dictis, vel in factis existimationē eorum laudesq; obrui volumus & obscurari: quid aliud est, nisi summi odij, & extremę inuidię indicium? In quo utiq; non solū a Gentibus & publicanis nequaquā differim⁹, sed etiā multo inferiores existimus. Christus enim nos orare pro calūniatoribus iubet, nos insidias & dolos etiā amicis concinnamus. Christus maledicētib; benedici iubet: nos ē cōtrario, aut priores maledicimus, aut male dictis alterius multiplicata maledicta restitimus. Nōne tibi videtur, vt dixi, omnibus modis cōtraria esse præcepta Christi, quę gerimus: & magis pugnā esse nobis cōtra eū, q̄ obedientiā? Nam vana glorię iactantiā, & superbiam tyrannidē, quam ille quidē verbis suis destruit, nos autē gestis nostris & operibus edificamus, quo modo exponam? cuius a nobis vexilla & in orationibus, & in ieiuniis atq; elemosynis præferuntur, & ceteris omnibus rebus gestisque nostris aptantur: cuiq; velut empta mancipia subiugamus, & ceruices nostras omnibus eius ludibriis subiugamus. Tantus enim hominibus diuinorum præceptorū contemptus inest, vt etiā si quid facere videantur ex mādatis, ne hoc ipsum quidem deo; qui mādauit impendāt, sed deceptioni, vana iactatiō, & inani glorię quę gesserunt consecrent: ita vt in vtroque modo pari damno feriantur, & cum facere videntur quę mandata sunt, & cū omnino non faciunt: sic ex omni parte hominū genus intra suos laqueos malignos innexuit. Quod et si quis potuerit ab istis se nexibus exuere, cautiūque & attentius, quę mandata sunt adimplere: malum ingens superbia continue obrepit, in qua est lapsus diaboli. Hæc enim etiam angelum deiecit, quanto magis hominem? quam qui incurrit, non solum ea quę operatus est, sed & semetipsum pariter perdet. Ego autem noui plurimos eorum præcipue, qui videntur distribuere indigentibus pecunias suas, non solū superbię vel iactatię incurrisse laqueos, sed & viciorum aliorū multos. Nōnulli enim ob hoc largiuntur vt amētur, aut his certe quos amāt, aut quorū personas erubescunt. Sed & alias his similes occasiones incurrūt, per quas nō iā mādato dei opus quod factū est assignatur, sed humanā voluntati. Cum ergo tot & talia sint quę corrumpāt actus hominum, etiam bonos: quis facile saluari potest, qui in hæc mala incidit? lam vero id quod scriptū est: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitorib⁹ nostris: quisnā est ex omnibus nobis, qui cum fiducia hæc audeat dicere deo? Quia etsi nihil mali faciam⁹ inimicis & debitoribus nostris, habemus tamen intra nos insanabile vulnus offensę: Christus vero non solum vult nos

Eclē. 28.

Math. 6.

nos ignoscere delinquentibus, sed vt etiam amemus eos, & oremus pro ipsis. Nam si tantummodo non lædas eum qui te læsit, auertas te tamen ab eo, nec libeter eum videas: manet sine dubio vulnus in pectore, & dolor auersit in corde. Quod si ita est, nondum utique quod Christus mandauit, impletur. Nunquid tu ita vis tibi propiciū fieri deum, vt non quidem te lædat, auertat se tamen abs te, & peccatorū tuorū memoriā gerat, & te videre nolit? Igitur qualē vis erga te esse deū, cum delictorū veniā possis: talē te exhibere debes his qui deliquerunt in te, sicut & sapientiū quidā scribit, dicens: Homo homini tenet iram, & a deo querit sanitatem: Et si ipse erga hominē similem sibi non habet misericordiam, quo modo pro peccatis suis exorat deum, cū ipse caro sit, & teneat iracundiā? quis propiciabitur peccatis eius? Vellem silere iam, & hucusque progressus finē imponere sermonibus meis: erubescō enim & confundor vltra procedere. Bellū namq; hoc quo impugnamus mandata Christi, & inimicicias quas aduersus eū gerimus, magis ac magis prodit sermo procedens. Sed quid iterum proderit tacere, cum rebus ipsis arguamur etiam tacentes? Quo modo autē latebimus eū, qui nouit corda nostra, & iudicaturus est ea? Quid ergo dicā de mādato illo, quo iubemur nō thesaurizare super terram? quod fortē quidem faciūt pauci, ceteri vero quasi ē contrario audierint præceptum, & quasi dictum sit ad eos: thesaurizate vobis omni modo super terrā: ita relinquentes cœlum, adhæserunt terrę, & insaniunt erga pecunias congregandas, totoq; affectu deum quidē oderunt, diligunt autem mammonā. Quod autem dictum est: Nolite cogitare de crastino, nec audire, ego scio aliquem nec omnino seruare, & propterea de hoc mandato dicere aliquid erubescō: sed cum confusione prætereo. Etenim oportebat nos quocunq; pacto loquente Christo, & pronunciante non dubitare, sed credere. Nunc vero etiam cum & causas, & rationes adhibeat mandatorum suorum, atq; exemplis ea validissimis muniat, ne sic quidē erubescimus. Propter hoc enim & auium quę non arant, neque seminant, & liliorum quę non nent, similitudines posuit, vt nemo dubitaret: & tamen nos sicut Gentes, aut fortē etiā aliquid despicabilius Gentibus de his singulis cogitando consumimur: & cū neq; pro his orare iubeamur, nos omne studiū erga hæc impendimus. Sed de hoc, vt dixi, mandato erubescens, plura dicere prætereo: ad sequētia venio, si fortē alicubi solatiū qualecunq; mei pudoris inueniā. Quid ergo sequitur post hæc? Nolite iudicare, inquit, vt nō iudicemini. Ego solatiū confusionis meę inuenire credebā, sed augmenta nunc reperi. Si enim etiā nullū peccatū a nobis aliud fuisset admissum, pro hoc solo gehennę nos tradi, satis abundeq; sufficeret. Quippe qui in aliorū delictis seueri & amarissimi iudices relidemus, nostras autem trabes oculis infixas propriis non videmus: qui aliena etiā minima folicite perscrutamur, & ad condēnandū ceteros omne vitę nostrę tempus absumimus: a quo vicio neq; seculi hominē, neq; monachorum vllū facile inuenies liberū. Et quidē cum tanta sit in hoc posita comminatio, diuina enim sententia dicit: In quo iudicio iudicaueritis, etiam ipsi iudicabimini: & in qua mensura mensi fueritis, in eadē remetietur vobis. Cū ergo mali huius pœna quidē tanta sit posita, libido vero aut voluptas, vt in ceteris tanta sit posita, libido vero aut voluptas, vt in ceteris solet peccatis, ex hoc nulla sumatur: omnes tamē festini ac præcipites huic se vicio subiugarūt, tanq̄ si studiū nobis & certamen esset propositū, quis ad hoc malum

prior omnium perueniret. Si ergo nō per vnam, sed per omnes, vt ita dicā, vias, & per omnes aditus currimus, & festinamus occupare gehennę ignes: & nō solū pro his quę laboris aliquid & continentię videntur exigere promi in ea ruimus, sed etiā pro iis quę leuia sunt, & neq; necessitatis aliquid, neq; illecebrę quicquā continēt aut voluptatis, pari linea vtroiq; præuaticationis damnatur. Arguimur enim ex his facilibus & leuib; quod etiā in illis quę videntur laboriosa esse, propria ignauiā desidiaq; delinquimus. Nam, dic mihi, quid laboris habet, vt nō iudices alium, neq; peccata aliena discutias, neq; condemnes proximum tuū: imō vero magis in discutiendo & perquirēdo aliena cōmissa labor est, & iudicare de alteri⁹ mēte summa difficultas. Quis vero hoc audiens credere aliquando possit, quod cum possimus sine labore seruare mandatum, laboramus & nitimur vt præuaricemur: Si per ocium & negligentiam peccaremus, esset fortasse aliquid venię his qui laborare nequissent: Vbi vero laboratur vt peccetur, studiumq; adhibetur & cōtētio quatenus prætereatur mādātū: quis est qui pro hoc malo veniā speret? Hoc enim est contendere aduersus eum, qui præcepta dedit, & bellum legibus eius inferre: quia & reuera ipse pronunciauit de præceptis suis, quod nihil in eis laboriosum sit, & nihil onerosum, dicens: Iugum enim meum suauē est, & onus meum leue. Et nos ē cōtra grauiā efficimus, quę ille leuia constituit: & quę ille suauia posuit, nos facimus amara peccando. Quod si laboriosum aliquid esset in præceptis, decenter & merito virtutem labor comitare: præmia enī proposita sunt post laborē. Nūc vero infelix anima ne hæc quidē reuerentiā diuinis legibus dabit, vt fileat & quiescat, ne ad præuaticationē laborādo perueniat, quamuis sint aliqua in quibus paululum laboris est adhibendum, in his duntaxat, in quibus Paulus dicit: Nam quod in præsentī est momentaneum & leue tribulationis nostrę, supra modum immensum eternę glorię pondus operatur in nobis. Vides ergo etiam quicquid in præsentī est, leue esse, etiam si tribulatio sit. Quo modo leue? Quia immensum pondus futurę glorię leuem facit præsentis temporis tribulationem, etiam si sensibus nostris grauius videatur. Denique & ipse causas in consequentibus exponit, vt omne id duci leue debeat, quicquid passio præsentis temporis intulerit. Ait enim: Non respicientibus nobis quę videntur, sed quę non videntur. Quę enim videntur, temporalia sunt: quę autem non videntur, æterna sunt. Sed videamus quid & alia domini mandata contineant. Nolite, inquit, dare sanctū canibus, neque proiciatis margaritas vestras ante porcos. At nos laudis amore, & iactantię vicio corrupti, etiam huic præcepto contraria gerimus, atque hominibus neque intellectum purum, neque sanam fidem gerentibus, insuper etiam peccatorum maculis innexis, sine vlla discretionē mysteriorum secreta nudamus, & priusquam mētis propositum a nobis, vel sensus capacitas explorata sit, diuinorum dogmatum veneranda eis arcana committimus: & quibus prima rudimenta vix dum tradi oporteret, interna eis adyta diuinę scientię diuinęq; sapientię patefacimus. Propterea denique nonnulli vbi immūdis, vt ita dicam, pedibus sancta nostra calcant, & pleno sordibus pectore hauserunt purū diuinę scientię poculum: nō solum euomerunt quod hauserant, sed & contradixerunt, & transtulerunt, & insurgētes in eos iniuriis & maledictis, atq; accusationib⁹ eos opprobriisq; ruperūt: Et ita ne nobis quidē ipsis, & vite at-

que existimationi nostræ parcimus, dūmodo præuaricemus diuina præcepta: & nō solū in hoc, sed interdū & in eo præuaricamur præcepti huius vim, cū eos quos nouimus immundæ vitæ homines violentos, rapaces, impuros, & per omnia porcis & canibus similes, diuini eos sacramenti participes effici patimur. Multum est, si velimus singula quæq; mandata discutere, quæ omnibus modis in contemptu habentur ab hominibus, vt illud quod in sequentibus dicit: Quodcumq; vuleritis vt faciant vobis homines, ita etiā vos illis facite. Nos è contrario omnia facimus hominibus, quæ ipsi nolumus perpeti: & rursum, qui sumus iussi per angustā viam incedere, per latā semper incedimus. Et quidē quod homines seculi latam viam spaciosamq; gradiantur, non valde mirum est: eos autē qui videntur crucē suā sustulisse, & sequi Christū, per hanc latam & spaciosam velē incedere, non tibi prodigiosum videtur? Deniq; monachi cū de monasteriis, & locis habitationū percontantur, ante omnia requirunt, si requies sit in loco, si abundent omnia, si aquarum copia fluant. Sed etsi de eremo requirant, etiam ibi ante omnia de requie tractant, & de opportunitate ministerij corporalī. Iam vero si ad aliquam dispensationem vocaueris, aut aliquid ministerij diuini iniungere vuleris, prima statim sollicitudo est ei, & prima ista verba sunt. Si est ibi requies quod eundum est, si inueniantur quæ necessaria sunt abundanter, si nihil desit eorū quæ lata ac spaciosa via deposcit. Quid ais dō homo, quid loqueris? arctā viam & angustā iussus es ambulare: vt quid de requie, vt quid de abundantia percontaris? Per angustā ianuā transire iussus es, vt quid amplos requiris ingressus? Est aliquid ista permutatione nequius: Est aliquid ista permutatione deterius: Verū ne existimes me hæc dicentem alios incusare, iam nunc tibi de me, de meipso inquam narrabo. Etenim cū sedisset in animo quondā relicta vrbe trāsire ad habitaculū monachorū, ego scio q̄ sollicitè perscrutabar, vnde nobis in illis locis quæ necessaria sunt corpori præberentur: & si possibile esset, & recentis, & diurni panis habere quotidie copiā. Sed & illud nō segniter requirebā, ne fortē eodē oleo olla & lucerna esset aptāda, si nō leguminis granis & solitarius cibus sumi iuberetur. Sed & ne operis aliquis grauis esset exactor, ne fortē fodere terrā cogeret, aut ligna deferre, aut aquā humeris portare, vel cætera huiusmodi exhibere ministeria: ita omni sollicitudine pro requie corporis percontabar. Et quidē qui principibus seculi ministrant, ac reipublicæ negociis inferuiunt, horū nihil requirunt, sed tantū si aliquid lucri temporalis habeat eius militiæ locus. Quod si hoc solū esse cognouerit, iam nullus refugitur labor, nullū periculū vitatur, nulla indignitas excusatur. Seruilia etiā si ab ingenio deposcantur officia, non negantur, peregrinationes longissimas, periculosisimasq; non respuet, contumelias, cruciatus, permutationesq; temporū feret: omnem sustinet laborem spe lucri, nec timet, ne fortē ab ipsa miserabili spe decipiatur ac decidat, nec immaturā peregrinis in locis mortē, & subitā pertimescit: separationem quoq; suorum, & coniugis etiā ac liberorum absentia tolerabiliter patitur. Non deniq; patriæ, nō charorum mollitur affectu, sed desiderio & cupiditate pecuniæ, velut amēs agitur, & amore eius incensus, nihil laboris sentit, nihil doloris intelligit. Nos è contra, qui non pecuniā quærimus, sed sapientiā: nec terrā, sed cælum petimus, & ad cæli diuitias festinamus, quas neq; oculū vidit, neq; auris audiuit, nec in cor hominis ascē-

derunt: hæc, inquam, quæretes, & pro his cælo ipsi vim parātes inferre, de requie corporis percontamur: Vide quanto miseres illis sumus & molliores. Quid dicis dō homo, quid agis? Cælū paras ascēdere, & regnū cæli inuadere: & interrogas, ne qua tibi difficultas occurrat in itinere, ne quid asperū tibi in via accidat aut laboriosum: & nō erubescis, nō pudore oppressus sub terra temetipsum defodis? Si enim omnia mala tibi occurrerent, si cōiucia, si iniuria, si ignominia, si calūnia, si gladius, si ignis, si ferrū, si bestia, si præcipitia, si fames, si ægritudo, & cuncta quæ vel dici, vel excogitari possunt mala, super te irruerent, dignum aliquid erat? Non tibi hæc omnia pro tantis ac talibus causis ridēda prorsus & spernēda penitus viderentur? Anilis animæ est metus hic & effeminata. Erit ergo ita abiectus aliquis & infelix, erit ita degeneris animi, vt cælū cupiēs ascēdere, de terrena requie cogitet: quā non solū requirere, sed etiā paratam recipere indecorū est. Aut non tibi videtur absurdum, vt hi quidē qui humano amore flagrant, totam mentē suā, totamq; cogitationē in illis habeant quos amant: & si absentes corpore sint, cogitatione tamē cū illis sunt: nec aliud aliquid sibi dulce esse in presenti vita deputāt, nisi aut ipsos videre si liceat: aut si id non potest, de ipsis absentibus cogitare: nos autē qui amore sancto in corruptoq; flagramus, omissa cura & sollicitudine eius quæ amamus, requirimus ea quæ amorē nostrū non solū nil iuuare, sed & impedire plurimum possunt. Non video charissime, quod aliquis nostrum vera & perfecta cupidine cælestium teneatur, alioquin omnia quæ vidētur esse grauiā, vmbra putaret & risum. Et hoc nō ego ex verbis meis, sed illius qui huiusmodi amore exarsit, incēdio salutari docere tentabo: illū dico Christi amatorē, qui tanto igne amoris eius exarsit, vt moras vitæ huius, & dilationē profectiois suæ qua redire morabatur ad Christū, ingemisceret, & doleret, & querelas suas per hæc verba signaret: Positi, inquit, in tabernaculo isto ingemiscimus. Et iterū: Desideriū habens dissolui, & cū Christo esse, multo enim melius est. Sed quoniā, inquit, hoc placet illi quæ amo, permanere in carne necessariū propter vos. Vt enim fides Christi prædicetur, & vt ipse ab omnib' ametur, propterea & famē, & sitim, & nuditatē, & vincula mortisq; sustineo, & maris pericula, & naufragia, cunctaq; omnino quæ inferuntur in me, libens perfero, & nō solū nihil mihi horū graue est, sed & p̄ his omnib' gloriōr. Causa autē mihi gloriandi pro his charitas Christi est. In his enim, inquit, omnibus superamus propter eū qui dilexit nos. Quod si amor hominū frequēter etiā mortem subire persuasit, quo modo non amor Christi, nō solū laboris patientiā, sed & mortis tolerantia persuadet: sicut & huic amatori eius quæ supra ostendimus, omnia pro nihilo ducenti, dū nimis amori eius inhaereret. Neq; enim videbatur sibi esse in terris, neq; præsentē hanc vitam cū hominibus ducere, sed tanquam si iam esset in cælis, & cū angelis haberet conuersationem suā, & quasi facie ad facie conspiceret bona futura: ita spernebat cūcta quæ in presenti vita, vel delectabilia, vel tristia videbantur. Nulla ei cogitatio, nullus sermo de requie erat, quod nos & frequētius & sollicitius quærimus, sed clamabat dicens: Vsq; ad hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cadimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris. Maledicimur, & benedicimur: persecutionē patimur, & sustinemus: blasphemati deprecamur, tanquā purgamēta huius mundi facti sumus omnium

nium peripsēma vsque adhuc. Per singula enim oculos mentis suæ conuertens ad cælum, & decore cælestium tractus reuerti ad terrēna rursus recusabat: sed sicut is qui in paupertate positus intra vile & humile tuguriū vixit, si forte regem videat auro multo, & margaritis, ac purpura resurgente, vltra iam non vult tuguriū pauperis recordari, nec penuriæ suæ ad animum reuocare memoriam, sed agit omnia quatenus possit ad splendore & gloria regis, quem contuens admiratus est & dilexit, inseparabilis effici: ita & Paulus vbi perspexit illa quæ in cælis sunt, contempsit ista quæ egestatis & squaloris in terra plena sunt: & cum hominibus quidem pro necessitate terreni corporis conuersabatur, mente vero & solitudine totum se illuc transferebat, quod eum amoris sui ducebat intentio: etiam si triste hic aliquid perferebat, animo ibi occupato non sentiebat: & si delectabile & suauē aliquid videbatur, illa delectatio & illa suauitas quam per spiritum contuebatur, delectationes huius suauitatis obscurabat. Intantum enim succensus erat igne Christi, vt ei etiam si flammæ mortales adhibeas, nesciat, non sentiat, non vratur. Multo nanque vehementior est ignis Christi quo vratur per amorem. Non enim Paulus erat sicut nos mercenarij, qui timore gehennæ regnum Christi requirimus, sed ille alio quodam pacto multo præstantiore, & beatiore desiderio constrictus, ita fert omnia, vt ex his quas patitur pœnis, solatia magis amoris sui capiat, quam dolorem corporis sentiat. Ita enim totam eius mentem deuinxit amor Christi, vt etiam hoc quod ei præ cæteris omnibus amabilius erat, esse cum Christo: rursus id ipsum, quia ita placeret Christo, contemneret: sed & cælorum regno quod videbatur laborum esse remuneratio, pro Christo nihilominus carere pateretur, ab ipso etiam Christo anathema effici pro Christo optabile haberet. Sed fortasse minus planum videtur esse quod dico: quod tamen si explanare vluero, tunc iam non obscurum, sed incredibile fiet, his duntaxat ipsis quibus prius videbatur obscurum. Quod tamen etiam beatus ipse, quia incredibile futurū esse prospexit, cum quadam id protestatione signauit, dicens: Veritatem in Christo dico, non mentior, testimonium mihi perhibente cōscientia mea in spiritu sancto, quoniam tristitia est mihi magna, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ipse anathema fieri à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israëlitæ. Et tamen cum protestatus sit, & cōscientiam suam ad testimonium inuocauerit, adhuc minus credibile videtur apud homines, quod ab ipso velit anathema fieri, pro quo vult & anathema fieri. Quid vero illud, quod cum disputasset de his quæ in hoc seculo agerentur malis, addit & dicit: Quis nos separabit à charitate Christi: tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculū, an gladius: Et enumerans omnia quæ in terris sunt, ascendit etiam in cælum: ostendere volens quia nihil magnum est, si contemnat terrena supplicia propter Christum, adiecit etiam hoc: Quia neque angeli, neque principatus, neque potestates, neque virtutes, neque præsentia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque alia creatura poterit nos separare à charitate dei, quæ est in Christo Iesu domino nostro. Quod autem dicit, tale est: Non solū homines abstrahere me nō possunt ab amore Christi, sed ne angeli quidem, neque omnes simul cælorum virtutes, si cōueniant in vnū, ab eius charitate separare me possunt: nec si à regno decidere me necesse sit, aut etiam in

gehennam trudi pro Christo, ne hoc quidem mihi metuendum est. Quod enim ait, Altitudo & profundum, vita & mors: nō aliud mihi indicare videtur, quam regnum cælorum & gehennam. Hæc autem dicebat, non quod angeli affectare possent eum aliquādo à Christo separari, sed etiam ea quæ impossibilia sunt, verbi gratia fieri posse dixit, magis quam se à Christi amore seueri, vt per hæc quæta in eo vis esset charitatis ostēderet, atque omnibus ante oculos poneret. Hic enim amantiū mos est, vt amorē suum silentio tegere nequeant, sed necessariis suis & charis efferunt, & produnt, & flammæ suas intra pectus cohibere non possunt. Enarrant frequentius, vt ipsa assiduitate narrandi amoris sui solatium capiant, & refrigeria immensū ardoris assumant. Sic ergo facit beatus hic, & eximius amator Christi. Omnia quæ sunt, & quæ erunt, quæq; accidere possunt, & quæ omnino nō possunt, simul sermone vno complectitur, visibilia & inuisibilia, omnem requiem, cunctaq; supplicia, & quasi non sufficētibus bonis solis, ad amoris sui vim & magnitudinem complectendam assumit & tristitia. Sed & ea quæ non sunt, commemorat, vt ostendat quia etiam si essent ea quæ non sunt, se tamen mouere à proposito, aut mutare nō possent. Nam creatura alia vtique de his dicit quæ non sunt. Quod si illi non sufficiunt omnia quæ sunt, vt moueatur à charitate dei, quæ est in Christo Iesu, sed & ea quæ nō sunt, prouocat quodam modo ad certamen, & ad tā excellentē conscendens: nos qui iubemur eius esse imitatores, ne istas quidē ferimus tribulationes, quæ cōmunes nobis habentur cum cæteris: sed dissoluimur & relaxamur, & quasi febribus defatigati deficimus, tanquam longa & diutina egritudine consumpti, & de omni sanitatis spe penitus desperamus? Sed & si aliquis nobis exempla apostolorū adducat in medium, & dicat, sequi nos debere, & imitari vitæ eorum propositum, gestorumq; regulas custodire: respondebimus statim, quia nobis impossibile sit illos imitari, & virtutis eorum tenere mensuras. Quod si etiam causam percontetur quis, nos cōtinuo stultam illam responsionem absurdamq; proferrimus. Ille Paulus erat, ille Petrus erat, ille Ioannes erat. Quid est ille Paulus erat, dic mihi: quid est ille Petrus erat? Nonne eiusdem naturæ erant cuius & nos? Nonne eadem via ingressi sunt hunc mundum qua & nos? Nonne eiusdem cibis utebantur, atque eundem respirabant aërem? Nonne eiusdem vitæ vsibus agebantur? Nonne aliqui ipsorum etiam cōiugia experti sunt, & liberos procreauerunt? Quidam vero ipsorum etiam opifices communium artium erant. Alij vero & lapsus perpessi sunt peccatorum, atque in vltimum malorum barathrum deciderunt. Sed multum, in ius, gratiæ illi acceperunt à domino. Siquidē mortuos suscitare iuberemur, aut oculos aperire cæcorum, aut mūdare leproso, aut claudos erigere, aut demones effugare, aliasq; his similes sanare egritudines: si operationū virtus quereretur, locum haberet ista responsio: si vero vitæ à nobis obseruantia cōuersationisq; requiritur, & obedientiæ ratio, quid facit ad hæc ista narratio? Et tu enim accepisti gratiam dei per baptismum, & participium spiritus sancti consecutus es, etiam si non ad hoc vt signa faceres, sed quantum sufficeret ad hoc, vt rectæ vitæ obseruantiam custodires. Et ideo perditionis nostræ causa nulla alia est quam negligentia nostra atque desidia. Sed & Christus in illa die remuneraturum se promittit, nō eos qui signa & prodigia, sed eos qui sua præcepta fecerint, dicens: Venite benedicti patris mei, percipite

Math. 7.

1. Corin. 4.

1. Corin. 4.

1. Corin. 4.

1. Corin. 4.

Math. 25.

percipite regnum quod vobis paratum est a constitutione mundi. Non dixit, quia mirabilia fecistis: sed quia esurivi, & dedistis mihi manducare: sitiivi, & dedistis mihi bibere: peregrinus fui, & collegistis me: nudus, & operuistis me: infirmus, & visitastis me: in carcere, & venistis ad me. Sed & beatos non dicet eos qui signa & mirabilia fecerunt: sed humiles spiritu, mansuetos, lugentes, esurientes & sitientes iusticiam, pacificos & muros corde, atque eos qui persecutionem patiuntur propter iusticiam. Nusquam itaque in signorum opere & mirabilium beatitudo ponitur: sed in expletione mandatorum, & perfectione virtutum. Nam & illi ipsi beati qui haec fecerunt, non ideo nobis in admiratione sunt, quia signa ostenderunt & prodigia, hoc enim totum gratiae dei fuit: sed pro animi virtutibus magni habentur & clari. Quod utique nutu quidem diuino, & gratia celesti, proprio tamen studio ac labore operati sunt. Non ego sum qui haec dico, sed ille ipse imitator Christi. Cum enim aduersum pseudoapostolos scriberet, atque indicia probae doctrinae, minusque probae, discipulos edoceret: non dixit ex mirabilibus & signis intelligi debere ministros Christi, sed ait: Ministri Christi sunt, & ego, tanquam minus sapiens dico, plus ego. In laboribus plurimis, in carcere abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter: a ludaeis quinquies quadragenas una minus accepi: ter virgis caesus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, die ac nocte in profundo maris fui, in itineribus saepe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus, in labore & fatigatione, in vigiliis frequenter, in fame & siti, in ieiuniis multis, in frigore & nuditate. Praeter illa quae extrinsecus in me concurrunt, quotidiana sollicitudo omnium ecclesiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vrer? Vides pro quibus & quibus gestis mirandi sunt apostoli? nam qui signorum & mirabilium gestis probari volunt, non possunt probi videri, quia & ipse dominus & saluator noster non dixit, ex signis & mirabilibus cognoscetis eos, sed ait: Ex fructibus eorum cognoscetis eos: & iterum dicit: Multi dicent mihi in illa die, Domine, domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo demonia eiecimus: & in nomine tuo virtutes multas fecimus: Et tunc dicam eis: Quia non noui vos, discedite a me operari iniquitatis. Propter hoc autem & discipulos monebat, dicens: Nolite gaudere, quoniam demonia vobis subiiciuntur: sed in hoc gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in caelo. Vita enim bona & actus probi etiam sine signis & mirabilibus merentur coronam: iniqua autem conuersatio etiam si signa & prodigia fecerit, supplicia non euadet, & ideo superfluo haec quaeruntur, imo & periculose. Nam possumus etiam ex his haereticis occasionem dare, si dicamus, quia apostoli & omnes sancti non ex proposito suo & labore mirabiles facti sunt, sed ex dei gratia sola. Dicunt enim: Et quid ergo prohibet omnes fieri tales? Si enim gratia dei nihil requirit a nobis, sed ipsa est quae facit vnumquenque perfectum: cur non omnibus ex aequo infunditur, & fiunt omnes repente perfecti? Non enim est personarum acceptor deus. Sed quoniam non sola gratia dei hoc agit: requiritur enim ut & nos, quod in proposito nostro & viribus nostris est, expleamus: idcirco venit quidem ad vnumquemque gratia dei, sed apud eos qui digni expleant ea quae mandata in ipsis sunt, perma-

I. Cor. II.

Math. 7.

Luc. 10.

Act. 10.

net: & ab his vero qui minus digne agunt, cito discedit: ad eos autem qui nec initium faciunt conuertendi ad dominum, omnino non venit. Rectas enim mentes diligit, & sine furore propositum. Quod etiam in Paulo prospiciens, licet alio adhuc itinere videretur incedere, tamen quia proposito recto, & zelo dei hoc agebat, dicit de eo dominus: Quia vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus & regibus, & filiis Israel. Haec autem testatus est de eo priusquam ei gratia daretur. Non ergo nosmetipsos seducamus, dicentes, impossibile esse ut sit aliquis sicut Paulus. Siquidem signorum & mirabilium, ac sapientiae gratiaque eius contemplatione nullus poterit esse Paulus: vita autem ratione, & conuersationis diligentia praesto est volenti inuitari illum: quod quia non fit, voluntas in culpa est. Sed nescio quo modo in hoc stulticiae decidi, ut Paulus similes aliquos ex his qui nunc viuunt homines requiram: utinam vel tertio, vel quarto post ipsum loco inueniri possit aliquis. Et ideo lugendum est, & ideo flendum, & per totam vitam plangendum, ut vel sic occupata in luctu, & lachrymis anima erubescat aliquando peccare. Denique requiramus a lugentibus, istos dico pro charorum suorum amissione lugentes, & in egestate positos, & non qualescunque homines, sed illos ipsos potentes & diuites, & in deliciis agentes, qui veteri & voluptati viuunt, qui praedia usque ad vesperam, coenas in medium noctis extendunt, qui aliena diripiunt, & propria profundunt, istos ipsos interrogemus: si quando aut vnicum pater filium, aut vxor ereptum cito plangit maritum, quo modo velut fulmine quodaem ista anima aufugiunt continuo, nec vsquam appareret omnes illae molles & dissolutae deliciae: nusquam ventris cura, aut sollicitudo carnis habetur. sed acerrimam continentiam introducit philosophia: abstinetur ab omnibus, aguntur extera ieiunia, iuges vigiliae, humi requiescitur, summum silentium, quies magna, humilitas vltima, mansuetudo ineffabilis, miseratio immensa, etiam si auferantur omnia, etiam si diripiantur, nihil pro his animus curat, nihil mouetur: etiam si igne concrementur vniuersa, & census pariter cum domibus pereat, non indignatur, non irascitur. Multos ego noui post amissionem charorum, nec vrbes habitare voluisse, sed commigrasse ad agros, atque ibi ieiunam & sobriam duxisse vitam cum omni silentio & quiete. Alios memini in ipsis defunctorum suorum sepulchris habitaculum posuisse, atque ibi vitam similem mortuo transigisse. Sed haec postmodum, interim donec dolor in augmentis est, nihil curat anima, nihil cogitat, procul omnis illa infania congreganda pecunie, procul omnis cupiditas possidendi: honoris autem & ambitionis omnis apud eos gloria tunc vere ut foenum & velut flos foeni videtur, & talis quasi quam flamma tristitia in cinerem verterit: & ita ex omni parte anima transfertur ad philosophiam, ut deliciarum atque suauitatum vitae huius, ne ratio quidem vlla habeatur: immo potius si quid prius delectabile visum est, si quid gratum, id nunc amarissimum & odibile ducitur. Nullus famulorum, sed ne amicorum quidem quisquam & familiarium aliquid in auribus ei loqui audebit de his quae huic vitae videntur necessaria esse, sed tantummodo de humanarum rerum caduco & fragili statu, de incertis vitae huius & lubricis rebus sermo habetur, & varietas ac mutabilitas mortalis vitae philosophicis assertionibus exponitur, atque omni ex parte anima per dolorem luctus, tanquam in quodam sacrario collocata, nouis nunc de natura humana imbuitur disciplinis: ut

ut agnoscere incipiat, & sentire praesentis seculi fragilitatem, quam instabilis sit, & quam cito fugiat omne quod in eo magnum videtur: quamque fluxus & corruptibilis sit mundi status, utque omnia tanquam in scena agantur & mimo. Et quidem tunc vere miserae & probroae apparet diuitiae, tunc foeda videtur iactantia. Inuidia vero & ira & concupiscentia ac libido ne ad extremas quidem ianuas lugentis accedit, sed haec omnia fugantur, omnia exterminantur, ita ut ne odor quidem horum vllus occurrat. Vna sola cogitatio lugenti, vnus intuitus imago defuncti est. Ille vultus ante oculos ponitur, ille aspectus menti atque animo exhibetur, ipse ei cibus, ipse potus est: quod si somnus fuerit, somnia inde ducuntur, ibi omnis requies, ibi omne solacium, ibi gloria, ibi diuitiae, ibi potentia, ibi omnes deliciae collocantur. Sic oportebat & nos salutem nostram lugere perditam, atque animam nostram mortuam lamentari, ut nihil amplius dicam. Exhibeamus animam nostram quod illi exhibent carni alienae. Aut non extremae miseriae est, ut hi quidem qui filios aut vxores lugent, ad nihil aliud occupent mentem suam, nisi ut defunctos suos quasi intueantur, & illos semper animo ac cogitatione conspiciant: nos vero quibus salus mortua, & regni caelorum spes extincta est, omnia magis quam inde cogitamus. Et illi quidem etiam si regii generis sint, nemo tamen erubescit solenitatem luctus implere: sed & humi resident, & cum amaritudine lamentantur, & vestem lugubrem sumunt, & omnia faciunt quae ad afflictionem animae & corporis spectant: & neque quod in deliciis nutriti sunt cogitant, neque florem sui corporis respiciunt, neque metu futurae ex afflictione aegritudinis deterrentur, sed omnia ferunt, & infatigabiliter perferunt, & non solum viri, sed & multo magis foeminae, etiam si valde fuerint delicatae. Nos econtra qui non filios, ut dixi, aut vxores, sed animam lugemus, & animam non alienam, sed nostram, recogitamus aegritudinem corporis, & recordamur quod in deliciis educati sumus. Atque utinam hoc solum mali esset: nunc autem ne hoc quidem est quod nos impedit aut retardat. Quid enim, dic mihi, corporis viribus opus est, cum cor contereere debeamus: Quid necessariae sunt vires corporis, ut pura deo fundatur oratio, ut peccatorum fiat recordatio, ut humilitas assumatur, & superbia depellatur? Quid requiro corporis firmitatem ad arrogantiam reprimendam? Ista sunt enim in quibus placetur deo. Quid laboris ista, quid afflictionis requirunt? Et tamen quasi quidam intolerabilis labor sit, omittuntur a nobis. Non requirit deus ciliciorum pondus, neque concludi inter angustias cellulae, neque in obscuris antris & tenebrosis sedere iubet: hoc solum est quod exposcitur a nobis, ut semper recordemur, & ad animum reuocemus mala nostra, & conscientiam gestorum nostrorum habeamus ante oculos, ut pro his supplicemus deo, ut gehennam ponamus in conspectibus nostris, & angelos qui in die iudicij vbique discurrunt & congregant de omni orbe terrarum eos qui tradendi sunt in gehennam ac suppliciis tradendi. Ponamus etiam & illud ante oculos, quanti doloris est excludi ac proiici a regno caelorum, quod, ut mihi videtur, grauius est ipsa gehenna. Nam & si ignis ille non arderet, & immortalis illa poena non esset parata, hoc solum quod alieni efficimur a Christo, & excludimur a bonis aeternis, nonne omni poena cruciabilis diceretur? Quod si non sufficiunt haec ad erigendas animas, & incitandas ad spem, illud saltem ad memoriam reuocemus exemplum quod de virginibus re-

fertur, quae exclusae a thalamo sponsi sunt, propter olei defectum. Ponamus nosmetipsos in illis quae excluduntur, & videamus qui dolor, & quae poena sit, si cogitemus eadem posse & nos pati, si negligimus. Estne aliquis ita lapideus qui hoc exemplo non moueatur, & timeat ne similia incurrat? Potuissent quidem sermonem prolixius producere, sed quia obedientiae magis, quam vsus alicuius causa haec a nobis dicta sunt, etiam ultra quam debuimus, vagati sumus. Bene enim noui, quia si quis cordis compunctionem requirat, hanc vere & integre apud te haberi inueniet, & a te melius doceri, etiam si fileas. Sufficit enim ad compunctionem cordis videri te, & intelligi crucifixam vitam tuam. Itaque melius docebo de compunctione cordis, si nunc quidem viuentibus habitaculi tui iter ostendam, & eos ad videndum te dimittam. Si vero de posteris quaeritur, sufficere ei si tua gesta cognoscant, propter quod obsecro te redde mihi iam obedientiae meae vicem orationes tuas, ut non tam loquamur compunctionem cordis, quam patiamur. Quoniam docere, & non facere, non solum lucri nihil, sed etiam damni plurimum confert. Grandis enim condemnatio est sermonem quidem suum componentem, vitam vero suam atque opera negligenti.

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI
de compunctione cordis, liber secundus.



IT QVO MODO fieri poterit o homo dei, quod imperas Stelechi, ut anima infirma & frigida compunctionis verba pariat? Ego enim puto quod is, qui in hac materia vult aliquid dignum proferre, ipse ante omnes debet hoc calore feruere, & salutari hoc incendio primus igniri, quod possint etiam sermones qui ab eo proferuntur, ignire & accendere animas auditorum. Sed nobis horum nihil adest: procul enim procul a nobis ignis iste, nec flamma vlla intra nos, sed emortuus cinis est. Vnde ergo, vnde charissime accendimus in nobis haec flammam, qui nec scintillam aliquam intra nos vigere sentimus, nec spiritum quo perfari possit & accendi? Quo modo enim spiritus dignetur adesse animae confusione plenae, quae peccatorum multitudo contexit? Sed ego quidem non noui: sed tuae sollicitudinis erit, qui imperare voluisti, ut opusculum nostrum congruum mereatur effectum. Ego nescio si dignum aliquid ex nobis possit exire, tu videris qui opus tantum minus validis imperas ministris. Nos quidem praebimus officium linguae: tu autem precare eum qui sanat contritos corde, & qui dat afflictis patientiam, qui egerit de terra inopem, ut ipse in nobis accedat ignem illum, per quem possit omnis infirmitas animae decoqui, & omne quod aggrauat corpus exuri, quod subnixae pennae suae anima sedat ad caelum: utpote leuior reddita, atque in illo vertice posita intueri de altissimis sedibus, & despiciere possit vniuersam vitam huius, quae in terris agitur vanitatem. Nisi enim quis ad illam celsitudinem volatu animae diuino munere conscenderit, non poterit terram despiciere: neque ea quae geruntur in terris. Liber enim ei de supernis debet esse aspectus, liber auditus, ut & lingua possit liberum verbo praebere ministerium. Oportet ergo boni huius volentem adire principia, prius animo & mente secedere ab omni perturbatione ac fluctuatione visibili, atque ad illa transcendere & penetrare silentia, vbi quies summa, tranquillitas iugis, pura serenitas, & nihil prorsus quod moueat, nihil quod intentum sollicitet animum, aut indaginem cogitationis irrumpat: sed sit im-

fit immobilis oculus mentis, & in desiderium dei tota intentione defixus, fit auditus silens, quietus, intētus, in hoc solum directus, vt audiat verbum dei, & consona diuinorum sensuum modulatione lætetur: cuius tanta vis est, vt si semel obtinuerit animam ac possederit, neque cibum vltra, neque potum, neque somnum requirat. Horū enim omnium voluptas ad desiderium translata est diuinorum verborum, sensuumq; cœlestiū. Hoc ergo esse decet animam institutum, volētis de compunctione cordis vel dicere aliqua, vel capere, vt aliena ab omni perturbatione & solitudine vitæ huius effecta, spiritualis philosophiæ altitudinem, & cœlestis puritatis verticem teneat, quo nequaquam possit ab aliquo sensu eorum quæ geruntur in terris, omnino pulsari. Nam corpus, vel corporis sensus animam, donec terrenis rebus intenta est, innumeris vinculis onerant, & vndique ei nubes corporalium congregant voluptatum. Ad hæc ministrat auditus & visus, ad hæc odoratus, ad hæc etiam tactus & gustus, cunctorumq; quæ extrinsecus geruntur malorū perturbationes, velut in sentinam, ita in animam cōuectant. Quod si substrahere voluerit à terrenis, & studia sua ad spiritualia instituta cōuertere, excludet à corporalibus sensibus aditum, per quem sibi ministrare atque introducere solebat imagines malorum. Excludet autem non ipsis sensibus obturatis, sed intentionibus eorum ad spiritualia cœlestiaq; cōuersis. Sicuti enim domina quædam terribilis, fatiq; seuera, volēs aliquod vnguentū conficere necessarium & preciosum, pluribus ad hoc indiget ministris, multaq; manus requirens suscitatur famulas suas, atque ad semetipsam cōgregat, imperat aliæ tenere librā, vt æquis ponderibus vnaquæq; species misceatur, & neque amplius aliquid, neque minus quam oportet, habeat: sciēs non posse vtile effici quod componitur, nisi summa librationis mēsurā seruetur: aliæ terere iniungit quæ duriora sunt, & summo cum labore leuigare, ne quid durum inueniatur aut asperū: aliam discernere cū cribellis quod tunditur iubet, vt crassiora quæq; pigmenta à minutis & mollioribus secernat ac segreget: aliā iubet miscere, & in vnum conspergere quæ ex diuersis preparata sunt: alia cum alabastro ad stare præcipitur, & aliud aliæ iniungitur: atque hoc modo sensibus earum & animis ac manibus occupatis, & operi proposito affixis, non permittit sensus vsquam euagari, intētionemq; operis propositi irrumpi, imminēs iugiter, & insistentes, neque prorsus indulgens oculum saltem aspectumq; dispergi ministrantium famularum: ita ergo & anima quæ preciosissimū vnguentum istud, cōpunctionem dico cordis, cōponere ac seruare desiderat: omnes corporis sui sensus ad semetipsam congregat, segnicemq; ipsorum ac negligentiam deturbans, tota solitudine vigilare, & in hoc tantum quod proposuit, cogat intēdere. Deniq; si quando acciderit, vt ad semetipsam cōuersa delibet agere aliquid eorum quæ placita sunt deo, idq; prorsus profunda & intenta satis cogitatione pertractet, neque dicentē sibi aliquid audit, sed ne occurrentes quidem, & in oculis stantes videt, nō quod caruerit oculus visu, aut auris auditu, sed quia in secretis agēs anima, & in diuinioribus occupata, nuncios non recipit sensuum & corporalium ministrorū. Et quid dico, quod in his posita anima clamantem non audiat, aut nō videat transeuntem: cū sæpe etiam pulsantes se & trahētes omnino nō sentiat: Per quod intelligi vtiq; datur, hanc esse animæ virtutē, vt si toto affectu desideria sua extēdat ad cœlum, degere se obliuiscatur in terris, atq;

inter homines cōuertari, etiam si trahat aliquis corpus, etiam si propellat. Talis erat beatus Paulus, qui intantū absens erat ab his inter quos conuertari videbatur in vrbibus, quātum mortuis corporibus nos videmur absentes. Quum enim dicit: Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo: emortuam mihi videtur in semetipso corporalium sensuum efficaciam protestari: imō nō solum hoc, sed duplicare in semetipso istam, vt ita dicam, insensibilitatem. Non enim dixit hoc solum, quia mihi mundus crucifixus est: sed addidit, Et ego mundo. Ingentis namque philosophiæ est, vt & hunc ipsum mundum sibi putet aliquis crucifixum: multo autē maioris est, vt & seipsum quis crucifixum putet mundo, quē sibi mortuum prius esse crederat. Hoc ergo in semetipso Paulus ostendit, quia non tantū abesse à terrenis sensibus, quantum viuētēs homines à corporibus mortuis: sed quantum absunt, nec sentire possunt mortui mortuos. Qui enim viuūt, etiam si ipse nō potest mortuum cōspicere: tamē vel sentire potest, vel mirari adhuc speciem decoris defuncti, vel misereri potest & lachrymas fundere. Qui autē & ipse defunctus est, erga mortuū ne hunc quidem habebit affectum. Et hoc est quod mihi videtur dixisse Paulus, quia mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Vides ergo quantū longe erat, & quātum peregrinabatur ab his quæ aguntur in terris: Vides quo modo super terras incedēs, ipsum tenebat verticē cœli? Nolo enim putes quod vel montes, vel deserta, vel inuia ita possint animæ conferre silentium, perturbationesq; perimere, vt ignis iste quē in ea Christus accēdit. Hic ignis in anima Pauli per dies singulos flante spiritu sancto, magis ac magis accendebatur, & ad superna tendens, secū eum vsq; ad ipsum perduxerat cœlum: imō, vt verius dicam, impoluera eum non vsque ad primū cœlum, neq; vsque ad secundum tantum, sed vsque ad tertium raptus est cœlum. Amor autem eius & desiderium quod habebat erga charitatem Christi, non solum tres penetrauerat cœlos, sed & omnes omnino transcendit, & vsque ad ipsum peruenit Christum. Et puto quod nō delinquat aliquis, si sanctum hunc tali cuidam cōferat similitudini, vt si, verbi gratia, flamma quædam immensa vniuersam replet terrā, & inde ascendens replet omnibus vsque ad ipsa perueniret cœli fastigia, sed & inde superās omnia, etiam illum qui supra cœlum est, aërem transcenderet, siue aër ille dicēdus est, siue quid aliud: atq; vbi etiā illa quæ ibi sunt, spacia completeret, ne illic quidem flamma hæc incremēta finiret, sed ascenderet adhuc vsque ad tertium cœlum, & omnia hæc vno atque eodē igne cōpleret, ita vt nec terræ vllum, nec cœli, imō nec cœlorum spaciū relinqueret vacuum. Et ne putes me hæc ad gratiā Pauli dixisse, relege quæ ad Demetriū super hac ipsa materia scripsimus, & inuenies hæc eadem rebus ibidem demonstrata esse, nō verbis. Ita debet amari Christus, ita oportet animam à rebus affici presentibus & visibilibus alienam. Tales erant animæ sanctorum prophetarum, quæ ob hoc acceperunt etiam oculos alios quibus possent videre futura. Etenim renunciare presentibus rebus, & alienū effici ab eis, proprium hoc humanæ industriæ opus est: post hæc vero accipere oculos quibus ventura prospicias, diuini muneris est donum. Talis fuit Helisæus, qui quoniam omnia mundana reliquit negocia, & amant propheticam vitam, regnum cœlestē, & supernam gloriam in terris adhuc positus vidit. Vidit enim quæ nunquam mortalis visus inspexerat, montem curribus igneis, atque equis flam-

meis plenum, armatorum turmas, & castra cœlestis exercitus. Nemo ergo potest eorum qui delectantur presentibus & caducis, cœlestia ac spiritualia cōtueri. Qui vero ista contempserit, & velut vmbra hæc & puluerem duxerit, velocius ad illa perueniet. Nā & apud homines hic mos est, vt tum thesauros suos & reconditas diuitias patefaciant filiis suis, cum eos iam adultos viderint, & puerilis lasciuix vicia respuisse: donec enim his dediti sunt, non possunt eis parentum secreta committi. Ita ergo & anima, nisi prius didicerit terrena cōtemnere, cœlestia mirari nō poterit: & econtrā donec terrena miratur, necessariō cœlestia spernit ac despicit. Hoc erat quod beatus Paulus aiebat: Quia animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus dei. Vt ergo dicebamus, requirenda sunt silentia, requirenda est quies, non solum locorum, sed & animi ac propositi, & ad huiusmodi secreta inuitanda est anima. Si enim propositū quietis gerat quis, nec in vrbis habitatione turbabitur: sicut & beatus Dauid, qui non solum in vrbe positus erat, sed & regni curas sollicita administratione tractabat: & tamen multo ardentior in compunctione erat cordis, quā hi qui solitudines videntur habitare. Illas enim lachrymas eius, & illos tā vberes fletus, quibus & in die flebat, & in nocte nunquam cessabat: vix aliquis habet nunc eorum qui Christo crucifixi videntur. Nō enim solum hoc consideres, quod lugebat & flebat: sed quis erat ille qui flebat, & quid agēs lugebat. Non enim æquale est in tanta positū potestate humiliare se, & curuare in conspectu dei, tot adstantibus atq; officia deferētibus, vbi qui timeatur nullus est, omnes vero præsto sunt metuentes. In hoc, inquam, statu positum humiliare se, & incuruare in conspectu dei, & indefinenter affligere: non est tale, quale si hoc faciat ille, cui nihil horū præsto est, sed ab omnibus is liber est & alienus. Etenim in regno positus quis multa habet quæ ad luxuriam atque effusionem prouocēt. Necessitas ipsa conuiuij affluentis, & regij, quantum segniciei, quantum putas resolutionis, conferat animæ? Tum deinde vis potestatis, quantum elationis, & rursus quātum rigoris imponit? Sed & gloriæ cupido erigit necessariō animos ad superbiam. Libidinis quoque innumera cōfluunt incitamenta, quam gignit quidem potestatis autoritas: nutriunt vero & fouēt deliciarum fomenta, & super omnia regalis luxus inflammat. Curarum vero, vt diximus, frequentia velut imbribus infunditur & perturbatur. Inter hæc ergo omnia, vbi habebit locū cordis compunctio, tot obstaculis repulsa, tot murorum circumuallatione seclusa? Contrā vero qui sibi vacat ab omnibus his perturbationib; alienus est, nisi sit proposito ac voluntate peruersus: & tamen raro quenquam inuenies huius boni munere gaudētē. Interim, vt diximus, qui liber est, & vacat: facilius si intendant animo, poterit adipisci, quā ille qui in potentia positus est, & in principatu ac negociis cōstitutus. Quia sicut impossibile est, vt ignis inflammetur in aqua: ita impossibile est compunctionem cordis vigere in deliciis. Contraria enim hæc sibi inuicem sunt & perēptoria. Illa enim mater fletus, hæc mater est risus: illa cor constringit, hæc dissoluit: illa animam alas annectit, & volare facit ad cœlum: hæc ei plumbi pondus imponit, & demergit in infernum. Sed & illud cōmemorationem nostram non effugiat, quod tanta cordis compunctio illo tempore etiam in regibus fuit, quo nihil ita magnū & eximium lex tunc posita à cultoribus suis deposcebat. Nostri vero agonis tempus in quo adscripti videmur,

etiam pro risu pœnam habet, laudē vero pro luctu, & pro tribulationibus salutē confert. Et tamen ille beatus Dauid (ipsum enim proposuimus exemplū) cunctis quæ eum circumstare & constringere videbantur, abruptis, ita erat in potestate positus, tanquā omnibus esset ipse subiectus, & in folio regali erat, vt vincus in carcere, & in purpura quasi in cilicio iacebat, cinere cōpersus, & corde cōpunctus: aula regalis erat ei, tanquam eremi vastissima solitudo. Hæc autē omnia agebat in eo cordis cōpunctio: sola enim est quæ facit animā horrescere purpuram, desiderare cilicium, amare lachrymas, fugere risum. Sola est, inquam, cordis cōpunctio, quæ sicut ignis omne animæ vicium perurit & adimit, & quātacūq; in ea repererit mala, abstergit vniuersa, & penitus delet. Cōcupiscentiarū flammam si inuenierit, vt fluuius inundans extinguit & enecat: curarū multitudines & perturbationes si videat, velut flagello quodā exturbat & effugat, & procul esse à domiciliis animæ iubet. Ac sicut puluis nō potest stare ante faciem venti, ita nihil malarum cogitationū in anima residere potest, vbi cōpunctio cordis affuerit. Si enim corporalis amor ita deuictam sibi tenet animā, vt ab omnibus eam necessariis actibus cogat abscedere: & illi soli quem amat operam dare, atque in eius cogitatione fixam teneri: quo modo nō amor Christi ab omnibus reliquis abstrahit animam sibiq; cōsociat, ac desiderij sui vinculis stringit? Hæc autem ita inesse animæ suæ etiam Propheta testatur, cū dicit: Sicut ceruus desiderat ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te deus. Et iterū: Anima mea sicut terra sine aqua tibi. Et rursus: Adhæsit anima mea post te. Sed & idem ipse iterū dicit: Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripas me. Et nolo mihi dicas, quod propter peccatum suum, quod ei acciderat, hæc scripsit in hoc psalmo. Non est hoc verū: Nō enim permittit intelligi ita ipsa psalmi at titulatio. Huius enim culpæ satisfactionē alius cōtinet psalmus. Hic autem aliam habet attitulationis suæ causam. Non confundamus diuinas literas, neq; sancti spiritus sententias propriis sententiis peruertamus. Huius etenim psalmi superscriptio habet, pro octaua. Quæ est autem octaua, nisi dies illa domini, illa, inquam, dies magna & terribilis, quæ est vt clibanus ardens, quæ tremunt etiam virtutes cœlestes: ita enim scriptū est: Quia virtutes cœlorum mouebuntur: in cōspectu enim eius ardebit ignis. Octauam vero eam appellauit propter commutationem status seculi huius, ostendentq; in futura vita inuocationem fore. Præsens namque tempus septimanam habet deputatam. Omnis enim præsentis temporis cursus à prima quidem incipit die, & terminatur in septimam: & rursus iisdem circulis spacia præstita voluuntur, eidem initio reddita, atque in eisdem terminos reuoluta. Dominicam vero diem non octauam appellamus, sed primam: quia non potest in octauam numerum reuolui circulus septimanæ. Cum ergo hæc omnia cessauerint, & cursus hic temporum fuerit resolutus: tunc iam septimana depulsa, ogdoas, id est octauum numeri cursus, producet in medium, qui non iam rerum causas reuoluat ad initia, sed omnia consequentibus radat, & perurgeat in futurum. Proprieta ergo hæc intuens & ex his omnibus corde compunctus, ac iudicij futuri intra se memoriam retexēs, diem quoque illum semper in oculis habens, nunquam à tribulatione animi & compunctione cordis vacabat: quoniam quæ nos vix aliquando, & satis raro ad memoriam reuocamus, illius mens & cogitatio habebat

Psal. 6. 37.

bebat semper intra se, & dei iudicia totis sensibus intremebat. Ob hoc ergo sic dicit in psalmo: Domine ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripas me: iram dicens, & furorem pœnæ continuationem: scit enim diuinam naturam carere omni passibilitatis affectu: & quidem cum in multis conscius sit sibi, ex quibus non pœnam sperare debeat, sed coronâ. Erat namque in eo fides tanta, vt muros ac turrestru destrueret alienigenarû, & vniuersam gentem suam de portis mortis ipsius (vt sic dicam) reuocaret: erat in eo etiam inde grandis fiducia cōscientiæ, quod non reddiderat inimico malû pro malo, quinimò & beneficia pro iniuriis reddidit. Sed & illa diuina sententiâ, quæ dicit: Inueni David filium Iesse, virum secundû cor meum: nōne ab eo omnem suspicionem noxæ alicuius, aut reprehensionis abstergit: & tamen post illud de eo dei iudicium, post tot animi operumq; virtutes nō cessat tanquã reus & pœnæ obnoxius loqui, & quasi nihil habeat fiduciæ apud deum, vt illud euangelicum compleat, quod ait: Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: quia serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. Quid tale locutus est vel publicanus ille, qui verè mille malis repletus, & neque respicere ad cœlum poterat, neque orationis suæ prolixum continuare sermonem, sed ne ad stare quidem prope pharisæum audebat. Exprobrabat enim eum pharisæus, dicens: Quia non sum sicut ceteri homines, raptores, iniusti, adulteri, sicut etiã publicanus hic. Ille vero quasi nihil horum audiens, in nullo indignatur, sed & amplectitur opprobrium: & non solû non indignatur, sed & cōfiteatur peccata sua, peccatq; suum velut peccatorû suorum conscium tundens dicit: Deus propicius esto mihi peccatori. Hęc ergo peccatorē facere non est magnum, quia pōdus peccati, etsi velit etsi nolit, peccatorem humiliat & incuruat: iustû vero hęc facere qui sibi conscius est bonorum multorû, & ita de se pronunciare, vt pronūciabat ille, qui verè multorum reus erat malorum, hoc est mirabile, & hoc est verè contriti & humiliati cordis indicium. Imò vero & amplius adhuc in humilitate iusti, quàm in confessione publicani peccatoris intueor. Ille enim quod ait: Propicius esto domine mihi peccatori: sermo ipse videtur esse quasi pœnam volentis effugere. Quod autē dicit iustus, Domine ne in ira tua arguas me, neq; in furore tuo corripas me: nō est nolentis argui, neque corripi recusantis, sed orantis, ne in ira, id est, vehementer arguatur, neque in furore, quod est absque venia, corripatur. Ex omni ergo parte animi eius humilitas intuenta est, & ex eo quod semetipsum cum sit iustus, pœna iudicat dignum, & ex eo quod non audeat hoc petere à deo, vt ex integro sibi venia concedatur: quod vtique eorum est, qui se ingentibus quidem suppliciis dignos iudicant, aliquid tamen in ipsis suppliciis optāt adipisci, quod paululum subleuet, ac temperet pœnas. Sed maiorem adhuc mentis suæ humilitatem docet, quod & hanc ipsam misericordiam, id est, vt paulò leuius crucietur, ita petit à deo, nō quasi qui releuari mereatur, sed quasi qui deficiat in tormentis, & ferre plura non possit. Ait enim: Miserere mei domine, quoniam infirmus sum. Quid est hoc? Ille qui tale testimonium meruit à deo, & qui iudicia eius nō est oblitus, sic enim dicit: Iudicia tua non sum oblitus. Ille inquam, qui solis ipsius splendore lucidior est, huiusmodi verba proloquitur? Ita est. Hoc enim vere magnum & mirabile est, quia is qui vere magnus est, nihil de se magnifentit, aut loquitur, sed omnium se vltimû iudicat, & salutem

Luc. 17.

Psal. 6.

A de sola dei misericordia sperat: veluti si diceret, Dignus quidem sum pœna, dignus æternis suppliciis: sed quia iam ferre tormenta non possum, rogo mihi veniã dari: vt sape famuli in multis comprehensi delictis, dicere quidem quod non peccauerint, non audent, sed pro nimietate verberum, aliquantulum sibi remitti flagella rogant. Ego tamen puto de alia eum infirmitate nunc dicere, illa scilicet quæ ex tristitia & mœrore venit. Solet enim mœroris nimietas, si pertinacius incuberit, consumere vires animi: quod puto accidisse iusto huic, dum nimis inculcat semetipsum, & nihil sibi promittit letum, & hoc arbitror indicari ex his quæ sequuntur. Ait enim: Miserere mei domine, quoniam infirmus sum: sana me domine, quoniam cōturbata sunt omnia ossa mea: & anima mea turbata est valde. Quod si is qui tantorum sibi bonorum cōscius erat, deprecatur dominû, ne intret secum in iudicium, & neue discutiantur opera eius: quid faciemus nos, qui tot malis inuoluti sumus, & bonorum nobis operum nulla fiducia est, quibusque cum abundant delicta, nulla satisfactio est, nulla confessio: Ob hoc igitur beatus hic tali vtitur confessione. Sciebat enim, & didicerat, quia nemo iustificabitur in conspectu dei: sciebat quia iustus vix saluus fiet, propterea dicebat: Miserere mei domine, quoniam infirmus sum. Sed & in omnibus intueri, quo modo nusquam bonorum suorû meminit, sed semper ad misericordiam dei confugit, & in ipsa sola collocat salutē suam. Hęc est enim humiliati cordis vera compūctio, magna agere, & humilia loqui: iusta operari, & super peccatores timere ac tremere. Et vis scire, quātus in eo sit timor diuini iudicij, audi quid dicit: Iniquitates si obseruaueris domine, domine quis sustinebit? Nouerat enim, & valde nouerat, quia in multis criminibus obnoxij sumus deo, & quia etiam parua peccata, & ea etiã de quibus nec suspicamur, deducēt ad iudicium. Denique & ea quæ saluator postmodû statuit, ille iam in spiritu præueniens impleuit, & non solum legis mādāta, sed de iniuriis conuictisq; & cogitationibus malis obseruātiā tenuit. Risum etiam importunum, aut scurrilitatem in iudicio dei cogitabat esse plectēdam. Propter hoc & Paulus dicebat: Nihil mihi cōscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Cur autem hoc? Quia etiam si nil mali operis egit, sicut certe nec egit: sed honoris quantum deferri deo debuit, scit à se nondū esse delatum: quia & si millies moriamur, & si omnes virtutes animi expleamus, nihil dignum gerimus ad ea, quæ ipsi percepimus à deo. Vide enim quo modo cū in nullo ipse nostri indigeat, in omnib; enim sufficit sibi: tamen cum nō essemus, esse nos fecit, animamq; inspirauit talem, qualem nulli ex omnibus animantibus que sunt super terram. Paradisum plantauit, cœlû extendit, terramq; substravit, luminaria accēdit in vniuerso mūdo splendentia, & terram quidē fontibus fluminibusq; & stagnis repleuit, camposq; virgultis & floribus adornauit, cœlum variis astrorum choris depinxit, vt nobis noctem die ipso faceret gratiorem, simul & vt somnorum salubritas per quietē vires corporis repararet, quas labor diurnus absumit. In tantum autē muneris huius necessaria humano generi dona collata sunt, vt absque cibo audeant nōnulli plures transigere dies, absq; somno vero nec paucos. Idcirco deniq; & hybernis frigidibus longiora spacia noctium posuit, vt prolixior requies intra tecta hominibus fieret, & laboribus spacia breuiora remanerent. Propter quod & conuenienter tempora hęc, quæ ad requiem dedit, tenebris inuoluit.

Sicut.

Sicut enim piæ quæq; matres, aut nutrices cū forte natos suos ad quietem prouocāt, in gremiis positos complecti brachiis, & ad se constringere, ac tunica operire faciem & oculos solent, vt obscurior eis aer redditus, somnum per quietē facilius inuitet: ita & deus tāquam velamen quoddam per vniuersum mundum tenebras obducēs, hominum genus ad silentiū gratissimā quietis inuitat. Quod si non ita tempus istud munisset deus, vt est genus hominum negociis & cupiditatibus atque omni auariciæ semper intentum, non solum subiectos sibi laderēt, sed & semetipsos laboribus operibusq; cōsumerent. Nunc vero & inuitos nos à nimis laboribus retrahit, & non solum corporibus indulget, sed & animos ipsa vicissitudo resuscitat. Nā inde quid dicā, quo modo noctis tempore cuncta tranquilla sunt, & silent vniuersa, quies vbique, & per totum orbē ducūt longa silētia, nullus clamor, vt in tēporibus diei, nullæ voces quibus alij pro penuria, alij pro violentiis clamant, alij damnis & calumniis afflicti. Hęc omnia quiescere facit nox, & velut fluctibus quibusdā atque vndis malorum ereptos homines, ad portum quietis adducit: & hęc quidem noctis munera: diei vero tanta sunt, vt de his dicere nec temporis, nec styli huius sit. Quid vero maris vsum, & nauigandi vtilitatem loquar: per quā omnem penē orbem, qui longis à semetipso dirimitur spaciis, non solû sibi inuicem notum, sed socium quoddam modo & communicabilem facit, vt vnusquisque si quid apud se gignitur boni, hoc etiam ad proximos suos procul positos deferat: & cū vnusquisque paruum apud se possideat terræ cespitem, per istum mercandi ministerium, quasi totius mundi per omnia dominus efficitur, & vniuersæ terræ fructibus vtitur. Et quid plura dicam? Vniuersus orbis efficitur tanquam mēsa vna omnibus, nullo prohibente sumere quod vbique est, sed parua sunt hęc in muneribus dei. Quid deinde dicam: quod notam fecit deus sapientiam suam hominibus, & capaces eos esse voluit huius tam ineffabilis muneris: Et hoc fecit cum ipsi nōdum aliquid apud deum meriti collegissent. Cumq; eis intellectum concesserit diuinorum, rerumq; æternarum eis præstiterit habere noticiam: homo tamē erga tanti muneris autorem extitit ingratus, & ne sic quidem eum respuit diuina clementia, sed & hoc ipsum quod videtur pœna prauaricationis imposita, remedium fuit, nolentis vltra procedere malum, sed feruorem temeritatis atque audaciæ reprimentis. Hęc & horum similia ex diuinis beneficiis reminiscens iustus, & multo magis ea, quæ ad dispēsationem spectant vnigeniti filij dei, quæq; per eum futura promittuntur bona per horas singulas & momenta cōsiderans, & in corde suo discutēs, atque ad immensum bonitatis & beneficiorû eius pelagus attendens dicebat: Quid retribuā domino pro omnibus quæ retribuit mihi: Et peccata quidem propria sine intermissione diiudicat & retractat, iusticiæ vero suæ in nullo penitus meminit: non sicut agimus nos, qui de peccatis quidem nostris, quæ multa sunt & grauiā, ne mentionem quidem facimus, non dicam cogitamus aut ingemiscimus: sicubi vero parum aliquid boni operis agere videmur, hoc sine intermissione & dici volumus & audiri, nec desinimus prorsus tumidi incedentes & elati, donec & ipsum parû, si fortē gestû est boni operis, periactantiam euacuetur & pereat. Hęc & horum similia intuens iustus, dicebat: Quid est homo quod memor es eius: Et iterum humanæ vecordie ignauiam notās, aiebat: Homo cum in honore esset non intellexit, compa-

Psal. 115.

ratus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Hic est affectus serui fidelis, vt beneficia domini sui, quæ communiter data sunt omnibus, quasi sibi soli præstita reputet, & quasi ipse sit omnium debitor, & pro omnibus ipse solus habeatur obnoxius. Hoc fecit & Paulus, qui mortē domini, & saluatoris nostri, quæ pro vniuerso expensa est mundo, sibi soli præstitam dicit: quasi enim de se solo loquēs, ita scribit: Quod enim nunc viuo in carne, in fide viuo filij dei, qui tradidit semetipsum pro me. Hęc autem dicebat, non coangustare volens amplissima & per orbem terræ diffusa Christi munera: sed quasi qui, vt diximus, pro omnibus se solû iudicaret obnoxius. Et reuera quid interest, si & aliis præstitit, cum quæ tibi præstita sunt, ita integra sint, & ita perfecta, quasi nulli alij ex his aliquid fuerit præstitum? Ideo denique & in illa boni pastoris parabola non dicitur, quia venit oves multas querere, sed vnam. Vna nāque est, quia sic omnibus quasi vni diuina beneficia cōferuntur. Hęc ergo sunt, pro quibus affligebatur David & lugebat. Etenim qui pecuniam mutuam sumunt, si non habeant vnde restituant, sed multo fœnore opprimantur, neque cibum capere, neque quietē possunt, excruciatifollicitudine, consumptiq; vigiliis. Quo modo ergo iustus non excrucietur, cōsiderans non se in pecunia, sed in morū actibus esse debitorē: Sed nos nō ita, imò vero si visi fuerimus, vel parû aliquid ex multis debitis soluere, iam videmur nobis non tam soluisse debita quàm opes plurimas, & largos in cœlis recōdidisse thesauros: imò quod est infelicitus, nec hoc quidē parum quod agere videmur, ita honeste & emendate gerimus, vt decet liberos: sed prius requirimus, si mercedem habeamus, an non: & si grandis sit merces in eo quod facere videmur, & si reputetur nobis ad mercedem. Inuerecunda satis, & non tam libero digna vox quàm mercenario. Quid agis o homo? Quid ineptis? Ad hoc creatus es, vt cōditori tuo placeas, vt domino tuo seruias: & tu de mercedibus cogitas? Si enim te agentem quod tibi præceptum est, conuici iubeat dominus tuus in gehennam: aliqua tibi datur contradicēdi potestas? Tu enim seruo tuo operanti quæ iubes, mercedes paras. Si omnino dignus fueris agere aliquid quod deo placeat: aliam adhuc præter hoc ipsum quod placere meruisti, mercedem requiris? Verè ignoras quantum boni sit placere deo, si enim scires nunquam aliud aliquid extrinsecus mercedis aut muneris expeteres. Nescis quia maior augetur tibi merces, quādo non spe mercedis operaris, sed studio placendi. Aut non vides quo modo & apud homines illi maxime famuli diliguntur, qui non tam accipere aliquid à dominis, quàm placere eis, & obedire gestiūt? Et si homines ita erga sibi similes agunt: tu qui tanta à deo beneficia consecutus es, & alia nihilominus speras bona, si quid pro salute tua egeris, prius etiam penē quàm geras, de mercedibus percontaris. Propter hoc miseri sumus in omnibus & frigidi, nec in aliquod opus bonum parati. Ob hoc neque compunctionem cordis vnquam meremur accipere, neque colligere intra nosmetipsos animā nostræ sensus, & humilitatem eius fragilitatemq; perspiciere, neq; peccata nostra ante oculos habere, neque è cōtra diuina beneficia cōsiderare. Hinc est quod neq; ad illos, qui præcipuam & districtam vitam ducunt respicimus, neque ad studiū boni operis incitamus: sed neque hoc quidem quod frequenter videmur nosmetipsos peccatores pronunciare, cū veritate & affectu animi loquimur. Denique ex eo arguimur, quia si hęc ab alio

Gala. 2.

Psal. 34.

alio

alio audiamus, quæ ipsi de nobis pronūciare videmur, statim indignamur & irascimur, & iniuriam nobis factam conquerimur. Sic ficta in nobis, & simulata sunt omnia, ut ne illum quidem publicanum possimus imitari: qui cum peccata sua audiret sibi ab alio exprobari, non solum patienter tulit, sed addidit cōfessionem suam. Vnde discessit ille iustificatus magis, quàm pharisæus, qui exprobrauerat. Nos vero neque exomologesis ipsa quid sit nouimus, cum mille malis repleti simus. Sed oportebat nos non solum scire & confiteri, quia multa in nobis delicta sunt: verū & vnumquodq; peccatum & maius & minus quasi in libro, ita in corde nostro habere descriptum: idq; frequentius recensere, atque ante oculos ponere, & tanquam hæc nuper admilla lugere. Ita enim & animæ arrogātiā frangemus, frequentius eam de malis suis & viciis cōmonentes, & cautela nobis ne vltra in eadem delicta incidemus, acrior nasceretur. Tantum etenim boni cōfert, meminisse frequentius hominem peccati sui, ut etiam Paulum apostolū videamus ea quæ abolita iam fuerāt, & deleta, adducere tamen in medium: & cum culpam de presentibus non haberet, tamen quoniam recordationes peccatorū & luctum gemitumq; sciebat animæ prodesse, etiam illa cōmemorat, quæ per ignorantiam commissa, gratia baptismi, & cōfessio fidei aboleuerat. Sic denique dicit: Quia Christus Iesus venit in hunc mūdum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum. Et iterum: Et fidelem me existimauit, ponēs in ministerium, qui prius fui blasphemus, & persecutor, contumeliosus supra modum persequens ecclesiam dei, & expugnans eam, & qui nō sum dignus vocari Apostolus. Etenim licet reatu absoluamur, pro peccatis tamen prioribus si adducantur ante oculos, sufficienter incutere possunt animæ verecūdiā, & prouocare eam ad amorem eius, qui tam multa & tam magna concessit. Nam & Simon cū interrogatus à domino, quis ex illis duobus debitoribus, quibus fenerator relaxauerat debitum, plus eum diligeret: respōdisset, quia ille cui plus dimisit, audiuit à domino: Recte respondisti. Oportet ergo recordari nos priora delicta, etiam ea pro quibus veniam consecuti sumus, ut intuentes quàm ingentem modum debiti remiuit nobis deus, & amplius eum diligere possimus, & verecūdiā pudoremq; concipere, atque ex his corde compungi: considerantes, quod nisi miseratio ipsius subuenisset, tantum illud peccatorum pōdus sine dubio in imis nos inferni pœnis supplicisq; pressisset. Paulus etiam illa meminerat, quæ peremerat indulgentia: nos vero nec ista recordamur, quæ post baptismum cōmisimus, in quibus vtique periculū nobis saluum est, & reos nos atque in vinculis positos tenet. Quod si aliquādo ad recordationē venerimus, & visi fuerimus paululum inde cogitare & esse solliciti, statim effugit cogitatio, & transimus ad alia: & nec integra quidem hora patimur animam nostrā afflictione mœroris huius adstringi. Hæc igitur causa est, quod malis addimus mala, dum priorum memoria nō permanet, nec dolor aliquis inuritur pro cōscientia delicti. Hinc est, vnde nec ad confessionem accedimus. Quo modo enim cōfitebimur, quorum ne memoriam quidem tenemus? Et sic consuetudine cōtemnendi, dum de præteritis dolor nullus est, facilius superuenientibus malis locum damus. Quod si omnis ex anima stimulus auferatur, & cuncta ei securitatis frēna laxentur: quis eam post hæc tenebit, aut quis eam de præcipitiis reuocabit? Quid prohibet vbi nihil metuitur, vbi nihil verecūdiæ,

1. Tim. 1.

Luc. 7.

nihil pudoris admittitur, ut non in omnes perditionis foueas demergatur? Pro his ergo lugēt sancti, & gemitus suos conferunt in conspectu dei. Sufficit enim sanctis & magnis, sicut & vos estis, ad compunctionē cordis recordari diuina beneficia, & operum vestrorum gloriam non vobis ipsis assignare, sed deo. Sufficit tibi vel parum aliquid vos latuit, quanto vos magni estis, tāto id velut à magnis viris commissum grauius iudicare. Sufficit considerare illorū vitas, qui summam iusticiæ & sanctitatis regulam seruarunt, & per omnia placuerunt deo: sed & naturam peccati cogitare velocem, rapidam, subreptiuam, & ob hoc incerta esse quæ futura sunt, & valde dubia, & tā periculosa, ut ea etiam magnus ille metuat Paulus. Hoc enim indicat, cum dicit se timere ne forte cū aliis prædicarit, ipse reprobus fiat. Et iterum cum ait: Qui se putat stare, videat ne cadat. Sic autem & beatus David beneficiorum dei, munerumq; eius memoriam recolens, compunctionē cordis quarebat, in quo dicit: Quid est homo, quod memor es eius, aut filius hominis, quoniā viuitas eum: Minuisti eū paulo minus ab angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. cum vero operum meritorumq; suorū ostendit confidentiam non habendam, dicit: Quis ego sum domine mi, & quæ est domus patris mei: quoniam dilexisti me vsq; in his, & non sunt pro nihilo habita hæc in conspectu tuo domine, & locutus es pro domo serui tui in lōgitudine. Hæc autem lex hominis domine mi domine ad te. Et quid adiciet David domine adhuc loqui ad te: Sed & maiorū memoriam facit, & semetipsum quasi longe ab eorū virtute cōstituit. Cum enim dixisset: In te sperauerunt patres nostri, de semetipso in posterioribus ait, Ego autem sum vermis, & nō homo. De futuris autē quali trepidus & incertus hoc modo semetipsum suscitatur, & dicit: Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiā in morte. Inculcat autē semetipsum super multitudine peccatorū, hoc modo, & propiciaberis peccato meo: multū est enim. Vobis ergo maioribus ista sufficiant: nobis autē cum his adhibenda sunt etiam alia medicamenta fortiora: & quæ possunt destruere quidē arrogātiā, inferere vero dolorē cordis, & animi mœrorē. Recordandæ nanque sunt nobis multitudines peccatorū, recordanda cōscientia maculata, quæ vtique cū stimulare nos cœperit, nequaquā elationi aut arrogātiæ locum relinquet. Propter quod rogo, & deprecor per illam ipsam, quam pro vitæ tuæ merito acquisisti fiduciā apud deum, ut porrigas nobis manum, sæpius interpellās pro nobis dominū, ut possimus lugere nosmetipsos, & peccatorū nostrorum pōdus resolvere multitudine lachrymarū. & ita post hæc (non enim semper flendum est, & nihil agendum) apprehēdere aliquam vitam deo placitam, & ad cælum ducentem, ne forte cum malis nostris descendamus in infernum, vbi nemo est qui confiteatur ei, & ibi patiamur ea, quæ patiuntur impij, cum nullus fuerit iam qui exoret pro nobis. Dum enim sumus in hac vita & nos iuari à vobis possumus, & vos potestis in nos conferre beneficia: cum autē abierimus illuc, ibi neque amicus, neque frater, neque pater idoneus erit ad liberandum eum, qui supplicis deputetur æternis. Quo modo enim qui in luce est, accedat ad eum qui in tenebris graditur? vbi cum nullum sit nobis ex sanctorum collatione refrigerium, æternas tamen expendimus pœnas, effectibus inextricabilibus & immortalibus flammis.

DIVI

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI ARCHIE- piscopi Constantinopolitani de prouidentia dei ad Stagirium monachum arrepti- cium, Liber primus.



PORTVERAT quidem ò amantissime omnium Stagiri, fueratque sanè conuenientissimum, nos tibi nūc adesse, atque in ærumnarum tuarum confortium transire, ac partim verbis exhortando, partim fouēdo ministerio, cunctaque reliqua inferendo obsequia iuxta modulum virium nostrarum, partem aliquam lenire mœroris: quoniam vero & corporis mala valetudo, & inuectus in caput nostrū acerrimus dolor, domi nos manere compulerunt, nobisq; tanti lucri ministerium abstulerūt: iam quod reliquum est pro consolatione tua, & pro vtilitate nostra hoc inferre non negligam. Profuerit enim id fortasse magis ad præsentis aduersos casus fortissime ferendos. Sin vero nihil talē perfecerimus, certe vel in nullo nos officiū deseruisse, nihilq; omisisse diligentia nos consolabitur, melioriq; animo esse in reliquū faciet. Is enim, qui cuncta impleuerit, quæq; ad leuandos dolores maxime cōferre arbitratus fuerit, etiamsi nihil aliud peragat, vel cogitationis saltem atque conscientia accusatione liberatur, criminumq; onere deposito, sola mœsticia pondera ferre cogitur. Si igitur ex illorum essem numero, qui deo familiaris cōiuncti, plurimum apud illum possunt, nunquam profecto orare & obsecrare pro mihi cōiunctissimo charissimoq; capite desisterem. Quoniam autem huiusmodi vires, atque confidentiam mihi scelerum meorum multitudo abstulit, verborū consolationem, ac fomēta tibi afferre conabor. Nam & in his qui corporea mala valetudine laborant, cum medicorum sit fugare dolores, infirmitatemq; compescere: non tamen famulis qui sunt in ministerio interdicitur verborum consolatio: imò vero hi maxime sunt, qui plurimis in consolādo vtuntur, atq; eo pluribus, quo dominis suis maiore beneuolētia afficiuntur. Si quid itaq; dictum fuerit à nobis, quod maximum hunc atq; immensum dolorem tuum possit extinguere, factum erit ut volumus, ac vehemēter optamus. Sin vero huiusmodi nihil inuenire aut loqui potuerimus, voluntatē tamen nostram, ac propositum ille approbabit, qui per beatum Paulum flere cum flentibus humilibusq; consentire iussit. Videtur itaque vna esse causa mœroris tui, nequissimi scilicet huius dæmonis insania. Verum ab hac veluti radice plurima tristitia oriri, si quis recte perspexerit, animaduertet. Quod nō ex meipso modo colligo, sed ex verbis illis tuis, quæ dum adesses coram, querimonie ac doloris plena familiaris exposuisti. Aiebas enim primò ea te cōsideratione turbari, ac fere in desperationē præcipitari, quod cum priore tempore laxius & negligentius viueres, nihil huiusmodi perpeffus sis: postea vero quàm te ipsum mundo crucifixisti, tunc demum iste morbus inuasit: Secundo quod quàm plurimos noueris dum delicatē viueret, hac peste correptos: eos tamē paruo post tempore ita ea infirmitate liberatos, ut perfectē integritati restituti & vxores duceret & plurimos

Roma. 12.

Tomus quintus

A procrearent filios, omnibusq; vitæ presentis voluptatibus diu ac incunde fruere, nihilq; postmodum tale paterentur: contra, tu cum tātum tempus in ieiuniis ac pernoctationibus, & reliqua propositi & vitæ austeritate contriueris, nullam ærumnarum tuarum liberationem, nullum finem hæcenus inuenieris: Tertio, quod cum sanctus ille vir tantā in reliquis aduersus dæmones potentiam ostenderit, nihil eiusmodi potuerit in tua dilectione perficere, neque ipse, neque hi qui cum illo erāt, illo etiam in hoc genere potētiore, verum omnes re infecta abs te cum rubore discesserunt. Ad hæc alia ex parte nimium te angere dicebas, quod ita animum tuum incredibilis vis mœroris occupauerit, ut sapiens ad laqueum ferē, fluuiumq; & præcipitiū proueharis: Quarto deinceps loco, quod æquales tuos & contubernales, qui tecum sacram hanc, cœlestemq; conuersationē iniē runt, tranquillè agentes aspicias: te vero sauisimā procellæ expositum, & quod omnium profecto miserimū est, carceri additū. Neq; enim his qui ferro vincti sunt ita lachrymandum asserebas, ut his qui huiusmodi catena colligati fuerint. Aiebas & aliud esse præterea, quod maxime te turbaret: vereri enim ac tremere, ne si ista pater sentiat, maximis iniuriis atq; incommodis afficiat sanctos illos, qui te à principio susceperunt. Quippe summis viribus atq; opibus fretum, mœrorēq; & indignatione concitatū, cuncta aduersus eos summa audacia moliturum, par citurum nemini, qui sibi ex illorū numero occurreret. Et hæcenus quidem potuisse matrem rem gestam noticiæ patris subducere, reptulisseq; illum sæpe, ac fregisse cum de te sollicitè inquireret: fore autem ut processu temporis deprehendatur cauta hæc matris simulatio, iamq; ille & ipsi, & monachis omnib; acerrime inmineat. Postremo quod omnium malorū supremum culmen est, nullam tibi certam esse futurorū confidentiam dicebas, neq; apertius scire, si quando futura sit morbi huius absolutio, neque liberatio, cum sapius hac expectatione suspensus, rursus in eadem miseriam incideris. Dura sunt profecto ista, & quæ animum maxime perturbare possint, ingentiq; implere tumultu, sed animum remissum, imperitum ac desidem. At vero nos si respiscere paululum, ac respirare voluerimus, cogitationesq; pacis admouere, has omnes mœroris causas veluti tenuissimum puluerem excutiemus. Caue autem putes me modo ista idcirco tanta facilitate polliceri, quod extra dolorem hunc, vexationemq; persistam. Etsi enim quibusdā fortassis incredibilia dicere videbor, dicam tamen: neq; enim cum reliquis tu mihi quoque fidem non adhibebis. Cum inuasit animā tuam sceleratus ille dæmon ab initio, atque orantem cum ceteris prostravit, non quidem tunc ipse præsens aderam, gratiasq; ago clementissimo deo, didici tamen omnia diligentissime, non secus quasi ipse affuissem. Nam Theophilus Ephesius vtriusque nostrum amantissimus profectus ad me, cuncta mihi per ordinem tristis ac mœrens retulit, distortas manus, toruos oculos, oris spumā, horrendam illam & cōfusam vocē, diabolicam tremorē, sensus per multam horam priuationem, visūq; terribile, quod ea nocte ostensum est. Suem enim quendam ferocissimum maxima vi luti inquinatū in te insilire iugiter, atque infestissime peruadere visum aiebat. Cumq; is qui iuxta obdormiebat, ea visione turbatus, experretus esset, inuenisse te acriter concuti, atque à dæmone vexari. Cum igitur hæc ille nunciaret, tantā fateor mœroris nebulam mihi effudit, quantā hic ipse durissimus dæmon charitati tuæ. Postea vero quàm me ex acerbo

r ac diutino

moniti sunt respicere à malis fieri; meliores. Idcirco ergo non occidit illum, quia par utilitas profecto non fuisset, audiri quod Cain fratre interempto, morte mul-
 etatus esset, & videre parricidam ipsum pœnas exsolu-
 tem. Fortasse enim id auditum, ob immanitatem sceleris creditum minime fuisset. Nunc vero dum videtur, dum coram adest, longoque superstes tempore, plurimos pœnæ suæ testes reliquit: manifestum certe ac credibile, & suæ ætatis hominibus, & postea futuris omnibus id facinus constituit. Quid ergo, inquit, hoc illi cõ-
 tulit? Maxime quidem illius salutis prospiciebat, cum eius rabiem quantum in se fuerit, coërceret castigatio verborum. Verum ne ipsa quidem illata sibi pœna, si quis diligentius inspiciat, maxima ipsius utilitate vacat. Si enim statim illum occidisset, nullum sibi pœnitentiæ tempus, per quã melior euaderet, dedisset. Nunc vero cum metu ac tremore vitam ducens, nisi nimis insensatus, ac belua potius quàm homo esset, ex huiusmodi vita plura capere potuit emolumenta. Præterea futurum cruciatum leuius atque tolerabilius præsentis temporis pœna constituit: ea enim quæ nobis in hac vita inferuntur supplicia, diuinitus futurorum cruciatuum partem haud exiguum succidunt. Atque harum rerum testimonia de scripturis diuinis afferre facile possumus. Nam Christus dominus eum discipulos alloquens, de diuine & Lazaro differeret, Abraham retulit, cum rogaretur à diuine ut mitteret Lazarum, qui extrema digiti parte paululum aquæ ardenti linguæ instillaret, dixisse ad illum: Fili, recordare quia recepisti tu bona tua, & Lazarus mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris. Paulus quoque (Paulum vero quoties dico, rursus Christi præcepta replico: Christus enim profecto, mea quidem sententia, beatissimam illius mouebat linguam) dum Corinthiis scriberet, aliquando iubet eum, qui grauissime fornicatus fuerat, tradi satanæ in interitum carnis, ut spiritus saluus sit in die domini nostri Iesu Christi. Rursusque cum eisdem de his qui indignè sacra & veneranda mysteria percipiebant, admoneret: Propterea, inquit, inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi. Nam si nos ipsos iudicarem, nunquã profecto iudicaremur. Cum iudicamur autem à domino, corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur. Vidistisne ineffabilem clementiam, immensamque diuitias benignitatis? Vidisti ut omnia agat atque molietur deus, ut post peccatum quoque mitiore, quàm debuimus, plectamur pœna, aut etiam omnino liberemur? Porro si quis id curiosius inquirat, cuius rei gratia veteranum illum seductorem non continuo deleuerit, id quoque pro summa in nos cura factum fortasse comperiet. Si enim sceleratus ille obtineret, esset fortasse irrationabilis ista inquisitio: sin autem hac potentia priuatus, tantum persuadere atque allicere potest: illius vero suasionis illecebras renuere in nobis est: cur tu materiam abscindis coronarum, industriamque forbitas occasionem tollis? Ad hæc si illum sciens fore insuperabilem, cunctosque deuicturum, ita illum dimississet deus, ne sic quidem ista hæsitatio locum habuisset. Nam tum quoque quod ille obtineret, quod vinceret non reluctantes, sed sponte sibi cedentes atque succumbentes, à nobis profecto manasset. Quod si plurimi quidem illius potentiam ac vires frangunt, complures item posthac illum superaturi sint: quid tu futuros probatissimos, clarissimamque victoriam insignes, tanto prius honore? Idcirco enim illum dimisit, ut eum deiciant qui fuerant ab eo prius superati, quod illi omni supplicio grauius

Luc. 16.

1. Cor. 5.

ae durius est. At non omnes, inquit, illum superattitri sunt. Quid hoc ad rem? Profecto enim multo melius, multoque conuenientius est iustis occasiones suppeditari, quibus ad virtutem se exercent, voluntatemque ostendant suam: eos vero qui non sunt huiusmodi, ex propria puniri negligentia, quàm istorum causa illis etiam coronas suas adimi. Nam modo is qui malus & focors est, non aduersarij viribus, sed suo potius torpore superatur: quod indicat vincetium illum multitudo. Tunc vero studiosi quique atque alacres malorum causa meritis honoribus fraudati fuissent, non habentes ubi vires exercerent suas: veluti si agontheta quis athletas duos nactus, alterum quidem aduersario congregi paratum, omnemque tolerantiam ostendere, coronamque ex certamine referre: alterum labori illi & erumne ocium deliciasque præferentem, comparet, atque aduersario de medio sublato, ambos re infecta dimittat. Sic enim strenuus ille, propter alterius ignauiam graui iniuria affectus videretur. Ignauus autem non fortissimi socij causa malus esset, verum ob socordiam suam. Sed enim hæc istorum quæstio, cum de diabolo agitari videatur, si suo ordine procedat, plurimis in rebus dei providentiam insinuat, cunctamque simul creaturam perimit. Accusat enim oris atque oculorum factionem: quippe cum per hæc quæque illicita concupiscant, atque in adulterium corruant plurimi: per hoc autem blasphemant alij, atque perniciose dogmata proferant. Num ergo sine oculis & lingua debuerunt homines fieri? Pedes quoque abscindere, & amputare manus necesse erit, cum ista plena sint sanguine, illi vero prompti ad malum currant: nec ipsæ quidem aures immanitatem rationis huius effugere poterunt. Nam inania quæque & praua percipientes, corruptionem dogmatum ad animam mittunt: itaque & ista auferenda erunt. Quod si dabimus, cibos quoque ac potus, cœlum, terram, mare, solem, lucem, lunam stellarumque chorum: atque omnia animantium genera tollamus necesse erit. Ad quid ista enim omnia erunt necessaria, cum is cuius causa facta sunt, adeo miserabiliter truncus conscissusque iaceat? Videtne qui risus, quæ ineptia, quæ deliramenta rationem istam necessario sequantur? Diabolus nempe sibi ipsi, non nobis est malus. Nos enim si velimus, plura etiam commota per illum, perque illius nequicias consequimur, illo etiam inuito ac renuente: quod est profecto mirabile, & in hoc diuinæ bonitatis magnitudo cõspicitur. Nam si cum meliores efficitur, mordet id quidem ac per se solum angit excruciatque diabolus, quando hoc ipsum per eum, atque illius causa nobis suppeditatur, ferre iam sua detrimenta, aut seipsum capere præ doloris magnitudine non potest. Quo modo autem ex illo proficimus? Dum illius astum, immanitatem, perpetuasque insidias, ac fraudes varias solliciti metuimus, somnum immoedicum excludimus, vigilamus sobrii, semperque dei reminiscimur. Quod autem ista mea ratio non sit, sed beati Pauli, ipsum audias licet, eisdem ferè verbis fideles dormientes excitantem. Nam Ephesius cum scriberet, sic ait: Non est nobis colluctatio aduersum carnem & sanguinem, sed aduersum principatus & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum huius seculi, aduersus spiritualia nequicia in cœlestibus. Hæc autem cum diceret, non deicere studebat auditorum animos, sed potius erigere. Petrus ite: Sobrii estote, & vigilate: quia aduersarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit querens quem deuoret, cui resistite fortes in fide. Promptiores profecto atque fortiores

1. Pet. 5.

tiores nos ista faciunt, persuadentque familiarissimos deo fieri. Qui enim imminere sibi cernit inimicum, maiori ad illum currit desiderio, quò se tueri possit. Ita ferè infantes pueri, cum quid horrendum viderint, ad matrum sinus protinus fugiunt, illarumque pendentes vestibus, eis se tuentur ac protegunt, atque ita ut sapius retrahentibus plurimis inde auelli non possint. At vero quando nihil eiusmodi perturbat, ne vocantes quidem illas exaudiunt, neque trahi patiuntur: imò blandicijs allicientes respiciunt, & cum plurima illa moliantur, ut ad se eos pertrahant, semper eas auersantur, appositamque mentem despiciunt. Quocirca matrum plurimam, cum nihil obsecrando proficere se viderint, larvas quasdam horrois que figmenta parant, atque illos demum ad reditum impellunt, persuadentque ad se iterum recurrere. Hoc autem non in solis pueris cõtingit, sed etiam in nobis. Quando enim malignus ille perterret nos atque perturbat, tunc frugi efficitur, tunc nos ipsos agnoscimus, tunc ad deum omni studio recurrimus. Quod si deletus ab initio nequam ille fuisset, atque sublatus è medio, fortasse nec præterita credidissent plurimi: puta quòd hominem illum fefellisset, quòd bonis illis innumeris cum eiecisset, deumque hoc inuidia & liuore comotum fecisse arbitrarentur. quando enim ne modo quidem defunt, qui post tanta illius seductionis indicia id audent dicere, si nõ illius nequicia & astus experimenta cepissent, quid non dixissent? quid non oblocuti fuissent? Quod si penitus, atque diligenter his quæ sunt animum intendere velimus, inueniemus minime ad omnia nos diabolus impellere: sed cum plurimorum ille nobis lapsus sit author, plurima item nosmet ipsi per nostram solam socordiam ac negligentiam patimur. Vbi enim, ut ad priora reuertamur, ad Cain diabolus accessisse, fraternamque cædem suggestisse legitur? Nam matri quidem illius visus est loquens, fraudemque concinnans: huic autem minime, nisi forte quispiam malas illum cogitationes dicat immisisse. Quod etsi nec ipsi renuimus, id tamen totum illius culpa contingit, qui suggerentem admisit, illique paruit, atque principium in se inuadendi præstitit. Attamen nec sic illum dimisit deus, verum ex his per quæ punire videbatur, admonere potius atque corripere non desinit. Quid autem Cain viri vnus supplicium dico, quòd quidem etiã diluuium, in quo tot periere viri dei nobis providentiã aptissime potest asserere. Primum enim non repente neque insperate mortalibus vim illam inundationis induxit, sed fore prædixit: idque non ante breue tempus, sed ante centum & viginti annos. Tum vero ne ex longitudine prædictionis in obliuionem ac negligentiam incidere, ædificari arcam in oculis omnium instituit, voce omni clarius clamantem, deique minas omnibus annunciãtem. Cain quippe sanitate mentis exciderat: illa vero ante omnium oculos posita iugiter imminenti sibi malorum illos admoneret: nec sic tamen illi emendati sunt, sed in vicij perseverauerunt, supplicia sibi ipsi conscientes atque attrahentes. Deus enim diluuium ipsum neque comminari, neque inferre voluisset, sicuti nec gehennam ipsam quidem. Verum istorum omnium nos ipsi nobis causa sumus, quod & sapientissimus quidam viderat, cum diceret: Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuentium. At deus ipse per prophetam ait: Nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & viuat. At vero nos nisi cõuertamur, damnationem nobis ipsi vltro mortemque congerimus, non is qui nos perire noluerat, quique viam effugiendi nobis ostendit.

Gen. 6.

Sapient. 1.

A derat. Ergo id solum habemus, quod de diluuii dicere possumus, nullaque ex eo prodisse emolumenta docemus: Dicit profecto non potest, quantum utilitatis & his qui illa inundatione periere, & ceteris postea futuris inde comparatum sit. Illi enim vltius in vicij ac flagitijs progredi permisi non fuerunt: qui autem post illos secuti sunt, maiora etiam quàm illi, atque excellentiora lucra retulerunt, fermento (ut ita dixerim) materiaque malorum è medio sublatis extinctisque peccatoribus. Nam si etiam sine exemplis mala homines per se facile inueniunt: quid non facturi existimentur, si plurimorum exemplo ad perniciosos actus inuitentur? Quod vtique ne fieret, ne tot scelerum magistrus hi, qui postea futuri erant, intuerent, eos omnes vnã perdidit. Verum enim vero, quænam est illorum sapiens, imò plena stulticia ratio, qui cum nihil boni agere velint, omnia verbosus ac ventosus quæstionibus agitant, ut suorum delictorum causas ad deum referant? Nisi permisisset deus, aiunt, nequaquam accepisset diabolus, nunquam decipisset ab initio, sed neque cognouisset Adam, quantum boni ante habuerit, neque suam illam arrogantiam vti quam deseruisset. Qui enim seipsum in tantum culmen honoris erexerat, ut fieri se deum expectaret, quò non prorupisset audacia, nisi digna fuisset animaduersione castigatus? Dices nihil diabolus consuluisset, nihilque penitus Heuæ de ligno locutum fuisse: num sine peccato perstitisset, si istud non ita contigisset? Minime vero: nam cui mulier tam facile quod volebat persuasit, ipse etiam diabolo absente, ex seipso quamprimum in peccatum corruisset, quo maiori quoque pœna mulctari meruisset. Præterea ne nunc quidem diaboli solius est omnis illa seductio, sed sua etiam concupiscentia mulier corrupta corruit, atque hoc scriptura sacra indicat, que dicit: Viditque mulier quòd bonum esset lignum ad edendum, gratumque oculis ad videndum, ac speciosum ad considerandum, & accipiens de fructu illius comedit. Neque vero ego nunc ista loquor, quasi diabolus insidiarum criminibus purgare intendes, sed indicare volens eos, nisi sponte cecidissent, à nemine vnquam potuisse deiici. Nam qui tam facilem propinatum sibi ab altera deceptionem suscipit, is profecto & negligenter, & laxi fuisse affectus ostenditur. Neque enim tantum ille potuisset, si sobrium vigilantemque animum allocutus esset. Sunt autem plurimi, qui cum ad hanc partem differendo perueniunt, diabolo omisso ad mandatum transeunt, & cum à peccante homine abstineant, deo crimen impingunt, dicentes: Quid enim eis præceptum dabat, quos peccaturos nouerat? Ista re vera sunt diaboli verba, & impiæ mentis inuenta. Nam quòd præceptum dare longe maioris dispensationis sit, quàm non dare, clarissime constat. Si enim Adam voluntate, & animo tam negligenti, quàm fuisse ostenditur, nullum suscipiat mandatum, sed in delicijs, & securitate persistat: ex huiusmodi licentia imbecillitas tanta atque negligentia ad meliorane, an ad deteriora prorupet? Liqueat profecto illum ad summum fastigium viciorum euasurum, si absque cura sit. Nam si necdum de immortalitate securus, eamque spem dubiam pendere non ignorans, in tantam arrogantiam atque amentiam elatus est, ut deus fieri speraret: istudque cum id promittentem nulla ex parte fidelem cerneret, si firmam ac securam immortalitatem cõsecutus esset, quo non progressus esset arrogantia: quid non peccasset, quando ille deo obtemperasset? Tu verò dum ista criminaris, idem profecto facis, ac si quis fornicationem & libidinem interdicens simularet, ideo

Gen. 3.

515

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI

516

quod plurimi ista audientes fornicaturi essent. Nonne sunt ista extrema demerita? Si enim nullo mandato suscepto diabolus ad illum accedens, recedere a deo confuleret, id quoque illi & quidem facile persuasisset. Nam qui post acceptum mandatum precipientem sic leuiter contempsit, si nihil ab illo penitus audisset, cito se etiam esse sub domino nesciret: idcirco anticipat deus, & ex his que precipit, docet habere illum dominum, cunctaque illi parere oportere. Et quid amplius commodi est ex hoc secutum, inquit? Etiam si nihil aliud secutum esset, non id docenti deo esset imputandum, sed potius non suscipienti homini optimam hanc saluberrimamque disciplinam. Verum usque adeo inutilis fuit, etiam post prauaricatione precepti exhibitio. Nonne illa latebra illa confessio delicti, illa viri ad mulierem, mulierisque ad serpentem studiosa causa traductio: illa, inquam, omnia metuentium sunt atque tremantium, deique auctoritatem agnoscentium? Porro quantum lucri inde confectum sit ex diabolica illa expectatione, in tantum timoris illos fuisse traslatos nullus ignorat. Qui enim aequalitatem dei prius meditatus fuerat, ipse iam ita contrahabatur humiliter, ut poenam cruciatumque tremens metueret, ac peccatum confiteretur suum. At vero non absque sensu peccare, delictumque recognoscere minimum, non est negligendum: sed via quadam est ad emendationem atque ad imitationem in melius ducens. Omne itaque in nos dei benignitatem neque cogitatione comprehendere, neque narrare possibile est. Eorum tamen que nouimus, summum dicturus sum. Nempe enim post adeo insignem ceterum aciam, post talem inobedientiam, post tanta scelera, cum iam orbis totus tyrannide peccati premeretur, cum extrema iam luenda poena esset, cum delendum omne mortalium genus, nomenque ipsum hominum, merito expectari posset: tum vero maximum omnium beneficium & clementiam ostendit vniuersum suum pro inimicis, pro alienatis a se, pro se odientibus atque aduersantibus morti tradens, ac per eam reconciliationem nostram operans, caelorumque regnum & eternam vitam, aliaque bona innumera nobis se datum spondens, quae nec oculus vidit, nec auris audiuit, neque in cor hominis ascenderunt. Quid igitur huic dispensationi, huic clementiae, huic bonitati comparari aut simile excogitari possit? Propterea & ipse dicebat: Quantum distat caelum a terra, tantum distat via mea a viis vestris, & cogitationes meae a cogitationibus vestris. David quoque mitissimus, cum de clementia illius loqueretur, aiebat: Secundum altitudinem caeli a terra corroborauit dominus misericordiam suam super timentes se. Quantum distat Ortus ab Occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras. Quo modo miseretur pater filiorum, miseretur est dominus timentibus se: quod non comparans dicit. Quae enim humana clementia diuinae bonitati conferri possit? sed quia exemplum summam affectionis nullum nos maius nouimus, quam patris ad filios: Nisi fortassis Esaias maius aliquid docuit, qui matris potius exemplo usus est, quae erga natos suos longe misericordius afficitur, quam pater. Dixit enim: Nunquid obliuiscetur mulier infantuli sui, ut non misereatur filio vteri sui? sed etiam illa oblita eius fuerit, ego tamen tui non obliuiscar dicit dominus: ostendens dei misericordiam affectus omnes naturales longissime excedere. Et propheta quidem sic: Ipse autem dei filius cum ludaeis loqueretur, aiebat: Si autem vos cum sitis mali, non his bona data dare filiis vestris: quanto magis pater vester caelestis dabit bona petentibus se? Nihil profecto

aliud per ista significans, nisi tantam esse diuinae providentiae & gubernationis paternae differentiam, quantum interest inter bonos & malos. Verum neque haec ita iterum stes velim, sed mente ad interiora progredere. Nam id quoque pro captu, & modo tuo dictum est: quippe cuius est infinita intelligentia, bonitatem quoque & clementiam sine nullo terminari necesse est. Quod si haec per singula quae fiunt non perspicimus, & hoc signum illius infinitatis est. Plurima enim & magna quotidie pro nostra salute disponit, quae sibi soli sunt cognita. Quia enim sola bonitatis suae gratia mortalibus per omnia prospicit, nihil nostris indigens laudibus, nullaque alia remuneratione opus habet, plurima nos latere permittit. Sed & si aliquando haec reuelat, & illud nostrae utilitatis causa facit, ut gratias illi semper referentes, ex hac gratitudine nostra amplius nobis atrahamus illius auxilium. Non igitur de his solum quae nouimus, gratias illi referamus: neque enim volentes solum, verum inuitis quoque, & nolentes beneficiis consuevit afficere. Quod Paulus optime nouerat, qui semper & in omnibus gratias agere monebat. Quod autem non communiter solum omnium curam gerit, sed seorsum singulorum, ipsum audias licet dicentem: Non est voluntas coram patre meo qui in caelis est, ut pereat vnus de pusillis istis, de his dicens, qui in illum credunt. Cupit ipse quidem & eos qui non credunt saluos fieri, mutarique in melius, & credere, sicut Paulus ait: Qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Et ipse ad ludaeos: Non veni vocare iustos, sed peccatores ad poenitentiam: & Misericordiam volo, non sacrificium. At vero si post tanta eorum ac prouidentiae fruitionem noluerint meliores fieri, veritatemque recognoscere, ne sic quidem illos deserit: sed quoniam aeternam vitam participatione ipsi se sua sponte priuauerunt, vel praesentis vitae bona illis omnia largitur, solem suum oriiri faciens super bonos & malos, & pluuem super iustos & iniustos, aliaque praestans, quae ad praesentis vitae consistentiam pertinent. Quod si inimicis quoque tanta cura & prouidentia prospicit, fideles suos, & qui totis ei viribus seruiunt, quo modo vnquam contemnet? Non ita, non ita est: Verum istos maxime ex omnibus fouet atque complectitur. Vestri enim, inquit, & capilli capitibus omnes numerati sunt. Quoties ergo tibi in mentem venit, parentes te, & patriam, domum, amicos, propinquos, opesque innumeras, & gloriam illam ingentem abiicisse, atque excussisse propter Christum de manibus, postque ista omnia huiusmodi vexationem pati: nolite deiicere te ipsum, nolite morore deficere. Nam ex quibus cogitationibus haesitatio gignitur, ex eisdem rursum sopita restinguatur. Quoniam modo? Impossibile est mentiri deum, promissit autem ille vitam aeternam ista relinquuntibus. Reliquisti tu omnia ista, & abiicisti: quid igitur prohibet de huiusmodi confidere promissione, & esse securum? Num ea qua nunc probaris tentatio: & haec ad promissionem quid? Non hic aeternam repromissit vitam: imo vero si in terris quoque eiusmodi promissio implenda esset, ne sic quidem agreferre debueras: quippe quod fidelem, ac religiosum virum adeo constanter & firmiter promissa dei tenere conuenit, ut quantumlibet effectus contrarios aspiciat, ne sic quidem perturbetur, neque desperet euentum. Intuerre denique fidelis Abraham cuiusmodi pollicitationem acceperit, & quaelia facere sit iustus. Nam promissio quidem erat, ex Isaac implendum esse orbem vniuersum, iustus autem hunc ipsum Isaac immolare vrgebat, ex quo orbis totus erat implendus.

517

implendus. Quid igitur istud ne perturbauit iustum virum? Minime vero, imo cum tanta dissonantia & repugnantia esset praeccepti & promissi, in nullo penitus turbatus est, neque haesitauit, neque aliquid huiusmodi locutus est: Quid hoc est? Alia promissit mihi deus, alia facere iubet? Ex puero isto nepotum ingentem multitudinem mihi promissit, & hunc ipsum modo necare mihi praecipit. Quo modo igitur hoc erit excisa radice? Fefellit me igitur, atque delusit? Nihil profusus huiusmodi locutus est, sed ne cogitauit quidem. Et merito sane. Cum enim deus aliquid pollicitus fuerit, etiam si milia sunt quae pollicitationem huiusmodi obtundant, atque intercipient, turbari minime conuenit, aut de sine dubitare. Hoc enim maxime dei potentiam commendat, dum in rebus ambiguis finem certum, atque exitum reperit: sicuti tunc beatus secum reputabat. Quocirca fidem illius maxime admirans Paulus, aiebat: Fide obtulit Abraham Isaac dum taretur, vniuersumque offerebat, qui promissiones acceperat, haec ipsa scilicet insinuans, atque significans. Non modo autem ipse, verum ipsius quoque pronepos Ioseph, cum per longum tempus, & varios casus promissionem periclitari perspiceret, rigidus atque immobilis perstitit: sola enim promissa intuebatur, neque humanis cogitationibus motus, de sine desperauit. Nam & ostensa sibi visio, & fratrum & patris adorationem pollicebatur. Quae vero illi cogitabant, non erant huiusmodi, sed ab his longissime remota. Primum enim illi ipsi fratres, quos se prouiderat adoraturos, in lacum illum iniiciunt, ac barbaris hominibus venditum in alienam ac remotissimam regionem emittunt, atque adeo contraria promissis ea quae contingebant videbantur, ut miseri illi dicerent: Ecce somnator ille venit, nunc ergo venite occidamus eum, & proiciamus in lacum, dicemusque: Fera pessima deuorauit eum, & videbimus quid somnia sua sibi proderunt. Postea vero hi, qui illum emerant, non saltem libero homini, sed seruo illum regio vendunt iterum. Neque haec aduersus adueritatem steterunt, sed petulantis dominae calumniam incidit, damnatusque carceres annos plurimos habitat, & effugientibus ceteris ampliore illic tempore ipse perdurat. Cumque tanta essent quae illius animum perturbare possent, constans tamen perseuerat, atque inuiolabilis. Eiusmodi vero etiam nostra sunt, imo vero longe perplexiora. Quae enim promissa sunt nobis, regnum caelorum est, & vita aeterna, & incorruptio, & infinita illa bona atque immortalia. Quae autem interim contingunt, valde ab his remota, atque aliena sunt. Mors enim nos & corruptio sequitur, & poena & supplicium, & tentationes variae, atque perpetuae. Huius ergo rei gratia hoc facit deus, permittitque contraria promissis aduenire? Non plane absque ratione, verum ex hoc duo maxima bona elicit, dum ex altero certissimum potentiae suae argumentum capimus, quod scilicet possit desperatissima promissa sua, spe atque opinione melius perficere. Ex altero autem nostros animos erudit, cuncta sibi credere fideliter, & si dictis facta contraria videantur emergere: quippe spei virtus eiusmodi est, ut eum qui sincere sustineat, nunquam confundi permittat. Si enim hi, qui promissa in hoc seculo acceperunt, ita insigniter affecti sunt: quid nos facere necesse est, qui non in praesenti vita, sed in futuro seculo pressura nobis angustiaeque promittuntur. Quid ergo est quod te perturbet? Qua ratione induci potes, ut suspecta habeas promissa dei? Nempe enim cum dicis te ab

eo negligi, cuius causa mundum omnem despexisti, liquido ostendis te illi non credere, atque suspectum habere, fallacemque promissionem eius existimare. Id autem verum est a damone corripit, ac sempiternos ignes promereri. Sed sunt qui seculi negotiis dediti, quiete ac licenter viuunt. Et istud quoque praedixit Christus: Amen amen dico, inquit, vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit. Sed & in prioribus generationibus hoc ferme videas contigisse. Quippe Babylonij cum deum ignorarent, opibus potentiaque pollebant: Iudaei vero captiuitatis atque seruitutis premebantur iniuriis. Et Lazarus ille, qui regnis caelestibus, aeternisque gaudiis potiri meruit, vlcibus plenus canum linguis erat expositus, atque perpetuo cum fame pugnabat: diues vero in honore ac frequenti constipatione seruorum, & requie, & deliciis vitam ducebat. Verum ut huic nihil apud inferos profuere deliciae, atque illa omnia: ita nec Lazaro fames, aut vlcera, nec omnia simul congesta incommoda vitae praesentis obstiterunt: sed veluti quidam athleta fortissimus in aestu grauissimo, & algore luctans, & praclare vicit, & coronatus immortaliter est. Quocirca vir quidam sapientissimus aiebat: Fili, si accedas seruire domino, prepara animam tuam ad tentationem, dirige cor tuum & sustine, & ne festines in tempore inductionis. Et post pauca: Quoniam, inquit, igne probatur aurum, homines vero acceptabiles in fornace humiliationis. Rursumque alio loco scriptum est: Fili noli negligere disciplinam dei, neque deficias quum ab eo corripis. Qui enim aurum in fornacem mittit, nouit quatenus illud incendi atque ignescere, & quando igne oporteat educi. Ideoque alter ex his: Ne festines, inquit, in tempore inductionis, alter: Neque deficias, inquit, quum ab eo corripis. Magnum reuera magnum, & excellens pressura est, ad probandum virum, atque ad docendum patientiam virtutem: Quid ergo inquires, si illius nos magnitudo conuellat, atque deiiciat? Fidelis est deus, qui non patietur nos tentari supra quam possumus, sed faciet cum tentatione exitum, ut possimus sustinere. Nam si ex dilectione correptio, ex odio vero derelictio est: neque eiusdem est quempia simul & amare, & odisse, neque corripere quidem & derelinquere. Quo modo ergo, inquit, multi corruerunt: Seipos illi deo priuauerunt, non autem a deo derelicti sunt. Ecce enim, inquit, qui elongant se a te peribunt. Elongant se vero a deo, qui correptiones illius non sustinent, sed irascuntur atque indignantur, ac veluti mali & peruersi filij, cum a patribus traditi magistris vel impatientes laboris, vel fugientes verbera, parentum aspectus declinant, ab eis resiliunt: nihil inde lucrantur, nisi quod plurimis, & grauioribus incommodis se implicat, atque in aliena regione famis & erroris, ac morborum, ignominiaeque & seruitutis iniurias subire coguntur: Ita & qui dei disciplinam ingrate suscipiunt, indignanturque & grauius ferunt, praeterquam quod nihil ex ea lucrantur, summis se calamitatibus afficiunt. Quocirca tolerare admonemur, & dirigere cor nostrum. At multa grauiora te perpeti dices. Ne pado tribu quidem omnes equaliter atque eodem modo exercet, sed imbecillioribus imbecilles, fortioribusque sui similes comparat. Nam qui suis viribus minorem comparem fuerit nactus, etiam si tota die ille congregiatur, in exercitatus tamen permanet. Cur ergo, inquires, non omnes qui eandem elegere vitam, eisdem etiam laboribus certare facit? Quia non vna apud deum est exercitationis species, neque omnes qui eisdem opus habent, eiusdem

status sunt: quippe & plurimi cum eisdem morborum incommodis laborent, non eisdem tamen indigent medicamentis, sed alia quidem istis, alia illis apponuntur. Atque adeo & flagellorum modi varij sunt atque differentes. Et alius quidem morbo perpetuo probatur, alius gravissima inopia, vi atque iniuria alius, hunc iuges atque perpetue liberorum propinquorumque; ceterorum orbitates excruciant, hicque ab omnibus abiicitur, nulliusque rei dignus aestimatur: ille quod sibi in his derogetur, quorum nihil sibi sit conscius, gravissimum putat: atque alius aliter affligitur. Neque enim possibile est omnia nunc examussum numerare. Videntur tibi horum singula, si tuis arumnis conferantur, levia ac nulla esse. Verum tu si haec expertus es, addisceres profecto quanto id quod nunc te angit, his omnibus lenius, ac tolerabilius sit. Sed & si qui sunt quorum sit leuior quam nostra castigatio, nihil penitus miremur, ac perturbemur. Nam adiectio laborum, incrementum meritorum est, ac firmissimum munimen nostrum, quo freti nunquam, siue sponte, siue etiam inuiti corruamus. Namque fastum ac tumorem animorum comprimit, negligentiam auertit, prudentioresque ac religiosiores efficit. Prorsus vero si quis omnia enumerare velit, plurima tentationum emolumenta reperiet, nullusque vnquam ex his, qui deo maxime chari atque acceptabiles fuerunt, sine pressuris vixit, etiam si non ita nobis videatur. Nam si beatus Paulus tantum negocij sustinuit, nullus vero Paulo maior est, aut etiam aequalis: qua tandem ratione illi credantur huiusmodi auxilio non indiguisse: Sin autem quidam ex istis tribulationibus emendati non sunt, non hoc illi imputandum est, qui causam emendationis praestitit, sed illorum potius negligentia & flocordia. Nam si illis non fuisset adhibitum medicamentum, per dei negligentiam perisse viderentur. Nunc vero non parum actum est, cum nemo medicum accusare possit, sed aegrotos potius, ipsorumque contemptum. Si qui vero antequam tentarentur gradientes recte, post tentationem corruerunt: alique cum omnibus essent peccatis inuoluti, nulla tribulatione vexati sunt, atque alij a prima statim aetate vsque ad vltimam afflictionem animae innumeris calamitatibus contriti: nihil horum nos penitus perturbet, aut nostros animos deiiciat. Nempe enim si omnem prouidentiae illius dispensationem scire valeremus, aut deberemus, ista quoque ignorantia, morosis ac perturbationis non immerito causam habere videremur. Sin vero is qui tantorum arcanorum effectus particeps, ad tertium caelum raptus fuerat, ad hanc tamen abyssum harenis subsistit, inspiciensque iam profundum diuitiarum sapientiae ac scientiae dei obstupuit solum, atque inde resiliit: quid nos ipsos frustra coneidimus, perscrutantes inscrutabilia, atque inuestigabilia curiose inquirentes: Certe cum medicus contraria his quae nobis salubria videtur praecipit, siue algens membrum profuso fonti subicere iubeat, siue alia huiusmodi efficere, nonnunquam reluctamur: sed cum nobis antea persuaserimus, artis illum ratione cuncta facere, prompte ac libenter cedimus, idque cum ille sapius fallatur: Deum vero cuius via in omnibus incredibiliter a nobis distat, qui est ipsa sapientia, qui nunquam falli potest, puniendae curiositate perscrutabimur: Cumque illi simpliciter cedamus, a quo facti ratione exigere iure nostro possemus, ab illo, cuius solum cedendum est nutui, eorum quae gesserit causas ac rationes requiremus, atque huiusmodi indigne ignorantiam feremus: Haecine sunt religiosae mentis, ac

A pia? Ne, quae ac supplico, ne ad tantam vesaniam progrediamur, sed in omnibus in quibus ambigimus, illud potius nobiscum pia cogitatione volumus: Iudicia tua abyssus multa. Nam & hoc ipsum, quod non omnia aperte scimus, diuinam sapientiam atque prudentiam profecto est. Si enim omnium quae sunt, causa & ratione cognita, ita demum deo pareremus, non magni meriti esset, neque fidei ostensio ea res videretur. Cum vero nihil horum penitus noscentes, ita quoque summa affectione mandatis eius omnibus cedimus, ex legitima obedientia fideque integerrima, maxima animabus nostris emolumenta conquirimus. Hoc enim solum nobis persuadere debemus, omnia nobis vtiliter a deo inferri, non iam modum inquirentes, neque huius ignorationes grauiter, vel cum morore ferentes. Neque enim possibile est ista scire, neque vtile: illud, quia mortales sumus: hoc, quia cito in arrogantiam extollimur. Plurima nos facimus, quae cum liberis nostris noxia esse videantur, vtilia sunt tamen. Quorum neque illi causas quaerunt addiscere, neque nos illis antea persuadere studemus, id expedire quod facimus: sed hoc solum illos admonemus vt in omnibus cedant, quaecumque praeeperint patres, nihilque vltius inquirent. Quod si parentibus nostris, qui nobiscum eiusdem naturae sunt, ita prompte, ita libere obtemperamus, neque vlla ratione indignamur: deo indignabimur aut grauiter feremus, quod non illius omnia nobis explorata sunt, qui tanta excellentia hominibus praecellit, quantum ipsi capere non possumus? Et quid hac impietate grauius ac durius excogitari possit: Aduersus huiusmodi sane beatus Paulus indignans dicebat: Alioquin o homo, tu quis es qui respondeas deo? Nunquid dicit figmentum factori suo, cur me ita fecisti? Equidem filiorum exemplar proposueram, ipse vero multo aliquid maius posuit, figuli scilicet, atque ab eo formati luti. Sicut enim lutum quocumque manus se formantis duxerit, sequitur: ita hominem quaecumque deus iusserit, ea sequitur, & quae ille intulerit, grato animo perferre conuenit, nihil omnino reluctando, vel curiose addiscere quaerendo: neque enim nobis solis ista ambigua sunt: verum & his qui ante nos fuerunt sanctis illis ac moralibus viris. Ait enim Iob: Vt quid enim impij viuunt, diuitiisque uentilantur? Beatus autem Dauid: Paulo minus, inquit, effusi sunt gressus mei, quia zelauit super iniquos, pacem peccatorum videns. Quia non est respectus morti eorum & firmamentum in plaga eorum. In laboribus hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Post hunc Hieremias quoque: Iustus es, inquit, domine, veruntamen iusta loquar ad te. Quid est quod uia peccatorum prosperatur? Ambigebant isti quidem atque inquirebant, sed non ita vt faciunt impij. Neque enim accusabant deum, neque ex his quae fiunt, illius iustitiam reprehendebant. Sed alius quidem aiebat: Iusticia tua sicut montes dei, iudicia tua abyssus multa. De alio cum tanta passus esset, scriptum est: Non dedit insipientiam deo. Et in libro ipse suo incomprehensibilem sapientiam illius & dispensationem enarrans, cum de opificio disseruisset: Ecce, inquit, ista sunt partes viae eius, & adhuc humorem uerbi audiemus in eo. Id ipsum quoque Hieremias prouidens ne quis vnquam suspicaretur, interrogatoni iudicium suum praeposuit, dicens: Iustus es domine, hoc est, scio quidem a te omnia fieri iuste: modum autem ignoro, quo fiunt. Quid igitur amplius illi didicerunt? Nempe de his nullum responsum retulerunt, quod beatus Dauid indicat, cum dicit:

520
Rema. 9.
Iob. 21.
Psal. 27.
Hier. 12.
Psal. 35.
Iob. 1.

A cum dicit: Et existimabam vt cognoscerem, quia hoc labor est ante me: idcirco autem responsa super his non acceperunt, vt posterioribus seculis futuros homines docerent etiam ipsi interrogatione abstinere. Atque priores illi quidem vnum tantum inquirebant, cur scilicet impij in copia rerum omnium, & prosperitate uiuerent, & ne sic quidem didicerunt. At vero isti longe plura, quam illi temeraria curiositate scrutantur. Ea enim quae proponuntur, nunc multo grauiora & maiora sunt. Itaque manifesta horum ratio illi permittatur, qui nouit omnia antequam fiant. Si tamen pro captu nostro his qui huiusmodi curiosi sunt, respondere necessarium sit, rationemque aliquam asserere, illud primum dixerim indignum esse quaerere, cur boni in pressuris, mali contra in requie persistant, caelesti iam reuelato regno, futurique seculi praemio nobis ostenso. Nam cum illa vita singuli digna suis meritis recipiant, quid iam eis rebus perturbamur, quae hic bonis aut malis contingunt? Eos nepe qui sibi intentius ac deuotius obtemperant, veluti fortissimos athletas huiusmodi laboribus exercet: imbecilliores vero vt qui nihil durorum laborum perferre possunt, prius ad bona opera hortatur. Quod si contra nonnunquam euenit, plurimique iusti hic in requie vitam cum honore agunt: mali vero in ignominia summissaque aduersitatibus perdurant, interim quidem prior illa obiectio, quae affligi bonos, malos vero iugiter esse in deliciis conquerebatur, hac ratione euerfa profligatur. Sin autem & huius rei causam inquirere velimus, id profecto dicimus, deum nostra omnia non vno modo solitum esse disponere, sed cum sit misericordissimus ac potentia affluentissimus, plures nobis salutis vias scindere. Cum itaque plures sint, qui futuri seculi ac resurrectionis rationem admittere pertinaciter renuant: veluti in breui tabula hic iudicij futuri imaginem ostendit, cum punit malos, bonos remunerat. Quod cum in iudicio illo supremo generaliter futurum sit, etiam nunc ex parte aliqua ideo fit, vt qui longinquum illud iudicium fore desperant, vel his quae in hoc seculo contingunt admoniti, mansuetiores atque meliores fiant. Siue enim nullus hic omnino puniretur malus, nullusque honoraretur bonus: plurimi ex his quibus resurrectionis ratio incredibilis videtur, virtutem veluti malorum causam aspernarentur ac fugerent, viciositatem vero veluti bonorum letorumque omnium occasionem persequerentur: siue rursus hic singuli iuxta merita reciperent, superfluum iam falsamque existimassent resurrectionis rationem. Itaque ne huic non crederetur, ne ingens vulgarisque turba & contemptu deterior fieret, nonnullos hic peccatores vlciscitur, quosdamque pro recte factis in oculis omnium praemiis donat, vt ex eo quod non id omnibus facit, resurrectionis asserat fidem. ex eo vero quod ante iudicium quoque malos aliquos supplicis afficit profundissimo quasi somno sepultos excitet. Nam & malorum quidem punitione, plurimi timore corriguntur, ne patiantur eadem. Ex eo autem quod non omnibus pro merito hic retribuitur, cogitare compelluntur huiusmodi praemia in aliud tempus esse reseruata. Nunquam enim profecto cum iustus sit deus, tot sperneret, siue malos impunitos ex vita migrare, siue bonos hic innumeris incommodis & cruciatibus affici, si non vtrisque varia in futuro seculo praemia pro meritis parasset. Quocirca non omnes vel supplicio, vel honore afficit, sed quosdam, sicut & in Persarum rege, & in Ezechia contigit, quanquam fuerint plurimi, & Assyriorum impietate, & Ezechiae pietate ac virtute pares.

A Cur autem non in omnibus hoc agat deus, causa iam suprema memorata est, quod scilicet nondum adsit iudicij tempus. Quod autem ista mea ratio non sit, sed eius qui nos tunc iudicaturus est, dominum ipsum audias. Nam cum profecto ad eum quidam, mortem illorum qui sub turre occubuerant, Pilati que vesaniam annuiciasent; quam in his qui mortui fuerant ostendit, sacrificiis illorum sanguinem miscendo, cum ait, Putatis quod hi Galilaei peccatores praeter ceteris Galilaeis fuerint, quia talia passi fuerunt? Non dico vobis, sed nisi poenitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Aut illi decem & octo super quos cecidit turris Siloë, & occidit illos, putatis quod ipsi praeter omnibus qui habitant Hierusalem, debitores fuerint? Non dico vobis, sed nisi poenitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Haec dilationis ratio, haec causa est. Idcirco non omnes qui eisdem supplicis sunt digni, vna punire conueit, vt reliqui eorum casibus admoniti, meliores fiant. Atque ista quidem interim expedisse sufficiat. Sed enim tu fortassis ea etiam quae paulo ante proposuimus, multo etiam perplexiora, vt similiter enodemus, inquirens. Sed cum priora pro viribus patefecerimus, ad illa etiam soluenda, fundamenta quaedam iacta fuisse arbitramur. Quid ergo illud est, in quo haeres & fluctuas? Quod plurimi ex primordijs aetatis ad finem vsque variis calamitatibus affecti. Ego & de his & de prioribus dixerim, praecipue quidem illos ob propria vicia puniri, deinceps vero vt alij quoque illorum exemplo emendentur. Quod si non in omnibus fit, nihil est quod mireris: nodum enim iudicij tempus aduenit. Quid ergo de illis, inquires, qui antequam per aetatem bona vel mala discernere possint, quasi maxima peccauerint, supplicis subduntur? Huius quidem rei non vna causa est, sed plurimae ac variae. Nam & ex parentum intemperantia & scelere, & ex nutritorum negligentia, & ex intemperie atque inaequalitate aeris, & ex alijs plurimis huiusmodi casibus id contingere potest. Propterea cum plurimos illorum futuros nequam praesciuerit deus, omnes veluti compedibus quibusdam huiusmodi supplicio coercet. An non vides & mendicorum plurimos inter pressuras ipsas, & angustias innumera perpetrantes scelera, quorum tamen omnium causa non afflictio paupertatis est, sed sola nequicia? Audiui ego quosdam aliquando, cum dicerent huiusmodi homines mulierem quandam honestam & forma liberali in solitudine nactos, ei violenter ac petulanter illulisse. Atqui cuius hoc necessitatis, cuius afflictionis opus fuit? Quae isti scelera non admisissent, si non huiusmodi quasi nodis ac vinculis continerentur? Eorum vero qui carceribus inclusi sunt, quis facile vesaniam & rabiem proferre possit? At hi qui a demone corripuntur, nihilo minora his faciunt: non autem ea modo memoro que tunc agunt, cum ab eiusmodi peste apprehenduntur, sed posteaquam illa vexatio cessauerit, admittunt. Nam & edacitatem sequuntur, & furantur, & inebriantur, & plurima huiusmodi etiam flagitia turpiora admittunt. Denique sicut malefactorum plurimos carcerem diutissime incolere permittit iudex, adeo vt plerumque vitam illic finiant, & cum ex multis aliquos puniri vult, vnum ex illis, aut etiam duos eminentiori loco statuens circumstantibus omnibus, ita demum ad mortem duci praecipit, atque ad terrorem ceterorum sic vtendum sibi omnibus censet: Ita deus quoque cum nos emendare vult, non omnes vna malos punire necessarium existimat, sed aliquos rapiens ex eis quos nunquam corrigendos nouit, potetiam atque iram ostendit

Luc. 13.

ostendit suam, plurima ex hoc vtilia molens atque cōficiens. Quippe & malos execranda, si velint, vicia hor tatur, & bonos intentiores atque cautiores efficit, & lōganimitatem ostendit suam, resurrectionisque ratio nem, vt antē diximus, omnibus insinuat. Quid ergo hęc, inquires, ad eos, qui primam ætatem omnem nutri ti in calamitatibus, priusquam bona vel mala per ata tem discernere possint, è vita migrant? Et quid mali, quæso, isti patiuntur, qui nec dum quid patiantur, sen tiunt: neque dolere aut gaudere didicerunt? Ego non hoc solum pro huiusmodi solueda quæstione dixerim, verum parentes ipsos, etiam & fratres, & propinquos huiusmodi liberorum cladibus emendatos noui. Id ve ro non minimi lucri est, ita quempiam affligi, vt ex his quæ nesciens patitur, alius maxima emolumenta con sequatur. Fieri autem potest, vt sit alia causa & ratio se cretior, quam solus nouit rerum opifex deus. Vnum vi deo reliquum esse explicandum, quam scilicet ob cau sam, hi qui recte priusquam tentarentur, incedebant, post tentationem lapsi sunt. Quis, oro, planè nouit qui recte incedant, nisi qui corda nostra singulariter fin xit, intelligitque omnia opera nostra? Fit enim sapius, vt plurimi ex his qui boni esse videbantur, peiores om nibus sint, atque id quidem & in hoc seculo manifestū est in nonnullis iam casu aliquo ac necessitate ingruē te. Cum vero is, qui corda & renes probat, viuus & ef ficax, & acutior omni gladio ancipiti, pertingēs vsque ad diuisionem animæ & corporis, artuum & medulla rum, discretor cogitationum & intentionum iudicans federit: tunc vero non paucos ex pluribus, sed omnes omnino qui sunt eiusmodi videbimus: neque tūc ouina pellis lupum, neque sepulchri dealbatio internam inquinacionem tegere atque occultare poterit. Nulla creatura est inuisibilis coram eo, qui tunc iudicaturus est: sed nuda & aperta sunt omnia oculis eius, quod A postolus indicat cum Corinthiis scribit: Itaque nolite ante tempus quicquam iudicare, quousque veniat do minus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & ma nifestabit consilia cordium. Vt autem simulatoribus o missis, ad eos tandem qui recte reuera incedunt venia mus: vnde nobis cōstat quod etiam si bona reliqua vir tutesque subierint, summum tamen omnium virtutum culmen humilitatem non neglexerint? Quod si dicat quis melius fuisse illos cum recte agerent extolli, quam post lapsum humiliari: his mihi maxime videtur iactā tix detrimenta atque humilitatis lucra ignorare. Nosti enim planè hominem arroganter bona operantem (si tamen bona facere arrogans possit) quamprimum in summam perniciem lapsurum. Is vero qui labi permis sus fuerit, atque ex ruina humiliari didicerit, resurget: ac si quidem voluerit, lapsus sui damna cito reparabit. Porro is qui cum iactantia recte putatur operari, nihil patiens aduersi, ne sensum quidem vllum propriæ ini quitatis recipiet aliquādo, sed augebit scelera: atque dum nesciet, hinc vacuus proficiscetur: sicuti pharisæus ille qui ascendit in templum, putans se bonis omnibus esse locupletem, descendit vero, publicano pauperiore me ritum esse percipiens. Est & alia species pestis, quæ plu rimum roboris habet ad haurienda ac penitus euacuā da bona nostra, quam multo sudore colligimus, vêtus scilicet inanis gloriæ. Nam reuera venti instar ingressa thesauros omnes virtutis exsufflat. En & secunda nobis occasio prolapsionis apparuit, recte, vt tu dicebas, gra dientium. Plurimi enim ex his qui apud nos ingētes vi dentur virtutis causa tolerasse labores, ac reuera tole

Hebr. 4.

1. Cor. 4.

Luc. 18.

rant, cum omnia ad honorem hominum non pro dei gloria facerent, permisi sunt in tentationē labi, vt mul titudinis opinione & gloria nudati, per quam detrimē ta omnia perpessi sunt, eiusque gloriæ naturam in nullo flore fœni esse meliorem addiscentes, iam deo soli va cent, atque ipsius causa gerant omnia. Sunt præterea & alia causa atque rationes & quidem longe his plures: cæterum, vt dixi, nobis obscuræ & incognitæ, sed om nium opifici deo bene notæ. Non igitur in his quæ cō tingunt indignemur, non ea grauitate feramus, sed in omnibus gratias agamus. Hoc enim gratiorū fidelium que seruorum est. At vero tu dum admiraris, cur non antea potius cum delicate viueres, excessaque illa seculi gloria, ac pompa stipatus incederes: sed nunc potissi mum, quando abiiecisti illa omnia, ac te ipsum totū deo deuouisti, pessimus te ille dæmon inuasit: idem prorsus facis ac si admireris, cur spectatoribus nullus molestus esset, sed qui in pugilū numero adscriptus exercitatus que certamen descendisset, hunc solū ex omnibus col luctator & compar expeteret, percutiēs caput faciemque concidens. Non hoc ergo aut miraculo, aut mœrore dignum est, si nos ille tantus aduersarius pugit, premit, instat, angit, vrget: quippe ista est pugnantium lex. Ve rum si ille deiciat atque prosteruat, ac præmia laborū tollat: hoc graue & intolerabile putandum est. Quan diu vero ille non præualeat, non solum nobis nihil nocuit, sed profuit plurimum cōsuetu illo suo, summa no bis ornamenta conquirens. Nanque & in castris ille præ stare cæteris putatur, qui plura vulnera aduersa fronte suscepta præ se ferre potest, ac singularia certamina ad uersus quoslibet hostiū fortissimos suscipere. Eos itidē athletas maxime miramur, qui immūdis (sic enim appel lant contentiosiores quosque aduersarios & compares) summis viribus congregiuntur. Sed & venatori illi ma xime applauditur, qui ferocissimas beluas sustinens su perat. Impudens est atque imperterritus hic dæmon: at ego propterea te mirari ac stupere nō desino, quod hu iusmodi aduersarium nactus tam violentum, lapsus nō es, neque in deditiōnem venire tolerasti: sed rectus ri gidus persististi, nulla ex parte illius improbitati cedēs, aut loco motus. Porro quod nō assentandi studio nūc ista loquar, sed ex animo: atque vt ostendam quam ma xima ex huiusmodi afflictione ceperis emolumenta, pa tere, quæso, nos fiducia tantisper in loquēdo vti: neque enim aliter huius rei documenta afferre possemus. Nosti sanè ac memoria tenes priorem tuam conuersationem, eam scilicet, qua ante huiusmodi tibi immisam tentationem degebas. Hanc itaque velim diligenter examines, ac præsentem, qua nunc viuus, componas: aspicias profecto quantum lucri ex isto conflictu consecutus sis. Nunc enim ieiuniis, vigiliis, lectioni orationi busque perpetuis intentissime incumbis, grauitatem que & humilitatem excellenter cōsecutus es. Antea nul la tibi laborum ratio, nulla cura erat, sed studium om ne & laborem hortuli curæ pomariique arboribus deuoueras. Audiui ego tunc plurimos, qui te obiurgantes, arrogantem ac superbum dicerent, atque in hac parte nobilitatem generis patrisque claritudinem, & quod in opibus plurimis nimia parentum indulgentia fuis ses educatus causarentur. Vigiliarum vero quam tunc negligens fueris, ipse melius nosti. Sæpe enim aliis pro funda nocte statim exurgētibus, ipse graui somno mer sus dormiebas, & cum te alij ad collectas excitarent, indignabaris, ac molestissime ferebas: at nunc ex quo bellum hoc & pugnam subiucisti, illa omnia solu ta sunt

ta sunt atque in melius mutata. Quod si quæras ex me, quamobrem cum in deliciis ageres, ac mudi rebus om nino intentus esses, non tunc tibi dæmonem istum in star fræni immiserit deus: illud ego respondebo, hoc quoque singulari illius actum esse providentia. Sciebat enim tunc te imbecillum superandum facile ac mature periturum. Atque ideo ne tunc quidem statim ad hanc luctam vocauit, cum ad monachorum vitam accessis ses, sed exerceri prius te permisit, ac prolixo temporis spacio durare: iam vero posteaquam robustissimus fa ctus es, tunc ad laboriosum hoc studium pertraxit. Ad huc igitur eorum qui sunt in seculo, mentionem facis, famulūque tuum in medium adducis. Illam enim te significare voluisse reor, cum diceres plurimos secula res viros, cum in hūc morbum incidissent, celeriter at que integerrime fuisse liberatos. Verum enim famulus tuus ò amantissime, & quicumque huiusmodi cura cum illo potiti sunt, non eadem ex causa cum huiusmodi pe ste congregari permisi sunt, qua tu modo. Illis enim ac cæteris similibus sola terrendi eos causa, vt ex huiusmo di timore meliores fierent, hanc beluam immisit deus. Tibi vero non ea quæ cæteris causa est, sed vt pugna res fortiter ac strenue, dummodo vinceres, coronamque patientiæ referres. Porro victoria tunc est, nō cum quis adhuc theatro constanter luctando seipsum aduersa rio subducit: sed cum se præsentem iugiter exhibet, cō gredi que atque luctatorem suum suscipere paratum, ac demum cogitationes omnes nequam, quas ille per mœ rorē suggerit, at se omnino excutit. Quod vero res ita se habeat, sic collige. Constat profecto omnibus, quan tumlibet tu te per humilitatem deicias, à serui tui vita tuam longissime differre ac esse meliorem: deo itaque maior tui quam illius cura sit necesse. Hoc autem dato, id quoque similiter constabit non esse odij permissio nem illam. Si enim esset odij, nunquam profecto quem magis diligeret, illi addixisset: cum eum qui longe fue rat deterior, tam cito illi eripisset. Neque enim ex hoc solum id asseuerauerim, sed ex quibus à deo te desertū putas, ex eis maxime illi curam tui summam esse cona bor ostendere. Nam si non studiosissime cuncta hæte nus egisses, quæ ad hanc liberationem pertinerent: si non peregrinationes longinquas, ac laboris plenas, vt sanctis illis viris, atque ad eiusmodi soluendos nodos potentissimis congregederis assumpsisses, merito for tasse quidam dubitassent, cum non satis aperta videtur esse causa, cur tantum temporis affligi te dominus permitteret: postea vero quam martyrum loca frequēs adisti, vbi plurimi ex his quoque qui concitati rabie ho mines comedunt, sæpe sanati sunt: plurimumque tem poris apud viros illos mirabiles ac strenuissimos, qui que nunquam non potiri orationum suarum fructu ante conuenerant, huius rei gratia fecisti: nihilque omnino obmisisti, quod ad hanc absolutionem conferre posse vlla ratione videretur, reuersusque es ferens tecum ini micum, apertum ac certissimum diuinæ circa te prou identiæ documentum, & eis quoque qui valde insipien tes sunt & hebetes conspicuum retulisti. Nunquam enim profecto tantam impendisset deus gratiam, nun quam tot in cassum labores effundi, nunquam seruos suos ita mœrore suffundi passus esset, nisi id & tuæ pro bationi & vtilitati vehementer expedire cognosce ret. Itaque quod tu diuinæ derelictionis signum putas, id in primis summi in te affectus & amoris certū aug mentum est.

A DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI
ad Stagirium monachum de angore
animi, Liber secundus.

ET ista quidem de providentia dei, vtq; ille hō aduersans & execrans, sed & nimium indul gens ac diligens hoc te exercet modo, dixisse sufficiat. Quoniam vero alia etiam ex parte vehemen ter te angere questus es, vt sæpenumero dæmon vel pelago, vel præcipitio, vel alio quouis informis leti genere vitam tibi extorquere fere peruaideat: age de huiusmo di quoque cogitationibus, paucis disseramus. Nempe enim solius dæmonis non est illud consilium, sed etiam mœroris: imò vero plus mœroris quam dæmonis, for tasse vero mœroris solius. Quod ex eo profecto cōstat, quod plurimi etiam ab huiusmodi infectatione liberi, dolore solo ac mœrore agitari, mortem sibi vltro con sciuerunt. Hūc igitur ex animo tuo fuga ac penitus eli mina. Videbis nullam vim restare dæmoni, non solum ad persuadendum ista, verum ne ad suggerēdum quidem. Nam quemadmodum hi, qui parietes suffodiunt, noctis tempore, extincto lumine, & furari opes, & earū dominos cū omni facultate iugulare possunt: ita & hic per cæcæ noctis horrorem ac tenebras mœrorē effun dens, cogitationes omnes, quæ ad munimē nostrum esse possunt, subducere prius ac furari nititur, vt desertā & sine adiutorio animā inuadens, plagis eam innume ris confodiat. At vero cum quis summa & intentissima in deum spe assurgēs has tenebras dissecerit, atque ad Solem iusticiæ confugiens, clarissimum illius in bar totis animæ sinibus haurire & recordere studuerit, proinus cogitationū suarum tumultum in latronem illū impu rum transfundet. Nam & qui furta noctu aucupantur, cum quis illos deprehenderit, ac lumen ostenderit, tre munt, fluctuāt atque perturbantur. Et quo modo, inquires, possit quis hoc dolore liberari, nisi prius eripiatur à dæ mone agitatore eiusque doloris incentore? Nō dæmoni est, qui mœrorē mouet, sed mœror potius vires dæmoni administrat, cogitationesque malas suscitāt. Attestatur huic rationi nostræ beatissimus Paulus, qui cū de lapsis in sceleris ruinam Corinthiis scriberet, non dæmonem aliquē metuere, sed mœroris magnitudinē timere deprehenditur. Ne forte, inquires, abundantiori tristitia ab sorbeat, qui talis est. Cæterū vt concedamus dæmonē acrius instare, pulso ex animo mœrore: quid iā erit ex hoc incommodi, vel detrimenti? Quid hic per seipsum aut paruum aut magnū possit contra nos? At vero mœror absente dæmone multa per se horrenda efficit, plu rimosque eorum qui sibi vel nexerunt laqueos, conscie uerunt gladios, vel fluuij se vndis, vel flammis donauerūt, vel alio quouis genere perdidere seipsum sola dolo ris ac mœroris vi ad ita occumbendum impulsos repe rierimus. Quod si inter eos quispian fortassis fuerit arreptus à dæmone, huius quoque perditio nō dæmoni, sed mœroris tyrānidi ac violentiæ, merito imputanda erit. Et quo modo, inquires, possum non mœrore affici? Si à multitudinis opinione, quam habeas de huiusmodi re, longissime recedēs sola superna sentias. Nunc enim idcirco ea res grauis atque horrenda videtur, quia vulgares turbæ ita existimant. Atque si obmissa inani fallaci que existimatione ipsam rem diligentius cōsiderare volueris, inuenies nullā inesse ei mœsticiæ occasionem: quod iā sæpe superius ostendimus. An vero æqualiū tuorū, & in religione sociorū gratia afficeris? Reor enim te intuē tem illorū læticiam ac fiduciam cū fratribus confundi, atque

atque ex tristitia confundere. Atqui ego id veraciter dixerim, si quidem his in summa continentia & sobrietate, atque in reliqua vita philosophia degentibus, ipse in ludis & in aleis, & comestationibus tempus omne consumeres, rationabilis profecto esset hic mœror tuus. Sin autem eandem incedis viam, eius causa quid angeris? quid anxius tabescis? Equidem si mihi ad aliquem ex his fermo esset, qui facile extolluntur laudibus, ea quæ modo dicere intendo profecto tacuisssem. Quoniam vero ea mihi de te spes & confidentia est, quod quantumlibet quis te laudet atque admiretur, nunquam humilitatem deserens, ac ex eis laudibus potius humiliaberis, atque inter extremos te ipsum statues: cuncta, nihil metuens, aut dissimulans loquar. Tanta didici tibi accessisse religionis incrementa, tamque singulares profectus, ut non iam cum adolescentulis illis, sed cum magnis admirandisque viris virtute contendas. In nullo te illis inferiorem aiunt. Non ratione ieiunij. Quo enim pacto, cum panem & aquam tantum in cibum sumas, idque post biduum vel triduum? Non vigiliarum prolixitate, cum ut ipsi plures vna noctes insomnes orans transigas. Non diurno instituto, quo te quoque plurimos illorum transcendere fama est. Audio admiras, ut tibi omne tempus in lachrymis perpetuisque orationibus consumitur. Sic enim referunt, qui a te ad nos proficiscuntur. Et quemadmodum hi, qui silentio se deuouerunt, sequi ipsos tugurio breui inclsuerunt, nihil loquuntur: ita & te aiunt in tanta conuersantem multitudinem persistere. Porro contritionem cordis tui, squalorem ac dolorem, & hi qui enarrant exhorrescunt, plurimosque hic dum tua narrent instituta compunxerunt. Nullum vnquam ingredientium, aiunt, respicit, nihil ex consuetis laboribus relaxat. Sapius orauimus, ut parceret oculis, ne eos perpetuis lachrymis contereret, ne tempora vigiliarum nimietate, irremissisque & iugi lectionis studio fatigaret, neque id sibi persuadere potuimus. Hoc ergo te mœrore conficit atque perturbat, quod æquales tuos tanta excellentia superas, quod acerrimum & infestissimum naclus aduersarium, tanto spacio tecum pariter curreres excessisti. Ergo ne non merito dicebam mœrorem hunc præsumptæ solum esse opinionis, quesitum vero & perspicuum summas nobis laticiae ac tranquillitatis materias præbere? Quæ enim vtilitas, quæ te, a dæmone non corripi, si omnis conuersatio & diligenter exacta, & rite conclusa fuerit? At fortasse confunderis ac erubescis, cum te sub oculis quorundam deiicis: sed hoc tibi ex eadem occasione contingit, quod multitudinis opinione negotium hoc, non ratione metiris. Nanque cadere non id tantum est, quod tu te pati dicis, sed in peccatum corruere. In hoc sanè casu dolere, in hoc erubescere conuenit. Nos contra in his, quæ nullam habent verewardia rationem, confundimur: quæ autem reuera sunt turpia, execrationeque ac supremo digna cruciatu, ea dum perpetramus, nihil nos mali pati arbitramur. Atque anima quidem singulis diebus corruente, nullus est qui luceat: si quando vero corpus hoc aliquid patitur, id vero durum atque intolerabile esse iudicatur. Nonne id potius est a dæmone corripi, si adeo mirabiliter animus afficiatur, atque ita circa rerum iudicia fallatur? Nam si quidem ex ebrietate patereris, confundi merito ac mœrore debuisses: quippe id voluntatis crimine esset. Sin autem ex alterius violentia id fit, non is qui deiicitur atque eam violentiam tolerat, sed is qui illam infert, erubescere & confundi debet. Nā & in platea & si quando non commissa pugna alter alterum impellens dei-

528
cit, non cadentem, sed impellentem causamur omnes. Vtile quidem est erubescere, sed tum profecto, cum aliquid gesserimus, quod ille dignum cruciatu iudicet, qui nos iudicaturus in fine est. Quandiu autem nihil huiusmodi nobis conscij fuerimus, cuius rei gratia confundimur? Neque enim si quis te sine ratione, nihilque abs te laesus caderet, aut in terram deiiceret, tuque omnia mansuetudine tolerans abires; confusionis ea res esset, sed si premax philosophiæ, maximarumque laudum. Quod si hominibus iniurias inferentibus, perferre gloriosum est, eo qui mortales omnes astu & nequicia transcendit, hoc ipsum faciente, qui illius vesaniam fortiter tulerit, quasi rem vituperatione dignam fecerit, rubore confusus perfundetur? Et quid hac contrarietate dici irrationabilius possit? Siquid enim ex casu illo exurgens turpe aliquid aut facere inducereris, aut loqui, ne ipse quidem super his te lugere ac dolere prohiberem. Sin autem omnia cum gratiarum actione toleras, atque ad orandum te statim conuertis: quid est quod tibi verecundiam aut confusionem faciat? Sed fortassis dura & dolenda iudicatur probra, ab aliis in os coniecta. Et quid eiusmodi hominibus dici vituperabilius possit, qui neque digna exprobratione rite possunt discernere? Isti enim reuera infanti sunt, ac dæmonio pleni, qui rerum natura ut sese habeat, intueri nunquam didicerunt: sed ea quæ sunt laudibus dignissima, vituperant: & quæ sunt exprobranda, in laudabilium transferunt ordinem. Plurimis & phrenetici præsentis maledictis insectantur: sed hi, qui illa audiunt, nullas se pati contumelias existimant. Et tu igitur cum amentes illos ita loqui audis, noli contumeliā aut confusionem eam rem existimare, ne tunc maxime probris te dignum constituas, dum contra te deum per tuam impatiētiā prouocas. Quoties enim ea quæ pro nostra emendatione & vtilitate a deo inferuntur probro tibi esse arbitraris, vide quod hæc pestis emerget. Quod si vis qui sint reuera confusione & exprobratione dignissimi perspicere, paucos est multis tibi conabor ostendere. Eos ergo inspicere, qui mulierum forme omnino studio addicti sunt, qui pecuniis vsque ad insaniam inhiant, qui potetiae ac gloriæ sunt cupidissimi, dumque ista consequantur, agere omnia & pati sustinent, qui liuore & inuidia tabescunt, qui insontibus insidiatur, qui semper atram bilem patiuntur, qui vite præsentis commoda summa rabie sectantur. Ista reuera atque his similia vesaniæ sunt opera, supremisque cruciatibus dignissima. Ista probris omnibus & confusione atque irritatione insectanda. Porro si quis dum perturbatur a dæmone, sic quoque summam philosophiā per omnem vite ordinem ostendit: non solum non exprobrandus, verum admirandus, laudibusque merito extollendus est, qui tot tantisque præditus vinculis, cursum adeo laboriosum currit, arduamque & asperam conscendit virtutis viam. Ceterum nescio quo pacto me penè & aliud effugerit, quod ipse plus habes quam fratres reliqui. Id autem est huiusmodi: Si quid tibi antea peccatum est, facile per hanc pressuram id omne deletur ac remittitur. Atque a nobis hoc antea ostensum est, cum de Lazaro, & de illo qui apud Corinthios fornicatus, sermonem haberemus. Sed patri, inquires, timeo: etsi enim omnia mea modeste ac leuiter perferre possim, quo modo illius cladem ac vesaniā feram, si quando quid horum illum explorare contigerit? Hactenus quidem nihil pensasti. Est autem maxime pusillanimitatis, eorum gratia, quæ necdum contigerunt, incertumque est auentura sint, mœrore iam nos ac dolore conficere. Vnde enim nobis costet hæc ad illi peruentura noticiā?

imò

imò vero sit hoc planè perspicuum concedamusque; si vis cuncta illum nosciturum, plurimaque furiose & atrociter facturum. Laudo te equidem, si illius indoleas vicem, ceterum nolo id cum tuo detrimento facias. Quippe eos qui superna, non terrena sapiunt, non solum ira & cupiditate, ceterisque perturbationibus; sed mœrore etiā abstinere conuenit. Hic enim longe pluribus quam perturbationes illæ nos incommodis afficit: profususque necesse est aduersus illi nos fortissime insurgere, nisi omnino perire velimus. Nam siquidem ipse huiusmodi calamitatum patri author fuisses, recte sanè trepidares ac tremeres qui tantæ illi perditionis causa esses: sin autem ipsemet summis malis atque incommodis affici vult, nihil te horum penitus tangit, nisi in quantum patri pie condolendum est. Præterea nescimus quo modo huiusmodi rumores ille laturus sit, plurima enim saepe contra quam sperabatur, emerferunt. Toleraturum autem illum sine molestia præsumi facile potest. Cur id? Habet adulterinos filios, quos & plurimi facit, & maxime diligit. Porro hæc illius amoris vis eiusmodi mœrore facillime lenire poterit. Ne igitur te ipsum curis excrucies. Nam si dolendum est, eius profecto rei gratia dolendum est, quod irrationabilibus sumptibus, quod comestationibus, quod fastu & tyrannide, quod præsentis incestu, opinioni suæ maculam inducit: & quod omnibus grauius est, periculo se æternæ mortis exponit. An tu modicum scelus existimas vxore illius matre vestra viua atque incolumi, alterius maculari concubitu, filiosque; ex illicito procreare matrimonio? Ista luctu digna, ista lachrymis & omni comploratione miseranda, quæ aperta sunt, atque in finem pessimum excedunt. Quæ vero tui gratia futura sunt, fieri potest ut grauiora sint: fieri item, ut opinione leuiora. Summa vero esset amentia in rebus adeo incertis certo se iam cruciatu conficere. Vt autem concedamus interim illum vehemētissima indignatione concitatum: at citissime illius ista commotio sedabitur, & antequam planè incedatur, extinguetur. Homo enim tot deliciis accubans, maximarumque rerum curis implicitus, parasitos & assentatores nutriens, puellamque illam tam vehementer ardens, ex qua filios habet, vestros ex dimidio fratres, etiam si tuos casus perceperit, dolorem minimum capiet. Idque non ex his solum que dixi, sed ex præteritis conicio. Nosti enim, planè nosti, cum te ille nimium antea diligeret, totusque in te quiesceret atque ex te pendere videretur, ex quo te ad monachorum vitam atque instituta intulisti, affectus omnis ille quam refrixit. Rem enim ille te facere turpissimam, & maiorum suorum gloria indignam, opinionemque & claritatem generis obscurare obstans clamabat. Itaque (nisi tamē nimis ineptum quod dicam videatur) arbiter illum rem gestam cum voluptate auditurum, quasi penas dederis, quod orante illo sapius, atque a vitæ istius tolerantia te remouere cupiente, consilium ipsius nunquam passus sis admittere. Et de patre quidem ac timore tuo, quod de illo maxime sollicitus es: ista habui quæ dicerem, sufficientia, ut reor, ad omnem huiusce metum excludendum. Quoniam vero malorum tuorum summam esse asserbas quod neque de futuris posses certius confidere, neque scires huiusmodi ne vnquam vinculis soluedus esses, an in finem vsque pugnare te ille decreuisset, qui tibi certamen hoc proposuit, ne ipse quidem exploratum ac certum aliquid dicere, aut futurorum euentus aperire possum. Illud tamen scio manifeste, tibi que persuasum cupio, vtrumuis horum contingat pro tua vtilitate & gloria futurum. Quod si hoc animo fueris, cito supremum hunc malorum,

A vt ais, verticem abs te arcebis. Ad hæc illud quoque tibi cogitandum est, præmiorum & coronarum tempus esse futurum seculum, colluctationum vero ac laborum præsens. Quod nobis apertius insinuare volēs beatus Paulus dicebat: Sic curro non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aërem verberans: sed castigo corpus meum, & seruituti subiicio, ne forte aliis prædicās, ipse reprobus efficiar. At vero cum ad finem certaminis venisset, tunc demum beatissimam illam emisit vocem: Bonum certamen certavi, cursum consummaui, fidem seruaui, iam reposita est mihi corona iusticiæ. Ostendens vitam omnem in certaminibus & laboribus nobis esse agendam, si cupimus æterna requie bonisque illis perfrui. Sin autem aliquis ita delicatus, ac negligens sit, ut putet se & huius vitæ voluptatibus, & præmiis ac gaudiis cœlestibus iustis preparatis frui posse, hic seipsum profusus fallit ac decipit. Nā sicut in athleticis, qui intempestiue certaminum requiem & absolutionem querit, confusionem sibi atque ignominiam parat: qui vero in stadio labores omnes fortiter tolerat, coronam & gloriam & laudes, & in ipso certamine; & post solutum theatrum a spectatoribus cosequitur: Ita in nobis quoque fit. Nā is qui laborum tempus quieti dedit, tunc inimugiet & stridibit dentibus, quando infensibili illa & æterna requie debuisset requiescere, extrema & immortalia supplicia luere coegetur. Qui vero pressuras omnes prompte ac libere tulerit, & hic & in futuro seculo clarissimus erit, veraque & immortalis gloria beatus. Nā si in secularibus qui rerum tempora confundit, omnibus sibi propositis comodis excidit, atque innumeris se calamitatibus exponit, longe id magis in rebus spiritualibus patitur, qui temporum ordinem ignorat. Dixit enim Christus: In mundo pressuram habebitis. *Ioan. 16.*
C Beatus enim Paulus: Et omnes, ait, qui pie volūt viuere in Christo, persecutionem patiuntur. Non solas hominum persecutiones dicēs, sed & demonum insidias. Iob quoque: Tetatio, inquit, est vita hominis super terram. Quid ergo angeris? quid grauius fers, quid in æternæ temporis vexaris? Tunc enim dolendum, tunc ingemiscendum esset, si quod Christus pressuræ tempus deputauit, id nos deliciarum & quietis faceremus: si quo tempore pugnare ac laborare iussi sumus, eo torperemus: si latam mœderemus viam, cum ille per angustam præceperit eundum. Ita enim necessario iam nobis relinqueretur cruciatus ille sempiternus. Quid ergo, inquires, de illis dicit, qui & in isto seculo gradiuntur in latitudine, & in futuro æternis præmiis felicissimamque requiem donandi sunt? Quem tu mihi tale dabis? Ego enim solius Christi verbis acquiesco dicentis: Angusta & arcta via est, quæ ad vitam ducit. Quod autem per angustam viam late iri non possit, omnibus profecto liquet. Si enim in exterioribus certaminibus nullus absque sudoribus coronam referre potest, atque id cum eiusdem nature confortem habeat aduersarium: vbi nobis virtutes illæ nequam oblectantur, quo pacto sine summis laboribus pressurisque & angustis illarum insaniam superare poterimus? Sed enim nos quandiu rationibus ista ventilamus, cum liceat confugere ad beatos illos ac fortissimos qui prioribus fuere temporibus. Examina diligentius eos, qui fuerunt nominatissimi, videbis omnes primo aduersitatibus probatos, ita demum diuina familiaritate dignos habitos fuisse, maximamque ad illum habuisse confidentiam. Atque primo, si placet, primū temporis inficiamus filium, agnum Christi secundum Abel. Is cum in nullo ius violasset, ea passus est quæ merentur hi, qui grauisime peccauerint. Nos enim dum flagellis

flagellis erudimur peccatorum nostrorum pœnas damus. At vero iustus ille nulla causa cruciatus est, nisi quia iustus erat. Atque is quidem quandiu nullum excellentis virtutis suæ documentum dedit, agnoscebat illum frater: ubi vero ex sacrificio placuit, clarusque meritis eluxit, tum iam naturam quoque ipsam ille ignoravit, inuidia scilicet cæcatus. Vnde vero nosti an modo quoque eadem causa diabolum aduersum te cõcitauerit, vitæque tuæ fulgor illum ad hanc pugnam euocauerit? Rides placet ista loquentem, laudo equidem humilitatem tuam, non tamen ab hac sententiâ desistam. Si enim ille adipè offerens ita deo charas acceptusque fuit, is qui nihil extrinsecus, sed seipsum totum obtulit deo, multo profecto magis aduersum se prouocauit inimicum. Deus autem te illum inuadere permisit, sicuti & tunc eandem illam tam immanem haudquam impediuisset: sed passus est sanctum illum atque innocētissimum virum in scelere parricide manus incidere, neque eum eripuit, qui propter se atque ob gratiam honoris sui mactabatur. Noluit enim illi coronas suas minui. Quo circa ad finem usque illum excurrere permisit. Et quis, inquit, cruciatus est mors? Vtinam quidem hunc & ego subirem cruciatum. Ista nunc dicis amantissime, At prius res omnium grauisima esse putabatur, omnique supplicio immanior. Denique in lege Mosi hi, qui maxima quæque deliquissent, ac venia indigni, morte multabatur. Sed & apud ipsos quoque externos legulatores, hi qui in maximis turpissimisque flagitiis deprehenduntur, non alio supplicio afficiuntur, sed tamen perditissimorum hominum supplicium iustus ille perpetitur, imò vero eo grauius, quo & fraterna dextra percussus occubuit. Quid autem de Noë dicimus: qui & ipse iustus ac perfectus fuit, cum istis corruptis ac perditis, solus placuit deo, reliquis omnibus illum offendentibus. Innumera planè iste aduersa pertulit, pressurasque plurimas ac varias. Neque enim ut Abel continuo mortuus est, neque id passus quod tibi leuissimum videtur, sed longissimam vitam tolerauit, tot annos his qui ferunt onera, grauisimoque semper pondere premuntur, nihilo leuius aut quietius affectus. Hoc autem statim apertissime probabo, hinc initium sumēs. Annum integrum iste carceri additus fuit, carcerique peregrino, & horrendo. Ut enim ferarum serpētium multitudinem omittam, quibus cum tanto tempore communiter vixit, in tantis relictus angustiis: quid illum animi habuisse putas inter adeo ingentes tonitruorum mugitus fragorēque nimborum? Quippe inferior abyssus disrumpebatur, superior summa impetus vi demittebatur, cum intrinsecus ille cum liberis sedebat solus. Et si enim de fine quieto securus erat, per eorum tamen quæ fiebant vehementiam, metu ferè præmortuus fuerat. Vbi enim nos cum habeamus firmissimas sedes, ac domus in terra altius fundatas, vrbesque septas mœnibus inhabitamus: tamen si videamus pluiam vel modice vehementius solito demitti, concidimus metuque constringimur: quid ille passus aestimetur, cum solus intus esset, abyssumque illam horrificam, ac varia discriminum genera consideraret? Denique sufficere solet ad feriendos summo pauore animos, vrbesque, vel domum etiã vi aliqua inundationis absorptam vndis: operta cernere. At vero quando id orbis vniuersus passus est, dici non potest, quanto vir ille iustus moreretur, quo metu, cum in mediis fluctibus circumferretur, affectus sit. Totum ergo annum illum in eo metu ac dolore egit. Cum vero tandem diluuium cessasset, paulatim quidem iam cedebat metus, sed plenè moreretur augebatur, prodietemque ex ar-

ca tempestas alia excepit priore non minor, cum intueretur horrendam illam solitudinem necemque illam violentam: atque interfectorum corpora limo ac luto permixta, cum cunctosque pariter homines, & asinos, & cetera his etiam ignobiliora animantium genera, vno profusus miserabili sepulchro obruta. Nam etsi nimium peccatores fuerant, qui talia perpessi erant: homo tamen erat Noë, gentilesque suos non poterat non miserari. Quippe & Ezechiel cum iustus esset, sciretque Israëlitas iniquissimos ex omnibus, videns tamen illos iugulari, & corruere, hoc idè passus est, atque illachrymauit: & certe anticipans deus omnem sibi illorum impietatem reuelauerat, atque ipsis oculis intuendam præbuerat, ut cum illos puniri inspiceret, eam calamitatem fortiter perferret. Sed tamen cum tanto præsciētiam solatio præparatus esset, ita quoque angebatur eorum cladibus, corruensque pronus in terram, clamabat: Heu mihi domine, deles tu reliquias Israël: Non semel autem solus perpessus est, sed & secundo cum lechoniam regem gētis suæ cerneret occisum. Itaque & Noë, tamen innumera sciebat illorum esse scelera, non tamen Ezechiel siue Mose fortior erat: quippe & ille sæpe eadem quæ Propheta passus est, peccatores intuens Hebræos, tunc eos maxime miserabatur, quando puniendi erant, magisque ipse quam qui puniebatur, angebatur. At vero calamitas hæc longe erat grauior: quippe dum tot premeretur angustiis, solitudine horribili, miseria gentis suæ, pereuntium multitudine, mortis genere, terræque totius desolatione, atque vndique moreretur increfceret, qui se vehementissime concuteret. adiicitur continuo consolationis loco nati contumelia, res quidem intolerabilis, verecundiæque & doloris incredibilis. Quanto enim amicorum probra grauiora quam inimicorum sunt, tanto iniuriæ à filiis acceptæ, quasi libet amicorum quoque iniurias ratione doloris exuperant. Cum enim quem genuerat, quem educauerat, quem erudierat, cuius gratia labores plurimos ac dolores curasque tolerauerat, eum præ cæteris contumeliosissime se tractare cerneret, ne ferè quidem animi dolorem poterat. Contumelia quippe libero homini, tum per se est intolerabilis, tum si à filiis manuerit, in stuporem animi conuertit. Tu velim non id modo facinus consideres, sed ex eo ipso conicias, quam ille contumeliose priori omni tempore patre vsus sit. Qui enim ante oculos recentis timoris imagines atque iudicia versabat, ac nuper horrido ex carcere illo proruperat, orbisque totius clades hauriebat oculis, ne sic quidem correptus siue emendatus fuerat, sed eum quem minime omnium debuerat, contumeliosissime afficiebat, neque omnium mortalium nece, neque solitudine, neque dei ira, neque alia vlla earum rerum quæ tum contigerant melior effectus fuerat, cuiusmodi ille ante diluuium fuit, cum plurimos haberet, qui suapte natura pronum hortarentur ad vicia: Tunc enim profecto, tunc molestiores fluctus iustus ille pertulit, quam fuerint qui post in diluuium contigerunt, & huiusmodi ipsius filij, & reliquorum omnium gratia. Nam in diluuium quidem sola illum aquarum multitudo angustabat: ante diluuium autem vndique viciositatis abyssis comprimebatur, vndique cunctis vehementius insidiis nequissimorum hominum, ac sceleribus collidebatur. Solus enim relictus in tanta scelestorum hominum flagitiosorumque multitudine, etsi nihil aliud patiebatur, irrisiones tamè plurimas, ac iurgia quotidie ferebat. Idque cum aliàs antea, tum maxime quando illis de futuris cladibus verba faciebat. Istud vero quantam vim habeat ad perturbandos animos,

animos, testatur qui ex vtero matris sanctificatus est Hieremias, qui propterea prophetiam quoque ipsam relinquere meditabatur. Dixerat enim, inquit, ut non propitem. Præterea id solum, quod nullus illi erat vnus propis, nullusque suis moribus conformis, quantum illi tædij, quantum putas moreris offuderat: Neque hoc tantum angebatur vir fidelis, verum ex illorum miseratione cruciatus innumeris horis singulis patiebatur. Non enim tunc solus moreretur viri iusti, cum iustos morientes aspiciunt, sed etiam cum peccantes vident. Imò vero multo amplius morte ista animarum quam corporum angitur, quod ex prophetis facillime animaduerti potest. Alius quippe illorum amare ingemiscēs. Vt, inquit, mihi, quia perit pius ac religiosus de terra, nec est in hominibus, qui quod rectum est faciat. Alius ad deum loquebatur: Quare ostendisti mihi labores & dolores? Et de his qui iniuriis opprimebantur nimium condolens loquebat dicens: Facies homines ut pisces maris non haberes duces. Quod si tunc ista contingebant, cum leges constitutæ essent, & principes, & iudicia, & sacerdotes, & propheta, & cruciatus: considera quanta impudiciæ magnitudine sub Noë cuncta scelera admittebantur, cum nullo horum adhuc homines quasi freno continerentur. Et sub prophetis quidem non valde longæua erat vita atque mortalium: sed septuaginta vel octoginta annis terminabatur: tunc vero vltra sexcentos annos humana vita tendebatur. Ut igitur alia omittam, quot labores, quot negocia subire cogebatur, qui adeo prolixum iter gradiens currebat, ac viribus totis intēdebat, in tanta viæ longitudine ne parum quidem diuertere cum plurima essent quæ prohiberent: Et quid dico plurima, cum tota prorsus vita à finibus ad fines terræ esset huiusmodi, tota scopulis, sentibus, beluis, squalore, peste, algore, maleficiis: omnibus plena? Equidem facilius existimauerim angustissimam semitam profundissima nocte semper incedere, quam illis temporibus virtutis viam: tot & tanta erant, quæ gressus illius rectos conarentur euertere. Cum enim omnibus quæcumque velint agere licitum sit, vnus vero solus contrariam omnibus incedat viam: quando is ad finem peruenire poterit, cunctis illi retro impellentibus, atque à cæpto excludentibus itinere? Cuius enim difficultatis sit cum plurimis degedo recte operari, documento nobis sunt hi, qui modo quoque solitudines occupat: cum tamen recte viuendi formam, vbiq; disseminatam, concordiamque & summam ad inuicem benevolentiam, charitatisque consensionem cernere in promptu sit. Tunc vero nihil horum inueniri poterat, sed aduersum virum illum omnes vnà feris omnibus immaniores erant. Quid igitur hac vita tristi, quid luctuosius, quid laboriosius dici aut fingi potest? Equidè ostesurum me promiseram illum nihilo meliore conditione fuisse his, qui semper onera ferunt, nunquam requiescunt, sed ratio aliquid amplius efficit. Non solum enim non meliore, sed & longe grauiore ac deteriore conditione fuisse nobis patefecit. Videtur plurimis Abraham ætatem omnem prospere ac tranquille vixisse. Quo circa feliciores quosque & vndique florentes illi comparare solent. Age ergo inquiramus diligentius, quæ illi contigerunt. Hic mihi videri solet longe grauiora quam Noë, quamque Abel perpessus: sed ego fatius esse ac melius iudico nihil interim dicere, quod rerum diligens discussio sententiam ferat. Quæ igitur illi in Perside & vsque ad septuagesimum annum contigerunt tristitia, nullus aperte scire potest: neque enim beatus Moses eius nobis temporis historiam tradidit, sed omni hac ætate omissa, à sep-

tuagesimo anno narrationis suæ cepit initium. Quod tamen & ipse non dissimilia Noë perpessus sit, valde rationi cõsentaneum est, cum inter tot impios ac barbaros solus pietatem coleret. Hoc sanè incertum, ut reliqua, obscurumque non est: imò ita clarum, ut id tam dissimili quique facile cõiectare possint. Verum ista quoque modo omittamus: atque à peregrinatione sua ordiamur, illud primo inquirentes diligentius, quanto itineris spacio Chaldæorum prouincia à Palestina separata sit, aut quænam fuerit viæ illius conditio, quo modo tunc sibi miserari illi potuerint: qui fuerit viuendi atque conuersandi modus. Non enim quia facile tunc iustus ille obediuit, res & continuo facilis existimetur: neque quoniam cito ac breuiter Moses rei gestæ digessit ordinem, opus ipsum verborum breuitate putes imitatum. Ista enim dicere & narrare facillimum est: agere autem, laboris difficultatisque plenissimam. Viæ igitur istius longitudinem locorumque intercapedinem diligentius nobis enarrare possent, qui inde ad nos profecti essent. Nos hæcenus illorum quidem nemini cõgressi sumus: vnum vero ex his, qui ex citeriore prouincia adueniunt nacti, cum ab illo inquireremus quò iter agere coactus esset, triginta & quinque dierum numerum audiuius: & Babylonem quidem ille nunquam se videri ait, audisse tamen ab his, qui ibi fuerant, tantundem itineris restare cõficiendum, ut eò perueniretur. Atque huiusmodi distantia locorum & tunc erat & nunc est. Porro itineris conditio non ea modo est, quæ tunc fuisse creditur. Nunc enim & mansionibus perpetuis distinctum est, & vrbibus ac villis frequentibus ornatum, viatoresque plurimos offendunt, qui illum proficiscuntur, quod non minus ad securitatis rationem valet, quam mansiones, vrbes atque villæ. Præterea & ex prouincia ciuitatum principes deligunt viros, corporis magnitudine & robore cunctos excellentes, iaculoque & funda tantum valentes, quantum vel sagittarij sagittis, vel armati pilis, statutisque ducibus quibus illi obtemperant, hoc eis vnicam iniungunt munus, solamque itineris tuendi curam custodiamque permittunt. Ad hæc aliam longe his omnibus diligentiore curam excogitarunt. Habitacula enim mille passibus ab inuicem distincta, itinere toto fabricantes, nocturnos illic statuere custodes, per illorum labores & vigiliis maximum contra latronum impetus munimen viatoribus cõstituentes. Tunc vero nihil horum erat, non villæ perpetuæ, non vrbes, non discretæ dierum singulorum mansiones, non crebra diuersoria, non commensuratum vestigia, non aliquid denique huiusmodi. Libet nunc omittere semitam asperitatem, aerisque inæqualitatem, quæ & si desint, & alia per se viatoribus sunt molestissima. Testes mihi sunt, qui cum vehiculis iumentisque inuehantur: & ne sic quidem consueta itinera audet incedere, nisi prius ea strata lapidibus viderint, foueasque impleuerint, atque cuncta complanauerint. Cæterum tunc inhabitabili regione erat via illa desertior, ipsisque montibus & collibus asperior: præruptisque omnibus & præcipitiis periculosis. Nondum id quod est omnium grauisimum dixi, quo pacto Barbaris, ferisque nationibus nouus semper hospes iungebatur. Hoc enim maiora illi, atque difficiliora indies negocia præbebat, cum omnes tunc pergentes, imò vero (ut verius loquar) per ciuitates diuisi essent atque separati. Neque enim sicuti nunc in maxima orbis parte fieri cernas, vni imperio, vniufque ditioni mortales omnes seruebant, eisdemque gubernabantur legibus: sed veluti corpus vnum in multa membra cõcisum, ita hominum genus dispersum erat atque dissipatum, hostesque

Gen. 15.

hostesq; ex hostibus iustus ille mutare indies cogebatur, etiam antequam priores effugeret, rursus in alios incidens, cum alibi quidem confuse plurimi dominarentur, alibi nullus dominacionis ordo seruaretur. Quid igitur hoc vitæ genere molestius? Non enim sibi soli metuebat ac pauebat, verum patri & uxori & nepoti. Seruorum quoque non exigua nec contemnenda erat cura, etiam cum domi requiesceret, nedum tunc quando vagus per aliena ferri cogebatur. At siquidem exploratum ille habuisset, quando hic error finem fuisset habiturus, non adeo graues illa cura fuisset viderentur: nunc vero cum simpliciter atque indefinite audisset, in terram non istam, vel istam, sed quam monstrauero tibi: omnia mente circumibat ac perlustrabat, ingentesq; tumultus animo accipiebat, cum nunquam sistere cogitationem posset, sed suspicari plurima, curisq; angi cogere. Crede enim potest ad orbis terræ fines, Oceanumq; ipsum se profecturum expectasse. Itaque etsi non omnem perlustrauit terram, curam tamen huiusce sibi perficiendi itineris sustinuit. Neque enim animo ita paratus erat, quasi solam vsque Palaestinam profecturus: sed quasi ubique iubentem secuturus, etiam si orbem totum peruagari iuberetur, etiam ad eas quæ extra orbem sunt insulas accedere. Quod si sperare contrarium præceptum indefinitum suaderet, id rursus erat molestissimum. Is enim qui graue aliquid ac onerosum toleraturus est, multo feret leuius, si aperte sciat, quid sibi sustinendum sit, & ad quod sese præparare debeat, quam si per omnia cogitationibus iactetur ambiguus, & nunc læta, modo tristitia expectet: nec possit cuiquam horum firmiter hære, cum vtrunque pariter sperari aut credi possit. & ista quidem antequam in repromissam terram perueniret. Cum vero tandem Palaestinam venisset, & quasi iactis ancoris se iam quieturum speraret, tunc vero maior illum in portu tempestas excepit. Est autem ea non minima doloris pars cum quis aduersis se ereptum putans, atque ad finem ipsum peruenisse, cura iam omni & cogitatione solutus, rursus initium aliud malorum cogredi compellitur. Nam qui ad ferenda fortiter aduersa adhuc paratus est, æquiore animo ista cum sibi inferentur, excipiet. At vero si positis curarum cogitationibus, dum se quieturum sperat, aliquid huiusmodi cõtingat, duabus ex partibus turbatur, ac facillime dolore capitur: quippe dum præter spem & expectationem virtutis curis, & animo iam solitudine vacuo, sese præparare desiit. Quænam ergo ista tempestas fuit? Fames ita valida Palaestinam occupauerat, vt inde cõtinuo exurgere coactus sit, atque in Aegyptum proficisci. Quod cum peruenisset, veluti malorum finem inuenturus, alia illi rursus fame tristior atque acerbior clades inuasit, adeo vt periclitari de vita cogere: atque eò timoris deductus est, vt quod humana existimatione grauissimum est omnium, uxorem scilicet alienæ libidini exponere, metu coactus eligeret. In tantam enim tunc necessitatem deuenit, vt etiam hypocrisis submitteretur: quo quid dici miserabilius possit? Quo enim animo illi fuisse existimas, cum uxori ita consulere cogere, & diceret: Scio ego, quod mulier decora facie sis. Erit ergo cum te viderint Aegyptij, dicturi sunt, quia vxor illius est, & interficient me, & reseruant te. Dic ergo quia foror illi sum, vt bene mihi sit propter te, viuatq; anima mea ob gratiam tui. His verbis visus est, qui propter deum & patriam, & domum, & amicos, & cognatos, aliaq; omnia dimiserat, qui huiusmodi ærumnam, tantumq; laboris tam prolixo tempore in itinere perpassus fuerat:

Ibidem.

A & tamen nihil huiusmodi locutus est, puta, reliquit me deus, & auersatus est, suaq; cura & prouidentia exclusit: sed fortissime solum ac fidelissime omnia pertulit: & qui maxime omnium, vxore per summam vim contumeliis affecta, irasci atque indignari debuerat, agebat omnia ne contumelia tam grauis manifesta fieret. Hoc vero cuiusmodi mœroris ac doloris sit, nego ego sermone posse explicari. Norunt id omnes, qui uxores duxerunt, atque in zelotypiæ vnquam suspicionem inciderunt. Sed & Salomon quenam sit hæc passio testatur, dicens: Plenus enim zelo furor viri eius, non parcat in die iudicij, neque vlllo precio inimicitias soluet, neque bonis plurimis recõciliabitur. Et rursus: Fortis vt mors dilectio, durus vt infernus zelus. Quod si zelotypus ita excandescit: is qui tantis pressus incommodis, vt cogere tur eis quoque adulari, qui se contumeliis afficerent, & in quos vlsceri debuerat, cuncta facere, vt libidines explerent, suaq; vxore fruerentur, quo non dici potest miserabilior? Interea cum ista quoque tristitia finem accepissent, alia rursus aduersa gignebatur, famiq; illi bella succedere grauisima. Omitto nunc rixas & iurgia pastorum, distributionem cum nepote substantiæ: quantum ista quoque, si cum cæteris examinentur, mœrorem facile inferre possunt. Cum enim is, qui seruatus ab eo fuerat, tantisq; per illum potius commodis, quem sibi cedere per omnia, pastoresq; suos increpare decuerat: hic optione proposita, fertiliorem sibi regionem elegit, incultam illi ac desertiorem relinquens: quis oro, facile ferret, non dico detrimentum, sed iniuriam, cum videret se qui honorasset, parum grate atque honorifice tractari? Id quidem omni detrimento grauius censetur: sed hæc tamen vniuersa prætereo. De Patriarcha enim, non de quouis homine nobis sermo est. Successit illi fami Perficum bellum, cogiturq; aduersus hostes victoria elatos militem ducere is, qui principio non affuerat belli, integris adhuc vtriusque partibus: sed victoria iam potius hostibus, cum eos nemo ferre potuisset, sed alij quidem passim interfecti essent, alij se latebris & fugæ dedissent, & reliqui in seruitutem abducti fuissent. Sed tamen cum tantæ vndique difficultates premerent: num illi vt domi maneret, quietemve ageret, persuaderi poterat? Minime vero, imò rei gestæ nuncio percussus, profectus est, ipse quoque eiusdem calamitatis particeps futurus, seq; ipsum haud dubiæ neci expositurus. Nam velle cum trecentis seruis suis, vel modice pluribus, aduersum hostem numerosissimum, ac victoria ferocem dimicare: nihil aliud profectò erat, quam se & captiuitati, & supplicio, & morti acerbissimæ exponere. Profectus itaque est, vt ipse quoque barbaricam immanitatem experiretur. Verum dei clementia seruatus, confusus hostibus prædæ ac nepotis compos cum remeasset, sua rursus incommoda flere cogebatur, cum ob defectum liberorum nullum reliquerit hæreditatis successorem. Noli enim cum eum audis conqueri, & ad deum dicere: Quid mihi dabis? Ego autem sine liberis pereò: hoc illi recens fuisse ac nouum existimare. Hæc enim cura & sollicitudo cum sponsa vnâ in domum iusti illius introierat, imò vero ante ipsum ingressum spõsa. Quippe omnes cõsueuimus, cum incipimus de vxore cogitare, iam tunc rei ipsius curis omnibus tentari, quarum omnium suprema est, gignendorum filiorum sterilitas, metusq; ille ex ea die nostros animos excruciat. Quod si contingat post matrimonium solenniter peractum, primum & secundum, siue tertium annum sine liberis transire: tunc iam augetur dolor, ac læta spes

Prouer. 6.
Cantic. 8.

Gen. 15.

minuitur. Rursus alio adiecto anno omnino spes nos illa deserit, solumq; mœror animu occupat, per omnia vitæ iucunda simul obnubilans, nullu nobis voluptatis sensum permittit. Itaq; & si nihil cõtingisset aduersi, cunctaq; fecundissime & ad votum successissent: ista liberorum desideratio lætis illis rebus admota, cunctam illam prosperitatem obnubere ac deiicere sola potuisset. Nam promissio illa diuina ad extremam senectutem, quando maxime desperabatur impleri posse, facta est. Priori autem toto tempore à luctu & mœrore nunquam vacauerat: quantoq; amplius augeri diuitias videbat, tanto lugebat vehementius, cum hæres illi nõ esset, qui his omnibus succederet. Quid vero illum tunc passum putas, quando audiuit: Peregrinum erit semen tuum in terra sua, & in seruitutem eos redigent & affligent, atq; humiliabunt annis quadringentis: Vxor autem ancillam suam nunc viri amplexibus iungens, nunc post eam coniunctionem criminibus illum & querimoniis agitans, deumq; aduersus eum inuocans: & quæ thori particeps fuerat, cum iam filium paritura esset, domo deturbari cogens, quem constantis licet animi, in mœrorem ac dolorem acerbissimum non precipitasset: Ista si cui fortasse leuia videntur, is cum cogitauerit familias & domos integras harum rerum causa sapius euersas, maxime iustum istum admirabitur. Etsi enim timoris diuini causa fortiter ferebat omnia, homo tamen erat, & his rebus non poterat non angi atque cruciari. Rursus autem in domini domum ancilla regreditur, illiq; filium parit, efficiturq; Abraham pater post illud adeo prolixum tempus: habereq; ea res non nihil voluptatis videbatur, sed ea ipsa voluptas maiore vi mœroris premebatur. Nothus ille filius legitimi eum admonebat, maiusq; illius desiderium iniiciebat. Quod enim illi dictum erat, Non erit ille hæres tuus, sed qui egredietur ex te: de Hismaele dictum fuisse arbitrabatur: nullum enim eatenus de Sara responsum acceperat. Cum vero iam clariorem ac euidentissimam de Isaac promissionem accepisset, tempusq; partus definitum esset, rursus antequam eius spei voluptatem vllam sentiret, Sodomorum clades ingentem illi mœroris nebulam offudit. Nam quod res ipsa iustum virum immodice turbaerit, ex verbis illis ac prece, quam pro eis fudit, omnibus profecto constat. Cum vero lapsum celo imbrem illum igneum, atque omnino terribilem cerneret, cunctaq; in puluerem & cinerem conuersa: neque in seipso iam erat. Nam si cum de longe domos aliquas conflagrare incedio videmus, deficimus, stuporeq; & mœrore ac metu rigescimus: quid illum passum arbitramur, vrbes integras & regiones cum habitatoribus incedio non consueto sed nouo ac terribili ardere conspicientem? An tibi non videntur iusti huius clades, æquoreos perpetuosq; fluctus imitari? Sicut enim in mari antequam fluctus alij quieuerint, alij rursus montis instar intumescunt: ita & per totam viri vitam cõtingisse perspicias. Nam cum adhuc Sodomorum recens esset illa desolatio, rex Gerare eadem quæ Pharaon in Saram committere conatus est, rursusq; mulier miserandam simulationem confingere compellitur: atque in opus prorupisset ea contumelia, nisi prohibuisset deus. Cum autem in partu illius & vxor simul & filius, ac tota familia lætaretur, solus ille in tanto omnium gaudio tristis esse, ac mœrere cogebatur, ancillam cum filio eicere vi cœlestis oraculi compulsus. Etsi enim nothus erat, atque ex ancilla natus Hismael, naturalis tamé vis amoris ex ea indignitate nihilo minor erat, neque imbecil-

liorem paternorum viscerum dolorẽ fecerat ignobilitas matris. Istudq; ex ipsa historiae serie possumus addiscere. Ille enim fortis, ille seuerissimus & qui vnigenitum propriis manibus postea mactandum suscepit, vxore sibi hoc præcipiente ægre ferebat: nunquamq; illi cessisset, nunquam obtemperasset (etsi tunc maior accessisset videretur autoritas, iustaq; ab eo postularet) nisi illum timor dei vehementer impulsisset. Itaque cum audis illum deo iubente ancillam emisisse cum filio, caueputes doloris sensu caruisse. Hoc enim erat impossibile, verum illius potius singularem admirare obedientiam, quod cum etiam miserationis affectu retraheretur, emisit tamen cum filio matrem, quorum profectura esset nesciens. Tolerabat autem atque sustinebat mœrens: neque enim ille natura superior euaserat. Hoc autem & in legitimo passus est filio: nullus enim cum non doluisse dicat, neque paternis affectibus fuisse commotum, ne dum vltra modum illius ostendere nitatur philosophiam, illum summa laudum omnium prioret. Nam si in flagitiis teterrimis quosque deprehensos, ac longissimo tempore vita potitos ignotosq;, & quos nunquam antea vidimus, cum repente conspiciamus ad mortem duci, misericordia ac dolore conficimur, sæpe autem etiam illacrymamur: is qui vnigenitum atque charissimum filium, qui præter spem, qui post tantum temporis, qui ad extremam senectutem natus erat, (hæc enim omnia excitant maiorem doloris flammam) hunc iam adultum suis manibus mactare & incedere iussus, nihil humanum passus existimetur: quid ista dicentibus ridiculosus? Nãque si lapis esset, si ferru, si adamas denique, possent non molliri, non flecti, nõ frangi ad decorum amantissimi filij aspectum? Erat enim ad ipsum ætatis florem iam sapientia maturus, & animi religione perfectus, denique audiuit: deus prouidebit sibi ouem in holocaustu filii mei, nihilq; perquisiuit amplius. Aspiciebat patrem se ligatẽ, nec reluctabatur: impositus rogo, non resiliebat: videbat gladium cõtra se vibrari, neque omnino terrebatur. Quid hoc animo religiosius, quid deuotius dici aut excogitari potest? Audebit ne ergo quisquã adhuc dicere, nihil in huiusmodi omnibus perpassum esse Abraham? Si enim inimicum, si hostẽ interfectorus esset, etiam si belua fuisset immanis: num ista sine dolore perpetrasset? Non est ita, non est. Noli iustum virum ita crudeliter arguere, dolebat profecto atque disrumpebatur. Deus, inquit, prouidebit sibi victimam in holocaustum filii. Quanta miseratione verba ista plena fuisse arbitraris? Continebat se tamé, ac premebat acerrimi doloris vim: atque ista omnia ea deuotione & alacritate patrabat, qua faceret qui nullo istiusmodi impedimento continerentur. Immolatum interea filium (quippe deuotione illum immolauerat) sanum rursus atque incolumem restituit matri: quem illa suscipies antequam affatim dulci nato frueretur, excessit è vita: id iustæ illi maximo mœrori fuit. Etsi enim longo simul vixerant tempore, nihil tamen persuadere poterat, vt eum casum leuius ferret: imò vero hoc ipsum ampliore illum dolore cõsciebat. Namque consueuimus eos, qui plurimum nobiscum tempore vixerunt, summaq; virtutis suæ & amicitia nobis documenta dederunt, maxime omnium, ac summo desiderio requirere. Quodq; ista sic se habeat, ipse Patriarcha nobis indicat, qui fletu ac lamentatione solenni illi debitas persoluit inferias. Quis iã reliquas curas prosequi possit, quas filij gratia suscepit, vxorem illi ex remotioribus locis consciscendo, ac per omnia illius ornamentis

namque & gloria prospiciendo, quasque pro illius fratribus necessario subiuit, aliaque omnia: que qui adamusim considerare velit atque discutere, longe laboriosiorum iusti huius vitam, curisque cumulationem perspiciet, quam ipsi nunc ostendere possumus. Principalia namque tantum, ac magis necessaria scriptura restringens, reliqua nobis omnia examinanda reliquit, quaque diebus singulis verisimile est in ea domo contingere, ubi seruorum erat multitudo, vir, vxor ac filij, multarumque rerum cura ac sollicitudo. Ita sane, inquit, sed illi solatiu ferebat in singulis huiusmodi aduersis, quod propter deum illa omnia patiebatur. Et te ipsum igitur illud non consolabitur? Nullus enim profecto, nisi deus tibi hanc inferri tentationem permisit. Nam si nec porcos quidem inuadere nequissimi demones ausi fuerat, nisi prius ille permitteret: multo minus mortalibus cunctis rebus excellentiorem animam. Sicut igitur omnium fortis toleratio, atque in omnibus gratiarum actio maxima causa premeritorum fuit: ita erit tibi, tu modo non grauius atque indignanter feras, sed in omnibus gratias referas clementissimo deo. Nempe enim & beatus Iob ea quae passus est, deo permittente perpeffus est: coronis tamen non ideo donatus est, quia passus fuit: verum quia contra aduersa omnia fortis, atque inuiolabilis perstitit. Admiramurque illum omnes, non quod priuatus omnibus fuerit, sed quia inter haec omnia non peccauerit, neque in labijs suis. Quoniam vero de Iob mentionem fecimus, vellem quidem longa ipsius lamenta, passionumque vehementiam persequi: verum ne in longissimum tendatur liber, ad Isaac redeat oratio. Porro si tu cupis illius omnia diligenter addiscere, librum ipsum in manibus sumens, aspice in abyssum altissimam calamitatum viri, plurimaque in consolationem tuis casibus inuenies. Quanto enim melior, quantoque praclarior meritis iustus ille est quam nos, tato aduersus eum numero & magnitudine maiori vi dimicauit, eoque vehementius contra illum tunc nequissimus ille concitatus est. Caeterum recte facta non tam tentationum numero & magnitudine, quam rerum virtute estimatur. Itaque etsi inferius ac minus istud certamen est, nihil id tuas coronas poterit minuere: nam & is qui duo talenta tulit, nihil minus retulit, quam is qui obtulerat quinque. Cur id? Quia etsi non idem reditus, eadem tamen deuotio & alacritas fuit. Quocirca & eodem honore vterque potitus est, audiens: Intra in gaudium domini tui. Quid ergo Isaac? peregrinationem quidem illam longissimam, ac difficillimam subire exemplo patris, terramque suam derelinquere coactus non est: sed plane supremum malorum omnium ipse sustinuit, metum scilicet ne sine liberis decederet. Postea vero quam oratione ad deum fusa, eo metu liberatus est, alius continuo eum exceperit timor longe illo grauior & maior. Neque enim par metus est coniugis pro sterilitate, & pro radice ipsa trepidare. Sic enim partus doloribus disrumpebatur, vt vita ipsa morte omni illi esset acerbior. Et hoc ipsum audias licet dicentem: Si mihi ita futurum erat, ad quid mihi viuere? Famis autem & iste experimentum cepit, etsi non vt pater in Aegyptum descendit: sed quod ille vere in Aegypto pertulit, & iste pati periclitabatur, vxorem scilicet amittere. Et patrem quidem venerabantur omnes, hunc vero non secus quam inimicum & hostem exagitabant, neque propriis illum laboribus perfrui sinebant: verum cum illum angustiis vndique concluderent, licet ipsi laboribus ipsius fruebantur. Tandem vero cum sibi illos amicos conquis-

uisset, filiosque adultos cerneret, tunc iam, tunc quando summam se consolationem inuenturum sperabat, optimosque senectutis suae custodes, ac nutritores habiturum, in supremum corruit mœrorem. Primum enim maior natu filius vxorem sibi alienigenam contra patris votum cepit, & eo ipso quod pugnam & bellum in domum introduxisset, illum summa & incredibili vi doloris afficiebat: quae omnia scriptura deuotans, vno verbo cuncta signauit, cum diceret: Cum Rebecca contendebat: reliquitque id dictum eis intelligendum, qui domos habent, ac filios iam vxoratos. Illi maxime omnium nouerunt diligenter quantum mali sit, quantumque detrimenti, si focrus oderint nurus: idque maxime tunc, cum ambe eandem inhabitent domum. Hoc autem iuge illis erat incommodum. Ad haec illi grauior quoque molestia adiecta est, oculorum caligo scilicet, ac luminis priuatio: quae cuiusmodi sit, illi soli sciunt, qui patiuntur. Praeterea ne illud leue incommodum existimetur, quod dum benediceret filiis, contra quam volebat matris astu & arte, minor pro maiore benedixit. Qua in re ita indoluit, vt amarius quam is qui passus fuerat, clamaret, excusaretque ignorantiam, quod non illum sciens benedictione fraudasset, verum fratris arte circumuetus. Haec autem omnia scene tragœdiam praecurrebant, fabulamque Thebanorum adulescentium signabant. Nam & hic etiam senectute, occacationemque patris maior natu contemnens, iuniorem fratrem deturbauit domo. Etsi enim non ille necauit, id matris impediuit sapientia: & hic enim comminatus est eadem, patrisque mortem operiebatur. Quod cum mater cauta didicisset, patrique retulisset, illum protinus eius manibus eripuit. Et cum quidem qui se venerabatur, quique sibi summa beneuolentia ac pietate iungebatur, parentes fugae committere coguntur: improbum autem per cuius intemperantiam viuere illi nisi in amaritudine summa ac dolore non poterant (hoc enim ipsa Rebecca indicat) apud se iugiter tenebant. Igitur cum ille effugisset, qui semper in domo educatus (erat enim innocens habitans domi) plurimumque cum matre conuersatus fuerat: quibus lamentis, quo dolore, quo gemitu Rebeccam iam affici necesse fuit, mœrore semper charissimi ac dulcissimi filij, virumque intuentem, & per etatem, & per infirmitatem nihilo meliore conditione, quam mortuum? Quibus item luctibus senem detentum putas, dum communes & suas, & vxoris clades flere cogeretur? Cum vero illa moritura esset, quid non dixit: quid non locuta est? Etiam lapides ipsius verba liquefacere potuisse puto, cum non videret prope adstante filium, atque illachrymantem, oculosque sibi excacantem, atque mœrore suffusa ora contrahentem, atque alia omnia agentem, que parentibus morte ipsa videtur grauiora. At vero Isaac, dum illum ita efflare animam cerneret: quo animo fuisse putandus est & tunc, & post ipsius mortem? Talis ille nobis fuisse ostensus est, quem multos fuisse feliciorum putabamus. Iam vero Iacob ipsius vitam cuiusmodi fuerit, absque discussione aliqua ipsius verba indicant, qui cum Pharaonem alloqueretur, aiebat: Dies mei parui & mali, & non peruenerunt ad dies patrum meorum: hoc est, & breuiorem, & laboriosorem vixi vitam. Verum & absque hac illius sententia ita sunt aperta clades eius, vt pauci admodum sint, qui illas nesciant. Auius namque eius etsi longinquissimam peregrinationem emensus est, iussu dei hoc fecit. Quae res maximo sibi solatio fuit. Hic autem fratre fugiens insidiantem, parricidiumque

cidiumque meditantem, summos itineris labores passus est. Atque ille quidem necessario victu, & quidem abundanti nunquam indiguit: huic vero voti res erat, indumento ac pane solo non indigere. Seruatus autem, atque itineris fatigationibus liber, cum tandem ad affines suos peruenisset, qui in tanta rerum copia nutritus fuerat, seruire cogebatur. Non ignoras autem, seruitutem cum semper molesta sit, tum maxime videri molestissimam, cum quis propinquis, ac paribus seruire cogitur: idque cum eius rei nunquam periculum fecerit, sed priorem omnem atatem in deliciis egerit. Quod cum intolerabile esse videretur, forti tamen & magno animo ferebat. Porro quid erumnarum in vita illa sua pastoralis passus sit, ipsum audias licet dicentem: Ego persoluebam a me ipso furta diei, & furta noctis. Per diem vrebar aestu, & nocte gelu, recessitque somnus ab oculis meis, ista mihi fuerunt annis viginti. Hec ille passus est, qui vitam vixerat simplicem, qui semper fuerat domi. Postque tot labores, tot incommoda, post longum illud seruitutis tempus, fraudem illam amarissimam pertulit, qua sibi altera alterius loco tradita vxor est. Nam si non seruisset annis septem, si non ea passus fuisset, quae auunculo conquestus dixit: si non amauiisset puellam, hoc ipsum tamen quod sibi meliore, ac formosiore promissa, tradita sibi pro illa deterior fuit: quantum putas mœroris, quid indignationis, quid doloris beato illi tunc praestitit? Sane si quis alius id passus esset, nunquam eam fraudem atque iniuriam tulisset: sed omni prius focerorum euerfa domo, tunc demum se ipse cum illis vna interfecisset, aut alio quouis modo perdidisset. Quonia vero patientissimus ac longanimis erat Iacob, nihil penitus huiusmodi fecit, sed ne initium quidem eiusce cogitationi dedit: imò vero septem annos alios iterum seruire iussus prompte obediuit, adeo mitis erat ac mansuetus: quod si puellae amor mansuetudini morum obsecundabat, rursus mihi mœroris magnitudinem asseris. Considera enim, quae so, quantum ille dolorem passus sit, cum eius quam ita vehementer diligebat, fraudatus amplexibus illiusque connubia desiderans, septem rursus annorum dilatione cruciatur, frigora & estus & vigiliis, & detrimenta perpetua patiens. Ea tamen ipsa potitus eadem, viuensque apud focerum vitam erumnis & laboribus plenam: sic quoque inuidiae patuit, secundam fraudem in mercedibus passus, vt ipse quoque illum arguerit, dicens: Immutasti mercedem meam septem vicibus. Vna vero cum focero affines reliqui, magis etiam aduersus illum efferati exandescerant. Quod autem erat omnibus grauius, vxor illa tam dilecta, cuius gratia bis septem annis seruire delegerat, praemolestia suffocabatur, cum sororem suam parientem cerneret: ille vero omni pariendi spe destitutam, atque in tantam tunc amentiam ex animi mœrore deuenerat, vt criminibus & querelis agitaret virum, mortemque sibi met consciscere minaretur, nisi pareret. Da mihi, inquit, liberos, alioqui moriar ego. Quo modo igitur ille latari poterat, cum ea, quam diligebat, sic affecta esset, fratresque illius sibi insidiarentur, omniaque molirentur, vt ille ad extremam deueniret inopiam? Nam si ea, quae sine sudore dotis nomine traditur vxoribus, cum quis tulerit, maximo mœrore afficimur: is qui periclitabatur ea quae summis laboribus quaesierat amittere, quo animo ferre ea detrimenta poterat? Cum autem haud obscure suspectus esset, eosque se intuentes cerneret, clam fugam iniens discessit. Quo quid dici miserabilius possit? Nam & ex paterna domo & ex aliena, cum metu ac

periculis migrans, in eadem praerupta rursus cogebatur incidere. Quippe fratrem fugiens, se ad focerum contulerat, a quo iterum exagitatus, ad fratrem redire cogebatur, propheticum illud passus, quod de die domini dicit Amos, Velut si quis fugiat a facie leonis, & irruat in eum vrsus, ingressusque in domum suam, & parietum manus applicans, mordeatur a colubro. Quis autem eum tremore enarrare possit, quem perpeffus est comprehensus a Laban, itinerisque angustias cum se tam numerosum pecus filijque sui sequerentur? Caeterum cum fratris faciem esset inspecturus, nonne idem passus est, quod apud poetas, qui fictum caput Gorgonis vident? Nonne ita per omnia affectus erat, vt hi qui ad mortem ducuntur? Audi sane illius verba, atque ex eis insitam illius animo timoris flammam addisce. Deus erue me, inquit, de manu Esau fratris mei, quia valde eum timeo, ne forte superueniens interficiat me, ac matrem cum filiis. Tu autem mihi dixisti, quod bene mihi faceres. Quam non laticiam hic metus exclusisset, etiam si priori omni tempore tranquillissime vixisset? At nunc omnis illi vita, ex qua die benedictionem accepturus, metu penes fuerat mortuus, per calamitates varias insidiisque tenebatur. Tantus denique tunc illum timor inuaserat, vt post congressum fratris, quantumlibet ille praeter spem benigne & humaniter eo vsus esset, confidere ne sic quidem posset, anxietatemque deponere. Denique cum obsecraret ille, vt secum se ire permitteret, non secus quam a fera aliqua liberari cupiens, vt recederet orabat, dicens: Nosti domine, quia infantes teneriores sunt, ovesque & boues mecum foetae, quas si plus in ambulando laborare fecero, morientur vna die cuncti greges. Praecedat dominus meus ante seruum suum, & ego sequar paulatim vestigia eius, sicut videro paruulos meos posse, donec veniam ad dominum meum in Seir. Respiransque ex illis periculis modicum, in alium longe maximum timorem incidit. Rapta quippe illius filia, primum quidem puellae iniurias & contumeliam aegre ferebat: sed cum id facinus lenisset, quod eam regis filius ducturum se vxorem polliceretur, eamque sententiam laudasset Iacob, foedera violauit Leui fratribus adiunctis, ciuesque viritim ad vnum iugulantes, in id tremoris patrem induxerunt, vt inde protinus migrarent, eod quod omnes aduersum se bellaturos timeret. Dixit enim (ait scriptura) Iacob ad Simeonem & Leui: Odiosum me fecistis, vt iniquus sim omnibus habitantibus terram, Chanaanisque, & Pherezais. Ego autem sum minimus numero, congregatique contra me simul obiurgabunt me, deleboreque ego & domus mea. Quippe omnes illos vna finitimi necassent, nisi illorum indignationem dei clementia continuisset finemque claudibus imposuisset. Factus est, inquit, timor dei super omnes per circuitu ciuitates, neque persecuti sunt post Israel. Quid ergo cum hoc metu liberatus esset? Num tandem vel parum respirauit? imò vero tunc supremus eum malorum omnium vertex inuasit, mors scilicet amantissima coniugis & immatura simul & violenta. Peperit enim, inquit, Rachel, parturiensque laborabat. Factum est autem cum parturiens periclitaretur, dixit illi obstetrix: Confide, & hic enim tibi filius est. Et cum efflaret animam (moriebatur enim) vocauit nomen eius, Filium doloris mei. Cumque luctus adhuc recens esset, adiecit mœrori Ruben, patris thorum contumeliose impetens. Quod ille tam grauius tulit, vt moriens quoque mala imprecaretur filio, tum scilicet, quando filius parietes misericordius affici consueuerunt. idque cum

ille primogenitus esset omnium, quod etiam affectus nomine non parum valet. Sed tamen hæc omnia vis mæroris exclusit, vocansque illū dixit: Ruben primogenitus meus, fortitudo mea, & initium filiorum meorum, durus ad ferendum, durusque & audax, effusus es sicut aqua, non crescas. Ascendisti enim in cubile patris tui, tunc maculasti fratrum ubi ascendisti. Cum autem adoleuisset amantissimæ vxoris filius, solarique illius desiderium huius præsentis & iugi contubernio speraret, tunc sibi multiplices parantur clades: fratres enim illius tunicam intinctam sanguine patri ostendentes, vario illum luctu confecerunt. Neque enim solam lugebat mortem, sed ipsum quoque mortis genus: plurimæque erant quæ illius animum confunderent, ac penè in desperationem præcipitarent, quod amata illius filius, quod melior reliquis, quod maximè dilectus, quod in ipso ætatis flore, quod ab eo missus, quod neq; in domo, neque in lecto, neque patre coram assisente, neque dicens aliquid & audiens: quod non communi morte omnium, quod viuēs à ferarum immanitate disceptus fuerat, quod ne reliquias quidē illius reperire poterat, & humo condere: quod ista illi non in iuuentute contigissent, quando melius ferre potuisset, sed senectute vltima. Eratque miserandum omnino spectaculum, videre canos verendos puluere fædatos, senileque pectus discissa tunica nudatum, lamentaque admittentia consolationē nullam. Scidit, enim inquit, Iacob vestimenta sua, & circumposuit cilicium lumbis suis, lugebatque filium diebus plurimis. Congregati sunt autem omnes filij eius, & filia, & venerunt consolari eum noluitque consolari, dicens: Descendam ad filium meum lugens in infernū: quasi vero possibile non esset vacare à mærore animū ipsius. Cum cœpisset ea plaga curari, fames valida incumbens terramque vniuersam occupas, primum quidē vehemēti illum mærore turbauerat. Cum autem reuersi ex Aegypto filij, rei frumētariæ copia famis incommoda solati essent, aliam item consolationi illi mixtam doloris causam attulerūt, voluptatēque quā & ex famis leuamine tulerat, absentia filij premebat atque obscurabat. Neque id solū, sed Benjamin ipsum postulabat: quo ille vnicō solatio & vxoris defunctæ, & à fera deuorati filij lenire mærorem cōsueuerat. Erat autem non ea sola causa detinendi Benjamin secum, verum ætas quoque ipsa, & educationis ratio. Nō ascendet enim, inquit, filius meus vobiscum, quoniam frater eius mortuus est, & ipse solus derelictus est: contingetque illū lassescere & deficere in via, qua vos pergitis, deducetisque canos meos cum dolore ad inferos. Primum igitur omnino reniebat, illū nunquam se daturum asserens. Cum vero vehementissima vis famis vrgeret, grauiorūque necessitate tangerentur, quanquam nimium mæres: Quid enim, inquit, me afflixistis, nunciantes homini, quod esset vobis frater? verbaque illa miseranda locutus: Ioseph, inquit, non est, Simeon non, & Benjamin hunc assumetis: in me venerunt ista omnia: dolens scilicet quod post Ioseph & Simeon, etiam Benjamin à se niterentur auellere: ostendensque omnia se potius passurum, quam dimissurū à se filium: victus tandē suis eum manibus tradidit, dicens: Et fratrem vestrum assumite, surgentesque descendite ad virum. Deus autem meus det vobis gratiam in cōspectu viri, emittatque vobiscū fratrem vestrum vnū & Benjamin. Ego enim sine liberis effectus sum. Ita vehementer summis illisangebatur incommodis, vt visceribus etiam discerptis, paulatimque imminutis filiis, vniuersa

Gene. 42.

deteriorum metu toleraret. Maiore enim ex huiusmodi aduersi dolore angebatur, quàm ante ex Ioseph. Quippe ea clades, quæ meliorum spe & expectatione caret, si vehemētiore dolore nos cruciat, ille tamen ipse dolor protinus lenitur, dum animo desperatio huiusce cladis corrigēda semper ingeritur: quæ vero suspensa, hæcenus animum requiescere non sinit, futurorum incerto anxietatem iugiter nobis augens & renouans: idq; ex beato David facile animaduertere possumus, qui cū adhuc viuentē plangeret filio, eo ipso mortuo se à fletu continuit: quod cum serui illius mirarentur causamque requirerent, hanc ipsam rationem allegauit, quàm ego modo. Merito igitur Iacob in his casibus metuebat magis atque tremebat. Sed aspectus ille desiderabilis, ac Ioseph facies voluptatem illi, & quietem postmodum præbuit. Et quid inde voluptatis cōsecutus est? Sicut enim vehemētissimo igni adusta mēbra quantumlibet quis refrigerare molitur, nihil proficit: ita & illius mœstū animum nimique doloris flāmis adustum, nihil erat quod recreare ac refouere posset, maxime cum ea ætate nullus ferē sit voluptatis sensus: quod Berzelai Galaadites excusans, dicebat ad David: Quot dies annorum vitæ meæ illic erunt mihi, vt ascendam cum rege in Hierusalem? Filius octoginta annorum sum hodie, num discernam inter bonum & inter malum? Num gustabit seruus tuus quæcunque comederit aut biberit dominus meus? Num audiet seruus tuus cantantium virorum aut mulierum voces? Et quare seruus tuus grauis sit domino meo regi? Verum quid hoc ex aliis conuicimus, cum liceat ipsum audire de se protestentem? Postea enim quàm filium viderat à Pharaone de vitæ suæ annis interrogatus: parui sunt, inquit, & mali dies mei, & non peruenerunt ad dies patrum meorum: adeo viuacem rerum gestarum memoriam secum semper gerebat. Sed enim filius iste clarissimus & gloriosissimus Ioseph, cuius clades nō suarum magnitudine gloriarū operuit: Nempe enim pater eius vnum tantummodo insidiatorem passus est, hic autem porro plures: atque ille quidem priorem omnem ætatem in summa rerum copia & requie nutritus est: hic in alienam puer adductus regionem, itineris erumnas perferre cogebatur. Atque illi quidem mater, insidias leniens: hic adulescētulus quando illi matre opus erat, tunc maximè isto adiutorio desertus & destitutus est. Adhæc Esau quidem vsque ad comminationem tantum Iacob perterruit: at vero Iosephi fratres insidias in apertum opus perduxerunt, atque ante insidias inuidia commoti detrahere illi nunquam destiterunt. Porro quid acerbius esse possit, quàm eos quibus cum iugiter inhabitas, inimicos pati? Videntes enim, quod à patre ceteris liberis suis plus diligeretur, oderant eū, nec poterāt ei quicquā pacifice loqui. Neque enim ego, quod sub negociatorum regūque serui manu fuit, tam graue illi fuisse dixerim, quàm quod in illorum impiis incidit manus. Multo enim isti clementius illo vli sunt, quàm fratres. Attamen nec sic quidem quieuit calamitatum sæua hyems, quippe vehemētiore procella irruens, ipsum rursus ferē demersit. Fortasse me quispiam hoc in loco insidias dominæ dicturum existimet. Ego ante eam quoque tempestatem aliam sauiorē dicam. Graue quidem, reuera graue atque intolerabile, calumnias huiusmodi criminum pati damnarique, & carcerem tam prolixo tempore incolere puerum, liberum, nobilem eiusq; necessitatis hæcenus ignarum. Sed sanè grauius his omnibus, ac difficilior illi visum puto, fluctus

2. Reg. 19.

Gene. 47.

Gen. 39.

fluctus ætatis cōpescuisse. Si enim nulla flagranti concupiscentia turbatus, illius amores blandiciasq; respiciisset, non mihi ita laudandus atque admirandus videretur, Christi scilicet sententiam tuenti. Neque enim ille eos qui natura sunt eunuchi, sed qui seipfos absciderūt, dignos regno cœlorum dixit. Sin vero aliàs, quàm ille victoriam tulisset, aduersus quem dimicans victoriam reportaret: Quonā hoste superato buccinaretur, si nullus esset qui obluçtaretur, eumque summa vi niteretur deicere? Neque enim eos qui à domitorū animantium coitu abstinerūt, castitatis ratione prædicamus, quod nature insita non sit huiusmodi concupiscentia. Si igitur beato illi adulescēti eiusmodi ignis nihil molestus fuit, quid est quod illius castitatem ita admiramur? Quod si eo tēpore, quo vehementius huiusmodi flamma succenditur (agebat quippe iam fermè vigesimum ætatis annum) & cum nullis admotis aliis fomentis incendij, intolerabilis per se est ista vis, tunc maxime impudica mulier castissimo adolescenti insidiata est, tantum huic flammæ viriū ex suis illecebris & ornamentis adiciens, quantum illi erat per naturam: quis iam tum illius fluctus tumultus, & anxietatem enarrare sufficiat, cum intrinsecus quidē & natura illum & ætas perturbarent, atq; & decor Aegyptiæ extrinsecus pellicerent: istudq; non vno die, vel duobus, sed plurimo tempore perferret? Equidem reor ipsum tūc non sibi tantum timuisse, sed illi etiā indoluisset, quod ad tantum præcipitiū tanto studio peruenire curaret festinarētque. Atq; illud ex verbis, quæ mulieri plena grauitatis & modestiæ respondit, nobis cōstare poterit. Etenim licebat illi profecto iure suo, si voluisset, & contumeliosus & audacius ad illam loqui: siquidem illa per nimiam amoris vim facile cuncta tolerasset. Verum nihil huiusmodi locutus est, aut cogitauit: sed piis religiosiq; cogitationibus admotis, ea solummodo locutus est, per quæ putabat à scelere illam posse reuocari, nihilq; amplius adiecit. Ecce enim, inquit, dominus meus, præter me nihil scit eorum, quæ sunt in domo sua: & omnia quæ sua sunt dedit in manu mea, nihilq; in domo sua plus habet quàm ego: neque aliquid quod non dederit in potestate mea, præter te, eō quod vxor illius sis: & quo modo faciam hoc verbum malum, vt peccem coram deo? Et tamen post tātā modestiam, tantaq; castitatis indicia, falsi criminis calumniam subiuit, deusq; istud fieri permisit. Vincitū est, nec sic prodidit insidias, iniustamq; mulieris calumniā coarguit. Studebat enim copiosiora præmia, coronasq; clariores præparare, atque ideo ipsis quoq; seruis regis dimissis ipse inclusus perseuerabat. Tu nolo mihi custodis clementiam obicias, verum ipsius verba diligentius examines, inspicies profecto summum animi dolorē. Nam cum somnium interpretatus esset, regio pincernæ dixit: Sed memento mei per temetipsum, cum tibi bene fuerit, faciesq; super me misericordiā, & suggeres Pharaoni de me, & educes me de lacu isto, quia furto sublatum sum de terra Hebræorum: & hic non feci quicquam, sed innocentē iniecerunt me in domum lachrymarum. Et si enim claustra carceris facile ferebat, cum eis hominibus viuere, puta sepulchrorū violatoribus, furibus, parricidis, adulteris, homicidis, & reliquis eius generis hominibus (his enim atque huiusmodi plenū erat illud habitaculum) grauius illi ac molestius erat. Neque id solum, sed quod plurimos intueretur frustra & inaniter illic aggregari, atq; velut in saluram mitti. Sed tamē id quod tute modo quereris, seruus quidē vinculis eripiebatur,

Tomus quintus.

A liber autem in erumnis persistebat. Quod si quis regni mentionem faciat, hic mihi rursus curarū examen vigiliarum & mille negotiorū difficultates velim in medium adducat. Quæ omnia eis qui quietam curisq; vacuam vitam diligunt, non nimium iucunda, aut grata sunt. Præterea sanctis illis quidem si quid lætum cōtingebat, mirum profecto non erat, cum necdum cœleste regnum planum & apertū esset, futurorumq; bonorum manifesta promissio. Hic vero quādo tanta bonorum copia proponitur, resq; cūctis manifesta est, audebit ne obsecro iam quispiam dolere, si in præsentis vita iucundis nullis perfruatur: aut prorsus in hac vita dulce aliquid existimabit, qui præmia futura nouerit? Et quid hoc animo dici abiecius potest, si sperās & expectans paulo post in cœlū se migraturum, huius mundi requiē inquirat, ac tranquillitatem membro nullo meliorem? Vanitas enim vanitatum, inquit, & omnia vanitas. Quod si is, qui præsentis vitæ voluptates præ ceteris hominibus fuerat expertus, hanc aduersus illas sententiā tulit: multo magis nos ita affici & sentire cōuenit, quibus nihil est commune cum terra, quibusq; in superna inscribi ciuitate festinare, totumq; illuc animum transferre iustum atque imperatum est.

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI,
de Providentia dei, ad Stagirium monachum, Liber tertius.



EFFICERE quidem & ista poterant, quæ dicta sunt, ad extinguendam mæroris flammam, atque persuadendum meliore ac tranquilliore esse animo. Verum vt consolatio sit cumulator, & hunc librū adicere institui, illud abs te primum inquirēs: Dic, oro, si quis te ad regnū terrestre & imperiū vocaret, atq; ante ingressum eius ciuitatis, in qua coronandus esses, in stabulū diuertere necesse esset, vbi luti ac fimi plurimū viatorumq; tumultus esset, & latronū perturbatio summaq; pressura & angustia: nū ad illa tristitia cogitatione conuertereris, an illa omnia quasi nihil essent, gaudio & spe regni cōtemneres? Perquam igitur ineptum & indignū est, terrenis mortalibusq; rebus potiturum, nihil his quæ interim inciderint contrahi, æterni autē regni spe elatum & erectum atq; ad cœlos accersitū, per singula quæ in diuersorio cōtingunt tristitia decidere atq; perturbari? Profecto enim in hoc diuersorio ac stabulo nihil præsentis vitæ status melior est, idq; cum sancti patres nostri nobis indicare cuperēt, hospites ac peregrinos seipfos appellabant, his verbis nos erudientes, & læta seculi præsentis, & tristitia pari mentis altitudine contemnere, atq; à terra lōgissime remotos, toto animo cœlestia ambire, atque ad ea totam transferre cogitationem. Age itaque ad sanctos ipsos veniamus, à Ioseph ad Mosēm orationē transferentes. Hic enim omnium, qui in terra versabātur, mitissimus gignitur, gentilibus quidem suis vi durissimæ seruitutis oppressis: alienatus autem à parentibus, ignoransque à quibus genitus esset, priorem omnē ætatem à Barbaris viris educatur. Quo quid grauius Hebræo, singularique prudentia prædito adolescenti potuit cōtingere, & si millies regis filius esse putaretur? Non autem hoc solo angebatur ille tunc, verū quod intueretur gētem suā summis calamitatibus opprimi, grauisimum sibi videbatur. Qui enim præter illorum salutem ne viuere quidem, neque in dei libro conscribi patiebatur, quando aula regis, regniq; bonis frui potuisset, cū tanta omnes tēpestate iactari gētiles cerneret? Nam si nos quoque

f iij quoque

quoque post tam multa secula exortos, nullumq; huiusmodi privilegium ad Iudeos habentes, tanta subiit miseratio, cum infantium illam immanissimam iugulationem audimus aut legimus: quid beatus ille pati potuit, qui tam singulari affectu genti suae adstrictus, ipsas eorum clades hauriebat oculis, ac eos praeterea qui tantis illos incommodis afficiebant, parentum titulo honorare cogebatur? Reor ipsum miseros illos tunc infantes plus luxisse, quam fecerint parentes ipsi. Quod ex his liquet, quae post ea gessit. Cum enim eum qui pater esse putabatur, nec suadendo fletere, neque cogere valeret, vt feralem tyrannicamque iusionem remoueret, ipse vnà malorum communium pergit esse particeps. Neque istud est quod ego nunc admiror, sed ex caede illa coniciens, quam praeterito tempore mœroris flammam in intimis animi recessibus aluerit, stupeo. Nã qui ex maxima doloris vi ad homicidium protinus erupit, ex eo opere quid prius animo doloris tulerit, apertius ostendit. Neque enim tanta illos vehementia vltus fuisset, nisi plus quam patres ipsi eorum incommodis tabesceret. Quid igitur posteaquam illos vltus est, num vel parum animus ex mœrore illo relaxatus est? Potuit ne diutius frui dulcedine illius iustissimae vltionis? Vix dies altera illuxerat, cum beatum illum dolor alius, & quidem priore longe grauior exceperit, tantusque metus, vt ipsum Aegyptio tota deturbaret. Durum quidem ac molestum est, à quouis homine maledictis lacessiri: verum cum beneficiis quispian affectus, beneficia ipsa exprobrauerit: nūquid occidere me tu vis, inquit, quemadmodum Aegyptiū heri occidisti: tunc iam tunc efficitur ea contumelia intolerabilis. At vero Moyses praeter hæc aliud quoque tertium inerat, regis videlicet metus, qui adeo iusti occupauerat animum, vt vniuersa illū regione exturbaret. Efficitur itaq; fugitiuus regis filius, vt si quis regiae illius educationis indulgentiã beatã arbitratur, is modo mœrore prioris abundantia animaduertat, illū iusto viro doloris incredibilis ac difficultatis causam extitisse. Neque enim idem quempiã in priuata nutritū domo, plurimis iam laboribus multisq; peregrinationibus & ærumnis exactis, longos iterum labores, atque ea incommoda, quae extra patriū solū necessario subeunda sunt, perpeti: & eum qui ista nunquam vel breuiter fuerit expertus, sed contra penitus in regia magnificentia omne tēpus educatus, id ipsum pati. Multo enim grauior fuga videbitur, quam illi, si quando experiri hanc necessario cogetur: quod illi quoque tunc contigit. Itaq; profugus effectus, alienigenae viri hospitio fruitur, quod ratione mœroris haud exiguum est. Dæmonis quippe hospes ille suus sacra exoluebat, diuersatūque est apud illum longissimo tempore. Tradita autem sibi pascendi gregis custodia, quadraginta annis ita perstitit. Porro si hoc durum, aut difficile non esse alicui videatur: is velim eos examinet, non qui metus, aut timoris causa peregrinantur, latebris abdūtur, sed qui sponte sua domo se vel parū abdicant, quam moleste, quam grauius eam peregrinationem ferūt, quantumq; commodi ac dulcedinis in reditu reponūt. Cum verò illi nec metus defuerit, nec vita ærumnis plena, istaq; onerosa & molesta reditu illo suauissimo leuora iudicauerit: considera, quãso, diligenter calamitatis eius varietatē. Neque enim simpliciter audias, pascebat, sed recole nunc Iacob verba, quae ad focerū conquerēs dixit: Ego à me ipso reddebã furta diei, & furta noctis: die vrebam estu, nocte gelu, recedebatque somnus ab oculis meis. Hæc enim omnia ista illi etiam contigisse putandum est, &

Exod. 2.

Gen. 31.

A annis pluribus, & maiori cū difficultate. Quippe est ea regio lōge desertior atque incultior, quam Mesopotamia. Quod si nō ita querebatur Moses, nec beatus quidem ille questus vnquam fuisset, nisi summa necessitate compulsus, atque fœceri ingratitude in hæc verba prorumpere necessario coactus esset. Sufficit quidē & ipsa per se longinquae peregrinationis habitatio eum humiliare virum, qui necessitatis tantum causa peregrinatur. Sicut enim auis cū ex nido suo auolauerit, facilius capitur: ita & homo cū à sedibus propriis longius profectus fuerit, in seruitio subiicitur. Tunc vero nec de propria salute securus esse poterat ille, sed vt seruus aliquis crudelissimum dominum effugiens, pauet semper ac trepidat ne capiatur: ita & beatus Moses nunquam sine timore esse poterat. Idq; ex eo maxime liquet, quod deo post tantum temporis præcipiente, vt rediret in Aegyptum, hæret ac titubat: idq; cum audisset, defunctus est qui querebat animam tuam. Postea vero quàm vxorem ac liberos relinquere coactus est, rursus querimonia & contumelia & minæ ab eo qui tunc regnabat in Aegypto, criminaq; & maledicta ab eis ipsis quos beneficis fouebat. Ille enim aiebat: Quare Mosēs & Aaron auertitis populum à laboribus suis? Israëlita autem: Videat, aiebant, deus & iudicet vos, quia execrabilem fecistis odorem nostrū coram Pharaone & coram seruis suis, vt daretis gladium in manus eorum ad interficiendum nos. Grauius quidem sunt hæc & molestissima: sed illud omnibus grauius, quod ingressus ad suos, innumeraq; promittens bona, libertatem, incumbentium malorum ereptionem, fallax esse & seductor putabatur. Non solum enim illis tūc leuatum non est imminens seruitutis onus, verum grauius est adiectū: & qui gentem omnem liberaturus sperabatur, idq; promiserat, is cruciatuum & verberū causa esse, insidiator & corruptor putabatur. Quis non facile mœrore tunc fuisset absorptus, cum pollicitus tot malorū ereptionem, post pollicitationem diriora videret cumulari? Dolebat quidem quantum par erat, cum talia audiret & videret: non ea tamen perturbatione deiiciebatur, sed manebat immobilis: & quidem cum promissionibus ea quae contingebant non solum non consentirent, verū & maxime oblectarentur. Accedēs autem ad deū, & de his loquens, ac multū ingemiscens: Domine, inquit, quare tu afflixisti populū tuū, & quare me misisti? Ecce enim ex quo ingressus sum ad Pharaonem, vt loquerer in nomine tuo, afflixit populū tuum, nec liberaisti eum. Hæc ergo cū ille lamentatus esset, atque eadem iterū quae prius audisset, annunciat quidem ea rursus Israëlitis: sed illi minime tolerant, eo quod animæ illorum labore premerentur, ac mœrore deficerent. Non, inquit, audierunt Mosem præ angustia & laboribus duris. Hoc autē haud parum illum affligebat. Vt vero ad signa ventum est, sapius à Pharaone delusus, eam irrisionem fortiter tulit: cū verò liberatus tandem ex Aegypto, atque vnà cum populo iam ferē securus videretur, antequam plene respirasset, peiore, imò verò longe grauiore metu comprehensus est. Vix enim tertia effluerat dies, cum repente Barbaros omnes armatos cernunt super se irruere: atque idem passi sunt, quod fugitiui serui, dum in aliena regione repente dominorum oculos offendūt: vel certē quemadmodum si illi ipsi aliquando somniasent se latari, & esse ea seruitute liberatos, ac demū experrectos in Aegypto, atque in eisdem pressuris inuenissent. Imò verò nescio quid illi somnium reputasse existimandi sunt potius, tridui

Exod. 5.

Ibid. 6.

tridui ne illam liberationem, an præsentem rerum faciem horrendam ac pauēdam nimis tanta oculis omnium offusa erat mœroris nebula. Interea Moses multo maioribus tenebris continebatur. Non enim solos Aegyptios metuebat, vt reliqui, verum ipsos vnà Israelitas: vtraque enim gens illum iam vt seductorem ac versutissimum oderat Aegyptij quidem irridentes atque inuadētes, Israëlita verò carpentes ac mœrore cōfecti. Sed quid me necesse est dolores angustiasque viri coniecturis colligere, cum possimus ex illa ipsa superna voce cunctum ipsius dolorem intelligere? Tacenti enim illi, neque labia referare præsumenti, dixit deus: Quid clamas ad me? Tumultum animi ipsius nobis hoc verbo significans. Postea verò quàm is etiã solutus est metus, maiora iterum parabantur aduersa. Nam per omne illud iter sauius atque immanius illo vsi sunt hi, qui ab eo regebantur, innumerisq; per illum bonis fruebantur, quàm fecisset Pharaon ipse & Aegyptij: ac primum quidem instabant vehementius illum suffocantes, Aegyptiasque carnes requirentes, ingrati que præsentia fastidiebant, & præterita desiderabant, quod erat sanē omnium grauiusimum. Quid enim pati poterat acerbius si amentium insanientiumq; hominum gubernacula sibi credita fuissent? Et tamen omnia beatus ille fortiter ferebat, & nisi illos summo affectu dilexisset, tolerasset æquanimis illorum aduersos casus, ac pro suis tantum doluisset iniuriis: nunc verò cum illis non secus quàm filius afficeretur, ex huiusmodi affectu ad eò eximio aliam rursus molestiam subire cogebatur, cum illorum peruersitatem ac vefaniam auctiorem indies fieri intueretur. Neque enim illum angebant contumelia, sed quod eas ab illis pateretur, quos tanta charitate diligeret. Graue quidem re vera fuerat, etiam ante cibi illius mirabilem largitionem ingratos esse: verum illi inter media miracula nequiciam ostendebant suam, iniquitatem & infrenatam cupidinem, quam legentes illum cibum præferebāt, atque cum parum processissent, rursus ingrati murmurabant, rursus dei beneficiis ingrati querebātur. Cum verò per singula quotidie peccarent, beatus ille lugebat, ac mœstus perdurabat. Nam cum vitulum fecerunt, ipsi quidem ludebant ac lasciuiebant: Moses autem lugens, ac mœrore affectus, maledictum illud terribile sibi imprecabatur, nihilq; omnino persuadere poterat vt à miserationis affectu abstineret. Cum igitur sic dilectos in deteriora semper progredi conspiceret, quāto illum dolore, quibus lachrymis iugiter obuersatū putas? Si enim vnum quis tantum habens filium, viuere sine dolore non potest, cum illum semper in vicia pronum animaduertit, etiam si ipse omnibus nequior sit: is qui tot milia hominum in filiorum ordine locauerat, imò vero plusquam filios amabat: nullus enim pater cum filiis vnà perire cupit, cum præcipue nihil peccauerit, inquam, qui tot habet filios, mala auersans, ac bona studiose diligens: quid pati potuisse putandus est, cum eos omnes veluti ex quodam signo & condicto, ad viciorū prærupta & præcipitia currere intueretur? Profecto nisi obtenebrasset vehemēter, atque ex intimis recessibus animam ipsius mœroris ipsius magnitudo turbasset, tabulas de manibus nunquam abiicisset atque contriuisset. Sed cito clades illa sedata ab eo est. Quoniam, quãso, remedio? Nempe enim etiam si curationis illo genere sanatū fuerat præsumptum facinus, ipse tamen erat semper in lachrymis. Nullus enim ferē ita esset lapideus, qui nihil pateretur, fratres & cognatos à suis interfici, atque ad

Tomus quintus.

A viginti trium milium numerum eam cædem progredi conspiciens. Nos denique cum liberos nostros in aliquo peccasse deprehendimus, tormētis quidem ac flagris illos subdimus: verum id non sine dolore facimus: imò vero magis ipsi, quam qui patiūtur affligimur. Cū ergo & illū & castra omnia maximus luctus occupasset, alia rursus anxietas adiecta est. Deus enim se non iam illis parciturum, sed eos derelicturum, angeloque daturum eam curam minabatur. Id vero Mosi visum est omnibus grauius atq; intolerabilius. Audi denique quid ille ad deum locutus sit: Nisi ipse venias mecum, non educes me hinc. Vidēsne vt timoribus timores mœroresq; mœroribus semper successerint? Neque tamen haec tenus steterūt aduersa, verum cum id quoque persuasisset deo, annuissetq; clementius ac præstitisset gratiam, aliis rursus doloribus affligitur. Deū iam propiciam illi irritantes, sese summis doloribus exposuerunt: nam post cædem illam lachrymabilem ita deum rursus offenderunt: vt contra se incendium illud prouocarent, ex quo omnes ferē cōsumpti periere. Mosem vero duplex semper mœsticia angebat, quod & illos perire, & reliquos corrigi nolle, nihilq; ex pereuntium casibus lucrari cōspiceret. Necdū clades illa finem acceperat, cum hi qui reliqui fuerant, ceptarum memores, datas sibi diuino munere escas ægre ferebant, dicentes. Quis nos cibauit carnibus? Recolimus pisces, quos in Aegypto comedebamus, cucumeresque & pepones & porros, & cepas & alia. Nūc autē anima nostra arefcit, Nihilq; oculi nostri intuerūt nisi manna. Nost iam non tulit ingratos Mosēs, imò vero dolore superatus, illorum regimen recusat, morique optat potius, quàm in tanta amaritudine viuere. Audi denique ipsius verba. Et dixit, inquit, Mosēs ad deū: Quare afflixisti seruum tuum? & quare non inueni gratiam in oculis tuis? & cur imposuisti pondus vniuersi populi huius super me? Num ego in vtero accepi omnem populū istum? quia tu mihi dicis, accipe illum in sinu tuo, veluti nutrix lactentem, in terram quam iuravi patribus eorum. Vnde mihi carnes, vt dem omni populo isti? quia flent aduersum me dicentes: Da nobis carnes vt comedamus. Non potero ferre populum istum solus, quoniam graue mihi est verbum hoc. Quod si non ita facis mihi, obsecro occide me, si inueni gratiam coram te. Ista ille locutus est, qui dixerat: Et nunc siquidem dimittis eis peccatum, dimitte: sin autem, dele me de libro quem scripsisti: adeo illum mœror auerterat. Quod & parentes saepe patiuntur, cum his indignantur, quae à filiis fiunt. Nam quod nec postea vnquam deserit illorum misereri, liquet ex his quae postea gessit. Cum enim illum exploratores occidere tentarent, ipsumq; lapidibus obruere, effugiens illorum manus, rursus ad orandum pro eis conuertebatur, deumq; illis propiciam fieri, qui se necare cupiebāt, precabatur: adeo quoque naturali amore vehementior illi inerat affectus. Itaque exploratoribus mortuis, ac ingentis adhuc luctus necdum hora præterita, rursus illi alias necitebant mœroris causas. Primo enim pugnare prohibenti non obtemperauerunt, secundo vero pugnantes ab Amalechitis concisi sunt, & ante bellum istud & bilis & gula causa maxime consumpti sunt. Nam occidit, inquit, plurimos eorum, cum adhuc esca esset in ore eorum. Ingenti autem hac illorū cæde inspecta, cum necdum hic dolor quieuisset, alio rursus inuaditur luctu, tantaq; necessitate constrictus est, vt istos ipsos tam dilectos atque amantissimos, nouo aliquo ac peregrino mortis

Num. 11.

Exod. 31.

Psal. 77.

genere vitam finire precaretur. Ita alij quidem erupente igne repente incendio conflagrauerunt, alij repentinno terra hiatu absorpti sunt: neque pauci aliquot, sed plura quam quindecim hominum milia ista passii sunt. Quo facto, quo animo illorū cognatos & amicos aduersum Mosē fuisse putandum est? Quo item Mosē ipsum cum cerneret pupillos filios, & vxores viduas ex ea calamitate fieri videret: item fratrem suum ac sororem vita excessisse, illiusq; filios prauaricationis causa ignis vstione perisse? Horum sanē singula, nihil etiam antea perpeffum animū afficere dolore potuissent, nedum tot iam incommodis, tot malis exercitum & fatigatum. Vt autem Chanaanō superato longum iter circumire cogebantur, rursus murmurare Iudæi, rursusq; periere: non iam quidem morbis vt prius, non igne aut hiatu terræ, sed venenatorū serpentium moribus: qui profecto omnes periissent, nisi rursus accedens deum Mosēs precibus suis eius auertisset iram. Postea vero quam de hac peste liberati sunt, vastasque imprecationes effugerunt, rursus seipfos per durissima prauarupta iecerunt, atque post benedictiones Balaam, imō vero dei, (neque enim illius voluntatis ea verba fuere, sed implentis se atque mouentis diuini afflatus) fornicati sunt cum alienigenarum filiabus, & initiati sunt Beelphegor. At Mosēs huiusmodi scelus, cōfusionemq; non ferens, eos rursus se inuicem concidere ac necare iussit. Interficite, inquit, vnusquisque proximū suum, qui initiatus est Beelphegor: non secus quam in vulnere horrendo, quod plurimis sectiōibus vstionibusque susceptis, nihil melius habuerit, iubet quisque rursus, quod reliquum est secare atque vrere. Cæterum tu cum has difficultates audis, noli putare ista tantum contigisse: siquidem & ipse ex his quæ scripta sunt non pauca prætereo, puta bella, inimicorum obstacula, lōgissima itinera, fororis contumeliam, eiusdem cruciatum, quomitissimus ille Mosēs tūc maxime indoluit. Sed ea tamen omnia si quis diligentissime in vnū congerat, ne millefimam quidem partem ex his quæ contigerunt, scriptam fuisse reperiet. Si enim qui in vna domo vel paucis præest seruis, innumeras quotidie & irritationū & mœroris occasiones habet, qui tot milibus quadraginta annis moderari coactus est, idq; in deserto vbi neque aer, neque aqua erat: quot negocia singulis diebus, quas difficultates obire cogebatur? quot curas, quot mœrores & viuētibz illis, & vita funētis? Vides enim omnes quos ex Aegypto duxerat mortuos, præter duos viros solum: eosq; qui ex illis nati fuerant, dignus habitus non est in terrā repromissionis inducere. Cæterum vidit quidem eam terram ex vertice montis Nabo, naturamq; illius optime didicit, frui autē illa cū reliquis Israëlitis permixtus non est, sed extra eā mansit ac mortuus est, idq; ipse Israëlitis cōquerens, dicebat: Et dominus deus iratus est mihi de his, quæ dicebantur a vobis, iurauitq; vt non transeam Iordanem istum, vos autem transibitis, & hereditate possidebitis terram hanc optimam, quā dominus deus tuus dat tibi in hereditatem. Quodq; omnibus erat acerbius, ipsum in infernum deduxit, dum illi scelera & futura Iudæorū mala præostēdit, idolorum scilicet culturam, captiuitatesq; illas ineffabiles: vt nō solum his quæ intuebatur, sed eis etiam quæ nec dum contigerant, affligeretur animo, ac penē deficeret. Denique a prima statim ætate ita dolere ac mœrere incepit, vt nunquā desisteret, vitamq; cū mœritia finiret. At vero successor eius Iosue omnī, vt ita dixerim, tristitiam, cum eo vnā periculum fecit. Si quid

tamen illum, eo quod iunior esset, effugit: hoc sanē post mortē illius, in eo cumulatius impletum est. Nō solum autem dum viueret Mosēs, vestimēta scidit, cineremq; capiti asperxit: sed etiā postquam ille defunctus est, imō tunc lōge maxima necessitate id facere coactus est, nō breui tempore, sed die tota pronus in terra iacens: audi deniq; verba etiā illius & ploratus: Et scidit, inquit, Iosua. 7. Iesus vestimenta sua, prociditq; in facie super terram coram domino vsque ad vespērā, ipse & seniores Israël, miseruntq; puluerē super capita sua, & dixit Iesus: Obsecro domine, vt quid traduxit puer tuus populū hunc trans Iordanē, vt traderes eum Amorrhæo ad perdendum nos? Vtinā permanissemus, & collocati essemus circa Iordanē. Et quid dicā? Postquam vertit Israël terga inimico, audietq; Chanaanus, & omnes qui habitāt terrā, & circundabunt nos, & conterent de terra. Talia orantem audiens deus, causam illi cur superati fuerant, aperuit: quā ille cū didicisset, perdidit vnā omnes, non eum qui peccauerat solum, sed cognatos quoq; & propinquos, omnemq; familiam cum pecorum multitudinē. Id autē haud parum illius perturbauit animū. Nam si nos cum alienos quoque puniri cernimus, nec videre quidem toleremus: quid ille passus est, qui cōtribules & cōmilitones tantis afficiebat incōmodis? Quid autem Gabonitarū fraus tribuūq; trans Iordanē habitātium suspicio? quid perpetua bellorum atq; pugnarum exercitatio? Quæ ista statū animi, rectissimū licet, nō euerterent? Et tūc vincebat iugiter, victoriæ tamen voluptatem reliquorū bellorū cura obfuscabat: sortiumq; distributio summos illi labores, ingentēq; difficultates pariebat. Norunt ista qui vel substantiam fratribus, aut quibuslibet alicuius aliās hereditatē distribuendā susceperunt. Plebis autem reliquas deinceps calamitates nec referēdas existimo. Neq; enim est propositi nostri grūnas singulorū numerare, sed eorum tātum, qui deo familiares & charissimi fuere. Quocirca, si videtur, Heli omisso, quippe & is per filiorū vicia, imō vero per suā negligentiam offendit deū. Neq; enim ideo quod malos haberet filios puniebatur, sed quia vltra debitū increpationi pepercerat: & cū dei leges violarentur, seuerius in illos vltus nō est. Cuius rei & ipse sibi cōsci post ingentes illas & terribiles minas aiebat: Dominus est, quod bonū est in oculis suis faciat. Eo, inquam, omisso ad Samuelē veniamus. Is a puero nutritus in tēplo, deo semper charus & gratissimus fuit, tantaq; virtutis indicia a prima statim ætate prætulit, vt antequā ad viriles annos euaderet, inter mirabiles prophetas inscriberetur: idq; cum ea res tūc defecisse omnino videretur. Nō enim erat, inquit, visio dirimens, verbumq; preciosum. Hic ergo Samuel qui post multas matris lachrymas cōceptus fuerat, primū quidē cum intueretur magistrum in mortem illā miserabilem deuēctum, ita cōfusus atq; turbatus est, vt decebat gratū amabilemq; discipulum. Interea & Iudaicas calamitates flere cogebatur. Porro filij ipsius, cum iniqui & mali essent, atque ad culmen iniquitatis peruenissent, & hoc ipso mœrore illum incredibili afficiebāt, & sibi præstiti honoris heredes esse non poterāt. Successit huic mœrori, imō vero nō successit (quo enim pacto, cum prior nondum quieuisset) sed adiectus est alius, Iudaicarū scilicet iniustissima petitio. Qua in re ita cōcidit, vt ingēti cōsolatione indigeret: audi deniq; quid illi dixerit deus: Non te spreuerunt, sed me. Post hæc tamē iste parcebat illis, & ita miserabatur, vt diceret: Mihi autē absit vt peccem, & desistā pro vobis orare. Istos igitur ita dilectos a se cū opprimi

primi conspiceret, atque à bellis superari, deūque cōtra se prouocare: quam sentire voluptatem poterat? quod temporis absque mœrore, & lachrymis viuere? Cum vero Saül constituisset regem, alterni sibi perpetuūque gemitus adiciebantur. Nanque cum sacrificium ille præter dei voluntatem obtulit, & cum superatis Amalechitis, illorum pepercit regi, idque contra iusionē dei: ita animo percussus est, vt ex eo iam non viderit virum, sed vsq; ad vltimum diem luxerit, & lachrymatus sit, quando etiā ob doloris vehementiam a deo increpat^o est. Quousq; enim, inquit, tu luges Saül, & ego repuli illum? Si autē his ita contingētibus lugebat, quo animo tunc fuisse existimādu est, cū tot sacerdotes frustra, & sine causa interfecit? quando eū qui se multis beneficiis nullisq; iniuriis affecerat, secundo vt interficeret profectus est: quādo nondū illum prophatantem, ac deridentem vidit, cum audiuit Dauid in familiaris congressu multa contra illum conquerentem? Postquam vero de Dauid mentionē feci, nescio quid agam, lamentāne illius longa & assidua quæ in Psalmis scripta sunt, in mediū adducā: an ista tibi in ocio recensenda permittens, ipsius potius calamitates, explicem? Is igitur plurima quidē cum greges pasceret aduersa perpeffus, aduersusq; aeris intemperiem, & beluarum feritatem reluctatus est. Quorum alterum ex his quæ Iacob contigerunt, alterum ex his quæ ad Saül locutus est, possumus animaduertere. Postea vero quam omiſsa vita illa pastoralis, belli negocia intemptissimus miles arripuit, omittit fratrum inuidiam, etſi molestissima ea res fuit, cum clarissimam illam, admirabilemq; victoriam adeptus esset, vehementiorem deiecto Goliath inuenit inimicum Saül, eum scilicet, quem minime debuerat, cum a se beneficiis omnibus affectus esset. Neque enim palam aduersus eum præliabatur, sed amantium sibi personam assumens, ipsiusque honori & dignitati prospicere se velle simulās, ita aduersus illum immaniora iniuriis omnib^o moliebatur. Porro quam graue, quam molestūve sit pro bonis mala recipere, audire licet beatum Prophetam lamentantem iugiter, & ægre ferentem ac dicentem: Sic redduntur mihi mala pro bonis. Illud erat molestissimū, illud erat lachrymis & lamentatione dignissimū, quod dux exercitus suspectum se cerneret regi, cum se ille minime latis oculis intueretur. Quid autem timoris, quid sollicitudinis, quid angoris ea res habeat, documento nobis sunt serui nostri: quos si modice suspectos habem^o, ferre aquantimater non possunt. Longe ergo id magis passus est fidelissimus dux, suspectus regi. Cum vero insidiæ præterea contra suspecti caput adiectæ sint, quid hac eius grauius vita, atque amarius dici potest? Ferebat tamen ille omnia & tolerabat, aderatque illi iugiter qui se perimere meditabatur, atq; illius bella ducis præstantissimi fide & virtute bellabat. Postea vero quam insidias regis declinans recessit, atque à belli curis seipsum remouit, hoc ipso quidem quod se insidiis subduxerat, apertasque inimicicias regis constituerat, habebat non nihil aliud ratione fiducia: verum cum aduersus tantas copias cum quadringentis viris dimicare cogere, metu ampliore quam prius tenebatur. Nam cui neque vrbes, neque castella, neque socij, neque reditus inerant: considera quo animo erat, cum aduersus fretum his omnibus pugnare cogere: nec præter desertam & spelūcas, quō confugeret, reperire posset. Nam cum urbem Ceila nomine occupasset, ex ea protinus resiliit, sacerdotis responsis admonitus: quod si illic

A manere pergeret, deus illum Saülis manibus haud quaquā eriperet. At vero sacerdos ille ipse erat, qui impias regis manus effugerat, & qui cladem luctuosissimam, quæ in Nobe contigerat, annunciauit regi, quando in amarissimam quoque illam erupit vocem: ego enim sum causa mortis cunctarum animarum domus patris tui. Itaque cum illo iugiter congressus, nihil aliud erat quam luctus illius ac mœroris monumentum. Cum enim in illum intuebatur, semper versabatur illi ante oculos necatio illa sacerdotum. Porro ipsius necis memor, ac tam sceleratæ cædis causam sibi imputans, reis omnibus ac damnatis infelicius degebat. Etſi enim nihil aliud illum perturbasset, sufficere id poterat ad vulnerandum suffocandumq; animum, quod seipsum tot sacerdotum peremptorem impiū existimaret. Hac vero cogitatione faucius, quæ diu noctuq; plusquā tinea ipsius corrodebat animum, & alia deinceps vulnera alterna ac perpetua suscipiebat: quippe cum Nabal per seruos suos contumelias afficeret, fugitiuumq; ac refugum atque ingratum seruum appellaret, non sine dolore verba tam iniuriosa percepit. Et cū ad Achis profectus insanum se simulans concideret, versaretq; oculos atq; spumę plurimum ex ore dimitteret, longe profecto amplius cruciabatur, quam illi qui re verā corripuntur a dæmone, cum secum reputaret in quam ille se necessitatem deduxisset, quæ summis beneficiis fouerat. Cum vero paululum apud hostes quieuisset, essetq; in hostem illorū deducendus exercitus, inuidia cōmoti aduersum eū satrapæ, atq; illi apud regem suum detrahentes, suo illum exercitu deturbant, veluti inutile sibi & insidiatorem proditorēq; futurū. Irati sunt, inquit, aduersus illum satrapæ alienigenarū, dixeruntq; regi: Emitte virum, & reuertatur ad locum, vbi tu illum statuisti, nec veniat nobiscum ad bellum, & non sit insidiator in castris. In quo enim iste reconciliabitur domino suo, nisi in capitibus virorum illorum? Quibus ille verbis percussus, accepta summa contumelia recessit mœrens, ac domum rediens tanta mala, tot clades offendit, vt penē mœrore suffocaretur. Quæ enim tunc contigerunt aduersa, ea erāt, vt possent præuisa etiam & præmeditata illius animum tenebris obducere. Porro ex insperato superuenientia duplo quam erant, grauiora videbantur, neq; iam tolerabilia. Iuerat enim ille quasi quieturus domi, mœroris præteriti consolationē inuenturus, vxores scilicet ac liberos: cum repente audiuit illos in seruitiū ab hostibus abductos, hausitq; oculis ignem, fumum, sanguinem, caduera, atque antequam istos lugeret captiuosq; desleret, irruunt ad eum feris omnibus immanius, habitatores ciuitatis querentes singuli casuum suorum consolationem ex illius capite. Et veluti cum venti contrarij in mari irruunt, ingens & sæua procella ex ea pugna concitatur: ita & tūc tristitia & metu iusti huius perturbantibus animū tempestas maxima, tumultusq; harum passionum inuicem se collidentium iugiter inerat. Fretus autem copiis, & dolore concitatus, cum vxores ac natos captiuitatēq; omnem recepisset, antequam victoriæ illius voluptate frueretur, mœstissimo percussus est nūcio, mortem Ionathæ comperiens: quæ illius animum tanto dolore prostrauit, quantus ex illius lamentatione cognoscitur. Incidit enim, inquit, super me dilectio tua, quasi dilectio mulierum. Quid autem lamentationes prosequar? Qui enim patrem illius insidiatorem suum atque inimicum, & qui millies illius mortē cōcupierat, ita fleuit & lachrymatus est: quid passus existimetur, cum illum qui sibi

qui sibi in illis periculis semper adstiterat, ac sapissime patris insidiis eripuerat, secretorumque suorum particeps fuerat: qui cum pacta plurima inierat, ante vita defecisse cognosceret, quae illi acceptorum beneficiorum vicem restituere valeret? Cum adhuc vrgeret illa perturbatio, alio rursus mœrore dux illum suae militiae excruciat, dum Abner qui sine dolore ac vexatione aliqua, immo & cum facilitate omni totum illi exercitum praebiturum pollicitus fuerat, ante impletam pollicitationem occupans, fraude interimitur. Cui caedi intantum condoluit, vt ex tunc mala Ioab imprecaretur, & ipso mortis suae tempore filio imperaret, vt vltionem ab eo tanti sceleris exigeret: at praeterita verba ipsa lamentationis suae perturbationem animi illius facile nobis insinuare possunt. Eleuauit enim rex, inquit, vocem suam, ac fleuit super tumulo Abner: Si secundum mortem Nabal, morietur Abner. Manus tuae non fuerunt vincula, neque pedes tui in compedibus, neque audisti, sicut Nabal coram filio iniquitatis corruisti. Quid igitur post haec? Dolo interficitur Miphiboseth, succeditque hic mœror: quippe & illud ita luserat, vt interfectores eius morte mulctaret: cladum adiectio, quae illum in modice turbauit. Eis tamen aliisque hostibus nonnullis superatis, arcem ingenti cum leticia reducere instituit. Verum cum ea reduceretur, gaudetibus omnibus, in medio latitiae communis res contigit, quae voluptatem obscuraret omnium, regisque animum ingenti metu ac dolore confoderet. Oza enim cum vellet arcam labanem corrigere, dei confestim iracundia percussus ac mortuus est: atque diutissime adeo regis animum metus iste commouit, vt non prius auderet arcam ad se introducere quam addisceret quonam modo ea vteretur, qui illam susceperat ab Hedera. Interea mortuo Ammonitarum rege, rem boni ac benigni hominis faciens, misit qui consolarentur superstitem filium, persuaderentque patris obitum patienter tolerare. Tum ille pro honore suscepto, summis iniuriis abeuntes profectus, atque turpiter dehonestatos remisit ad regem. Parumne hoc tibi videtur ad feriendum deiiciendumque animum? At inde secutus vtriusque bellum quanto dolore pertulerit, ostendit quod nullum aliud initium cepit, atque in tantum vehementiae progressum est, vt innumeris illum incommodis afficeret. Sufficere quidem & ista poterant, etiam si eis quispiam ille iucunda permitteat, illius vitam inter eos numerare, qui semper in luctu & miseris vixerunt. Nunc vero talia postmodum secuta sunt, vt nec olim tristitia pati coepisse videatur. Quippe fabulas omnes, omnemque tragœdiam vicerunt regis huius clades: adeo illi monstruosa, & inuicem sibi succedentia, domuique suae contigerunt, cum clades cladibus succedere semper pergerent. Considera, quæso, Adamauit sororem Thamar Ammon frater, amatam viopressit, oppressam odiuit, eamque violationem nefariumque concubitum, prior ipse patefecit alicui ex seruis mandans, vt inuitam pelleret domo, ac per plateam emitteret clamantem, ploratique & lamentis omnia impletent. Id cum didicisset Absalon, ad prandium fratres inuitat vniuersos, inter quos & stuprator ille sororius aderat, edentem illum atque bibentem cum ceteris inter conuiuandum per seruos iugulat. Inde quispiam exurgens, nec plenè rei gesta ordinè noscens, regi mortuos omnes illius filios annunciat. Quo ille percepto, sedens filiorum, quæ non erat, lugebat eadem. Postquam vero ille rem gestam apertius audiuit, filio quidem comminatus est, eumque se morti addicturum asseuerauit. Cum

vero ille effugisset, totumque triennium in aliena vixisset regione, toto illo tempore rex permansit iratus: & ne tunc quidem illum accersisset, nisi eum ducis sui sapientia flexisset. Eo autem accersito, nec sic quidem extincta est doloris flamma, sed duos rursus annos illum aspectu remouit suo. Vixque post adeo prolixum tempus a duce exoratus, suis illum aspectibus dignatus est. At vero ille harum rerum memoria indignatus, siue alias tyrannidem gestiens, insurgit in patrem, illumque rursus ad fugas errorisque perpetuos, quos perpeffus erat sub Saül, reuocat: immo vero multo illi molestior ea fuga, quam prior fuit. Nam prius quidem dux cum esset, ista perpeffus est: nunc autem cum annis plurimis regnasset, hostesque ferè omnes superasset, migrare cogebatur, ac profugus fieri. Qui autem illum conditione tam miserabili profugum agebat, non alienus quispiam, siue hostis erat: sed qui ex ipso natus fuerat, sicut & ipse cum excederet a terra sua, lamentabatur plorans. Et tunc quidem cum in feruore esset ætatis, ferè vniuersa fortiter poterat: nunc vero florido illo tempore emenbere debuerat, tunc maxime insidiosum, sibi que infestissimum sentiebat. Egrediebaturque cum paucis nudis pedibus rex ille sublimis mœrens, ac lachrymas fundens, pudore ac dolore plenissimas. Bellum quippe illud non calamitatis tantum, sed confusionis quoque materia illi & causa erat. Tanto enim contumeliosius quam Saül impius filius beato illo tunc vtebatur, vt patris quoque thorum violaret: idque non clam, sed in tecto domus videtibus omnibus, ac iura naturæ legesque concubitus per nimiam qua in patrem ferebatur insaniam peruerteret: atque amentia ebrius, bello necdum confecto, quasi iam viciisset captiuosque duxisset aduersarios, ista audebat, ac præ se ferebat. Sic igitur mœstum & metuentem Sibas cum inuenisset, turbauit amplius, contra dominum mentitus suum, asserensque illum tyrannice sentire. Huic successit Semei vir quidam sceleratus & ingratus, innumerisque illum probris resperxit, verbis lapides admiscens. Egredere, inquit, vir sanguinum, & vir nequam. Covertit in te dominus omnem sanguinem domus Saül, quia regnasti pro eo, & dedit dominus regnum in manu Absalon filij tui, ostenditque tibi maliciam tuam, quia vir sanguinum es tu. His ille auditis atque toleratis, tabescebat quidem: quod ex ipsis lamentis manifeste comprobatur: verum nihil ultra facere audebat. Sed cum dixisset insurgenti in illum, ac domini sui iniurias vlcisci cupienti, Dimitte illum maledicere mihi: dominus enim dixit illi, vt videat humilitatem meam retribuaturque mihi dominus bona pro maledictione viri huius, viuam ab se abire permisit. Ipse autem Chusi aduentum praestolabatur, sollicitusque ac tremens rei expectabat exitum. Vt autem & ista nunciata sunt bellum instruebatur, bellis omnibus quæ vnquam contigerunt peregrinus, significationi quam veritati similis. Eum enim qui causa fuerat malorum omnium, eiusque belli totam materiam praebuerat, & quo mortuo aduersa omnia finiebantur, hunc ducibus suis tota prouidentia & cura commendabat, ista illis iugiter replicans: Parcite, aiebat, filio meo Absalon. Quid hac haesitatione & ambiguitate deterius? Quid ea miseratione miserabilius? Suscipere bellum cogebatur, in quo & vincere, & vinci æque illi molestum erat. Nam neque superari volebat, qui tantas copias miserat: neque rursus superare, qui belli authorem necari prohibebat. Verum discreto bello, ac sine quem voluit deus consecuto,

consecuto, ac parricida illo interfecto: reliquis omnibus in laticia & gaudio agentibus, solus rex lugebat & lachrymabatur, ac seipsum includens defunctum appellabat filium: ferebatque grauer, quod pro illo ipse non occubisset. Quis enim, aiebat, mihi mori pro te dabit Absalon filium? Quid hac clade perplexius vnquam auditum est? Quando fratrem ille necauerat, ipsum interficere quærebat: quando autem contra se vesanus ferebatur, tunc filio parcebat. Neque flere quidem destitisset mortuum, nisi ingressus Ioab indignitatem rei arguisset, ac vehementius alloquens erexisset illum, exercitumque decenti facie & habitu suscipere persuasisset. Ne tum quidem clades suae finem acceperunt, sed primo quidem aduersum se versi in seditionem milites diuisique sunt. Postea vero quam vix & per summas blandicias cessarunt, resilientes rursus adiecti sunt Sabee, bellumque aliud conflare cepit, cum adhuc prioris reliquæ remaneret. Quibus rebus perturbatus Dauid, coactis copiis eas cum ducibus misit. Ioab autem & ex hoc bello peracta victoria non permisit victoriae voluptatem sine mœrore contingere. Nanque ducem vna secum constitutum Amasan, qui omnem populum subiecerat Dauid, innocentem, & qui in nullo se læserat, inuidia stimulis agitatus occidit. Quæ res ita grauis ac molesta fuit regi, tantoque illum confudit mœrore, vt filio moriens mandarit, eius viri sanguinem vlcisci, oraueritque: ne tati sceleris authorem impune mori pateretur. Et quod longe grauius est, ita affectus est, neque mœroris sui causam dicere audebat, eo quod aduersus innumera incommoda iam oblectatus esset. Etenim post bellorum fremitus, fames cum eam prouinciam depasta est: & cum eius incommodi absolutionem quæreret, cogebatur filios Saül ad mortem tradere. Quippe hoc caeleste oraculum præcipiebat: Super Saül, inquit, & super domum eius hæc iniusticia, eo quod Gabonitas morti addixerit. Quod si quis recolat quantum Saül inimicissimam mortem defleuerit, animaduertet quid tum quoque passus sit, cum filios innocuos tradidit Gabonitis. Attamen & ista tolerabat, vltimusque clades procedebat. Nam post famem protinus insurrexit pestis, cecideruntque in dimidio diei septuaginta milia virorum, quando miseranda illa verba locutus est rex. Cum enim vidisset angelum districtum gladium tenentem, dicebat: Ecce ego pastor peccavi, & ego pastor malefeci. Isti qui sunt grex quid fecerunt? Isti in me manus tua, & in domum patris mei. Denique ipsius aduersos omnes casus mœrorisque causas diligentius enumerare possibile non est: neque enim omnes conscriptæ sunt, verum ex ipsius lamentis & gemitibus possumus conicere calamitatum quoque omisarum magnitudinem, utque iustus ille nunquam plangere ac dolere desierit. Quid enim ille ait? Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni. Si autem in potentatibus octoginta anni, & quod in his est amplius, labor & dolor. Sin vero tu dixeris, per hæc illum verba non suam solum, sed communem vitam omnium deprehendisse: plus aliquid quam ego velim concedis, plurimisque nos controuersus liberat, ipse consentiens non illius solum, sed ne alterius quidem cuiusquam vitam inueniri posse, cuius non multo sint plura tristitia ac difficilia, quam læta & iucunda. Siquidem ille, vt tu quoque rite confiteris, non suas solum calamitates, sed aliorum quoque in commune considerans: ita demum hanc sententiam tulit, eadem ferè quæ Patriarcha locutus, nisi iste maiori cum vehementia. Quæ enim ille de se, hic de omnibus protulit. Aiebat ille: Parui & ma-

li sunt dies mei: hic autem, Dies annorum nostrorum *Gen. 47.* in ipsis septuaginta anni: hoc est, omnium hominum, & quod plus his est, labor & dolor. Verum enim hæc, vt dixi, tibi diligentius in ocio examinanda relinquas, ego ad prophetas reliquos veniam. Etsi nusquam vitam suam illi nobis conscriptam reliquerunt, ob malorum tamen quæ illos obtinuerunt magnitudinem, vel ex vno verbo omnem illos vitam in laboribus, ærumnis, & doloribus egisse reor ostendi posse. Ac primò, quod commune illis omnibus fuit, ludibriis & verberibus affecti, lapidibus obruti, carceribus inclusi, ferrati, in occisione gladij morietes, circumeuntes in melotis & pelibus caprinis, egentes & pressi, afflicti per omnem vitam perstiterunt. Ad hæc aliam quoque mœroris adiectionem his omnibus acerbiorē habuere, quod illorum nequiciam qui se ita afficiebant, semper ad deteriora progredi intuerentur. Quæ ex re longe plus quam ex incommodis ac pressurisangebantur. Et alius quidem aiebat: Execratio & mendacium, & furtum, & adulterium, & homicidium effusa sunt in terra, & sanguinem super sanguinem admiscet: per hæc verba maliciae licentiam perplexitatemque, & copiam nobis insinuans. Alius rursus clamabat: Vt mihi, quia factus sum sicut qui colligit stipulam in messe, & sicut racemum in vindemia, cum non adiunt botri: per hæc raritatem bonorum hominum deplorans. Item alius alia similia queritur. Porro armentarius ille non eorum vicia lugebat solum, verum plus in illorum calamitatibus, quam in suis tentationibus mœrebat, ac deum obsecrabat, dicens: Propicius esto domine, quis suscitabit Iacob, quia paruulus est: Pœnitere domine super hoc. Et ne sic quidem precum suarum effectu potitus esset. Dixit enim, & non fiet, dicit dominus. Esaias vero cum audisset, quia deserta erit omnis terra, ne consolari quidem voluit, sed assidue lugebat, dicens: Dimittite me, amare flebo, non poteritis consolari me. Hieremia autem lamentationes & seorsum conscriptas, & per omnem prophetiae textum dispersas, partim de seipso compositas, quis possit sine lachrymis legere? Nam nunc quidem aiebat: Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plangam populum istum die ac nocte: nunc autem: Quis dabit mihi in deserto mansionem extremam, & derelinquam populum istum, & recedam ab eis: Omnes enim adulteri sunt. Nonnunquam vero indignas ac mœrens clamat: Vt mihi mater, vt quid me genuisti virum, qui discernat & diiudicet omni terræ? Aliquando diei quoque natiuitatis suæ maledixit, dicens: Maledictus dies, in qua natus sum in ea. Sed & cœni lacus, & vinculorum pressura, & verbera, & insidia irrisionesque perpetuæ ita illum excruciant, vt iam pene desperaret. Quid autem quando capta vrbe, prouidentia & honore a Barbaris dignatus est? Num ista sentiebat? Imò vero tunc maxime amara illa lamenta conscripsit, mortuos & abeuntes lugens. Neque minora illi visa sunt sequentia mala preteritis, cum hi qui ex bello reliqui fuerant, rursus per sua scelera deum irritarent. Cum enim pollicerentur se illi per omnia obtemperaturos nihilque relicturos, in Aegyptum rursus descenderunt, oraculo contraria præcipiente: prophetamque secum deduxerunt, ac per suam ingratitude illi sibi longe grauiora prioribus dicere, atque imprecari coegerunt. Quid vero Ezechiel? Quid Daniel? Nonne in captiuitate tempus omne vixerunt? Quorum quidem prior fame, ac siti pro alienis cruciabatur malis, vxorque defuncta eum casum absque lachrymis perferre

ferre iubebatur. Porro quid grauius dici possit, quam in suis aduersis casibus ne flere quidem permittit? Omitto enim modo, quod super sterco bubalorum panem suum comedere coactus sit, & quod super vnum latum centum & nonaginta diebus iacere, aliaque huiusmodi tollerare sit iussus. Et si enim illi ex his, quae vel diximus, vel omisimus, nihil triste contigisset: certe id solum quod inter hostes ac Barbaros impurosque homines vir iustus & sanctus iugiter versatus sit, omni erat illi supplicio acerbior. At vero Daniel videbatur quidem summis honoribus frui, & quasi captiuitatis & seruitutis iniuriis non tangi, cum in regia iugiter obuerfaretur aula, essetque potentissimus. Ceterum si quis illius orationem audiatur ieiuniumque consideret, facieque immutationes, ac iuges precationes, agnoscatque diligenter quorum gratia ista faciebat: animaduertet huc ex omnibus maxime in doloribus angoribusque vixisse. Neque enim illum praesentia tantum mala excruciant, verum & futura perturbant: quae etiam cum necdum contigissent, praenoscere dignus est habitus, atque prophetis oculis aspicere. Cumque necdum praesenti seruitute liberatos ludaeos cerneret, aliam illis rursus captiuitatem prauidere cogebatur: & quae nondum edificata fuerat, eam urbem capi cernebat, sacrificiisque contaminatum templum ac desolatum, omnemque euerfam sanctificationem, idcirco lugebat & lachrymabatur, dicens: Nobis autem confusio faciei, & regibus nostris, quia peccauimus tibi domine. Verum nescio quo pacto me penitus inter prophetas effugerat caelestis ille animus, qui sic in terra versabatur, ut in caelo semper esset. Nihil enim illi terrenum praeter meloten erat. Quid igitur summus iste atque admirabilis vir, si virum illum vocare oportet? Nam post ingentem illam fiduciam qua aduersus Achab usus fuerat, post ignis illam a caelo demissionem, post nec sacerdotum, posteaquam clauserat & aperuerat caelum, quo tempore vtrumque voluerat, post tanta ac talia recte facta & signa fiducia, ita metu mororisque magnitudine detinebatur, ut haec verba loqueretur: Tolle animam meam a me: non enim sum melior ego quam patres mei. Ista ille, qui hodieque necdum mortuus est. Neque istud solum, sed in desertum profectus obdormiebat, praeter doloris ac mororis onere lassus ac fatigatus. Porro huius discipulus non solum spiritu magistri duplicem accepit, sed & pressuras longe etiam maiores. Hoc denique paulo ante beatus Paulus ostendens, illorumque arumnas enumerans, aiebat: Quibus dignus non erat mundus. Peropportune nunc Pauli fecimus mentionem. Qui enim per se solus inspectus ad consolandum sufficere posset, hic post alios veniens, cuius non dolor ac mororem euanescere facit: Eius nempes famem, sitim, nuditatem, naufragia desertique habitationes, timores ac pericula, insidias, carceres, verbera, vigilias innumeras, mortes, & alia quae praedicationis causa perpessus est, ne referenda quidem arbitror. Ista enim et si pressuras illi exhibebant, non tamen erat absque voluptate quadam. At vero quando illum Asiatici omnes auersati sunt, quando Galatae peruersi, gens integra, & eatenus grata, quando ecclesiam Corinthij plurimas in partes sciderunt, fornicatorumque teterrimo per suas blandicias pudoris quoque sensum abstulerunt: quid illum perpessum putas, quantas illius animo tenebras obfusas arbitraris? Sed quid nos ista coniecturis colligimus, cum illius verba audire liceat? Corinthiis enim scribens, dicebat: Quoniam ex multa tribulatione & angustia cordis scripti vobis per multas lachrymas: Et rursus:

A Ne forte cum venero, humiliet me deus, & lugeam multos qui ante peccauerunt, & non egerunt poenitentiam. Galatis vero: Filioli, inquit, mei, quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis. De Asiaticis vero scribens ad discipulum, queritur & ingemiscit. Neque enim ista solum tunc illum morore afficiebant, sed & datus illi stimulus ita eum vexabat atque affligebat, ut saepe pro huius absolutione deum deprecatus sit. Quod enim hic ait, ter, saepius significat. Prorsus vero quando ille respirare potuit, qui fratris quoque absentiam lugebat? Ex exo enim, ait, quod non inueni Titum fratrem meum, non habui requiem. In alterius item morbo hoc idem passus est: Deus enim misertus est eius (de Epaphra scribens Philippensibus) non illius autem solum, sed & mei, ne tristitiam super tristitiam haberem. Et de seductoribus, ac sibi reluctantibus grauius morens, ad Timotheum scribit: Alexander, inquit, ararius multa mihi mala ostendit, reddat illi deus iuxta opera sua. Quam igitur iste vel breuem mororis ac doloris habere requiem poterat? Neque enim ea sola quae dicta sunt obsidere animum suum poterant, sed & alia quae mororem illi assiduam praebant. Et ea rursus ipse aperuit, cum dicat: Praeter ea quae foris sunt instantia, mea quotidiana sollicitudo omnium ecclesiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror? Si igitur ille per singulos eorum qui scandalizabantur vrebatur, profecto ea adustio extinguitur ex illius animo non poterat. Neque enim vnquam deerant qui scandalizarentur, ignique illius materiam ministrarent. Nam si & vrbes & gentes saepe integrae more deciderunt, multo sane magis vnum semper & alterum qui haec paterentur, inueniri necesse erat, cum tot essent ecclesiae per orbem. Concedamus autem, si placet, neque scandalizatum fuisse aliquem, neque ab eo disunctum aliquando, neque aliud aliquid huiusmodi tristitium illi contigisse, ne sic quidem morore vacuam inuenire poterimus. Quae in re nullus iterum testis aptior ac fidelior occurrit, quam ipse qui passus est. Quid enim ille ait: Optabam anathema esse a Christo pro fratribus meis secundum carnem, qui sunt Israelitae. Quod autem dicit, huiusmodi est: Optabilius mihi erat in gehennam incidere, quam Israelitas infideles & incredulos videre. Hoc enim est, optabam anathema esse a Christo. Is autem qui eligebat gehennae cruciatum, ut ludaeos omnes ad fidem posset inducere, liquet profecto quod non potuit voti sui grauius affici batur, quam hi qui in gehenna cruciantur: quando quidem hoc potius quam illud cupiebat. Tu velim per singula quae dicta sunt, non solum materiam cogites, ex qua maestitia viris illis gignebatur, sed mensuram etiam doloris ac mororis, multo illum maiorem aspicias, quam tuus sit. Quod enim modo quaeritur, hoc est, grauiusne, an leuius illiangebantur: porro maestitia mensura non ex occasione qua nata est solum, sed ex verbis etiam & rebus probari consuevit. Nam plurimi cum solum amisissent pecunias, magis quam modo charitas tua doluerunt, atque ex his alij se aquis suffocauerunt, alij laqueo sibi vitam extorserunt, rei pecuniariae detrimenta non ferentes. Aliorum vero etiam oculos mororis huius vis ac magnitudo caecauit. Et certe longe leuius ac tolerabilius videtur pecunias amittere, quam perturbari a daemone: sed tamen plurimi cum haec fortiter tulissent, ab illo superati sunt. Neque enim velim ista nunc ex animo tuo metiaris, neque quoniam tu pecuniarum detrimenta irrides, alios etiam ita affe-

Gala. 4.

Philip. 2.

2. Timo. 4.

2. Cor. 12.

Roma. 9.

ctos arbitreris. Quippe earum amissio plurimos in stuporem animi, & summa detrimeta perduxit. At enim fortem & illustrem animum, neutrum horum deicere praeualet: imbecillis vero ac seculo addictus, illo potius quam isto cruciatur. Cur id? Quia idem non est, famem metuere, & paucis diebus agitari hoc morbo. Nam hic quidem breui temporis parte fit violentia omnis, non secus quam febris cuiusdam, aut rigoris, vel alterius iminentis pestis, immo vero multo minus temporis occupat, quam ista omnia. Sed fortasse vicit vehementia? Atqui plurimos tibi possem equidem ostendere laborantes febribus, qui cum eo igne corripuntur, multo magis quam hi qui perturbantur a daemone, stupent atque obrigesunt. At vero indigentiae metus, ne desint necessaria, veluti vermibus assiduus iugiter perturbans atque assidens, pauperum corrodit animum. Et quid ego paupertatem dicam? Omnes hominum calamitates si dinumerare velimus, non ipsi solum, sed tu quoque lamenta tua ac ploratus fortasse ridebis. Denique non solum omnes, sed ne breuissimam quidem earum partem eloqui nobis possibile esset. Neque enim scimus illas, neque si sciremus, tempus omni narrationi sufficeret. Verum paucas ex plurimis pro viribus colligens, ex his tibi eas etiam quae dictae non sunt, coniiciendas relinquam. Memento, quaeso, senis illius optimi atque amantissimi. Demophilum dico, ex magna illustrique familia. Hic iam quintum & decimum annum agit, ex quo nihil agere plus potest, quam mortuus, nisi quod tremunt iugiter & loquitur, sensumque disertissimum suorum habet malorum. Ceterum in summa paupertate vitam agit, ministro tantum vno adolescente comitatus, bono quidem, ac domini sui studioso: non tamen calamitatem illam sedare ac solari idoneo. Neque enim inopiam iuuare potest, neque resolutionis illius tremorem sistere, sed buccellam tantum ori domini apponere (quippe neque ad hoc illum iuuare possunt manus) & offerre calicem, & purgamenta narium abstergere praeualet, aliud autem plus inferre nihil. Et iste quidem, ut dixi, quindecim iam annos in eiusmodi arum nis degit. Ego autem illum de euangelio considero, qui triginta & octo annis hoc morbo consumptus fuerat. Tu velim praeterea Aristophemum quoque ex Bithynia cogites, huic enim corpus nondum resolutum est, ut illi seni, verum languor alius imminet, longe paralyti illa molestior & grauior. Namque alij contractiones quaedam doloresque tormentis omnibus acerbiores, nunc quidem verubus omnibus acutius pungentes, nunc igne vehementius vrentes, diebusque singulis ac noctibus cum exagitantes, apud ignaros eius morbi vasa fanum illum videri faciunt, adeo torquent illius papillas, adeo manus pedesque contrahunt, mutumque illum per multam horam constituunt. Porro clamores illius, ac gemitus (nam post illam priuationem vocis nonnunquam in clamorem erumpit) lamenta parturientium superant, adeo ut saepius hi etiam, quibus longinquius ab illius habitaculo remotis infirmi sunt, praeter vigiliarum taedio & nimietate turbati mittant culpantes quod ex illius clamoribus infirmis suis deterius sit: quod illi non ex longinquis intervallis, sed saepius diebus singulis ac noctibus contingit. Sextusque iam hic annus vertitur, ex quo molestissimo huic flagello permissus est, neque seruius vllus adest, qui curam eius habeat, neque medicus, qui consoletur: id, propter inopiam: istud, quia superat omnem artis industriam is morbus. Plurima enim plurimi cum egerint (erat e-

A nim antea pecuniis fretus) nihil profecerunt. Quodque his omnibus grauius est, neque amicorum aliquis eum iam videre vult, sed eum omnes deseruerunt, & hi qui plurimis antea ab eo beneficiis fuerat affecti. Quod si quis vnquam ingreditur, protinus resiliit: tanto fetore domus illa plena est, eo quod nullus adest, qui curam eius gerat. Vna enim & sola illi ancilla assidet, tantum illi ministrans, quantum potest mulier, cum sit & sola, & ex opere manuum viuens. Quanam ergo daemorum vexatio illius cladibus comparari potest? Et si enim eum horum nihil perturbaret, quid non pateretur, considerans adeo prolixum tempus, quo iam in lectulo decubabat, ingentesque sumptus, qui se in supremam iniecerunt inopiam, amicorum contemptum, famulorum atque obsequentium solitudinem: & id quod maxime te nunc perturbat certamque nullam fiduciam habet, an sine clades istae habiturae sint: immo vero summam confidentiam, quod se viuente ac spirante nunquam finientur. Quippe eius morbi vis, & quotidianus in deteriora progressus hoc pollicetur. Verum ne per singulos enumeras eos, qui huiusmodi aduersis casibus afflicti sunt, fastidium legentibus faciam: perge quaeso, ad illum cui xedonochij cura permessa est, ac iube te ad ibi iacentes introduci, ut omnium morborum inspicias radicem, nouaque infirmitatum genera omnesque materias mororis. Inde te ad carcerem conuerte, cunctisque illius habitaculi diligenter exploratis, proficiscere ad balnearum propylaea, quo in loco, fumo & stipula pro vestibus vrentes, iacent nonnulli nudi, frigore, morbo fameque perpetua obsessi, aspectuque solo, ac tremore corporis, & sonitu se collidenti dentium, praetereuntes ad misericordiam flecentes, neque vocem emittere, neque manum extendere valentes, eo quod iam his malis penitus attriti sunt. Neque haecenus persistas velim: sed ad pauperum diuersorium, quod ante urbem est, egredere: perspicias profecto eum, quo nunc detineris morore portum esse tranquillissimum. Quid enim dicere necesse est, vel elephantia consumpta virorum membra, vel caero mulierum? Ambo enim isti & longi sunt, & insanabiles. Horum vero alter quos occupauerit, suis urbibus eliminat, neque lauacri eos, neque fori, neque alterius cuiuspiam illorum loci participes fieri fas est. Neque istud solum graue & acerbum est, verum illud longe grauissimum, quod neque confidere certe possunt, necessaria victui sibi non defutura. Quid vero illos memorare, qui frustra saepius ac sine causa ad fodienda metalla danati sunt? Nempe isti omnes multo grauiore dolore cruciantur, quam qui a daemone corripuntur. Si vero non credis, nihil mirum est. Non enim eadem sententia, nostra, qua aliena incommoda iudicare consueuimus: cum illa quidem verbo solum & aspectu, nostra vero experimeto, ac sensu cum nostri ipsorum miseratione coniuncta didicerimus. Atque idcirco ista grauiora esse, minusque tolerabilia. Sin vero quispiam omnium libere illorum naturam diligentius consideret, & eos qui in illa inciderunt animaduertat, hic profecto nobis de huiusmodi fert incorruptam integerrimamque sententiam. Sed fortasse dicturus es, omnes illos morbos circa corpus versari solum, hanc autem pestem intimos animi recessus attingere, illisque omnibus esse diuorem. Nempe hoc ipso in primis eam inuenimus illis omnibus esse leuiorem. Neque enim haec ut illi corpus iugiter corrumpit & perimit, sed solum animam breui tempore exurciat. Ceterum illi ipsi morbi, quos modo numerauimus, cum in carne gignantur, eam omnem pestem non eatenus sistunt, verum ad animam

Ezech. 4.

Baruch. 1.
3. Reg. 19.

4. Reg. 2.

Heb. 11.

2. Corin. 2.

Ioan. 5.

mam emittunt, angustantes illam iugiter, & per dolores ac mœroris aculeos summos corrumpentes. Vt enim, inquit, vlceri acetū minime cōuenit, ita & morbus inuēctus perturbat cor. Non igitur id solum dixeris, hos tantū gigni ex corpore: sed illud potius ostēde, quo pacto pestem omnē & corruptionem ad animā non mittant. Quippe & fames cū non gignatur ex corporibus corrumpit & perdit corpora, virusq; serpentum cum ex eis prodeat, perdit item nos: ita & in his morbis sentiendum est, qui cum gignantur ex corpore, malicię suę venena in animę nostrę substantiam transfundunt, penetralibus effundunt. Omni deniq; actione diabolica potentior est ad nocendum mœroris magnitudo. Namq; & dæmon quoscūq; superat, per mœrorem superat. Eum si auferas, nihil a dæmone quisquam lædi poterit. Et quo modo, inquit, fieri potest, vt mœrore vacem? Ego cōtrā te interrogabo, qua tu ratione mœrore affici debes? Nempe enim si adulterium, si homicidium, si scelus aliquod huiusmodi perpetrasses, quod te regnis cœlestibus excluderet: rectē mœrores ac iusta tibi causa lugendi esset, nullusque te à lachrymis & fletu prohiberet. Quod si per dei gratiam ab his omnibus longissime remotus es, quid frustra te ipsum concidis ac perimis? Mœrorem quoque deus inseruit naturę mortalium, non vt ab re, & intempestiue illo in rebus contrariis vtamur, neque vt nos ipsos perimamus, verum vt ex eo maxima emolumēta consequamur. Quo nam vero modo illa consequemur, si illum intempestiue assumamus? Porro mœroris tempus non tunc est, cum aliquid patimur aduersi, sed cum male operamur. At vero nos ordinem peruertimus temporāque immutamus: qui cum innumera mala perpetremus, ne breuiter quidem dolore contrahimur: sin vero quippiam à quoquam patiamur mali, protinus concludimus, heremus, titubamus, liberarique & cedere ex vita festinamus. Grauis igitur & onerosa ea res videtur, non secus quā iracundia & concupiscentia. Nam & hæc nisi quis ea rite ac tempestiue vtatur, deiicit ac maculā inducit. Contingitq; idem quod in medicamentis, quæ à medicis traduntur: quippe & illa si non suo ordine & tempore, ac pro quibus morbis parata sunt, sed pro aliis imponantur alia, non solum infirmos languore non liberant, sed infirmitatem potius aggrauant. Ita prorsus & mœror facit, ac merito sanē. Nam cum austerum corrodensq; medicamentum, atque (vt ita dixerim) viciorū quæ in nobis sunt purgatio, si admoueatur ocioso ac delicato animo, ingentiq; peccatorum pondere oppresso, maxima suscipienti, curisq; oppresso, & plurima perpeffo adhibeatur: præterquam quod nihil prodesset, maxime nocet, imbecilliorē illum faciens, atq; ad dēperandum facilem. Quocirca stantibus & acriter pugnantibus Paulus cum scriberet, dicebat: Gaude in domino semper, iterum dico gaude. Porro dissolutis ingentemq; habentibus tumore: Et vos inquit, inflati estis, & non potius fleuistis. Itaque is quidem qui peccatorū sagina impinguitur, extenuetur ac siccet hoc medicamento. Qui vero bonæ habitudinis est, atque in decenti statu seipsum seruat dei gratia, per mœrorem bonam suam valetudinem nō corrūpat. Adeo est enim ille acer atque efficax, vt etiam ope sua indigentibus, si plus temporis quā necesse sit immoretur, maximorum malorū causa sit. Quod & beatus Paulus metuens, cito illum, postquam fecerat quod suum erat, auferri iussit, cusamq; protinus adiecit eam: Ne forte, inquit, absorbeat abundanti tristitia. Porro si nimius

Philip. 4.
1. Cor. 5.
2. Cor. 2.

A mœror irruens, eos etiā quibus erat necessarius, sapius perdidit: quid illis faciet, qui cum non indigeant, sponte illum sibi consciscunt? ita sanē inquit, Noui hoc & ipse: sed quo pacto illum excludam, atq; ab animę meę recessibus amoueam nescio. Et cuius hoc difficultatis amantissime? Nam si concupiscentia esset aliqua, si corporum turpis atq; insanus amor, si inanis glorię pestis, viciū profecto superatu difficillimū, aut aliquid perturbationū huiusmodi, merito hæreret, & esses de huiusmodi liberatione sollicitus. Eos enim qui his capti fuerunt, non quidem est impossibile: difficillimum tamen ea retia diffugere. Cur id? quia voluptas his cooperatur, atq; illa adiuvat. Ea vero est, quæ semel captis fumes plurimos innectit. Istudq; primum difficultatis plenissimum est, persuadere animo sic irretito, vt plane ac penitus velit, ac cupiat hisce nodis liberari: fitq; simillimum, veluti si quis scabiem ac pruriginem depositor, morbo suo delectetur, ac passioni huiusmodi expositor, ea liberari quærat. Cæterum ad effugandum mœrore id parum non confert, si interim ingrate illum admittamus. Nam qui re aliqua grauatur, cito illum ab se excutere & abiicere studebit. Porro si quis eam ab se eicere studeat, nec possit: non remittat studium, & cito poterit. Certum est enim Christianum, si quando tristetur, duas tantum habere mœroris causas, vel cum ipse, vel cum proximus offendit deum. Quum vero præsens mœror tuus nullam huiusmodi occasionum radicem habeat, cur te ipsum frustra discrucias? Et vnde id constat, inquit, quod nō offensionum nostrarum pœnas exoluamus? Id quidem maxime liquet, sed hoc interim non asseramus. Verum sit, si vis, id nō incertum, sed maxime manifestum, vt tu dicis, hanc esse peccatorum tuorum retributionē: Num quæso, idcirco mœres & doles? Atqui gaudere potius, & meliore animo esse debes, quod hic peccata tua tibi remittantur, ne cū seculo isto damneris. Qui enim dolet, nō quia cruciatur, sed quia offendit deū, dolere debet. Peccata enim separant à nobis deum, constituuntque nobis illum inimicum. Cruciatu vero nobis illum reconciliat præparatque propiciū ac propinquum fieri. Quod autem non sit peccatorum retributio, sed coronarum potius, præmiorūque materia sudor iste tuus, ac dolor, hinc sanē manifestum est. Si enim prius turpiter ac luxuriose vixisses, atque ita te ad monachorum conuersationem contulisses, ne sic quidem hæc suspicio locum habuisset. Nam si ob hoc pœnas infert, vt in malis perseverantes ad pœnitentiam prouocet, ostensa pœnitentia, superflua iam erit pœna. Intantū enim abest, vt nos punire velit deus, vt cum sæpenumero pœnis digna faciamus, summāque conuersione opus habeamus, comminatione solū, verbisq; terribilibus nos castigare malit: idque facile quispiam animaduertet, & in Isrælitica plebe, & in Niniuitarum ciuitate: non solum enim supplicia intentata non intulit, cum pœnitentiam ostenderet, sed & minas ipsas remouit. Lōge enim vult ipse nihil nos pati mali, quā nos ipsi, nullusque sibi ita parceret libeter, vt omnibus deus. Deinde is qui sapius peccantes verbis tantum exteret, nec punit pœnites, eosq; hac formidine liberat: te qui tanta religionis, tanta virtutis & probitatis indicia præ te tulisti, non solum his minis, atque hoc terrore non eripuit, verum & opera ipsa supplicii exposuit. Et quo modo credi potest? etiam si prior illa tua conuersatio corruptissima fuisset ac perditā, vt dixi: quis id vel suspicari auderet. Cū vero deterior illa fuerit quā præsens

2. Cor. 12.
1. Cor. 10.
1. Thes. 3.

sens sit, ornata tamē & ipsa, summaq; honestate pollēs, profecto nobis omni ex parte cōstabit colluctationes has tuas, coronarum tibi, maiorisq; glorię occasionem esse. Oportet igitur, vt dixi, & has & huiusmodi cogitationes amouere. Conuenit item & cum his vna, immo ante has, orationibus perpetuisq; precationibus has tenebras dispergere & dissipare. Nam & beatus David magnus ille vir atq; mirabilis, his medicamentis semper vsus est, hisq; plurimos dolores pressurarū remouit ac repulit. Nunc quidem orans, ac dicēs, Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt, de necessitatibus meis erue me. Nunc piis ac religiosis cogitationibus admotis, inquit, Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in deo, quoniam adhuc cōfitebor illi. Rursumq; ex cogitationibus huiusmodi ad orationes conuersus: Remitte, inquit, mihi, vt refrigerer priusquā abeam, & vltra iam non ero: atque ab orationibus ad cogitationes. Quid enim, ait, mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Ita & Iob vxori, quæ verba diabolica suggererat, piis cogitationib; reluctabatur, illamque increpans, dicebat, Quasi vna stultarum mulierum locuta es: si bona suscepimus de manu domini, mala autem quare non sustinebimus? Ad deum vero precibus vtēbatur. Beatus vero Paulus vtrisque his armis eos qui in pressuris ac tentationibus erāt, iuuabat: nunc quidem dicens, Si autem extra disciplinā estis, ergo adulterini, non filij. Quis enim filius, quem non corripit pater? Nūcque orans, Fidelis, inquit, deus est, qui nō patietur vos tentari supra id quod potestis: & rursum, Siquidem iustum apud deum est, retribuere retributionem his qui vos tribulant, & vobis qui tribulamini requiē. Si igitur armis his ipse quoque vsus fueris, ac te ipsum perfecte vndique armaueris: cogitationibus piis mœroris retundens impetum, orationibus vero tam tuis, quā aliorum te veluti vallo fortissimo munies, celeriter disciplinæ istius percipies fructus. Non enim hoc solum lucraberis, quod præsentia fortiter ferēs: verum his exercitationibus robustissimus effectus, nullis iam vitæ huius aduersis casibus frangi, vel deiici poteris.

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI DE PROVIDENTIA, ORATIO PRIMA, IOANNE CHECO CANTABRIGIENSI INTERPRETE.



MVLTIS referta est perturbationibus vita nostra, & tumultuum plena præsens conditio est. Atqui non in eo molestia est viri dilecti, sed quod tumultus istos & perturbationes, quæqueam vel ad moderatiorem formam traducere, vel patienter & sine dolore ferre, in neutro horum elaboramus, sed iactatam multis curis vitam degimus. Atque alius quidem paupertatem, alius egritudinem queritur: alius curarum magnitudinem, & rei familiaris procurationem: alius liberorum educationem, alius orbitatē. Ac vide sanē insignem amentiam: non enim iisdē in causis, sed in contrariis similiter omnes lamentamur. At-

qui si rerum natura nobis lamentationum causa esset, haud par esset, contrariis in rebus similiter commoueri. Sed si paupertas malum, idque intolerabile, qui cum diuitiis viuit, nunquā vexatur: & si carere liberis, malum, qui liberis abundat, tranquillo animo esset. Rursus: si rempublicā administrare, honoribus vtī, & multos subiectos habere, in bonis numerat, vita hæc quieta, & tranquilla, fugiēda esset, & ab omnibus hominibus aspernanda. Nunc vero quum videas locupletes, ac tenues similiter perturbari, diuitem vero sæpe etiam plus: atque item honoribus vsū, & subiectum, & multorum liberorum patrem, & qui nullos omnino habet liberos, nō rerum confusionem, sed eos qui opportune iis vtī, ac omni perturbatione seipsos liberare nequeāt, accusamus. Non enim in illarum rerum euentu, perturbatio ac tumultus est, sed in nobis atque in animis nostris: qui si bene constituti fuerint, quamuis sexcētæ vndique oriantur tempestates, in trāquillo, ac portu perpetuo requiescemus: Quemadmodum contrā, non bene affectis, quamuis omnia nobis secunda flent, nihilo melius, his qui in naufragio sunt, comparati sumus. Licet hoc & in corporibus cernere. Qui enim confirmato est corpore ad valetudinem, quāuis inæquabili cœli varietate oppugnetur, non modo nihil mali accipit, sed etiam accelsionem roboris exercitatione & intemperiei consuetudine facit. Sin imbecillum & corpus habeat, quāuis optima cœli fruatur temperatione, nullus tamen illi fructus ex hac cœli æquabilitate erit, cū hæc intestina imbecillitas, cœli etiā bonitate lædatur. Hoc quidem & in cibariis cernimus. Quādo enim firmus, & corroboratus nobis venter totus est, quodcumq; receperit, quamuis id graue, quāuis ad concoquendum difficile sit, in bonum illud transfundit succum, naturali temperatione, cibi maliciam superante. Quando vero firmitas ei ceneruata quodā modo & læguida est, quāuis cibum optimi succi adhibeas, in peius illum vertit, ac corrumpit, imbecillitate vim eius omnē labefactante. Itaq; nos quando rerum perturbationem cernimus, non deum accusamus, viri dilecti. Hoc enim est, nō remedium inuenire vulnere, sed vulnus addere vulnere. Non dæmoniis attribuamus mundi gubernationem, non providentia vacare humana putemus, non originis cuiusdam, ac fati dominatum, ē providentię diuina extruamus. Hæc omnia, cōtumeliarū plena sunt, & vera perturbatio, atq; confusio, non in rerū est motu, sed in animo ita affecto. Qui quāuis cæterarū rerum aptā descriptionē habet, vsq; dū cōfusionē ac perturbationem in seipso coërcuerit, nullū illi ex aliarū rerū aptā descriptione præsidium erit. Sed quemadmodū oculus ægrotus, etiā clarissimo meridie, tenebras obtuetur, atque alia pro aliis, nullūq; radiorū solis fructū habet: sanus vero, ac firmus, etiam vespere poterit corpus, quasi manu ducere sine vlla offensione. Sic & mentis nostræ oculus, quādiu firmus est, multa quamuis cōfusa, clare tamē videbit. Deprauatus autē quāuis in ipsum cælum attollas, multā ibi esse perturbationē, & confusionem rerum iudicabit. Hoc ita esse, permultis tibi tum antiquis, tum recētibus exēplis adhibitis, cōfirmabo. Quot paupertatem tolerāter ferunt, & deo propterea gratias agere non cessant: Quot diuites, rebusq; omnibus affluentes, non modo non gratias agunt, sed maledictis etiam dominum figunt: Quot etiam nihil graue perpessi, vniuersam providentiam accusant? Quot in custodia omne tempus ætatis degentes, hanc miseriam sedatius ferunt, iis qui omni terrore sollicitudinēque vacantes

vacantes viuunt? Vides igitur animum ita cōstitutum, & suam cuiusq; mentem, tum horum, tum illorum esse causam, non autem rerum ipsarum naturam. Itaque si menti cultum diligentem adhiberemus, nulla perturbatio, nulla confusio, nulla molestia inueheretur, quāuis euripo quouis turbulentiū, sursum & deorsum, vita nostra iactaretur. Age vero, dic modo, qua de causa Paulus gratias agit: Atqui is inter ceteros, & optimā vitam traduxit, & virtutem omni tempore coluit, & minime molestias huiusmodi pertulit. Nemo ex omnib⁹ qui solem aspiciunt illo iustior, neque post hominum memoriam asperiora illo quisquā perpeffus est. Et quidem quum videret multos, cum nequicia viuere, & læto animo esse, pecuniarum abundantia frui, gratias tū ipse deo egit, tum ceteris hoc omnibus præscripsit. In illum intueamini. Tu igitur, quum animo securū, quū elatum, quum hostes prosternebam, vexatores suos vlciscerentem, incommodorum minime patientē, quūque vndique pecunias illi affluentes, omnes illum adulatione, omnes honore profuentes videris: te vero ipsum contrā, in statu diuersissimo, contumeliis, calūniis, insidiis appetitum, ne te abiectū putes, sed in Paulum intuens, tecum in eadem parte hærentem, erige animum, reuoca mentem, neq; vllō animi languore cadas. Amicum deo, atque hostem, non ex rebus prosperis, aut aduersis æstimabis: sed si rectē viuere, ægritudine carere, pietatem spectare videris, bea illum, & fortunatum iudica, quanuis sexcentis vinculis constringatur, carcere perpetuo includatur, hero indigno seruiat, inopia præmar, in latumias cōiciat, aut aliud quiduis graue patiat. Beatus enim hic, etiam si oculos effoscos, corpus ambustum, aut paulatim absumptum habeat. Sin alterum videas, nequicia, & luxu diffluentem, & in extremis sceleribus viuentem, omni honore abundantem, regium solium ascendente, diademate redimitū, purpura indutum, & vniuersæ continentis dominum, ingemisce, ac propterea talem etiam miserum ducito. Nihil enim miserius animo ita affecto, quanuis vniuersam sibi subiectam continentem habeat. Quid enim vtilitatis adfert, maximis pecuniis locupletari, quando omnium quæ ad virtutem spectant, inanis fueris: Quod emolumentum est tam multis præesse, quādo tibi, tuisq; affectionibus imperare nequeas? Atqui si corpus videamus male affectum, & febre, aut pedū dolore, aut tabe aliqua, aut aliquo quouis insanabili morbo vrgeri, lachrymamur, etiam si admodum locuples sit, imò vero, tanto magis, quanto ille locupletior fuerit. Sensus enim asperior malorum est, quando quis in abundantia omnium fuerit, quæ sunt ad viuendū necessaria. Hic enim cū propter paupertatem, fructu eorum caret, necessitate ipsa se consolatur. Ille vero in cuius manu est omni affluentia vti, & infirmitate valetudinis prohibetur, animo propterea magis vratur. Quidni autem absurdum esset, corporis morbo cū vrgetur aliquis, infortunatum iudicare, quāuis locuples fuerit: animo autem male affecto, quo nihil nobis neq; par, neque præstabilius est, beatum ducere, propter exiguam pecuniam, aut caducum honorem, aut propter aliud quid ex iis, quæ hic nobiscum permanent, & post hanc vitam, imò vero persæpe etiam ante vitæ exitum, deserunt? An nō hæc quæso perturbationis, hæc tumultus nobis efficiunt? Propterea deū accusant multi, propterea mundum nullo cōsilio administrari, nulla sapientia regi putant. Quod si scirent, in hoc vitæ cursu nihil bonum, nisi virtutem solam, non pecunias,

568
non sanitatem, non potentiam, non aliud quippiam, nihilq; malum in hac vita, nisi maliciam solum & improbitatem, & peruersitatem animi, non paupertatem aut ægritudinem, contumeliam, aut calumniā, aut quæ sunt eius generis, quæ horribilia esse putantur: nō hæc loquerentur quæ nunc faciunt, non ita animum abicerent, non ita beatos iudicarent, quos infelices putare oportuit, nec contra infelices putaret, quos beatos existimassent: Deniq; non ita de rebus humanis statueret. Nam propter optimum habitum corporis, & delicatū pastum, & largum somnū, homines in beatis habere, quid aliud est, quā hic de illis vt de bestiis cogitare? Quoniam in eo illarum felicitas constituta est, imò vero etiam in bestiis hoc nefarium est. Multi enim tum asini, tum equi cessatione ac edacitate perierunt. Atq; si in efferatis bestiis, quarum omnis virtus in corporis bona constitutione ponitur, hæc noxia sunt: in hominibus, quorū omnis stabilitas in animi nobilitate collocatur, virtutē ducemus: nec cœlū ipsum, neq; animorum nostrorum cognatos angelos reuererimus? Non erubescis ipsam corporis naturam, & descriptionem? Non enim quemadmodum feris, sic nobis corpus deus figurauit: sed sicuti par fuit, quod animo rationis participi, atque immortalis obedire possit. Cur enim bestiis omnibus deorsum in terram deiectos fabricauit deus oculos, tibi vero in capite tribuēs, eos quasi in arce collocavit? An non quoniam illis nihil cum cœlo commune est, tibi vero tum a deo, tum a natura vt maxime cœlestia suspiceres, lege a principio sancitum est. Quare tibi corpus celsum & rectum fecit, illis vero contrā, ad terram abiectum? An non hac via, & corporis præterea formatione, instruit te, vt nihil habeas cōmune cum terra, neque fluxis rebus adhærescas? Neque igitur nobilitatem nostram prodamus, neq; ad bestiarū ignobilitatem dilabamur, vt ne de nobis dicatur illud: Homo quum in honore esset, nō intellexit. Deliciis enim atque opibus, & gloria, & rebus mortalibus, vitæ modū terminare, hominum est, nō suam nobilitatem inquirentium, sed eorum qui equi, asiniq; efficiuntur. Absit autem vt hoc loco tales reperiantur, in sancto cœtu, in theatro hoc spirituali, in conuētū hoc religioso. Propterea enim quotidie diuini verbi auditione fruimur, vt hac oratione quasi falce, syluestetes animi affectiones præcidamus, & frugiferæ arbores sumus, fructusq; tempestiuos feramus in horreum regium reponendos, qui gloriam quidem dabunt cōmuni domino, & cultori animarum nostrarum: nobis vero, vitam sempiternam, quam vtinam nos omnes consequamur, gratia & humanitate &c.

Eiusdem de providentia Orat. II.



VI maledicit patri, aut matri, morte, inquit, mulctetur. In veteri testamento hoc sanctū est, quando non absoluta optimā reipub. forma perfectio, quando diuinitatis inductio fuit, quando puerilia præcepta, quādo lac, quādo pædagogus, quādo lucerna, quādo figura & umbra. Quid igitur dicemus de his qui nunc in gratia, & rerum ipsarum veritate, & tanta in cognitione sunt, non patri aut matri maledicentibus, sed ipsi vniuersitatis reum deo: Quo enim supplicio accipientur, qualis antemaduersio, quis igneus amnis, quis vermis sempitern⁹, quæ tenebræ exteriores, quæ vincula, quis stridor, quæ ploratus, scelerū magnitudini satis esse possit? Omnes cruciatus, qui nūc sunt, quiq; futuri sunt, minores iusto sunt

Psal. 48.

Exod. 21.

sunt animo ita affecto, ac eousq; improbitatis prolapsio. Verborum contumeliæ multæ, variæq; sunt, itaque necesse erit eas omnes hodierno die exponere, vt neque sponte in partem eius aliquam incurramus, neq; aliquē vel amicum, vel inimicum incurere permittamus. Nō est enim, non est hoc, peccatum vllū deterius, sed neq; par. Nam in eo, & accessio omnium malorū est, omnisq; confusio, inexpiabile supplicium, & intolerabilis pœna. Qui sunt autem qui deo male dicunt? Qui ex sapientia providentiæ eius, fati confusionem, & necessitatem rerum extruunt. Atqui infideles, & in ligna ac lapides inhiantes, eaq; venerantes, hoc laborare morbo minime mirandum est. Eos vero qui hoc errore, & seruitute liberati, & omnium supremi, ac veri, re vera, dei cognitione digni habitus sunt, quadam quasi reciprocatione, in illud salum atq; insaniam animo trahi: hoc est grauissimum & multis re vera lachrymis, & lamētis prosequendum, cum qui Christum se dicant venerari, & tātis dignæ mysteris effecti, & recōditarum institutionum, ac sapientiæ cœlitus nobis demissa sint participes, post tantum honorem quem acceperunt a deo, voluntarij seipfos de libertate præcipitent, quam deus illis cōdonauit, magnaq; cum temeritate seipfos deiiciant, & seruituti asperrimæ seipfos submittant, & crudelissimum dominatum qui nullus est, animo fingant, omnem spem bonam præcidant, & nervos omnium virtutis cultorū elidere contendant. Quæadmodum in bello milites strenuos, ac animam profundere paratos, inimicus aliquis intuens, qui illos nulla ratione lædere, neq; a studio in regem auocare, neq; ad timorē traducere, neq; machinis superare potest, hac via tamen suadēdo corrumpit, frustra illos, ac temere, & nulla de causa tātos suscipere labores, vt sic robur labefactet, animi ardorem extinguat, vt a bellicis curis amotos, nudos, & inermes cernens, captiuos trahat: sic & diabolus facit. Posteaquam videt dei gratia, permagnam continentis partem, Græcorum errores irridere, omni animo ac voluntate sermones de pietate antiquissimos habere, ex eoq; magnā virtutis cōsestationem, magnam improbitatis depulsionem fuisse: non ausus est procedere, ac palam dicere: deficite a Christo, illius instituta irridete, fabula illius sunt atq; error omnia, mal⁹ est & crudelis. Nouit enim ita magis a suo imperio recessuros, & vehementius illū exosuros. Propterea recta via ad accusandum nō pergit, sed circuitione quadam perreptans, venenū impiarum opinionum clanculum spargit, hoc relinquens, vt videantur quidē homines in fide permanere, re autem vera radicitus eā extrahit, & omnia veritatis instituta perfringit, & multā apud homines sibi obedientes, deo calūniā offundit. Propterea ab illo hoc venenū, hæc mortifera fatalis necessitatis apparatus pharmaca, vt omnia quæ dicit rectē inuehat, vt inanes cogitationes, inanem fidem faciat, & malā de deo suadeat hominibus sententiam habere: quod initio etiā fecit apud Adā, quasi maleuolum quendā ac inuidiosum, deum exagitant. His enim penē verbis præcipiēdo vsus est. Nouit deus vestros oculos aperiēdos esse, nouit futuros quasi deos, inuidit vobis, maiore vobis honorem indignabatur. Quāuis enim hæc verba non adiecit, ex his tamen quæ cōmemorauit, hæc conuiciēda reliquit. Ac vide illius improbitatem. Cū labefactasset dei decretū, & dixisset maxima illis futura cōmoda, si ei non parerēt, cuius generis sunt apertio oculorum, deo par esse, recti cognitio, nō his adiecit, malum esse qui hæc prohibebat, vt ne quasi hostis atq; inimicus sententiā dicere vi-

Tomus quintus.

A deretur, sed personam cōsiliarij ac cognitoris suscepit, vt malum hoc consilium redderet explicatius. Quod etiam vsu venit. Nihil enim aliud his dictis cōfirmare voluit, nisi vt recederetis a deo fabricatore vestro. Indignas est & inuid⁹. Maxima vobis bona inuidet. Hæc manifeste verba non posuit. Tū enim illum inimicum suspicari, declinassent: sed ista præmittens, atq; dissimulans, hoc perniciosum cōsiliū dedit. Itaq; nunc nō dicit a Christo recedite, quasi diuina præcepta damnatione digna essent. Quis enim illum mentiri cognosceret, sed callide videtur quidē nos in iis esse sinere, & cum veritate consentire: sed clam inuidentes ex æterna hæreditate eiicit. Quæadmodum si quis puerum ingenuum ac liberū, sed simplicē & incallidū, dextra prehensa, e domo paterna nō eiiceret, sed ea præciperet faciēda, quibus designatis volēs nolens filius paternorum bonorū exhaeres esset. Fieri, inquā, fieri non potest, vt qui fato animum attētum habet, cœlum cōsequatur. Omnino vero fieri non potest, vt gehennā & supplicium effugiat. Nā contra dei decreta, omnibus obedire præcipit. Deus dicit: si volueritis, & me audieritis, bonis terræ vescemini: sin nolueritis, neq; mihi auscultaueritis, gladius vos cōsumet. Os enim domini hæc locutum est. Vides quæadmodum deus loquitur, & quales leges ferat. Audi nunc & fatum quæadmodum etiā ipsum loquitur, & quæadmodum contrarium scitū facit, ac attēde vt illa a dei spiritu prolata sint, hæc a malo, ac præterea etiam a dæmone quodā efferato. Dixit deus: si volueritis & si nolueritis, in nostra potestate virtutem, ac viciū collocans, & in arbitratu nostro ponēs. Ille vero quid ait? quod fato constitutum est, vitari non potest, quanuis voluerimus, quāuis contēderimus. Deus dicit: si volueritis, bonis terræ vescemini. Fatū dicit: si voluerimus, neq; nobis id datum fuerit, nulla vtilitas est hoc velle. De⁹ dicit: si nolueritis auscultare verbis meis, gladius vos cōsumet. Fatū dicit: si noluerimus, datū vero nobis fuerit, omnino seruabimur. An nō hæc fatum dicit? Quid fieri potest hac pugna clari⁹? Quid bello hoc euidentiū, quod tā impudenter aduersum diuina oracula susceperunt, improbitatis magistri dæmones? Sed vt initio dixi, minime admirandum est dæmones, & homines alios dæmonū æquales, Græcos dico, istis rebus fidem adiungere: vos vero tā diuinæ ac salutaris doctrinæ participes, hæc refutare, & ad illa quæ impurissima sunt, & animi perniciē continent, vos ipsos aggregare, hoc longe est asperrimū. Quid enim mea interest, exter nos iudicare? Mihi apud vos sermo est, qui mēbra Christi, filij Ecclesiæ, paterna in domo cōstituti, cœlestis doctrinæ participes, tanto honore affecti estis. Propterea ingemisco, propterea lachrymor, ac lamentor. Digna enim lamentis sunt, quando quis in errore venia non dignos, labitur. Quæ enim venia, dic mihi, esse potest, vbi cum deus affirmet, dæmones contradicant, fide digniora videntur etiā apud seruos dei, ea quæ ab illis, quæ a deo dicta sunt: Neq; vero rationes conturbemus nunc, sed paulisper animū ad audiendum proiectū, eorum qui his obtēperant demonstramus. Deus dicit: Apposui tibi ignem, & aquā, vitam, & mortē, quo volueris intende manū. Dæmon dicit: Nō est in te sitū porrigere manū, sed necessitate quadā & vi hoc fit. Et fide digniora tamē hæc tibi videntur, neq; quā longum interuallum sit inter cōsultores animaduertis, dei, ac dæmonis, neq; conuiliū differentiā exquiris, alterius salutaris, & ad virtutem vocātis, alterius diabolici & ad nequiciam, ac improbitatem impellentis. Non quæ a deo

Esai.

Eccl. 15.

t data

data tibi sunt, quæq; à demone consideras, quòd hic ita adamauerit, vt filium vnigenitū pro te daret, quo nihil patri preciosius est, atq; etiā nūc amat, vt & te per Apostolos quoque, tua pro salute aduocet, deniq; omnia faciat: ille vero tam magnum odium habuit, atq; etiā adhuc habet, vt omnino te expugnare, & non modo non boni aliquid dare, sed etiā his quæ à deo acceperis, te exuere conetur. Hic quidem angelis te parem facere cōtendebat: ille vero humi serpētibus bestiis abiectionem te effecit, & illos venerari persuasit. Hic ad regnū cœlorū & reliquos honores te euexit: iste vero hinc tibi datum honorē inuidit, nec prius desistit donec euererit. Quāuis enim hæc decreta illius perspicere nō potestis, quæ etiā sole clariora sunt, his qui non admodū degenerant, (ita illustrem habet illa virtutē, ac salutem, hæc improbitatem) ista tamē si per vos cognoscere nequeatis, ab his qui consiliū vobis dant, noscite quid salutare, quidq; noxium sit. Quidni enim absurdum sit, aliarū rerum delectu, hūc habere animū, vt si medicus cibum alicui det, non in eo curiosus sit, sed quasi sanitatis efficiētem accipiat: si veneficus aut impostor sit, nō multum labore, sed quasi venenū ac pestem auertat, de deo autē hoc iudicium non adhibere: quāuis longe maius interuallum, inter deum & demōnē sit, quā inter medicum & veneficum: ac tale quidē, quāle nō modo verbis, sed ne mēte quidem, ac ratione cōprehendi potest. Extremæ enim amentix est, vbi minima differentia est, vt in his qui cibum adhibent, nō multum laborare, sed hominum cōditione vniuersæ doctrinæ loco vti: Vbi vero tantū discrimen est consiliariorū, ibi adhortatione opus habere, vt intelligatur quid salutare sit, & quid noxiū. Ne, quæso, ne sumus bestiis ipsis immaniores, sed resiliamus, neq; aures admoueamus. Mores bonos, corumpunt sermones mali, neq; veniā assequētur qui decepti sunt. Cur enim si pestilentē locum, & contagionis plenum videris, cōsuetudinem illius loci fugis, quāuis sexcenties ad domicilium illud traharis, & corporis valetudinem cæteris rebus omnibus antepōnis: Vbi vero opinionibus pestilētibus, quidā complentur, ac agritudinibus quæ nō modo corpus corrūpunt, sed animam quoq; perimunt, ac deteriorē, vilioremq; reddunt, non omnino refers te. Audi, inquit, quidā sapiēs vir: Ne steteris, resili, ne tardaueris, vel breuissimā hic metuas moram. Hæc dicimus non stabilitatē illarum opinionum veriti, sed imbecillitatē vestram metuētēs. Nobis enim dei gratia fide fundatis, imbecilliores aranearū telis videntur. Et quāuis plus millies auribus nostris obganiant, à nobis quasi infani, atq; extra se positi, risu excluduntur. Neq; aduersum omnes hæc loquor, sed aduersus eos, qui horum rei sunt. Nā & Paulus qui cæteris antebat, non doctrinam solum adhibendam præcepit, sed etiā discipulo Timotheo contra aduersarios tum verborum certationes, tū inanitates auferēdas monstrauit. Exiguū nostræ vitæ tēpus, breue salutis huius curriculum. Si igitur breue hoc tēpus, quod ad discendū vtilia nobis datū est, in superuacaneas atq; inutiles, & noxias disciplinas infumamus: de cætero quam opportunitatē habebimus, ad hæc necessaria atq; idonea cognoscēda? Nā si vel longissimum esset, vniuersum ipsum ad vtilia conquirenda consumendū foret. nūc vero cum breue, atq; exigū sit, an non extremæ dementiæ est, tempus tā breue, in opiniones mētium nostrarū corruptrices, infumere: Quid medicina opus est: ne omnino plagā accipias, ne tēpus absumas in his sanandis, quæ ab aliis & accipis, & habes vulnera. A diuinis scripturis sanitatem

1. Cor. 15.

1. Tim. 6.

cōquire. Sin interuenerit quis, ac aliud quippiam attulerit, obstrue aures, resilito statim, ne cūcteris: si regum cœtus sit, ne cōmittas vt eius cōfessus in societatem venias, vt quāuis nullus assensus tuus fiat, cōmunitate tamē auditionis omnino pericliteris. Quādo cōtra deū dicitur, & opinio plena reprehensionis illius afferit, nō au fugies, nō vexantem cōtumeliis linguam odio habebis, nō impia ora obstrues: Quo modo enim poteris libera animi inductione deū venerari, cū cōtumeliarum omnium quæ cōtra illum intentantur, sis socius: Quod ne fiat precor. Hæc à me nō ad præsentēs, imò vero potius ad præsentēs dicta sunt. Si enim vos culpa vacatis, quos tamē agritudine vexari intelligitis, eam his ac aliis cōpluribus exhaurietis verbis, vt radicitus hoc malū extirpetis. Precibus vero sanctorū, amicorum dei, quorum precandi libertas multo plus habet, quā sermones nostri, fiat, vt omnes nos, ac quicūque ad plenitudinē Ecclesiæ pertinent, his liberati malis, pro tribunali Christi cum libera securitate stemus, cui sit gloria. Amen.

Eiusdem de fato, Oratio III.



NOVI equidem, nuper apud vos de fato verba me fecisse, nihil tamen prohibet, etiam hodie de eodem argumento sermonē instituere: nō quoniā hæc affectio admodū insita sit in animis vestris, sed quoniā socordia vestra incredibilis quædam est, quæ vel minimas agritudines, permagnas facit. Nā & cæco natura, hoc perspicuum est, fidei homini ad mali huius depulsiōnē, neq; doctrina, neq; verbis opus esse. Quæadmodum enim qui eandē terrā continentem nobiscū incolit, & legibus nobiscum tenetur eisdē, & regib⁹ subiectus est eisdem, minus à nobis persuaderi debet, sed vetari solū, vt ne Perfarum reipublicæ formam quotidie inuehere conetur: sic hoc loco sit. Errorum enim quidā ratio ac disciplina egēt, quidā ita manifesti ac pleni sunt, vt timore ac supplicio solū coerceri debeant. Huius generis sunt occidere, adulterari, furari, quæ oratione nō egent. Itaque & legislator, nō doctrinā aliquam his de rebus explicauit, qua aures nostræ personaret, hæc mala esse (hoc enim quasi antecipatum animis nostris est) sed solū vetuit, nō adulteraberis, nō occides. Vbi vero de viduarum despectu, ac depositorū fraude, nobiscum disputat, ibi etiā rationes adiungit: Cōmiserare, inquit, viduam, & aduenam, etenim tu aduena fueras in terra Aegypti. Sabbatū requiete cole, inquit. Deinde causam adfert. Atqui hoc, factalem necessitatē aspernari, nō eius generis est quod ratione egeat, sed ex illis perspicuis est. Quemadmodum enim clare cernitur, malū esse occidere, & turpe necare: ita per se lucet, fato se adiungere malū esse, & vetitū. Neq; vero idcirco putetis, quod à quibusdā existimatur esse, ideo non vetitum esse. Nā & cædes suscipitur, quis legibus prohibeatur, & adulteria ac rapinæ in vetitis sunt, quāuis à multis admittantur. Quod vero etiam in legibus Græcorū, quemadmodum cædes, sic notationi diei natalis credere, vetitū sit, ex eo liquet, quod qui alicuius vxorē stuprauerit, & accusatus in iudiciū venerit, & dixerit: nō ego hæc, sed stella natalicia: ego enim tēperās esse volui, illa vero labefactauit, & deiicit. An nō propterea asperiores dabit pœnas, quasi ridicule causam defenderit: An veniā impetrabit aliquā? Nihil minus. At illorum sententia, maxime id oportuit. Si enim stella natalicia ac nō arbitrato nostro omnia gererentur, hæc nulla melior esset defensio. Si enim firmior valētiorq; quā natalicia stella, nostra esset electio, nulla esse

Exod. 20.

Deut. 5.

Exo. 22.

esse deberet natalis diei notatio. Sin quāuis res mille excogitet, cōplere illius præscripta necesse esset, sinē causa hic coërceretur, & iure veniā impetraret. Sed nemō illū neque defendentē, neq; veniā impetratē audiet: ita res ab omnibus explosa est, & cōmenticia quædā fabula videtur. Apud multos magistratus, si quis cui vim adferat, ad defensionē satis est reo, dicere se hoc inuitum fecisse, atq; adeo nulla accusatio reliqua esse videt. Multi vero magistratus propter sceleratas cædes accusati, supplicio afficiuntur: carnifices vero administratos cædis, qui morte homines multant, neq; ad subellia rapiūt, neq; de illis omnino quærūt, necessitate pro illis causam dicente, & magistratus autoritate, & subiectionis timore. Quòd si homini prudētē ignoscunt, abs tribuli suo, & cognatione quadā iuncto, aliquid agere coacto, an non multo magis cōdonare par est, si quis fato pellitur? Atqui aufugere oportet. Illius vero sicuti prædicant, sic in expugnabilis dominatus est, vt quāuis in solitudinē, quāuis in mare, quāuis in alias quascunq; oras te conferras, præscripta eius minime effugias. Quid ni igitur absurdū est, eū qui barbarorū vi ad aliquid rapit, ita facilem veniā obtinere, vt ne omnino accusetur quidē: hūc vero qui violentiore quadā vi cōpellitur, pœnas persolueret, neq; orationē eius ad causam dicendā admitteret? Nemo enim causam maleficij fatū adferēs, pœnas effugit, nō in iudiciis maleficus, nō in familia seruus, nō in ludo puer, nō in artificio discipulus. Qua ratione igitur vel fatum probāt, qui id sic abiiciunt, vt ne necessitati quidē eius veniā dent? Ita veritate & cōscientia sua freti, vehemētē persuadēt sibi vniuersam hæc rem fabulā esse. Quādo vero in peccata inciderint grauiora, tū illud adferunt, quasi hoc modo cōstitutum illis supplicium effugituri sint, & nō grauiores pœnas daturi. Nō enim tā tetra res est peccare, q̄ post peccati nō pudere, & propter scelera sua ipsum deū accusare. Hoc omni peccato funestius est. Hoc etiā diabolus facere cōtendit, vt non solum ad virtutē remissi, & ad vicia procliuēs sumus, & omnium causam deo assignemus, sed etiā vt animo ac lingua ad maledicendū apparatis, defensione adferenda, deū accusemus, & à nobis hæc patrātibus reprehensionē deoneremus, & in eum qui author nō est culpam traducamus. Atqui si quis tale quid in hominibus designauerit, ad accusationē eius, & internicionē hoc satis esset. Quādo enim alterū calūniatur, etiāsi nihil præterea mali patrauerit, hoc tamē facinus eodē supplicio plebitur, quo reliquorū fontium. Vide igitur quantū mali diabolus è fato excitauit, virtutis cōtempit. Labefactat enim animū etiā satis incitatū ad sudores pro virtute suscipiendos, quādo persuadet ex his quæ fiunt, nullum factum nostrū pro vicio haberi posse. Quādo enim aduertit quis, neq; adulterū, neq; sicariū, neq; murorū effosorem accusatione dignū, nō definit quasi in præcipiti loco cū impetu ruēs, prouidentia calūniatores alios facere, & ipse quoq; calūniator dei esse, quo quod quæso malū perniciosius esse potest? Fugiamus dilecti hunc simulacrorū cultū, mors enim reuera in lebe est, omnemq; qui inde vel minimū peruersarū opinionū haurit, omnino mori necesse est, nisi iterū recurrat, & sanitatē integra fruatur. Vt ne igit postea hoc infructuose lamētēmur, eū pœnitentiæ nobis cōstitutum tēpus, post nostrā hinc demigrationē præcidatur, dū habiles sum⁹, quicūq; hoc morbo correpti sumus, mutemus sententiā nostrā, nosq; ipsi resciamus. Qui vero sani sumus, sanitatē incorruptā cōseruemus, & hoc morbo affectis matum porrigamus. Si enim corporib⁹ laborātibus tantā

Tomus quintus.

industria adhibemus, animi agritudine pposita, an nō omnia faciemus, omnia sustinebimus, vt fratres in societatem mēbrorum eandē coopratū, & in perfectionem corporis ecclesiastici ascitū recuperem⁹? Omnia igitur huius causa suscipiamus, omnia huius causa præstemus, canes, lupos abigamus, neq; nostri ipsorū salutem satis nobis esse putemus. Quæadmodum enim dictū est: q̄ si videris furē simul cōcurrere, & in adulteris partē tuā ponebas. Ita hic quoq; attdiamus, quādo aliquē è fratribus nostris circūuenientem rationibus, & susurrationibus decipientē viderimus, ista inaudiamus. Domus herilis, est Ecclesia, vasa preciosa sunt fideles. Vbi igitur aliquem exterū videris, aliquid è vasis diripere conātem, quis hoc vicio captus nō fueris, tu tamen qui furē vides suffodientē, & neq; per te, neq; per alium prohibes, reus necis illius es: tū quia in periculū venire permiseris, tum quia non ad eos retuleris, qui ista corrigere potuissent. Neq; vero hæc dico, q̄ omnino impēdere tibi periculū putēs, sed vt cautiore reddā alios, atq; efficiā, tū de sua ipsorū, tū de aliorū salute, magis sollicitos. Ita enim poterimus promissa consequi bona, gratia Christi, &c.

Eiusdem de fato, Oratio IIII.

Adem ipsa dicere mihi quidē graue nō est, vobis vero tutum. Quod si Paulo, qui cū gratia spiritus docuit, & cū imperio inimicos abegit, & perturbationes animi omnū iustulit, qui summo in honore fuit, quæ quasi angelum de cœlo descendentem, imò vero quasi Christum ipsum omnes audierunt, perpetua doctrina opus fuit, & eadem continenter dicere necessariū: multo magis nobis qui nullo in loco aut nūmero sumus. Tutum vero re vera est vobis, iisdē de rebus sape audire, neque vero de iisdem rebus solum, sed eadem etiā de iisdem. Ne grauetur igitur aliquis, neque vexari à nobis se putet, si de eodē argumento eadē iterum dicamus. Si enim cōsidere liceret, vos semel ista audiendo, hanc animi agritudinē deposituros, ne sic quidem ab hoc argumento recederemus, sed de iisdem rebus adhuc verba faceremus, vt stabilem ac firmā efficieremus sanitatem, & cautos vos redderemus, ne in hæc facinora iterū dilaberemini. Quoniā vero quædam huius mali reliquias, in auditorū animis esse suspicamus, necessaria nobis est, & rationi cōsentanea, assidua harū rerum pertractatio. Hodie autem dicendū est, quo modo ista effugiamus. Quo modo autem effugiemus? Primum precibus & accessu ad deum: deinde rationibus piis. Si enim videris quæ futura, & quæ præsentia sunt, & rectum de vtroq; suffragium tuleris, nunquā animū tuum hoc malum attinget. Quādo enim videris, præter dignitatem suā aliquem locupletem, ne fœlicem eum, ne beatum iudicaueris, ne dei prouidentia cōdemnes, ne temere ferri aut inconsulto res humanas putes, quia hic præter meritū suum locuples est. Veniat tibi in mentem Lazari & diuitis, vt hic ad summas opes, & affluentiam rerum peruenerit, crudelis, præfactus & inhumanus, & ipsis canibus effertior. Siquidem hi pauperem cōmiserabantur, & accurabant, & nō grauiate linguam vlcerberis per omne corpus suis, admouebāt: Ille vero, ne micarum quidē suarum participem faciebat. Tecum igitur reputa quemadmodū hic omnib⁹ opibus affluēbat. Pauper ille qui re vera diues, re vera locuples fuit, in id extremæ paupertatis incidit, vt & necessario victu destitueretur, & agritudine ac fame perpetua vexaretur. & hic quidē pauciora q̄ vsus tulit habebat: ille vero supra modum omnibus rebus abundabat. Nō moleste ferebat tamen, nō impium verbum proferebat, nō deū

Psal. 49.

Philip. 3.

Luca 16.

accusabat, cum nullo, ne secum quidem hæc verba vsurpabat: Ego quidem qui nullum insignite flagitiū patraui, tales pœnas do, & extremum sustineo supplicium, fame cõtabefactus, morbo grauisimo absumptus, paulatim exhaustus & deletus. Hic ditatur & deliciatur, alienis calamitatib⁹ oblectatur, meas in miseris debacchatur, huc autem tã inhumanum, immitem, crudelem, faxeum, tãtã pecuniã dominũ fecit deus, me vero qui ne verbo tenus illum prouocarem, tantis laboribus & doloribus excruciarī permittit. Quo modo hæc iusto illi⁹ iudicio, quo modo hæc eius prouidẽtia & procuratio-
ne nostri digna sunt? Nihil horũ omnium dixit ille. Quid nĩgigitur absurdum sit, illos qui tãta mala patiuntur, ita de deo in omnibus bene loqui: te vero qui extra istã penitus cõtrouersiam es, illorũ causa cõtumeliose de deo loqui, quorum gratia alij bene loquuntur? Qui enim malum aliquod patitur, si verbũ aliquod odiosum aut molestum dixerit, quanuis non tantam quantam alius, aliquam tamen paruã veniam habet. Qui vero ipse extra pericula est positus, & aliarum rerũ causa animam suã proicit, quali venia dignus esse potest in iis de deo male loquens, in quibus qui mala ipsa accepit, gratias agit, & perpetuo illum laudare nõ desinit: Quãdo igitur videris iustum mala patientem, hoc exemplũ animo repete. Neq; enim iustiorẽ illo quenquam potes dicere, quod tum ex patientia, tum ex præmio fati liquet. Nã & primum resurrectionis fortitus est locum, cũ patriarcha Abrahã in honore positus: neq; cõtã maiora perpeffum mala, neq; ita despectui habitũ. Quod enim malus malum cõmemorare potes, cum neque ex iis quæ de mensa deciderunt, expleri potuit: Quando igitur summam improbitatẽ videris, quid enim crudelius isto qui hunc in tanta calamitate præterierit: vel quid affluentius esse potest mensa illa & vestitu, in quibus maximã delicia splendidißimãq; fortunã fuerant? aut cõtã cũ summam videris iusticiã: quid enim deo amabilius esse potest animo talium patienti, & extremã miseriam generose perferenti: aut quid miserius fame ac ægritudine tã insanabili? qualem dabis mihi veniã qui in aliis offenderis? Nunquid vitæ huius exitu res terminatur? expectata finem, & tunc vitæ vnusquisq; dignã cõpensationem videbis. Ne ante præmium, ne ante coronã tumultueris. Quando igitur videris vtrunq; in iudicium venire, & sententiã iudicis accipere, tum & ipse iudiciũ de vnoquoq; feras. Quot nunc in viis insidiantur, quot muros effodiunt, quot mortuorum loculos diripiunt, quot toris insidiantur alienis, quot mortiferis venenis cõplures perdidit? Nunquid in iis accusamus iudicem? nequaq;. Si enim illos in iudicium venientes sic abire sineret, vt eũ qui mala accepit puniret, qui vero intulit iniuriam honoraret, & corona imposta dimitteret, accusatione & extremis reprehensionibus re vera dignus esset: quando vero nõdum in iudicium adductus fuerit, neq; tempus iudicij instet, neque dum ille pœnas repetit, tu anticipãdo cõdemnabis? Atqui oportuit, inquit, admissorum scelerũ pœnas dare. Vitã tuam õ homo animaduerte, in tuam ipsius cõscientiam descẽde, & hanc mutabis sententiã, iudicium illud nõ laudabis, sed perhumanũ deum propter eius quasi lenitudinẽ admiraberis. Si enim ab vnoquoque propter flagitia sua, pœna admissorũ scelerũ posceretur, certatim genus nostrũ funditus direptũ fuisset. Quis enim gloriabitur se purum habere cor, aut quis confidenter dicit, se purũ esse à peccatis? Sed cũ propter hanc dei quasi lenitudinem animo excruciamus, exquisite animo pertractes, quæ

abs te patrata sunt flagitia, & de istac patientia gratias illi habebis, & tolerantia illius admiraberis. Tumultuaris, angeris, omnia perturbationib⁹ complex, quod hic præter dignitatẽ locupletatur, & à multitudine colitur: An non audis Psalmorũ scriptorem dicentẽ: Ne timeas quando ditescit homo, quoniã in morte nihil ex omnibus accipiet, neq; simul descẽdet cum eo gloria eius. An nõ audis Prophetam magna voce clamantẽ: Omnis caro fœnum, omnis gloria hominis quasi flos fœni? An nõ vides Prophetarũ dictis attentantem rerũ ipsarum veritatẽ? an nõ vides experientiam & exitũ rerum iis dictis suffragantẽ? nihil illũ in morte ex omnib⁹ capturum. Audi Iob, hoc idẽ dicentẽ, Nudus exi ex vtero matris, & nudus decessurus sum. nihil enim in morte ex omnibus quis capturus est. Audi Paulũ in hac eadẽ materia philosophantẽ. Nihil inueximus in hunc mũdum, certumq; nihil nos deportare posse. Tu vero beas hominẽ, qui nihil hinc auferre potuit ex iis quæ expediunt illi præsto esse in die iudicij. Sed quæ alia maior miserie descriptio & infelicitas esse potest, quã cũ summis in deliciis hic vixeris, summa cũ ignominia hinc discedere? Tu vero si quenq; horum diuitũ superborũ, & in foro fastuose obambulantũ videris, foris honorib⁹ abundantem, assentatione parasitorũ vsurum, vbi domũ suã redierit, nihil istorũ habere, sed destitutum, in gloriam mendicis egentiorẽ viliorẽq; esse: igitur hunc prædicabilem esse arbitraris? an nõ potius cõmiseraris, ac lamentaris? Hoc idẽ de locupletibus facito. Sũt vero quidã, qui posteaq; hos de religione sermones cõmouerimus, suum hircorumq; instar, abdomini affixi, & in res præsentis inhiantes, nihil restare post nostrã ex hac vita demigrationẽ arbitrantur. Alij quidẽ, quædam restare putant, sed præsentia futuris antepõnunt. Nã aduersum eos qui nihil remanere iudicant, sed animũ nostrũ quasi extinctum nullã redditurum rationẽ, neque pœnas perfoluturũ, ridiculũ fortassis esset, quẽadmodum cõtã insanos, & è potestate sua exeuntes, dicere. Neque enim si quis in die cõtendat diem non esse, & de rebus in prõptu positis dubitet, opportunũ erit ratione huic persuadere, & ad opinionẽ suã adducere. Atqui vestræ charitatis causa cũ illo disputabimus quemadmodũ nobis dei dederit gratia. Quid dicis õ homo: nihil esse putas post hunc vitæ cursum? hoc enim dicere necesse est. Quo modo? Quasi malorũ quorundã gradibus, ad deteriorẽ semper opinionẽ proiicit diabolus, quẽ semel à veritate auerterit. Ecce autẽ persuasit, temperantiam, æquitatẽ, reliquamq; virtutẽ negligere, improbẽ viuere fecit, de cætero perpetuam habere labem cõscientiæ, & precij facinorũ improbe admissorũ in alios dimouere, cũ improbitatem ipsam potius dimoueret. Sed hoc nõ faciunt, & opinionẽ sibi falsam, de fato, & sexcentorum malorũ plenam affingũt. Deinde in hoc reprehẽsi, & fateri tandẽ coacti, nullius esse momenti hæc præsentia: futura tollunt, omnẽ de resurrectione sermonẽ elidunt. Nũc vero quod in manibus est cõfitemur. Nihil ne est õ homo post hanc vitã? & huic niteris opinionẽ Multis in rebus delirauerũt Græci, huius tamẽ opinionis veritati nõ restiterunt. Quod si illos sequaris, dabis certe aliqua post hæc esse vitam: rationes, iudicia apud inferos, supplicia, honores, sententias, iudicata. Sin Iudæos interrogas, aut hæreticos, aut alium quẽuis hominẽ, reuerberitur opinionis huius veritatem, ac quãuis in aliis dissenserint, in hoc tamẽ omnes conueniant, & dicunt rationem eorũ quæ hic gesta sunt, ibi debere reddi. Sed nulli horũ obtemperari vis, sed cum impudẽtia quadam

quadam magno te ipsum errori obiciis. Atqui sobriorũ hominũ causa de iis sermo instituendus est. Ei vero qui nihil deinceps fatetur esse, ne deum quidẽ esse fatendũ est. Vides quemadmodum dixi, cõsequentes opiniones prioribus deteriores esse, quod istis quoq; vsu venit. Si enim nihil est post hanc vitã, ne deus quidẽ est: sin deus est, iustus est: q; si iustus sit, p dignitate tribuet vnusquisq;. Sin nihil post hanc vitã sit, quo modo quod par est, recipiet vnusquisq;. Attende vero. Multi præter meritum suum, quẽadmodum ipsi initio confelsi sunt, multa bona accipiũt in hac vita, & cũ honore sunt: alij vero supplicij afficiuntur, qui cũ iusticia vixerunt. Quod si nullus sit locus his post hanc vitam, iniuria affecti discedet iusti, & præter meritũ bonis fruuntur iniusti. Quod si sit, quo modo esse iusticia possit? Vel enim aliquem locum esse necesse est, qui pro meritis suis redderet vnusquisq; in hac vita enim hoc nõ inuenitur: vel si talis locus nõ sit, quo modo pro meritis suis recipiet vnusquisq;. Sin nemo secundũ merita recipiet, ne deus quidem tua sententiã iustus est. Sin nõ deus iustus sit, ne deus quidem erit. Sed hæc loquendi cõtumelia, in caput illorũ qui hæc in nos cõferunt, reuertatur. Videte vero quo verborũ cõtumelia oratio illorũ prouecta est. Deũ esse res omnes clamitãt, atq; adeo iustũ esse. Sin iust⁹ sit, pro dignitate sua reddet vnusquisq;: sin pro dignitate sua reddat vnusquisq;, necesse est aliquẽ post hæc vitã esse locum, in quo pro dignitate sua recipiet vnusquisq;, & vel pœnas dabit, vel in honore erit, propter illa quæ ab eo gesta sunt. Sobrii igitur simus dilecti: ignorãtiam enim quidã dei habent: Iobrii simus, vigilemus. Peccasti, ne insistas amplius peccare. Peccasti, desine: peccasti, ne connectas his peccata. Nos vero tripla atq; etiam quadrupla cõnectimus talium opinionũ onere mētibus nostris imposito. Peccasti. Agnosce dominũ misericordem, humanũ, bonum, medicum, condonantem, exorabile, placabile. An nõ audiisti quod decem milia quidã talenta cũ deuorasset, & herilia bona omnia vastasset, ac dissipasset, cũ vxor, cũ liberi eius, pro scribendi fuerãt, vt fleuit solũ, vt pedes illius solũ attigit, vnuerũ debiti illius remissionẽ & dissolutionẽ inuenit: Sin dicas illũ postea tortoribus traditum, nouerũt qui historiã sciunt, te alterũ mihi dicere humanitatis argumentũ. Nã & tũc illum cõmiseratus absoluit, & rursus eum ipsum, alterius miserum, in carcerem cõiecit. Atqui hoc quidẽ vt huic opem ferret fecit: illud vero, vt illi præsidium afferret, cõstituit: vt hunc erudiret ne crudelis aut inhumanus esset, illũ vero, vt vi & crudelitate alterius liberaret. Videte dilecti, bene mihi inter dicẽdum venit in mētem hæc cogitatio, vt nõ solum cupiditas alieni, bonorũ direptio, verum etiã vacuitas misericordiæ gehennæ nobis efficiẽtia sit. Hic enim nõ q; aliena iniuste acceperit, sed q; sua ipsius crudeliter repetierit, tortoribus tradebatur. Nam debitorẽ fuisse illum scriptura cõmemorat. Quãuis ille debitor fuit, tu idem debitũ debebas, & eadem æquitas in vtriusq; cõseruanda fuit. Propterea tibi debitã pecuniam cõdonauit, vt suã humanitatem demonstraret, vt imitatorẽ herilis mansuetudinis te efficeret. Quoniam vero vbi bona acciperas, melior non fueras, altera te corrigit via, pœnã ac supplicij. Itaq; & hæc quidẽ beneficentiæ species est. Tortoribus tradidit, vt quasi medicus optimus nequiciã animi depelleret. Valẽti medicinẽ nõ cesseras, ferro tibi opus de cætero & igne fuit. Non vit ille qui decẽ milia talenta cõdonauit, te crudelẽ & inhumanum esse. Sed tardauit, vt ex rerũ euentu, quod sæpe facit, respõsionem adhiberet, sciens se iuste facere.

Postq; respondisset tibi, facit quod Sodomis faciebat. Non cõfestim iniecit ignẽ, neq; ciuitates illas diripuit. Sed qd? Clamor Sodomorũ & Gomorrhæorũ, & neq; adhuc, sed descẽdens videbo. Et neque hic cõstitit, sed misit angelos, vt monstrarent tibi incolarũ ciuitatis improbitatẽ, vt ne impudens quisquã, vllis possit verborũ contumeliis vexare deum, q; inhospitos, q; crudeles, q; nefarios, q; æquitatis iura ignorãtes, cõmunes naturæ leges euertentes, malicia plenos, iã deleturus esset. Quid tã humano ac miti deo par cogitari potest? Nos enim cũ aliquem punimus, vix dignamur sæpe causas dicere. Ille vero, nisi prius te docuerit, nisi prius tibi psuaserit, nisi tuũ ipsius cõperit suffragium, illum iuste supplicij inferre, nõ punit eos qui iã diu supplicio atq; animaduersione digni erãt, & rationem sæpe reddere paratus est, & cum accusatur abs te, in iudicium etiã venire nõ grauat. Vides prophetas istorũ plenos sermonũ. Vbi que cõtrouersia dei cum hominibus, ac sæpe ipsos iniuriosos vt causam diiudicent, aduocat, sæpe creaturã ad suffragium ferendũ collocat, iudiciorum suorum splendorem demonstrans, cum neq; aduersariũ suum, neq; res sensus expertes repudiet deus, ad diiudicandã rẽ vocare, quod nobis in cõsuetudine quoq; est positum, quãdo iusta causa freti sumus. Audite valles fundamẽta terræ, quoniã causa quẽdam domino est. Et rursum, Audi cœlum, & auribus cape terra, quia dominus loquitur. Sæpe vero illos ipsos, vt, Popule mi quid feci tibi, aut qua in re iniuriam tibi feci? Et Hieremias. Quodnam inueniunt in me delictũ patres vestri? Neque vero in ciuitatibus ac nationibus hoc solum facit, sed etiam in certo quouis homine. Cum Dauide cõtendebat per Prophetã, & Ionã repudianti Niniuitis prædicare, respondit deus per cucurbitam. Siquidem tu parcere volebas cucurbitæ, ego non parcam Niniũ. Et multorum talium inuenimus scripturas plenas. Hæc cum sciamus, adoremus illum, admiremur, colamus quãtum à nobis fieri potest: digne enim nõ possumus. Curã habeamus præsentis vitæ, & credamus deum præesse, & prouidentiam cuncta gubernare, & post hæc omnia, ex hac vita demigrantibus, promissis nos bonis frui posse, quibus nos omnes precor gratia Christi, &c.

Eiusdem de fato, Oratio V.



Vlla est omnino tã deprauata disciplina, neq; tã insanabilis tabi plena, q; est hæc de fato & diei natalis notatione opinio. Præterq; enim q; cõtumeliosam disciplinã, atq; impiã, & perniciosam, in animis eorum inserit, qui decipiuntur, atq; adducit vt de deo talia loquãtur quæ ne de dæmonib⁹ quidẽ quis diceret, & vitam cõfundit nostrã, & omnia tumultu magnãq; perturbatione cõplet, & quẽcunq; ad doctrinã & correctionẽ, à deo, & natura, per prophetas, & sanctos viros, introducta sunt, euertit & labefactat, ac superuacanea ea demonstrat, & perinde facit, ac si quis corpore laborãti, ac medicina egenti, præsentib⁹ medicis, & medicinã apparantib⁹ persuadeat, nullo rum vti, neq; ab ægritudine liberari, sed negligentia ac socordia languẽtem totum miserabilissimã præstolari perniciem? An nõ hæc quæso dicit fatum? Nemo præcipiat quicquã vtile, nemo præcipiente audiat. Frustra leges, & iudices, frustra reprehensiones & admonitiones; frustra supplicij timor, frustra honores & præmia, frustra palma bene rẽ gerentibus cõstituitur. Neq; enim si in aliquo elaboraueris, vtilitas erit: neq; si ociat⁹ fueris; offensio erit. Neq; ad ludũ literariũ puer proficiscatur, nec vir effectus, leges audiat, neq; cõsiliis atq; admonitionibus

tionibus vtilibus obtēperet. Quid enim poterit afferre labor? Quasi disiecta navis, nautis & gubernatorib⁹ destituta, tempestatis magnitudine, clauum mentis sue relaxans ita feratur. Cupis ne, quāso, obtēperemus, & nihil efficiamus quā ad vitā nostrā custodiam pertinet. Prætermittatur autē ad tempus, quod ad mentē nostrā pertinet, de præsentis vitæ statu disputemus. Obtēperabimus ne fato hæc dicenti, & neq; seruos delinquentes puniemus, neq; lasciuia corruptos, reuocabimus, neque iniuriosos in iudiciū ducemus, neque legibus obedimus? Vellem quidē certe ad breue tēpus hæc fieri, vt re vera perniciosam istā, & nocentem malorū magistrā, perspiciere possitis. Si enim necesse sit omnino quæ fatalia sunt, tū laborantibus, tum dormientibus nobis fieri, nullus agricola boues iungat, neque aratrū trahat, nullus sulcum imprimat, nullus sementē faciat, nemo anni tēpus accommodatum obseruet, nemo gelu toleret, aut perpetuam pluuiā, aut miserias, aut arūnas, aut ad constitutum anni tēpus falcem attingat, aut segetē demetat, aut spicas tribulet, nō plātet, nō stirpes accuret, omnem agriculturę industriā abiiciat, domi sedeat, & omne tēpus dormiat, omnino fatale illi hoc est & fixum, suapte spōte domum bona venient. Sin in contrarium fulsum traduxerit Clotho, quāuis sexcenties laboretur, nullus tamen finis laborū illi, nullus sudorū erit. Cuius igitur rei gratia, nō hæc præcipitis faciendā, si prorsum fato cōfiditis? Cuius rei causa non præcipitis, vt re vera cognoscatis quæ bona ex fato oriuntur? Vis mihi quid re vera fato stabilitū sit ostendere? Aufer agriculturam, tolle nauigadi artē, abice omnes artes quæ ad vitā cultū pertinet, nullus neq; architectus, neque ararius, neq; textor, neq; alius quispiam, eorū quæ ad vitā vsum cōferūt, artem attingat, & tūc clare videbis, qualis fati effectus, & quale illud sit, exquisite cognosces, tū etiam illius immutabilitatē perspicias. Sed quid artes dico quæ vitam nostram cōtinent? Stent artes, nullaq; labefactetur, sed omnes suo loco maneant, & singuli quicq; nihil suorū accurent, nullam partē familię administrant, sed fato permittāt res suas omnes gubernari. Tūc illius vtilitatē intelligis, quādo questionib⁹ ac plagis acceptis, vestigal ab illis quaritur, quod cum nō habeāt, ad fati quidem defensionē cōfugiant. Illis tamen nemo attendit. Quādiu pueri animo erimus, quousq; nō cessabim⁹ delirare, quousq; nō agnosceremus cōmunem dominū? Si malos ac bonos fatū facit, quare liberis præcipis, quare admōnes? Omnia temere ac nequicq; fiunt. Si diuites ac pauperes facit, ne ad ludos literarios mittas, ne pecuniam suppedites, nihil agas ex iis quæ amplificare illorū opes possint, sed res eorū omnes fato permittite. Atqui hæc nō in animum inducis. Vides vt in rebus minorib⁹ illius potestati diffidas, in maioribus vero illius auctoritati nitaris. Si enim re vera fatū est, permittite vt puer cū malis hominibus cōsuetudinem habeat, cum deprauatis hominibus deprauetur: hoc enim fato prorsus cōstitutum nexumq; est, ac tibi cū primis vtile est. Atqui fatū ais re vera, fatū re vera est. Quare igitur negocia tū tibi facesis, tū alteri? Sed quid de liberis loquor, quādo ne in seruis quidē hoc toleras, sed minitaris, perterrefacis, omnes rationes cōmoues, vt tibi bonus atq; honest⁹ seruus sit, neq; diei natalis notationi confidis. Cur vero malū verberas? Non est enim illius hoc peccatū, sed pel lentis diei natalis. Cuius causa bonū laudas? Non enim hoc illius recte factū, sed diei natalis est. Atq; adeo neq; bonus erit, neque malus quisquā. Qui enim per se nihil horū facit, sed aliunde necessitate obiecta pellitur, neq;

hoc ille, neq; illud erit. Quia igitur de causa viros laudamus? quia de causa vituperamus? Quamobrē alios exeramur, alius vero bene precamur? Vides ad quas peruersissimas rationes nos prouexerit hæc de fato sententia. Nullus modestus, nullus intēperans, nullus cupidus, nullus iustus. Tollitur omnis virtus atq; improbitas, & temere ac sine causa in præsentē hęc vitam deducti sumus, imō vero nō temere, sed ad malum. An nō, quāso, absurdū est, propter diei natalis notationē, in improbitatem conuici, & hac iterū eadē vi improbitatis extremas pœnas persoluere, cum cōmiserādī ac potius lamētandi essemus, & odio ac supplicio afficiamur, vbi honore potius afficeremur? Cui enim iniuria fit, & vis inferē, nō supplicio is, sed honore prosequēdus est. Nos vero simul & iniuria vexamur, & supplicio punimur. Quid hoc esse miserius potest, q̄ in quib⁹ miseri nos in improbitatem cōiicimur, propter hæc supplicio cōerceri? Paricidam te fatū fecit, & te morte mulctat, quia obtēperabas ei. Quæ hac opinio perniciosior esse potest? Quæ admodum si quis in præcipitē locū aliquē impellat, ac postea eundem præcipitatū offendens, pœnā huiusce facti exposcat. Aut quæ admodum si quis efferat alicui domina plectendū aliquem, ac omni malorū genere cōercendū tradat, hunc tamē ipsum, propter hoc seruitium, & captiuitatē, deposcat iterū ad supplicium. An vero vel immaniū vel miserius, quāso, genere hoc quicq; potest esse? Hęc cū ita sint, & inimici, atq; hostes, suis ipsorū hostibus norunt veniā dare, quādo inuiti, & præter illorū voluntatē, aliquid quod molestiā afferat faciunt: fatum subiectis suis, ac penitus obediētibus, imō vero coactis nullā dabit veniam, sed de his ad quæ faciēda illos cōpulsit, pœnas repetet? Qualis colluuius, qualis Labyrinthus, quale salū hanc imitari cōfusione, quāso, potest? Nō satis mihi est vnus iniusticiæ modus, q̄ cū nihil peccauerim, in improbitatē tamen cōiectus sum, & q̄ alius, qui nullū habet recte factū bonus est, & honoribus vtitur: Nō satis hæc est vna iniusticia, quod simpliciter, q̄ temere fatum me malū fecit, & illum bonū, sed & aliam quoq; adiungit, neq; hominū iustam iurisdictionē imitatur: sed homines quidē ita humani benigniq; sunt, vt voluntaria ab inuitis separent: hæc vero humanarū rerū gubernatrix furia, & mal⁹ quasi genis omnes res hūmanas cōfundit. Quod si deus nō est, qui in hæc intuetur, redargui vtrinq; hæc sententia potest. Fieri enim nequit, vt in tam cōstanti rerū ordine prouidentia nulla sit. Quod si deus nō sit, quo modo tādē hæc omnino cōstent? Sin sit, quo modo hæc despicit? Si enim ille hæc nō fecit, vide quō impietatis, ac verborum contumeliæ procedat oratio. Sin fecerit, & quæ facta sunt negligat, nō minor iterum hæc est, q̄ prior fuit, reprehensio. Vides vt omni ex parte sollicitat diabolus, vt pertrahat homines, ad aliquam cōtra dominum insanā. Vis mihi persuadere q̄ suadere fatū necesse est: & aliquid valere hęc opinionē putas? Ne accusa adulteratē mulierē, ne ira efferuescas, ne p̄ tribunali iudicis adulterū adducas: si murū suffossum videris, ne cōprehendas eum qui suffoderit, ne pœnā exposcas. Inuitus fecit, quæ admodum tu prædicās. Omnino enī sua spōte ad te fatū affluit. Proiice quantū habes auri, familiā, forū, mācipia negligas, tua hac socordia, fati ignauiā nō laedet. Atqui nihil horū facis, quasi re ipsa persuasus, hęc vniuersam de fato opinionē cōdemnari debere. Cuius igitur rei causa, eam quā vbiq; condemnas, in admisis facinoribus, ad excusationē adhibes? Vides certe, nō aliunde hanc opinionem introducā, q̄ ignauiā, cōtemptiōne, & animi languore

languore ad laborē aliquem pro virtute capiendum. Si diei natalis notatio aliquid valeat, iudicium nullū est, fides nulla est, deus nullus, virtus nulla, nulla nequicia est. Si diei natalis notatio aliquid valeat, omnia temere, omnia nequicq; tum agimus, tū patimur. Nulla laus, nulla vituperatio, nullus pudor, nulla ignominia, nullę leges, nulla iudicia sūt. Vnde hic, inquit, locupletatur, vnde ille in paupertate est? Si harū rerum causam ignoraremus, permanendū potius in ignorantia esset, q̄ noua aliqua opinio assumēda. Melius est enim bene ignorare, q̄ turpiter scire. Illud enim nullā reprehensionem habet, hoc venia omni carere debet. Atqui nūc dei gratia nobis perspicuum est, vnde hic diues, ille pauper sit: vel enim paternā hereditatem adit: vel mercatura, aut quæstus vitur: vel aliorū bona diripit, & vim adfert: vel nuptias quæsiuit diuites: vel agriculturā, aut artificium, aut aliquid huiusmodi coluit. Multæ nanq; sunt rationes, vt diues quis fiat: alix iustæ, alix iniustæ. Eadē ratio est paupertatis: vel enim aliorū calūniis, vel accusationibus, vel direptionib⁹, vel sua ipsius abliguratione, vel ocio, vel amētia, aut alia quauis eiusmodi ratione (multæ enim sunt ad paupertatē viæ) eō peruenitur. At quæ de causa, inquit, illi qui meretrices alit & parasitos, & adultores, & qui alienis sese ingerit negociis, & disfluentem hęc & dissolutam vitam traducit, quasi ē fonte quodā affluunt diuitiæ? Alter probitati tēperantiæ & iusticiæ, & reliquis virtutibus perpetuo ad hærefcens, vix necessarium victū habet: cum hic bonus sit, & laboriosam virtutis elegerit viā, ille vero malus, & dissolutam hanc remissamq; ingressus sit nequicię viā. Cuius igitur rei causa malus hic diues, bonus ille pauper est? Vt hic maiorē habeat coronā, si ista perferat, & patientia vtatur: ille vero maius supplicium, maiorē pœnam, nisi vitā mutauerit, nisi melior fuerit, nisi dominū suū agnouerit. Dilatio enim a deo proposita, eos qui in nequicia permanent, magis grauat, & rerū affluentia a deo data, his qui nō opportune vtuntur, magna ad dānationem accessio est. Sic & asperitas rerum & angustia, bonis vis accessio coronæ sunt, etiā si interdum prolabantur. Mediocris enim venia tum datur. Nō enim simpliciter peccata iudicātur, sed alio modo diues, alio modo pauper. Hic quidē cum venia, ille absq; omni venia. Ponat autē fur & ambitiosus, tum diues esse tū pauper. Hic enī quis frigidū, aliquid tamen habet perfugiū, paupertatis necessitatē. Ille vero nullā probabilem aut iustā habet excusationē. Itaq; quāto inferior est pauper in hac præfenti vita, tanto superior est in futura: hic quidem recte factis, diues vero maleficiis. Ne igitur putes vel iniuriā pati pauperem, vel præstare diuitē. Quemadmodū vero in malis, qui pœnas hic persolunt, vel omnes penitus abstergat, vel minores pœnas dāt, qui hic magnam calamitatū multam sustinet: sic & in bonis qui hic honoribus fruuntur, & in nequicia tamē permanēt, magnū cōpendium ad supplicium, honorē habent. Vide igitur quemadmodū deus, malis, istos honores refutat. Dedit tibi, inquit, omnia domini tui. Et rursus, sacerdotib⁹ tēpore Eli, honorē: & alibi, Dedi vobis ex adolescentulis vestris in Prophetas, & ex filiis vestris in sanctificationē. Et ea quæ in solitudine facta sunt, omnino repetit. Itaq; quando diuitem videris iniuriosum, cupidum, direptorē, propterea magis illū ingemisce, quia diues cū sit, hæc facit. Maiores enim pœnas dabit. Cū vero pauperem videris multā iusticiæ curam habere, propterea magis illum admirator, quod cū paupertate talis sit. Si enim hæc abs te exquisite animo pertractata fuerint: si

in futura intuearis: si nullius momēti præsentia putaueris: si illa speres semper, si ab istis abhorreas, nunq; præsentibus rebus conturbaberis. Vt vero gratia Christi omnia nos bona assequamur, precor. Amen.

Eiusdem de fato, Oratio VI.

Damus & bibamus, cras enim morimur: apud Prophetas multi ē Iudæis dicunt. At Iudæos hoc dicere, quorum deus venter, & gloria in ignominia eorum, haud mirabile est. Esse vero quodā, qui post acceptam gratiā, post præsentium rerū despiciantiam, post hanc perfectionē atq; absolutionē, quāquam hoc verbis nō efferant, factis tamen hoc idē personent, quāta putas reprehensio dignū est. Sunt enim, sunt planē, qui propterea putant se editos in hanc lucē esse, vt deliciis disfluentes, & corpore adipato, & abdomine distēto, ita exeant ē vita, vermibus sui ipsius corporis delicatius epulū apparantes. Vtinā vero hæc sola offensio esset, quod temere, q̄ incōsulto, q̄ nequicq; præsentia cōsumerent. Atqui hoc reprehensione & accusatione vacare nō potest. Quando enim quæ ad corporis alimētum, & ad earū rerum quibus egemus præsidia, pecunia nobis a deo dantur, per luxuriam & lasciuiam & extremam socordiā effundimus, nō integer esse potest hic effusissimus sumptus, sed reddituri planē rationē sumus. Parabola vero quæ de quinq; talentis, duobus, & vno, habita est, ad pecunias & alias res accommodari potest. Quod igitur initio dixi, si quāmaxime temere, ac nulla de causa hic in vita versaremur, ne sic quidē integræ nobis tales actiones essent. Nūc vero etiam alia quædā iuste cōsequuntur. Qui enim in deliciis perpetuo versatur, & ebrietati indulget, & parasitos alit, atq; adultores, & cibo potioneq; cōpletur, nolēs volens per sepe necessario peccat, tū opportunitate quādā loci præfentis, tum etiā post eius inde discessum. Quemadmodū enim nauis cū maiorem mercium copiā habet, quā pro iusta magnitudine, grauitate pōderis oppressa demergitur: ita anima, corporisq; nostri natura, copiosiorē capiēns cibū, deprimitur, & onus ingestorum ciborū nō ferēs, in perniciē dimergitur pelagus, & nautas, gubernatorem, proretā, & vectores: & vniuersum onus cum omnibus perdit. Quemadmodū igitur in ita affectis nauibus, nō tranquillitas maris, nō scientia gubernatoris, non nauarum multitudo, nō apparatus commoditas, non anni tempestiuitas, nō aliud quippiam, ita periclitantem iuuat nauem: ita in his qui delicate ac molliter viuunt, nō rationum vis, nō doctrina & institutio, non admonitio & cōsiliū, non aliud quippiam, nō timor futurorum, nō pudor, non accusatio præfentiū, conseruare poterit ita fluctuatē animam, sed immoderatio omnia exuperat, & volentē, nolentem, de cetero eū qui hac ægritudine laborat, & madidū deprimit, & naufragum eō proiicit, vnde sese referre difficile est. Neq; ad res futuras, & rationes ibi reddendas, sed ne ad præsentem quoq; vitā, iste vtilis aut ad quicq; idoneus est, sed omnino deridendus, tū ciuilibus, tum priuatis in reb⁹. Et si aliquid quod vrget cōficiendum sit, nullā prouisionem, nullā administrationem rerū habere inuenietur, sed facile ab inimicis capitur, amicis autē & propinquis omnibus inutilis. Neq; solū in periculis, & rerum asperitatibus facile euertitur, neque in rebus pacatis & tranquillitātum intōlerabilis, sed etiā in rebus afflictis, & perturbatis, propter animi immodestiā, vnicuiq; obiectæ rei succumbet. Hic enim, in his rerū perturbacionibus dico, ignauiā, exanimatio, & formido ingens, ac temeritas magna occupabit. Illic vero audacia, socor-

dia, luxuria, immodestia, superbia, & arrogatia, superioribus intractabilem facit. Nō solum enim corpora eorum qui sic afficiuntur deformata, lāguida, & fluētia, & odoris grauitate intolerabili vndique cōpleta sunt: sed anima multo magis corpore deformata est, multo maiores, quā corp⁹, agritudines ex hac mollicie suscipit. Quemadmodum enim corpus nō modo secūdam naturam extremēta emittit, sed omni ex parte vberime multa profundit. Nā & oculi & nares, & ora eorū qui hac abundātia grauātur, halitu teterrimo & corruptione cōplentur, & ipsa carnis natura flaccidior, q̄ pro naturali tēperatione, quasi cæno & inquinatissima illuue expleta, putida & iners existit, atq; ad omne bonum factum inexercitata. Nā & terra ipsa tali copia cū superatur, calorem suū ac naturalē deperdit, simul robur etiā amittit, & neq; ad culturā, neq; ad fertilitatē suam idonea est. Ibi granibus & insanabilibus morbis corripitur, qui in deliciis perpetuis viuebant, tremore, dissolutione membrorū, tabe, grauedine, pedū manuumq; eruciatiōibus, & aliis cōpluribus, quibus medici asserūt illos obnoxios esse. Itaq; si neque gehēna, neque animaduersio, neq; extrema dānatio à deo essent, neque ab hominibus reprehēsiō, neq; sumptus importunus, neque alia sexcenta quæ à deliciis oriūtur, sed hæc sola adessent, an nō satis esset ad omnes auertēdos: Mortiferis enim venenis nihilo melius hæc mensa cōstitutæ sunt. Imò vero si verū dicendum sit, multo peius, multo deterius. Venenū enim sumentem cōfessim ē medio tollit, & ad vitæ exitū sine vllō cruciatu deducit, vt neq; hoc ipso quidē crucietur moriēs. Delicij vero, vitā multis mortib⁹ miserabiliorē his asserunt, qui illas plurimi faciūt, nō modo miserabilē, sed turpem etiā & aspernabilē. Reliquæ enim agritudines permultos habent qui vnā mœreāt. Quæ vero ex deliciis & ebrietate oriūtur, ne eos quidē qui intuentur permittunt, vt velint mœrere propter ea quæ ab illis gerūtur. Sed magnitudo mali ad misericordiā infectit: materia agritudinis scientē exasperat. Itaque media quadā agritudine tenemur, neque cōmiseramur illos, causa enim malorū hoc non permittit: neq; irascimur, magnitudo enim malorum hoc nō sinit: sed inter reprehensionē & veniā statur. Neq; enim à natura perturbātur, quemadmodū illi, neq; ab hominib⁹ insidiis appetuntur, sed ipsi authores harū agritudinū sibi sunt, & voluntarie seipos in malorū voraginē precipitant. Quemadmodū igitur eos qui laqueo gulā sibi frangūt, & qui per precipitē locum seipos deiciunt, & qui districto gladio seipos cōfodiunt, non admodum cōmiseramur: ita neq; istos. Quāq; si venia danda sit, etiā minimā omnino veniā merentur, facilius tamē illi, q̄ hi, eā assequerētur. Illi enim vel calūniis vel pecuniis mulctati, aut imminens malū plagasve metuentes, aut aliud quippiā terribile expectantes, vt maioribus se malis eripiant, quasi in tranquillū aliquem portū, ab imminentibus tēpestatibus summa cum festinatione cōtendūt. Hi cū nihil tale pro seipis asserre possint, vitæ sextentis violētis mortibus asperiori, seipos tradiderunt. Opportune igitur hoc loco cōmemorari potest illud Sapientis, Quis cōmiseratur eū qui incantat, si à serpente mordēatur, aut vllū aliū qui ad bestias se accōmodat? Bestia enī quādā difficilis, & intrastabilis delicia sunt: neq; scorpūs aut vipera in viscerib⁹ nostris inharecēs ita perpetuo nos vexat, vt hæc deliciarū cupiditas omnia euertit atque cōsumit. Bestiæ enim illæ corpori tantum insidiantur, hæc sicubi se collocauerit, corpus vnā cū anima etiā vastat. Quare, vobis iam prudentibus lo-

Eccl. 12.

quor, fugiamus ab illa. Quod si vtilitates continet hæc opinio, ne istā orationē perferamus, ne persuadeamur. Sin vera sunt quæ dicuntur, & omnium perniciēs in hac reponitur, & extrema illusio sequitur, parcite iā vobis ipsis, parcite corporis robori, parcite animæ, parcite sanitati. Nō id præcipio, nisi tu id volueris, vt ad vitā aridam nos ipsos adducamus. Tantū quod superfluum est detrahamus, quod supra vitæ vsum est, præcidamus. Quali enim hoc venia dignū est, quando alij quorū interest, ne rebus quidē necessariis potiantur, nos plusquā opus est omnibus affluētis incedere? Nostri victus nobis terminus sit, quod nō lædat, quod famē sine offensione depellat, ac nil vltius requiramus. Quod si quid admirabile liceat dicere, & verū, sed præter vulgi opinionē: si voluptatē quærimus, in eo q̄ satis potius quam in deliciis inueniemus. Audi quo modo in eo maior, q̄ in his, & vberior voluptas est. Hæc enim moderari se ipsam decætero nō potest, neq; naturā sanguinū idoneam sibi inuenit, illa vero cōtra sibi moderari potest. Quis hoc ait? Qui maxime ex omnibus ea fruebatur. Animæ, inquit, vacuæ, quæ amara sunt, dulcia vidētur: anima satiata, etiā cum fauo ludit. Vides vt illa tum in paucis, tū in omnib⁹, facile sibi ipsi moderari potest: hæc nullo modo possit. Si enim ne fauum quidē expectim⁹, quid potest esse volupe de cetero? si id quod suauissimū est, asserre voluptatem nō potest, quid potest nos in voluptate constituere? Quare si voluptatem quærimus, hic magis illam inueniemus. Extremæ igitur auaritiæ erit, voluptatē, quæ sanitate & omnibus bonis cōtinetur, & deo amabilem mensam, fugere: alterā vero apparare, quæ infinitis referta calamitatibus, iniucunda, molesta, morborūq; efficiens est, & quod omnium est grauissimum, deum contra nos prouocat. Si enim vidua delicatior, etiā cum viuuit, mortua est, quid de viris dicemus? Si in veteri testamento multa cū cura hoc vitū est, & magna cōtra delicias affluētis vehementia vsum est Propheta: quanquā genus ipsum deliciarum non admodū sumptuosum, neq; opiparum posuit: dicit enim, qui vescuntur hædis cum ouibus, & vitulis lactentibus: qui bibunt vinum defæcatū, & præcipuis vnguentis perfunduntur: qui in lectis eburneis dormiūt, & in stratis suis lasciuunt. Si hæc reprehensione tū digna erant, quādo omnia carnalia, quando cœlestium rerum ratio nulla, quādo Iudaica omnia, introductio quādā erant: quid dicemus de hac præsentis rerū mollicie? Si enim hadorum, & vitulorū lactentium esus, profluentis & immoderate vitæ reprehensionē habet: quid dicemus de his, qui omnes recessus maris, extremas terrarū oras indagant, & auiū ac pisciū omnis generis venatores vndiq; cōquirunt? Si qui vinū defæcatum bibunt, in reprehensione sunt: quid dicemus de his, qui peregrinationes maritimas pro vino suscipiūt, & omnia cōmouent, vt nullū gen⁹ vitis eos lateat, quasi si rationē redditori essent, & extremæ impietatis condēnarentur, si nō omnis generis vino cōplerentur? Si eburneo lecto vti, reprehensione nō vacat: qui multo sese argēto circūuestiūt, imò vero ex argēto omnia fabricāt, non lectos solū, sed scabellā etiā, sed lebetes, sed vasā & matulas, qualem veniē locū habebūt: quid vel minimū ad defensionē suam asserre possunt? Ego vero etiā hoc adiūgo, quod ex alienis calamitatibus congregarunt. Atqui Propheta hoc non posuit, sed delicias solum reprehendit. Quando igitur culpa adest deliciis ipsis intolerabilior, quis ab extremo supplicio eos qui talia patrant, eripiet? Quis Nochus? quis Iobus? quis Daniël intercedere possit? Nullus

Prover. 27.

1. Tim. 5.

Nullus omnino certē. Sed in eos dici potest: Exuretur animus, quasi fumus. An non, quæso, iure quis ira, atque exandescencia efferuescat, ac compleatur, quādo alius ne iis quidem quæ ad victum necessaria sunt fruitur: tu vero temere, ac nequicquam, ad nullū vsum, imò ne ad ostentationem quidem, tantū argenti fabricaueris? Neque enim ad hoc ipsum tibi cōducibile esse potest, imò vero in cōtrariam partem potius traducitur. Tu enim vt spectabilis atq; illustris fias, hæc facis, sed cōtrarium illius tamen vsuuenit. Non enim spectabilis atque illustris propterea es, sed propter crudelitatem ac plurimarum rerum cupiditatē, & extrema fugitia, omnes te reprehendunt. Quanta enim inuidia, quanta indignatio, quantū odium, quanta cōuersionis tuæ cupiditas apud omnes est? Verborum contumelias in deum prætermitto, quas diuitiæ istæ pariunt. Atqui hoc longe grauissimum est, quod vero hoc antecedit, grauius etiā eo est, & vt ita dicam, quo magis progredieris, singula singulis deteriora inuenies. Sed non temperantem & modestam, quam non propheta illudit, non homo reprehendit, non deus acculat, nō ignis punit, non quis auerfatur, non odit, non inuidet, sed approbat deus, participant angeli, homines laudant, cœlum capit. Hæc mensa angelos recipiunt, his & non illis, Christus adest. Tales prophetarum mensæ: tales apostolorum: tales iustorum fuerant. Regū vero mensæ & aliorum, qui in terris nefarie locupletantur, quæ saltatores habēt, & alios qui ad labem, & perniciem aliorum viuūt, hæc latronum, & præstigiatorum, & eorū qui sepulchra suffodiunt, mensæ sunt. Quādo igitur talem apponis mensam, angelus resilit: exasperatur deus: gaudet dæmonū princeps: auerfantur, oderunt, contabescunt non inimici solum, verū etiam spectati atque honesti homines, & inuidiæ epulis potius complerentur, quā hiscæ præsentibus fruerentur. Quando igitur illam quis apponit mensam sobriam ac modestam, nullaq; efferuescentia contentam, suauis ea & oblectabilis omnibus, & deo, angelis & hominibus. Adest præterea dei vni gena filius. Quemadmodū enim fastum fugit, ac elationem, perturbationemq; omnem: sic humili amicus est, & cū illo perpetuo versatur, omni ex parte illum circumuallat, atq; vndique munit: Christo vero præsentē, nil vltius querendum est. Hoc quū sciamus, dilecti, illa fugiamus, hæc persequamur, vt tum præsentibus, tum futuris bonis fruamur, gratia & c.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI AC
D. D. Maximiliano à Burgundia Abbati Murbelburgensi, Des. Erasmus Roterodamus S. D.

INTER multa commoda, quæ literis debemus reuerende pater, illud non arbitror esse postremum, quod in orbe penè dixerim alio constituti, per eas tamen cum amicis colloqui possumus. Emiseramus nuper libellū de modo orandi deum: talibus enim argumentis quæ non multum adferunt laboris, & ad pietatē maxime conducunt, senectutem nostram exercemus, iam, veluti solent athletæ cum ingravescit ætas, missionem ambientes. Is vbi per manus omnium volitaret non sine gratia, cōmodum inter Chrysostomi lucubrationes reperi duas orationes eadem de re, nondum Latine versas. Illico mihi gestiit animus videre, quā inter nos conueniret in eadem materia versantes. Sic opinor affici pictores quoties deprehendunt aliquem non vulgarem artificem in eodē laborasse argumento, in quo laborarunt ipsi. Iuuat enim hic colla-

tis tabulis animaduertere, vbi par fuerit artis facultas, vbi superior, vbi inferior. Verum hac collatione mihi quidem adeo nō placuit, vt si licuisset, meā tabulā prorsus abolitam voluissent. Rutubam diceres cum Apelle commissum. Quis enim illius eloquentiā plus quā auream assequatur, etiam si propositum exemplar conetur æmulari? Et tamen multū vigoris addere solet ingenij emulandi contentio, quo magis mihi visus sum formica cum camelo compositus, cum nullus adfuisse stimulus, qui meam oscitantiam expergefaceret. Sed hac de re tuum potius expecto iudicium, idq; quò certius facias, mitto simul & Græca, ne quis causari possit, me male vertendo hoc egisse, vt mea minus displicerent: Verum vtcunque huius æstimationis cadet alea, vicisse mihi videbor, si sensero quam plurimos hoc meo labore ad frquenter orandū, vel redditos alacriores. Nam tuæ quidem pietati sciebam huiusmodi stimulis nequaquam opus esse, qui pietati, quā alij vix multo diutinoq; studio possunt discere, natus esse videaris. Etenim iuuenis ex aula subito translatus ad monasterium, sic in hoc vitæ genere te gessisti, vt modestia, sobrietate, castimonia, religione superares & illos qui in schola religionis consenuerunt. Nusquam in tuis moribus vllum iuuentutis tuæ vestigium, nusquam aulicæ consuetudinis reliquias, nusquam generis quod à Philippo Burgundionum duce, cui Boni cognomen additū accipimus, clarissimum ducis, vllum supercilium. Nimirum hæc erat naturæ tuæ synceritas, quā nec aulæ consuetudo potuit corrumpere, cum sint tam multi, quos in mundo humiles ac frugaliter educatos, non dicam Abbatis dignitas, sed monachi cultus ac victus corrumpat. Quid autem eo contentu potest esse incundius, cum vestem vndique candidam niueus vitæ candor, vel æquat, vel superat: Pertractus es ad istud vitæ genus, quod intelligeres tibi nō fore licitū, vt prius esses monachus quā Abbas. Talibus ingenij tuto cōmittuntur episcopi munia, quibus nō alia functio sanctior inter mortales, qui nequaquam sibi dignitatem vindicant ex munere, sed incorruptis moribus ipsis dignitatem muneri suscepto conciliant. Bene vale.

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI ARCHIEPISCOPI Constantinopolitani de orando deum, Liber primus, Des. Erasmus Roterodamo interprete.



DVPlici nomine par est dei famulos & laudibus vehere, & suspicere. Primum quod spem salutis in sanctis precibus collocarunt: deinde quod laudes reliquosque cultus, quos deo cum gaudio simul & tremore cōsueuerunt offerre, intercidere passi nō sunt, sed literis prodita superesse voluerunt, quò suum thesaurum, in nos velut hæreditaria successione, transfunderent, quò videlicet omnem posteritatem ad sui prouocare possent æmulationem. Conuenit enim, vt & præceptorum mores ad eos dimanent, qui cum ipsis habent consuetudinem &

nem, & prophetarum discipuli, eorūdem iusticiam referre videatur. Id autem fiet, si per omne tempus, precationibus, ac dei cultui, studioq; pietatis dediti vivamus, hanc vitam, hanc sanitatē, hanc opulentiam, hanc bonorum omnium summā existimantes, vota nostra offerre deo, sincero puroq; corde. Etenim quemadmodum sol lucem præbet corpori, sic animæ lumē est precatio. Proinde si cæco damnosum est, nō intueri solem: quanto gravius damnus est homini Christiano, si nō assidue deprecetur, neque Christi lucem orando in animū suū inducat: iam vero quis non obstupescat & admiretur, tātā benignitatē ac benevolentiam, quā in nos homines declarat deus: qui mortalibus tantū honoris largiatur, vt dignos nos habuerit, qui cum ipso colloquamur, nostraq; vota apud ipsum deponamus. Nam verē profecto cum deo confabulamur, quoties vacamus deprecationi, per quam simul & angelis copulamur, & societatem quā cum brutis animatibus habebamus, procul effugere videmur. Angelorum enim opus est deprecatio, superans interm̄ etiam illorum dignitatem, si tamen maius est angelorū dignitate colloquium miscere cum deo. Atqui quod id sublimius sit, ipsi nos docēt, multo quidem cum tremore vota sua offerentes, ceterū nobis exemplum præbētes, vnde sciamus ac discamus, quod quisquis deum adit, multo cum gaudio, multoq; rursus cum tremore, id facere oporteat. Tremore quidem dum metuimus, ne videamur indigni, qui deum precibus alloquamur: rursus gaudio repleamur, reputātes honoris magnitudinem, quod deus mortalium genus, tāta ac tali sua cura dignatus sit, vt assidue diuino colloquio frui liceat: per quod etiam illud assequimur, vt & mortales temporarij esse desinamus, natura quidem mortales, sed colloquio conuictūq; quem agimus cum deo, ad immortalē vitam trāseuntes. Necesse est enim, vt qui cum deo familiaritatem habeat, superior euadat, & morte, & omnibus quæ corruptioni sunt obnoxia. Et quemadmodum nullo pacto fieri potest, vt qui solis radiis fruitur, nō effugiat tenebras: ita nulla ratione fieri potest, quin qui cum deo consuetudinem agit, desinat esse mortalis: siquidem ipsa dignitatis sublimitas, nos ad immortalitatem trāsfert. Etenim si qui cum Cæsare miscēt sermones, familiariterq; cum eo versantur, & hoc honoris ab illo sunt adepti, non possunt esse pauperes: multo minus fieri potest: vt qui deū deprecantur, cum eo familiariter colloquentes, animas habeant mortales. Nam mors animæ est impietas, ac vita pugnans cum lege diuina. Ex quo consequitur animæ vitam esse dei cultum, ac vitam eo cultu dignam. Porro vitam piā, ac dei cultu dignam, miris modis oratio conciliat, conciliatam auget, ac ceu thesaurum recōdit animis nostris. Etenim siue quis virginitatis amore tenetur, siue quis studet amplecti honorabilem coniugij castimoniam, siue quis meditat̄ iniicere frānum iracundie, & cum mansuetudine familiaritatē habere, siue quis cupit ab inuidentiæ lue purus esse: deniq; si quis aliud quippiā facere studet, quod ad rectē viuēdum pertinet, duce precatione, ac huius vitæ viam præparante, cōmodum simul & facile habiturus est pietatis cursum. Neq; enim fieri potest, non potest, inquam, fieri vt qui postulant à deo pudiciā, iusticiam, mansuetudinē ac benignitatē, non assequantur id quod petunt. Petite enim, inquit dominus, & dabitur vobis, querite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis. Quisquis enim petit, accipit: & qui querit, inuenit: & pulsanti aperietur. Et rursus alibi: Quis est, inquit, ex vobis à quo si filius petat

panem, det illi lapidem: aut si piscem postulet ille, porrigat ei serpentem? Quod si vos cum sitis mali, nobis bona munera dare filiis vestris: quanto magis pater vester cœlis, dabit spiritum sanctum his qui nunc ab ipso petunt: Talibus quidem dictis, ac tali spe prouocauit nos ad orandum vniuersorū dominus. Nos vero debet obtemperātes deo, semper omnem vitam in laudibus dei precibusq; transigere, maiore studio curam agentes diuini cultus, quā vitam nostrā. Sic enim contigerit, semper viuere vitam homine dignam. Quisquis enim non orat deum, nec diuino colloquio cupit assidue frui, is mortuus est, & vita carens, expertusq; sanæ mentis. Nam hoc ipsum euidentissimum est argumentum amentię, non intelligere magnitudinem huius honoris, nec amare deprecandi studium, nec hoc habere persuasum, quod animæ mors sit non prouolui ad dei genua. Quæ admodum enim cum corpore hoc nostrum, si non adit anima, profecto mortuum est ac fetidum: sic anima, nisi se ipsam incitet ad orādum, mortua est, ac misera, & grauius olens. Quin insuper quod oporteat quavis morte tristi existimare, si quis deprecatione priuetur, pulchre nos docet Daniel ille propheta magnus, qui maluerit emori, quā triduo duntaxat arceri ab orando. Nec enim hoc ab eo exigebat rex Persarū, vt impietatem admitteret: tantum illud obseruabat, si quis intra triduum quicquam petere deprehenderetur ab villo deorum aut hominum, præterquam ab ipso. Sed propheta ne tantulum quidem temporis sustinuit ab orando cessare: propterea quod nisi deus propensus sit in nos, nihil omnino bonorū in animas nostras venire possit: dei vero propensio simul adiuuat labores nostros hosq; pulchre subleuat, si conspexerit nos amare precandi studium, si continenter orare deum, si viderit expectantes, omnia bona nobis illinc defluxura. Itaque cum videro quempiā non amantem orandi studiū, nec huius rei feruida vehementiq; cura teneri: cōtinuo mihi palām est eum nihil egregiæ dotis in animo possidere. Rursus vbi quem conspexero, insatiabiliter adhærentem cultui diuino, idq; in summis damnis numerantem si non cōtinenter orauerit, cōiecto talem omnis virtutis firmum esse meditato, ac dei templum. Etenim si vestitus hominis, si pedum incessus, si risus dentiū declarat qualis sit, quæ admodum sapiens dixit Salomon. multo magis deprecatio cultusq; dei, signum est totius iusticiæ, cum sit ornatus spiritualis ac diuinus, multam pulchritudinē ac decorem concilians mentibus nostris, dum vniuscuiusq; vitam componit, nec sinit quicquam fordidū aut absurdum dominari nostro animo, dum persuadet reuereri deum, & honorē quem illi debemus præstare, dum docet vniuersam mali spiritus imposturā reicere turpes & absurdas cogitationes profligans: denique dum cuiusque mentem constabit in contemptu voluptatū: Nam hæc superbia sola decet eos qui Christū venerantur, videlicet, nulli seruire turpitudini, sed mentem seruare in libertate morumq; puritate. Arbitror itaq; cunctis esse manifestum, qd simpliciter impossibile sit, absque precationis præsidio cū virtute degere, cumq; hac huius vitæ cursum peragere. Etenim qui fiat vt quis virtutem exerceat, nisi continenter adeat, & supplex ad genua accidat ei qui virtutem omnem suppeditat ac largitur hominibus: Rursus qui fiat, vt aliquis concupiscat esse temperatus ac iustus, nisi lubens cum eo consuetudinem, & colloquiū habeat, qui cum hæc, tum his etiam plura exigit à nobis: Quin & illud paucis demonstrare volo, quod etiā si nos peccatis refertos precatio deprehenderit,

deprehenderit, celeriter purgatos reddit. Quid itaque maius aut diuinius obtingere possit, quā deprecatio, cum hanc animis ægrotatibus pharmacum quoddam esse liqueat: Itaque primi occurrunt Ninivitar, quos clarum est deprecationis præsidio plurimorum scelerum, quibus diuinam iram in se prouocant, remissionē accepisse. Simul enim atq; illos cepit deprecādi studium, illico iustos reddidit, ac ciuitatem quæ iam assueuerat lasciuia, malicia, breuiter vitam exlegem & impiā viuere, statim correxit: nimirum potētiore diutina peccandi consuetudine, cum ciuitatem illorum cœlestibus legibus impleset, pariter secum trahebat temperantiam, humanitatē, mansuetudinem, curamq; pauperum. Nec enim sustinet deprecatio absque his virtutibus versari inter pauperes: sed in quoruncunq; pectore sibi domiciliū delegerit, eos reddit plenos omnis iusticiæ, erudiens & exercens ad virtutem, ac maliciam omnē propellens: & sanē si quis tum ingressus fuisset ciuitatē Ninivitarum, qui prius eandem probe nouisset, nequaquā agnouisset eam: adeo repente à turpissima vita ad pietatem resiliat. Quemadmodum enim si quis mulierē mendicam, sordidis pannis vestiri solitam, post aureis vestibus ornata videret, nequaquam agnitus sit mulierulam: ita si quis eam ciuitatem prius nouisset mendicam, hoc est vacuā omnibus thesauris spiritualibus, nimirum ignorasset quānā esset illa ciuitas, in qua trāsmutanda tantū valuisset deprecatio, vt & mores & vitam ad virtutem reduceret. Iam vero & mulier quædā, quæ totum vitæ tempus in lasciuia & impudicia pegerat, simul atq; se proiecit ad pedes Christi, salutem assequuta est. Proinde deprecatio non solū purgat à peccatis, verum etiam ingentia pericula depellit: Siquidē ille rex simul & Propheta mirabilis Dauid, multos ac sanos inimicos effugit precationis ope, nō aliis armis exercitum muniens, atq; ita tradidit suis militibus potiri victoria, quietis interim ac securis. Quemadmodū alij quidam reges incolumitatis suæ spem ponere confueverunt in militum peritia, & arte belli gerēdi, in sagittariis, in cataphractis, in equitibus: ita magnus ille Dauid, sanctis precibus mœnium vice suum cinxit exercitum, nequaquam respiciens imperatorū, ttibunorum, ac centurionum ferociam, neq; pecunias colligens, nec arma comparans, sed orando diuinam armaturā è cœlo deportās. Nam vere cœlestis est armatura deprecatio, quæ deo funditur, solaq; firmam custodiam præbet his qui sese deo tradiderūt. Siquidem cataphractorū & robur & peritiam, tum sagittariorū experientiam, atq; in prodēdo hoste calliditatem, sæpenumero ludit ac frustratur vel ipsa belli facies, vel hostiū fiducia, cumq; his alia permulta: ceterum deprecatio armatura est inexpugnabilis, ac tutissimum, nec vnquam fallens munimētum, pari facilitate vel vnum repellens militem, vel innumera hostium milia. Quandoquidem admirādus ille Dauid, de quo modo diximus, Goliath illum immanē, cum veluti dēmon quispiam formidandus irrueret, nō armis, neq; gladiis, sed precibus deiecit: vsque adeo regibus quidem aduersus hostes in præliis valida arma sunt deprecatio. Quin eadē & nobis æque valida sunt arma, aduersus dæmones. Sic & Ezechias rex superior euasit in bello, quod illatum est à Persis, non cum armaret exercitum, sed preces tantum opponeret hostium multitudini: itidem & mortē effugit, vbi cum qua decuit religione se deo prosterneret, solaq; deprecatio regi dedit, vt reuiuisceret. Iam vero quod animam peccatis obnoxia deprecatio facile puram reddit, docet nos

A publicanus ille, qui petiit à deo remissionem peccatorum, & impetrauit. Docet & leprosus, qui simul vt procidit ad pedes dei, mundatus est: Quod si deus corpus morbo corruptum celeriter sanauit: multo magis animam, quæ morbo tenetur, humaniter sanabit. Etenim quanto preciosior est anima corpore, tanto magis cōsentaneum est, hanc deo maiori curæ futuram. Quamquam innumera recenseri possint exempla tum vetera, tum noua, si quis velit omnes enumerare, qui deprecationis beneficio seruati sunt. Verum aliquis forsitan eorum numero, qui fœcordiæ segniciaq; dediti nolunt attente ac diligēter orare, persuasurus sit, in hoc deum illa verba dixisse: Nō omnis qui dicit mihi, domine domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem patris mei qui est in cœlis. Atqui ego si crederem solam precationem ad salutem nostram sufficere, non iniuria sermonem hunc nobis obiiceret aliquis. Nunc cum profitear deprecationem caput esse bonorum omnium, basim ac radicē vitæ frugiferæ, nō est quod quicquam illis verbis abutatur ad excusationem suæ fœcordiæ. Neq; enim sola temperata potest homini salutem adferre, si cætera desint bona, neq; cura pauperum, neq; benignitas, neque quicquam aliorum quæ cum virtutē geruntur, sed oportet vt omnia simul cōcurrant in animas nostras. Cæterum precatio, ceu radix & basis, omnibus ceteris subfermitur. Neque secus ac nauem & domum, ea quæ substrata sunt, valida reddūt, ac ne soluantur, continent: ita nostram vitam orandi studiū & continet, & vbique firmam reddit, adeo vt absq; hoc nihil nobis boni possit cōtingere, neq; quod ad salutem conducatur. His de causis Paulus tanto studio non cessat huc adhortari nos, dicens: Deprecationi instate, vigilantes in ea cum gratiarum actione. Atque alibi iubet, vt citra intermissione oremus, in omnibus gratias agentes: hæc est enim, inquit, voluntas dei. Ac rursus alio in loco: Orate omni tempore, in spiritu in hoc ipsum vigilātēs cum omni instātia & obseruatione. Adeo multis ac diuinis vocibus ad orandum nos assidue prouocat ille apostolorum princeps. Decet igitur nos ab illo doctos, cum precatione vitæ cursum peragere, atq; hac mentē assidue rigare: Siquidem hoc omnes homines non minus opus habemus, quā arbores aquarū humore. Neque enim valent illa fructus producere, nisi bibant humore radicibus: neq; nos preciosis pietatis fructibus poterimus esse grauidi, nisi precibus irrigemur. Quapropter oportet, & stratis relictis, diuino cultū præuenire solis exortum, & cum ad mensam accedimus, & cum nos ad nocturnam quietem recipimus: Quin potius oportet, singulis horis vnam precationem offerre deo, vt orandi cursus diei cursum æquet. Ceterū hyberno tempore decet etiam noctis maximā partem precibus impendere, ac flexis genibus, multo cum tremore instare deprecationi, hoc ipso nos beatos existimantes, quod dei cultui vacamus. Dic mihi quæfrōte solem intueberis, nisi prius adoraueris qui lumen illud dulcissimum oculis tuis mittit? Quo pacto fruēris mensa, nisi prius adoraueris eum qui tibi tātum bonorū largitur ac suppeditat? Qua spe trades teipsum nocturno tepori, quilibet cū in omniis putas tibi rem fore, nisi teipsum præmunieris orando, sed incustoditus ad somnū accesseris? Nimirū cōtemptibilem captūq; facile teipsum præbebis sceleratissimis spiritibus, qui cōtinenter obambulant, obseruātes nos, vt si quem deprehenderit nudatum deprecationis præsidio, protinus abripiant. Si nos conspexerint deprecatione cōmunitos, illico resiliunt, non

non aliter quam prædones ac facinorosi, ubi conspiciunt militis gladium in caput suum vibrari. Quod si cõtingat aliquem esse nudum precatiõis præsidio, hic auullus deportatur à dæmonibus, & in calamitates variaq; mala impellitur. Oportet igitur vt hæc omnia mementes, precibus & hymnis semper nos ipsos circumuallemus, vt deus omnium misertus dignos efficiat regno cœlorum per vnicum filium suum, cui gloria, &c.

DE PRECATIONE LIBER SECVNDVS.



QUOD omnis boni caput sit deprecatio, quodq; salutis ac vitæ æternæ conciliatrix, nullus est omnium qui ignoret. Attamen operæ precium est, vt adhuc pro viribus de hoc negotio differamus, quo qui iam assueverunt in precibus vitam agere, ac diligenter cultui diuino animum aduertere, oratio nostra reddat magis attentos. Rursum qui hæctenus incogitantius vixerunt, atque animi neglexerunt, precatiõis præsidio destitutum, simul & antea facti temporis iacturam cognoscant, nec in reliquã vitæ tempus se ipsos pergãt priuare salute. Protinus igitur illud occurrit omnium maximũ quod de precatiõne dicere possumus, quod quisquis orat, cum deo colloquitur. Quanta enim dignitatis sit hominem cum deo miscere sermonem, neminẽ latet: cæterum eam dignitatem oratione consequi, nemo prorsus valeat: quãdoquidem hic honores etiam angelorum superat maiestatem: quod ipsi probe intelligentes, apud prophetas describuntur omnes multo cum tremore, laudes & cultũ domino offerentes, facies quidem ac pedes ob ingentem reuerentiam tegentes, volatu vero dum non valent in quiete manere, magnum tremorem declarantes: nimirum & nos illud interim docentes, vt tantisper dum oramus, humanæ naturæ obliuiscamur, sed occupati mentis alacritate simul & tremore, nihil respiciamus rerum præsentium, sed existimemus nos in angelorũ medio consistere, idẽque sacrificium cum illis peragere. Nam in reliquis multum discriminis est inter cõditionem illorum & nostram: siue naturam expendas, siue viuendi genus, siue sapiẽtiam, siue intelligentiã, siue quicquid aliquis recensere possit. Cæterum orare commune est opus angelorum pariter & hominum, neq; quicquam interest inter nostram naturam & illorum, duntaxat quod attinet ad deprecationẽ. Hæc te separat ab mutis animantibus, hæc te sociat angelis: Quin facile fiet, vt quis in illorum ciuitatem transferatur, in illorũ vitam & consortium, ad illorum honorem, nobilitatẽ, sapiẽtiam, & intelligentiam, qui per omnẽ vitam precibus ac diuino cultui vacare studuerit. Quid enim possit inueniri sanctius his, qui cum deo commercium habent, quid porro iustius, quid ornatius, quid sapientius? Etenim si qui cum sapientibus viris colloqui solẽt propter assiduam consuetudinem, breui, sic transmutantur, vt illorum prudentiam referant: quid dicere conuenit, de his qui cum deo colloquia miscent, ei sua vota deferentes: Quanta sapiẽtia, quanta virtute, quanta prudentia, quanta bonitate, quanta sobrietate, quanta morum æquitate replet illos precatio & obsecratio: Proinde nequaquam aberrarit à vero, si quis affirmet deprecationem esse causam omnium virtutis & iusticiæ, neque quicquam eorum quæ conferunt ad pietatẽ venire posse in animum, cui non adsit deprecatio & obsecratio. Sed quemadmodum ciuitas quæ muris circumta non est, facile venit in potestatem hostium, propterea quod

prorsus absit id quo fuerat hostium incurfus arcendus: sic & animam non munitam precibus, diabolus facile in suam redigit ditionem, nec multo negotio omni genere scelerum implet. Nam primum quidem ad animã precibus cõmunitam non audet propius accedere, metuens robur ac fortitudinem, quam illi deprecatio subministrat, magis vegetas animum, quam cibus vegetat corpora. Ad hæc, quia precantur serio, non sustinet quicquam admittere indignũ precatiõne, sed reuerentes deũ, qui cum modo colloqui fuerant, cito repellunt omnem mali spiritus molitionem, apud se reputantes quantum scelus sit eum, qui paulo ante sermonem cum deo miscuerit, quiq; ab eo pudiciam ac sanctimoniam petierit, extemplo ad diabolũ deficere, fœdasq; voluptates in animũ admittere, ac diabolo præbere aditũ in illud pectus, quod paulo ante deus inuiferit, ac dæmonius cõcedere irruptionem in animas, in quas spiritus sancti gratia plurimam exercuit benignitatem ac sollicitudinem. Veruntamen illud ausculta: supra vires hominis est, serere cum deo colloquium, nisi adsit vis & actus sancti spiritus: sed oportet illo præsentẽ, sanctisq; conatibus auxiliante, ita demum ingredi, ac flectere genua, postremo orare ac deprecari. Postquam enim maius est hominis viribus sermonẽ miscere cum deo, opus est vt gratia spiritus veniens in nos, confirmet, addatq; fiduciam, ac doceat nos honoris magnitudinẽ. Igitur ubi iam cognoueris, quod & cum deo loqueris ac spiritus in te operantis vim senseris, oraturus & cũ deo collocuturus, nullum diabolo præbebis aditum in animã per spiritum sanctificatam. Etenim quemadmodũ qui cum rege colloqui sunt, & ob hoc sermones placidos honoremq; sunt consequuti, non dignantur in contubernium venire mendicorum & abiectorum hominũ: ita qui cum deo confabulatus est, eiq; sua vota protulit, nequaquã dignabitur mali & impij spiritus familiaritatem admittere. Nam vere profecto quisquis voluptatibus seruit, cum dæmonibus habet familiaritatem, atque eorum insaniã imitatus est. Sicut è diuerso, qui temperans est, ac iusticiam exercet, cum angelis habet cõmercium, & illorum amulatur dignitatem. Iam vero si quis dicat animę neruos esse deprecationẽ, mea quidem sententia, videbitur verum dicere: nimirum quemadmodum corpus neruis cohæret, currit, viuunt, stat, & compactum est, adeo, vt si neruos incideris, vniuersam corporis harmoniam dissolueris: itidem animæ per sanctas preces sibi constant, & compinguntur, ac pietatis cursum facile peragunt. Quod si te ipsum destitueris precatiõne, perinde feceris, ac si piscẽ ex aquis extraxeris. Vt enim pisci vita est aqua, ita tibi deprecatio: per hanc datur velut ex aquis subuolare, cœlumq; transcendere, ac proximum fieri. Itaque quæ hæctenus dicta sunt, sufficient ad declarandũ quanta sit vis sanctæ deprecationis. Sed fortasse præstiterit, vt ad diuinas scripturas veniam, vt ex ipsius Christi verbis discamus opes, quas deprecatio comparat his, qui studet per omnem vitam in ea versari. Dicebat autem, inquit, eis etiam parabolã huc spectantẽ, quod oporteat semper orare. Iudex quidam erat in ciuitate quadam, qui neq; deum metuebat, neque hominem reuebatur: vidua autẽ erat in ciuitate illa, & venit ad illum, dicens: Vindica me de aduersario meo, & nolebat aliquandiu: postea vero dixit apud sese, Tametsi deum nõ metuo, nec hominem reueor, tamen quia mihi molesta est vidua, vindicabo eam, ne tandem veniens sugillet me. Dixit autem dominus: Audite quid dicit iudex iniustus: Deus vero an non faciet vindictam.

vindictam electorũ suorum clamantium ad ipsum nocte ac die, & patientiam habebit super illis: Dico vobis quod faciet vindictam illorum cito. Discamus fratres sapiẽtiam in sermone spiritus reconditam, perscrutantes pro virili nostra, non quanta est, sed quãtum nobis datur assequi. Itaque qui vitam agunt in mari, in ipsum profundum sese demittunt, ac preciosos lapillos his qui versantur in terra deferunt. Nos vero diuinarum scripturarum mare scrutantes, in ipsum spiritualis sapiẽtiæ profundum, quãtum quidem in nobis est, decurramus, & vobis adferamus thesaurum bonum melius ornantẽ animas, quãm ornãt regum capita è gemmis contexta coronã. Nam harum quidẽ pulchritudo, simul cum ipsa vita marcescit. Cæterũ qui doctrina spiritus coronat animam, cum hic interim cum omni mentis securitate vitæ tempus exigit, tum post huius vitæ finem, cum fiducia accedit ad tribunal Christi, plenus virtute, & ab omni vicio purus. Quem igitur thesaurũ è profundo scripturarum adducimus? Non ipsum profundum attingentes sapiẽtiæ, sed eo vsq; descendentes, quousq; concedit Christus, qui homines inuitans ad orandum, & utilitatem hinc proficiscentem commendare volens animis nostris: iudicem quendam inducit improbum ac fœuum, qui pudorem omnem ex oculis abiecerat, quiq; dei timorem ex anima propulerat. Atqui fatis erat iusti elementisq; iudicis personam proposuisse, vt huius iusticia collata cum dei bonitate, demonstraret quãtum valeat deprecatio. Etenim si benignus ac mäsuetus homo placide recipit, qui supplices accedunt: quanto magis idem facturus est deus, cuius tanta est erga mortaliũ genus benignitas, vt non solum nostram excedat intelligentiam, verumetiam maior sit quãm vt huius magnitudinem, angeli ipsius possint animo complecti: itaque satis erat, vt dixi, iusti iudicis personam inducere. Nunc autem iudicem proposuit immitẽ, impium & inhumanum: in cæteris quidem implacabilem, ad preces vero benignum ac mansuetum, videlicet vt intelligas, quod omnis precatio ingenium etiam malum, facile ad misericordiam & clementiam pertrahit. Quã igitur ob causam hoc fecit Christus? Ne quis omnium ignoraret, quantum vim habeat deprecatio, atque idcirco postquam iudici omnium immanissimo adhibuisset viduam, eumq; præter naturam ostendisset factum ex improbo humanum, ad patrem suum parabolã trãsfert, ad illum, inquam, bonum, mansuetum, mitem, humanũ, misericordia sua vincentẽ peccata mortalium, condonantem errata plurima, tolerantem quotidie in se dista conuicia, dissimulantem honorem haberi dæmonius, se cõtumeliis affici, filium suum innumeris incessi conuiciis, aliq; ferentem atrociam, dicenda pariter ac silenda: & tamen sic conuiciis affectus adeo mäsue te tolerat. Quod si viderit, eo quo decet tremore accedentes sibi, an nõ protinus miserebitur? Audite, inquit, quid iudex iniustus dicat: Tametsi deum non timeo, nec hominem reueor, attamen quoniam mihi negoeium facessit, vindicabo illam. Quid ais? Quod non potuit metus, hoc potuit deprecatio: Ac minã quidem & ultionis expectatio, non commouerunt hominem ad iusticiam: cæterũ ubi prodiit vidua supplex, iudicem ex feroci mäsuetum reddidit. Quid igitur coniectandũ est de benigno deo, si iudicem crudelem, adeo mansuetum reddidit vidua supplicans? Quanta bonitatem, quanta humanitatẽ erga nos exhibebit deus, qui non modo semper cupit misereri, punire nunquam, verumetiam ob insignem erga genus hominũ charitatem, & supplicia cõminatur no-

bis, & ingetia preparauit præmia, vt & metus suppliciorum arceret à viciis, & præmij spes extimularet ad virtutem. Non possum ab iniquo iudice cogitationẽ auertere, contemplans in illius præter naturam mäsuetudine, ineffabilem dei bonitatem. Etenim si is qui nõquam cogitarat quicquã humanitatis cuiquam præstare, subito mutatus, misertus est viduæ rogantis: quanta erga nos dei sollicitudinẽ è cœlo deportabit deprecatio? Ad hæc quantum valeat ac possit sancta precatio, vel hinc cognoscas licebit, si consideres, quantum bonorũ singulis diebus, ac singulis horis accipiant hi, qui iugiter deo supplicãt. Quẽ enim fugit, quod solis lunæ stellarumq; lumen, quod cœli temperiem, ac variam alimentorum copiam, quod opes, quod vitam, denique quod alia innumera bona cuncta exequo mortalibus largiatur deus, iustis pariter atq; impiis, videlicet ob immensam suam humanitatem qua afficitur erga nos. Porro si nec rogantes nec postulantes, tanta quotidie misericordia profertur, ac refocillat, quantis bonis probabile est fruituros eos, qui omnem vitam precibus & obsecrationibus vacarunt? Age iam & illud exponamus vobis, quãm multis sanctis datum sit, deprecationis præsidio seruare, nõ solum gentes ac ciuitates, verumetiam orbem vniuersum. In mentione vero deprecationis primus occurrit Paulus, dignus cuius mentio fiat: Paulus, inquam, ille insatiabilis dei cultor, & communis pater ac progenitor seruorum Christi. Ille igitur custos orbis terrarum, per deprecationem ac assiduam obsecrationẽ, omnes gentes saluas fecit, semper illud dicens nobis: Huius rei gratia flecto genua mea ad patrem domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis cognatio in cœlo & in terra nominatur, vt det vobis iuxta abundantiam gratiæ suæ virtute corroborari per spiritũ ipsius, vt in homine interno, inhabitet Christus per fidem in cordibus vestris. Vides quantum vim habeat precatio & obsecratio? Ex hominibus facit templa Christi. Et quemadmodum aurum, lapides preciosi ac marmora constituunt domos regum: sic deprecatio templa Christi, vt inhabitet, inquit, Christus in cordibus vestris. Quid sublimius ad laudem deprecationis adferri possit, quã quod templa facit dei: quem cœli non capiunt, is in animam ingreditur, viuẽtem in precibus: Cœlum, inquit, mihi sedes est, terra vero scabellum pedum meorum. Quam domum ædificabitis mihi, dicit dominus, aut quis erit locus requiei meæ? Quam domum Paulus ædificat sanctis obsecrationibus? Flecto, inquit, genua mea, ad patrem domini nostri Iesu Christi, vt inhabitet Christus per fidẽ in cordibus vestris. Quin & illinc intelligi poterit, quanta sit vis sanctarum precum, quod Paulus per totum orbem terrarum velut alatus discurrens, in carceribus habitans, flagella sustinens, gestans catenam, viuẽs in sanguine ac periculis, insuper & dæmones euiciens, ac mortuos excitans, morbos abigens, in harũ rerũ nulla fiduciã posuit seruãdi homines, sed precibus cõmunit orbem: postque miracula, post excitatos mortuos, ad deprecationis præsidium accurrit, non aliter quãm athleta à corona ad palæstram: quandoquidem & mortuorum excitationem, reliquaque omnia suppeditat deprecatio. Quam enim vim habent in arboribus aquæ, hanc in vita sanctorum habet deprecatio. Paulus ac medio noctis rigans animam, omnia facile perpeffus est quamlibet acerba, non aliter præbens terga verberibus, quã si fuisset statua. Sic in Macedonia carcerem concussit: sic, ceu leo quispia, precatiõne dirupit vincula: sic carceris custodem eripuit ab errore, sic dæmoniorũ tyrannidem

Eph. 3.

Esai. 66.

Luca. 18.

nidem disculsi. Quin & alia nouimus, quæ scribit ad vniuersos homines: Deprecationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione, orantes simul & pro me, ut detur mihi sermo in apertione oris mei, ad libere proloquendum mysterium euangelij. Quid ais: Tantam nobis fiduciam deprecatio præbet, ut pro Paulo non vereamur orare? Quis miles auit pro magno duce interpellare Cæsarem? Quanquam sanè nullus dux tam charus est Cæsari, quam Paulus deo: attamen ad tantam dignitatem nos prouehit deprecatio, ut ausimus pro Paulo supplicare deo. Sic & Petrus ille magnus, ille cælo splè didior, carcerem effugit, maxime quidem ob propriam virtutem, & communem hominum salutem, sed tamè interim ecclesiæ deprecatio ocellulas carceris fores velociter aperuit. Nec enim temere addidit Lucas: Deprecatio autem fiebat assidua totius ecclesiæ pro Petro: verum ut nos disceremus, quãtam vim in cælis obtineat deprecatio, videlicet ut Paulum ac Petrũ à periculis liberaret, columnas ecclesiæ, principes Apostolorum, claros in cælo, murũ orbis terrarum, cõmune præsidium totius terræ ac maris. Dic mihi, quo modo Moses Israëliticum populum in bellis seruauit? An non arma quidem cum exercitu discipulo tradidit, ipse vero deprecationem opposuit hostium multitudinẽ? Nos interim docens preces iustorũ plus valere, quàm arma, quàm equitatum, quàm pecunias, quàm multas copias, eoque vniuersus exercitus, & innumera militũ multitudo, in deprecatione prophetæ spem salutis habebat. Siquidem orante Mose, superabant Iudæi, eodem ab orando cessante, inferiores erant hostibus, Itidem & nos orantes facile diabolũ superabimus, cessantes vero scelestum illum in nos instruimus. Iam & populum ad impietatem prolapsũ, orando seruauit Moses, orando meruit dei conspectu frui, aliãque innumera bona consecutus est non alia re quàm orando. Nam deprecatio & hoc illi præstitit, ut vitam ageret ad similem iis qui cælum inhabitant. Deprecatio incendij vim exercuit, leones mites reddidit, hoc quidem in Daniele, illud vero in tribus pueris, per quos nimirum declaratũ est omnibus, quod quoscunque deprehenderit in periculo constitutos, facile exurgentibus malis eripiat deprecatio, salutis causa immortalitatis animæ conciliatrix, ecclesiæ murus, qui rumpi non possit, munimentum inconcussũ, dæmonibus quidem formidabile, piis vero, nimirum nobis salutiferum. Hęc eadem sanctum Prophetam Samuëlem produxit. Etenim cum natura matri esset aduersa ad gignendum, exorta deprecatio mox correxit naturæ imbecillitatem. Talis est deprecationis fructus, talem edidit deprecatio prophetam. Quapropter in cælis illustre nomen consequutus est Samuël, supra quàm fert humana conditio, quum homo sit potius angelorum admirator. Nimirum talem decebat ostendi, deprecationis culmen & spicam, qui reliquos anteciret bonitate, virtutibus ac moribus, tantõque interuallo omnes retro sanctos antecellere videretur, quantum in segetibus felices eminent spicæ. Deprecationis auxilio Dauid tot ac tales hostes propulsauit, non arma mouens, non hastam vibrans, non gladium educens, sed deprecatione septus. Huius præsidio Persarũ copias Ezechias celeriter vertit in fugam, atque hostes quidem machinas admouebant mœnibus, sed ille muros deprecationis vallo sepit: simulque per deprecationem sine armis solum est bellum, cum tuba quidem non clangeret, exercitus conquiesceret, arma non mouerentur, nec terra sanguine rubesceret, cæterum deprecatio sufficiebat ad

terrorem hostibus incutieridum. Quin & Niniuitis ea salutis fuit, quæ cito depulit iram cœlitus imminentem, citòque vitam corruptã emendauit. Tantam vim, tantum robur habet deprecatio, ut cum Niniuitã vitam omnem turpiter ac scelerose peregrissent, tamen simulatque in ciuitatem ingressa est deprecatio, illico vertit in diuersum omnia, ac temperatiam, iusticiam, amicitiam, concordiam, egenorum curam, denique vniuersa bona secum induxit. Etenim quemadmodum vbi regina quæpiam ingreditur ciuitatem, necesse est, ut omnis opulentia pariter consequatur: sic videlicet, postquam deprecatio venit in animam, omnes virtutes simul ingrediuntur. Nam quod in domo est fundamentum, hoc in anima est deprecatio: hæc vbi primum ceu basim ac radicem in anima fixerimus, tum oportet diligenter superstruere, pudicitiam, mansuetudinem, iusticiam, pauperum curam, breuiter omnes Christi leges per quem & cum quo, patri cum sancto spiritu, gloria & imperium in secula seculorum. Amen.

Deum laudemus fide formata exemplo sanctorum: dignus est enim omni laude. Sermo.

ITEM VR & ipsi Patriarcham illum: nec secus atque ipse solebat, deum laudibus profsequamur. Quid enim ille deo gloriam dedit, nisi cum diuinam iusticiam, infinitamque potentiam commemorasset? essetque de deo pleraque decentius meditatus, de promissione fieri certior promeruit: idcirco & nos eundem tum fide, tum re & opere laudemus, ut gloria tandem donati, id laudis huiuscæ præmiũ vendicem: inquit enim, Qui me fuerint venerati, & ipse honorabo. Quod si nulla esset alia nobis pro ea re proposita merces, illud tamen vel maxime nobis ad gloriam valeret, si diuinis in laudibus versari non indigni haberemur. Siquidem & qui principum laudes eloquuntur, vel hoc vno si nil reliqui esset mercedis, quod principem magnificiunt, satis videntur ornamentis affecti. Cogita itaque quàm sit gloriosum, quàmve magnificum dominũ nostrum per nos venerari: uti & cõtrã quàm detrimetofum illud & supplicij plenum, cum reliquis in eum conuiciãdi occasione damus. Exigit enim, etsi minus hoc munere egeat, hæc ille à nobis laudem. Quantum ipse existimas, deum inter hominẽs distare: certè dixeris, quantum inter vermiculos & homines ipsos. Verum id dictu adhuc nihil est satis, si dixerim illos hoc pacto differre, quando nequeat quantum inter se distent explicari. Num optaueris gloriam tibi apud vermes, etsi magnam aut præclarã pareres? Si ergo tu qui gloria es cupidior, velle te tale aliquid negaueris: quonã pacto qui huiuscemodi cupiditatis vicio caret, & adeo reliquis præstantior est, his tuis laudibus indigebit: quarum etsi minus est indigens, laudari tamen à te cupit: nam si tua gratia seruitutem tolerauit, quid mirum si pleraque alia eadẽ ratione patitur? nihil enim indignũ se putat, quod nobis cõferat ad salutem. Quocirca cum ita se habere hæc sanè intelligamus, peccatũ omne quo deus maledictis incessitur euitemus: inquit enim, delicta nobis non secus ac serpentis aspectus defugienda. Quippe appropinquantem te morsu petent, quando nõ illa se nobis offerunt, quin ea nos vltro adimus: quod deus ita fore cõstituit, ne violentia diabolus superaret, si nemo illius conatibus obfisteret: eoque illum quemadmodum prædonem quempiã eiecit, qui neminem aggredi audeat, nisi quem suis in latebris nudum deprehenderit, & solum: neque inuadere audebit, nisi eundem videris

dem viderit eremum peragrantem. Eremo namque & solitudine dæmones inuersantur, quarũ interpretatio nihil aliud exprimit, quàm malum facinus & peccatum. Opus itaque nobis cum fidei stabilimento & cardine, tum salutis caside, & spiritus gladio, ut non solũ mors non male per nos sit obeunda, sed quouis modo insultanti illi defecanda est ceruix. Opus itaque per tota prece, ut nostris possit pedibus cõculcari: impudens namque est & scelestus, tametsi de loco inferiori inferat bellum, victor tamẽ plerumque euadit, cum eius ictus paruifacimus superare & plagas: neque enim illi licet magnum in modum efferrì, quin humi serpit, cuius figurã vel anguis præfert: qui dæmon & si ab initio ea sit conditione creatus, longe magis nos hoc tẽpore oppugnabit. Quod si ignoras quid sit de loco inferiori pugnare, enitar id bellandi genus interpretari. Bellum itaque de loco inferiori gerere, à rebus infimis est aliquem impugnare, uti à voluptatibus, diuitiis, & presentibus his vitæ bonis: verum si quem viderit subuolantẽ ad cælum, & superiora tenentem, primum neque hunc subsequi sursum versus saliendo poterit: deinde si id facere fuerit enisus, celerime casurus est: caret enim pedibus, caret alis, humi reptat, terrenis in rebus versatur, in quibus si nihil erit tibi cum eo commune, eris sanè labore vacuus: nec enim nouit ille in aperto, vel in faciẽ pugnare, nec secus atque anguis latitans, diuitiarum se illecebris occultit. Itaque defectis dumetis timore percussus dilabatur, ferieturque statim, si diuinis fueris illi carminibus imprecatus. Christi enim Iesu domini nostri, & crucis virtus nostra sunt carmina, quæ non solum draconem hunc suis è latebris educunt, in ignemque impingunt: verum vel si quæ nobis inhæserint vlcera, sanabunt: quæ si quis hoc pacto fuisse ad sanitatem redacta negauerit, existimet illud ob exiguum incantatis fidem, non explorati carminis impotentia euenisse. Siquidem qui Iesum vrgebãt, nihil sunt vtilitatis assecuti: at quæ sanguinis fluxum patiebatur, Christi corpore nec prætentato, cũ vestis duntaxat simbriam attigisset, sanguinis diutinos fontes cõtinuit. Hoc Iesu nomen tum inferis, tum morbis & vicis terrori est: ex eo itaque ornatum nobis, viresque vendicemus. Sic enim & Paulus magnus euasit, qui etsi fuerat nobis natura proximus, fide tamen accepta longe fuit à pristina consuetudine immutatus: nam adeo ille gratia excellebat, ut vel eius amiculum vim nõ mediocre habere videretur. Qua igitur erimus nos excusatione digni, quorum precibus nec vicia reprimuntur, cum talium virorum vel vmbra & vestis mortẽ repellant? Quid igitur in his causæ esse videtur, nisi permagna quædam animorum diuersitas: nam quæ ad naturam pertinent nobis cum Paulo & paria sunt, & communia, cuius ortus & educatio nostro haud absimilis: siquidem terram ille incoluit, & aërem eundem spirauit: in reliquis vero seruore, id est fide & charitate præstantior nobis fuit. Hunc itaque imitemur, reddamusque nos Christi colloquio non indignos, cuius rei longe est ille cupientissimus: siquidem sermonis huius habendi gratia organum in hoc corpore fabricauit: quod quidẽ vt torpẽs in exercitatumque maneat haud cupit, quod habeat re semper inter manus desiderat. Cur itaque non illud promptum reddis, paratumque: ut capi per opificem ipsum, tractarique possit: verum per lasciuiam adeo organi huiuscæ chordulas & laxas & lentiores facis, ut citharã planè omnem inutilem pares, cum eius esset potius & ionus obfirmãdus, & sale spirituali moderandus: quam Christus citharam si concinam hoc modo, compara-

tamque conspexerit, per animam hanc nostram edet vocem. Deinde angelos, archangelos conspiciamus, & cherubinos præ gaudio desilire. Precandum ergo erit, ut manibus illis immaculatis esse tractabiles possimus, & Christus ipse cor nostrũ oppulset. Atqui neque prece est opus, si illud ipse ei tactu dignum effecerit: sequetur namque ipse, & prior inuadet: solet namque futura acceleratius prouenire: siquidem nec Paulo cum nondum eõ esset magnitudinis prouectus, haud prius laudes cõtextuit, quàm eundem magnũ in modum profecisse conspexit: postea vero nihil reliqui fecit quod eius ad laudẽ pertineret. Quod si Christus nobis insonuerit, & spiritus sanctus præsto fuerit, erimus utique cælo potiores, neque solem ipsum, aut lunam effigiatos: quin horum, hominum & angelorum principem obambulantẽ nobis habebimus, & cohabitatem. Hęc autem dixerim nõ ea propter ut mortuos suscitem, aut lepra affectos red damus mũdos: sed quod horum omnium maius est, & præstantius, charitatem præferamus. vbi enim id boni inerit, ibidem mox cum patre vnã & Iesu aderit, & sancti spiritus gratia subsequetur. Vbi enim duo vel tres fuerint in meo nomine congregati, ibi & ipse adsum. inter eos medius: quæ verba & vehementioris præferunt animi affectum, & amoris nõ mediocre indicium, cum eos quos amat, habere se circa concupiscit. Dicit quispiam quis erit adeo calamitosus & miser, qui velle se deum neget habere medium? Hi profecto quos inter seditio est. Irridebit me fortè aliquis dicetque, Quid ais: nõne sub eisdem nos mœnibus conspicias, sub vno eodem templo, eodem in grege concordati animo permanere? nostrum neminem vides disidentem, sub eodem pastore vocem vnã edimus, simulque dicta hæc tua audimus, simul etiam deum comprecamur: quid ergo discordias nũc & seditiones commemoras? Ipse vero & si dissidia narro, haudquaquã videor propterea insanire, vel à meipso alienus: quod enim cerno, non me fugit, nec clam me habet vos sub eodem esse nunc templo, sub eodemque pastore: sed eo magis queror, tot rebus vos ad concordiam prouocantibus, discordes tamen & seditiones esse. Dicit aliquis, quam hic seditionem spectasti? hic equidem nullam: at hoc soluto conuentu, cum erit abeundi facultas facta, tum is illum criminatur, alius in faciẽ conuiciatur, inuidia flagrat: rapit alius, aut vim infert: alius turpi amore irritatur, & dolos nequit: quæ omnia rectius conspicerentur, si regegi animus ipse posset, esset sanè hoc pacto apud vos compertum me compotem mentis esse, nõ insanum. Nõne præterea milites conspiciamini per pacẽ & ocium, armis depositis, & imparatos hostium castra adire, in eisque tuto versari? Verum cum armis iidem muniuntur, & custodiis dispositis noctes insomnes ducunt ardentque ignes continenter: bellum, non pacem, præ se ferunt. Possunt sanè in nobis hæc recognosci, siquidem ab inuicẽ nobis cauemus, nec deest suspicio aut timor, cum quisque proximi auribus verba insulurrat, obticeturque statim si quis propius accedat, & de medio tollitur ceptus sermo: quod certè non fidentium est, sed planè cauentium. Dicit aliquis, non alios fallendi gratia id agitur, sed ne ipse fallat: eoque magis id mihi censeo deplorandum, quando & vitam vnã ducẽtibus cautione opus sit, tantumque ignis incẽdimus, vnãque & item alteras locamus excubias, ne fallacis circumuenti, iniuriam patiamur. Quorum omnium causa mendacium est, fallacię plurimę, charitatis interitus: & sine induciis bellum, vnde complures reperies gentili potius, quàm

quàm Christiano se credere. Proh pudor, quo hæc sunt rubore, quibus lachrymis, qua lamentatione digna: Dicit quispiam, Quonam id pacto duxerim tolerandum, si fuerit aliquis peruerse instructus? ubi ergo sapientiæ studium, ubi & apostolica leges, quibus cauetur alterius tolerari onera oportere? Si enim fratri præstare te morigerum nescies, quid facies alieno? vel si propriis membris facere satis haud noueris, quo pacto poteris externa pellicere, pellectaque corpori tuo copulare? proh dolor non facilis sum lachrymas fundere, abundantissimos equidem (vt inquit Propheta) lachrymarum fontes, ex oculis laxare: video enim in nostris hæc regionibus prælia geri infinita, & his proculdubio grauiora, quæ Propheta præuiderat. Is nanque cum barbaros ludæam inuasuros longè ante vidisset, vètris dolore angor clamitabat. Ipse vero cum homines sub eodem duce constitutos sibi inuicem insurgere, conuertereq; in seipos morsus & laniatus, idq; partim pecuniarum cupiditate, partim gloriæ, frustra nonnunquam & occasione nulla factitare, ignominis seipos notare, vltro citroq; inferri vulnera infinita, morte insuper affici & horridiori, quàm qui bello trucidantur, fraternumque nomé tenue admodum, & exite reliquum esse videam: nullus profecto huiusce tragœdiæ occurrit condignus iustus. Vereamini, inquam, vereamini mensam hanc, cuius omnes sumus participes, quæue desuper victima illa iacet, Christus scilicet, qui nostri causa occisus est. Prædones enim, vt primum apud quempiam salem degustarint, prædari desinunt, apud quos sal ille præsumptus sit: quinetiam perditissimorum hominum mores hæc mensa immutat, efficitq; ex his, qui feris bestiis sauiendo fuerint immaniore, ouibus ipsis mansuetiores. At nos talis mensæ & cibi participes facti, in nos inuicem arma conuertimus, cum potius id in nostrum illum & communem hostem moliri oporteret. Qua ex re ille nobis infirmioribus effectis, fortior redditur: non enim nos ipsi eum aduersis communimus: quin mutuo quodam insultu, potius ipsi nos iuuante aduersario oppugnamus: eodemque vtimur ad huiusmodi in nos aciem instruendam duce, cum bellum illi inferre esset decentius: nunc vero hoste omisso, in fratres, sagittas intendimus, Quas, inquiet aliquis, sagittas narras illas dico, quæ ex ore emittuntur & lingua: siquidem non solû telis & spiculis, verum & verbis acriora vulnera infliguntur, quàm solent sagittis infligi. Dicit aliquis, quonam pacto poterit istiusmodi per me bellû dirimi? poterit vtique, si intellexeris, cum fratri fueris cõiciatus, cœnum ex ore profudisse: si noueris, inquam, cum in illum contumeliam dixeris, Christi te membrum vituperasse: quippe cum in carnem tuam voracitatè exerces, integerrimum illum cõcitas acrius & horribile in te dei iudiciû: emissa nanque sagitta, destinanti tibi, non saucio futura exitio est. Fuit tibi quisquam iniurius, aut malo affecit, ingemisce, ne maledictis incesseris: funde lachrymas, non iniuriæ gratia, sed ob iniuriam inferentis interitum: quemadmodum & dominus tuus Iudæa deplorauit: nõ enim quod cruci suffigeretur deslebat, sed quod se ille esset ad sui perniciem proditurus. Læt sit quispiam, aut contumelia infectatus est, deum precare, vti mox illi concilietur & parcat: frater enim est, tuum est membrum, eodem quo tu partu genitus, ad eandem vocatus est mensam. Dicit aliquis: At si id egero, maiorem mihi in modû aduersarius insultabit. Ergo & maiora te, & plurima manebunt præmia, eoque iustus iramittenda est, cum illum videris vulnere mortali affe-

ctum. Dæmon enim plagam illi infixit: idcirco neque erit rursum per te exulcerandus, vel aliquo modo calcandus, quem videris per dæmonem consternatum: siquidem licebit tibi, stâti illi & erecto, opem & salutem afferre. Quod si in reddenda iniuriarû vice & ipse corrueris, cui erit vos subleuâdi facultas: num saucio illi? Minime. Num tibi æque atq; ille concidisti? Quo enim pacto qui tibi ipsi facere satis nequieris, opem alteri tuleris? conlute itaque, & animi quadam magnitudine scuto prælato, fratrem vel mortuum è prælio subtrahe, percussumq; ita haud irritabis, quin potius affixum ei spiculû auellito. Cuiusmodi vitæ consuetudo si fuerit per nos seruata, statim optima erimus valetudine communiti. Verum si fuerimus in nos semper armati, nulla erit dæmonum industria ad nostrû exitum necessaria: etenim si ciuile bellum existimandum est, magis tamen nostrû hoc eò molestius esse apparebit, quod nostræ huius societatis humanæ, vel potius necessitudinis iura potiora sunt. Necauit Cain quondam germanum Abel, & propinquitatis sanguinem fudit, quæ cædes tanto iniquior habenda est, quanto consanguinitas ipsa sublimior. Is vtique corpus ferro transfodit: tu vero in animam gladium acuis. Cain fortè prior malo affectus est: at nõ male pati, sed facere improbe, hoc est male perpeti. Attendite itaque, occidit Cain, Abel enecatus est: vter horum extinctus est? illene qui post mortem ad deum clamitans questus est, Vox inquit, sanguinis fratris tui clamat ad me de terra: an is qui vitam omnem trãsegit? trepidus? Is sanè, is erat quouis mortuo calamitosior. Vides itaq; quàm longe præstet illatæ iniuriæ tolerantia, vel si fuerit adusque interitum peruētum. Edisce præterea quàm sit condicione inferior, qui illam intulerit. Percussit germanum Cain, è vitæq; sustulit: horum tamè coronatus est alter, alter pœnas pro scelere luit: iniustius Abel occisus est, mortuus tamen cædis fratrem insimulâs vexabat, & comprehensum manibus tenebat. Cain vero tacens, & à deo increpitus pudore afficiebatur, contraq; quàm speraret effecit: fratrem enim quem deo gratum spectasset interemit, existimans hoc pacto diuinum illi amorem, quem auxit magis, intercludere: si quidè mortuum deus diligentius conquirebat, dicēs: Vbinam Abel frater tuus? non enim dei desiderium extinxit inuidia, quin potius auctum reddidit. non enim tua hac cæde Cain sunt Abel honores imminuti, sed aucti magis & ampliati: quia etsi antehac illû tibi subiecerat deus, nunc tamen de te vel extinctus supplicium sumet: plurimum enim is deum colebat. Vter igitur horû de cæde sententiâ laturus est, qui sumpserit, an qui dederit pœnas? qui tanto fuerit apud deum dignus honore habitus, an qui noua quadam sit & exquisita pœna affectus? Viuentem Abel nihil es Cain veritus, mortuum ergo pertimesce: cum ferro hunc esse inuasurus, nihil trepidasti, formidine tamè sanguine profuso perpetua capere. Hunc cum in humanis ageret, tibi vel morigerum haud tolerasti, mortui ergo acerbior huius erit in te dominatus. His itaque omnibus cognitione perceptis, inuidia cauenda erit, & nequicia extinguenda, reddendaque mutuo charitas vt per eam nobis tum vitæ huius, tum futuræ bona vendicemus.

De amore dei, & tolerantia in aduersis, Sermo.



ECTEMVR & nos supernas illas potestates, neque solû vt throno adstare propinquo- res possimus enitèdum, quin illum potius qui eo insidet, nobis habeamus inhabitantem: ille nanque

nanq; se odientes dilexit, & in amore perseuerat. Solis enim vt probis, ita & improbis ortû prabet, iustisq; æque atque iniustis pluuiam dimittit. Tu ergo amantem te deum cole: ob hunc enim in te amorè, inquit, gehennam cõminatus est, & supplicia. Nequiciâ quidè intercidens, ac tanquam frigus sistens tuû ad peiora prolapsus, prospera aduersaq; obiciendo, nihil intermitit quatenus te cõprimat ruiturum: nam & te non solum sibi adiungit, sed omni improbitate, quæ quauis gehenna grauior habenda est, liberû reddit. Quod si hæc dicta irriseris, liberitq; nequiter potius vitâ ducere, q̄ ad diem vnum tormentis vexari, nihil est mirû: id enim est tum mentis non integræ, tum temulentiæ, & insaniabilis morbi iudiciû. Nam & pueri minutores cû medicum spectant, vel vitionè, vel incisuram aliquâ illaturum, diffugiunt gemebundi, & se lacerantes exiliunt, maluntq; sanie cõtinua & tabe interire, quàm momentaneum dolorè ferre, vt in reliquû conualescât: verû qui mentis sunt cõpotes, non ignorant aduersam eâ corporis valetudinè fore cauterio quouis & scissione grauiorem: nec minus improbû esse, quoduis suppliciû malignitate excedit. Sanitas illam medelâ consequitur: at morbi incuriâ, & neglectum, interitus vel assidua valetudo. Quod autè sanitas languore sit potior, latet neminè: siquidè prædones haud tantû sanè cû latus transfodiuntur, sunt deplorandi, sed cû muro perforant, & homines enecant. Nam si anima corpore præstantior est, eius potius est deplorandus interitus: idq; eò magis dolendum, quo nullû ex vulnere dolorè sentit. Enimvero & qui perditio detinentur amore, maiore sunt venia digni, q̄ qui grauiori febrî vexatur: vinoq; graues, q̄ qui torquetur amore. Dicit aliquis, si adeo hæc (vt inquis) grauias sunt, cur illa optamus? Respondebo equidè, quoniâ plerosq; vt aiunt, hominû peiora delectant, ita vt malis electis potiora prætereant: quod & in epulis rebusq; publicis, ac vitæ huius actionibus, fruendisq; voluptatibus, in foeminis ipsis, & dibûsque, & mancipiis, agris, & reliquis in rebus spectare licet. Quid enim delectabilius, mulierine an maribus commiseri? foeminis an iumentis? inuenies tamen nonnullos foeminis reiectis cum beluis habere congressum, mariumq; corpora summa iniuria conspurcare: tamen quæ naturâ sequuntur multo magis, quàm quæ contra fuerint, voluptatem afferunt. Sunt tamen pleriq; qui res supplicio & irrisione dignas, minûsq; delectabiles pro suauibus & amœnis consecratur. Dicit aliquis, at istiusmodi res consueuisse nonnullis esse voluptati. Idcirco magis ac magis eos dixerim calamitosos, quod isuauias pro suauibus ducant, pœnamq; acerbiorè quàm peccata ipsa constituant: quod lōge aliter esse constat: nam si peccatibus pœna obesset, neq; mala deus malis ingereret: nec enim diuina fuerat volûtatis, quos creasset, malos fore: neq; is nequiciâ auxiliasset, qui eâ extinguere maximum sit in modum enisus. Non igitur illata peccanti pœna pro malo habenda est, quin male cû eo fuisset auctum, si nullo esset supplicio affectus: foretq; ægrotanti illi haud absimilis, cui nulla pro eius valetudine cura adhiberetur. Nihil itaq; adeo officit, q̄ absurda & immoderata libido: absurdû autè dixerim deliciarû, inanis gloriæ, potentatus, & reliquarum rerum, quæ frustra appetuntur, cupiditatem. Qui enim molliorem hanc solutamque vitam duxerit: etsi omnibus appareat esse beator, cunctis tamen est profecto miserior, quandoquidem graues animæ suæ heros tyrannosque inuexit. Eò nanque deus vitam laboriosam effecit vt eius nos

seruitute liberaret, absolutamq; in libertatem induceret, proptereaq; & supplicia comminatus est, & labore molliciem comprimendo, vitæ huic coheredes effecit. Nam & Iudæi cum luto essent & lateribus operandis astricti, & humiles erant, & deû frequentius inuocabât: postquâ vero libertate sunt vti, dominû queruli ad irâ concitarunt, & malis sunt innumeris circũuenti. Quid igitur de his dixeris, qui calamitatibus & pressuris nõnunquam succumbunt? respondebis fortasse illos non ob calamitatè, aut aduersam fortunâ, sed propria quadam imbecillitate succubuisse. Nam si quis adeo languenti sit stomacho, vt amarâ aliquam medelam, quæ illum sanare queat, non patiat, ita vt hausta officisse potius quàm profuisse videatur: nõ est profecto potio ista, sed affecti stomachi valetudo, culpanda: nec secus ea in re animi leuitas quædam incusanda est: nam qui fuerit aduersis animo consternatus, eadem vel maiorè in prosperis iacturam patietur: quippe qui vincit conciderit (id enim pressuram & infortunium dixerim) facilius cum solutus fuerit & liber, lapsurus est: si constrictus itaq; & calamitate pressus conuincitur quispiam, longe magis, cû ea vacuus aut missus fiet. Quo, inquiet aliquis, pacto potuerim non vinci, infortunio & calamitate oppressus? Poteris quidè, si te non fugerit, volenti tibi vel inuito aduersa omnia esse toleranda: quæ si animo patienti tuleris, plurimû lucri feceris: si iniquior, cõtumaci, & maledico, calamitate nihil imminuta maiorem in te procellam concitabis. Quæ cû ita sint, faciamus ex necessitate voluntatè seu virtutè. Exempli gratia, Proprium quis amisit filium, substantiam alius omnem, & fortunæ bona: si noueris, quod semel peractum est nec deleri amplius nec solui posse, licebit ex ea infanabili calamitate vtilitatis aliquid cõparare: si magno ac virili animo aduersos tuleris fortunæ casus, proque maledictis domino laudem referas, hoc pacto quæ spem præter obuenerint mala, in voluntatis officium commutabis. Spectasti filium immature ereptum, dicit: Dominus dedit, dominus abstulit. Vidisti rem tuam imminutam, illud in ore habeto: Nudus exiui de ventre matris meæ, nudus decedam. Verû si improbis videris rem bene succedere, iustos autem infelices esse, multaq; & grauias pati, & eiusmodi infelicitatis causam ignoras: dices: Bestia factus sum apud te, verû ego semper tecum. At si quesieris cur res hoc pacto ferri permittat deus, intellige statutum esse per eum iudicij diem, quo mundum sit iudicaturus: hoc modo nihil postea hesitabis, nihil amplius: tunc enim pro meritis quisque, non secus ac Lazarus & opulentus ille, recepturus est præmium. Reminiscere quemadmodum apostoli cum cæsi essent, & diuersis tormentis pleriq; affecti, summo opere lætabantur, quod dignarentur pro Christi nomine iniurias perpeti. Ipse vero cum in aduersam incidereis valetudinem, feres æquo animo languorem, deoq; ob id gratiam dices: hoc modo parè illis recipies mercedem. Poteris præterea valetudine & dolore affectus deo gratias reddere, si eum ex animo colueris: nam si in ignem tres illi coniecti pueri, aliiq; carcere & vinculis detenti, vel malis innumeris obducti, nihil intermittebant deo gratias laudesque referre: multo magis qui corpore fuerint infano & affecto. Nihil est enim, nihil inquam, tam horridû tamq; tremendû, quod hi qui vel morbo, aut pœnis discruciantur, non superent, si diuino sint amore incesi, & ita vt neq; ignis, neq; ferrû, neq; inopia, neq; lãguor aliquis, neq; mors, neq; aliud quippiam istiusmodi, graue aut molestum appareat ei, qui

hunc sit erga deum amorem consecutus: quinetiam aspernatus cuncta, & irridens subleuabitur ad cœlū, ubi pari cum reliquis eodem diuersantibus vteretur beatitudine: terris insuper & ponto repudiatis, in diuinā gloriā splendorem duntaxat & pulchritudinem firmabit obtutum: illiq; adeo animū intendet, vt rebus vitæ huius haudquaquam aliquam in partem aduersis flecti queat, vel prosperis & iucundis efferri. Afficiamur itaque amore eiusmodi, quē æquiparare nihil potest, nec solum præsentium aut futurorum bonorū gratia, quin his ommissis ob ipsius amoris naturam. Sic enim sumus tum in hac vita, tum in futura supplicia euasuri & pœnas, ac regnum cœleste illud vendicaturi. Verum neque gehennæ euitatio, neque cœlestis imperij fruitio, pro magnis habenda sunt, si cum his quæ dicturi sumus, conferantur: siquidem omnium præstantius est deum colere, eundemque tui habere amatorem, cuius amor etsi mutuo inter homines esse contigerit, omnē superat voluptatem. At si idem & deo inesse comperitur, quæ mens concipere, vel quæ eloquētia poterit cōcupitæ animæ beatitudinem, quam vel sola tolerantia promerebitur, explicare? Vt itaque experiētia ipsa tum spiritalis iucunditatis huius, tum vitæ beatioris, & dei in quo vniuersæ sunt opes, haberi per nos cognitio possit, relictis cæteris, diuino huic amori, & nostri oblectandi causa, & dei qui & colendus & efferendus est gratia incumbamus.

De gratis reddendis deo non solum verbis sed sed etiam operibus, Sermo.

GRATIAE sunt per nos deo habendæ, quando cum his qui salui sunt facti, & ipsi annumeremur: & eam quam ex nostræ vitæ actionibus haudquaquam essemus salutē emeriti, dei sumus munere singulari consecuti: idcirco vt gratias illi reddamus, non solū verbis, verum erit & opere enitendū: poteritq; tum vera quædā gratitudo dici, si nostris ex actibus deus laudē consequatur, cauerimusq; ne in eadem illa recidamus, quæ ante improbata euasimus. Nam si ipsi fortē imperatorem aliquem fuerimus conuicio & probris infectati, isq; nos cōtra pro pœna emerita honoribus auxerit: nonne & merito supplicia prioribus acriora essent ferēda, si rursus quemadmodum ingratitude & procacitatis conuicti, eundem conuiciis incessemus? Neq; enim adeo nos prior illa in principem illata contumelia, quā quæ post susceptos honores, & commoda iniuria ingratos argueret. Quocirca fugiēda erunt, quibus antehac liberati fuimus discrimina: neq; ore duntaxat sunt gratiæ deo habendæ, ne fortē de nobis illud pronuncietur: Populus iste labiis me honorat, corde autē longe à me abest. Verum quo pacto non absurdum illud videri debet, cum & cœli ipsi dei gloriam prædicent: ipse vero cuius ob gratiam sunt illi effecti, ita te gesseris, vt tui & fictor & creator deus te propter male plerūq; audiat? cui sceleri non solum qui maledixerit erit obnoxius, verū & ipse qui maledicendi causam dederis fores pœna multatū: vtq; & cœli etsi non magis taciti deum laudibus prosequuntur, quā eius cœlesti facie ad diuina præconia mortales inuitant, dicuntur tamen deo laudē pronunciare: sic & qui vitam dixerint puriorem, vel ore silenti deum extollere videbuntur, quando sui quodam exemplo & reliquos homines eundē vt laudibus efferrant, pelliciant. Siquidē deus nō tantū admirationis & laudis ex cœlesti hac formata machina vēdicat, quātū

A gloria sibi ex optimis vitæ huius humanæ actionibus comparat: quippe cū de fide aduersus gentes oritur disceptatio, nullum cœlum quin homines ipsos proferimus, qui cum antea fuissent feris bestiis truciores, angelorum sunt diuino impulsu imitatores effecti: qua vitæ immutatione producta, cōfestim illis ora occludimus: eo magis cū homo sit cœlo præstantior, liceatq; eum animo parere cœlesti quouis splendore micantiore. cœlum enim etsi tandiu sit ad visum expositum non eam habet persuadēdi vim, quam Paulus est tā breui Christi fidem vulgando assecutus, vt ad se terrarum orbem traheret vniuersum: cuius & anima vel cœlo digna est habita, cum nostra nec terra dignanda sit: cūque & cœlum suis terminis præstet, huius tamen animi celsitudo vel cœlum superans Christo obuersatur, tantūque decore præstat, vt vel diuina sit laude dignatus. Itē & angeli cum essent creati, astra sunt ipsi & stellas demirati: hunc vero ille qui protulit, Vas mihi electionis est iste, mirandum effecit. Cœlum præterea hoc nebule plerūq; obducunt: at Pauli animum nulla vnquā rerum obtexit angustia, quin aduersantibus cunctis tranquillior quauis meridiana luce videbatur, eāq; animi constantiam & nitore in turbida tempestate seruabat, quam in sereno seruasset: siquidē sol qui in eo fulgebat, nec tam infirmos radios emittebat, vt ex molestiarum concursu hunc sineret obumbrari, quin ea propter magis ac magis clarescebat. Vnde responsum illi est: Sufficit tibi gratia mea: virtus enim in infirmitate perficitur. Imitemur itaque & ipsi Paulum: nō enim (modo libeat) cœlum ipsum & sol, vel orbis vniuersi alicuius esse momenti apparebunt, si nobiscū conferantur. Hæc quippe nostri sunt gratia effecta, nec ipsi sumus illorū causa creati: idcirco ostendamus non immerito cūcta hæc exitisse nostri contemplatione edita; quorum si nec creationem, nec cœleste videbimur emeruisse imperium, nec solem ipsum intueri, his proculdubio indigni erunt quotquot in dei contumeliam vixerint. Ergo rebus ad dei laudem enuciādā creatis indigne fruuntur, qui fuerint in opificem rerum contumeliosi: siquidem & filius si patrem lacepsit, nec dignus quidē iudicabitur, qui seruis anteponat in dispensando nō improbis. Cur id? quoniam creata hæc cū plurima sint gloria potitura, nos supplicia & tormēta merebimur. Quanta igitur illud ærumnæ fuerit, cum ea quæ ad nostri sunt gratiam condita, & dei filiorum, & libertatis figuram præ se ferant: nos vero in dei liberos & habitos, & creatos præ ignauia quadam iri perditum, per quos reliqua, quæ fuerint creata, cœlestē sint beatitudinem habitura? Ne igitur illud eueniat à nobis, qui animo fuerimus puriori, curandum erit, vt idem ille statu persitet integer & immotus, augeaturq; splendore, & lumine illustretur: nec nobis tamen desperandum, si illū simus sordidum & squalentem sortiti. Quando, vt ille inquit, si fuerint delicta vestra vt coccinum rubentia, quemadmodum niuem dealbabo: si rubra, in velleris speciem candida reddam. Nil itaq; erit de diuinis pollicitationibus hæsitandū, quin ita viuendū, vt pellectæ in commodū cedant, cui sunt grauius pleraq; cōmissa. Quorsum hæc: nondū tibi paratum spectaculū dimissum est, nōdum vallum excessisti & fossas, licet adhuc extremæ palestræ victoria priorū certaminum damna sarcire: nondum eō peruentū est, vbi & diues ille cruciatur, vt audire queas, Chaos inter nos esse immesum. Nondum sponsus aduenit, vt oleum quis vereatur impartiri, datur adhuc illud emendi & seruandi facultas, nondum

Esai.

nondum quispiam est qui id dixerit: Ne fortē nobis & vobis sit haud satis. Exiant enim adhuc opulenti complures, super sunt nudi, famelici, valetudinarij, & carceris incolæ: hos ale, illos induito, iacentis & agroti curā suscipito; fluet hoc pacto & tibi oleum quibusuis fontibus vberius: nondum rationis reddendæ aduenit dies, vt ere hoc ad opportunitatē tempore, præcide debita, ac missa facito, debentique olei cados centum, dicito: Accipe librum, quinquaginta inscribe: itidem tum in re pecuniaria, tum dictis factisq; tuis, & reliquis actionibus egeris velim, optimum illum dispensatorem imitatus: eadem hæc vt te ipsum, sic & necessarios, sanguinēque coniunctos commonefacito: dum loquendi facultas suppetit, dum nulli sint in tui locum necessitate aliqua, vt id exequantur, surrogandi: dum habes vt tibi, sic & cæteris, consulendi arbitrium. Quippe cum illō adueneris, neutrum horum facere cōmode licebit, & merito quidem. qui enim tantum temporis spacium acceperis, nec tibi interea, nec alteri cuiquā profueris; quo pacto cum fuerit in iudicis manus peruentum, cōsequi istiusmodi gratiam quiueris? Quæ omnia si in vnum contulerimus, enixius erit nostræ saluti inhærendum, neq; vitæ huius opportunitas intermittenda. Possunt, inquam, possunt vel in ipso vltimo spiritus efflatu gratiæ deo haberi, licebitq; & si non pari facilitate, ex testamento cum deo in gratiam redire. Dicet quispiam quonā id pacto fiet: fiet quidem si Christum tuis hæreditibus cohæredem adscripseris, & portionem illi hæreditatis totius imparties: quem & si viuens non alueris, moriens saltem è tuo aliquid illi relinquo, vel tum maxime cum desinunt tuæ esse ditionis quæ possides. Nam vt ille natura clementissimus, nec paruo per te oblata pensabit: quamuis qui eum viuens aluerit, & meritis maioribus, & amore ampliore sit dignus: quod si nō egeris, saltem quod reliquum est aggredere, eundem scilicet tuis facito cohæredē: vel si id facere pigebit, animaduerte hinc te per eius genitorem hæreditatis effectum esse participē, eoq; inhumanitatem hanc tuā, & sæuiciam perdendam censebis. Qua enim ipse fueris ratione excusandus, si eum ad hæreditatis cum filiis vnā non admiseris communicationem, qui tibi & cœlos communicauerit, qui mortem tui ob causam non obligatus, sed gratiam facturus subierit, pro quibus suis immensis in te beneficiis magnū es illi in modum obnoxius: hæc cum ita se habeant, nō vt debitum exacturus coronat te, & palma donabit, sed vt munus à te, aut gratiam suscepturus. Præbe itaq; illi abunde pecunias, nec vsui tibi futuras in posterum, neq; vltra in tua potestate permansuras: vt tibi imperium largiatur perpetuo valiturum, & donet item præsentibus his fortunæ bonis. Proinde cohæres per te constitutus, & liberorū leuabit orbitatem, insidias soluet, & molestias propulsabit, & calumniatio ora occludet: quodque vel filij nequeunt, testamentum tutabitur, corrumpiq; haud sinet: vel si permiserit, quæ fuerint per te ex scripto relicta, propriis facultatibus compensabit, liberalitate summa & munificentia, eo magis quod fuerit per te huiusmodi honore dignatus, vt hæres adscriberetur. Conscribe itaque hunc cohæredem: is enim est cum se adieris, omnū quæ viuens gesseris causam cogniturus. Eō accedit, quod hominum pleriq; miseri quidem & calamitosi, cum nullos susceperint liberos, id tamen facere nec patiuntur, quin parasitis malint, assentatoribus huic illive eorum fortunas, quā Christo optime de se merenti impertiri. Quo quid fieri potest à recto magis a-

Tonus quintus.

A lienum: Cuiusmodi homines siue cum beluis, siue cum lapidibus ipsis cōtulerit quispiā, nihil profecto afferet, quod horū hominum focordia sit & insensibilitate dignum, neque quauis rerum similitudine istorum quiuerit vesaniam & furias explicare. Quam igitur hi veniam assequantur, qui cum in humanis agerent, nullā Christo alimoniam dederint, nec demum vita excessuri, ex his pecuniis, quarum nulla est eis amplius certa aut futura possessio, aliquid velint illi vel tenue & per exiguum dono deferre: quin adeo se maleuole in eum & hostiliter gerunt, vt ne ea quidem, quæ nulli sunt sibi vsui obuentura, Christo impertiantur? Num haudquaquam aduertis plerosq; hominum ne tali quidem fuisse viuendi sine dignatos, quin repente morbo correptos excessisse è vita, cum tibi deus & propinquos cōsulendi, & propalandi fortunas, domui etiam vniuersæ disponendi facultatem concesserit? Quam ergo afferes, quæ purgare hanc tuam possit pertinaciam, rationem: siquidem pro accepta gratia dei, sis beneficio abusus, longoq; abis interuallo tum tua, tum maiorū tuorum fide. Illi enim dum viuerent, cuncta, quæ habebat, ad pedes apostolorum conferebant: tu vero vel moriens tuarum rerum partem egenis demanda, idq; si facere neglexeris (tametsi alienæ inopia subleuatio potior sit, dum spiritus hos regit artus, & fidentiorē facit) morti tamē proxim⁹ ede aliquid, quod animi præferat magnitudinem, amorisq; erga deum, etsi non immesum, mediocris tamen indicio sit futurum. Ita fiet, quod si primas nō fueris cum agnis sedes habiturus, non parui possit existimari si post eos secundas obtinueris, nec tibi sit ad sinistram cum hædis commorandum. Quod si ne id quidem erit per te peractum, qua poteris ratione excusari, quando nec dei timor neque inuitis & superuacanea pecuniarum futura possessio, neque liberis relinquenda securitas, ampla illa, & proposita tibi & seruata venia reddere te humanum queant? Quas ob res vos equidem hortari velim, vt vestras hæc facultates & bona, maiorem in partē dum auram hanc spiratis, facereq; id viuendo licet, egētib; relinquatis: quod si fuerint nonnulli adeo pusillo animo, & abiecto, qui exequi id optimum facinus minime patiantur: in re tamen urgente, & vitæ discrimine pietatem seruent, eo magis quod cum vitam hanc ducerent, non secus atq; immortales futuri, his bonis fortunæ inhærebant: nunc vero certiores facti, ea fuisse se cōditione natos, vt moriantur, desinant id opinari, consulatq; rei suæ vti mortales. Ipse vero etsi graue tibi illud, horribileq; videbitur quod sum dicturus, dicendum est tamē, parē facito vel tuis Christum mancipis: quæ vt per te nonnunquā libertate donantur, ita & is inedia erit, vinculis, inopia, & nuditate soluēdus. contremuisti id forte audies, vel hisce percussus es verbis, quin potius si ea non egeris, magis erit contremiscendum: siquidē moriens illō concesseris, vbi & grauiora his multo exaudies, & insanabilia tormēta spectabis. Quid tum inquires: ad quæ confugies? quem tibi in auxilium, vt opem ferat, deposces: num Abraham? Non te audiet. Num virgines illas: ne hæc quidem olei tibi quicquam impartientur? num genitorem? num proauos: non certē quiuerit horum quispiam, vel si sanctimonia præstet, latam in te sententiam soluere. Quæ omnia tecum animo reputāti, ille & solus precandus erit, & exorandus, qui & scriptam in te delere damnationē potest, & incendium restinguere: quod proculdubio assequeris, si inopem continuo & alimonia iuueris, & amictu: ita fiet vt hic spei

v ij plenus

plenus abscedas, & illo profectus bonis futuris potiaris.

EX MATHHEO, CAP. V. DE FUGIENDIS INIURAMENTIS, & QUOD DEO GRATIAS AGERE DEBEMUS &c. Vide, hoc tomo ad populū Antiochenū, Homil. XXVIII.

De oratione Dominica Homilia.

DOMINICA oratio ex pontificali doctrina electis ad fidem debetur. Et quia debitum ex debito a nobis exigitur, vltro vobis reddim ore, quā a nobis exigitis corde. Oratio dominica ita dicta est creditibus, vt operibus & moribus cōueniat: & ne in multiloquio incurreremus peccatum, collecte voluit dominus noster Iesus Christus discipulos suos orare. Alia est enī propria oratio, alia dominica. Vos ergo qui accepistis orationem in confessione, assignādam deo, debetis corde credere, opere perficere. Dicitur enim, Ante orationem prapara teipsum. Quid est, Ante orationem prapara teipsum, nisi expoliatus cogitatione praua sic accedas ad dominicam orationem? Sic ergo orabis, Pater noster qui es in caelis. Magna dignatio patris, magna dignatio creatoris, vt creaturam captiuatam peccatis faceret liberam, ille qui ascendēs in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Ergo vide, quis rogas, quid rogas, quē rogas: quis homo: quid indulgentiam: quem deum. Ergo patrem nostrum dicimus deū. Non quārit iste pater proprie se vni dare, & alij se negare, sed quo modo dicim nostrum, sic & nos debemus effici ipsius. Qui serui eramus, facti sumus liberi: cæci, videntes: febrientes, salui. Quia ergo pater & mater carnis huius creauerūt nos, ille veniens dignatus est regenerare nos. Ergo patrem deum habemus, ad honestatē patris ambulate, in voluntate eius proficite, vt eius promissionem accipiatis. Indignum est enim, vt si aliquis sit adulter, bilinguis, inordinatus, subdolos, male agens, a fide recedens, tepidus in religione, sine studio viuens, captiuatus errore, dignus sit dici filius, aut ille audeat dicere, Pater. Ergo habete charitatē dei, vt sit in vobis cor & anima vna, vt digne dicatis ei, Pater noster: & videte vbi vocatis patrem, vtiq; in cælo. Ideo clamamus in conspectu sacrificij, Sursum corda: Vbi cōfessio nostra tenetur, cor quotidie ibi representetur. Cū confurrexeritis cū Christo, quā sursum sunt, quārite: vbi Christus est in dextera dei sedens, vt cum fiducia dicatis, Pater noster, qui es in caelis. Sequitur oratio. Sanctificetur nomen tuum. Quē est ista sanctificatio dei, nisi vt sanctis moribus viuentes in nobis deus sanctificetur? Nam quicunq; puro corde & pacifico cū omnibus hominibus viuunt, loquuntur veritatem in corde suo, & dolose non agit sub lingua sua: in hoc videntes homines bona opera, clarificant patrē qui est in caelis. Dixit ipse dominus noster, Sancti estote, quia ego sanctus sum. Quid est, Sancti estote, nisi prapcepta mea implete, voluntatem meam facite, in viis meis ambulate: Cū ista feceritis, sanctificatur pater noster, qui est in caelis. Sequitur dicēs, Adueniat regnum tuum. Necessaria postulatio, quādo fragilitatē carnis nostrā regit rector & creator noster. Adueniat regnū eius, sed in nobis, non ad iudiciū, sed ad redemptionē. Nam quā conscientia est, quā sit praparata ad regnum illud iudicij? Et quare dicebatur, Ne intres in iudicium cum seruo tuo, quoniā nō iustificabitur in conspectu tuo omnis viuēs: Ergo quo modo intelligimus, Adueniat regnū tuū? Adueniat, id est in me veniat, vt & ego efficiar rex regens limū carnis meæ, terrā meā quā fuit maledicta, spinis & tribu-

lis plena. Ideo dicitur est: Et nūc reges intelligite, erudimini omnes qui iudicatis terrā. Qui iudicat terrā carnis suā, rex est carnis suā. Sed non potest homo regere carnem suā, nisi rectus fuerit a rectore suo. Nam quando concupiscit spiritus aduersus carnē, caro aduersus spiritū: quia hęc duo sibi inuicē aduersantur, vt non ea quā volumus faciamus, nondum venit regnum dei in nobis. Sed quando subdita est caro spiritui, aduenit regnum dei in nobis: Adueniat ergo regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra. Quā est voluntas eius, nisi dominus dei filius, qui ait patri, Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me? Quā est voluntas eius, nisi quod dominus cecinit patri, Pater hoc volo, vt vbi sum ego, & isti sint mecum? Quā est voluntas eius, nisi obedientia, charitas, humilitas, mansuetudo, benignitas, castitas, lōganimitas, pudicitia, simplicitas: Hęc virtutes ex voluntate dei descendūt. Quid est, Fiat voluntas tua. In anima mea, & in carne mea, in cælo mentis meę fiat voluntas tua, in carne corporis mei impleatur voluntas tua. Est & alius sensus, Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra. Sicut in angelis tuis, quos fecisti in spiritu: Quia tu facis angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentē. Ita dona nobis spiritualiter viuere, quo modo angeli qui carnē non habent, vt fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Magnus iste panis, qui replet mentem & non ventrē. Ille panis & noster est, & angelorum: iste panis manducatur, & non finitur: iste panis totum mundum replet, & integer manet. De iplo comedimus, inde viuimus, inde paciscimur, inde nutrimur, inde peruenimus. Et tamē quotidie illum quārimus, ne deficiat fides nostra, ne vires animā nostrā in ista arcta & angusta via fatigatē non perueniant ad patriam. Ergo domine pasce nos quotidie pane cælesti, verbo tuo sancto quod carnem fieri voluisti, vt habitaret in nobis. Ipse panis est, qui fractus est illis ambulantibus in via, quem agnouerunt in fractione panis. Quid est enim frāgere panē, nisi secretum aperire, agnoscere deum & hominē? Ergo domine da nobis istū panē quotidianū. Nam primo mater ecclesia ex vberibus doctrinā suā lacte potat, dicens, Lac vobis potū dedi, non escam: nondū enim poteratis, sed nec adhuc quidē potestis, adhuc enim estis carnales: Accipe lac, vt peruenias ad panē: accipe orationem, vt peruenias ad perfectionē. Ergo panem nostrū quotidianū da nobis hodie. Hodie dei intelligitur, hodie dei noctē non habet, hodie dei lux lucis est, & fons luminis. Ergo domine illumina corda nostra, vt mereamur quotidianū panē. Hic modō versiculus qui sequitur magnā habet conditionē, magnū nobis incutit timorem. Excute ergo pigritiā de animis vestris, non est res leuis quam audituri estis. Sequitur dicens, Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Quā sunt debita: fortē cautionum debita, fortē aliquid debemus deo. Quid debemus deo, nisi imaginē & similitudinē eius seruare illāsam? Quid debemus deo: honore mutuo preuenire. Sunt alia debita, quē debemus deo. Peccauimus illi grauiter, iniuste egimus, iniquitatem fecimus. Aut quis castum se gloriatur habere cor, aut mundū se esse a peccatis? Si dixerimus, quia peccatū non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Ergo ista sunt debita: quia non est sine peccato, nec infans vnus diei natus super terram. Nam quo modo potest mundus esse de immundo cōceptus semine: quia in iniquitatibus concepti sumus, & in de-

Eclli. 18.

Math. 6.

Ioan. 5.

1. Cor. 3.

in delictis mater nostra in vtero nos aluit. Exinde cōtraximus peccata, non tantum originalia, sed & propria commissa. De ipsis debitis clamamus: Dimitte nobis debita nostra, & profitemur professionem periculosam, vt dicamus deo, Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Ergo dimittis peccata peccanti in te, diserte conscientiam tuam. Si sol non subit cum iracūdia tua, si maledicentem te nō remaledixisti, si iniuriā passus non es comminatus: si ista fecisti, in errorem te non induxisti: nec enim deū fallere potuisti, qui est iudex conscientiā tuā. Ergo non aliqua debita attendēda sunt, sed peccata peccantibus in se. Concludat Apostolus propositionem nostrā: ipse dixit, Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis. Ecce si diligēdo dimisisti, vera erit confessio tua. Nam considera a libi quid dicit. Homo homini seruat irā, & a deo quārit medelam: Si vis ergo vt dimittantur tibi a deo quā commisisti, dimitte peccanti in te, ne si non dimiseris, dicatur tibi, Serue nequam & piger, omne debitum dimisi tibi, quia rogasti me, & te non oportuit dimittere conseruo tuo: & eris non dimittendo inutilis seruus, & particeps pœnā perpetuā. Dimittite ergo de cordibus vestris fratribus, vt dimittat vobis pater vester, qui est in caelis. Vltima est ista orationis sententia, quam dicturi sumus: Et ne patiaris induci nos in tentationem, sed libera nos a malo. Quā est ista tentatio, nisi illa, de qua rogat Apostolus, dicens: Fidelis est deus, qui non vos patietur tentari supra quā potestis ferre, sed faciet tentationem etiam cum exitu, vt possitis sustinere? Tentatio grādis est, fratres charissimi, impatientem patientia vincere: non vinci a malo, sed vincere in bono malo: cibare inimicū, necessaria ei subministrare, orare pro illo magna tentatio, magna exagitatio est. Est alia tentatio hęc reticorum, qui colloquio suo corrumpunt bonos mores. Est tentatio tertia, quando se transfert diabolus in angelum lucis, vt decipiat, vt per bonū operetur mortem, vt fiat supra modum peccator peccās per mandatum. Ista tentatio est: vbi est legis prohibitio, ibi est magna tentatio. Ideo ergo clamat ecclesia, Ne nos inferas in tentationē, sed libera nos a malo. Sed quia viribus nostris nullus potest ista implere, dicamus adiutori nostro, libera nos a malo. Quid est perfectum malum, nisi diabolus princeps huius mundi & author operis mali? Cū ab ipso nos liberauerit, vere liberi erimus. Tenete orationem, vt non intretis in tentationē, & dicite voce angelica de vestra liberatiōe: Gloria in excelsis deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

Roma. 13.

Eclli. 28.

Math. 28.

Mat. 11.

IN SYMBOLVM APOSTOLORVM EXPOSITIO. Homilia I.



VNIVERSALIS ecclesia gaudet i vna regula charitatis Christi, & in fide nominis Christi exultat, maximē quando creditium lucris locupletatur. Crescēte ergo populo peculiari, dilatatur cor credentium ad iusticiam, ore autem celebrant confessionem ad salutem. Vos autem genus electum, grex nouellus dei, qui competitis a rege regum, & domino dominorum munus gratiā: qui baptismum salutarē

Asperatis vobis affuturum, audite professionis vestre verba. Regularis ista doctrina confirmat credentes, adiuuat proficiētis, consolatur viatores, confortat peruenientes, coronat peruenientes. Ergo audite hęc, vt dixi, regulam vestræ confessionis. Credo in deum patrem omnipotentē. Videte qui, cui, & quid loquamini. Dixisti, Credo, Quā breue est, q̄ modicū est: si ad latitudinē literarū redigatis, quinq; literæ sunt: si ad syllabarū numerum, duæ sunt syllabæ. Hęc credulitas si cōquadret moribus & vocibus, fructū inuenit salutis. Credulitas hęc in toto mundo sparsa est: credit Christianus in ecclesia dimitti sibi peccata, credit moribus cōpositis deo placere, credit indulgentiā mereri, credit vitæ æternæ promissionē, credit pœnā promissam peccatoribus: ergo creditis deo omnipotenti, qui posse ipsius nō potest inuenire nō posse, tamen aliqua nō potest: vt pote falli, fallere, mentiri, ignorare, initiū & finē habere, nō prapuidere prapterita, obliuisci prapresentia, nō attendere futura, nescire, ad vltimū negare seipsum non potest. Ecce quanta nō potest: tamē est omnipotēs, quāuis superius cōprehensa nō potest. Ergo credo in deū patrē omnipotentem. Ecce patrē deum vocatis. Ad honorē patris venite, mores patris custodite, eius voluntatē implete, si vultis hæreditatem eius accipere. Quis est filius contemnens patrem, qui mereatur eius accipere hæreditatem? Ergo si desideratis ea quā promittit mereri, viuite pro voto eius, in prapceptis eius permanete: quā iubet fieri, facite: & quā prohibet ne fiant, facere nolite. Ecce isti qui hoc faciunt, libere dicūt, Credo in deum patrē omnipotentem. Sequitur, dicens: Et in vnicū filium eius dominum nostrum Iesum Christum. Ille quare vnicus: quia alter filius non est. Quare primogenitus? quia in seculo nemo sic natus est. Iustum vnicū dei filium de substantia patris natum, & genitum confitemur, & initium de patre habere dicimus. Patri cōæqualis in deitate, deus & deus: sed tamen non duo dii, sed vnus deus. In potestate vna potestas, in esse vna essentia, in substantia vna virtus, vna maiestas: hoc credite, ne hæreticorum colloquia mala corrumpant mores vestros bonos. Dicūt enim patrem maiorem, filium minorem. Hoc anathematizat ecclesia catholica: æque dicunt spiritum sanctum creaturam. Etiam hęc abominatur talem doctrinam. Ergo iste natus est de spiritu sancto ex virgine Maria. Ille spiritus venit ad Mariam, ingressus in eam, verbum caro factum est. Creuit alius virginis, virgo erat, & prapgnans creauit, & virginitatē non amisit. Ille ergo natus creuit, ad passionē peruenit, Crucifixus est sub Poncio Pilato. Eia fratres in hac prapdicatione nullus piger inueniatur. Quis ei rependat vicissitudinem? Crucifixus est innocens, pro nocentibus: non reus pro reis, non indigēs indiguit lucra acquirere patri. Ille Pocius Pilatus prapfidatum gerebat, iussit eum crucifigi. Sepultus est postquam mortuus, vt nobis vitā donaret. Moriedo mortem occidit, leo de tribu Iuda rugientē leonem superauit: pro peccatoribus pati voluit, ne in peccatis mundus totus moreretur: a lapis cæsus, flagellatus, aceto & felle potatus: in iis omnibus ostendens patientiam, non est iratus, sed contrario mansuetudinē demonstrās clamauit patri, dicens: Ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Videtis quale exēplū nobis patiētici dimisit. Et vos fratres charissimi q̄ suspiratis ad gratiā peruenire, qui clamatis: Anima nostra velut terra sine aquā tibi cito exaudi nos, imitamini caput vestrū Christum, qui cum malediceretur, non maledicebat: cū iniuriam pateretur, non cōminabatur, tradebat autē iu-

Luc. 23.

dicāti se iniuste. Ergo iste crucifixus, sepultus, tertia die a mortuis resurrexit. Ecce quanta potētia. Et in ista potentia eius, mentiti sunt ei inimici eius, vt dicerēt, Nobis dormiētibus venerūt discipuli, & furati sunt eū. Impletum est quod dictū est. In multitudine potentia tuæ mentiētur tibi inimici tui. *Sedet ad dexteram patris.* Cū auditis, sedet, nolite credere sēsionē humanā. Genus est locutionis. Sedere dicitur permanere. Nā dicimus, Ille sedet tres annos in illa ciuitate, id est mansit. Ergo manet ad dexterā patris. Aequē cum auditis, patris ad dexteram, nolite putare deū corporeum esse, aut membris humanis compositū: sed scitote quia deus ita de se voluit dici, quod possimus intelligere, non quod ipse est. Nam si dexterā habet corporeā, habet & sinistrā: & si habet manū, est vbi nō tangit: si oculos habet, est vbi nō videt: si aures habet, in lōginquo nō audit: ergo hoc nolite credere. Cū auditis, *Sedet ad dexterā patris:* Dextera eius, potētia eius: brachiū eius, magnitudo eius. Nā deus noster spiritus est, vbiq; totus, totus in cōelo, totus in terra, totus in cordibus sanctis, pudicis, simplicibus, sobriis, immaculatis. *Ergo, sedet ad dexteram patris, inde venturus est iudicare viuos & mortuos.* Hic geminum intellectum parit. Viui agnoscuntur, qui in corpore erūt in aduentu eius: mortui, qui ex hac luce migrauerunt. Aequē alio intellectu viuos agnoscimus, sanctos: mortuos, peccatores. *Credo in spiritum sanctum.* Iste spiritus vbiq; totus est, vbi vult spirat. Ipse est, qui dixit, *Separate mihi Paulum & Barnabā in opus ad quod assumpsi eos.* Iste est spiritus procedens de patre & filio, qui diuidit propria dona singulis prout vult. Ergo iste spiritus cōsecrat, sanctificat, benedicit, honorificat, gubernat, protegit, consolatur, perducit ad sanctam ecclesiam. Quia velut nauis est in mari posita, hac ecclesia portat epibatas, portat credentes in vna charitate, in vna modulatione, in vno remigio sanctitatis, in funibus charitatis, in velo orationis, in arbore crucis, in pice pœnitentiæ, in stappa castitatis, in tabulis pacis, in anchora fidei. Ista ergo ecclesia in vna modulatione cantans peruenit ad portū æternitatis, ad ciuitatē pacis. Ipsa est, quæ dimittit peccata, exonerat, omnia pōdera, eliquata corda perducit ad palmā promissam supernæ vocationis. Promittit carnis resurrectionem, promittit vitam æternam: Quia mortale hoc induet immortalitatem, & corruptibile hoc induet incorruptionē. Credite carnis resurrectionem, credite quia staturi sumus ante tribunal Christi, & reddituri rationem, quæ per corpus gessimus, siue bonum, siue malum. Credite vitam æternam promissam pro ista gratia data, vt gratuita gratia accepta perseueret in vobis: vt cum perseuerauerit, quæ audistis & vidistis, didicistis à nobis, hac agite, & deus pacis erit vobiscum. Amen.

IN SYMBOLVM APOSTOLORVM
expositio alia, Homilia II.

SUPER fabricam totius ecclesiæ nihil aliud in fundamento ponunt sapientes architecti, qui sunt verbi prædicatores, nisi Iesum Christum, de quo fundamentum credulitas surgit. Et quia fides totum sibi vendicat, de deo vos habere conuenit hanc fidem dei electi, qui nuper ad veram credulitatē confessionis acceditis. Sed quia corde creditur ad iusticiam, ore vero confessio celebratur in salutem, fides primo nobis prædicanda est, secundo spes, tertio charitas. Nam de ipsa credulitate fit initium confessionis. Quid enim dicturi estis? Audite & intelligite: quia cū

audieritis & intellexeritis, læticiā vobis acquiretis, dicente Propheta: *Auditui meo dabis exultationē & læticiam.* Dicite ergo quod à nobis auditis, *Credo in deū patrem omnipotentem.* Videte vnde cœpistis, *Credo dixistis.* Hæc credulitas confert vobis præsentis vitæ securitatem, & futuræ vitæ æternitatē. Ergo ponite in fundamento cordis hanc credulitatem. Sed in quo? Videte in patre, quod dixistis in capite orationis, *Pater noster*, qui es in cœlis: hoc dicitis & in symboli confessione, *Credo in deum patrem omnipotentem:* totus in cœlo, totus in terra, totus in miraculis, totus in cordibus, totus in virtutibus. Omnipotēs dicitur, quia posse ipsius non potest inuenire non posse, dicēte Propheta: *Omnia quæcunque voluit, fecit in cœlo & in terra.* Ipsa ergo omnipotentia, vt totum quod vult, possit. Nam si dicimus de nō posse ipsius, nihil dicimus: quia tantæ pietatis est, vt negare se nō possit, præsertim credentibus. Ecce quia de fide diximus dei patris omnipotentis, dicamus & de spe, vt fides credat, spes accipiat, charitas iungat. Ergo creditis in vnicum filiū eius dominum nostrum Iesum Christum: Iste vnicus, qui semper fuit apud patrem, æternitatē habet cū patre, minor non potest esse à patre, sed vnam habet cum patre potestatem. Iste vnicus, quem confitemur genitū sine initio de patre, qui semper fuit apud patrem, & prodidit illum verbo suo, qui fuit apud deum, & ipse erat deus, hoc fuit in principio apud deū. Non dicatis minorem esse filium de patre genitū, sed istū qui natus est de spiritu sancto, & Maria virgine. Non intelligatis patrem Christi secundum carnē spiritum sanctū esse: quia non omnis qui filius alicuius dicitur, de eo generatus intelligitur. Nam dicimus filios adoptiuos regeneratos ex aqua & spiritu: nunquid filij sunt aquæ? Dicimus filios regni, filios ecclesiæ: sicut ait apostolus: *Per Euangeliū ego vos genui: nūquid filij sumus apostoli?* Nam si velimus de rebus indignis loqui, iniuriam facimus tanto sacramento. Dicimus filios gehennæ, qui sunt filij iræ, apostolo dicente: *Fuistis aliquando filij iræ, sicut & ceteri:* licet talia tantæ magnitudini comparanda non sint. Ideo diximus ista, quia dictum est: *Natus de spiritu sancto.* Itaque credendum est spiritum sanctum patris esse, & filij. Et quia deus spiritus venit in Mariam, dicente angelo: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi:* propter hoc quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius dei. Natus de spiritu sancto. Istum spiritum sanctum dicimus patri & filio esse cōæquale, & procedētē de patre & filio. Hoc credite, ne colloquia mala corrumpant mores vestros bonos. Sunt enim hæretici, quorum sermo velut cancer serpit, qui filium minorem à patre æstimant, spiritum sanctum inter creaturas esse ordinatum. Sed cum hæc audieritis, à peruersis nolite perueri. Quod accepistis & didicistis à nobis, hoc tenete, hoc credite. Hæc credulitas confirmata sit in vobis, vt deus pacis regnet vobiscum. Ergo credite in vnicum dominum nostrū Iesum Christum, natum de spiritu sancto & Maria virgine. Sed dicturi vobis sunt Gentiles, deprauantes fidem vestram: Quo modo potuit virgo cōcipere, virgo parere, virgo que manere? contra naturam est hoc, dicturi vobis sunt: & vos e contrario responderitis eis, *Credulitas nostra quod verbis explicare non potest, fide tenet.* Nec enim ei qui ex nihilo fecit mundum, cunctam creaturam disposuit, elementa constituit, mari terminum posuit, impossibile illi erat introire in viscera hominis, & carnem fieri, & possidere pudica viscera

scera matris. Nam homines nati de masculino & fœmina, si interrogentur quo modo coagulati sunt in secreto matris, quo modo ossa durata sunt, omnis compago membrorū, artusq; omnes ordinati sunt in harmonia corporis disposita: quis exinde rationem reddat? Si ergo de natiuitate, quæ semper in isto fluuio seculi venit & transit, rationem non reddis, de singulari natiuitate Christi rationē reddes: *Quid dicturi sumus?* si dicamus testimoniū fidei nostræ, fortē non credunt Gentiles: sed quod illis nō proficit ad salutē, nobis credētibus proficiat. Quo modo introiuit Christus ianuis clausis ad discipulos suos, super mare ambulauit, imperauit vento & tempestati, & facta est trāquillitas magna: quia ergo ista super nos sunt & rationē de talib' miraculis reddere non valemus, fide tenemus. Ergo hoc credite, deum in vnitate vnici filij sui facere quod nos cogitatione inuestigare non possumus. Ergo natus de spiritu sancto, & de virgine Maria, crucifixus est sub Poncio Pilato. Quare hoc passus est innocens pro nocentibus, liber pro seruis: vt quia nos in trāsgressione per Adam primū hominē mortui eramus, in patibulo crucifixi resuscitaremur. Fixus est cruci. Magnum sacramentū, magna altitudo crucis, magna latitudo, magna profunditas. Altitudo, vt ad patrē clamaret, *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Latitudo, quia maiorem charitatē nemo habet, quā vt animā suam ponat pro amicis suis. Profundū, vt ecclesia ad deū clamaret, *De profundis clamaui ad te, domine exaudi vocem meam.* Et exaudiretur pro filiis vox eius: Iste Poncius Pilatus præsidatum gerebat apud Hierosolymam ciuitatem: ibi & Herodes erat, qui inimiciam tenebat cum Poncio Pilato. Sed illa pietas Christi fecit ex inimicis in morte sua duos amicos, scilicet Pōciū Pilatū, & Herodem. Fecit etiā & nos amicos patri, tollens patriet inimicariū, qui erat inter nos & deū, vt reconciliaret nos patri. Nam ipse dixit: *Si feceritis ea quæ mando vobis, iam non dicā vos seruos, sed amicos.* Ergo iste crucifixus sub Pōcio Pilato sepultus est, vt in morte sua nos viuificaret. Ipse mori voluit, ne nos moreremur. Ipse se obtulit, seipsum pro nobis hostiā & oblationem in odorem suauitatis, vt de captiuis liberos faceret, de superbis humiles, de inimicis amicos. Descendit ad infernū, vt & ibi à miraculo non vacaret. Nam multa corpora sanctorū resurrexerunt cū Christo, quæ postea mortua sunt, sicut Lazarus, sicut filia archisynagogi, sicut filius viduæ. Quod fecit in istis tribus, hoc fecit per propriam resurrectionē in multis sanctis. Nam multa corpora sanctorum resurrexerūt cum Christo, de quibus dixit apostolus: *Ex quibus plures manēt vsq; adhuc, quidā autē dormierūt.* Tertia die à mortuis resurrexit: ne caro ei' videret corruptionē. Resurrexit, iā nō corruptibilis caro, nō passibilis, sed talis caro resurrexit, qualis hodie cū patre permanet in cœlo. Videte vbiq; sacramentū trinitatis. Ecce & in spiritu sanctum credimus, qui spiritus sanctus procedens de patre & filio charitate coniungitur. Manent enim fides, spes, charitas. Hæc fides in patre, vna virtus in filio. Iste spiritus ipse est, qui propria dona singulis tribuit, prout vult. Ecce videte alia tria. In carnis resurrectione fides, in vita æterna spes, in sancta ecclesia charitas. Credite carnis resurrectionem. Nam in Ezechiele Propheta ossa arida legimus fuisse collecta, quæ sparsa fuerant, & accepta carne membra singula se agnouerunt, acceperūt spiritum, & resurrexerunt. Nullus vos seducat inanis vobis, dicens: *Qui à feris comesti sunt, qui com-*

buisti sunt, qui in mari à piscibus deuorati sunt: vnde resurgunt, qui tumulati non sunt, qui sepulturam non meruerunt? Ne mireris ad potentiam dei: quia non est impossibile ei restituere quod erat, qui fecit id quod non erat. Credite ergo vitam æternam, vbi mors non nominatur, corruptio, varietas, miseria, & tentatio non accidit. Erunt homines in resurrectione in vita æterna, sicut angeli in cœlo, per sanctam ecclesiam peruenientes, quæ mittit perfectos, quæ dimittit peccata, quæ candidatos in martyrio acquisiuit, quæ castos & pudicos perfecit, quæ nescientes ad perfectam scientiam perduxit, Nam vox eius est, *Imperfectum meum viderunt oculi tui: sed quoniam ipsos perfectos fecit, in libro tuo omnes scribentur.* Quotquot ergo perfecti sumus, hoc sapiamus, vt credentes deus pacis sit nobiscum, Amen.

Ad Neophytos Homilia.

BENEDICTVS deus. Ecce stellæ etiam de terra micuerunt, stellis cœlestibus clariores lucētes, in terra stellæ propter eum qui in terra de cœlis apparuit. Nec sufficit stellis in terra mōstrari, sed & die suo luce lucente fulgescunt: & hoc plus admirationis affertur, quod fulgore stellarū noctiū ministrarum, à præsentibus lumina clariora redduntur. Illæ nāque Solis aduentu suo perfungūtur officio: hęc luce Sole iusticiæ properante maiore lucecūt, & illæ seculorū cōfusione depereunt, hæ temporū sine sese clariores ostendunt. De illis etenim dictū est, quod stellæ de cœlo cadent, sicut cadūt folia de vite: de his autē fulgebunt, inquit, iusti, sicut stellæ cœli. Quid sibi vult, quod dixit: *Sicut cadunt folia de vite, sic stellæ de cœlo cadent:* Sicut enim vites cum vuarum fructibus prægrauantur, foliorum auxiliū necessariū vt protegātur, exposcunt: cum autem deposuerint fructum, necesse est vt foliis denudentur: Sic se habet hoc seculum: quandiu haberit in se humanū genus, tenebit & cœlū stellis, sicut & vitis folia. Nam nocte pereunte, sine dubio stellarum vtilitas simul cum nocte deficiet. Illarum ignea natura stellarum est, & istæ edocentur igneā sortiri naturam. Sed ibi quidē ignis, quem humanus sensus inuenit: hic autē, quem secreta mentis ostendūt. Ipse nanq; vos, ait, baptizabit spiritu sancto & igni. Vultis & vtriusq; nomina partis audire? Illis quidē stellis nomina hæc sunt, Orion, Mazaroth, Arcturus, Vesperus, Lucifer. In his vesperus nullus, sed Luciferi vniversi. Benedictus deus, iterum dicamus: qui facit mirabilia solus, qui facit vniversa, & conuertit vniversa. Ecce libertatis serenitate perfruuntur, qui tenebantur paulo antē captiui. Et ciues ecclesiæ sunt, qui fuerunt in peregrinationis errore: & iusticiæ in sorte versantur qui fuerunt in confusione peccati. Non enim sunt tantum liberi, sed & sancti: non tantum sancti, sed & iusti, nec solum iusti, sed & filij: nec solum filij, sed hæredes: nec solum hæredes, sed & fratres Christi: nec tantū fratres Christi, sed cohæredes: non solū cohæredes, sed & mēbra: non mēbra tantum, sed & templū: nec tantū templū, sed organa spiritus. Benedictus deus, qui facit mirabilia solus. Vides quot sunt baptismatis largitates? Sed multis quidem videtur cœlestē gratiā in peccatorū tantū remissione consistere: nos autē honores cōputauimus decē. Hac de causa & iam infantulos baptizamus, vt nō sint coinquinati peccato, vt eis addatur sanctitas, iusticia, adoptio, hæreditas, fraternitas Christi, vt eius membra sint omnes, vt spiritus habitatio fiat. Sed vos dilectissimi-

mi fratres, si tamē mihi conceditur frater no vestro no mine gloriari. Et me quidem similis beatitudo conceperat, similis ornauit gratia: sed posteriore negligentia firmum nexum cognationis amisit: sed date vos mihi fraterno vocabulo nuncupari, propter nimiam scilicet charitatem: & vos rogari permittite, vt tantā gloriā honorem animositas consequatur. Et tanto magis vos dignos gratia properetis ostendere, quāto vos inspicitis in culmine positos gloriārū: etenim trāfactum tempus palāstra fuit, atq; contentio, & lapsus facilē veniam merebatur: ab hodierna vero die campus patet virtutum exercitationibus dedicatus. Agō inītat, theatrum prāparatur, & ad spectaculū conuenit, non tantum hominum genus, sed & cōlestis etiam cōtus angelorum. Spectaculum enim, inquit, facti sumus mundo, non hominibus tantum, sed etiam angelis. Angeli spectant, angelorum dominus prāsidet coronā certaminis: hoc non tantū honor, sed & magna cautela, quando is qui pro nobis animā suam posuit, ipse sit probamētum iudiciumq; certaminis. Olympiaco nanq; certamine, & friuolo perditōq; spectaculo, impositor coronarum, in ipso contentionis examine prāesse cōsuevit, & in medio certationis loco consistens, nulli parti fauorabili nutu subuenire procurat, sed ipsius certaminis expectat incertum, & vt mente sic & loco medio continetur: inter nostrum autem & diaboli certamen Christus nō media lance cōsistit, sed totus noster fautor expectat. Et vt scias nostrarū patium spectatorem, peruide quo modo nos tāquā suos vnxit oleo lacticiā, illum vt impenderetur nobis instrinxit, vt cum illum peruiderit cecidisse, calcate, inquit, super ipsum. Nos autē & si cecidisse peruiderit, auxilio suā releuat maiestatis, & dicit: Nunquid qui decidit, non adiciet vt resurgat? Et dormientes excitat. Exurge, inquit, qui dormis. Vis amplius admirationis inspicere? Nobis deus cōlū post victoriā prāparauit, illi post victoriā prāparauit gehennam, minatur & pōnam. Ego si vicerō, coronabor: ille si vicerit, punietur. Et vt scias maiora ei cū superauerit prāparari tormēta, vicit Adam & supplantauit. Quid igitur meretur victoriā suā? Supra pectus, inquit, & ventrē ambulabis, & terrā manducabis omnibus diebus vitā tuā. Si igitur sensibile ita puniuit damnauitq; serpentē, qua pōna inuisibilis punietur, si tātis minister eius tormētis cruciatibusq; succubuit? Incunctorē auctorē maiores stimuli atq; ecule cōsequetur. Etenim si piūsimus pater sui filij reperire valuerit occisorem: non solummodo dolorē suum, iramq; cōuertit in eū, sed etiā ipsum gladium quo filius perierat, particulatim cōminuit: ita & Christus noster cū à diabolo hominem interemptum esse peruiderit: non solū eum tormentis afficit, sed etiā eius gladium obtundit, & ad nihilū redigit. Confidēter igitur nos reparemus ad pugnam: etenim nobis arma suppeditāt vltra splendorem totius auri fulgentia, & fortia, adamātis robore firmiora, totius ignis ardorem vincentia, cūctarum pondere leuiora pennarum. Nec enim quisquam hęc arma portando quassatur, sed subleuant membra, & in excelsa perducunt: & in cōelum, si cupieris, cum his sine dubio perferreris, penitus impedimento cessante. Ruidis nanq; natura horum armorū videtur, quia noualis nouus quotidie exercitatur, homo factus cū demonib; litigare cōpellor. Natus in corpore incorporales inimicos agnosco. Hac de causa mihi thoracem diuinitus non are confectum, non arte compositum, sed iusticia simplicitate prāparauit, fidei clypeo roborauit.

A Armāt me gladius meus, verbum teneo spiritus sanctitatis. Ille suis sagittis armatus est, ego meum gladium teneo: ille sagittarum iaculatione confidit, mihi arma diuersa non desunt. Et vt eius formido monstretur, cominus litigare non non audet. Iaculorū longitudinem semper affectat, vt mittat si peruiderit negligentem. Et aliam mihi deus vltra tutelam donauit armorum. Quid illud? mensam prāparauit, cibum satietatis ostendit, vt post epularum refectiōnem inimicum possim robustius superare. Cū enim te egredientē post conuiuū dominicum viderit inimicus, post cōlestes epulas tanquā ignem leonis ore flammantē fugit, & deserit omni vento velocior, nec approximare contendit: & cū cruentā linguā tuam de longe ille crudelis perspexerit, mihi crede non stabit: & cum os tuum senserit rutilare, gressum suum retro cum timore torquebit. Vis huius sanguinis audire virtutē? Redeamus ad eius exemplū, & priorem typum recordemur, & priorem scripturā narremus: In Aegypto nocte media Aegyptiūs deus plagam decimam minabatur, vt eorū primogenita deperirent, quia primogenitum eius populum detinebant. Sed ne amata plebs Iudæorum vnā cum illis periclitaretur, quia vnus locus continebat vniuersos, remedium discretionis inuentum est. Proinde exemplum mirabile vt discas in veritate virtutem, ira diuinā indignationis sperabatur, & mortifer domus singulas circūibat. Quid igitur Moses? Occidite, inquit, agnum anniculum, & sanguine eius linitē ianuas. Quid ais Moses? Sanguis ouis rationabilem hominem liberare consuevit: Valde, inquit, non eo quod sanguis est, sed quia dominici sanguinis per eū demōstratur exemplum. Nam sicut regnantium statua, quæ sine causa sunt atq; sermone, nonnunquam ad se confugientibus hominibus, anima atque rationibus decoratis subuenire consuevit: non quia sunt are cōfecta, sed quia retinet imaginem principalem: ita & sanguis ille qui irrationalis fuit, animos habentes homines liberauit, non quia sanguis fuit, sed quia huius sanguis ostendebat aduentum. Et tunc angelus ille vaitator, cum linitos postes atque aditus peruideret, transiecit gressus, & non est ausus intrare. Nunc ergo si viderit inimicus non postibus impositum sanguinem typi, sed fidelium ore lucentem sanguinem veritatis, Christi templi postibus dedicatum, multo magis se subtrahit. Si enim angelus celsit exemplo, quanto magis terrebitur inimicus, si ipsam perspexerit veritatem? Vis & aliā huius sanguinis scrutari virtutem? Volo, vnde primū currit incipias, & de quo fonte manauit. De ipsa primū cruce processit, latus illud dominicū inītiū fuit. Mortuo enim, ait, Iesu, & adhuc in cruce pendente aproximauit miles, latus lācea percussit, & exinde aqua fluxit, & sanguis. Vnum baptismatis symbolum, aliud sacramenti: ideo non ait, exiit sanguis & aqua, sed exiit aqua primum & sanguis: quia prius baptisate diluimur, & postea mysterio dedicamur. Latus miles aperuit, & templi sancti parietem patefecit. Et ego thesaurum prāclarum inueni, & fulgentes diuitias me gratulor reperire. Sic & de illo agno factum est. Iudæi ouem occiderunt, & ego fructum de sacramento cognoui. De latere sanguis & aqua. Nolo tā facile auditor trāseas tanti secreta mysterij. Restat enim mihi mystica atq; secretalis oratio. Dixi baptismatis symbolum & mysteriorum aquam illam, & sanguinē demonstrari. Ex his enim sancta fundata est ecclesia per lauacri regenerationem, & renouationē spiritus sancti: per baptismā

tisma, inquam, & mysteria quæ ex latere videntur esse prolata. Ex latere igitur suo Christus ædificauit ecclesiam, sicut de latere Adam eius coniunx Heua prolata est. Nam hac de causa Paulus quoque testatur, dicens: De corpore eius, & de ossibus eius sumus, latus videlicet illud significans. Nam sicut de illo latere deus fecit feminā procreari: sic & de suo latere Christus aquam nobis & sanguinem dedit, vnde repararetur ecclesia: & sicut in sopore quiescentis Adæ deus lateris membra patefecit: sic modo post mortem aquam nobis donauit & sanguinem. Et sopor ille nunc mors est, vt discas mortē nulla soporis separatione discerni. Videte quē admodum spōsam sibi Christus coniunxit, videte quō nos cibo satietatis enutrit. Ipse nobis cibi substantia est, atque nutrimentum. Nam sicut mulier affectionis natura cogente, genitum alere sui lactis fœcūditate festinat: sic & Christus quos ipse regenerat, suo sanguine semper enutrit. Igitur quoniam nos tantis bonis agnouimus esse perfunctos, vitam congruam peragamus, & symbola illa atque pactiones quibus sumus constricti, cordibus nostris inhæreant. Vobis proclamo, cautiones vel chirographa peccatorum nostrorum scinduntur: quia nunc estis recenti lumine illustrati. Sed & vos hac admonitione constringo, quos olim quoque similis beatitudo suscepit. Cōmunis etenim hęc ratio nobis est, idem sermo, communis obligatio: quoniam æquæ & fœdera nobis cum illis communia: non atramento, sed spiritus recordatione conscripta: non calamo, sed lingue puritate firmata: hoc enim calamo cum deo pactiones conscribi cōsuevit. Et ideo Dauid ait: Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. Confessi sumus huius imperium, diabolica negauimus tyrannidem. Hoc chirographum, hoc pactum, hoc symbolum docetur esse conscriptum: videte ne chirographario inueniamur iterum debitores. Venit Christus, & paternis nos cautionibus inuenit adstrictos, quas cōscripsit Adam. Ille inītiū obligationis ostendit, peccatis nostris fœnus accreuit: ibi maledictio fuit, & peccatum & mors, legisq; condemnatio: & hęc omnia Christus deleuit atque concessit, & clamat Paulus dicens: Chirographum peccatorum nostrorum quod erat aduersarium & ipsum tulit de medio, affigens cruci: non dixit, delens, non cataractans: sed cruci affigens, vt prorsus eius nec vestigia remanent: ideo non deleuit, sed cōscidit. Crucis enim clauis dissipauerunt illud, vt in eo nulla de postero remaneret vtilitas. Et hoc non in angulo, nec secretim, sed in mundo medio omnium videntibus oculis, in excelsis ligno nexum eius euacuat. Inspiciant quidem angeli, considerent archangeli, & cum omni admiratione cōlestes peruideāt potestates. Nec aduersarios hoc lateat, nec dæmones, nec ipsum diabolum, qui nos debitis obnoxios effecerunt. Scinduntur sub fœneratoribus cautiones, ne nobis in posterum molestiā prāparētur. Quoniam igitur prius chirographum omnibus viribus caret, inuigilemus ne nos alia obligatio alterq; nexus adstringat. Crux enim secunda non est, nec altera remissio peccatorum: per lauacri regenerationem est nanque remissio, sed non conceditur per lauacrum. Et ideo inuigilemus, & arripiamus sollicitudinē. Propter hoc etenim de Aegypti finibus emigrastis. Nec illius terræ iterum seruitutem cogitemus, ne vultu lateris cōmemoratio habeatur: later etenim est istius vitæ dementia. Nam & ipsa species auri fulgentis nondum arte cōposita, nihil aliud nisi terra monstratur. Vidisti mirabilia longē maiora, quā Iudæi in illo

A tempore Aegyptum relinquentes: nō vidisti armatum Pharaonem suffocatum, sed vidisti diabolum mole suppressum. Illi fluctus & pelagus transierunt, tu mortem transisti: illi Aegyptiorum separatione alienati sunt, tu demonum liberatione gratularis: illi iugum amiserunt barbaricæ seruitutis, tu quod durius est, à peccatorum seruitute liberatus es. Vis aliunde quoque cognoscere vnde honor tibi est amplior attributus? Iudæis tunc Mosi vultum glorificatum non fuit videre concessum, Adæ conserui, & Adæ sanguinis necessitate coniuncti: vt autē Christi vultum in sua gloria peruidisti. Et clamat Paulus dicens: Nos autem omnes reuelata facie gloriam domini speculamur. Illi tunc habuerunt Christum subsequenter: sed nos hodie plus meremur habere protegētē. Et illos quidē propter Mosi gratiam Christus dominus sequebatur: nobis autē hoc nō tantum nouelli Mosi causa conceditur, sed etiam propter obedientiam vestram. Illis post Aegyptum cuncta deserta serpentibus plena, sed nobis cōelum post Aegyptum prāparatur diuersis mansionibus plenum. Illi habebāt ducem Mosem, nos dominum saluatorem. Hoc de isto Mose si quis dixerit, mihi crede, non errat. Nam & huius labia spiritus lenitatis amplexus est, huius animæ spiritus mansuetudinem tenet. Moses tunc manus ad cōelum leuauit, & manna panem protulit angelorum: iste Moses dexteram tetendit ad cōelum, & protulit panem cōlestem. Ille percussit petram, & fontes aquarum protulit: iste proximans mensā petrā percussit spiritualem, & fontes spirituales ostendit. Ideo nanque mensa vt fons in loco medio collocetur, vt vndique circumstantia fatientur armenta: vt salutaris ille meatus abundanti largitate decurrens, nullum sitis rabie deperire permittat. Quoniā igitur talis nobis hic fons est, talisq; vita nostra conceditur, & omnibus bonis mensa completur, vt vndiq; nobis affluat largitio spiritualis: accedamus cum corde veritate suffulto, cum pura conscientia, vt accipiamus gratiam, & misericordiam, & auxilium opportuno tempore, gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi, per quem, & cum quo gloria patri, cum spiritu sancto, & nūc & semper, & in secula seculorum, Amen.

AD BAPTIZANDOS HOMILIA.

Quod sacramentorum traditio catechumenis adstantibus recitari non debet. Et cur lauacrum iterum regenerationis, & non remissionis dicitur peccatorum. Et quia non solum peccata remittit, sed & bene iurare periculosum est.



QVAM dulcis ista fratrum caterua conuenit. O quā suavis dilectissimorum cōtus inspicitur. Fratres enim vos & ante dolores partus, nomino: & ante cognationis affectionē, vocabulo charitatis appello. Noui etenim, optimeq; non nescio: quantum vos paulo post beatitudinis culmē excipiet, & quantā tenebitis potestatem. Quemadmodum autem eos precibus multi ambeunt supplices, quos spes est ad dignitatum fastigia eleuandos: & futuri potentatus gratia adulationibus eis sese commēdare festinant: & ante potestatis tempus se sociant, vt futura mereantur: hoc & ego facio, hoc mihi prāparo, hoc diligenter excogito. Non enim ad simplicem gloriam eleuari speratis, sed ad ipsam imperij potestatem: imò nec simpliciter ad ipsam imperium, sed cōlestem. Et ideo vos peto, ideo omni deprecatione vos posco: vt quando ad illud regnum veneritis, mei memores esse velitis. Et sicut Ioseph pincernarum principi dicebat:

bat: Memento mei, cum benefactum tibi fuerit. Hoc & ego nunc peto. Hoc dico, Mementote mei, quādo vobis benefactū fuerit: nec vicem sicut ille, somnij interpretationis exposco. Non enim sum somniorum interpretes, sed cœlestiū secretorum, qualia nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt: talia sunt, quæ præparauit deus diligentibus se. Et Ioseph quidem ad Archicœnum dicebat: Adhuc triduum, & restituet te Pharaō ad Archicœniam: ego autem nō dico, post triduum ad officium tyrannici ministerij venietis: sed post triginta dies non vos Pharaō, sed cœlorum dominus ad pristina patriam reuocabit, & Hierusalem cœlesti restituet. Et ille dicebat, quia à te calicem manus tyranni suscipiet: ego autem dico, quod ipse imperator, ipse dominus, tuis manibus terribilem calicem ministrabit, qui honore vtranque superat creaturam, & omni virtute decoratur. Norunt istius calicis virtutem, qui sunt diuinis consecrati mysteriis: sed & vos paulò post poteritis addiscere. Mementote igitur mei, quando vos illud suscipiet regnum, quando regale vos proteget indumentum, quando purpura dominico sanguine tincta decorabimini, quando coronam Solis radiis splendidiorē sentietis in capite. Talia enim illius prœsentis dona esse consueuerunt, quæ nostrum quidem meritum vincunt: sed dantis sunt congrua pietati. Et ideo vos ante ingressum sancti thalami beatos appello. Nec solum beatos nomino, sed & benignitatis laudo, quod non sicut nonnulli, ad baptismi perceptionem finem vitæ expectare voluistis: sed temporis formidantes incertum, tanquam boni serui domini præcepta seruastis: & eidē animæ colla cum omni benignitate supponitis, & iugum Christi cum omni suauitate suscipitis, & sarcinam leuem sentitis. Nam licet similem etiam illi consecrationem mereantur: sed non illis similis est voluntas, nec rerum similis præparatio. Nam illi iacentes in lectulo percipiunt: vos autem in ecclesiæ sinibus, quæ mater omnium est, mere mini consecrari. Et illi flentes, vos læti & exultantes: illi vlulantes, vos autem deum glorificantes: illi valetudinis omnino calentes ardore, vos spirituali suauitate completi. Hic omnia conueniunt gratiæ, ibi nihil conuenit gratiæ. Nam ibi fletus, ibi lamentatio, & ipsa sacrorum traditione circumstantium lachrymæ, fletusq; cunctorum. Adstant vlulantes filij, coniunx brachiis laceratis ingemiscit, amici tristantur, lugent seruuli, & ipsa domus tristitia quadam imitatur infernum. Et si ipsius cor iacentis inspicias: adstantibus eum reperies tristiorē. Nam sicut pelagus diuersis flatibus agitatum, in multas diuiditur partes: ita & languentes diuersis cogitationibus occupati, multis sollicitudinibus prægrauantur. Quando enim infantes viderit filios, eorum imbecillitate stimulat annorum: quādo matronam paulò post relicturus inspexerit, viduitatis cogitatione conteritur: quando familiam cogitauerit, eius separatione laceratur: quando seipsum inspexerit moriturum, omnibus nebulis sollicitudinum circumdatur. Talis illius animus est, & in illa turbela domos sacerdos ingreditur, ipso languore circumstantibus execrabilior. Nam medici voce, qui iacentem desperatū nunciat, putatur illo tempore desperatior sacerdos ingressus: & mortis æstimatur indicium, quod æterna vitæ materia est. Sed nondum molē calamitatis edixi: nondum malorum cacumina demonstrāui. Nam nonnunquam cum necessaria præparantur, anima separatur, anima diuellitur è corpore. Sæpius & adhuc in corpore

constituta nihil magnum cōmoditatis agnoscit. Nam quando nescit adstantes, quādo vocem prolatam non audit, quando illa verba, quæ sponsonem communi omnium domino facere consueuerunt, proferre non potest, sed tanquam lignum aut lapis immobilis actiuetur: quid vtilitatis sacrorum traditione præstatur? Et enim in tanti perceptione mysterij, vigilare vos conuenit, & totius sollicitudinis vincula laxare, & mūdā domum tanquam ipsi regi aduenienti præparare. Talis mentis vestræ perceptio sit, talis animositas inuiteretur. Et dignam quidem vicem de cœlesti sperate subsidio, qui rependere cōsuevit eis, qui eius audire præcepta festinant. Sed & quia seruorum concedet, quæ sua sunt conferre conseruis, & nostra vobis conferamus: imò non nostra, quia & ipsa dominica sunt. Quid enim, inquit, habes, quod nō accepisti? Sed & si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Et vellem hoc quidem primum meo declarare sermone, cur maiores nostri totius anni diebus præteritis hoc in tempore ecclesiæ filios consecrare voluerunt: & cur post nostrum magisterium imbuti pedibus nudis, vno tantum vestimento concessio, ad voces exorcizantium accedunt. Non enim temere nec sine ratione & hunc habitum, & hoc tempus illi cōstituerunt. Sed hoc vtranque habet mysticam & secretam rationem. Sed, vt dixi, vellem vobis hoc antè mōstrare. Sed quia necessario sermone prouocamur, necessarium est hæc interim præterire. Nam primo necessarium est dicere, quid sit baptismus, & cuius causa hoc ad nostram vitam peruenit, & quanta nobis bona præparat. Sed si vultis, de ipsius mysticæ purificationis vocabulo dicamus. Non enim ei vnum vocabulum est, sed multis & diuersis nominibus nuncupatur. Nam hæc expurgatio lauacrum iterum regenerationis dicitur: Saluauit enim, ait apostolus, nos per lauacrum regenerationis & renouationis spiritus sancti. Dicitur & illuminatio: & ita illud Paulus apostolus nuncupauit. Recommenorare nanque, ait, priores dies, quibus illuminati multam colluctationem sustinuitis passionum. Et iterum, Impossibile est eos, qui sæpe illuminati sunt & gustauerūt donum cœlestē, & participes facti sunt spiritus sancti, & lapsi sunt: iterum renouari ad pœnitentiā. Vocatur & baptisma: Quotquot enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. Vocatur & sepultura: Consepulti enim, ait idem, sumus per baptismum in mortem. Vocatur circumcisio: In quo, inquit, & circumcisi estis circumcisio non manu facta in expoliationem corporis peccatorum carnis. Vocatur crux: Vetus etenim, inquit, homo crucifixus est, vt conuertatur corpus peccato. Est & alia vocabula multa proferre: sed ne omne tempus diuinæ gratiæ nūcupationibus erogemus, ad prius dictum nomen redeamus, & huius significatione mōstratum sermonē finiamus. Sed interim paulò superius dicta tractemus. Est omnium hominum lauacrum commune, quod sordes corporis lauare cōsuevit. Est & lauacrum Iudaico illo quidem lauacro melius, sed quod cœlesti gratia superatur. Nam & ipsum sordes corporales extergit, sed nō simpliciter corporales, sed & imbecillem conscientiam tangit. Nam multæ res sunt, quæ natura quidem ipsæ non sunt immūda, sed imbecillitate conscientiæ efficiuntur immūda. Nā veluti personæ tragicæ arte quidem feras repræsentant, quum nullū suapte natura incutiant terrorē: infantulis tamen formidabiles conspiciuntur esse, idq; imbecillitate naturæ contuentium: ad eum modū quæ iam diximus, puta si iam emortuum

Rem. 14.

1. Cor. 6.

emortuum corpus cōtingatur, id suapte cōditione, immundum non est: verū si pusillanimitas occurrit, iam eum reddit immundum, qui tetigit. Nam quia non ipsa rei natura est immunda, ipse Moses, qui ista constituit, demonstrauit: qui Ioseph mortuum secū portabat, & mūdus nihilominus permanebat. Ideo & Paulus de ista nō immundicia quæ non sui natura, sed ex pusillanimitas conscientia venit, demonstrans, dicit. Nihil commune per se: nisi, qui cogitat commune. Vides immūdiciam non ex ipsa rei natura, sed ex conscientiæ imbecillitate proferri. Et iterum, Omnia quidem mūda: sed malum illi homini, qui cū offensione māducat. Audis & hic quod non edere, sed cū offensa edere, causa immundiciæ est: Nunc igitur sordes corporis Iudaicum lauacrū emundabat. Diuinæ autem gratiæ lauacrum nō corporis, sed animæ maculam, sordesq; mundare cōsuevit. Non enim eos, qui mortua corpora tetigerunt, sed eos qui operibus mortuis prægrauantur, efficit mūdus. Et si molles, etsi fornicatores, etsi idolis seruiēs, & si quid aliud huiusmodi gerēs quispiam reperiatur, etsi omni humana detestabilitate fuerit prægrauatus, etsi totius maliciæ nodis adstrictus: cum ad illā natatoriam venerit, cum illius fontis diuinos senserit riuos, Solis radiis mundior eleuatur. Et ne putes ambitionis gratia hæc verba proferri: audi Paulum, de huius lauacri virtute dicentem: Nolite errare, nec hi qui idolis seruiunt, nec fornicatores, nec adulteri, nec molles, nec masculorum concubitores, nec ebrii, nec auari, nec fures, nec susurratores, nec rapaces, regnum dei possidebunt. Sed inquis, Quid hoc ad tractatum propositum? Nam hoc queritur, si omnia lauacri mundantur virtute. Et ideo accipe quæ sequuntur. Et hæc, inquit, quidem eratis, sed lauati estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine domini nostri Iesu Christi, & in spiritu domini dei nostri. Nos quidem pollicemur vobis ostēdere totius maliciæ vinculis absolui, & omni immundicia liberari eos, qui hoc lauacrū promerentur: verum ratio longē maiora declarat. Non enim mūdus tantum, sed & sanctos & iustos effectos ostendit. Non enim dixit, lauati estis tantum: sed & sanctificati, & iustificati. Quid hac re mirabilius, quid inopinatus demonstratur: quādo sine certamine, quando labore cessante, quādo minime sudore decurso, iusticia procreari conspicitur? Talis etenim diuinæ gratiæ misericordia est, vt iustos faciat, sudore cessante. Nam si imperatoris præceptio paucis cōscripta literis multorum criminum reos liberare consuevit, aliis quoque præstare culmina dignitatum: multo magis dei spiritus sanctus & cuncta potēs, omni vos malicia liberabit, & multā iusticiam largietur. Et sicut scintilla ignis exigua in profundi maris pelagus cadens aquarū copia non paulatim, sed statim extinguitur, & illico nihilum esse demonstratur: ita & omnis humana malicia quando ad natatoriam cœlestium fontium valuerit peruenire, illius scintillæ facilius extinguitur ardore. Et ob quam causam, inquis, hoc quod nobis peccata concedit, nō lauacrum remissionis peccatorum dicitur, nec lauacrū purificationis, sed lauacrum regenerationis? Quia non nobis simpliciter peccata concedit, nec simpliciter nos purificat malis actibus implicatos, sed tanquam è cœlo generatos efficit. Nam de cœlo nos condit, & inde conficit: non de terra componens iterum, sed alio nos elemento, id est, per aquarum naturam prognerat. Non enim vas simpliciter purgat, sed integrum nouat iterum. Nam cum vasa purgantur, & si diligentia multa terguntur, quæ-

dam vestigium nihilominus retinent vetustatis, & pristinam maculam non amittunt. Illa autem quæ cōflatorio committuntur, cum flāma fuerint renouata, omnem maculā præteritæ fœditatis amittunt, & nunc primum confectis non dissimilia proferuntur æquali fulgore micantia. Vt igitur statuā auri metallo cōfectam aliquanti temporis metis fumo & puluere & æruginis sordibus coinquinatā cum artificis manus acceperint, renouant fornacis ardore, & splendidam nobis lucidamq; demonstrant: ita & nostrā naturam deus æruginatam mole peccati, & malorum gestorum fumo violatam, & omni pulchritudine, quam primo ei donauerat, denudatam, in illos aquarū fontes, tāquam in purgatorium mittit: & pro flamma, spiritus gratiā subministrat, & exinde rudes effectos etiā solis radius eleuat clarius lucentes, veterem hominem conterens, nouum autem ostēdens longē meliorem: & istam nobis quassationem & mysticam purificationem obliquo sermone olim Propheta demonstrabat, dicens: Sicut vasa figuli, conteres eos. Nam quia de fidelibus loquitur: superius nobis manifestē declaratur, quū ait: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me, & dabo tibi gētes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Vidisti quemadmodum ecclesiæ Christi nominauit imperium. Et propterea ait: Reges eos in virga ferrea, non graui, sed forti: sicut vas figuli cōteres eos. Ecce & lauacrum sentitur mysticè. Non enim dixit, sicut vasa fictilia: sed sicut vas figuli. Et ideo attēdamus, & diligentius audiamus. Nam cōfracta vasa fictilia iam nulla emendatione corriguntur, semel figurā per flammam fortitā: vasa autem figuli non sunt fictilia, sed argilla cōposita. Inde & si quo fuerint casu peruersa, facile ad figuram pristinam artificis reformatur industria. Et ideo quando calamitatem sine remedio dicit: Non vas figuli, sed vas fictile nominat. Nam quando Propheta monstrabat Iudæos cum ciuitate supplicis extremis traditos, & nullum eis remedium promittebat, iussit accipi vas fictile, & ante omnem confringere populū: & dicit, quia ita ciuitas peribit. Quando autem spem eis pollicetur, prophetā ad figuli vas adduxit: & illi non ostendit vas fictile, sed argillam ei, in manibus positam demonstrat artificis, quæ etiā ceciderit, reformatur tamen. Ideo sequitur, dicens: Si iste figulus, ait, hoc vas lapsos corrigere: Et possibile quidem deo est nō solum de argilla factos corrigere per lauacrum regenerationis, sed & spiritus accepta virtute, & lapsos post pœnitentiam veram ad statum pristinum reuocare. Sed nunc temporis est de pœnitentiā nobis proferre sermonem, imò nunquam necesse sit talia vobis remedia demonstrare, sed contingat semper vos pulchritudinem, quam estis accepturi, intactam inuolabilemque seruare. Sed vt semper tales durare possitis, de conuersatione vobis pauca narremus. Nam in palæstra athletic semper cessante periculo exercitatio est, & lapsus facile veniam promerentur. Nam suis certatur, & magistrorum corporibus meditantur. Sed quando agonis dies, quando certaminis tempus aduenit, quando stadium patet, quando omnes ad spectaculum fuerint congregati, quādo agonothera præsidet, quando mōstratur corona virtutis: tunc necesse est, aut lapsum pudore infamatum, pœnas dedecoris suæ negligentia sustinere, aut solertia palmam sustinere vincentem: Ita & vobis horum dierum triginta spaciū exercitatio & meditatio

Hier. 18. & 19.

meditatio est. Sed ex hinc discamus euincere, & aduersarium dæmonem superare properemus. Nam contra illum, magnum nobis est certamen. Post lauacrum igitur, cum iam supplantare discamus: & vnde nobis insidiatur, inuenire curemus: & vnde facile poterit superari, vt in agonis ipso certamine, nulla nouitate terreamur, sed eius insidiis agnitis, arte, fraudèque comperta securi cum omni fiducia dimicare possimus. Vndique nobis insidias præparare consuevit, sed facilius lingua & ore peccante. Nullum enim æquè congruum illi organum in ministeriū est interitus atque peccati. Nam inde nobis mors, inde lapsus, inde perditio, inde naufragium præparatur. Nam & mētium lapsus ex linguæ garrulitate venientes quidam declarans, ait: Multi ceciderunt per gladium: sed nō tanti, quāti per linguam. Et grauem casum demonstrare festinans, ait: Lapsus de pavimento, aut lapsus de lingua. Quod dicit, tale est. Conducibilis est, inquit, ruere & corporis sentire iacturam, quā verbum tale proferre, vnde anima poterit deperire. Et suadet multam ori adhibere cautelam, dicens: Fac ori tuo ostium & seram. Nō vt portas corpori faciamus, sed vt non facile verba proferantur, & ad incongrua dicēda sese lingua cū omni cautela contineat. Et alibi ostendens, quia ad hanc seram retinendam solertia nostræ, etiam diuinum necessariū sit auxilium: vnde & ad deum manum protendens, dicebat: Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Pone domine custodiā ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis. Et qui priora persuasit, ipse iterum ait: Quis dabit ori meo custodiam, & labiis meis sigillum astutiæ? Vides hoc lapsos singulos formidare, vides omnes lamentari, omnes suadere, omnes orare, linguā suam cautela custodire ac retinere? Et cur, inquit, hoc membrum quod tantum nobis periculum adfert, deus ab initio dedit? Quia & multum nobis hinc commoditatis est, & volentibus nonnunquam prodesse consuevit: nec mortem habet, nec peccatum concedit inuito. Et audi quid ille ait: In manu linguæ vita & mors. Et Christus significans ait: De sermonibus tuis iustificaberis, & de sermonibus tuis adiudicaberis. Media nanque vtriusque partis lingua est, & si vtriusque est, tu dominus es. Nā & gladius in medio positus, si quidem fuerit aduersus hostes arreptus, salutaris accipienti reperitur: si vero tenentis visceribus inferatur, mortem præparat inferenti: non quia talis ferri natura, sed quia vrentis tale consilium est: ita & lingua æstimetur gladius in medio positus. Armetur aduersus peccata tua, non ad fratris plagam præparetur. Et ideo deus eam velut muro duplici voluit circumdari. Nam dentium tegmine, & labiorum custodia continetur, ne verba improvida garrulitate proferantur. Refrēna igitur linguam: & si non patitur reticere, dentium morsu quiescat, & tanquam carnifici tradatur dentibus. Nam hoc est eam conducibilis sustinere, quā postea aquæ stillationem nullatenus promereri, Et alia quidem multa peccata admittere consuevit: vt cum blasphematur, cum turpia verba componit, cum calumniatur, cum iurat, cum peierat. Sed ne hodie vniuersa tractantes, mentes vestras latius occupemus: vnā interim vobis indicimus legem, nequando vestrum quispiam iuret. Nam hoc prænuncio atque prædico, quod si quis non dico periuria, sed etiam iurationes iustas de cætero non declinet, non promerebitur sermonem nostrum. Nam vt stultum est magistrōs quidem pueriliū studiorum infantibus ante secunda magisteria narrare, nisi priora

eorum cordibus inhæsisse cognouerint: ita & nos nondum mentibus vestris nostro sermone affixo alios vel tractat^o offerre & facere, vt putidus è dolio liquor hauriatur. Ne igitur vos amara prohibitione tristementi date operam, vt præceptis commo detur effectus. Nam hoc peccatū valde crudele est, nec adeo valde crudele putatur: & hac de causa illud timeo, quia nullus illud pertimescit: sed sicut simplex sermo prolatus reatū non videtur afferre, ita & iusurandū esse putatur, si cū multa fiducia hoc profertur illicitum. Et si quis increpauerit, risus mouet, iocos narrare putatur: & ideo de hac re sermonem longius protraho. Funditus etenim hoc amputare festino: & multi temporis malum radicitus euellere cupio, non tantum periuria, sed ipsas quoque iurationes. Sed ille, inquit, iurat homo, qui mitis est, & cui est sacerdotium commendatum, & qui in multa castitate & reuerentia conuersatur. Nolo mihi hunc factum, hunc mitem, hunc pudicum, hūc proferas sacerdotem: sed si Petrum mihi, si Paulum, si de cælo angelum narres: nec sic personarū dignitate terrebis. Nam legem non seruilem, sed dominicam de iureiurādo lego: & quando imperiale constitutum recitatur, omnis seruilis dignitas conquiescat. Etenim, si Christum hoc mādasse poteris approbare, aut quia hoc Christus non punit, ostendere: acquiesco. Sed si cum tanta prouisione hoc fieri prohibet, vt iurantem maligno sociaret (nam superfluum, inquit, horum, diaboli est) quid mihi alium atque alium commemoras, quid aliquorum nomina facta? Nō enim ex seruatorum negligentia, sed ex sua præceptione, fortè tibi deus attribuit. Iussit, inquit, præceptis obtemperare. Congruum est & non cuiuslibet facta memorare: nec aliena mala conuenit imitari. Nam & magnus ille David peccauit, & grande peccatum. Quid ergo? Ideo nobis sine periculo peccare conceditur? Non. Nam hac de causa cauere debemus, & facta fortia imitari sanctorum. Et si aliqua negligentia, legis præcepta violata sunt: cū omni festinatione trāsire nos conuenit. Non enim ad conseruos nobis, sed ad dominum ratio est. Huic omnium gestarū rerum necesse est nos reddere rationes. Ad illud igitur nos iudicium præparemus. Nam licet magnus & admirabilis ille sit, qui hanc legem respuit, pœnam sine dubio calcata huius præceptionis exoluet. Non enim est deus personarum acceptor. Quo igitur modo, quōue subsidio, hoc poterimus declinare peccatum? Non enim solum conuenit crimen crudele mōstrare, sed potius criminis vltione liberari. Est tibi coniunx, sunt filij, est amicus, est seruulus, est vicinus, est sanguinis cognatione sociatus: festina omnibus huius legis præcepta narrare. Sed, inquit, Dura res, cōsuetudo, & quæ facile mutari non possit: & quæ nos nonnunquam & inuitos trahit, & nolentes cōmittere cogit illicita. Igitur tanto te huius mali reatu liberare festina, quanto consuetudinis vim necessitatemq; cognoscis, & ad aliam cōsuetudinem migrare propera. Nam sicut te praua consuetudo possidet, ita poterit melior obtinere, vt & volentem te iurisurandi lapsibus non permittat euinci. Nam reuera multum consuetudo præualet, & iura didicit immutare naturæ. Vt igitur non assidue doleamus, ad aliam consuetudinem demigremus: & ab omnibus tibi singulisque coniunctis hoc postula, hoc pete beneficium, vt te iurantem arguant, vt confundant. Nam cum te afficiunt tua confusione autorem, & sibi met similia largientur. Nam qui alterum, ne iuret, arguit: nec facile se præcipitare patietur in periurium. Etenim est iu-

est iurandi peccatum: & non solū cum de rebus frivolis, sed etiam cum de maioribus celebratur. Nos autem & cum vilia comparamus, & cum de vno nummo cōtendimus, & cum aduersus seruulum commouemur, deum testem inuocamus. Et hominis quidem ingenui & aliqua dignitate muniti, in publico ad huiusmodi res non audeamus testimonium postulare, ne & iniuriarum contra nos vindicta procedat: deum autem cœlorum regem, angelorum dominum, & cum cōtrahis, & cum loqueris, & cum quibuslibet sermonibus delectaris, adiuocas testem? Vt igitur hoc crimine liberemur, inuicem admoneamur, insitum tempus constituamus, & tempus dierum decem. Volētibus enim & vigilantibus & hi sufficiunt dies, quō penitus hoc crimine cōsuetudinis liberemur: & post decem dies nihilominus si illaqueati reperiamur, pœnam nobis constituamus. Sed inquit, Dico pœnam, propono vindictam. Hoc iam non meum, sed vestrum est: & si ita circa nos non solum iureiurando, sed & in aliis cōversationibus præcauere voluerimus, constituentibus tempora, pœnas indicentes, mundi ad nostrum dominum ire poterimus, vt de ignis gehēna liberemur, & cum omni fiducia tribunal Christi videbimus, quam omnes liceat obtinere per Iesum Christum dominum nostrum, &c.

DE MILITIA SPIRITVALI,
Homilia.

RONA quidem sunt & vtilia regis ad eos, qui imperio eius subiecti sunt, legum statuta: sed maiora, & angustiora illa præcepta sunt, quæ militantibus obseruanda decernit. At ergo nūc ad militiam spirituales cœlestis regis mandata prædicantibus nobis diligenter attendat omnis, qui magnæ & superne dignitatis est cupidus, & qui semper Christo ad stare desiderat: quiq; magnificæ illius & diuinæ vocis nō ociosus auditor est. Si quis meus minister est, me sequatur: & vbi ego sum, & minister meus est. Vbi ergo est Christus rex? Vtique in cælo. Illo ergo terræ cōsuetudinis, & omnis carneæ delectationis, nemo qui militiæ accingitur, domum sibi construit, neque possessiones agrorum comparat, aut vilibus humanorū negotiorum commerciis implicatur. Nemo, inquit, militas deo, implicat se negotiis secularibus, vt ei placeat à quo probatus est. Escas miles regis habet, & imperatoris annona pascitur. Non oportet eū emere sibi cibum, neque in eius prouidendi sollicitudine occupatum, studiis militaribus auocari. Vbiq; illi domus omnis prouincialium ex præcepto regali patet, vt nihil eum de priuata domo laborare necesse sit: cui mansio in castris, & cibis ad expeditionem modicus, & aqua potui, & tantum somni, quātum naturæ necessitas expetit. In vigiliis, in itineribus multi labores, & pro temporum vicissitudine, in æstibus aut frigoribus confirmata patientia: pugna ad hostes, pericula vsque ad mortem: verum & si mors bellanti accidat, gloriosa est: vincentem vero honores & dona regia subsequuntur. Huic laboriosa in præliis vita, in pace autē splendida & honorata, transigitur, & pro certaminibus prospere decertatis gloriæ corona defertur, promotio dignitatis apponitur, iuxta regem familiariter stare conceditur, de manu imperatoris assidue remuneratione donatur. Cæteris principibus suæ gratiæ comitibus eminentem preponitur interuenire, & iam extrinsecus pro amicis suis, si velit libenter auditur: & tantum propria dignitate pro meritis virtutis ext.berat, vt etiam sodalibus honorādis au-

tor existat. Nunc ergo tu miles Christi modica hac de humanis actibus exempla tibi sumēs, maiorum rerum, hoc est, diuinorum bonorū conceptionē mente suscipere: vt libera tibi, & expedita mortalibus curis vita ducatur. Non te domus auocet, non possessio impediatur, non ciuitas & patria constringat: exutus enim & absolutus omni terrestrium rerum sollicitudine, melius diuina curabis. Non te illiget coniugis amor, neque filiorum cura sollicitet: impedimenta enim sunt diuinæ militiæ carnalium necessitudinum vincula. Arma enim nunc militiæ tibi non carnalia, sed potentialia à deo. Scito autem, quia te nō vincet natura corporis, neque strāgulabit inuitum, neque te obnoxii faciet ex libero, nisi voluntaria declinatio. Longè diuersa est spirituale affectionum conditio. Non queras in terra relinquere filios, sed in cœlū perducere. Nō ergo carnalibus te agglutinari nuptiis, sed spiritualibus oportet inhiare. Sume tibi coniugem sapientiam veritatis, vt scriptum est, & eam dispositā dotibus cœlestibus toto corde cōplectere. Filios genera spiritualiter, & æmulare cœlestē sponsum, per quem debellare possis insurgētes aduersus animam tuam inuisibiles inimicos. Dimicandum est enim tibi cōtra potestates, & principatus harum tenebrarum, cōtra omnem diaboli virtutem, & æreum nequitiæ spiritualis exercitum, qui te occultis machinis, & gladiis impugnare non desinunt, vt in te ipso resistas eis, & eiicias eos primum de anima tua, vt nullam fortem habeant in te: deinde vt his, qui ad te confugerint, teq; sibi elegerint ducem & propugnatorem, eadem virtute possis adesse qua tibi ipse profueris: id est, vt proximos tuos instruas verbo veritatis, conuersationis exemplo dirigas, orationum interuētū destruas cogitationes extollentes se contra fidem Christi, & omnem impium malignumq; sermonem verbo pietatis exurgentes, doctrinā apostolicā armis potēs. Consilia, inquit, destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersum scientiam dei: maximè autem cum fide summi regis inuicta manu, quæ facile deterret, & in fugam vertit inimicos, si tantum vel appareat eis. Si vero dominus, & periculi certamen agitare velit, & exercitum suum iubeat congregari exercitui aduersariorum, hic tibi ad omne periculum præparatio firma consistat, & contra omne periculum interritæ mentis constantia maneat: & si necesse sit de terra in terram, & de mari in mare libenter emigra, & patriam peregrinatione commuta. Quando enim, inquit, persequuntur vos, fugite de ciuitate in ciuitatem. Et si in iudicium pertraheris, vt necesse sit te sisti ante principes, & potestates, & plebeiōrum seditiones excipere, & dirum carnificis vultum videre, & duram vocem sæui persecutoris audire, ipsarumq; pœnarum horridam faciem sustinere, adhibitis etiam tormentis tentari: stare te fortiter, & vsque ad finem mortis certare oportet, nō cedente constantia mentis, armata terroribus inimici, & doloribus corporis: quia nisi legitime certauerit quis, non coronabitur. Vtinam præter hæc omnia ipsum ante oculos habeas, pro te in passionis prælio dimicantem Christum, sciens quia propter te & Christus in isto agone versabitur, & tu per ipsum agonis ipsius victor existis: victorem enim regem sequeris, eum qui te victoria suæ vult habere participem. Neq; enim et si mortuus fueris in hoc genere certaminis, victus videris: sed tunc magis palmam capies, si vsque ad finem incōuertibilem veritatis fidem, & confessionem in corde tuo conseruaueris, & pro veritate cōstantiam immobilem tenueris,

Ecl. 28.

Psal. 140.

Prouer. 18.

Math. 22.

Math. 10.

tenueris, à morte transibis ad vitā æternam: & ab hominibus iniuriam passus, ad dei gratiam transfereris: & à temporali, quam in hoc mūdo pertuleris tribulationem, in æternam requiem transuolabis, & sanctorum angelorum confortio perfrueris. Terra te ciuem non suscipiet, sed cœlum: non incolam te suscipiet mundus, qui te persecutus est, sed angeli te portantes presentabunt Christo, & amicus dei vocaberis, & desiderabilem laudē ex ipsius domini voce audies: Euge serue bone & fidelis, euge miles strenue, & imitator domini tui, & regis æterni comes: ego te meis remunerabo premiis, ego verba tua libenter exaudiam, quia & tu me diligenter audisti. Si petieris pro fratribus tuis similem patientibus persecutionem, sociis fidei tuæ, & sacramenti charitatis custodibus, vt saluentur & viuant, percipies à rege cœlesti omnium bonorū communionem: & hymnum dicens choris mixtus æternis, & inter angelos sanctos accinctus læticia, regalem coronā portabis in conspectu regis domini, & coæternalis domino tuo factus, cum ipso æternæ beatitudinis largitore lætaberis. Si vero in hoc mundo adhuc dimittere post acta certamina palmarum tuarum superstitem velis, vt plures varios agones dimices, vt multiplicetur coronæ tue de multitudine prælorum, multiq; exemplo tuo ab inuisibilibus & visibilibus saluentur inimicis: magna erit tibi & in hoc seculo gloria, & apud amicos Christi eris honorabilis omnibus, qui te & præpositum, & adiutorem, & legatum bonum inuenerint. Isti pascent te sicut militem bonum: isti honorabunt te, sicut virum fortem: isti dexteram dabunt tibi, & cum magna gratulatione suscipient te, sicut angelum dei excipientes, vt ait Paulus: Sicut Christum Iesum. Hęc & alia huiusmodi monita atque præcepta sermo diuinus annunciat. Neque enim tantum de viris disserit, quia apud deum etiam femineus militat sexus. Multi enim sexus feminei virili animo militiam spirituales gerunt, non pro corporis infirmitate reprobantur, quod interioris hominis virtute viros æquant, & in agonibus martyriorum multæ pares, quædam fortiores viris extiterunt: quibusdam virorum & à fortiore sexu ignauia muliebri degenerantibus, infirmum corporis sexum virili mente vicerunt: & amissas negantibus viris obtinuerunt coronas, quæ in testimonio virtutis victrices pœnarum viris labentibus constiterunt. Ex ipsis sunt quæ angelicum sacratæ virginitatis splendēt chorum, ex ipsis & illæ quæ gloriosis confersionis præliis, & martyriorum triumphis coruscant: sequebantur autem & ipsum dominum in præsentia eius non solum viri, sed & mulieres, & ex vtroque sexu comites, sicut scriptura designat: Et obsequabantur, & ministrabant domino. His igitur talibus tantisq; virtutibus & honoribus militiæ Christi adiacentibus certatim omnes, & patres filios, & mères filias offerunt Christo, & suam quisque progeniem regi cœlesti ad militandum probare festinant: gaudentes in spe æterna, quæ non confundit: quia charitas Christi diffusa est in cordibus nostris. Talia enim pignora non solum in consortium salutis & gloriæ, sed etiam in ornamentum, & in patrocinium perenne deuoti parentis habebitis. Et non simus circa filios nostros pusillanimes, neque timeamus, si nunc in militia spirituali laborem, sed magis lætemur: quia si impensius laborauerint, illustrius glorificabuntur. Nos tantum representemus domino, quos ab ipso accepimus, vt & probatorum ac militantium Christo filiorum efficiamur participes, nobiscum eos adducetes, &

Math. 25.

Mar. 15.

statuentes coram domino. His autem qui ita exhibere se studēt deo, & agonem iustum militiæ spiritualis legitime certate nituntur, vt apprehendant brauium supernæ vocationis, competenter illud ex psalmis dicimus, Benedicti vos à domino, qui fecit cœlum & terram. Dignè etiam pro his secundum Mosē orabimus, Benedic domine opera ipsorum, & depone lūbos aduersariorum eorum. Vtiliter agite & probati milites, currite fortiter cursum vestrū, & decertate certamen bonum, vt capiatis æternas coronas, in Christo Iesu, per quem deo patri gloria, cum spiritu sancto, in secula seculorum, Amen.

Psal. 113.

DE MILITIA CHRISTIANA, Homilia.



OMNES homines, qui se student humo tollere, & inserere cœlestibus: quiq; naturā mortalitatis euincere angelicæ conuersationis æmulatione nituntur, vt studio bonæ voluntatis angelorum incorruptionem sequentes, appropinquent deo: incorruptio enim, vt scriptū est, hominem deo proximum facit: remoueat se quantum possunt spiritu virtutis à corpore, & penitus absintant à carnali concupiscentia, morientes quidem super terram huic vitæ secundum imitationem passionis Christi: viuentes autem angelicam vitam iuxta communionem vite domini, & resurrectionē mortuorum. Qui enim Christi sunt, inquit apostolus, hi carnem suam crucifixerūt cum passionibus & concupiscentiis. His ergo talibus olera pro carnibus, aqua pro vino, & cibus modicus pro dapibus opimis est. Propter quod & vigiliæ gratiores, quam somnus: & noctes pro diebus aguntur, & crebriora apud deum per orationes colloquia, & hymnis excubiæ, & verè (vt apostolus dixit) in carne ambulantes, non secundum carnem militant. Qui autē ad plenam huius exercitij perfectionem, sicut in verticem montis ascendere non valent, saltem in secūdo virtutis gradu consistere studeant, vt immoderatam carnalium concupiscentiarum abundantiam circuncidant, vt sanctæ ad dominum vocationis non penitus alieni sint: & de his quæ circa hunc mūdum sunt, occupationibus non omnino teneantur. Vbi enim voluntates multæ, ibi & vacationes plurimæ, quæ à deo separāt, gula & ebrietas, quorum & comes est corporalium permixtionū delectatio. Hęc autem vicia magnas auariciæ causas attrahūt, quia exuberantem rerū copiam exigit vita luxuriæ. Et ideo multa acquirendi necessitas strangulat animas corpori seruientes, ne desit effusus affluens sumptus impendiis. Ergo imitemur Loth illum beatum fratrualem Abraham, qui de terra Sodomæ & Gomorrhæ cū igneis imbribus ardere cœpissent, manibus angelorū eductus exiuit. Et cum iuberetur in montē confugere, & illic ab incendio damnatarum vrbiū tutus manere, pigebat vt senex, ne deficeret in fuga, in mōtis ascensu, & ignibus apprehenderetur. Metuebat autem & angelos, ne contradicens præcepto dei, quod per ipsos acceperat, perimeretur ab ipsis, quia in montem confugere colluctabatur. Vnum ergo minimum de Sodomiticis vrbiibus oppidū ad salutis refugium donari sibi poposcit à domino. Et qui altiora petere vitauit, minima autem pro multis poscere elegit: dat ei primum quidē in ciuitate modica de magnis illis & optimis, & deliciofis vrbiibus liberata: salutē in magnis periculis, in exiguo obtinet: propter quod & ipsa ciuitas, quæ prius Balath vocabatur, Segor appellata est, id est saluatrix: ex hoc autem munere

Galat. 5.

1. Cor. 10.

munere dei, quo parue ciuitatis habitaculum meruerat à domino, allumens audaciam, ascendit in montem. Tales quidem & nos efficiamur, vt primū effugiamus copiosas, & circumfluentes huius mundi delicias, quæ similes sunt Sodomitarum corruptis ex vbertate moribus terrarum, de quibus dicit deus: Quia in saturitate panium luxuriabant. Coarctemus autem multa in modica, vt non incendamur ex multis epulis, & comestationibus, & distentionem ventris subsequētibz intemperantiis: sicut incensæ sunt Sodoma & Gomorrha, & confines earum. Post vero moderata virtutis nostræ fragilitate nutriemur anima procedēte in melius refrenandi corporis consuetudinem: ascendamus ad perfectam abstinentiam castitatis, sicut in ipsum montem salutis, & verticem virtutis confugientes à seculi huius incendiis. Metue ergo delicias Sodomitarum, ne Sodomitica patiaris incendia: fuge fornicationem, discede ab omni luxuria, respue gulam, abdicā ebrietatem, & omnem ignium Sodomiticorum fomitē in temetipso victo extingue. Si enim, inquit, accenderis ignem, inflammaberis, & ipse tibi eris autor exitij, cum te voluntariis libidinibus excitata viciorum flamma consumpserit. Non agemus similem infidelibus vitam, sed à quibus fide discernimur, ab eorum studiis etiam & moribus diuidamur. Declaret fidē tuam quotidiana actio tua, confirmet tuā ad Christum charitatem euidentē, à carnalibus concupiscentiis discessio tua, ne quis te contra disciplinam, & decus nominis Christiani in deuis ambulātem videns, dicat: Ille est ille, qui cœlestis vitæ sectator, qui denique summæ ipsius pudiciæ magistri discipulus habebatur. Ille est ille selectus à mūdo, qui iam cœlestibus angelis comparabatur, qui se in aduētum cœlestis regis præparabat, seq; eius lateri cominus adhæsurum præsumebat. In hęc ergo post laudem opprobria deuenire præcaues, ita age, vt glorificetur per te magis, quàm blasphemetur Christus, qui dicit: Honorificantes me honorificabo, & annullantes me depreciabuntur. Quem vtique despicerē, & pro nihilo habere conuinceris, etiam si verbo honorare indicaris, quando non secundum nomen fidei tuæ viuis, per operum tuorum prauitatem blasphemari cogis in eum, cuius nomen præferre audes, & voluntatem agere detrectas: sicut econtrā hi qui dignā Christo vitam agunt, manifestam virtutem eius, & admirabilem gratiam apud omnes faciunt, vt illud domini verbum impleant, Luceant opera vestra coram hominibus, vt videntes ea, honorificent patrem vestrum qui in cœlis est. Memento quia Christo sacrata sunt membra tua, non misceantur membris meretricis. Nō polluas templum sacratum domino, ne fias ab spiritu eius alienus. Non enim capit quod sanctum est in templo polluto. Quæ, inquit, communicatio lumini ad tenebras? Non abutaris natura contra naturam: filiorum enim generationem nouit lex naturæ, & propter sobolem procreandam coniungit mulieri: concubitum autem superflue voluptatis etiam nuptiæ profugiunt, fornicationum sunt ista. Et mulier data est tibi in adiutorium. Ergo licito honestoque consortio ob hoc tantum vtere, vt commercium inhonestæ permixtionis effugias. Neque contempnas quod non iam hodie in opera peccantium vindicat Christus. Quanta enim patientia sustinet, tanta & seueritate restituet. Nunquid enim irascetur per singulos dies? Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrauit. Et quantum te peccantem vt conuertaris expectat bonitas indulgentis dei, tantum in te, nisi

Eccl. 16.

Marci. 8. Luca. 12.

Math. 5.

Psal. 7.

conuersus fueris, eiusdem iudicis censura procedet. Patientiæ quidem præsens tempus, sed futurum ira est. Noli ergo de huius temporis spacio remissionem non timendi tibi ad peccandi licentiam sumere. Sic loquimini, inquit, & sic facite, sicut per legem libertatis iudicandi estis. Et si secundum carnem viuatis, vt alter Apostolus dicit, Si secundum carnem vixeritis, moriemini: si verò spiritu facta carnis mortificetis, viuētis. Adiungere itaque, & colloquere spiritu, & non tibi praualebit caro. Nolite, inquit, inebriari vino, in quo est luxuria: sed implemini spiritu sancto, cantantes & psallentes in cordibus vestris deo. Ecce remedia animæ domesticæ deo. omnia autem hęc frequenter audiamus, sicut verba sacra spiritualium canticorum. Reddamus vota, & impendamus orationes domino, vocanti nos ad vitam æternam. Omnis ergo homo dei indutus Christum, fuge omnia quæ sunt incentiua carnalium cupiditatum, vel conuiuia, comestationem, & temulentias crapularum: & non dico secundum humanum prouerbiū, ne substantiam tuam perdas: carnalis enim hęc cura est, & secundum humanam utilitatem familiare consilium, sed dico ne spiritualem, quæ multo potior est, substantiam salutis amittas, & spiritualium diuitiarum inopem te facias. Non solum autem hęc baptizatis dissero & prædico, sed etiā baptizandis præcipio. Sicut enim is qui illuminatus est gratiæ dono, dignum se debet præstare accepto diuinitatis munere: ita qui adhuc eiusdem gratiæ candidatus est, & in eadem spe simili fide currit, dignum se facere debet gratiæ consequendæ. Timeat enim, ne post agnitionem dei, cuius signaculo iam prænotatus est, si non dignus agnitione percepta inueniatur, indignus etiam sanctificationis munere iudicetur. Ideo, inquit, misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in infidelitate: superabundauit autem gratia domini nostri Iesu Christi cum fide & charitate. Tu itaque si sciēs peccasti in fide positus, metue ne gratiæ dono priueris, sed magis prepara te quotidie per omnem diem & noctem domino. Quis enim regem suscepturus, non parat & exornat domum, vt digna sit introitu & mansionem regali? Nam quis audent in sordida & inculta domo regium aduentum suscipere? Nec sanè sub vna die domus adornetur Christo, sed per totam vitæ nostræ ætatem, æterno principi in referanda humani pectoris aula componatur. Sed peccasti: pœniteat te. Emundat enim pœnitentia peccatorem, & reparat ad sanctificationem. Ideo præuenit & Ioannes, preparans viam domino, & præcipiens dignos fieri fructus pœnitentiæ, vt fugerent ab ira ventura, reconciliati per donum baptismatis in spiritu sancto: quod quia adeptus es, ne recurras ad peccata, quæ remissa sunt tibi: neque in delictis frequenter offendas, relinquens ea, & rursus recurrens in ea: neque enim vt canem ad suum vomitum, aut suem in volutabrum contraria humanitati, irrationalium & immūdorū animantium natura te ducat. Hoc enim profecto dicens tradit te verbo dei, & sanctarum precum studio, vt naturæ carnalis immoderatas ad appetentias dei sermo contineat, & assidua ad deum oratio arceat, vt & naturam tuam opere diuino bonam competenter in sua mensura custodias, sicut equum, eam temperans & refrenans, agitorius disciplinis: atque ita & domino non execrabilē facturam suam, in teipso iuxta naturam suam compositus exhibebis. Non enim vult opifex creaturæ nostræ corruptum in nobis videre opus suum. Itaque sanctitatibus, & remediis

Iacobi. 3.

Rom. 8.

Eph. 5.

1. Tim. 1.

Luca. 3.

remediis spiritualibus integrum te cōserua, vt & nunc & in illud infinitum seculum domino creatori placitus assistas, & non per modicam & breuē in hac vita corporis voluptatem æternæ beatitudinis detrimentū capias. Ipse autem dominus fabricator naturæ nostræ, & omnium accidentium modo languorū medicus, & futurorum bonorum dator, dirigat volūtates vestras in bonum, & perficiat cursum vestrū in salutem, ipsi gloria in secula seculorum, Amen.

DE ERVDITIONE DISCIPLINÆ, Homilia.



ERVDITIO disciplinæ custos est spei, & vinculum fidei, & dux viæ ad salutē ferentis, quæ fouet & nutrit animam ad profectū sensuum, & spiritualium magistra virtutū est. Ipsa igitur in Christo manet semper, & indeficiēter secundum deum uiuit, & ad cœlestes repromissiones perducit, & ad diuina præmia facit peruenire. Hæc ergo nos sectari oportet salutem, & auerti ab omni malicia. Dicit enim in psalmo spiritus sanctus, Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur dominus, & pereatis de via iusta, cum exarserit in breui ira eius. Et iterum: Peccatori autem dixit deus: Quare tu enarras iusticias meas, & assumis testamentū meum per os tuū? Tu vero odisti disciplinam, & proiecisti sermones tuos post me. Et iterum legimus, Qui abiicit disciplinā, infelix est. Et Salomonem ita nos admonentem accipimus: Fili, ne fias pusillanimus, neque deficias, cū increparis à domino. Si autem dominus quem diligit, arguit & castigat, vt emēdet ac dirigat vias eius: proculdubio fratres, & maxime sacerdotes non odiunt, sed diligunt quos corripiunt: ideo enim hoc faciūt, vt emendēt quos arguunt. Quoniam & deus per Hieremiā prædixit hæc tempora nostra, significans & dicens: Dabo ipsis pastores secundum cor meum, & pascent eos pascentes cum disciplina. Et quidem cum sanctis scripturis frequenter, & ferè ubiq; disciplinæ mandata seruantur, & omne fundamentum pietatis, & fidei nostræ per custodiā mandatorum confirmatur, vt radicibus nostris fortiter complantatis, & domibus nostris super petram firmiter fundatis, incōcussi procellis & fluctibus istius seculi resistamus, & ad diuina dona per obseruantiam mandatorum eius peruenire possimus, cōsiderantes simul quia membra nostra templum dei sunt. Ab omnibus ergo veteris vitæ iniquationibus purgemur, mūdati lauacro immortalitatis & vitæ: quoniam qui templū dei violauerit, disperdet illum deus. Huius ergo viui & rationabilis templi nos sacerdotes & ministri sumus. Et ideo seruiamus ei, sicut beatissimi Pauli sermo est, in mandatis eius, per quem nos ad beatum amorem cœlestis vitæ præceptis salutaribus introduxit, dicens: Non enim estis vestri: empti enim estis precio magno, glorificate & portate deū in corpore vestro. Ergo glorificemus & portemus deum mundo & immaculato corpore, & conuersatione bona, & redempti sanguine Christi, in omni obseruatiā mandatorū redemptori nostro pareamus, & studeamus nihil sordidum & immundum in domum dei inferre, ne quādo ipse qui fecit te, indignans relinquat domum, quam prius libenter habitabat. Hi sermones viuificantes dei sunt, quibus docemur simul & curamur, & in memoriā castigationis redimus, vt de cætero flagellari caueamus. Ecce enim, inquit, sanus factus es, noli vltra peccare, ne quid tibi deterius contingat. Confirmat & acuit nos ad curā & studiū disciplinæ. Prop-

ter assequēdam & obtinendam salutem, legem dat, vt posteaquā reddiderit hominē sanitati, nō sinat eum in eadem reuolui, propter quæ fuerat infirmatus: & neque resolui eum in securitate sanatum, neque euagari fiducia sanitatis permittit: sed ex quibus eum diligēter curauit, per eadē ipse curato homini vehementius cōminatur: quoniam quidem minus est peccatum ei qui peccat, priusquam agnoscat disciplinam domini: nulla autem venia est peccanti post agnitionem domini: nisi pœnitens reuertatur, quia deus mortem non fecit. Et non vult mortem moriētis, sed vt reuertatur & viuat: ne sit spiritus vadens & non reuertens: quorum damnatio iusta hæc. Hoc autem omnes simul viri & mulieres, pueri & puellæ, & omnis omnino ætas obseruent, solliciti sint pro fide, & pietate cuius vnusquisque debitor est deo: ne quando hoc sanctum & mundum quod misericors deus gratiæ suæ dono in nos cōferre dignatus est, sine cura & timore habentes amittamus. Ab hoc fratres dilectissimi periculo, cōsulens nobis dominus, ne quis zelās fratrem suum, in laqueos mortis caderet, interrogātibus discipulis, quis in ipsis maior esset? Qui minor, inquit, fuerit in omnibus vobis, ipse erit magnus. Ecce fratres vbi præcidit omnem zelum responsione sua, quia omnem causam & substantiam inuidiæ sustulit & abscidit. Didicimus vnde possumus placere. Vnde & beatus apostolus Paulus adhortans & docens nos, vt quicumque illuminati sumus Christi lumine, tenebras nocturnæ conuersationis effugiamus, & in factis, & in operibus luminis ambulemus: Nox, inquit, præcessit, dies aduenit: abiiciamus opera tenebrarū, & induamur arma lucis, sic vt in die decenter & honestè ambulemus, non in comessationibus, neque ebrietatibus, neque cubilibus & lasciuuis, non in rixa & zelo. Si autem discesserunt à pectore tuo tenebræ, & nox inde expulsa est: si illustrauit sensum tuum splendor diei, & homo lucis esse cœpisti, quæ bona sunt, Iesu Christo gratias age, quia lux & dies Christus est. Quid te ipsum mundi huius caligine rursus inuoluas? Quid ad diabolum cui renunciaſti, reuerteris? Quid Cain similis efficeris: Homicidij enim crimine reū teneri cum qui zelat & odit fratrem, Ioānes apostolus manifestat in epistola sua, dicens: Omnis qui odit fratrem suum, homicida est: & scitis quia omnis homicida non habet vitam æternam. & iterū, Qui dicit se in lumine esse, & fratrem suū odit, in tenebris ambulat, ipso scelere cæcatus. Vaudit enim nesciens in gehennam ignis, & præceps fertur ad pœnam, separatus à lumine Christi docentis & dicentis, Ego sum lux mundi huius: qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Sequitur autem Christum, qui insistit mādatis eius, qui per viam doctrinæ eius ambulat, qui per vestigia, & per vias eius currit, qui imitatur illa quæ Christus fecit & docuit: sicut & Petrus apostolus suadet & præcipit, dicens, Christus passus est pro nobis, relinquēs vobis exemplum, vt sequamini vias eius, & in vestigiis eius ambulemus. Meminisse præterea & considerare debemus, quo nomine populum suum nuncupauit: Oves nominat, vt mansuetudo Christiana ouibus æquetur. Agnos vocat, vt agnorum simplicitatem castis innocentia sensibus æmulemini. Quid ergo in vestitu ouium lupus latet? Quid Christianum se esse mētens, gregem Christi infamat: Christi enim nomē induisse, & per viam Christi ambulare, quid aliud est, quā quod ipse docet, dicens illum ad salutem venire, qui seruauerit mandata eius, & illum esse sapientem ædificatorem, qui verba eius

Psal. 2.

Sapient. 3.

Prover. 3.

Hier. 3.

1. Cor. 6.

Ioan. 5.

Matth. 20.

1. Ioan. 3.

1. Pet. 10.

eius audiat & faciat, & illum magistrum maximum in regno cœlorum appellandum, qui faciat & sic doceat: Docet enim hic ordo doctrinæ magistri, vt primum ipse perferat, quod docet esse faciendum. Si enim videatur in actu eius quod probabile sit, prōptius recipitur quod prædicat. Adiciunt enim doctrinæ autoritatē bona vita doctoris. Vnde frequenter discipulis suis dominus salutiferam & cœlestem doctrinam annunciat, vt quæ audiendo percipiunt, agendo custodiant. In primis ergo obseruandum & custodiendū præcipit, vt ea charitate qua ipse dilexit nos, inuicē diligamus. Sic enim inquit Apostolus, Firmum & incorruptum charitatis vinculum custodiamus, adiecit & dixit: Charitas patiens est, charitas benigna est, charitas non amulatur, charitas non inflatur. Docens utiq; & ostendēs illum posse charitatem tenere, qui sit longanimis, & mundus ab æmulatione liuoris. Et alio loco item cum prædicaret & doceret, vt homo repletus gratia spiritus sancti, & regenerationis cœlestis filius dei factus, nihil nisi spiritualia & diuina sectetur: ita dicit, Et ego fratres non potui vobis loqui vt spiritualibus, sed vt paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam: nōdum enim poteratis, sed neque adhuc potestis, adhuc enim carnales estis. Quando enim in vobis inuidiæ & contentiones sunt, nōne carnales estis, & secundum hominem ambulatis? Et rursum idem Apostolus prouidenter & salubriter docens, dicit, Itaque fratres debitor sumus nō carni, vt secundum carnem viuamus. Si enim secundum carnem viuatis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificetis, viuetis. Quotquot enim spiritu dei aguntur, hi filij dei sunt. Si ergo filij dei esse cœpimus, accipientes spiritum sanctum, sancte & spiritualiter viuamus. Si de terra in cœlum oculos eleuauimus, si ad excelsa & diuina repletum deo & Christo pectus ereximus, digna deo & Christo agamus, sicut & Apostolus exhortatur, & dicit, Si ergo cum Christo resurrexistis, quæ sursum sunt, querite, vbi Christus est in dextera dei: quæ sursum sunt, sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est in Christo. Cum autē Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. Deus autem omnium det vobis spiritum compunctionis, vt percipiatis quæ dicuntur à nobis secundum euāgelium Christi dei nostri, per quē deo patri honor, gloria, cum spiritu sancto in secula seculorum, Amen.

DE VIRTUTE HOMILIA



IRTUTR amatrix eremi, quando in desertis degit locis, delectabilibus blandimentis arcessit comparem vocis suæ, conuallia penetrans, & suum masculum in amœna & nemorosa pascentem conuocat, & hinc auolare prouocans, hortatur ascensionem sui celerem facere. Vnanimi autem mente ad inculta & prærupta rupiū cubile fundantes, exinde suos sine timore volare prouocant pullos. Assuerant quidam turturam castam, & amatricem cōparis esse: ita vt si quando euenerit eius masculum ab aquila, siue aucupe capi, non se commiseri alteri, sed ipsum cupere, & ipsius præstolari aduentum, & in amore eius expectatione pendere. Idcirco audite mulieres, quæ castitas in volucris reperitur. Quotcunq; igitur figuram turturis in vestra mente portatis, huius sobrie imitami castitatem: talis etenim est omnis casta ecclesia: viro quippe eius Christo crucifixo, & in cœlis ad dexteram patris sedente, alteri viro non commiscetur, sed ipsum desiderat, ipsum expectat, & desiderio eius com-

A mori cupit. Sed ne forte videamur charissimi scripturæ autoritatem prætergredi, turturam nominantes, vera ipsius scripturæ verba texamus: testatur nanque beatus Dauid, & dicit: Etenim passer inuenit sibi domum, & turtur nidum, vbi reponat pullos suos. Videamus ergo quem dicit passerem, vt ego arbitror, hominem intelli gi voluit: Anima nanque nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. Quod & dominus idipsum volens ostendere discipulis suis, quantum alios sanctitate præcelleret, dicit eis: Nolite timere, multis passeribus meliores estis vos. Propterea & Salomon proclamata, dicit: Vt euadas sicut damula ex cassibus, & sicut auis à laqueo. Simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod accipiēs homo seminauit in agro suo, quod quidem minimum est omnibus seminibus: quando autem creuerit, maius efficitur vniuersis oleribus, & fit arbor, ita vt veniant volatilia cœli, & sedeant in ramis eius: nam & hoc innumerabile hominum genus volatilibus cœquauit. Etenim passer inuenit sibi domum, & turtur nidum sibi, vbi reponat pullos suos. Turturi comparauit omnem castam ecclesiam propter multiplicem sapientiæ gratiam. Et quia verum est quod dicimus, audi Dauid loquentem, Omnis gloria filia regis ab intus in simbris aureis circūamicta varietate. Etenim passer inuenit sibi domum, & turtur nidum sibi, vbi reponat pullos suos. Hoc in confessione trophæi crucis enutriēs illuminatos filios suos. Huius turturis Hieremias mētione facit, dicens, Turtur & hirundo, & cicada agri passeris cognouerunt tempus aduentus sui. Turturam dicit omnem castam ecclesiam, hirundinem vero Ioan nena hominum amatorem, cicadam autem eloquentissimum Paulum, ecclesiæ organum. De ista nanque turture præcepit Abraham deus, dicens, Accipe mihi vaccam trimam, & arietem trimū, & capram trimam, turturam & columbam. Huius turturis meminit scriptura in Cantico canticorum, dicens, Vox turturis audita est in terra nostra. Vox turturis huius cœlestem Christi nobis verni temporis significauit aduentum. Vox turturis audita est in terra nostra. Audiamus igitur huius turturis vocem melleam decantatem, Nigra sum, inquit, & speciosa filia Hierusalem. Nigra propter priorem præuaricationem, speciosa propter celebrem pœnitentiam: nigra propter luctum ruinæ, speciosa propter splendorem baptismi gloriosum. Nigra sum & speciosa filia Hierusalem. Filias Hierusalem sanctas patrum animas dicit. Nigra sum & speciosa ex gentibus ecclesia, ne consideretis me vos animæ sancta, ne aspiciatis in me, quoniā ego nigerrima sum, quoniam despexit me sol propter priora mea delicta. Et quis est sol qui eam despexit, videamus. Ille nimirum de quo Ecclesiastes dicit, Oritur sol, & occidit sol, & ad locū suum reuertitur. Ortus est nobis sol iusticiæ Christus de sancta Maria secundum carnem genitus, Oriens quippe nomen est illi: occidit vero quando post crucem ad inferna descendit. Oritur sol & occidit, & ad locum suum reuertitur, ipso dicente, Cum exaltatus fuero, vniuersos trahā ad me. De hoc sole iusticiæ & Esaias pronunciat, dicens, In diebus illis orietur sol iusticiæ, & sanitas erit in pennis eius. Veniente enim sole iusticiæ Christo, ad tactū simbriz vestimenti eius fons profluuij sanguinis exiccatus est. Nigra sum & speciosa filia Hierusalē: Si qua hic peccatis anima denigrata est, ne timeat, tantummodo pœnitentiā agat, & dicat, Nigra sum ego, & decora. Et si in nouissimo spiritu est, & (vt ita dicam) si in extremo halitu positus, ne formidet, tantum cum fletu pœniteat, & cō-

Psal. 83.

Matth. 16.

Psal. 44.

Hier. 3.

Gene. 15.

Cant. 2.

Eccle. 1.

Ioan. 12.

Malac. 4.

635

puncto cōfiteatur corde. Ad vesperum enim demora-
bitur fletus, & ad matutinum læticia. Imitare itaq; Eze-
chiam regē, qui agrotatione constrictus, & lectulo de-
cumbens, audiuit sanctum Esaiam dicentem sibi, Dispo-
ne domum tuam, quia morieris tu, & non viues. Cōuer-
sus ad parietē amariter fleuit, & precibus suis pœnitens,
deum ad misericordiam prouocauit, & quindecim ad
vitam annorum tempus illico à deo promeruit. Si quis
est hic catechumenus, confiteatur peccata sua, accedat
ad deum, baptizetur in nomine Christi: lauacro aquæ
regenerationis ablutus, adoptabitur in filiū dei. Si quis
est hic fidelis per negligentiam peccator effectus, natu-
rali lachrymarū fonte abluat semetipsum, & per bonā
pœnitentiæ confessionē prouocet, imò inuitet miseri-
cordiā dei. Si sic temetipsum adornaueris, si sic animā
tuam ad pœnitentiam præparaueris, & contemptā red-
dideris: si correptionibus iustis fueris delectatus, ample-
ctetur te sermo diuinus, & inflammabit mentem tuam,
& ad desiderium te attrahet dei, & tunc dices & tu, Væ
mihi, væ mihi, vulnerata charitate ego sum. Lege Esaiā,
& in ipso inuenies quo modo ipsa sagitta loquatur.
Posuit, inquit, me sicut sagittam electam deus: verbum
dicit, & in pharetra corporis abscondit me. Ista sagitta
vulneratus Hieremias dicebat ad deum, Ego autem nō
laboravi sequi post te, & diem humanum non concupi-
ui. Ista sagitta vulneratus mente Dauid dicebat, Adhæ-
sit anima mea post te, me autē suscepit dextera tua. Ista
sagitta vulneratus Petrus, dicebat Christo, Domine, tu
nostri quoniam diligo te. Ista sagitta vulneratus Paulus,
& conuinculatus Christo dicebat, Quis nos separabit à
charitate Christi? Ista sagitta vulnerata omnis casta eccle-
sia dicebat, Væ mihi, væ mihi, vulnerata charitate ego
sum. O gemitus de medio cordis amabilis, bonita-
tis pullulans fontes, o gemitus cœlestem sponsum Chri-
stum ad semetipsum adducens: propterea dicit, Osculetur
me ab osculo oris sui, desponsata sum cœlesti spon-
so per legem & prophetas. Ego ecclesiam ex gentibus
non iam volo per Mosē & Esaiam, aut Hieremiam,
& ceteros vates: sed ipse veniat, cum ipso volo ore ad
os loqui: ipse veniat, & osculetur me ab osculo oris sui.
Audio Hieremiam dicentem de ipso, Graue cor eius præ
omnib⁹, & homo est, & quis cognoscet eum? Ipsum desi-
dero, veniat, & osculetur me ab osculo oris sui. Audio
Amos dicentem de eo, Ecce homo stans super murum
adamantinum, & in manu eius adamantus: ipsum quæro,
veniat, & osculetur me ab osculo oris sui. Et sicut con-
iunx amatrix viri absente marito suo per fenestras cir-
cumspectit, ipsum requirens, & vbique speculās in mari,
& in terra: & si viderit nauem venientem, ibi suum pu-
tat esse virum: & si viderit viatores procul venientes, in-
ter ipsos adesse existimat, & occurrens eis interrogat, di-
cens, Dicitē mihi vbi eum dimiseritis, in qua regione,
aut in qua ciuitate, quid dicentem, aut quid facientem,
aut quando venientem? In hunc modum omnis casta
ecclesia cōstricta amore Christi, interrogat prophetas,
Vidisti eum? putas venit? putas non venit? putas adhuc
in cœlis est? putas adhuc non aginta & nouē oves quæ
non errauerunt, pascit in cœlis, & non venit ad erro-
neam ouem? Dicitē mihi, vbi pascit, vbi cubat, quem di-
ligit anima mea? Interrogati propheta per vnū respon-
dentes Esaiam, dicunt, Vidimus eum, si tamē ipsum ex-
pectas: siquidem vidimus eum, & nō habebat speciem,
neque decorem, sed visio eius inhonorabilis, & mino-
rata præ filiis hominum. Respondit omnis casta eccle-
sia, Ipse est, ipsum desidero, ipsum quæro, veniat & oscu-

letur me ab osculo oris sui. Respondet ad eam Esaias,
Ipse est, veniet cū dominatione, ecce merces eius cum
eo, & opera in conspectu eius, sicut pastor cōgregat gre-
gem suum, & in manu sua cōgregabit agnos, & in vte-
ro habentes consolabitur. Audiens hæc omnis casta
ecclesia, quod manifeste de eo narrauerit Esaias, dicit
ad eum, Vbi pascit, & vbi cubat quem diligit anima
mea? Mittit eam ad Ioannem, Vade, inquit, interroga
eum, quia ipse est præcursor eius, & vox clamātis in de-
serto, parans viam domini, & dirigēs semitas eius. Per-
git ad Ioannem in deserto, Dicitō, inquit, mihi, si tu es
Christus? Respondet Ioannes, Non sum ego Christus. Ioan. 1.
Denuo interrogat, Si tu nō es Christus, quare baptizas?
Respondit ille, Ego quidem Christus nō sum, sed post
me veniet qui fortior me est, cuius nō sum dignus corri-
giam calceamēti soluere. Et adhuc tardante eo, dicit
ad eum, Væ mihi, væ mihi, vulnerata charitate ego sum.
Et iterum dicit Ioannes ad eam, Sustine paulisper, noli
ingemiscere, expecta, iam iamque veniet, ego illum tibi
ostendam. Videt Ioannes eminus venientem dominū,
& dicit ad eam, Iam noli tristari, nec ingemiscas, quia
venit: Ecce agnus dei, ecce qui tolit peccata mundi. Et
quum audisset agnum ab Ioanne, & pastorem ab Esaiā,
hæsit, & putat, dicens ad semetipsum, Cui credam? pu-
tas huic, aut Esaiā? Videt dominus quoniā dubitat, cla-
mat & dicit, Ego sum pastor bonus. Et vno sermone
soluit omnem hæsitacionem eius. Accedit illa ad spon-
sum, amplectitur, & osculatur eum. Et completur quod
in Dauid scriptum est, Misericordia & veritas obuiaue-
runt sibi, iusticia & pax osculata sunt se. Ut autem mani-
festius addiscamus, quoniam sponso sponsa coniuncta
est, & spirituales factæ sunt nuptiæ: ipse Ioannes epitha-
lamium dicit: Qui habet sponsam, sponsus est: amicus
autem sponsi, qui stat, & audit vocem eius, gaudio gau-
det propter vocem sponsi: illum oportet crescere, me au-
tem minui. Necessē, inquit, erat, sicut in nuptiis dotalia
scribi spōsa, charta quærebat, & scriptor, & calamus.
Dicit spiritus sanctus ad Esaiam: Accipe tu calamus
nouum, & grandem, & scribe in eo. Quærebat cala-
mus, inuētus est apud Dauid. Dicit enim de eo: Lingua
mea calamus scribæ velociter feribentis. Speciosus for-
ma præ filiis hominum, ipse eam despōsat, ipse eam ad-
ornat, ipse eam hortatur & docet, sicut ipse est doceri
hominibus à pronubis. Audi filia & vide, & inclina au-
rem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum pa-
tris tui: hoc est diaboli, cui prius seruiebas variis desi-
deriis, & voluptatibus irretita. Ne desperes, inquit, quoniā
similis tui est, quoniam dignatus est cōiungi tibi: quod
si temetipsum consideraueris, vnde, quod veneris, con-
cupiscet rex decorem tuum, quoniam ipse est dominus
deus tuus, & adora eum. Si me audieris filia, vultū tuū
deprecabuntur diuites plebis: necessarium quippe erat
& iam quæ ab vnoquoque offerebantur scribi, seruos vi
delicet & ancillas, & à Christo quidē seruus venit Pau-
lus, & Siluanus, & Timotheus serui Iesu Christi: expe-
tuntur & ab ipsa ancilla. Transit Dauid, & dicit: Addu-
centur regi virgines post eam, proximæ eius afferentur
tibi. Fiunt igitur nuptiæ. Venit dominus mystice in Ca-
na Galilææ. Cana interpretatur possessio: possessio autē
dei omne seculum est. Hic iam spirituales celebrat nup-
tias, hoc est Cana Galilææ. Et cōueniunt omnes sancti,
& vnusquisque secundū vires suas dona offerunt spon-
so. Abraham offert vitulum, Sara panes similiaeos, Isaac
ligna portat, Iacob hædos defert, Ioseph frumenta dis-
pergit, Mosēs lampadem accendit, Esaias canit, Dauid
chorum

637

chorum ducit. Et quia necesse erat ad tales nuptias &
sanctas interesse mulieres, & ipsas quoque congratula-
ri & canere: Venit Iudith composita, & Hester, & Ma-
ria soror Mosi tenens tympanum, & dicens: Cantemus
domino, gloriose enim honorificatus est. Necessē etiā
erat vt in talibus ipsis laudes & præconia scriberentur.
Paulus collaudans nuptias, dicit: Honorabiles nuptiæ,
& cubile immaculatum. Et quia mysticum erat quod di-
cebat, audi quemadmodum verba Adæ interpretatur,
dicens: Propter hoc relinquet homo patrem & matrē,
& adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. My-
sterium hoc grande est. Ego autem dico in Christo, &
in ecclesia: quod ergo ille interpretatus est, nos dubita-
re non conuenit: sed oremus deum, vt & nos gloriam
ipsius videre mereamur, in Christo Iesu domino no-
stro, cum quo est deo patri vnā cum sancto spiritu ho-
nor, gloria, & potestas per immortalia secula seculo-
rum, Amen.

Quod nemo laeditur nisi a semetipso, Homilia.



CIO quod crassioribus quibusque, & præsen-
tis vitæ illecebris inhiantibus, atque his qui
per omnia terræ adhærent & voluptati, pro-
priaq; libidini deseruiūt, nec spirituales sen-
sum capere quærunt, nouus videatur hic sermo noster
ac mirus: & deridebūt nos fortasse, quod in ipsa statim
tituli fronte inepta satis, & quæ nulli videantur veri si-
milia proponamus: sed nō ob hoc nos à proposito ces-
sabit, quoniam & eo ipso ad consignanda, & omni-
modis comprobanda quæ promissimus, perurgebimus.
Si tamen paululum nobis in principis patientiæ tri-
buant hi quibus absurda videntur esse quæ loquimur,
nec in exordiis obturbent dicentem, sed finem proposi-
tæ orationis expectent. Scio enim quia post hoc nobis-
cum stabunt notantes semetipsos prioris erroris: & (vt
dicitur) palinodiam canent, ac veniā postulabunt, pro
eo quod minus rectam minuscq; veram tenuere senten-
tiam: insuper & gratiam nobis habebunt, sicut agri qui-
que medicis recuperata sanitate. Nolo ergo mihi inge-
ras opinionem nunc illam quæ apud te hæcenus inue-
terata permāit. Sed expecta paululum orationis huius
nostræ lætamen: & tunc scio quod rectam proposito
negocio sententiam dabis, vbi spinosis opinionibus,
quæ apud te sunt, rationum quæ à nobis dabuntur falce
refecatis, rectum iudicandi tramitem potueris intueri.
Quoniam quidem & iudices seculi huius negotiorū-
que communium, etiam si vehemēter viderint eum qui
primas negocij partes prosequitur perorantem, & lar-
gissimis dicendi fontibus inundantē: expectant tamen
etiam respondentis ad hæc prosecutionem, & audiunt
eum cum patientia: nec prima allegatione mouētur ad
sententiam proferendam, etiam si iustissima videantur
esse quæ dicta sunt. Seruatur enim apud audiētiam eo-
rum secundo quoque integer dicendi locus: quoniam
quidem hæc est iudicū disciplina, prius ex vtraq; parte
causam diligenter agnoscere, & ita sententiā promul-
gare. Igitur quia & nobis in præsentī negotio prima o-
rationis pars profecuta est, inueterata apud plurimos,
& radicata multi tēporis opinio quæ omnē pene orbē
terræ perorat, & adstruit dicens, cōfusa esse omnia, nec
aliquid recte iusteq; seruari inter homines posse. Quo-
tidie enim videmus lædi quā plurimos, & affligi, & op-
primi cum omni iniuria: humiles & infirmos à potenti-
bus, & fortibus, & pauperiores à ditioribus inuadi: & si-
cut non est possibile numerare fluctus maris, ita nec hi

qui affliguntur, & iniuriam patiuntur, possunt numero
comprehendi: quibus neque leges vllæ subueniunt, ne-
que iudicum metus, neq; vlla vis alia morbum hunc ac
perniciē potest cohibere, quinimō & augetur per dies
singulos, fletusq; & gemitus malorum semper increfcit.
Ipsi enim iudices qui ad hæc reprimenda cōstituti sunt,
grauiores tēpestates, & perniciosiores suscitāt morbos.
Et in tantum labes mali huius augetur, vt nonnulli in-
felices, & stulti in id insanix proruperint, vt etiam di-
uinam pro his prouidentiam culpent, videntes eum qui-
dem qui honestum & placidum vitæ propositum gerit,
interdum trahi ad iudicia, vinciri, & perturbari, & pati
extrema omnia: proteruū vero & improbum, & pessimi
propositi virum augeri diuitiis, potentia, & honoribus
cumulari, terribilem omnibus fieri, & innumeris modis
excruciare & affligere, ac pedibus (vt ita dicam) conte-
rere bonos & honestos viros. Hæc autem iniqua atque
iniusta inæqualitas non solū in vrbibus, sed & in agris:
& non solum in terra, sed & in mari cōmittitur & exer-
cetur. Quum ergo huiusmodi apud plurimorum men-
tes feratur opinio, oratione vetustē persuasione asser-
ta, necessariō cōtra hæc hic noster nunc introducit sermo
noster, agones habiturus, quatenus falsæ huius opinionis,
quanius antiquas deiiciat & subruat sedes. Licet ergo,
sicut superius diximus, nouū quod asserimus, videatur
ac mirum, hoc tamen pollicemur, quod volentibus di-
ligenter his quæ dicuntur intēdere, & vera hæc nostra
& vtilis inuenietur asseritio. Hoc ergo est quod hic ser-
mo noster pollicetur ostendere (sed quæso vos, nullus
primo turbetur auditu) neminem posse lædi ab alio, ni-
si à semetipso. Verum vt planior sermonis intelligentia
& apertior detur, primo discutiam⁹ quid sit hoc ipsum
lædi, & erga quam materiam, quā uis substantiam lædi
contingat vniciueque. Sed hoc ita demum lucidius fiet,
si prius quæ sit in homine virtus, & vbi sit, requiramus.
Tunc enim verius apparebit, vnde & quo modo ei ac-
cidat lædi: & in quo quidem videatur lædi, nec tamen
lædatur. Idq; etiam exemplis adhibitis clarius demon-
strabimus. Omne quod est in rebus, habet aliquid quo
corrupti possit ac lædi. Verbi gratia: Ferrū rubigo læ-
dit, lanam tineæ, ouium greges lupus, vinum aceti per-
mutatio, dulcedinem mellis amaritudo corrumpit: lo-
lium segetibus nocet, grando vineam lædit, virgulta
ac diuersa plantaria locustæ, ac bruchi exercitus vastat,
& singulis quibusque corporibus (vt ne in enumerādo
omnia longius producat oratio) variē morborū spe-
cies inferunt corruptelā: sic enim corruptela erga vnū-
quodque eorum habet, quo noceri possit, & status eius
incolumitasq; corrumpi. Requiritur ergo nunc quid
illud sit, quo virtus quoq; animi lædatur ac vicietur hu-
mani. Alij quidem alia opinantur. Oportet enim nos
etiam falsas opiniones adducere in mediū, confutatisq;
eis, vt se veritas habet, edocere & ostendere euidenter,
quod nocere nobis vera noxa nemo alius potest, nisi
nosmetipsi. Alij ergo putant, quod noceat homini pau-
peritas, alij damna aut calumniæ, alij mors, & in his esse
cunctas hominum miseras iugiter deflent, multaq; mi-
seratione dignos ducunt eos qui in his positi vidētur,
ac lachrymabiliter conqueruntur, dicentes adiuuicem:
Quid mali perpeffus est ille? Subito direpta est eius vni-
uersa substantia. Et alius rursus de alio: Ille agrotat gra-
uissima ægritudine, & desperatur à medicis. Et alius eos
qui in vinculis habētur, deflet: & alius eos qui patria ca-
rent, & ad exilia propulsi sunt: alius eos qui in seruitutē
ex libertate rediguntur: alius eos qui ab hostibus depre-
dati sunt,

dati sunt, atque in captiuitatem ducti: alius eos qui naufragio decepti sunt, vel incendio conflagrarunt, vel ruinis oppressi sunt. Isti omnes planguntur, lugentur & deflentur ab omnibus: hi vero qui male agunt, & nequiter viuunt, à nullo penitus flentur, sed quod est infelicius, frequenter etiam isti laudantur ab omnibus, & beati dicuntur: quod certè totius mali causa est. Age iam nunc, si tamen (vt ab initio deprecatus sum) nemo obturbet dicentem, ostendamus quo modo nihil horum quæ supra diximus, nocere prudenti viro potest, nec corrumpere animi virtutem. Quid enim, dic mihi, eum qui facultates caluniarioribus, vel furibus, vel latronibus obfessus amisit, huiusmodi damna laferunt in animi virtute? Sed, si videtur, prius describamus vt propofuimus, quæ sit animi virtus, eaq; vt euidentius possit agnosci, coniecturam & similitudinem ex corporeis substantiis capiamus. Et videamus prius, verbi gratia, equi quæ sit virtus. Nunquid nam videbitur in argenteis frenis, pulchrisq; tapetibus ac sericis flammulis, phalerisq; gematis, iubaq; aureis intexta funiculis, equi virtus & magnificentia iudicari? an in velocitate cursus, & fortitudine pedum, gressusq; cautela ac pectoris firmitate, ceterisq; quæ aut conficiendo itineri apta ducuntur, aut præliis peragendis, vt vel interritus hostem petat, vel in aduersis perniter proprium possit ab exitio liberare fessorem? Nonne certum est in his potius equi virtutè, quam in illis de quibus supra dictum est, declarari? Quid autem & reliquorum animalium? nonne in eo omnis probitas habebitur, si vel ferre onera fortiter, vel robusta possunt mouere carpenta? Nunquid volens aliquis probare animal, ad ea respicit quæ ei superposita viderit: an (vt diximus) si membris, si pedibus, si vngulis validum sit, inspiciet: Et item si vineam probare volumus, nunquid ad hoc inspiciamus, si latos habeat pampinos, aut flagella diffusa, an illud magis aspiciamus, si densior ei fructus sit, & vna fecundior? Similiter & de oliua, atque aliis huiusmodi arboribus contèplamur. Igitur eodem modo etiam de hominibus agamus, discutientes quæ, aut vbi sit vera hominis virtus, & tunc eum lædi putemus, quum in ipsa fuerit læsus. Quæ ergo est virtus hominis? Non sunt diuitiæ, ne timeas paupertatem: nec sanitas corporis, ne languorem metuas: nec fama & existimatio humana, ne te hominum maledicta terreant: nec vita hæc communis, ne fortè metuas mortem: nec libertas, ne seruitutem perhorrescas. Sed quæ est virtus animi? Recte sentire de deo, & recte inter homines agere. Illa enim omnia quæ supra diximus, auferri ab homine possunt, etiam si nolit: hæc vero si habeat, auferre ab eo nullus omnino, nec ipse diabolus potest, nisi ipse ea qui possidet, perdat. Sciebat hunc rerum ordinem diabolus, & ideo quum expetisset beatum Iob, omnem substantiam eius perditum dedit, non vt eum pauperem faceret, sed vt pro his dolens, impium aliquem sermonem proferret in deum. Propterea deniq; & omne corpus eius afflixit, nõ vt eum faceret ægrum in quo nihil lædebat, sed vt per ægritudinis cruciatum, si forte constantia eius fatigari potuisset, animi virtute nudaretur. Ob hoc eum numerosa orbitate percussit: ob hoc & corpus eius tormētis multo grauioribus, quam si carniſces adhibuisset, afflixit: non enim ita tortores vngulis latera sulcarent, vt ille ea vermibus fodit. Ob hoc, inquam, hæc omnia, vt male aliquid de diuinitate sentiret. Ob hoc etiã amici qui ad consolandum venerāt, instigantur ad exacerbandum: aiunt enim, Nondum digne secundum ea quæ peccasti, flagellaris. Et multa

alia huiusmodi incusantes eum, loquuntur. Ille autem vrbe extorris & domo, & facultatibus simul affinisq; nudatus, sterquilinum pro domo, pro stramentis humum, simum pro indumentis habebat. Sed in his omnibus nõ solum nihil læditur Iob, verum & clarior per hæc ac magnificentior redditur. Cum enim cunctis eum facultatibus atque ipsius sanitate corporis spoliasset, iniensas ei virtutum diuitias per patientiam congregauit. Neque enim tantæ fiduciæ apud deum erat Iob, antequam in hoc agone defudaret. Quod si iste qui tanta perpeſsus est, & ab eo perpeſsus qui omnes homines nequicia & crudelitate præcellit, lædi in animi virtute non potuit: quis erit iam cuius videatur digna excusatio, cum dicit, Ille me læsit, ille offendit, ille nocuit, ille impediuit? Si enim diabolus qui omni malicia repletus, commodis vniuersis viribus suis, atq; omnibus telis armisque, vel in domum iusti, vel in corpus eius directis, lædere omnino non potuit: sed magis eum, vt dixi, gloriosum, & spectabilem reddidit: quo modo digne quis vllum hominem culpabit, quod ab eo lædi quierit, aut noceri? Quid ergo, inquit, non est læsus Adam à diabolo, & non est supplantatus atque eiectus de paradiso? Non diabolus eum, sed ignauia sua læsit, dum erga obseruantiam mandati nõ vigilauit. Nam hic qui tot machinis aduersus beatum Iob, totq; fraudibus pugnavit armatus, nec tamen eum vauit superare: quo modo vllis horum in Adam prolatis decipere potuisset, nisi per ignauiam suam semetipsum sponte perdidisset? Sed dicet: Quid ergo? qui calumniis circumuētus proſcribitur, & amittit vniuersam substantiam, non est læsus, quum paternis nudatus bonis, vltima egestate cruciatur? Non: imò vero non solum læsus non est, sed & lucri aliquid capiet, si vigilauerit. Quid enim, dic mihi, apostolos Christi penuria rerum corporalium læsit? Nonne in fame & siti, & nuditate degebant, & pro his clari magis & magnifici habebantur, atque ingentem per hæc fiduciã quæſierunt apud deum? Quid autem & Lazarus? nonne ægritudo & vlcera, & egestas vltima ad beatitudinẽ perduxit? Et afflictio huius mundi coronas ei in eternũ parauit? Quid vero Ioseph? nonne quod opprobriis domi & peregrè repletus est, eouſq; vt adulter putaretur, & quod seruituti subiectus est, parentibus & domo extorris effectus? Nonne ob hæc singula in admiratione est omnibus apud homines, & in magna gloria apud deum? Sed quid de exiliis, & paupertate, & opprobriis illatis loquor? & quod in seruitutem redacti sint mirabiles viri? Mors ipsa, dic mihi, quid nocuit iustissimo illi Abel, & mors amara, & acerba mors, parricidio illata, non homicidio? Nonne ob hoc in omni orbe terrarum canitur, & celebratur Abel? Vides quo modo amplius ostendit nostra hæc etiam quam promisit oratio. Nõ solũ enim hoc aperuit, quod promissimus, quia nullus lædatur ab alio, sed & quod lucra maxima capiant sancti homines in his quibus videtur affligi. Cur ergo, ais, pœnæ & supplicia, cur gehenna, quam ob causam minæ tam multæ, si nemo lædit, & læditur nemo? Noli confundere & permiscere sermonem: neque enim diximus, quia nemo lædit, sed quia nemo læditur ab alio. Et quo modo, inquit, erit istud, si lædūt aliqui, vt nemo lædatur? ita vt iam ostendimus. Nam & Ioseph læserunt fratres sui, & iniquè egerunt in eum, sed ipse læsus non est: & in Abel iniquè egit Cain, insidiat^r est enim ei, sed ipse non est læsus, nec mali aliquid passus, ob hoc erga pœnæ & supplicia. Non enim patientiã virtus eorum qui patiuntur, illorum crimen abstulit, qui impio propoſito

posito iniuriam proximis irrogarunt. Quauis enim ipsi clariore effecti sint per tolerantiam, non tamen illi eximuntur scelere per propoſiti sui maliciam. Et ideo quidem illos virtus animi extollit ad gloriam: istos vero malicia animi demergit ad pœnam. Meritò igitur à iusto iudice deo illis quidem qui cõſtanter philoſophati sunt, & ad palmam victorię peruenerunt, regnum paratur: his autem qui in nequicia propoſiti perdurarunt, gehenna deputatur. Propter quod, si ablata tibi sunt facultates tuæ: dic, Nudus exiui de ventre matris meæ, nudus & hinc abscedã. Adde & illud apostolicum, Nihil intulimus in hunc mundum, sed ne auferre quidẽ quid possumus. Audisti te maledici, infamari apud homines, & contumeliis onerari: recordare, & ante oculos pone verba domini, quibus ait: Væ vobis, quum bene vobis dixerint omnes homines. Et iterum, Gaudete & exultate, quum eiecerint nomen vestrum tanquam malum propter filium hominis. Expulsus es patria & domo, recordare quia non habemus hic patriam manentem, sed futuram inquirimus. Quid ergo te putas patriam perdidisse, qui in tota terra peregrinus es? Sed & si ægritudinem incurristi grauissimã, vt illo apostolico sermone, quo ait: Nam & si is qui foris est homo noster, corrumpatur: sed qui intus est, innouatur de die in diẽ. In carcere conclusus es, & mors crudelis imminet: intende adhuc ante oculos Ioannem in carcere ceruicibus caſum, & tanti prophete caput saltatrici puellæ in mercedem libidinis datum. Hæc ergo singula quum inferuntur iniuste, tu non consideres eorum quæ inferuntur iniuriam: sed eorum quæ pro his retribuentur, perpende gloriam. non solum enim peccatis absoluitur qui hæc patitur, sed & iusticias acquirit: tantum est vt fides eos constantiãque non deserat. Quum ergo neque damna facultatum, neque calumniæ, neque opprobria, neque exilia, neque ægritudines & cruciatus, neq; ipsa mors quæ videtur omnium horum esse grauior, lædat homines, quinimò & iuuet, clarioreſq; reddat: vnde iam probabis lædi aliquem posse, quum ex his omnibus non lædatur? Verum ego & amplius adhuc quid afſignare tentabo: quia illi soli læduntur qui lædant, & nulli alij nocet noxa quam ceteris inferunt, nisi ipsis qui inferunt. Quid enim, dic mihi, infelicius erit, quam Cain? Mors enim illa quæ manibus eius fratri illata est, illum quidem iustum reddidit per secula: ipsum vero qui intulit, haberi fecit per secula parricidam. Quid etiam Herodiade miserius, quæ caput Ioannis exhiberi sibi desiderauit in disco, vt suum caput perpetuis gehennæ ignibus flammisq; demergeret? Quid etiã ipso diabolo deterius, qui nequicia sua ita clarũ reddidit Iob, vt quanto illi gloria, tanto huic cresceret pœna? Vides quo modo & in his plus multo, quam polliciti fuimus, ostenditur? Claruit enim non solum neminem lædi ab his qui iniurias inferunt, sed & illos tantummodo lædi, & male pati, à quibus irrogantur iniuriæ: quoniam quidem neque diuitiæ, neque libertas, neque sanitas, neque alia huiusmodi quæ supra memorauimus, propria bona hominis sunt, sed sola virtus animi. Et ideo quum erga ea quæ extrinsecus sunt, damnium, aut amissio, aut afflictio vlla superuenit, nõ læditur homo: quia omne bonum eius in animi virtute consistit. Quid ergo, ais, si in ipsa eius animi virtute philosophatur, & læditur? Nequaquam: in his enim si lædatur, non ab alio læditur, sed à semetipso. Quo modo, ais, à semetipso quis læditur? Si quando verberatus ab aliquo, vel facultatibus spoliatus, aut alio quolibet modo afflictus, blas-

phemum & impium ex ore suo protulerit verbum: læsus in hoc, & valde læsus est, non tamen ab alio, sed à semetipso, per impatientiam scilicet suam. Intuere enim (sicut & superius diximus) quanta perpeſsus sit Iob, non ab homine aliquo, sed ab eo qui omnium hominum scelestior est & crudelior. Quod si ille immanis & crudentus, tot machinis, tot fraudibus adhibitis, totque suppliciis non potuit cogere vt peccaret Iob labiis suis ante dominum, & hoc quum neque legem dei accepisset Iob, neque redemptionis Christi ac resurrectionis eius fuisset gratiam consequutus: quanto magis tu his omnibus munitus, si velis, & ex fide auxilium dei implores, non poteris superari. Vide enim Paulum quanta passus est, quæ etiam enumerare difficile est: carceres, vincula, verbera, flagella, supplicia, à ludæis lapidatus, virgis caeditur, præcipitatur, latrones incurrit, ab inimicis & à falsis fratribus insidias perfert: intus timores, foris pugnas patitur: famem, nuditatem, calumnias, insidias, tribulationes, bestias tolerat. & quid opus est multa dicere? quotidie moritur, & tamen in his omnibus non solum nihil blasphemum ex ore suo profert, sed & gaudet, & gloriatur, atque exultans dicit: Gaudeo autem in passionibus meis: & iterum, Non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus. Si ergo hic tanta patientia gaudebat & gloriabatur: quæ erit venia, quæ excusatio his qui pro paruis iniuriis, vel verberibus, aut qualibuscunque tribulationibus, quæ vtique illis longe inferiores sunt, blasphemant? Sed aliter, inquit, lædor: si enim non blasphemauero, facultates meæ auferentur, & ero iam inutilis ad misericordiam faciendam. Occasiones sunt istæ, & non bonæ. Si tibi opera misericordiarum, & elemosynæ cordi sunt, audi: quia paupertas non impedit hominem ad misericordiam faciendam, hominem dico misericordem. Quauis enim pauper sis, erunt tibi duo minuta, quæ quum obtuleris, super omnem diuitum censum reputabuntur tibi: & erit tibi manus plena farina, quæ sufficiat tibi ad pascendum prophetam. Quod si defuerint etiam hæc, nunquam tibi, crede mihi, deerit calix aquæ frigidæ, ex quibus omnes diuitias effusas pro misericordia superabis. Metem nanque misericordem deus requirit, non pecuniæ quantitatem. Vides ergo quia nec in hoc quidem damnium passus es, quod perdidideris facultates, quinimò & lucri plurimum: nam & coronas immortalitatis, quas alij multa largiendo mercantur, tu duobus minutis (vt diximus) aut precio aquæ frigidæ comparasti. Hæc quidem his qui veritati student, & salutis suæ curam gerunt, manifeste euidenterque patuerunt: apud eos autem qui voluptatis vinculis alligati sunt, & quos obtinet libido captiuos, quibusque omnis vita in luxuria teritur, superflua videntur hæc & inepta, quoniam quidem summa auiditate amplectuntur vmbras, & stringunt ventos. Hæc enim quæ eis videntur carnis & seculi bona, è manibus eorum tanquam ventus & umbra effugiunt ac labuntur. Et ideo, si videtur, aperiamus etiam ipsis interiores rerum causas: & imagine hac qua decipiuntur, ablata, ipsam eis internam impuram huius & immundæ meretricis, quam complectuntur, faciem reuelemus. Meretricem nanque ego appello vitam hanc, quæ in deliciis, & affluentia diuitiarum, & huius seculi potentia ac voluptate transigitur. Et non solum meretricem eam nomino, sed & turpissimam atque obscœnissimam meretricem, cuius facies fœda, horrida, aspera, amara, crudelis, & in hoc maxime est, in quo sine venia habendi sunt cuncti, quos decipit. Quod cum tam

turpis sit vultus eius, & ferus, & tam barbarus ac truculentus: multi tamen ab ea capiuntur. Et cum videant apud eam cruenta omnia periculis, mortibus, præcipitiis plena: cumque stipari eam cernant sodalibus pessimis, contumeliis, dico, opprobriis, liuore, inuidia, insidiis, criminationibus, & perniciosissimis curis, metu iugi, tremore frequenti, & mille aliis huiusmodi infaustis confortibus, velut anguim corona circumdari: fructum vero in his nullum alium, nisi interitum esse, & perniciem poenamque perpetuam: expetitur tamen à pluribus, & amabilis habetur atque exoptabilis. Tanta nanque est eorum, qui decipiuntur stoliditas, ut cum eos ratio nulla ab hoc interitu reuocet: nec euidencia quidem inde sinenter percuncti exempla deterreant. Non ergo istos stolidiores multo, quam paruulos iudicem, quos puerilis ludus, vbi aut circulus voluitur, aut turbo vel trochus verberibus agitur, & longis porticibus per curua spacia rotatur, ita intentos & inhiantes puerilibus annis tenet, ut auelli inde nullatenus queant, ignorantes penitus per ætatis fragilitatem, nihil in illo ludo vtilitatis, nihil perfecti operis haberi: sed pro illis satisfacit ætas immatura. Isti quid habebunt excusationis, qui in ætate perfecta puerilem, imò & puerili imbecillior sententiam tenent? Cur ergo quæso te, videtur appetendæ diuitiæ? Hinc nanque incipiendum puto: quia, inquit, & sanitati, & vitæ ipsi, & famæ, & patriæ, & propinquis, & amicis, & omnibus omnino quæ sunt, commodiores eas esse pluribus visum est. Et ista sententia non solum terra marique seruatur, sed vsque ad ipsas iam nubes ascendit ac sydera. Noui & ego quod non tam ista sententia, quam flamma est, quæ & istum vastat orbem terrarum: & qui extinguat quidē, nullus est: qui accendant vero, & magis magisque inflamment, multi sunt. Omnes enim fauent huic malo, non solum illi qui ab eo capti sunt, sed & qui nondum illuc videntur ingressi: & vnumquemque hominem videas, seu vir sit ille, seu femina, seruus aut liber, diues pauperue, pro viribus suis incendio huic materiam atque onera compotare, & die ac nocte in eius ministeriis vigilare. Onera autem dico non ligni aut fœni: non enim talis est flamma quæ ista cõsumat, sed animæ suæ, & corporis iniqua & iniusta ei opera deferunt: his enim accenditur ignis iste, & his pascitur. Nam & ipsi diuites, etiam si totum orbem possibile esset possideri à singulis, adhuc tamen in desiderio eius arderent. Pauperes vero dum cupiunt diuitibus exæquari, insanabilem rabiem patiuntur, infaniunt, furiant, & idem morbus diuersos singulis generat languores. Intantum amor pecuniæ omnem animam fatigat, ut neque amiciciarum, neque propinquitatis, interdum etiam nec coniugis, aut filiorum amor det locum, quibus affectibus inter homines nihil præfertur: amor tamen pecuniæ omnia hæc humi deicit, & pedibus conculcat, ita velut fera quædam, & crudelis domina omnium corda possidet, & tyrannica dominatione deuincit. Sæuit ut barbarus, feruet crudeliter ut tyrannus, debacchatur impudenter ut meretrix, nusquam miseretur, nusquam pudet: adest vbique dura, vbique terribilis, dira, inclemens, impia, truculenta: & cum lupis, & vrsis ac leonibus ferocius sæuiat, suavis tamen hominibus videtur, & amabilis. Et quid dico suavis? Melle ipso, & fauis dulcior. Cumque his, qui eam desiderant & exoptant, gladios acuat, quotidie foueas & præcipitia parat, scopulisque eos mille & mille naufragiis illidat: expetitur tamē ab eis, ac desideratur, & queritur, ac per innumeras mortes suas latatur se ali-

A quando ad eius saltē ianuam peruenisse. Volutari nanque in cœno eius, tanquam fues delectantur, & ut canthari sterco eius euoluere. Tales quodā modo omnes, qui auariciæ huic manus dederint, infeliciores & turpiores etiam istis immūdisimis animalibus fiunt. Et hæc est maior rei huius infelicitas, quod quāto magis in his fordidibus volutantur, tanto maiorem in his capiunt voluptatem: idque non rei natura, sed voluntatis vicio patiuntur. Quo modo ergo sanabimus mētes huiuscemodi languoribus occupatas, nisi vellent nobis aurē paululum commodare, atque animos ad audienda dare, & suscipere quæ dicuntur? Irrationabilia nanque illa quæ diximus, ut muta animalia, quæ se in huiuscemodi fordidibus volutant, transferri ab his non possunt, utpote intellectu & ratione carentia. Nobis vero sermo nunc ad homines habetur, quibus intellectus, & ratio diuino munere data est: tantū est, ut audire velint, facile, & absque multo labore de cœni huius fœtore & indignitate stercois poterunt liberari. Age ergo iam nunc quasi ad homines loquentes, & percontemur ab eis, cur expetendæ videantur esse diuitiæ. Respondent sine dubio, propter voluptatē primò vitæ & delicias corporis: tum deinde & propter honorem, qui habetur in vita, atque officia quæ ab hominibus diuitiarum contemplatione deferuntur: & pro eo, quod potest facile vlcisci qui diues est, in eos qui iniuriam inferre tentauerint, ut & timori sit cæteris. Puto quod alias, exceptis his, causas nō habeas, voluptatis dico, honoris, officiorum, timoris, vltionis. Nam neque sapientiorē, neque temperatiorē, neque clementiorē, neque prudentiorē diuitiæ facere hominem possunt: non benignum, non placidum reddunt: non denique iracundum aliquādo in mansuetudinem commutarunt, nec incontinentē continentiam, nec voluptuosum sobrietatem, nec inuerecundum verecundiam docuerunt: neque aliud aliquādo virtutis genus animæ per diuitias acquisitum est. Quod si virtutibus animi nihil conferunt, nec meliorem hominem secundam virtutū titulum reddunt: dic quæso quam ob causam expetendæ videantur esse diuitiæ? Imò vero non solū nihil virtutis animo conferunt, sed & si paratum aliquid & recõditum inuenerint, subruunt, & e contrario vicia pro virtutibus intròducunt: ipsarum enim pedissequa est luxuria, ira, intemperantia, furor, iniusticia, arrogantia, superbia, omnisque irrationabilis motus. Sed de his suis locis referemus: quoniā quidem non libenter hi, qui huiusmodi agritudine innexi sunt, sermonem de virtutibus ac viciis audiunt. Partes enim luxuriæ agunt, & nihil aduersus eam patiuntur audire. Hinc ergo interim sermo moueatur: si est omnino in diuitiis aliquid quod delectare possit, aut si est in illis aliquid honoris. Incipiamus itaque, si videtur, à conuiuio, & à mensarum affluentia. In his enim diuitiarum magnificentia prædicatur. Conferamus mensam diuitis, & mediocris, & discutiamus utrosque conuiuias: qui magis quæso sint, qui puram veramque vtriusque mensæ capiunt voluptatem. Illi nanque tota die attritis, & lassescens cubitis recumbunt, & cœnas prandiis iungunt, quique ventris distentione rumpuntur, atque oppressione ciborum suorum premuntur: in quorum corpore vini inundatione, velut naufragij cuiusdam fluctibus obruta anima necatur, vbi neque oculus, neque lingua, neque pes propriis deseruit officiis: sed omnia membra corporis vini vinculis iacent vincita grauius, quam catenis: vbi nō sopor eis ipse ad quietem datur, neque ad salubritatē cedit, sed exterriti som-

nūs in-

nobiliorēsque digressi sunt. Et Iudæi quidē habentes templum, & sacrificia, & arcam testamenti, Cherubin quoque & propiciatorium, & omnia illa quibus quotidiana sacrificia consummabant: habentes etiam Prophetas, alios defunctos, alios adhuc superstites qui eos & de actibus presentibus informarent, & de antiquis dei beneficiis commonerent, quæ in Aegypto fecerat cum eis quæ in deserto, quæ etiam cum terram repromissionis ingressi sunt: & in his omnibus non solum nihil profecerunt, sed & in ipso templo ad insignia præuaricationis suæ idola collocarunt, filios suos eis & filias suas immolantes, sub arboribus etiam & in montibus profana sacrificia cõsummantes. Hi vero in terra barbarica, in hostili solo sub tyrannica potestate positi, flammis & mortibus traditi, non solum nihil læduntur, sed & maiorem gloriam capiunt. Hæc ergo scientes, & horum similia colligetes de diuinis scripturis: multa enim similia inueniet qui requiret exēpla, quibus agnoscat, alios quidē sine vlla difficultate temporū, & necessitate causarum, nulla vi, nulla tyrannide cogente, collapsos: & alios his omnibus aduersantibus sibi, ne leuiter quidem à virtutis proposito fuisse commotos, indubitata sententia tenere debemus: quod si quis læditur, eandem namque quam in principiis proposuimus, in fine firmauimus: si quis, inquam, læditur, à semetipso læditur, nec ab vlllo alio, etiam si innumeri sint qui noceant. Et si omnes qui terram & mare habitant, conueniant ad lædendū, nocere nequaquam poterunt ei qui à semetipso nō læditur.

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI
de virtutibus & viciis, Sermo.



VNT quidam huius loci homines, virtutis illi quidem studiosi, quibus relicta vrbe occupare montes præcipuum fuerit. Eorum autem si quis rogetur, quidnam ita ab vrbe secedant, haud sanè ignoscendam excusationē inueniet: ne peream, inquit, neve ad virtutē obtusior efficiar, me ab vrbe disungo. Et quanto melius erat obtusior te fieri, & in aliis potius lucrum facere, quam in alto sedentem pereuntes fratres despiciere? Cum igitur virtutem ceteri quidem penitus negligant, eius autem qui curā agūt, aciem deserere parent: quoniam pacto delere hostes poterimus? Et si enim diuina nunc signa prodeant, vbi vicium adeo latè patet, quis nobis credere, aut animū externus aduertere volet? Hoc enim vulgo, si recte viuimus, multo quidem fide dignius videtur. Signa videlicet apud homines pudoris & probitatis expertes, improbam quoque suspicionem admittunt: at vero integra hominis vita, ipsius etiam ora diaboli potissimum obstruere poterit. Si ergo in terris esse, ac non esse modo, hac institutione vitæ perficitur: licet autem Pauli exemplo non esse: nosmet igitur rapiamus à terra, cœlumque ipsum cõtinuo petamus. Nihil est enim, nihil est, in qua, quod nos omnes, si vti que velimus, superare possit. Nam si artes quibus multi insistant, vehementi industria ple runque percipimus: id nimirum facilius consequemur, quod tati laboris nequaquam indigeat. Quid enim, dic age, quid difficilius est, quam in fune extento super eum quasi per solum incedere, subire etiam, ac redire veluti strato insidētē? dic obsecro, quid difficilius est quam in fronte cõtum erigere, superimposito dehinc pugione motus innumeros dedisse, quibus spectatores applaudant? Nonne horrenda nobis res adeo videtur, ut nec spectare quidem patiantur oculi, sed ipso etiam visu timeamus, formidemus? Verum his omnibus facilius est

A virtus, si & cœlum ipsum conscendere velimus. Nec mihi illud dixeris, vellem ego quidem, sed nequeo: si enim rem quampiam consequi optantibus, non solū voluisse sufficiat, sed opera quoque simul adhibenda sit: multo magis cupientes scendere cœlum, virtutis actione indigemus. Quod si virtutem prædiscere velis, nec laboriosam esse quæque facile cõparari possit: eia, si lubet, considera mecum degentes in montibus viros: hi nanque domos relinquunt, vxores, liberos, dignitates omnes, & ipso demique mundo sibi interdicitur, obstiti sacco, sibi cinerem substerunt, stola cohibentes collum parua cellula includunt, nec ad hoc vsque peruenisse contenti, ieiuniis assiduam fame seipos deducunt. Nec mihi illud dixeris, potuere illi quidē. Multi enim te multo infirmiores, ditiores, meliores, duram illam tetricamque vitam subiere. sed magnum est tamē illud summusque scopulus, & cœlo proximus apex, tu vero ad summum nequaquam euadere potes. Nō igitur si humilia tenes, inferiora etiam pete. Pecunias exuere non potes: age vero hoc saltem, ab alienis manus abstineas. Ieiunare difficile est, at effluere deliciis vel hoc vnum libetèr omittas. Cum enim tanta Christus pro nobis passus fuerit, pro nobis, inquam, inimicis: quid nos vicissim perferre possumus, vbi ab eo patiētiam præstitisse videamus? Nulla igitur necunde nobis erit illa die loquendi libertas. An ignoratis militem vbi vulnera & plagas aperiat, illustriorem tum denique apud imperatorē haberi: quod si nullum possit egregium facinus ostendere, quanquam nihil perfidiose fecerit, in postremis tamen solere consisti? Sed nō belli tempus est, inquit: quod si esset, obsecro te, quis pugnam iniret, quis hostibus insidiaretur, quis aciem diriperet? fortasse nullus. Cum enim te videam, nec pecunias quidem pro Christo contemnere posse: quoniam pacto vulnera eredam cõtempturum esse: dic age, contumelias fortiter pateris, & meliora dicis. Non facis, inquam, sed offenderis. Vbi periculi nihil est, refugis: & vulnera quæso, feres, vbi doloris & angustiarum plurimum? Ne nos igitur frustremur ipsi pollicentes nobis suauem tatisper huius vitæ fructum, ut breui deinde labore vniuersi temporis vsuram capiamus. Nam si terris imperatorem post multa deinde pericula, multaque exhausta bella, vix vllus confidenter aspicere potest: quidnam cœlestem quisquam regem aspiciet, qui per omne vitæ suæ tempus alteri obnoxius fuerit, sub altero militiam gesserit? Cepisti à deo nobile genus, quid vim naturæ prodidisti? quid agis? responde quæso. Habent ceteri artes quibus quantum permittitur, aues etiam in hominū genus transformare possint: plittacos & picas in vocem humanam erumpere docent. Violat arte naturam, leones mansuescere faciunt, per forum vndique trahentes eos. Mansuetum reddis leonē, & teipsum lupis ferociorē instituis. Iam vero id agris ferendum, beluarum quidem vniuscuiusque viciū est: improbius vero omnis homo ita: neque enim vno sapiens vicio laborat, sed in animam suam multarum simul beluarum vicia congerit. Nec mihi igitur persuadeas humanam tibi animam esse. An tu, inquam, si quid hominis sapias, beluarū vti que dominus, beluarum cupiditatibus seruire patieris? Quo modo igitur appellem ego te hominem, qui nulla regis insignia teneas? Veniat in mentem, veniat plerunque tibi cuius imaginem geras: haud ita credo poteris in beluarū adeo vilissimū genus corrumpere. Ut enim in theatris qui per sublatū funem scandere ac descendere exercet, si parum aliquid oculorum acies errarit, præcipites cõtinuo ruunt: ita qui spiritualē grassantur viam, si breui segnicie

segnicie tempus concesserint, per anfractus quosdam A
proni sæpe trūdūt. Et fune illo quidem hic limes an-
gustior est erectus magis & arduus, multoq; celsior, cu-
rus ad apicem terminatur cœlū. Et cum supremum il-
lud fastigium tetigerimus, tū vero gradus nobis incer-
tior. Quippe in edito stantem plurimus circumstetit hor-
ror, cui ipse certe vna relinquatur, ne flectat ad ima a-
ciem, neve terram humilē despiciat. Inde caligo pror-
sus ingens grauisq; obuersatur oculis: & sicut in cithara
non vnus tātum fidis melodiam excitasse satis est, sed
omnes pari quodam numero percurrēda: sic in virtute
animi non tantum lex nobis ad salutem sufficit, sed
omnes æque diligēter obseruāda sunt. Quid enim ob-
secro te, quid prodest atētius orare, segnius miseresce-
re, vel etiam miserescere quidē, sed cupere cuiquā vim
inferre: vel nec cupere, nec vim inferre, sed ad ostenta-
tionem hominum, & ambitionem spectantium omnia B
facere: vel denuo miserescere, idq; omni diligentia, &
pro voluntate dei miserescere, sed hoc ipso cōfidenter
inniti, & in animi quandam sublationē efferri: vel rur-
sus humilem præstare se quidem, & impēsius vacare iei-
uniis: auarum autem esse, negociatorem esse, terræ pe-
nitus infixum esse, & in animā suam malorum omniū
parentem auariciam vexisse: Ob hoc ipsum videlicet
etiam amator hominū deus ita disposuit omnes homi-
nes coalescere, & in vnū sine discrimine bonos & ma-
los, vt & horum vicium refecetur, & illorum virtus illu-
strior reddatur. Magnas vero ex consuetudine bonorū
ignauī homines, si modo velint, vtilitates consequun-
tur. Quemadmodum enim boni ac probi viri duplici
honore digni sunt, quod & frugi scilicet fuere, & ab im-
probis nihil quicquam vicij traxere: sic & mali duplici
pœna multandi, quod cum boni esse possent, & per
C vicia improbi fuere, & a bonis virtutis nihil adipisci
voluere. Pari ratione, sicuti bonos nō improbi solum,
sed probi quoque admirantur: ita & improbos non bo-
ni solum, sed mali etiam odere. Atqui vulgus improbos
admiratur, vt qui nocere aliis, & iniuriam potissimum
inferre possint: ignarū quippe vulgus quod nesciat eos
quanto cæteris miseres habendi sunt, qui dum aliis
nocere existimant, seipsum gladio transfuerant: quod
suprema prorsus amentia est, seipsum percutere, & hoc
ipsum nescire, sed cum alium iniuria credat afficere, tū
vero seipsum omnino iugulare. Nec malum est enim
affici malo, sed afficere alios, & contumeliam pati ne-
scire. Quid enim iniuriæ dicam passum fuisse Dauid?
Quid vero intulisse Saūil? vter igitur infœlicior fuit, v-
ter miserabilior? & rursus, vter illustrior, vter fœlicior?
Nōne hic molestia & iniquo dæmone angebatur: ille
autem vel sole clarior erat trophæis, & qua deum præ-
cipue colebat, ingenti pietate super æthera notus? Nō-
ne hic tabescebat inuidia: ille vero dum tacite omnia
ferret, omnes sibi charitate vinciebat? Et hic sapius ead-
em aggressus est: ille vero dum fugit, hostem in mani-
bus cepit, capto deinde pepercit. Ex his igitur vter in-
firmior, vter ignauior apparet: nōne qui alterum agi-
tabat iniuste? nec id sine ratione. quia hic milites pre-
mendos armis, ille vero iusticiā innumeris legionibus
validiorem sociam sibi & auxiliariē ascinerat? Postquā
vero hic ita affectus iniuria & victor, ipse deinde aliū
affecit, en vide vt protinus infirmior efficitur. Iniuste
laserat Vriam, permutata rursus acies, transfugere con-
tinuo robur & infirmitas: hæc ad exercitum nocentis,
illud vicissim ad castra læsi. Et hic quidem mortuus etiā
illius vastare domum potis erat: at contra rex ille, & su-

perstes nihil omnino poterat. Hic vero & miles, & cas-
sus miles res illius omnes, suaq; seq; habebat. Quem igitur
bene viuere perspicias, & omnia ad diuinum cultū
referre intelligas, hic si innumeris etiā catenis obfusus
fuerit, si semper in carcere vixerit, si apud indignos ser-
uitutem tulerit, si pauper sepulchro reuulsus cōbustūf-
que fuerit, si tractum perdendum corpus præbuerit, si
denique graue quicquid dici potest, passus fuerit: hunc
beare, huic fœlicem dicere, hunc ad sidera tollere me-
mineris. Quod si alium per flagitia videas, per scelera,
per summa vicia viuere, multos vero honoribus fungi,
regio sedentem solio, diademate ac purpura insignem:
super eo lachrymas funde, miserabiliorem ante alios,
cumq; omni lamentatione dignum existima. Nihil en-
nim reuera miserius anima sic affecta. Iam & si totus ei
paruerit terrarum orbis, quid prodest affluere diuitiis,
cum virtute omnibus inferior existat: Quid lucri dixe-
rim, tot tantisque rebus imperare, cum sibi ipsi passioni-
busque suis imperare non possit? Si enim ad salutem no-
stram nobis virtus haudquaquam sufficiat, sed alios et-
iam virtute præditos adire necesse sit: quādo nec nos-
metipsos, nec alios itidem seruemus, quōnam plecte-
mur supplicio? vnde nobis erit spes reliqua salutis? Et
hoc simul accipias, si deo placuisse hoc dæmum est ho-
minem esse, is qui nec parum quidē audiens dicto præ-
stiterit, quid aliud esse quā fera censebitur? Cogita
quā sit iniquum ex hominib; velle nos Christum in
angelos conuere, nos ex hominibus in feras descen-
dere. Nam ventri parere, pecuniarum cupiditati succū-
bere, ira excandescere, morsus infigere, calcibus læuire:
horum nihil quicquam hominis, sed ferarum mos iste
omnis comprobatur. Vt igitur si ad desidiam inclina-
re cœperimus, quouis impediēte continuo desistimus:
ita si respicere velimus, quamquam innumeris sint qui
nos ad vicia deducant, nihil prorsus tamen studia no-
stra corrumpere possit. Quod si perdiscere cupias fun-
damentis naturæ leges statuisse deum, quibus quid bo-
num sit, quidve malum discerni possit, hoc ipsum ex
animi nostri consensu requiras. Cur qui mala commi-
sisse gaudent, malorum omnes nomina refugiunt? Vo-
catur siquidē mæchus, & tamen hoc ipsum audire mæ-
chus ille ipse erubescit. peruulgato etiam mæcho dixe-
ris: o mæche: te, inquam, appello mæche. Et oblectat sa-
nē flagitium qui ipse committit, & tamen ipsius rei no-
men aures offendit. Quo periurum nomine appellaue-
ris, ille proculdubio in contumeliæ locum sui sibi ope-
ris appellationem accipiet. Si bonum igitur existimas
peccatum, quid nomen refugis peccati? At contra mo-
desto dixeris modestum, haud ille reor cuius opere de-
lectatur, appellationem erubescet. Iustum quoq; appel-
laueris iustum, & opere is ipse triumphat, & nomine ex-
ultat. Etsi enim pudore quodam tantum nomen repu-
diat, bonam tamen animo famam non veretur accipe-
re. Et nullum postremo vicium quisquā inueniet aper-
ta fronte in medium prodire, nisi mutuum prius a vir-
tute vultum acceperit. Quod quo modo fiat, sic iam ac-
cipias. Qui mentitur, nusquam mendacium fatetur, sed
veritatem memoriter simulans, fefellisse conatur. Fal-
sus homo falsitatem tegit, amiciciam fingit, & odium
exercet. Calumniator cum in iudicium venit, id ipsum
quidem est haud sanē expositurus: venit, sed falsa frōte
testem veritatis obiciens, suo sibi mēdacio testem ini-
quitatis ostendit. Sed anima nostra quanquā viciis vo-
lutaetur innumeris, tamen virtutis dulcedine capta, no-
men eius vltro cōplectitur: potentes enim per sæpe mul-
ti, aua-

ti, auariciæ illi quidem nimium dediti, & quibus nihil
aliud cordi, quā rapina atq; iniusticia, sic adeo in mi-
sericordiam plerunq; adducuntur & mouentur, vt pau-
perem aut vrgenti necessitudine liberet, aut alieno are
conflato nonnihil releuent: vel quod admirabere ma-
gis, nec vlciscantur eos a quibus molestia vexati aut
sunt, aut esse prorsus existimāt. Et qui legationem apud
iniquum principem expositurus venit, non statim a ver-
itate orsus, rem ipsam continuo narrat, sed virtutis no-
men hoc pacto præloquitur: Vir bonus es, inquit, tua
omnes beneficia canunt, tuum vbique diuulgatur no-
men: & multa generis eiusdem oratione contexit, vt &
bona eum fama demulceat, & in odium iniquitatē rapi-
at vel abducat. Aspice porrō, vt vicium decora virtu-
tis appellatione vincatur. Nemo vult malū, hoc ipsum
audire malum, quippe quod suum est, natura cōplecti-
tur, tametsi quidē contraria potius vltro sectetur. haud
igitur illud dixerimus, Hic natura bonus, ille natura ma-
lus. Nam si quis natura bonus fuisset, certe nūquam ma-
lus effici potuisset: ecōtrā vero, si natura malus, nunquā
profecto bonus. Etenim si nostro non esset arbitrio re-
lictum, qualis esse quisque malit, bonus an malus, nec
sui iuris nostram naturam condidisset amator homi-
num deus: necesse etiam erat omnes quicumque huius
participes naturā succumbere, aut certe bonos. Cū igitur
cōsanguineos nostros videamus his ipsis quibus &
nos perturbationibus agitari, nec tamen easdem nobis-
cum ruinas incidere, sed naturam valida ratione auri-
gari, & motus eius incōpositos moderari, omnesq; vi-
tæ huius illecebras ludibrio habere, & ad veram gloriā
incensos, toto animo ferri: perspicuum est hæc omnia
posse diuina suggerente gratia, suo cuiusque studio ac
labore comparari. Et nos quidē inertia dediti, prodi-
dimus nostram ipsi salutem, superna illa charitate nos-
metipsi desolatos fecimus. Nemo igitur accuset alius a-
lium, quasi ad labores virtutis impedimento fuerit, sed
sua ipsius desidia rem omnem adscribat. Quid alium
dixi, nec ipsum quidem diabolus putet aliquis, qua est
ad virtutem iri, viā intercludere posse. Seducit ille qui-
dem & offendit ignauios: sed tamen nec cōercere quē-
quam, nec violare potest, & hoc quidem ipsa rerum ex-
perientia docet. Cum enim respicere volumus, ita ple-
runque animi vires intendimus, vt cum vicij captare
viam nobis innumeri persuadeant, nihil tamen ipsi cō-
silio nostro, nec parua quidem remissione desistamus,
sed omni duriores adamante sumus, & ab his qui tur-
pia consulunt, stipatis auribus auditus nostros amouea-
mus. At si languescere cœperimus, tum vero nihil con-
sultore opus, nihil persuasore. In viciū ipsi a nobis per-
suaasi continuo ruimus. Est igitur per seipsam virtus ad-
miranda, quod si quis in medio nequiciæ collectus, stre-
nue inde prorumpens virtutem adierit, hanc quidem
illo multo admirabiliorem ostendit: neque enim virtu-
tem locus, sed locum virtus natura sua digniorem præ-
stat. Et vnus quidem virtute mali etiam vtūtur per sa-
pe multi: viciis vero multorum, si vel vnus multo in po-
pulo strenuus fuerit, nunquam tamen ille in perniciem
collabatur. Et vir quidem vnus recte viuens, diuina ira
populum omnem liberare sufficet: ecōtrā vero ciuitas
omnis corrupta, in suam pœnam atque supplicium im-
minens trahere ac rapere non poterit: quod quidem ex
Noë liquidius patet, pereuntibus siquidem omnibus li-
beratur vnus: & ex Mose hoc idem videre licet, potuit
scilicet vnus tantam restituere gentem. Ego vero quod

A dicam & aliud habeo diuinæ humanitatis exemplum.
Quando enim viuos homines quibus loquēdi fiducia
sit, quiq; peccatores restituere possit, nullos prorsus in-
uenerit, tum vero ad mortuos ille profugiens: Per eos,
inquit, peccata remitto. Quo modo enim fatur? Hanc
ego, inquit, mea ipse gratia tutor urbem, Dauid etiam
filij mei causa, qui ab hac iam pridē vita discessit. Aspi-
ce sanctorū quanta sit virtus. Neq; enim sua verba tan-
tum, aut corpora, sed ipsa etiam corporis tegmina sem-
per omni sunt possessione augustiora. Helix siquidem
leonina pellis Iordanem discindere fecit. Triū puero-
rum calcei per ignes ambularūt. Helix lignum potuit
vndarum mutare naturam, quas quidem superficie sua
quasi tergo ferrū sustinere cogit. Moses virga mare ru-
brum dehiscere iussit, petram dirumpere valuit. Pauli
vestes morbos fuderunt, Petri vmbra mortē fugarunt.
Sanctorum martyrum cinis improbos dæmones expul-
lit. Summa igitur cum potestate omnia faciūt, sicut He-
lias. Neq; enim diadema solum, & exteriorē regis cul-
tum spectabat, sed animam quoque indutam lacerna,
squalidam, sordidam, quouis damnato miserius affectā.
Et cum captiuum, totq; morbis obnoxii vidisset, illum
cum suo regno cōtempnit, quem veluti in scena fictum
regem spectare cesebat. Quid igitur refert exterius tot
affluere diuitiis, cum interius tanta recōdita sit inopia?
Contra vero, quid nocet exterius pauperem videri, cū
interius tāta sit reposita copia? Talis nimirum leo bea-
tus & ille Paulus erat. Is enim carcerem ingressus, sola
voce fundamenta omnia concussit, non dentibus, sed
verbis vsus vincula contriuit. Quapropter non leones
illi, sed maius quippiam aliud etiam supra leones appel-
landi sunt. Sæpe enim leo vbi in laqueos incidit, cap-
tus refedit: at vero coniecti in vincula sancti, fortiores
insurgunt: leo fremit, & feras omnes in fugam auertit,
sanctus exclamat, & improbos dæmones vndique fu-
gat. Quæ vero Pauli bene gestis rebus satis vnquā fue-
rit oratio, aut quæ lingua vehemens poterit illius pla-
ne assequi laudes: siue quid egregium edidit Prophe-
tæ, siue patriarche, siue iusti, siue Apostoli, siue martyres,
hec simul omnia complexus tanta ipse excellentia pos-
sedit, quanta illorum quicquid virtutis cuique fuit, nul-
lus profecto possederat. Quando igitur quæcunque in
hominibus bona fuere, sola vnus anima complectitur:
& cum excessione quidem non hominum modo, sed
angelorum quoque omnia complectitur, quōnam pa-
cto verbis tantarum laudum cumulum adæquare pote-
rimus? Quāta igitur sumus animaduersione digni, qui
cum vnus omnia in se cōplecti bona potuerit, nos nec
D minimam quidem illius partem imitari studeamus: Ex
multis quidem & aliis bene gestis rebus Abraham pa-
triarcham omni admiratione prosequuntur, maxime ve-
ro quod filium suum immolare nō recusavit. Isaac autē
innocentia admirabilem reddit, qui cum propriis fini-
bus pelleretur, nihil ipse renitens, suis vndiq; possessio-
nibus cecidit: nec prius cedere destitit, quoad inimicorū
hominum libidinem explerit. Et Iacob itidem fortitu-
dine & patientia insignis: at mansuetudine Dauid: in-
gēti ardore deinde flagrabat Helias. Horum autē quid
simile Paulo, qui cuncta hæc maiorem in modum com-
plexus est: Neq; enim filiū ipse immolauit, sed seipsum
millies sacrificauit: nec propriis solum finib; cecidit, sed
terram, mare, Graciā Barbarasq; nationes, & quicquid
sol aspicit vbique terrarū, id omne ipse quasi volucris
pererrauit, raptatus, cæsus, lapidibus pulsus, singula die
moriens: nec bis septem annis seruitutem gessit diur-
no astu

no astu & frigore noctis exustus, sed vitam omnem fame, nudo corpore, catenis, custodiis, insidiis, periculis, perseveranter exegit. Modestiam vero & mansuetudinē quis Paulo magis, quisve æque præstitisse videatur? Quod si ardorem eius inspicias, tãto Helia superiorem inuenies, quanto ipse cæteris omnibus prophetis excellit. Locustis quippe Ioānes, & agresti vescebatur melle. Hic ita in medio terrarum orbe, sicut ille in deserto vivebat. Locustis quidem & agresti melle nõ vescebatur, sed mensam hic multo tenuiorem statuebat, cum sibi docendæ gentis studio, nec ad cibum quidem necessarium quæ suppetere possent, parare meminerit. Relinquitur nobis hunc deinceps angelis componere. Nec quisquam profusus orationis nostræ audaciam reprehenderit. Nam si angelum dicere Ioannē scriptura non dubitat: quid nouum adeo nitimur, si talem virum vnum generis humani præstantissimū virtutibus illis æquare studemus? Etenim quid penititis sit homo, quanta naturæ nostræ nobilitas, quanta virtutis hoc animal capax, omnium maxime Paulus ostendit, qui nõquam ex quo natus est, accusatores nostros palā refellere, & nos pro domino acriter defendere destitit. Cum & illud simul doceat inter angelos & homines, si nosmet quidem nocere velimus, haud multum profecto interesse: neque enim ipse alterius naturæ particeps, neque externi cuiusdam mundi colonus, sed in eadem terra & regione eisdem legibus & moribus educatus: omnes qui vbi que fuerunt, ex quo nati sunt homines, continuo superauit. Et quemadmodum cadaueri cadauer adiectum, nihilo fecius immobile efficitur: ita qui tumidos naturæ motus victor sedauerit, nulli vnquam vlla in re humana passioni succumbet. Nam sicut in pecuniis duorum aureorum lucrum fecisse, maiorem interea ad denos, vel etiã vigenos duobus illis cõgerendos animum facit: ita in virtute bonum aliquod facinus gessisse, adhortationē simul & admonitionem quãdam ingenerat, vt alia deinde plura similiter aggredi animus velit. nec illud mihi quispiam dixerit, multi recte fecerunt: neque enim id agimus, sed omnium pariter æquitatem atque iusticiam exquirimus. Nõnne & corpus nostrum intuitibus, hoc idem intelligere facile est? Etenim si forte pedem offensus, vnguem modo retorseris, omne repente cum membro corpus dolor incēdit. Non igitur dixeris illud, qui nõ recte fecerint, pauci admodum relictī sunt, sed hoc potius considera, plures paulo post & alios ipsi corrupti pent. Etenim apud Corinthios qui lenociniis operam daret, vnus tantummodo inuentus est: nec securus tamen Paulus ingemuit, quasi ciuitas illa omnis funditus perisset, nec id quidem maxima ratione caret. Sciebat enim nisi ille flagitio desisteret, descendente ordine morbum alios omnes vastaturum esse. Nam si mēbrorum quicquid labefactum fuerit, afficiensque dolore, cõfestim recidimus, veriti neforte & in reliquum corpus labes illa descendat: & id profecto facimus, non quod illud sanè parvipendamus, sed reliquo corpori diligenter cautum volumus. Si ergo hoc facimus in membris, quanto magis id ipsum in his facere oporteat, qui viciis corrupti nobiscum vixerint? Et si quidem sine dolore ipsos curare possumus, eò conferre studium nostrū omne debemus: quod si forte & ipsi incurabiles fuerint, & nos præterea contagione læserint, tum demum refecādi sunt omnes, & profusus abiiciendi. Nam si à nobis liberos nihilominus plerunque alienamus, nullo naturæ pudore impediti: multo magis familiares, & notos, vbi improbi esse cõperint, vitare atque adeo aufugere de-

1. Cor. 5.

beamus. Scandalizantur, inquit, & male suspicantur. Et quid hoc tua refert? Te ipsum honestes, & à nullo affici ignominia poteris: quod si te ipsum dedecores, quãquam omnes tibi pariter habeant honorem, nunquam profecto honestaberis honore. Nam qui bonus fuerit, si forte vulgo malus habeatur, nihil inde damni faciet, quin idem ipse sit, cum alius à seipso penitus esse non possit. Qui vero temerariam & inanem cuiuspiam suspicionem induerit, hic postea supremum omnino supplicium dabit: quod si malus recensetur in bonis, nihil inde lucri faciet. Existimationem sanè maiorem habebit, sed propterea ignarus ipse sui, plus aliquanto desidiæ ac marcoris incurret. Qui vero malus erit, & ita esse censebitur, hic saltem dimittat animum, & sua aliquando peccata cognoscat. At si latuerit sibi ipse nimium indulgens, nihil omnino doloris admittet. Si enim peccatores accusantibus fermè omnibus vix adducuntur vt doleant: vbi non modo non accusari eos, sed à plebisque laudari etiam contigerit, quando putas illos respiscere tandem, & seipsum corrigere incipient? Fieri igitur non potest, vt qui virtutibus dediti sunt, ab omnibus bene audiant semper, & illud præterea ne virtutis curam agentibus viris, multi vbiq; detractores insurgant: bona enim apud omnes fama signū certe vel maximum est, haud multam sanè virtutis haberi rationē. Quo modo enim à cunctis laudetur, si quis affectos iniuria homines ab improbis eripere studeat? Rursus vero si peccatores castigare, iustos laudare velit: nõnne (vt par est) laudabit hos quidem, vituperabit illos? Ita qui virtutis exquisitus imitator esse voluerit, nec vllius præterea nisi dei laudem quærere, is ab omnibus laudari, & bene semper audire nullo modo poterit: quippe in virtutem multa vsque vicij congelascit infania. Eã autem nõ modo nihil deterit, verum etiam bello fortio-rem reddit. Virtutis enim vis magna est, quæ dum læditur, lædentes superat: dum profligatur, profligantes tunc maxime debellat. Iam etenim mihi cogites Abel. nõnne impiis Cain manibus occubuit: sed cæsus ille ad hoc vsque tempus præconium laureamque meretur, nec illius memoriam tanta deinde secula obscurare potuerunt. At vir parricida ille post victoriã, tum etiam grauiorem morte vitam trahit: & ex illo protinus tot perçtates nunc vsque reprobat ab omnibus, & conuiciis vndique laceratur, & hæc præsentis vitæ quidem. Illa vero futuri seculi quænam oratio comprehendere poterit, quæ vero mens cõtinere. Audi vero & Christum ita loquentem: Simile est regnum cælorum mulieri, quæ si iustis velit fermenti vim quandam inesse, qua possint in speciem suam improbos conuertere. At pauci sunt iusti, parum etenim fermenti: sed paucitas illa multam sibi massam omnem in seipsam transformat. Eodem pacto non quantitate numeri, sed gratia spiritus vim suam iusti homines tenent. Id autem quo modo fiat, accipe iam. Apostoli quidem fuere duodecim: fermenti quàm parum vides. Expers vero fidei totus terrarū orbis: massa quanta sit, vides. Cõuertere in se autem duodecim illi totum terrarum orbem. Etenim fermentum massaque illa eiusdem naturæ: natura profusus, qualitatis autem minime. Quod si aliunde etiam cognoscere velis, tyrannica vi quanto potentior sit iustorum loquendi libertas, audi quid dicat Herodi Ioannes: Non licet, inquit, tibi fratris adherere vxori. Rex erat Herodes, satellitibus vndique stipatus, diuitiis præpotens, regium tenebat imperium. At cõtrā pauper Ioānes, tecto, vrbe, copia, cibo carebat. Locustis ille quidem ex herba

Matth. 6.
Luc. 13.

Luc. 17.

discussis,

discussis, & agresti simul vescebatur melle. Sed pauper iste deserta pererrās, multarum vrbitum regi imperiose adeo iubet: Non licet, inquit, tibi. Vides vt natura sua vicio dominetur? Sed propterea iustus cõiicitur in carcerem. Fit protinus amarum cõuiuium illud. Prodit in medium puella saltatrix, Herodi placet atque cõuiuius. Iurat Herodes, Pete quid velis, tradam ego tibi ad dimidium vsque regni mei. Vides quoniam regnum abiecerit? Quicquid ipsa petieris, inquit, tradā ego tibi ad dimidium vsque regni. Miser & infelix, itāne tibi mentis oculi cæcitiunt? Tanti regnum facis? Semel puella saltauit, & regni dimidium tradis. Quid si secūdo saltauerit? Votis exopta, ne denuo saltet: vel si saltauerit, ne denuo placeat: sin autem, porro vnum relinquatur, vt tibi postea sit mendicandum. Quicquid igitur bonis præsentibus inhiant, quanquam innumeræ sibi diuitiæ fuerint, eos tamen in seruorum numero, præditi virtute viri ponere non dubitant. Si enim rex hinc improbus quidam, priuatus inde quispiam bonus: horum quis cuius dominus sit, videamus, vbi regis insignia fulgent, quis inferior, quisve superior. Quo modo igitur id scire poterimus? Priuato rex imperet tetrū aliquod flagitiosumque facinus, quid igitur vir bonus priuatus ille & subditus? non modo non cedit imperio, neque parebit, sed imperantem quoque à sententia remouere studebit, idque etiam si millies oppetendū fuerit. Quis ergo liber? Vtrū qui quod velit, persequitur, nec regem propterea veretur? Atqui impotens à subdito ipsius ita pro nihilo habetur. Vt enim captiuus, tametsi copias ingētes habeat, vel ex hoc ipso in primis omnibus capi aptus fuerit: sic & illecebris irretitus homo, quanquam diademate præcinctus fuerit, omni tamen aranea abiectione esse censeatur. Quid ergo miserabilis fuerit omnibus vicio deditis? qui & ipsa hominis appellatione iure priuantur, quin etiam pœnas merito luunt: quod cum multa naturæ commoda acceperint, ea ludibrio habentes, vltro prodiderunt, & ad viciū vere ipsi transfuga & imbelles continuo defecerunt. Etenim si quod accepit reddens domini seruus, id quia non geminauit, improbus habetur: quid qui illud ipsum etiam perdiderit, quid au diet, inquam? Si ille in tenebras conuicitur, vbi stridor est dentium, quid nos luemus, quos ad virtutem musitantantes, tergiuerfantes innumeri hortatur, atque adeo trahunt? Nõnne vides quanta sit abiectione vitæ, quanta ambiguitas, quantus etiam in rebus presentibus labor? nec illud est quidem vt cum labore virtus pareatur, sine labore viciū petatur. Si ergo vtrinque labor, quid non hanc potissimum deligimus, vbi vtilitatis inest plurimum? Itaque si videris sacerdotem indignum, non ob id etiam calumniari sacerdotium debes: neque enim calumnianda res, sed ille solū meretur onerari conuiciis, qui tanto bono abutatur. Non enim si ludas proditor fuit, hoc Apostolica professionis erimen, sed vnus tantum viri mens improba fuit. Et medici quidem multi carnifices sunt, qui pro medelis venena propinant, nec tamen arte vitupero, sed qui arte sua iniquus abutitur. Et nauis complures nauigia amiserunt, nec ars nauigandi tamen, sed eorum peruersa voluntas iure damnanda. Necesse quidem exoriri scandala, inquit salutare verbū dei: veruntamen vix homini illi per quem scandala nascuntur. Quid igitur? præfatū esse id forsitan scandalum inducit? Non quod præfatū fuerit, apage inquam, nec quia prædixerit, ob id scandala nascuntur: sed quia omnino futura erant, idcirco prædixit. Ita qui scandala tulerunt, si quidem mali esse nolissent, exorta nun-

quam scandala fuissent, quod si futura non erant, nunquam prædiceret: sed quia perperam illi fecerūt, & iam corrupti pertinaciter erant, idcirco scādala venerunt, & quod futurum erat, prædixit. Quod si illi emendari paterentur, inquit, vt qui scandala fereret, penitus non fuisset: nõnne verbum illud mendax deprehensum iri oportebat? Minime, inquam, neque enim dixisset. Nam si omnes emendari posse cerneret, id profecto nunquam prædiceret, necesse quidem scandala exoriri: sed quia præuiderat eos suo opte ingenio haud emendabiles fore, idcirco ita præfatur. Exorientur omniño. Et cur non, inquit, oecidit eos? quia non inde læsi homines pereūt, sed sua ipsi desidia vincuntur: quod si propter scandala perirent, pereundum vno ordine omnibus erat. Quinetiam si respiscere velimus, non parum inde vtilitatis consequemur, vt scilicet nobis semper vigilandum esse arbitremur. Si enim inter hostes, cum tot vndique doli nobis immineant, somno indulgemus: quid si nullo urgente pauore securi fuerimus? Et sic primum quoque hominem, si velis, inspiscere licet. Etenim si cū parum temporis, nec totum fortasse diem in paradiso vixisset, deliciis hic ipse vsus eò vicij peruenit, vt etiam æqualem se deo cogitaret, veteratorem benefactorem putaret, nec vllum præterea imperium magnificaret: hic si reliquam eodem pacto vitam egisset, quod non ille flagitij genus perpetrasset? Verum enim vero vbi semel solutus quis malo, semel non emendatur, multo profusus grauiora prioribus luet. Et hunc enim pluribus de causis emēdari oportuit, quod prius supplicium dedisset, quod nisi solutus fuisset, quod nisi mutaretur, grauiora expectaret. Cui vero tot emendandi cause fuerint, si necunde melior efficitur; quid rei esse dixerim, cur non grauiora prioribus luat? Etenim Pharaō si quidem priori ex plaga emēdari voluisset, posteriores certe nunquam expertus fuisset, nec deinde cum toto pariter exercitu obrutus periisset. Sed qui fuerit sub vinculo bonus, nunquam erit profecto bonus: simul ac enim vi nulla cogetur, liber ipse ad ingenium subito conuersus, iterum desciscet. Hoc illud igitur quispiam rogarit, qui nec boni quicquā, nec mali fecerit, quemnam locum is ipse sit habiturus. Hoc enim ipsum non fecisse bonum, nihil aliud est quàm fecisse malū. Nam si seruum habueris non furem, non ebrium, non contumacem, sed sobrium, modestum, & omni flagitio vacuam: hic si domi quotidie ociosus sedeat, si quorum à seruo vsus debetur domino, nihil efficiat, dic obsecro, nõnne flagellabis eum? nõnne tormentis afficies? Et tamen nihil quicquam flagitij commisit. Satis est igitur mali hoc ipsum, nihil fecisse boni. Sit nobis agricola quidam, nihil porro peculij nostri dissipet, neque dolis furto surripiat, tantum suas ille manus compressas tenens domi sedeat, semina non spargat, rura nõ scindat, vites non colat, & quod præterea ad agriculturam pertineat, nihil profusus efficiat: nõne ab eo supplicium sumemus? Et tamen nihil intulit iniuriæ, nec habemus omnino quod illum accusare possimus: sed illud ipsum arbitramur iniuriam. Et nostro quidem in corpore abstineat capite manus, non linguam excindat, non oculos euellat, nihil denique tale faciat, ociosa tantum fuerit, nec sui quicquid est officij toto corpori sufficiat: nõne ipsam potius fuerit abscindere, quàm nihil agētem, & inutilem toto corpori manum cumferre? Quid autem os, si neque manum absumpserit, neque pectus momorderit, quæ vero ad se pertineat, omnia profusus omiserit, nõne illud ob signasse melius fuerat? In his igitur si non modo

non modo aliquid fecisse mali, verum etiam aliquid omis-
 misse boni, magna comprobatur iniuria: porro diu-
 nis in rebus id ipsum multo magis apparet. Vtinam fieri
 posset me pro vobis certamen bene gerere, vos autē
 bene gestæ rei præmia ferre: nunquam profecto vobis
 tantum turbationis ingererem. Vt enim cum febre scit
 puer, grauato absidens filio mater, querebunda voce se-
 pius imprecatur, vtinam hoc mihi daretur: possem ego
 tuam fili suscipere febrem, & hæc omnem in me ipsam
 haurire flammam: sic etiam ego vtinam perduellis ipse
 rem pro vobis bene gerere possem. Sed non licet hoc
 nobis, non licet, inquam. Quocirca si quis & alios sanare
 potest, in his ipse potissimum versetur, quibus videat
 opus esse medela, & ita eos pro virili parte meliores fa-
 cere studeat. Si quis vero infirmior est, malos aufugiat,
 ne forte illorum cōtagione tabescat. Sic enim præsens
 tutò exiget æuum, & futura deinde consequetur bona:
 quæ quidem vtinam consequi possimus omnes, gratia
 & humanitate domini & dei & saluatoris nostri Iesu
 Christi, cum quo patri, simul & spiritui sancto gloria &
 potestas, nunc & semper, & in secula seculorū, Amen.

DE CHARITATE, QUÆ CUNCTA
 dirigit & perficit, Sermo.

Charitatem optimum amoris genus inter nos
 sanciamus, quando nihil est boni & honesti,
 quin ortū ex ea ducat. Caritas enim, vt Pau-
 lus inquit, legis est adimpletio: ita fit, vt si mutuo fueri-
 mus amore detenti, facile omnia sint successura. Siqui-
 dem caritas, via quædam est ad virtutem procliuor:
 nam quemadmodum qui callem fuerit non obliquum
 ingressus, nullo egebit ad progressum duce, tramite ip-
 so rectā ducete: sic caritas vbi initium dederit, ad re-
 ctum deferet. Caritas enim nec proximum lædit, nec
 praua meditatur. Quocirca qui id facere nouerit, vt
 qualē sibi seipsum præstiterit, vt scilicet sine iniuria ad
 suum commodum comprecetur, ducatq; se nemine in-
 ferriorem, & suæ vtilitatis causa facere omnia connita-
 tur, eundem in alios præstet: omnis erit ē medio subla-
 ta molestia, deeruntq; tum odia, tum & habendi cupi-
 ditates. Quis enim propria bona diripiat: profecto ne-
 mo, quin contrā rebus in medium quæsitis in vnum cō-
 uenietur: quod cum fiet, nullus erit reliquus ad maleuo-
 lentiam locus. Quis enim seipsum odiat, aut succenseat
 sibi ipsi & irascatur? nōne solemus omnes in nos ipsos
 esse, quā in cæteros indulgentiores? qua indulgentia
 si in proximum quæq; vtemur, odium erit prorsus om-
 ne sublatum. Quæret aliquis, quo pacto id fieri potest,
 vt pari beneuolentia, qua & nos ipsos, vel proximum cō-
 plectamur? Nempe si nulli antehac hominum id egis-
 sent, iure forte existimares eisdē animi affectus in alios
 seruari non posse: at cum plerisque illud egisse cogno-
 ueris, perspicuum erit, præ ignauia potius quadam te id
 facere nequire, quod factitent multi: neque enim deus
 cuius iussa complures bene agendo exceßerunt, aliquid
 oneris imponit, quod factū non facile sit. Petis forsitan
 quis ille fuerit, qui hæc fecerit: nempe Paulus, Petrus, &
 reliqui sanctorum cœtus: quos si dixerim fuisse in pro-
 ximum beneuolentia affectos, nihil magni aut præclari
 videbor enunciaſſe, quando tanto sunt illi vel hostes
 amore profecuti, quanto alius quispiam ne coniunctis-
 simos quidem. Quis enim optauerit amici causa gehennam
 & incendium illud adire, cum liceat ad regna cœ-
 lestia proficisci: profecto nemo. Paulus tamen pro lapi-
 dantibus & infensis ac se afflictantibus subire gehennam

664
 cupiebat. Quæ ergo nobis erit vel venia, vel excusatio
 condenda, quando vel tenuem amoris partem, quem
 Paulus in hostes vel ardentissimum de se præstabat, nec
 in beneuolos ipsi ostendamus? Sic & Moses ille beatus,
 qui multis Paulum seculis antecessit, eorū causa qui se
 hostiliter lapidib⁹ inuasissent, de libro vitæ aboleri ma-
 lebat. Dauid etiam eos qui sibi insultassent cum profli-
 gatos & extinctos vidisset, his vsus est verbis, Ipse qui
 pastor sum, peccaui: hi vero quid commiserūt? Saulem
 præterea cum inter manus haberet, perdere tamen non
 modo recusauit, quin etiam seruauit illesum, præsertim
 cum ex eius salute haud parum sibi discriminis impen-
 deret. Quod si in veteri hæc testamento sunt gesta, quis
 nobis erit veniæ locus, qui cum in nouo versemur, nil
 prorsus priscorum, aut magnitudinē attigimus aut cō-
 stātiām? Si enim, vt Christus inquit, nostra iusticia pha-
 risæorum & scribarum non exceſſerit æquitatē, dei reg-
 num haudquaquam ingrediemur: at cū illis simus ius-
 ticia inferiores, quo pacto nobis eo patebit accessus?
 Colite, inquit, qui vos oderint: idcirco erit hostis amo-
 re prosequendus. Non enim id illi, sed tibi in beneficiū
 cedet, fiesq; hoc pacto dei simillimus: siquidem quem
 ipse colueris, nihil erit ex tuo in se amore maioris quip-
 piam lucri assecutus, quippe qui a conseruo adametur:
 at si hunc ipse amaueris, fueris hoc pacto dei non ab-
 similis. Vides itaque vt tibi gratiæ plurimum compares,
 non illi qui tuo sit amore affectus, sic & præmium ven-
 dicas. Quæret aliquis, quid si improbus fuerit is, quem
 ipse amandum censet? Nempe maiorem ex eo laudem
 assequeris, erūtq; illi pro eius improbitate per te vel gra-
 tiæ habendæ: qui etsi innumeris sit tuis in se beneficiis
 obstrictus, se tamen ingratum reddat & improbū. Non
 enim tibi accumulate increſcerent præmia, nisi magnū
 in modum illius augetur iniquitas. Fiet itaq; vt eius-
 modi improbitas, quam odij causam fore existimas, a-
 moris occasio sit futura: nam si aduersantem sustuleris,
 & præmiorum causam tollas necesse est. Nōne & cer-
 tatores spectasti, qui exercendi se gratia vel vtres hare-
 na complent & gestant? quod tamē vt agas, haud sanē
 necessarium fuerit: abundat enim hæc vita eo hominū
 genere, qui & exercere te possint, & fortiozem reddere.
 Sic enim & arbores spectare licet, quæ vt validioribus
 ventis agitantur, ita & maiori robore obfirmari solēt,
 & ramis fieri & frondibus densiores. Quocirca & nos
 si animi magnitudine præstamus, magis ac magis inua-
 leſcimus: inquit enim, Vir constans, animo lōge sapit: Ecclē.
 timidus vero, stultus admodum & vecors. Vides quā
 sit animi pusillanimitas incusanda? nō enim simplicem
 illi, sed ingentem inesse asserit stoliditatē. Non erit ita-
 que inter nos eiusmodi mutuo tolerantia exercēda, aut
 tali inconstantia vtēdum: cum id non ex odio aliquo
 aut maleuolentia, sed ex animi pusillanimitate quadam
 abiectioris fieri contingat: qui quamdiu stabilis & im-
 motus perstiterit, omnia facile tolerabit: neque solū ip-
 se nullo impulsu in profundū mergetur, quin homines
 eius tolerantia ad tranquillissimos portus trāſuectabit.

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI

de mansuetudine Sermo, quodam do-
 cto inserprete.

Mnibus vobis perspicuū arbitror, quā con-
 ueniat his, qui diuina audiunt eloquia, vt mo-
 res bonos, & conuersationem virtute prædi-
 tam exercent. In hoc enim serui dei eos qui
 veritatem ignorant, potissimum antecellunt, si in mā-
 suetudine

suetudine conuerſentur, & vitam agant religione sua
 dignam. Qui Christum ignorant, haud mirum si mali
 sint, moribusq; damnatis. Seruus autem Christi magis a
 morum mitate, quā a nomine quod ei parentes im-
 posuerunt, vocandus est. Neque deus homines ita dili-
 git propter virginitatem, ieiunium, contemptum diu-
 tiarum, hilarem eleemosynarum dationem, vt propter
 mites beneq; compositos mores: tamen & illud alacri-
 ter suppeditare indigentibus nō aliunde proficiscitur,
 & conceditur his qui Christum diligunt, quā a miti-
 tate. Vt enim a fonte riuus, ita a morum suauitate cura
 pauperum profluit. Facile enim ad misericordiā man-
 sueti & equabiles trahuntur omnes, neque ferre possunt
 contemni pauperes, sed aliorum inopiam suam arbi-
 trantur calamitatem, & propterea inuidiam pessimam
 omnium affectionum credūt. Neque vnquam grauem
 illum morbum in suam animā admittit vir benignus
 & mitis: sed si viderit fratres honoratos, congaudet ac
 gratulatur, aliorum gloriam suam putans. Alioquin a-
 micorum omnia communia censens, in bonis quidem
 congaudet, in tristibus vero cōdolet. Hæc enim man-
 suetudinis dona sunt, & talis est mitium vita. Mitis or-
 phanorum pater est, viduarum præses, paupertatis pro-
 curator, iniuria affectorū adiutor, semper strenue agit
 quod iustum. Mitis, reuerendus pater pueris, & obser-
 uandus dominus est seruis. Nihil enim ita cōciliat do-
 mino familiares, vt quod illum vident tranquillū sese
 offerre, & mansuetudine iucūdum. Nam & talem ma-
 ioris faciunt & admirantur, habentq; pro patre, nō pro
 domino. Age, pro virili nostra diligenter inquiramus,
 quænam ex morum suauitate bona mansuetis proue-
 niant. Gratus & amabilis est videntibus, gratus item &
 his quibus tātum nomine notus est: neque facile vllum
 inuenies, qui audiens laudari hominem mansuetum, il-
 lum videre, & exoculari non desideret, & non habeat
 in aliquanta lucri parte eius amicitia posse diu frui.
 Quod si contingat aliquos propter opes inter sese dis-
 fidere, mox ad benignum & mansuetum illum prope-
 ratur, bona spe, quod eius bonitate quicquid litium &
 contentio-nis est, ē medio tollatur. Atque si capitales
 inter se inimici sint, mansueti viri correptione placan-
 tur & mansuescunt, etiam si natura in iram & furorem
 propensī sint. Qui vero per mansuetos conciliari ne-
 queunt, intractabiles planē sunt, nulloq; honore digni.
 Sed in quauis causa aptior & magis idoneus ad persua-
 dendum & consulendū est: & primus & præ aliis quic-
 quid assequi cupit, impetrat. Insuper quoniam exem-
 plo suo magister est mansuetudinis, & ipse opere suo
 stabilit quæ tradit, & mox, vt videtur, mitigat etiam
 furibundos. Neque multis eis verbis vel admonitioni-
 bus opus est, sed pacem priusquam loquitur, persuadet.
 Quemadmodum & solis iubar vt primum apparet, fugat
 tenebras: ita mansuetus & benignus sua præsentia
 res turbulentas componit, quietasque ac tranquillitas
 reddit. Est autem & hoc dignum recenseri, quod Chri-
 stus solum pacificos, filios dei vocat. Et quare suum vo-
 cabulum mitibus communicat? Solus ille filium dei
 pro viribus imitatur, qui pacis & amicitia autor aliis
 fit. Nam sicut Christus deus & omnium dominus, in
 carne diuina nobis apparens, sanctos angelos cum
 hominibus concordēs effecit, qui quasi bello quodam
 a nobis dissidebant: ita & mansuetus homo fratres &
 cognatos, qui inter se discordēs sunt, conciliat: & re-
 uereri leges & præceptum dei, abiectisque inimiciis
 in gratiam mutuum redire facit. Porro quod in cor-

poribus nostris nerui, hoc est mansuetus homo in do-
 mo, & ecclesia, & ciuitate. Paulus enim more suo fra-
 tres vocat corpus & membra inuicem. Qui autem di-
 uulſos & pugnantes coire facit in amicitia, iam Pauli
 sermonem implet, qui suadet omnibus, ne ignorent
 membra sua, neque mutuum se deuorent. Vnde verus
 est sermo ille, quod pacificator fratrum eadem virtu-
 tem habet in ecclesia, & domo, & ciuitate, quam ha-
 bent in corporibus nerui, dispersa & separata coniun-
 gentes & contrahentes. Verum hæc virtus tunc aliquid
 data est, quando primus ipse mansuete viuere incipit.
 At qui facile in iram erumpit, ridiculus apparebit, si
 quando exasperatos alios placare attentat. Iam quid
 deterius hominibus qui iræ seruiunt? Quis eos videns,
 non auertit oculos? Vir iracundus, insuauis quidem
 est obuiis, insuauis autem & vicinis: & si diuitiis abun-
 dauerit, non facile egenorum inopia succurret. Com-
 munis est hostis & ciuium & peregrinorum, clamat,
 vociferatur, plagas occurrentibus intentat, dicenda &
 non dicenda loquitur, aspectu toruo, inflata facie, lin-
 gua rabida, manibus ad omnia prorumpentibus: & vt
 apparet, dæmone plenus. Et quis videns virum ita fu-
 rere, dubitaret vel dæmonio agitari miserum, vel vo-
 luntario in tantam insaniam proſilire? Ita voluntarius
 dæmon, optata infamia, mentis est defectio. Qui iras-
 citur, diaboli ludibrium est, dæmonum officina, & ne-
 quicia illius dignus minister. Dic obsecro, quid potis-
 simum volunt dæmones quod faciant homines? Nō-
 ne vt exprobrent parentibus? nōne vt pollutas ma-
 nus natis inferant? nōne vt deum blasphement? Hæc
 autem omnia irascentium sunt opera. Atque adeo ira
 seruis suis facile impietatis autor est: neque enim sibi
 ipsis imperare valent: & qui a furore & ira vincuntur,
 similes sunt navi, quæ in media tempestate a guberna-
 tore destituta summergeitur, vnde quaque in eam pro-
 cellis ingressis. Ira enim quasi fulmen & tempeſtas quæ-
 dam in animam irruit, seruientemque sibi stupidum
 reddit ac amentem. Quid igitur faciendum? Pruden-
 tis hominis fuerit, vt sibi ab hoc morbo caueat, men-
 tem contineat, & furorem sopiat scripturarum admo-
 nitionibus, priusquam in iram inducatur. Nam si præ-
 stigatorum incantamentis bestia obtemperat: quid
 mirum, si eloquia Christi ferocis animæ statum, tran-
 quillum & æquabilem reddant? Omnis enim, inquit, amaritudo, & ira, & furor, & clamor auferatur a vobis
 cum omni malicia. Estote inuicem benigni, misericor-
 des, condonantes vobis ipsis, si quis aduersus aliquem
 habet reprehensionem: quemadmodum & deus in
 Christo condonauit vobis. Sitis igitur imitatores dei.
 Videtis qualis sit mansuetudo? cuius vocetur imitator?
 non angelorum, non archangelorum, sed domini v-
 niuersorum: tamen etiam illi mitissimi sint, virtutēque
 omni pleni. Paulus tamen dei imitatores nos esse vult:
 quod proposita tanti honoris magnitudine persuadeat
 audientibus, vt omnes qui contumelia afficiuntur, vel
 aliud quiddam graue patiuntur, conuicia atque alia
 moderate ferant, imperantesque iræ, deum imitentur.
 Iam quænam sunt illa quæ dei? In his enim quæ in su-
 pernis videmus & audimus, omnia diuina sunt: in his
 quæ super terram & sunt & dicuntur, iniusticia mul-
 tæ. Quippe sunt nonnulli, qui in tantam perueniunt
 impietatem, vt & deum blasphement, si quando in re
 aliqua contristentur, & in cœlum respicientes a nullis
 abstineant verbis: Deus tamen fert, quamuis tantam
 habeat potestatem. Aut non potest de iniuria amenti-
 bus

bus pœnam sumere: Si omnes peccatores punire vellet, A
perquam pauci saluarentur, nec sufficerent ad sepul-
ras homines. Vnde & David dicit: Si iniquitates obser-
uaueris domine, domine quis sustinebit? quoniã apud
te propiciatio. Et in illo ostendit misericordiam suam,
eo quod non seueriter punit. Igitur quisquis assimilari
vult deo, pro virili mansuetus sit ac mitis, feratq; forti-
ter, si quid grauius aliis patiat. Diligite, inquit, inimi-
cos vestros, benefacite his qui vos oderunt: orate pro
his qui vos lædunt & insectantur, vt sitis filii patris ve-
stri qui est in cœlis, qui solem suum oriri facit super
malos & bonos, & pluit super iustos & iniustos. Et mul-
tæ quidem sunt virtutes, quæ Christianum virum bene
decent: maxime autem omnium mansuetudo. Nam
eos solos, qui hac conspicui sunt, dei imitatores Chri-
stus nominat. Proinde congruum est, vt quando quis
contumelia nos afficit, vel verberat, vel alia ratione af-
fligit: sustineamus omnia mansuete & patienter, consi-
derantes quod dei imitatores mititas facit. Etenim ipse
dominus & saluator noster contumelia affectus, ver-
beratus, cruci clauis affixus, leniter tulit Iudæorum fu-
rorem: & licet posset de eis vindictã sumere, nõ sump-
sit tamen: sed virtutẽ suam ostendit, eo quod conculsit
terram, & mortuos suscitauit, & obscurauit solem, &
noctem ex die fecit. Mansuetudinem autem & miseri-
cordiam declarauit, quia nullum ex his qui impiẽ age-
bant, puniuit. Vt disceret omnes, qui impias manus in-
tulerant domino, quã non fuisset ei difficile ipsos pu-
nire, qui tam facile terram commouit, & solem repen-
te obscurari præcepit. Et quia tam mansuetus fuit ipse,
vt non solum mansuete tulerit eos qui crucifigebant
& blasphemabant: sed & patrem obsecrauerit, ne cœle-
stibus aduersus impios telis vteretur. Idcirco cum & ti-
bi graue aliquid & durum ferenti, subrepunt furor &
ira, recordare mansuetudinis Christi, & statim man-
suetus eris ac clemens: & non solum tibi ipsi benignitate
tua plurimum lucrifacies, sed & inimicis proderis
plurimum, erudiens illos vt ipsi benigni fiant. Viden-
tes enim te extrema sustinere, & iram mansuete ferre,
statim posito furore mansueti & lenes ipsi fient, man-
suetudinẽq; tuã imitatores. Proinde quisquis furibun-
dos vincere voluerit, fortiter ferat iniurias & verbera,
magnãq; eius qui verberibus in se sæuebat, conuer-
sionem videbit. At si etiam ipse ab ira vinceris, studens
inimicum pari insania vlcisci, nullus vnquam irarum
& pugnarum erit finis: sed semper qui insaniunt & ra-
bidi sunt, & vincere alios conuiciis & verberibus cogi-
tant, in immensum bellum & pugna erumpunt, mutu-
um insidiantur, calumnias struunt, peierare audent,
& accusationes meditantur eorum, quæ neque vide-
runt, neque audierunt: & in die quidem sicut canes ra-
bidi, & quærentes inimicum, noctem autem cogitan-
do insumentes, quo modo malum aliquod machinen-
tur, & insidias parent. Talibus neque somnus vincula
deponit, sed putat quod adhuc absint apud inimicum,
& crimentur & percutiant: & è somnis repente euig-
ilantes, magis eadem mutuam, quã epulas diligunt.
Alij vero ira ebrii calumniatores mercede conducunt,
infandaq; inter se agunt opera: & quanto pluribus ma-
lis sese irritarunt, tanto maiore insania furiant. Nam
quod ebrios dicunt ob insatiabilem ebrietatem arden-
tius sitire, hoc & iracundis vsu euenit, quia in pernicio-
siorum ruunt insaniã propter inexplebilem contem-
dendi libidinem. Hic vocauit seruilem, alius scorti fi-
lium: ille insipientem, iste insanum: est qui furem & in-

iustum, & alius plenum omni malo. Dein ira ebrii,
confligunt inter se, bestiarumq; mores imitantur, per-
cutiunt, calcitrant, mordent, concidunt inuicem cor-
pora, nulli parti parcunt: non oculis, non auribus, non
naribus, non faciei, nõ alij cuiquam membro, sed con-
sistunt inter se concidunt, & pessundat inuicem. Et
quod malum non faciunt: Secedunt a pugna, ille am-
isso oculo, ille auribus, ille labiis, ille alia corporis parte,
magis tamen anima quã corpore corrupti, furibun-
di, nugaces, rabidi, ignorantes legem domini & salua-
toris, qui præcepit vt alapa percussus & verberatus, at-
que alia passus, placido animo fortiter omnia ferat,
vincatq; mansuetudine furorem iniquẽ agentium. Sa-
nẽ qui hoc facit, laudatur ab hominibus, & coronatur
a deo & seruatore. Et propterea perseuerandum est, fe-
rendo leniter iratos, & respiciendum ad coronam,
quam præparauit deus mansuetis & mitibus. Absur-
dum enim est, quod athleta in gymniciis agonibus &
puleribus verbera & vulnera ferunt propter vanam
gloriam, coronam nullius momenti spectantes: nos
autem coronandi a Christo non imperamus irã, non
omnia fortiter toleramus: sed breuem voluptatem, &
iniustum furorem cœlesti honori & gloria præferi-
mus. Enimuero & hoc manifestum, quod cum multi
magniq; fuerint, qui ornatam ac iustam vitam egerunt,
mansuetudine tamen clarissimi euasere: quia placidi
erga eos fuerunt, qui se iniuriis afficiebant. Hac enim
virtute Moses Iudæorum insaniã moderate ferens,
& precibus saluans inimicos, honorem & gloriam cœ-
lestem præ aliis obtinuit, deiq; amicus vocatus est. Hac
quoque virtute & David parcens inimicis & hostibus,
deum sibi amicum & beneuolũ effecit. Hac enim cum
omnes homines ornare valeat, in primis tamẽ eos qui
in potestatibus agunt. Nam cũ principibus omnia per-
mittuntur, si se ipsos continent, & suorum operum du-
cem habent legem dei, non nihil inde eorum celebra-
tati & gloria accrescit. Enimuero Paulus & Petrus qui
cœlestem tangebant apsidem propter virtutem, qua
conspicui erant, humanitate tamen & mansuetudine
magis claruerunt: quia honorem exhibuerunt his, qui
se conuiciis incessabant, inimicis benefaciebant, & sæ-
pe lapidantes precibus saluabãt. Sciebãt enim hæc ma-
xime grata deo, & præ aliis bonis admirabilia: & idcir-
co ipsi vitam suam in mansuetudine transmiserunt, a-
liosq; ad illam allexere. Quin & Stephanum periclitã-
tem pro pietate, videmus pro inimicis orare, & mitita-
tem in certaminibus admiramur. Reliquum, quia tan-
tos ac tales duces mansuetudinis sortiti sumus: adhor-
temur nos mutuum, vt illorum vestigia sequamur, &
in mansuetudine deo ministremus: quandoquidem mi-
nisterium istud aliis virtutibus est ei longe gratius. Et
diuinius apostolus virtutem apostoli commostraturus,
Christi ministerium mansuetudine potissimum
clarefcere voluit. Et quamuis multa potuisset dicere, si-
quidem voluisset, vt pote dæmonum fugam, mortuo-
rum resurrectionem, atque alia: sed omnibus illis præ-
teritis, æquabilitatem morum sursum ac deorsum ver-
sat ac tractat: quo persuaderet nobis, vt sua vestigia se-
quamur, benigniq; simus ac mites. Iustum est enim san-
ctos illos imitari, & in exemplar vitæ proponere: vt bo-
nis omnibus resurgentes, promissa bona assequamur a
magno deo & saluatore nostro, per quem, & cum quo
patri cum sancto spiritu sit omnis gloria, honos & im-
perium in secula seculorum, Amen.

DILIGAMVS

DILIGAMVS OMNES, ETIAM PER-
sequentes, Sermo.

NVNGAMVS nos ipsos inuicem, volentibus
vel ceteris ab hac animorum coniunctione
discedere, constas ipse in officio permanebis,
neque nostrũ quispiam dictum illud vulgatum & frigi-
gidũ vsurpet, quo dici solet: Amore prosequar me co-
lentem: & illud, vel dextrum mihi oculum excusserim,
quem norim me habere infensum. Dæmonũ dicta sunt
hæc, publicanoq; potius, vel gentili diffidente, digna:
tu vero qui sis ad ampliorem quandã rempublicam ac-
citus, & cœlo inscriptus, maioribus videris esse obno-
xius legibus, idcirco erit his verbis temperandum: quin
& homines a tui amore abhorrentes, plurima sunt in
gratiam beneuolentia reducendi: sunt enim & hi in
membrũ dati, quod membrũ si fuerit a reliquo cor-
pore reuulsus, enixe omnia facimus, virẽque & ani-
mum magis intendimus, vt ad priorem copulam reuo-
cemus. Maioris enim est præmij cum quempiã nec vo-
lentem ad nos amandum pellicimus: nam si iubet deus
eos fore ad prandium inuitandos, qui nequeant vicem
reddere, vt collatum illud in alterum augetur munus:
longe magis id erit in amicicia seruandum. Siqui-
dem qui alienam in se beneuolentiam mutuo amore
compensat, vicem rependit. At qui alienum in se amo-
rem promerebitur, vel si nullam reddet amoris vicissi-
tudinem, deum constituet pro ea in se beneuolentia
obligatum. Vtq; ista omittam, nihil videbitur aliorum
opera in fungendo officio indigere: vnde & hi iuuan-
di erunt, & ad amandum etiam cõpellendi, qui te ode-
rint. Ne igitur vbi studium præstandum est, negligenti-
am inferas: neque id dixeris, eo fore quempiam negli-
gendum qui sit & corpore affecto, & valetudine cor-
reptus: siquidẽ cum amor refrigit, morbus est, quin re-
foue argentem, vt incalescat. Quid si ne fatus quidem,
dicit aliquis, incaluerit: tum rei tuę vacabis. quid si ma-
gis algore contrahatur: rursus is præmia tibi maiora
suppeditabit, eoq; magis dei te sectatorẽ arguet. Quod
si ex amore mutuo Christi discipuli dignoscuntur: In
eo enim, inquit, dignoscemini omnes esse mei discipu-
li, si vos ad inuicem dilexeritis: cogita quantã illud sit
laudis, si odium amore compenses: quippe & dominus
tuus amore se odiẽtes complectebatur, proq; his & pa-
trem precabatur: quantoq; illos infirmiores spectasset,
tanto magis illorum curam suscipiebat dicenq; exclama-
bat: Non opus habent, qui prospera sunt valetudine
medico, sed qui mala. Quin etiam mēsa eadem & pec-
catores æque, & publicanos dignabatur: quantoq; ma-
gis se Iudaicus populus ignominia & probris insecta-
batur, eo maiori sibi & curã fuit, & honori. Hũc itaque
& ipse imitare: non enim parui hæc virtus facienda est,
qua sine, vt Paulus ait, neque martyres ipsi multum deo
placere potuissent. Ne igitur dixeris, nequire te eum
colere, cui ipse fueris exosus: id enim vel maxime debes
odienti amorem: accedit & quod nemini licet aman-
tem se odisse statim, quin etsi beluarum sit quibus simi-
limus, amabit qui se beneuolentia prosequitur. Hoc e-
nim, inquit, ethnici faciũt & publicani: quod si quisque
colentem se colit, quis nõ eum adamarit, qui pro odio
amorẽ rependat? Id igitur velim ceteris ad exemplum
proferas, habeasq; in ore frequentius istiusmodi: Non
desinam te amando insectari, quãdiu me odio habue-
ris: hoc pacto controuersias sedabis: nam siue ex phleg-
mate, siue ex quadã natura frigiditate eiusmodi mor-
bus ortum duxerit: vtrũque tamen amoris potentia &
Tomus quintus.

A vis eius feruore moderabitur. Nonne etiam spectasti
vnquam, qui turpi libidine detinetur, vt ab adulterata
muliercula innumeris contumeliis affecti, caduntur
plerunq; & conspuuntur: quid igitur: num amor igno-
miniis soluitur? Minime, quin magis incenditur. Hac
sanẽ humili & infimo genere fœmellæ postquã libidi-
nata sunt, factitãt: qui vero iniuriis afficiuntur, possunt
per sæpe maiores suos recẽsere illustres, & claros viros,
& familiã nobilitatem prædicare nõ mediocrem: non
tamen idcirco vel libidine extricantur, vel deserunt
quam amare occeperint. proinde nihil nos pudet, eam
quã dæmoniacus amor habere vim creditur. nõ existi-
mare in diuinũ posse desiderium transferri, expugna-
riq; hoc pacto vel dæmones posse: nonne etiam nostri
dæmonem illum impurum instare, vt vel eum qui sit
odio habitus ad se trahat, & membrum vendicet nõ-
strum, quod quempiam oderit: quo neglecto, victoriã
palmam prodis, id est, fratrem qui in palmæ morem in
medium adstat, & tibi si viceris futurus in præmium: si
vero negligentior fueris, sine palma abibis? Desine ita-
que dæmoniacum illud pronũciare, si me scilicet ode-
rit frater, haudquaquam hunc mihi spectandum tulerim,
quo dicto nihil est fœdius: cumq; nonnulli eam a-
nimi crudelitatem summis ingenijs adscribãt, nil tamẽ
ipse existimauerim vel abiecius dici, vel infanias &
inimicitias posse: eoq; mihi ingemiscẽdum cenfeo, quod
vicia ducitis virtutibus potiora, & insolescere, & cæte-
ros aspernari, magni apud vos esse appareat, & clari of-
ficiũ: quod equidem nõ secus, ac pro magnis dæmo-
num laqueis habẽdum duxerim, eo magis quod velint
plerique de animi malignitate bene opinari vita fit, vt
deleri eiusmodi nequicia haud facile possit. Audiui ego
nonnullos iactare solitos, sese non vltra ad eos adille,
qui vel semel nullam sui habuerint rationem: quod ta-
men sibi dominus tuus glorię duxit. quoties nanq; hũc
homines conspuerunt, quoties aspernati sunt, quibus
nihilominus ipse & opem ferre, & subuenire nõ inter-
misit. Ne itaq; illud in ore habueris, minus scilicet pos-
se odio te habentes conuenire: quin illud vsurpatũ ha-
beas velim, nequire te tui paruifacere contemptores,
quorum alterum Christi discipulũ decet, alterum dæ-
mones. vtq; primum illud claros homines facit & illu-
stres, ita secundũ hoc obscurat, & ridiculos reddit: eoq;
& Moses admirationi habetur, qui deo dicente: Mitte
me, vt iratus conteram illos: non est passus eos respue-
re, qui se fuissent sapius aspernati, qui respõdebat: Si di-
miseris eis peccatũ, dimitte: sin autem, & me perde. Erat
is sanẽ & dei amicus, & imitator. Ne itaq; nobis id lau-
di demus, quod potius foret ob turpitudinẽ occultan-
dum: neq; illud vsurpemus, quod dici vulgõ solet: No-
ui ego contemptui habere quamplurimos: quin erunt
omnes & irridendi per nos, & comprimendi, qui ver-
bis istiusmodi vtuntur: quandoquidem in his se iactãt,
quibus pudere oportuisset. Quid inquis, dic mihi, Chri-
stianum hominem conspuendum cenfes, quem neque
infidelem Christus conspuisset: at quid, conspuisset, di-
xerim, quin ad eum hunc etsi sordidum & informem di-
lexit, tantoq; est amore prosecutus, vt eius gratia mor-
tem subierit: tu vero eundem decorum admodum im-
præsentiarum effectum, & cũ sitis admirabilem respuis:
dic mihi nõdum aduertis, qualia in eum verba iactes,
aut quod audeas facinus, qui & Christi sit membrum,
& eiusdem ac tu domini corpus gerat: eumq; pro capi-
te habeat, pro mensa & veste, proq; luce & sponso, ac
denarium vniuersorum loco ducat: neque hunc solum,
y ij quin

quin & alios plerisque maledictis offendis? Cōtine te iam, & desine insanire, recognosce fratrem, disce furētis hęc dicta esse, & animi valetudine laborantis: quin longe his aliena hunc in modum profare: Nunquam desistam beneuolentia te complecti, vel si centies te patiar repulsam: hoc pacto & fratrem lucrifeceris, viuesq; hanc in dei laudem vitam, & futurę beatitudinis non eris immunis.

VT BENEDICAMVS MALEDICENTIBUS, Christi & sanctorum exemplo, Sermo.

INGEMISCENDI mihi cupido incessit, quādo & nobis liceret Christi legibus decenter seruatis, nō minus presentia hęc quā futura illa vendicare, ni rebus nimis & superuacaneis studentes, diuinis præceptis offensi, his bonis excidissimus. Christus sanē legibus in vsum nobis & utilitatem conditis, quid gloriosos, quid fordidos & abiectos efficiat ostēdit: neq; id iniunxisset haudquaquam, scilicet malefacta fore maleficiis compensanda, si suos discipulos ob id futuros ridiculos comperisset: quin eō indixit, quōd nosset id illis ad gloriam cessurum non mediocrem. Quōd si maledicentem maledictis nō infectari a deo probatur, quanto magis qui fuerint maledicos laudibus & maleficos beneficiis profecuti, gloriā merebūt: Dicit aliquis, Cur igitur Christus huiusmodi leges promulgauit? Id quidem dixerim, indulget enim suis discipulis, calletq; quid hominum possit augere, quid imminuere dignitatē: quōd si indulgere solet nouitq; quid illi cōtētiōse litigas, cupiens aliō iter diuertere: velle nanq; alios male agendo superare, non diuinā id legis esse, quin dæmoniācā constat. Siquidem in Olympiacis certaminibus inferis dedicatis, hoc pacto victoria comparatur, quin & vincendi modus nullus est sanē in Christi stadio similis, quin longe diuersus est ritus. Sancitum nanque est, percussum, nō percussorem corona donari oportere: talis est apud deum exercitandi consuetudo, cui & statuta sunt omnia cæteris longe diuersa, adeo vt non solum ipsa victoria, quin & vincendi modus admirationis habere plurimū videatur: siquidem qui succubuisse videntur, palmam retulisse credūt: hęc dei est potentia, tale cœleste illud est stadium, hoc angelorum spectaculum. Videre videor vos ad hęc dicta incaluisse, fuisseq; magis quauis cera emollitos: verū cum hinc fuerit abscissum, nulla erit horum apud vos recordatio: idq; eo magis iniquo animo tulerim, quōd horum nihil quæ dixerim facturos vos intelligam, præsertim cum non ignorem haud mediocre ex his lucrum referri posse. Nam si mansuetudinem ac benignitatem prætulertis, inoffensi omnium estis manus euasuri, vel si incesserit quispiam maledictis, in autorem cōiucia reditura sunt omnia. Nōne & in iudiciis homines iniuria affectos spectasti, quo vultus splendore, quāue instent audacia, vtq; ore libero eloquantur: contra, qui eam intulerit, capite demisso, pudore multo offusus & trepidus terram spectet? Verum quid criminatores commemorauerim, aut calumnias, quando si vel in tuam perniciem quispiam gladium acuat, vel suas ē tuis ceruicibus sanguine manus resperferit, te inoffenso seipsum peremerit: cui rei testimonio est, qui prior fraterna manu occubuit: is enim gloriam adeptus immortalem, in tranquillissimum portum secessit: qui necem intulit, quauis morte vitam transegit miseriorem: gemebundus siquidem & vagus ac trepidus, semper rei gestę crimen præ

seferet: quocirca Cain sceleri obnoxius, inferior erit. Nam qui mala illata tulerit patientius, domi nō erunt, nec diu apud se illa mansura, quando nullum ab se ortum habuerint, quin aliunde iniecta excipiens, in bonum praua commutauit: improbus vero suę malignitatis plagas domi seruat. Nōne & Ioseph erat in carcere coniectus, cum interea meretricula, quę illi parasset insidias, in splendida ac magnifica domo diuersaretur: quōd si alterum ē duobus daretur optādum, vter horum esse malles: crederem equidem Ioseph te potius partes suscepturum in carcere detenti, quā Aegyptiæ in tectis amplissimis diuersantis: nam si vtriusque liceret animum inspectari, cerneres Ioseph late & fidentius diuagantem: illam vero anxiam pudore, tristitia, dolore, & mentis perturbatione magnum in modum, et si vicissim sit visa, vrgeri. Quibus omnib; cognitione perceptis ad malorū nos toleratiā paremus, vt hac tandem patientia liberati, futura beatitudine potiamur.

NE SCANDALVM CUIQVAM FRATRVM PONAMVS, Sermo.

ANIMADVERTE quantum Paulus curę & diligentię præstiterit, ne sui exemplo quempiam perturbaret: inquit enim, Si cibi graua frater tuus tristitiam ceperit, nondum secundum charitatem incedis: qui si mœrore afficiendus non erit, eo minus per te nec irritandus: & rursus idem. Neque propter cibum destrues opus dei: nam si sacram aliquam ædem subuertit graue, & nefarium existimatur, quanto magis spirituale hoc templum, si ruinam patiatur? quando & homines constet sanctitate sacris edibus longe præstare, quippe nō parietum gratia, sed nostri huius templi mortem Christus appetiit. Circūspectemus itaque ipsi nos vndique, nulliq; vel tenuē querimonię causam præbeamus: potest etenim vita hęc nostra cū stadio conferri, & nos ipsi quā multis oculis abundemus necesse est: neq; quoquam id pacto credere, ignorantiam scilicet satis nobis ad excusationem valituram, pro qua & pœnas daturi sumus, cum ea nec veniā mereatur. Constat sanē & Iudæos per inscitiam deliquisse, quamuis eiusmodi illorum ignorantio, nulla sit veniā dignāda. Gētes præterea nouimus fuisse ignorantia captas, nec tamē propterea possunt excusari: nam si ignores quæ sciri nequeūt, aut cognosci, culpa vacabis: contra vero, si te cognitu facilia lateant, extrema supplicia ferēs: quinetiam si haud omnino nobis ipsi deerimus, sed conantibus quæ abstrusa sunt & recōdita cognitione attingere, opem deus & auxilium feret, quod quidem & Paulum dixisse Philippensibus: patet hoc modo: Et si quid aliter senseritis, id deus vobis reuelabit. At cum ea quæ factu nobis facilia sunt, perficere recusamus: neque illum sumus adiutorem habituri, quod & Iudæis accidit: Ideo enim, Christus inquit, eis in parabolis loquor, vt videntes nō videant. Dicit aliquis, Quo pacto visu carebunt, qui vident? maxime: siquidem cum spectarent abigi per Christum dæmones, nec tamen temperabant illi obicere: Dæmonium habes: cum a mortuis cernerent excitatos, non eum adorabant, quin morte afficere conabantur. Cornelius vero nihil istorum similis videbatur, cui pro viribus omnia factitanti, supplebat deus quod defuisset. Neque id quæras, quo pacto ex gentibus aliquem cum probus sit & simplex, aspernetur deus. Principio dixerim, nulli hominū posse, nisi creatori cuiuspiam patere probitatem: deinde nullā gentilem illum, aut curam adhibuisse, aut studium

studium, vt dei haberet notionem. Dices fortasse, quōnam pacto dei quispiā cognitionē assequetur, qui nulla sit sapiētia instructus: At hunc quem ipse nec sapientem iudicas, nec prudentem, sed incautum appellas & inutile: si fuerit in bonis externis periclitatus, cerneres longe rei suę intētum, & circa eiusmodi adprimē diligētē: qui si spiritualibus rebus incubisset, quō cæteris solet, nō adeo foret apud deū despectus: nam cum veritas ipsa sit sole splendidior, quocunq; se quisque cōtulerit, eodem sibi, si paulō fuerit attentior, salutem cōueniet: quod sane superuacaneum videri non debet: siquidem & Christi res gestę haudquaquā Palæstinis locis, vel angusto aliquo orbis terrarum angulo circumscribūt. Nōne & ipse Prophetam audisti istiusmodi de Christo prædicatē, Me omnes visuri sunt a minimo vsque ad maiorem. Nōne etiam intelligis hęc dicta veris fuisse rebus confirmata? Qua ergo hi ratione veniam sunt habituri, qui cum videant veritatis leges cunctis esse ad perdiscendum expositas, nec tamen his imbui studeāt: Dicit aliquis, istiusmodi ab homine rusticano, & barbaro duxeris exigenda? Non equidem a barbaro solū, & ruri versato, quin ab eo exegerim, qui omnes barbarie superet, & feritate. Cur enim, dic mihi, si qua de re agatur, rusticanus is, si reus fiat, & obiecta confutare nouit, & aduersario, si vim patitur, obistere, factitareq; omnia astu & viribus ne damno vel tenui afficiatur, verum ad ea quæ spiritus sunt, non pari prudentia vtitur? Porro cum lapidem adorat venerabundus, ac ducit pro deo, cum festos illi celebrat dies, cum pecunias fundit, vereriq; se eius numē fatetur: nihil vltra vel ignauis, vel torpens præ eius ineptitudine videbitur. At cum verus ipse conquirendus est deus, tunc mihi hominem hunc, nec sanum satis, nec frugi esse commemoras: nō ita se res habent, nō ita. Num inertię duntaxat hoc crimē erit? quos enim moribus vel faciliores vel rudiores opinaris: eosne quos Abrahę fuisse tēporibus cōstat: an huius nostrę ætatis homines? Id certē clarū, Abrahę dixeris. Vel quādo pietas ipsa & religio inuentu facilior, nostris his, an Abrahę seculis? nostris quippe, quibus dei nomē est apud omnes vulgatum, & prænūciatum a prophetis, & finem res ipsę nacta, gentium opinionēs sunt confutata & repudiata. Accedit etiam, quōd tunc tēporis homines nōdum erant veritatis cognitione instructi, & scelera suę ditionis vniuersa effecerāt: nec lex erat vlla ad castigationem promulgata, propheta nullus, nulla miracula, doctrinā nihil, aut qui eius cognitionē haberent non multi, neque aliud eiusmodi: quin erant omnia tanquā in profundis tenebris, obscuraq; & turbida nocte cōstituta, & tamen rebus aduersantibus mirandus ille & ingētis animi vir & dei notionē habebat, & virtutem exercitans plerisque ad se imitandum induxit. Quod eo magis mirum videri debet, cū esset externæ huius & humanę sapiētię prorsus ignarus: nōdum enim fuerant elementa literarum inuenta, verū conātī illi pro sua virili omnia, opem deus & auxiliū tulit. Neq; enim dici potest Abraham eam a suis maioribus accepisse religionē, quippe qui idolis inferuissent: nihilominus cū talibus esset ille progenitoribus ortus, barbarus insuper natione fuisset, & inter barbaros enutritus, neminemq; habuisset diuinę religionis instructorem: tātum reliquos qui vel leges accepissent & prophetas probitate anteiuuit, quantū nec dici sat potest. Cur illud: quoniam spiritui prorsus intentus, præsentibus bonis nec curę nimium impendebat. Quid præterea Melchisedec? nōne & is Abra-

A hæ temporibus fuit, adeoq; claruit, vt dei sacerdos diceretur? neque enim fieri poterat, vt qui caste & continenter vitam duceret, cōtemptui haberetur. Cum itaque intelligamus ē quadā probata consuetudine quod semel sentimus, firmum ac stabile seruandū esse, & nostrę erunt per nos actiones circumspectandę, vt vitę melioris profectum nanciscamur: nec deus precandus vt supplicia a quouis hominum exigat: aut scrutādum, cur hęc sanitati restituat, illum ad se iam fato functum reuocet: sic enim haud secus sanē facere videremur, quā solet infensus seruus, qui domini dispensationem disquirat. Miserum equidem te & calamitosum dixerim, cui cum futura supplicia curę esse debent, quō sit pacto deus conciliandus, aliorum pœnas deposcas, pro quibus & tibi tormenta subeunda sunt, illis ommissis, quorum sis rationem redditurus. Dicit aliquis, quid igitur? sunt ne hæc gentili cuiquam, & infideli renuncianda? quinetiam velim non solum gentilem hominem eadem hæc cōmonefacias, sed teipsum vt rectius viuas: siquidem gentilis ille vitę tuę moribus perpensis, non mediocriter ex his fuerit offensus: ad hæc tibi quid sit respondendum cogita. Nam si qua re alia offendatur, nullam eris ob id rationem redditurus: at si ex prauis tuis facinoribus fuerit offensus, eris sanē discrimen vel extremum subiturus, eo magis si te quem fortē rebus cœlestibus studentem conspicabatur, mox bonis præsentibus viderit inhiantem nō reformidantemq; æterna incēdia. Eiusmodi itaque cupiditatis insimulatus, qua vti responsione queas, excogitanda est, præsertim cum gentilis ille tuis flagitiis perspectis, his sit te verbis criminaturus. Tu qui iudicium illud horribile operiris, cur præsentia hæc non aspernaris? si immortalitatem speras, cur mortem nō paruifacis? si cœlestis imperij amore duceris, cur non hanc vitam contemnis? Istiusmodi ergo obiectanti cogita quid sit per te respondendum, eoq; magis instabit cum te viderit ad pecuniarum iacturam tremebundum, & ad oboli vnus lucrum lætum & hilarem, habentemq; animam pro tenui argento venalem. Hęc sunt, inquam, hæc sunt quæ gentilem offendunt. Quocirca si curę tua est salus, erit pro his ratio non verbis, sed re & actionibus reddenda: quando ob eiusmodi gentilis hominis questionem nemo vnquam deum male dictis incessiuit, qui ob vitę prauitatem vbique offenditur, quæ eō per nos erit emendanda, vt reliquos ab eiusmodi petitionibus cōerceamus. queret enim gentilis, vnde fieri certior possum deum toleratu facilia imperasse? ecce tu qui Christi hanc fidem a maioribus tuis acceperis, siq; in hac tam probata religione educatus, nil tamen ea dignum pro dei iussu facis. Quid ipse ad hęc dices: fortē ostendam tibi plerisque alios, qui in eremo confidunt, vitam agere qualem quaris, & deo gratam. Proinde non te pudet, cum ex cōfesso Christianus sis, gentilem hominem ad alios remisisse, quasi nequeas ipse aliquo indicio Christianum te esse ostendere? at mox ille dicturus est, quid mihi necesse & montes adire, & solitudines insectari? si enim fieri nō potest hominem in medijs vrbibus diuersantem, Christi hanc fidem & sapiētiam adipisci, permaximē erit vestra hæc Christiana respublica incusanda, eō magis si futurum est, vt relictis vrbibus nos ipsos in secessum aliquem conferamus. Id modo velim, hominem afferas, vxorem, liberos & domum habentem, posse huic vestrę sapiētię studere. Quid ad hæc dixeris? nullus est impræsentiarū subterfugij aut pudoris locus: longe enim aliter se habent

diuina imperia. Sic splendeat, inquit, lux vestra coram hominibus: non motibus dixit, aut pro solitudine aliqua inaccessa. Hæc dixerim non ut eos qui montes sibi ad habitandum elegerint, minus probet: quin ut urbium incolas deplorem, quod virtutes inde abegerint. Obsecro itaque ut illud quod in remotissimis locis exercetur sapientiæ studium ad nos vel in vrbes traducamus, ut ciuitates & loca frequentiora hoc pacto excolatur: sic & gentiles reduci in viam poterunt, & offendicula submoueri, adeo ut si eos reddere inoffensos cupieris, & tibi mercedis plurimum vendicare, & vita tua erit per te corrigenda, & quoque verius illustrata, ut homines tuis optimis facinoribus perspectis, deum cœlestem patre efferrant laudibus, nosq; ea gloria, quæ explicari verbis haud sat pro merito potest, frui possimus.

DE MALIS A NOBIS EVERTENDIS, Sermo.



EVERTENDI sunt nobis malorum fontes, quibus euersis sublatiſq; ardentissimum cupiditatis ignem extinguere licebit, ipsiusq; nequiciæ radices ab imo reuellere: etenim si infœcundæ arboris superiora circuncideris, eadem nouos edente ramusculos, nihil videberis vel radicibus altè tendentibus effecisse. Quid autem malorum sit radix, edisce ab antiquo agricola, qui cū huiusce sit agriculturæ non ignarus, vineæ spiritali & curâ impendit & operam, & terrarum orbis culturam suscipit. Quid igitur dixerit quispiam cunctorum malorum esse causam? Pecuniarum equidè asseuerauerim cupiditatem: siquidem omnis improbitatis & nequiciæ fundamentum ipsa est habendi libido. Ex ea nanque dissensiones, inimicitia, bella, altercationes, contumelia, suspiciones, iniuria, cædes, furta & sacrilegia emanant: ob eam, inquam, non solû vrbes & oppida, sed viæ ipsæ, & orbis deniq; vniuersus desolantur, montes insuper, & loca quæque superiora, & cuncta demû sanguine redundant & clade, quod malum neque ipso ponto abstinuit: ibi nãque maiori quadam vesania defæuit, piratis, nouo quodam prædandi genere adinuento, vndique obsidètib. Ob hæc præterea cupiditatem, & naturæ sunt leges immutata, & sublatis cōsanguinitatis termini, ipsiusq; substantiæ ac vitæ corrupta sunt iura: auri enim violèta cupido, nō solum in viuos, quin etiam in mortuos ipsos tales armauit manus, ut ne cum tumultis quidè habere inducias patiantur: quin has plerique sepulchris refractis scelerate iniiciunt cadaueribus, neque sinunt vita functos eorum esse insidiis vacuos. Quæcunque deniq; mala, siue domi esse comperies, siue in foro, siue in iudiciis, siue in concionibus, siue in curia & regis edibus, siue quibusuis aliis in locis, hoc ea habent cupiditate ortû. Hoc illud est malum, hoc cuncta cæde & sanguine opleuit, hoc gehennæ flammam excitauit, hoc ciuitates solitudine nihilo meliores, verum inferiores longe effecit. Siquidè obsessores viarû caueri facilius possunt, quàm qui prædabûdi mediis vrbibus inuersantur: hiq; tanto sunt illis deteriores, quâ tum ad euitandum difficilioribus videntur. Audent enim in propatulo, quæ illi seorsum solèt & clam factitare: & leges quæ ad prædonum perdendam impuritatem sunt & nequiciam late, in auxilium sibi & commodum trahunt, vrbemq; vniuersam clade & facinoribus complent. Atqui inopem in esuriem dedere, in carceremq; coniectum & vincula, tormentis post famem tradere, & variis eculeis diuexare: nōne pro cæde cōmissa habèdum est, & cæde

A maius? quàm rem & si ipse nō feceris, causam tamen ut fiat præbueris, magis eris quàm qui supplicia subministrant, culpandus. Carnifex enim simul ac gladium iugulo defixit, breuiq; dolore affectis, definit vltra hominem excruciare: ipse vero ciues criminando, vexando, insidiandoq; suggeris centies mortè expetere. Aduerte itaque quàm multiplices variatq; ex vna cōficias mortes. Quodq; grauiſſimum est, cum nulla sis necessitate, aut fame compulsus: sed eo duntaxat ut equorum frena, domus fastigia, & columnarum epistylia multo auro obducantur, rapiendo habendi semper in te crescit cupiditas. Quoniam igitur pacto hæc non gehenna digna iudicentur? quando & fratris, qui tibi est ineffabilem bonorum particeps, tantoq; a deo honore dignatus, nulla apud te ratio constet, idq; solum habeas voluptati, ut lapides & pauimenta extollas, exornesq; adeo brutorum animalium corpora, & plurimas tibi ad perniciem & calamitates inferas & ærumnas. Canis tibi magna est cura: homo vero, imò Christus ipse, pro tuo hoc nimio in beluas studio, proq; inani caterarum rerum solertia, fame extrema concluditur. Quid hac cōfusione deterius? quid eiusmodi nequicia potest esse molestius? quot flagrantia flumina, vel igne succensa huic fuerint ad cruciatum satis? Siquidem is, qui sit ad dei imaginem creatus, tua inhumanitate sordescit & squalet: mulorum vero facies qui coniugè vecturi sunt tuam, auro non modico fulget, pelles insuper & ligna, quibus tegumētum aliquid contextitur, vel si sedes paranda sit, aut suppedaneum, auro argentoq; operiuntur: at Christi membrum, cuius ob gratiam è cœlis ille ad nos denenit, ac venerandum sanguinem fudit, præ auaricia necessariis alimentis nil fruitur. Lectuli præterea tui vndique sunt obiecti, sanctorû vero corpora vel necessario amictu priuantur. Seruis itaque, beluis, stratis, suppedaneo, sella & cæteris quæ viliora sunt vas, inferior à te Christus habetur & abiectior. Quod si me audis, dictaq; hæc mea horrescis, desiste iam hæc factitare. Desine, inquam, insanire: est enim studium hoc omne quod circa huiusmodi res impeditur pro infania habèdum. Idcirco inani hac & superuacanea cura omiſſa, oculos aliquando tandè subleuemus ad cœlum, diemq; tum illum, id est, horribile dei iudicium, tum statutam certamq; sententiam, & in reprobos futuram damnationem memoria repetamus. Animaduertamus insuper & æternæ illius maiestatis tolerantiam, quod nostris vel erratis, vel sceleribus perspectis, neque cœlitus in nos fulgura iaculetur, cum facta hæc fulmine sint non indigna: id tamen facere intermittit, nec mare in nos refundit, nec terram scindit, aperitq; mediam, nec solem extinguit, neque disturbat cum astris vnâ & cœlum: nec cuncta denique è medio tollit, quin potius creata omnia finit suo ordine ferri, nobisq; pro instituto subministrare. His itaque animaduersis, diuinæ clementiæ & lôganimitatem & tolerantiam obstupescamus, reputemusq; nobiscum animo nostri ingenuitatem: quando in præſenti nihil planè videamur à brutis animantibus differre, sed illis esse longè inferiori conditione orti. Siquidem sanguinis illa trahuntur coniunctione, suntq; naturali quadam amoris copula contenta: ipse vero vel plerisque sese offerentibus occasionibus, honore scilicet qui religioni debetur & fidei, & multorum bonorum participatione, quorum ob gratiâ cum membris tuis & fœdus inire, & copulam queas, factus es illis longè immanior. Præsertim cum ea quæ planè inutilia sunt, & nullius momenti,

magno

A magno videris studio insectari: eos autem qui dei sunt templum, fame & nuditate consumptos, nō solum aspernaris & negligis, sed malis plerunq; plurimis obuoluis. Atqui si ea per te gloriæ cupiditate geruntur, longè magis frater, quàm equus curandus foret. Quanto enim is, qui tua sit munificentia vsus, præſtator fuerit, eo fulgentior tibi pro tuis in eum beneficiis corona contextitur: nunc vero cum longe his fueris in aliena lapsus, nō sentis quàm multos excites, qui te criminantur. Quis enim tibi non maledixerit: quis non extremæ crudelitatis & inhumanitatis insimulabit, cum viderit te hominum genere neglecto, bestias illis prætulisse, post bestias vero domos & supellectilem curæ habere? Nōne apostolos audis asserentes, priores illos qui dei verbum suscepissent, domos fundosque vendidisse, ut fratres alerent: tu vero domos & fundos subtrahis, ut equos, ligna, pelles, parietes, & pauimenta extollas? quodq; grauiſſe videri debet, non solum viri, verum & mulierculæ hac trahuntur vesania, quando ad inanem laborem hunc & maritos impellunt, ut vbiuis potius quàm necessariis in rebus impendant. Quod si quis hæc tulerit molestius, minusque probet, præmeditatum habent, & in promptu responsum non mediocriter increpandum: dicunt enim ea licere, quæ & cæteri faciunt. Quid inquit, nihil pudet, nihil veremini, quando & Christum ut equis & mulis, ita & stratis & suppedaneis adnumeratis, & quidem fameſcentem: quin potius neque illis parè facitis, maiorèque his rebus portionem, Christo verò perexiguam impartitis? Num vos fugit cuncta illius esse ditiois, vos insuper ac vestra omnia? Num ignoratis eundem & corpus condidisse, cōdito gratis indidisse & animam, in quam omnia ornamenta contulerit? Quispiam vero pro his omnibus donis nec beneficij vicem reddet? quive pro locata domuncula pactam & conuentam pecuniam diligentissime exposcit, mundi hanc machinam omnem in vsum habens, tantumq; inhabitans terrarum, neque parum tolerat mercedis dependere, cum inani gloriæ è qua facta eius omnia pendent, seipsum suaq; vniuersa deuouerit, eo inanius, quod neque beluis tali ornatu circumactis, addi aliquid virium potest, neque seſloribus ipsis virtutis plus quippiam accedere, quàm ignominia: siquidem plerique ab equite auersati, oculos ad iumentum ornatum conuertent, insequentemque familiam, vel præuios: & qui elatis cervicibus antecesserit, circumſpectabunt, dominum vero satellitibus stipatum, nō secus ac communem hostem, & infensum habebunt, & aspernabuntur: quæ res contingere tibi haudquaquam poterit, si animum excolueris, quin homines potius & angeli vniuersi, & angelorum princeps coronam plectent. Idcirco si gloriæ cupiditate duceris, desine iam seſtari quæ soles, neque domum, sed animam ipsam, ut clarior fias & circumſpectior, ornato, Nihil enim dici te vilius potest, si ei posthabetur & neglectæ domus ornatum anteponas. Quod si mea hæc dicta iniquo animo tuleris, audi quid fuerit per quempiam alienigenam gestum. Philolophus enim quidam cum splendidam esset domû ingressus, auro multo fulgentem, varioq; marmore & columnarum cultu conspicuam, pauimenta mox ipsa tapetibus strata vidisset, in faciem domini dicitur domus conspuiſſe: increpitus deinde respōdisse, Cum sibi id facere vlla in parte domus haudquaquam licuisset, coactum se domini vultum conspurcasse. Vides itaque quàm irrisione dignus sit ille apud eos qui mente valent, & despiciatus qui ex-

Tomus quintus.

A teriora ornauerit: nec immerito. Nam si quis vxorem suerit tuam opertam pannis, aut neglectam, ancillam vero veste splendidiori obtexerit: num æquo id animo tuleris? Minime, quin ira succensus summam hanc esse iniuriam clamitares. Nec secus igitur tibi erit de anima cogitandum, cum parietes solum, & supellectilem exornas, & stipem minus abunde impertiris, nec in rebus gerendis prudentius impendis operam: quod eò grauius videri debet, cum constet heram inter & ancillas pro earum natura nihil distare, animam vero à corpore differre plurimum. Quæ res si ita se habet, longè magis domus ipsa & lectuli & scabella, ab anima distabunt. Qua igitur fueris excusatione dignus, cum hæc fuerint auro per te argentoque obducta: animam vero nulla eius habita ratione, pannis obsitam, squalentem, famelicam, vlcibus plenam, canibus sueris laniandam, & his insuper existimans te ex ornatu eiusmodi, & exteriori laude, vel gloria potiturum? Illud præterea maioris dementiæ apparet, cum fueris ob id superuacui ornamentis sæpe alias increpitus, irrisionibusque & conuiciis, vel iniuria quauis alia affectus, & extremis suppliciis adiudicatus, superuacanea hæc fore tibi adhuc decori ducere. Vnde cum ita, ut diximus, se rem habere intelligamus, repurganda sunt nobis errata hæc omnia, ut aliquando tandè nostri iuris effecti, respiciamus, transferamurque in animum decorem illum exteriorum omnem, & ornamentum: hoc pacto deus manebit illæsus, & sine iactura erit, & nos angelis pares efficiet, & bonis certioribus donabit.

DE NEQVICIA DEPULSA, ET VIRTUTE INDVCTA, Sermo.



GE tandem si placet, contentioibus omiſſis, sermonem ad moralitatem differendam conuertamus. Nequicia enim depulsa inducitur, & virtute, clare docebimus iniquitatem ipsam nullam habere à natura ortum, conquirentibusque malignitatis originem, non solum verbis, verum & rebus ipsis ora occludere facile poterimus: utpote qui illius naturæ sumus, non improbitatis participes: neque illud spectandum, quàm laboriosa sit virtus, sed quàm possit facile comparari, si studio & diligentia incubuerimus, considerandum. Quod si viciorum voluptatem attuleris, & finem qui ducit ad mortem: vbi econtra virtutes ad vitâ explicabis, videbimus plurimum viciis inesse doloris, virtutibus vero voluptatis nō parû, si fuerint hæc diligentius vtraque discussa. Nam quid improba conscientia molestius? quid spe meliori suauius? Nihil profecto. Nihil adeo nos frangere vel vrgere consuevit, quàm rei aduersæ, aut mali imminentis expectatio: nihil vnquam nos adeo subleuat, & quasi volitare facit, quàm recti conscientia. Quod quidem facile potest in rebus humanis aduerti: nam qui carcerem habitant capitis damnati, damnationem opperientes & mortem, vel si deliciis abunde fruuntur, vitam longe agunt molestiorem & anxiam, quàm qui emendicando, & nullorum sibi malorum conscij per rerum angustias incedunt. Mortis enim futuræ expectatio haudquaquam finit, ut quas in manibus habent voluptates, seu delicias sentiant. Verum quid vinctos dixerim, & in carcerem coniectos, quando & libere vagantibus, & abundantibus dico, & opulentis viris sibi ipsis malorum conscjis, opifices ipsi longe sint conditione meliores, qui ex diurno quæstu viciant & labore summo. Dùmque in popinis non-

y iij nullos

nullos spectamus temulentos, incontinentes, & ventre distentos, eo illos infelices appellamus, quoniam edendi & perpotandi voluptate longe est acrior expectanda in eos & futura calamitas: quod si hisce omnibus viuendi hoc genus iucundum apparet, nihil est mirum, si nequeat in malignitudine amaritudo euitari, vel in nequicia defugi tristitia. Ecce res tam execranda ebriosis illis laude videtur digna non mediocri: non tamen idcirco beatos illos, sed miserabiles nuncupamus, & calamitosos, quia ignorant quibus sint malis immergi. Quid de moechis dixeris, qui pro breui fluxaque libidine turpem subeunt indecoramque seruitutem, pecuniarum insuper iacturam, timorem continuum, & vitam ducunt eius sanè quam Cain duxerit nihil absimilem, vel longe quam ille molestiorem. Siquidem & praesentia verentur, & futura pertimescunt, amicos pariter & inimicos gnaros uti & sceleris conscios suspectos habent, adeo ut neque quiescendo huius sint anxietatis expertes. Facinorum enim conscientia insomnia eis vel plena formidinis adusque terrorem effingit. Verù qui fuerit in vita moderatior, erit his malis omnibus solutus, tum illam summo in ocio & libertate transiget. Obiectandi itaque erunt breuibus his oblectamentis formidolosi fluctus istiusmodi & procelle, perexiguoque abstinentiae labori tranquillitas illa vitae sempiternae obiectanda, spectabis sane moderatam hanc incontinenti illa esse longe iucundiorem. Prædo præterea & fur alienis pecuniis manus iniecturus, nonne diuersando seruisque non secus ac liberis adulando, portarum vigiles deterrendo, comminando, iniurias inferendo, excubando tremebundus & anxius, & suspectans omnia plurimum tolerat laboris: ei vero qui pecunias aspernatur, nihil accidet istiusmodi, sed ingenti fretus animi suauitate, vitam quiete agat ac tuto. Cæterum si quis viciorum partes discusserit singulas, conspicabitur confusionem illis inesse, & scopulos nec mediocres: mox si virtutis principia attendat, dura esse, & laboriosa comperiet: quæ vero sequentur, facilia adeo & iucunda videbit, ut superior omnis obiectus labor subleuetur. Contra vero, longe ab his viciorum est diuersa conditio: siquidem oblectamenta ipsa, quæ ex illis initio statim capiuntur, dolores ac supplicia consequuntur, ita ut prior illa omnis depereat voluptas. Nam quemadmodum is, qui post partem victoriam coronam expectat, praesentes labores pro nihilo ducit: sic & is quem post delectationem manent tormenta, nequit fructum puræ voluptatis timore omnia perturbante capessere. Quinetiam si quis diligenter rem omnem inuestigauerit, ut cruciatus peccatis propositos omittamus, plurimū in viciis exequendis comperiet inesse laboris. Quocirca si placet, scrutemur eadem hæc in his qui aliena rapiunt, vel si ditiores fortasse fuerint, & pecuniis circumfulti sint etiam, si velis, quouis discrimine, anxietate, cura, & cæteris eiusmodi vacui: concedamus præterea quempiam esse nulla sua industria opulentum, quodque nec fieri potest, fidentem, & spei plenum posse res suas & bona omnia in longum seruari. Qua igitur is, quoniam abunde sit fortunæ bonis obseptus, voluptate fruatur, præsertim cum hæc haudquaquam sinant quempiam diu lætari? si quipem appetenti plura tormenta augetur, maximè que tum quisque gratuletur, cum habendi abscessit cupiditas. Nam & sitibundi tunc recreamur, cum ad fatiatarem ebibimus: quoad siti vexabimur, vel omnibus exhaustis fontibus fluminibusque per nos absorptis, &

angimur magis, & acrius cruciamur. Ipse ergo si seculi huius bona acceperis, nec eadem intermiseris augendi desiderium, eo te maiori cruciati afficies, quo & plura gustaueris. Ne itaque existimes ex hoc multarum rerum complexu aliquam tibi, nisi diuitias spreueris, posse afferri voluptatem: quoad enim eas concupieris, nunquam supplicio carebis. Amor quippe diuitiarum ille inexplebilis est & infinitus: quantoque plus processeris via, tanto magis à fine aberis. Nonne igitur cupiditas hæc pro mostro & extrema foecordia est habenda? Erit itaque principio nobis ab his auariciæ malis longius abeundum, quin potius neque talia sunt desideria attingenda: vel si attingimus, fugienda erunt initio statim, neque his diutius immorandum. Quod Salomon de muliere adulterata differit hoc modo, & commonefacit: Desalta, ne moram traxeris, neque domus illius fores adieris. Nec secus ipse de pecuniarum auaritate dixerim: nam si sensim te vastū illud feruoris mare adire contigerit, haud facile reuocare gradum quiueris difficulterque victor euades, nec secus ac solent qui capitis vertigine detinentur. Vnde si in huius auariciæ profunditatem descenderis, te ipsum ac tua vniuersa disperdes: quare principia ipsa nobis cauenda sunt, quæ ve minora fuerint mala euitanda, è quibus & maiora ortum ducunt. Nam qui errata vel singula uti exigua parvipendere consuescet, paulatim omnium patietur iacturam: peccatorum siquidem incuria, & neglecta facinora, & vicia inducere, & vrbium mœnia solo æquarunt. Sic & corporibus morbi crescunt, cum illorum vel tenues causæ negliguntur. Atqui Esau nisi primogenituræ renunciasset, nequaquã esset indignus benedictione effectus. Itè si se benedictione non abdicasset, nec fratricidium committere concupisset. Cain præterea nisi primogenituræ fuisset desiderio captus, sed eiusdem deo curâ demandasset, nunquã secunda fuisset primogenita consecutus: quibus adeptis, si comonefacienti se deo paruisset, eadem nunquam parturisset. Rursum fratricidio commisso si eum rei gestæ pœnituisset, deoque se appellanti non impudentius respondisset, nihil esset in reliquum mali perpeffus. Quod si hi quos ante conditam dei legem fuisse constat, præ istiusmodi negligentia sensim sunt ad ipsius malignitatis ima prolapsi: cogita quid nobiscum agatur, qui ad maiores sumus fossuras euocati, ni diligentius nobis præcauerimus, & malorum scintillulas priuquam ignem fuscitent, extinguiamus. Quorsum hæc: Peieradi frequentiori teneris consuetudine, nõ modo ergo huic erit vicio obfistendum, sed tollendum prorsus & iusiurandum: id si egeris, & labore quouis, & peieradi vicio vacabis: longè enim est difficilius nõ peicare, quam nullo omnino iuramento insuescere. Conuiciator si fueris vel contentiosus, aut percussor: præscribe tibi non irascendi legem, nec clamitandi: hoc pacto cum radice vnâ & fructus interibit. Libidinosus es & incontinens: propone tibi metas & terminos nullam mulierum spectandi, neque in foro alienū decorem oculis circunlustrandi. Lenius enim multo à muliebri aspectu abstinemus, quam visa & concupita femina libidinum incitamenta propulsabimus: siquidem & leuiores sunt, quæ primum nobis inferuntur certamina, tametsi nihil erit nobis decertandum, si nec portas ipsi hostibus patefaciamus, aut admiserimus viciorum semina. Idcirco Christus virum incestè mulierem spectantem pœna affecit, ut nos labore subleuaret: indicit nanque prius è domo hostem eiiciendū, quàm sumptis viribus fiat validior, ac quom depelli

depelli facile queat. Quid enim opus est frustra nobis- ipsis exhibere negociū, & manus cum hoste conferere, cum liceat palmam sine certamine comparare, & præcipi queat ante inceptū bellum victoria? Neque enim adeo laboriosum est à mulierum aspectu continere oculos, quàm visis & circumspectatis abstinere: quinetiam neque ipsa oculorum abstinentia quippiam habere videtur difficultatis, sed aspectus ille sudoris plurimum habet & laboris. Quod si vel ea res istiusmodi difficultatibus vacaret, præstaretque de se lucrum aliquod nec mediocre: quid tum nobis properandum est, ut malis omnibus abundantissimum pelagus adeamus? præsertim cum non solum sit à foeminarum intuitu hoc abstinere facillimum, verum & ab earum concupiscentia ne inquinari quidem concedatur. Contra vero qui foeminam viderit, ut summo cum labore, sic non sine animi labe euadet, si forte sit aliquando euasurus: utque is qui facierum specie decoremque haudquaquam attenderit, erit omnibus quæ inde admittuntur libidinibus vacuus: sic qui fuerit in visendo cupidior, cum mentè primum cogitatu sedauerit, quarit demum admissæ cupiditatis notam excutere, si excuti quoquam pacto queat. Idcirco Christus ne talibus afficiamur, non solum homicidium, verum & iracundiam interdixit: nec foeminam modo non adulterare, sed ne incestè quidem intueri iniunxit: neque solum non peierandum vetuit, quinetiam & sustulit iusiurandum. Sic ne hoc quidem pacto dimensa virtute contentus, & legibus eiusmodi promulgatis ad maiora processit. Siquidem humana cæde interdicta, iniunctaque irascendi lege: indicit etiã ad tolerandas iniurias patientiores esse debere: neque fore solum pro insidiantis arbitrio sustinendos insultus, quinetiam vincendum esse insultantis furorem nostræ tolerantiae magnitudine. Nõ enim dixit, si quis te in dextram malam percusserit, feres animo æquiori, & obticebis, verum & alteram fore percussori porrigendam addidit. Sic enim perspicua paratur victoria, si plus illi quàm velit concesseris, suæque mala cupiditatis & metas tuæ magnanimitatis granditate superaueris: hoc enim pacto & illius soluisi insaniam, & quod secundo patientius tuleris, prioris tolerantiae mercedem sarciet. Vides itaque & nihil ex illata iniuria offendi, in nostra esse non in inferentis potestate: neque solum nullo affici malo, sed quod aliquando patimur nostri esse, nõ alieni arbitrij: quodque mirum magis videri debet, nulla prorsus offendemur iniuria, si nobis paululum aduigilabimus, quin pro beneficio erit quodcumque in nos ius præter & æquum inferetur. Exempli gratia: fuit in te quispiam contumeliosus, potes, si libet, hanc in tuam conuertere laudem contumeliam. Nam si contra & ipse fueris in te lacescentem conuiciatus, accumulabis conuiciandi foeditatem: verum si te conuicio insectantem laudibus prosequeris, spectabis qui aderunt palma te & gloria iudicasse non indignum. Vides cum volumus iniurias nobis in beneficium celsisse, quod idem de pecuniarum iactura, de plagis ingestis, & istiusmodi cæteris cõtingere potest: si aliorum in nos malefacta accumulatis beneficiis compensabimus, taliq; munificentiâ duplicem nobis ipsi & palmam vendicabimus, & coronam necemus. Ita sit, ut si accedens quispiam, hunc illumve afferat fuisse de te impudentius locutū, & vulgo maledictis inceslere affeceret, tum si conuiciatorem coram delatore ipso laudaueris plurimum, & obtestantis iniurias vindicabis, & pœnas capies: quippe qui rem hanc memoratu dignam gestam per te fuisse

A cognouerint, & te laudibus efferent, & odio conuiciatorem insectabuntur, afferentque hunc quavis fera bestia nequiores: quandoquidem nullam tibi iniecerit conuiciando tristitiam, cum ipse qui sis iniuria affectus, nihil mali pro malo accepto retuleris: arguesque hoc pacto dicta in te omnia comenticia fuisse, & falso obiecta. Solet enim qui alienis in se maledictis offenditur, conscientiam delati criminis præ se ferre: contra vero, cuncta quæ obiciuntur irridens, & uti nullius momenti ducens, quavis se suspicione leuabit. Cogita itaque quot bona hanc tuam moderantiam consequantur: siquidem & te quavis eximes animi perturbatione: quodque primum fuerat dicendum, vel peccatis quibus forte fueris obnoxius exueris, quoad criminatores tam leni animo feres, quam pharisæum tulerit publicanus obtrectantè. Accidit etiam quod animum ad sapientie studium exercendo instituis, & laudem tibi omnium consensu comparas non mediocrem, erisque quavis obiectorum criminum suspicione solutus. Quod si in nominis tui detractores vindicandum censueris, facile id abundeque sequetur, quando vel pro maledictis supplicium sumpturus est deus, eritque illi tua vel ante id supplicij tempus in perniciem tolerantia. Nihil enim adeo maledicos mordet frenatque, quem illata contumeliæ contemptus: nam quemadmodum tot bona ex ipsa sapientia emanant: ita ex ipsa animi pusillanimitate pleraque mala contingunt: siquidem & ipsi ignominia notamur, videbimurque spectantibus cæteris delati criminis nõ expertes, animumque indignatione opplebimus, & hoste iucunditate affecto, deum irritabimus, superinducemusque erratis pristinis noua delicta. Quæ omnia cum ita se habere intelligamus, eitemus impatientiae precipitium, nosque ad ipsius tolerantie portum conferamus, ut hic nostris animis pro Christi pollicitationibus, quiete inuenta, eiusdem cum dono & gratia, cum benignitate & clementia bona aeterna consequamur.

QVOD NULLA RESIDEAT APVD
nos viciorum & malorum memoria, Sermo.



O ipso proxime ad perditionem accedimus & interitum, quia cum antehac florenti & iuuenili ætate fuisset, nunc consenuimus. Quocirca eradenda erit eiusmodi à nobis senectus omnis, quæ etiam lauacro deleri nequeat, poterit pœnitentiâ obliterari. Excutiendum, inquam, quicquid in nobis refederit vetustatis, rugæ insuper omnes & maculae ac labes abluenda: nosque ita excolendi ornandique erimus, ut nostri decoris, & cultus desiderio vel princeps ipse & dominus capiatur. Licebit præterea nobis, vel si ad vltimam quandam sit deformitatem peruentum, eam post christudinem recuperare, cuius & David meminit: Desiderabit rex decorem tuum, audi filia & vide, & obliuiscere populi tui, & domum patris tui, & concupiscet rex decorem tuum. Atqui obliuio nihil cuiquam parit quod maneat ornamentum: decorè equidè animæ dixerim, obliuionem vero commissi & errati. Hæc sanè David ecclesiam ex gentibus confectam appellans, differit: & comonefacit ne maiorum suorum ritus, qui idolis immolassent, recordetur, cui ecclesiam cum ex huiusmodi esset hominum genere congesta, non solum pristina sacrificia interdicit, quin, quod maius est, ne vel animo ipso admittat, prohibet: quod & alio loco sic dicit: Ne meminerim nominum eorum in labiis meis: & rursum: Ne loquatur os meum opera hominum. Dicit aliquis, nonne virtutis eximie loco habenda est hæc taciturnitas eximia

eximia quidem, non tamen adeo, ut æquari cū delicti obliuione queat: nec enim solū propheta opera hominum haudquaquā fore explicanda inquit, quia nē recordatione quidē, aut memoria repetenda. Vnde coniectare licet quā lōgo velit nos à nequicia interuallo abesse, cuius qui haud meminerit, nec cogitatum in ea figet: qui autē cogitatione vacabit eiusmodi, & sermone vacet necesse est: si taciturnus, actione carebit & opere. Vides quib⁹ nos viis, vel interuallis à rebus superuacaneis seiungat? Erit itaq; nobis propheta ipse audiendus, & ita, ut nulla resideat apud nos viciōrū aut malorū memoria, nō tamē eorū quę ipsi delinquimus tollēdā esse dixerim recordationē. Quippe cōmemora, inquit deus, prior ipse tua facinora, sic horum nihil vltra meminerim. Quorsum hæc? Nulla sit amplius pristina rapacitatis recordatio, quin restituēda sint per nos fraude subtracta: id enim sonat nequiciam obliuioni mandare: & fumaces cogitatus tollendi, & ita ut de cætero nunquam animo admittantur, insuper & errata obliuenda. Quærat aliquis, quoniam pacto assequi hanc nequiciā obliuionem poterimus? Nempe ex diuinorū bonorum repetita memoria: si deum continuo meminerimus, haudquaquā licebit praua recordatione repetere. Si enim, inquit, in cubili fuerim tui memor, matutino essem de te meditatus. Nam & si semper est deus memoria complectendus, tunc tamen id maxime agimus, cum animus & cogitatio in ocio versantur, cum eiusmodi recordatione seipsum quis increpat aut dānat, & in eadem lōgius commemoratione perseverat: curā siquidem interdiu, & animi perturbationes omnem de deo cogitatum & intercipiunt & propellunt: noctu vero cum tranquilla est mēs, & quietior cum in portu residet, & placida versatur in aura, facile poterit dei reminisci. Inquit enim: Quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris cōpungimini: qua recordatione ne interdiu quidem vacandum est: sed quoniam hoc vel maxime tempore vitæ huius actiones, & negotia curæ sunt potius, vel saltem sit in cubiculo dei memoria matutino, sit nostra in eo meditatio: Ita fiet ut si noctu deum precādo votis & precibus reconciliemus, secure admodum ac tuto aggredi quæ peragenda interdiu fuerint, possimus: sic neminem nobis habebimus aduersantem, quin viperam ipsam si obsistat nihili faciemus, cum deum habebimus placatum. Porro bellū in foro geritur: possunt quippe quæ indies afferuntur, pro pugna & contentione vel quauis procella haberi, ideoque & armis est opus: sint autem nobis pro armis his firmiter preces. Secundo opus est vento, cuncta etiam perdiscenda, ut diurna hæc & longiora spacia sine naufragio & vulnere transigantur. Quam multi quotidie scopuli offeruntur, ad quos elisa nauis sæpe demergitur, & eo magis matutino nobis orandū est tempore ac noctu. Olympiæ ludos nostrū persæpe spectare plerique, nec solum sunt spectantium officio functi, quin fauorē & laudibus certatores sunt profecti, & ita, ut variæ sententiarum diuersa etiā fuerit vel laus vel admiratio. Nec nos fugit præcones per id omne certaminis tempus diem noctemque vniuersam aliud nihil eniti, nihil curare cogitatione & studio contendere, nisi ut certaturi magno animo in agone prodeant: qui vero certatoribus ipsis assistunt, buccinatores nil aliud monent, nisi ut sileat, ne spiritu forte & voce attritus risum præbeat audientibus. Si igitur apud eos, qui humanum certamen sunt inituri, tantum curę impenditur, longe magis nobis, quibus omnis hæc vita

certamen est, prospicere rebus sedulo conueniet, eaque cogitatione & diligentia præuenire. Erunt itaque nobis & noctes ducendæ insomnes, & curandum quo pacto dies omnis sine illusione transigatur, cuperemq; vel sola nobis esset illusio ex his obuentura. Verum qui cœlestē illud certamen proponit, patri ad dexteram asidet, attenditque si quid vel ipsi absomno vel inconcinnum obtulerimus: neque enim factorum modo, quin & dictorum futurus est iudex, eoq; erit inuigilandum. Sumus nanque & ipsi fautores habituri, siquidem vel nobis singulis assistunt angeli: nos vero stertendo noctes ducimus: essetq; vtinam hæc duntaxat nobis dormitandi cura, nec scelerate agerent nonnulli: nam reptant plurimi terrenis rebus addicti, quando domicilium in lupanar conuertunt, cum scorta inducunt, sic se habent plerique: nulla enim est his recti alicuius inuendi certaminis meditatio. quam multi etiam petulantiæ & scurrilitati incumbunt, tumultuantur nonnulli, alij prae agendo & noctes vigilat, aguntq; lōge deterius, quam qui somnolentia opprimuntur, cum dolos neunt: vsuras præterea nonnulli computant, alij curis franguntur, libētiusq; se ad alia conferunt quam ea quæ conceptum agonem doceant, aggrediantur. Quocirca vos equidem hortari velim, reliquis omisis, vñ illud spectemus, ut propositam vincentibus palmam adipiscamur, coronaque obducti, obnoxie omnia factitemus, ut bona illa quæ nobis sunt in præmium exposita, consequi valeamus.

CARNIS CONCVPISCENTIAS NE
sectemur, quæ generant mortem. Sermo.

EXcitatus est somno ipsum te indue, induit⁹ mo-
rigerum corpus redde, ac ductu facile: id enim præterdit, qui concupiscētiæ gratia carnem asserit nulli esse curæ habendam. Nam quemadmodum nec potum vetuit, sed ebrietatem interdixit: nec nuptias respuit, sed incontinentiam improbauit: ita & carnis habendam esse rationem non negat, sed prodeuntes ex ea cupiditates, id est necessitatis excessum interpellat. Quod autem carnis curam habendam esse Paulus affirmet, audi quemadmodum his verbis Timotheum cōmonest: Vno modico vtēre propter stomachum & tuos frequentes languores. Nec secus hoc loco carni ad sanitatem vult, non ad luxum, & intemperantiam provideri: aliter enim nec dici prouidentia posset, si per eam aut flammam succenderes, aut ignis caminum tibi redderes grauiorem. Vt autem clarius perdiscatis quid sit ad carnis concupiscentias & desideria prouidentia, & quemadmodum illa possint euitari, opulentos animaduerte, & ventri deditos abundantique vestium ornatu exultos, vel deliciis immerfos, & eos qui vitam per luxum & incontinentiam ducunt, attendite: sic vobis, quæ dixerim, facile innotescunt. hi enim hæc non ad bonam corporis valetudinem faciunt, sed ut proflire leuius possint, & venerem incitare. Verum qui Christum induerit, deliciis vniuersis eiusmodi intercessis, id solum curat, ut corpori æquam pariat valetudinem, pro qua vel sola consequenda carnis cura habenda est, neque id vltra aliquid appetendum. Incumbendum præterea erit omni nisi spiritualibus rebus, hoc pacto nullis eiusmodi & variis libidinibus grauatus, excitari hac tua somnolentia poteris. Somnus enim præsens est vita, nil prorsus ab insomniis aliena. Nam quemadmodum somno pressi, pleraque & superuacanea

canea & frustra loquuntur, videntq; persæpe nil sanum: ita & nos deteriora his pleraq; spectamus, siquidem qui indecora & turpia gesserit, eademq; illa obuerfari sibi per visum conspexerit, mox somno expergefactus, turpi & indecoro aspectu liberatur, & pœna quā pro scelere meruisset: quod aliter nobis euenire solet, quibus ob ignauiam ac fœcordiam ignominia atque supplicia perpetua sunt. Itē & qui per quietē somnando ditescunt vbi dies illuxit, inanes & diuitiis vacui arguuntur: captos vero dum viuunt, inertes somno plerumq; nec dum luce oborta, falli posse compertū est, & ita ut breui eorum insomnia euanescent. Excitiamus itaque perniciosum hunc somnum: nam si dormitantes nos dies deprehenderit, mors inde perpetua exceptura est, quin etiam vel ante hunc diem hostibus erimus, siue hominibus, siue demonibus capti faciliores: ita ut nemo sit eos à nostro interitu, si id facere libeat, prohibitorum: nam si plurimi nobis vigilum excubarent, non tantum forte nobis periculi impenderet: verum cum vnus & item alter luminibus accensis, non secus atque in profunda nocte dormitantiis reliquis, aduigilet, vel summa nobis est opus ad securitatem vigilantia, ne ea fortē subeamus, quibus mederi nequeat. Quærat aliquis, nonne impræsentiarū & excitati videmur & vigilēs: estis forsitan ad hæc quæ dixerim irrisuri, dicam tamen. Sumus sanē omnes nocte media somnū capeffentibus aut stertentibus simillimi, siquidem facile ostēderem, si posset incorporea hæc spectari substantia, ut plerisque alte somno immerfos, diabolus parietibus transfossis & iacentes jugulet, & diripiat quæ intus inuenerit, agatque omnia veluti in densissimis tenebris ocio summo & facilitate. Quin potius quoniam cerni hæc oculis nō possunt, rationibus subscribendo adstruamus: sic enim & conspici licet, qui hominum fuerint prauis cupiditatibus oppressi, quæve incontinentiæ & facinorum sopore spiritali prorsus luce extincta correpti. Quorsum hæc: quoniam multi nihil suo ordine captantes, quæ hic prædicantur, haudquaquam aduertunt, quod si me peruigil ipse & excitus mendacē deprehenderit, effare quæ hodie apud nos hoc loco aut dicta sint aut gesta, nisi forte quemadmodum somnolentus aliquis solet spectare insomnia, prædicantem me audieris: quod equidem nec de vniuersis dictum velim. Puto enim cōplures fore quibus eorum quæ ipse dixerim, facile sit renunciandi facultas: in eum dūtaxat ea protulerim, qui fuerit his dictis obnoxius, frustra q; hūc locum adierit. Dic mihi quis hodie no die vel propheta vel apostolus nobis prælectus est: aut quibus de rebus verba fecit? nihil habes quod respondere queas: utpote ille sis ad quem somniantem verba sint facta: eadem hæc & in mulieres dixerim, inest enim & illis somnus plurimus, qui vtinā dici somnus queat: siquidem somno captus nec mali quippiam nec boni profatur. Verum qui parem vobis vigilantiam seruat, quam multa in eius capitis perniciem effundit: nam & vsuras cōputabit: & rationem commodatæ pecuniæ componet, animoq; secum ipse versabit turpes ignominiosasque tabernulas, eodemq; & senticeta interseret, iacto semine, nullo dato vel ad quietem, vel ad profectum spacio. Sed surge tandem & sentibus hisce radicitus conuulsis, auariciæ temulentiam excute, à qua istiusmodi somnolentia emanat: somnolentiam autē dixerim, non eam modo, quæ ex vino gignitur, verum & illam quæ cum ex vitæ huius curis, tum vel eiusmodi sopore infertur. His itaque non solū locupletes & diuites, sed quibus res vel modi

ca sunt & tenues, velim esse admonitos, & eos maxime quos grata conuiuia delectant: non enim sunt illa pro cibo, vel animi remissione habenda, sed pro supplicio & tormentis. Quippe nō indecēs & indecorus sermo, sed grauis & moderatus, & cibo expleri non frangi, in oblectamentis ducēda sunt. Quod si his rebus aliquid inesse voluptatis existimaueris, affer mihi quam heri & vesperi ex his concœnationibus ceperis voluptatem, nullam habes, deinde & quæ illam assequantur noxia. Sitque mihi interea de voluptate, quæ statim deflacet & fluit, disceptatio: simulac enim missum conuiuium fuerit, euolat omnis ex eo cœpta iucunditas: cumque vomitus capitisq; grauedines & languores innumeros animique capturam & illecebras commemorauerim, quid ipse ad hæc respondebis: nec enim decet per paupertatis occasionem agere impudenter. Hæc autem dixerim, non ut omnino negem conueniendum inter nos esse nonnunquam & concœnandum: sed ut honesta & turpia interdiciam, cupiamque luxum in cibū conuerti, qui dolore, temulentia & lasciuia careat, utq; vel gentes intelligant Christianos nos modum delicis facere, id est modeste & temperanter his vtī. Exultate, Propheta inquit, domino in tremore. Qualis illa erit exultatio: hymnos, scilicet, pronuciare, orare, & psalmos pro seruilibus illis cantionibus inducere. Hoc pacto Christus & mensæ aderit, dapes benedictione complebit, cum preces ad eum fuderis, cum spiritu decantabis, cum egenos ad victus communionem conuocaueris, conuiuuii modum & temperantiam adhibebis: sic ex triclinio, dei domum effeceris, proq; immoderatis & intempestiuis clamoribus hisce & plausibus dominum extuleris. Neque id dixeris, extare hoc tempore alias conuiuandi leges, quin potius corrigenda per te erunt, quæ se haud recte habuerint. Si enim, Paulus inquit, cibū sumitis ut potum, seu aliud quodcumque agitis, omnia in dei laudem facite. Solēt namque ex istiusmodi epulis, cū turpia nobis desideria, tum omnis lasciuia obuenire. Insuper & vxores despectui esse, & scorta magnifere, vnde & familiæ desolatio & mala innumera consequuntur, ferunturq; omnia temere: omisso nanque fonte purissimo ad cœnosum canale illud & lutulentum decurrit. Quod autem cœnum sit, incesta & prostituta fœminæ corpus, te præter rogabo neminem, qui eo quoad fueris obuolutus, quantum te eius rei pudeat, quantum etiam post delictum immundum te & sordidatum ducas, non ignores. Idcirco fugite obsecro adulterium, eiusque vel procreatricem temulentiam. Quid semen iacis, vnde nihil es demessurus: quin etiam si messem feceris: ad ignominiam tibi nec mediocrem futurus est fructus: siquidem ex adulterio nascitur, & tibi dedecus & sibi iniuriam parit, nothus effectus & degener, adeo ut si vel amplexu te relicto patrimonio abūdet, tum domo & vrbicis actionibus, tum in foro iudiciario ex adultera vel serua natus honore carebit. Quo item ipse vel viuens, vel mortuus priuabere: si enim mortem obieris, extabunt tibi ad ignominiam monumēta. Quid igitur omnia turpitudine complexus? quid seris, vbi tellus celerissime consumptura est fructum, vbi sterilitas plurima, vbi & interitus genituram præuenit? nec satis habet mulierem adulterasse, nisi eandem viri cæde obstrinxeris. Vidēs ergo ex temulentia luxuriam, ex luxuria adulterium, ex adulterio homicidium ortum iri, quin vel homicidio ipso deterius? Non enim in præsentiarū succurrit, quo id sceleris nomine queā explicare, quando non

Esaiā 45.

Psalm. 62.

Psalm. 4.

do nō ex se genitū enecat, sed generādi intercipit causam. Quid igitur dei vituperas beneficiū? quid eius leges oppugnas? quid pro benedictō execrationē sectaris, & gignendi illud receptaculum, necis conditoriū facis: & feminam quę est ad liberos procreādos tradita, ad necem reddis paratiorē: quando illa vt cōcupita magis, vel amatoribus vsui sit, vel argēti plusculū exugāt, neq; imperata facere abnuit, ingens sanē in caput tuum congestura incēdiū. Nam si & illi id facinus adscribatur, eius tamen te ipse authorē præbes: hinc postmodum idolorū seruitus emanat, cū plerūq; vt magis adamentur, & carmina machinētur, & vina sacrificiis fundant, & amatoria medicamenta, & alia nonnulla componant. Cū hac tamen ac tanta rerum colluione & fœditate his cœdib; hac dæmoniaca seruitute, quam multi sibi ad vtilitatem cedere id negocij arbitrantur, & hi maxime quibus vxores sunt: quod minus est ex abundanti malorum concursū tolerabile: mox etiam veneficia non in adulteratam, sed in affectam iniuriis coniugem intentant: accedunt præterea insidiarū plurimā, dæmonum inuocationes, desumptaq; ex mortuis vaticinia, quotidie dissensiones, & sine iudiciis bella, & propinquorum discordiā: eoque cum Paulus diceret: Non in cubilibus & lasciuuis, non in contentionibus & æmulatione, superinduxit, præuidens istiusmodi disidiis & domos subuerti posse, & ingenuis liberis iniuriam inferri. Vt itaque hæc euitare possimus, Christum induamus, vt nobis perpetuo sit cum eo manendum: hoc enim induere id sonat, quasi nunquam sit ab eo deficiendū, videamurq; vndiq; præ nostra tum sanctimonia, tum mansuetudine per eum cōplecti. Quod item dicere sape solemus, hic illius personam induit, vt amoris vehementia & animorum nunquam defuturam coniunctionem exprimamus: siquidem qui alium induerit, cum præfert cuius sibi personam induendam præsumpsit. Fiat itaque palam Christum nos vndique fuisse complexum: quod vtique fiet, si eius fuerimus & mores imitati & vitam. Quorsum hæc? Filius, inquit, hominis non habet vbi caput reclinet: hunc ipse vel hac in re imitare: nam si illi cibus erat sumendus, pane ordēi vesceretur: si iter suscipiendum, nulli aderant ad vecturam equi, aut iumenta, quin tantum pedibus incedebat, vt lassitudine afficeretur: si quiescendum, nauiculā proram pro puluine habebat: si recumbendum, herbis campis residendum iniunxit. Vtebatur præterea vilioribus indumentis, & solus plerumque nemine subsequente diuersabatur: vnde cum & reliqua eius gesta quibus sit initio contumeliis affectus, quōtve in cruce perpeffus didiceris, eademq; illa sumferis ad imitandum, si carnis, inquam, curam nullam feceris ad concupiscentiam, Christum indues, cum ea præsertim nihil habeat in se voluptatis. Pariunt enim eiusmodi desideria acerbiores quasdā de se libidines: quæ vt expleri nunquam possunt, sic & acriora supplicia inferunt. nam quemadmodum qui siti assidua vexatur, vel infinitis sibi ad potum expositis fontibus nihil ex his capiet vtilitatis, cum nequeat primū quo laborat morbum restinguere: sic contra, qui in desiderijs vixerit, si omnia ad necessitatem metiatur, hoc nūquam erit satis ardore affectus: quin procul à se temulentia eiusmodi omnis & lasciuie euanescent. Tantum igitur tibi erit cibi capessendum, quanto demi esuries possit. His vtire indumentis, quibus carnem obtegere queas, non ornare, ne id illi exitium sit futurum: quæ si remollescere tuo permissu cœperit, bona eius offensa

valetudine, nimia indulgētia dissoluetur. Vt itaq; optimum habeas animæ tuæ vehiculum, vtque tutius nauis rector gubernaculo insideat, & miles arma pertractet, curandū erit æquo moderamine agantur omnia. Nec enim multis abundare, sed paucis indigere frugi hominē facit: siquidē diuitiis affluēs, vel inoffensus vereri omnia solet: qui vero minoribus erit fortunis iucūdiōr, semper æquiori animo tolerabit iniurias, quā qui nullis fuerit affectus. Nō itaq; illud erit appetendū, ne qua nobis molestia offeratur: quin potius eam inferre cupienti, id facere ne liceat optandum: quod assequi aliunde non possumus, nisi cum fuerimus, maioribus rebus paruifactis, necessariis contenti.

VIRTUTIBVS PROGENITORVM NE
confidamus, neque vicis eorum trepidemus. Sermo.

RA VLVM & ipsi imitemur, deūq; pro suscepta nostri hac in vita cura laudibus efferamus, nil prorsus maiorum nostrorum confisi virtutibus: cui rei Iudæi argumento sint, quibus cū, præter eam quę spiritualis habetur, propinquitas nobis est nulla: ita fit vt Scytha quispiā, pro Abrahæ filio duci possit, & Abrahæ filius vel Scytha quouis magis credatur alienus. Nihil itaque præclaris progenitorum facinoribus confidendum: quin vel si admirandum habeas genitorem, neq; id quidem existimaueris futurum tibi, aut saluti satis aut gloriæ, nisi fueris & ipse illi & vita coniunctus & moribus: vt contra, si improbum fueris parentem nactus, nihil ex eo posse tibi vel ignominia vel dedecoris obuenire, si te laudabiliter gesseris. Quid enim esse gētibus ipsis despectus potest? fide tamen simul ac nobis conciliantur, & necessitudine iuncti sunt & sanguine. Quid nobis Iudæis familiarius? verum eorum sunt infidelitate alieni effecti: porro propinquitas ipsa & naturalis est, & necessaria, qua omnes videmur vinculo quodam consanguinitatis connexi, quando ex Adam ducimus vniuersi ortum, neque tamē tum Adā, tum Noë, tum terræ ipsius, quæ omniū est parens, habita ratione, alterutrū sumus propinquiōres, & magis proximi: verum dignior illa palmarum & victoriæ coniunctio vel sola esse apparet quibus ab improbis seiungimur. Quippe cum nulla detur in terris certa propinquitas, nisi quæ ex cōuenientia morum cōciliatur, neq; fratres eos dixerim, qui eodem nobis fuerint vel partu, vel alio progeniti, sed qui religionem præ se, & fidem tulerint nostram, non alienam: sic & Christus hos dei filios nuncupat: qui contra senserint, dæmonum. Sic inobediētia, & gehenne, & perditionis filij appellantur, sic, inquam, & Timotheus initio Pauli filius asserbatur, cum Pauli ex sorore nepos, quia prorsus iutis, & si natura propinquior, quod fuerit nomen fortitus haudquaquam satis constet: ille vero non minus sanguine ab eo distaret, quā loco, vt pote qui Lytrensium cuius fuisset, alioquin ad Pauli supra omnes propinquitatem admittitur. Efficiamur itaque & nos sanctorum filij, quinimō dei ipsius. Quid autem sit dei filios fieri, audi quid Christus dixerit: Estote perfecti sicut & pater vester, qui in cœlis est. Idcirco inter precandum, patrem hunc appellamus, vt non solum eius in nos gratiam, quin & virtutes memoria repetamus, ne forte ea quippiam necessitudine indignum gesserimus. Dicit aliquis, quonam pacto effici dei filij possumus? Is profecto effici potest, qui omni sit vicio vacuus, qui ve in lacescentes se iniuria, māsuetudinem præstet: sic enim & pater tuus erga eos se gessit, qui se maledi-

se maledictis inceserant: vnde cum nos multa & plurimis locis cōmonestiat, nusquam id infert, estote patris vestri similes, nisi cum diceret: Orate pro persequētib; vos, benefacite vos odientibus, illud etiam tanquam palmam adiecit. Nihil enim nos deo tam proximos facit, quā bene de inimicis mereri: eō & Paulus cum dei nos imitatores fieri oportere asserit, in eandē concedit sententiam. Quippe cum necessaria virtutes sint, & ea præcipue quæ cunctarum est maxima pietas, & mansuetudo: cumq; & nobis plurima opus clementia sit quotidie delinquentibus, eandem in ceteros prestemus necesse erit, cuius clemētia vel exiguitas vel magnitudo non donorū quantitate, sed exhibentis potentia, & rei familiaris neruis metitur. Idcirco neq; opulentus efferatur, quōd multis: neq; pauper animo cōcidat, quōd paucis quempiam donet: siquidem locupletē pauper largitionibus plerūq; excessit. neq; ex modicis facultatibus miserum se, aut infelicem se existimet: solent enim res parue facere nos ad stitem erogandam propiores: multiplex vero & abundās possessio, & honorū fortunæ differētia, & rem familiarē augendi immoderata libido, homines faciunt tenaciores: cuius diffidentia & cupiditatis tyrānide liberatur, qui pauca possidet, ita vt plures ei ad bene agēdū occasiones offerantur: nam & carcerem adibit facilius, & valetudine affectos reuifet, & cyathum porrigit aquæ gelidioris: quæ proculdubio diues quispiam facere dedignabitur, vt pote qui præ diuitiis intumescat. Non itaq; erit tibi ob inopiam desperandū, quando ob eam tibi vel cœli patebunt: quin etiā si nil habeas, animo tamen fueris clementiori, merces te vel ex eo manebit non exigua. Ea propter & Paulus flendum esse cū flentibus, & vincētis conuinciri oportere iniunxit. Non enim solum gemebundos & mœstos, verum & reliquis calamitatibus circumuentos, multorū fletus & dolor nonnullam in partem solatur & iuuat: adeo vt non minus persape animis collapsi, verbis quā pecuniis subleuentur: eoq; & dei iussu pecunie egestate patientibus erogantur, vt nō solum illorum leuetur inopia, sed etiam nos ad proximorum mala cōmiserandū instruat. Itaq; & auarus odibilis est, & inuisus, quōd non solum egenos contemnat, sed quōd in humanitate deuincitur, & inopum miseria scūiendo nō permulcetur: quemadmodum contra, qui pecuniam, inopem subleuando, aspernatur, omnium iudicatur amore dignissimus, quōd se misericordem præstiterit, & humanum. Deus præterea pios, & clementes nō eos solum qui egenum pecuniis iuuerint, verum & qui animo fuerint ad commiserationem facili, extollit ac beat. Exhibeamus itaque istiusmodi ad miserandum promptitudinem, hoc pacto nos & reliqua bona consequentur. Nam qui mente fuerit ad pietatem procliuor, vel quibus affluet, pecunias fundet: si calamitatibus quempiam viderit afflicti, congemiscet: si oppressum iri, illico aderit: si diuexari, manum porrigit: vt pote qui sit bonorum omnium thesaurum consecutus, mentem scilicet clementem ac piā, & quæ scaturire omnia constat, quæ ad proximi faciunt vtilitatem, ita vt in posterum sit præmia à deo seruata habiturus: quæ vt vendicare possimus, animus nobis erit tum ad humanitatem, tum ad mansuetudinem disponendus: ita fiet, vt quandiu in hac vita esse licebit, & benefactis abundemus, & palma deinceps nobis seruata fruamur.

CONTRA DESPERATIONEM
& superbiā Sermo.

SI quis natura in mētis valetudinem incidit, culpa vacabit: qui vero eam vltro incurrit, & venia priuatur, & supplicio quodam maiori afficietur. Huiusmodi sunt qui pro comparata sapientia elati, plurimum tibi prudentiæ arrogant, & in desperationem quandam collabuntur extimam: siquidem nulla re magis quā desperatione ipsa desipimus: idcirco & Propheta dæmonum principem barbarum illum istiusmodi verbis appellat: Stultus autem stulta loquitur. Vtque eius insipientiam suis ex dictis perdiscas, audi quid ille dicendo iactet: Super astra cœli ponam thronum meum, & ero altissimo similis: comprehendam manu tanquam nidulum terrarum orbem, tollamque quasi oua derelicta. Quibus dictis quid dici potest insulsius: quippe iactanter prolata, vel singula sapere mox impudentiam videbuntur: nam si desperantis verba sigillatim in medium produxerim, haud facile cerneretis vtum spe destituti sint illa, an stulticia morbo laborantis, adeo vt utrisque par esse id viciū constat. Item & barbarus alius ita inquit: Deus sum ego, non homo. Et rursus alius: Nec enim poterit deus vos saluos reddere, nec à manibus meis erueri. Insiper & Aegyptius ille Pharaō: Non nomi dominum, & Israël non dimittam. Nec abtimilis ille apud prophetam insipiens, qui secum in corde diceret: Non est deus. Et Cain: Nunquid custos fratris mei sum ego? Quo circa nō facile erit internoscere, vtum desperationis dicta hæc fuerint, an mētis ægritudine affectorum: siquidem & vtriusque id est, desperatio, ea sit, quæ cum nec modū, nec æqualitē teneat, tum quōd procul mente sit, denominationem accepit: hæc enim homines stolidos reddit, & insolentes facit. Nam vt sapientia initium, dei est timor, ita insipientia, eiusdē igno ratio. Si ergo dei cognitio pro sapientia habetur, nil dubium quin ipsius ignoratio stulticia sit, quæ utiq; ex superbia oritur, cuius principium est deum non nosse: erit ergo superbia extrema quædam dementia: talem se Nabal exhibuit, etsi non in deum, erga hominem tamen: ex desperatione nanque vesanus factus, timore demum consumptus est: simul ac enim quispiam sapientia modo exciderit, formidolosus simul & audax animo ipso debilitato, efficitur. Quemadmodum enim corpus hoc nostrum æquo temperamento amisso, & mala complexionis effectum, facile omnibus morbis corripitur: ita & animus cum insolescere cœperit, & cōtrahi humilitate deserit, habitudine alia quādā accepta, debilitatem, formidinem, audaciā, simul & dementia incurrat, nec sui demū compos efficitur, aut gnarus: qui vero seipsum ignorat, quo pacto quæ supra ipsum fuerint intelliget: is sanē haud aliter se habebit, quā si sollet aliquis phrenesi interceptus, qui sumptus nullam habeat notionem, neque ea quæ sibi pedibus adiaceant, dignoscat. Item & oculus cum caligare cœperit, & reliqua membra obtenebrat, quod certe desperanti solet accidere: idcirco & qui eiusmodi desperatione ducuntur, & furentibus sunt infeliciores habendi, & his qui natura desipiunt miseres: nam risum æque atq; hi ceteris mouent, & minus placent, & modo simili cœrentur, cum haud parem sibi cum stolidis veniam pariāt, & omnibus sunt inuisi: ita fit, vt cum eodem pene morbo agitentur vtrique, commiseratione tamen non æque priuentur: siquidem non solum ex dictis, verum ex gestu, & corporis motu ridiculi sint. Quid enim, dic mihi, ceruicem extendis? quid summis incedis vnguiculis? quid attollis supercilia? quid peccatum midum

midum geris: capillo tibi nec licet albescenti nigredinem indere, vel nigro candorem: deinde uti rerū potitus aërem volitando oberras, cupidior forte vel alas tibi adnasci, ne terram desuper pedibus incedas: forsitan etiam commutari vel in monstrum cupieris, cum nōdum monstrum effectus: & homo cum sis volatum tentas, quin potius corde sublatus, omni ex parte intumescis. Quo ergo te nomine appellauerim, ut hac te queā desperatione eximere: si cinerem te aut fumum, seu puluerem dixerim, tenuitatem exprimam: figuram tamen aut similitudinem, quod equidem maluisse, haud factis attigerim: vellem enim inanem tumore illum omnem depromere. Quam igitur excogitauerim quæ his congruere possit imaginem: Mihi certe posse videtur, horum hominum tumiditatem cum stuppa aliqua flammescenti conferri, quando post incendium mox illa inflatur & surgit, postmodum leuiori quodam manu tactu dissoluitur omnis in cineres tenuissimos: eiusmodi sunt istorum animi, quorum tumores & inflatos spiritus, quiuis fortuitus & aduersus casus comprimere poterit ac disturbare. Est enim necesse eum qui in desperatione tenetur, debilem esse & infirmum. Siquidem elatio illa & celsitudo non satis constat valetudine integra, sed quemadmodum in aquis ampullæ solēt, facile dissoluitur: ita & istiusmodi homines intereunt leuius: quod si nullam forte his dictis adhibendam esse fidem censueris, da audacē, da desperantem, cernes sanē lapsō quouis & prostrato, nec magno tamen in discrimine timidiorē. Nam quemadmodum ex aridioribus virgultis flamma vix dum suscitata in cineres collabi solet: ex solidis vero & firmioribus natura lignis haud facile ignis succendi potest, succensus vero excitatam diu continet flammam: sic & animi qui perfectiores fuerint & stabiles, haudquaquam vel succenduntur facile vel restringuntur: quæ duo abiectioni homines, & ad desperationem proni, eodē temporis puncto patiuntur. Hæc si ita se habere intelligimus, humilitati operam demus, quæ quoniam potentissima est, & duricie lapides vincit, tutiores nos reddet, quàm vllæ possent aut turres aut parietes tutari, quando dæmonū & machinas superat & dolos. Contrā verō, desperatio ipsa & captu nos faciles volenti cuiq; efficit, & frangitur, ut diximus, non absimili facilitate, qua vel ampulla in aquis scinditur, & aranea celerius vel fumo dissoluitur. Ut itaq; nobis super firmiori sit lapide gradiendum, desperatione omiſſa humilitatem sectemur: hoc pacto quiete dum viuunt inuenta, bonis in posterum fruemur sempiternis.

NE DESPEREMVS SI IN BENE
operando tardi simus. Sermo.

Nemo desperet si per ocium & inertiam plurimum temporis fuerit transactum, quādo vel paruo tantum cuique compensare liceat operando, quantum neque omni superiori tempore facitare potuisset: si is qui Christi fidē antea nunquam attigisset, principio statim tam clarus euasit, longe magis & hi qui eam iam sint pridē consecuti. Quare cum quiuis præteriti temporis iacturam tam breui sarciri posse intelligat, segniorē se nihil præstet. Est enim futurum omne incertum, diesq; domini non secus ac fur quispiam dormitātibus nobis inopinato incumbit: vigilantibus vero nihil obſistit, neque abducet imparatos, neque excitatos & abstinentes aggredietur, ut prædo: quin uti regius nunciū euocabit, ad bona il-

A la nobis longe antea parata: quod si fuerimus forte tempore capti, quamprimum inuadet. Nemo itaque obdormiscat, nemo vel hebetior fiat, vel tardior ad virtutem: id enim dici somnolentia potest. Num estis nescij dormientibus nobis nihil esse in tuto, facileq; insidiatum iri posse, vigilantibus vero haud opus esse custodia, soporatis autē & somno captis, vel multis saepe dispositis excubiis pereundum fore, & ita ut neque portis, neq; vectibus, aut custodibus vllis prohibere prædonū irruptionem possimus? Quorsum hæc? ut intelligatis si vigilantiam præstiterimus, fore ut nulla aliorum ope indigeamus: si vero somno erimus oppressi, neq; aliena quidē vel magna subsidia nobis esse aliquid ad tutelam valitura. Sanctorum virorū fieri orationū participem optimum est, tum tamen cum boni aliquid & ipsi facitamus. Dicit aliquis, si ipse in officiosa aliqua actione sum, quid alienis precibus opus habeo? Neque ego te velim egentē aliena ope efficias: verum si bonæ mētis erimus compotes, hac re indigere nos existimabimus, siquidem Paulus nunquā se aliorū votis carere dixerit: tametsi oratores illi haudquaquā digni viderentur pro se precari, neque sibi aliquo modo pares. At tu, quid mihi, inquit, aliorū precibus opus est, quas neque Petrus ipse repudiaret? Siquidē oratio, ait, fiebat sine intermissione ab ecclesia ad deum pro eo: tu vero illam paruiducis, quinimō eo magis opus habes, quo minus existimas te indigere. Nā si Paulo fores simillimus, esset tibi vel aliena oratio necessaria. Noli te efferre, ne humilis fias. Itaq; quod ante dixeram, vel vos bonum operantes iuuant plurimum alienæ preces, audi & Paulum hoc pacto dicentem: Scio autem quod hoc mihi cedet pro vestris precibus & permissione spiritus Iesu Christi, ad salutem: & rursum: ut ex multorum persona ob donum, quod in me est collatum, à multis pro me gratiæ referantur. Tu vero rursum, quid opus precibus habeo alienis: quod si in ocio erimus, nemo profecto nobis orando aliquid poterit vtilitatis afferre. Quid enim Iudæos iuuat Hieremias: nonne tertio deum audiuit, tertioq; ne pro eo populo oraret prohibitus est? nō enim, inquit deus, te exaudiam. Quid Saulem Samuel? nonne pro eo ad vltimū vsq; diem præter preces & lachrymas fudit? Quid præterea idem ille Israëlitis profuit, cum diceret: Mihi autem absit peccatum subire, ut defnam pro vobis orare: nonne omnes interibāt? Dicit quispiam, ergo nihil profunt orationes: quinimō & iuuant plurimum, sed tum cum aliquid & nos boni peragimus: nam operantibus nobis cooperantur & iuuāt: cooperator enim quis & adiumento est agitanti aliquid: quod si deses manebis & ociosus, nihil magnæ vtilitatis consequere: nam si quirent aliorum preces desides nos & pigros subleuare ad cælos, quid impedit quod minus & ipsi gentiles omnes Christi fidem consequantur? Nonne pro vniuerso terrarum orbe oramus? Nonne & illud idem Paulus faciebat? nonne & reliquos precando petimus saluos fieri & conuerti ad deum? Cur etiam ex improbis boni non efficiuntur: si nihil ex se ut existimatis orationes eiusmodi conferunt vtilitatis, quæ proculdubio magnum in modum conducunt, si ipsi nobis pro viribus opis aliquid attulerimus. Quod si volueris, quantum commoditatis afferant huiusmodi preces edoceri, animaduerte Cornelium & Tabitham illam: audi & Iacob ad Laban dicentem: Nisi deus patris mei Abraham & timor Isaac mihi adfuisset, nunc me vacuū dimississet: audi rursum & deum ipsum hoc pacto dicentem: Defendam autē ciuitatem

tem hanc me propter, & Dauid ferui mei gratia. Verū A quo tempore hæc deus locutus est, nisi Ezechie vere iustitiam & si eandē vim orationes in improbos & sceleratos haberēt, cur deus iisdem illis non vsus est verbis, cum Nabuchodonosor ciuitati illi exercitum hostiliter admouisset, sed potius hostibus tradidit diripiendam, quoniā maxima in ea creuisset nequicia? Orauit enim iterato Samuel idem pro Israëlitis, & effectus est voti compos: tum tamen cum illi essent deo accepti, eoque de hostibus victoriam retulerunt. Dicit rursum quispiam, quid mihi aliena comprecatione opus est, si ipse deo morem gesserō? caue heus tu ne id amplius dixeris: quinimō opus illa est, & maxime opus: audi quippe deum de amicis Iob hoc pacto loquentem: Et orabit, inquit, pro vobis, & remittetur vobis peccatum: qui etsi peccassent, non tamen erant grauiori scelerē obstricti: iustus vero ille qui amicis orando salutem fuit, & Iudæorum tempore claruit, nequiuit tamen eisdem perdendos tutari, ac saluos reddere. Quod ut intelligas, audi deum per Prophetam loquentem: Si adstiterint Noë, Iob & Daniël, non liberabunt filios suos & filias, quoniam superabundauit malicia: & rursum, Si steterit Moyses & Samuel, inquit, neque id assequentur. Aduerte autem quo pacto illud duobus prophetis fuerit renunciatum, qui pro Iudæis ambo comprecati nihil sunt pro voto consecuti. Ezechiel etiam: Heu mihi, inquit, domine, perdes tu reliquias Israël: deinde ut ostendat se deus iuste id facere, aperuit huic & Iudæorum errata: in super palam facit nō ea propter quod se paruifaceret, eius preces nō fuisse admittas: satis, inquit, hæc tibi ad persuasionem valeant, non ut nulla tui apud me ratio constet, orationes tuas minus fuisse exauditas, quin pro innumeris istorū erratis, pro quibus sis ipse deprecatus. Nec immerito talia Ezechielem affatur: fuerat enim is pleraq; passus. Dixisti, inquit, mihi, pro foribus cibum capere, & cepi: imperasti super alterum latus quiescerem, & quieui: mandasti per foramen delatus exirem, & exiui: sustulisti vxorē, & iniuxisti ne flerem, nec fleui: quin tuli viriliter, & alia complura Iudæorum gratia feci. nunc vero pro eis orantem nō audis: Quid deus? Nequaquā: nō enim te paruifaciens id ago, sed si Iob, vel Daniël ipse pro filiis Israël orauerit, non exaudiat. Ad Hieremiam vero, qui in exequendis dei mandatis, etsi minora perpessus, multa tamen ob illorum improbitatem sustinuerit, quid deus dicat, intellige. Non vides quæ isti faciunt? Huic ita esse adfirmanti, petentiq; se propter illis venia concederetur, his verbis respondet: Si adstiterit Iob & Samuel ipse, non parcam. Primus in super legislator, qui Iudæos frequentius liberauit dicēs: Si dimiseris eis peccatum, dimitte: sin autem, & me tolle: si hoc tempore superesset, eadēq; illa dicitans flagitaret, proculdubio non impetraret: quin etiā si Samuel ipse, qui rursum eos seruauit, & ab ineunte ætate omnibus fuit admirationi, idem exposceret, haudquaquam assequeretur. Quod equidem mirū admodum videri debet, cum de Mose dictum illud fuisse constet: hunc deus quemadmodum ad amicum beneuolus, nullis ænigmatibus aut fucatis verbis alloquebatur. Item de Samuele & illud, in primæua sibi apparuit ætate, & oclusa vaticinia aperuit: Erat enim, inquit, preciosum verbū, neque enim erat visio distinguens. Quo circa vel si hi omnes deo corā orantes adstiterint, nihil proficient: neque Noë de quo ita loquitur deus, iustus & perfectus in generatione sua: neque Iob qui integer & iustus & verax, ac dei cultor est ap-

pellatus: nec Daniël ipse qui etiam pro deo habitus est, eorum filios aut filias liberabunt. Hæc itaque cum ita esse intelligamus, sanctorū preces minus erunt per nos negligendæ: neque illis prorsus confidendum, ne forte his fili, inertes ocio torpeamus: quorum altero verendū est, ne segniores reddamur & frustra patiamur insidias: altero, ne è maximo lucro excidamus, quinimō hortemur ceteros pro nobis orent, & manus porrigant: nos vero ad virtutem omni conatu nitamur, ut futura illa consequamur bona, quæ deum colentibus statuta ac propofita sunt.

DE NVLLA REGNI SPÈ VEL HONORIS, SED AMORÈ, & CHARITATE INGENTI, Sermo.



Quo tandē ipsi digni supplicio iudicabimur? siquidem Paulus ob Christi, quo tenebatur desiderio, neque cœlestia ipsa magnificiebat: nos vero quæ vel cœno & luto volutatur, Christo præferimus: cuius amore & gehennā ille adire, si fieri id necesse foret, percipit, & cœlestis regni iacturam pati: nos vero à Pauli magnanimitate lōgo interuallo distantes, cū neq; presentia aspernemur, nec digni quidē erimus, qui eius calceos atretemus. Siquidē ille pro eius summa in Christum pietate & obseruatiā, nec cœli regiam pro regno ducit: nos vero eum, cuius opera & admirari videmur & magnificere, quod quidem optarem, contemptui habemus: propofitū nobis cœleste illud imperiū prætereuntes, vmbas quotidie & infomnia consecramur, tametsi deus pro suo in nos amore & pietate, se nec secus gerat, quàm solet indulgentissimus pater in liberos contumaces, qui cū eos videat suæ assiduæ cōsuetudinis tædio affectos, alia quadam arte ad se pellicit. At nos cū nullo Christi detenti amore teneamur, & si plerisq; ut in officio detineat, rebus obiectionis, residere apud se haudquaquā toleramus, quin ad ineptias potius pueriles transilimus, & ludosi quæ omnia Paulus nec mediocriter abhorrebat, quin uti ingenuus & liber filius genitoris amatissimus quærit se illi assiduū dedere, cū eoq; & solo versari: nec sui magnam habet in ceteris rationē, sed longe minorem quàm filium deceat: non enim pari se quo & patrē honore dignatur, siquidem cum patrē attendit, sua nihil putat, maualtq; cū patrē in plagis & cruciatu versari, q̄ seiunctus in deliciis esse. Idcirco non possum non vehementer Paulū admirari, qui solus ob Christi gratiā tulerit omnia, nulla regni spē, vel honoris, sed amore duntaxat, & charitate ingenti, cū pleriq; hominū eiusdem gratia ne pecunias quidem contempserint: neq; enim nos vel Christus ipse, vel eius opera, à terrenis his rebus retraxerit, quin uti vipera & sues, vel reliqua id genus animātia solent, cœno obuoluimur. Quid enim ipsi his feris bestiis videmur præstare, quibus cum tam multa pateāt exemplorum plena, & imitatione digna, haudquaquam intermittimus inferiora hæc suspicere & admirari, cum ne ad breue quidem spectare superiora toleramus: præsertim cum nostri gratia filiū deus demiserit cœlitus, cui nec panem ipse impartiris, quando pro te fuerit oblatus, & morte affectus, pater nec proprio filio te propter indulst: Hunc ipse inedia maceratū paruifacis, cū tibi sit eius ope viuendū, quid hac fieri contumelia potest deterius? Tui ille ob gratiā prodit, te propter occisus, famelicus pro te diuagatur: vel è suo aliquid huic impartire, ut in tuam id vtilitatem cedat, nec frustra quidem (mihi crede) id egeris. Quos igitur istiusmodi homines non insensibilitate lapides excesserint,

excesserint, qui cum tot rebus ad bonum trahuntur, in a
 damoniaca tamen hac crudelitate perseuerent? Atqui
 Christus nec morte tantum, & cruce contentus, quin
 subire etiam inopiam voluit. Hospes insuper vagus, &
 nudus fieri, valetudine affici, & vincula tolerare, vt te
 vel hoc pacto ad se reuocaret: quod si pro mea hac om-
 ni tolerantia, inquit, nec vicem reddendam existima-
 ueris, saltem te mea mendicitatis misereat: quod si nec
 huius rei gratia mihi compatiendum duxeris, vel ob æ-
 gritudinem meam aut nexus & vincula emollire. Si ne
 hæc quidem misericordem te & piæ reddiderint, le-
 uia tamen & friuola deposcenti annuas velim: neque
 enim preciosiora quædam & magna exposco, sed pa-
 nem duntaxat & tectum, & verba solatia: quod si post
 hæc fueris in tua feritate pertinacior, saltem pro regni
 cœlestis desiderio, siue ob ea quæ pro te tuli certamina,
 exhibe te meliorem. Si demum nulla istiusmodi apud
 te ratio constabit, saltem naturæ ipsi compatere: cum
 nudum videris, reminiscere eius, quam pro te tulerim
 in cruce nuditatis: cuius si nulla erit apud te recorda-
 tio, vel ob eam quam inopum gratia exutus tolero. fa-
 ctus sum antehac te propter egenus, & in præsentem ege-
 state premor: vt vndecunq; compulsus misericordem
 te præbeas: esuriem tui gratia toleraui, rursum famem
 pro te patior. Sitibundus eram dum in cruce penderē,
 & impræsentiarum sitio pauperum ratione, vt his vtrif-
 que, inedia scilicet & siti, te mihi adiungā, piæq; pro
 tua salute reddam & humanum. Quocirca etsi te mihi
 pro meis innumeris beneficiis in vice reddenda sentiā
 obligatum, nec tamen quippiam te quemadmodum
 debitorem repeto, quin vt beneficium & largitorem,
 sumq; pro paruis & exiguis rebus corona te & imperio
 donaturus. Neq; id dixerim: solue me egestate, vel di-
 uitias elargire. Fui equidem pro te pauper, sed panē po-
 stulo, & amictum, vel tenue aliquod mea inedia sola-
 men. Si fuerim ipse in vincula coniectus, haudquaquam
 me inde eximas postulo: sed vnum illud, vt vincitū tui
 ob gratiā reuifas, sic te vel hoc solo cœlo donauerim:
 etsi ipse grauisimè te vinculis eruerim, feceris tamen
 mihi, si præpeditum & ligatum reuiferis, satis. Possum
 præterea te vel nullis tuis in me meritis coronare, ve-
 lim tamen me tuis esse beneficiis obstrictum, vt te co-
 rona dono concessa faciat fidentorem: idcirco cum
 habeam ipse vnde me alam, facultates, emendicando
 circuagor, præq; tuis foribus adstans, manū porrigo,
 & cibari à te percipio: amo enim te plurimū, & mēsa
 insuper tua delector: quodq; amārium consuetudinis
 est, vel hæc omnia mihi duxerim ornamento, quin etiā
 spectante terrarum orbe, laudes de te prædico vel in-
 D gentes, audientibusq; vniuersis alitorem meum osten-
 do. Cumq; soleat nos cum à quoquam alimur, pudere,
 celareq; item beneficiū consuescimus, Christus ipse vel
 nobis obtinentibus, quando vehemēti nos amore pro-
 sequitur nostrum, in se beneficium vulgabit, nostrique
 haud mediocri cum laude profitebitur: neque enim eū
 fateri pudebit, nos sibi nuditatem patienti amictum, &
 famescenti contulisse & victū. Quibus omnibus recte
 perceptis, ne laude tenus contenti simus, quin dicta hæc
 exequamur. Quid enim nobis huiusmodi plausus, &
 laudantium turba vtilitatis contulerit: vñ illud à vo-
 bis exegerim, vt ostentationem hanc, & iactantiā tum
 ex factis, tum ex vera obtèperantia vendicetis. Id enim
 demum nobis in laudem, id in lucrum cedit, & quo-
 nis diademate fulgentius existimauerim. Hanc itaque
 & decessuri coronam, tum mihi, tum vobis per ino-

rum manus deferendam parate, vt vel in hac vita spe
 meliori enutriti, ad futuram concedentes, perpetua
 beatitudine fruamur.

De inanis gloria cupiditate, Sermo.



Vid tandem inanis gloriæ cupiditate sump-
 tuosius: quid turpius, vel toleratu difficili? fie-
 ri potest? Siquidem morbi huius dispendia ex
 his solēt patere, qui frustra & inaniter tum in
 theatris edendis spectaculis, tum rebus cæteris istius-
 modi intempestiuus, ad gloriam duntaxat & ostenta-
 tionem paratis, tum deniq; in ædificandis splendidis
 domibus, & excolendis, & reliquis inutilibus, quæ im-
 præsentiarum silentio prætereamus, pecuniarum pluri-
 mum infumunt: nec sanè quempiam fugit, hominem
 hoc morbo laborantem, prodigum & iactabundum,
 rapacem insuper & cupidum esse oportere: nam vt ha-
 beat vnde beluas alat, alienis fortunis inferet manus.
 Et quid fortunans dixerim: si quidem non eas solum, sed
 animos ipsos ignis iste depascitur, neq; morte corpo-
 rea hoc modo & præsentem, sed futura etiam afficit, & æ-
 terna. Nam & gehennæ procreatrix inanis hæc gloria,
 & ignem excitat vehemētius & vermes pestiferos: quin
 etiam eandem illam videbit quispiam vel apud mor-
 tuos tenere imperium, quo quid fieri potest deterius?
 Cumq; reliqua cum morte vnā vicia dissoluantur, hic
 tamen iactantiæ morbus post mortem etiam omni co-
 natu contendit suam vel in ipso cadauere naturā pro-
 dere: Quippe hac vita excessuri, & statuas insignes, vel
 eorum substantiam omnem consumpturas, erigi sibi,
 & attolli demandant, præfinitūq; plurimum suo fu-
 nere luxum: quique dū in terra viuerēt, nummi vnus,
 aut panis gratia adeunti egeno cōiuciatū sunt, mortui
 vberem vermibus mensam præbent & abunde. Quid
 ergo aliud quæras, quod morbi huius excedat tyranni-
 dem: hoc enim ex malo absurda quæq; oriuntur cupi-
 ditates. Siquidem plerosq; quos neque decora facies,
 neq; libidinandi cupiditas ceperit, iactantiæ libido in-
 tercipit, vt pro seducta nonnunquā, vel viciata muliere
 apud alios gloriantur. Quid reliqua dixerim, quæ ex
 inani hac gloria mala emergunt: optarem equidē qui-
 busuis barbarorum hominum potius in seruitutē dari,
 quam semel eius subire iugum: nec enim à barbaris ta-
 lia captiuus iniunguntur, qualia sibi morigeris hoc pa-
 cto iniquis indicit. Exhibe te cunctorum seruum, siue
 te fuerint infirmiores, siue clariore: animā aspernare,
 virtutem negligere, libertatem irride, ac tuæ demum sa-
 luti aduersabere: tum si quid erit per te bene gestū, non
 dei oblectandi gratia id egeris, sed ad ostentationem
 duntaxat & iactantiā, vt promeritam ex eo palmam
 amittas: cumq; te misericordem præstiteris, ieiunio in-
 edia ve affecteris, est labor quidē subeundus, merces ve-
 ro omni studio perdēda. Quid huiusmodi potest præ-
 ceptis dici immittis? siquidē ex eis obrectationes, in-
 iudiū, & desperatio ortum habent, emanatq; malorum
 omnium mater auaricia, præsertim cum familiarium
 examina, & barbari auro circumfulti parasiti, assenta-
 tores, & connexi argento currus, & reliqua his magis
 irrisione digna, non voluptatis aut necessitatis gratia,
 sed ad ostentationem parantur. Dicit aliquis: Ita se ha-
 bet, morbumq; hunc malum esse cuius patet: quo tamē
 pacto caueri possit, explicandum foret. Caueri, inquit,
 illud poterit, si id morbi graue & molestū esse cogno-
 ueris, quod optimum profecto erit ad vitæ rectitudi-
 nem incundam initium. Siquidem valetudine affectus
 quispiam,

quispiam, & æger confestim medicum conquiret, si pri-
 mum se egitudine laborare didicerit: quod si aliam ad
 hunc morbum euitandum viam quæris, deum assidue
 contemplare, estq; quam inde capturus es, gloria conten-
 tus: deinde si senseris inanis gloriæ morbo suggerē-
 te, te incitatum iri ad efferendum quod bene gesseris, &
 aperiendum multis, animaduersa quæ sequitur ex bo-
 norum facinorum communicatione iactura, extingue
 absurdam illam, & suggestam renunciādi ac bene acta
 vulgandi cupiditatem, animumq; his verbis alloquere,
 Ecce tandiu parturiens efferēdi rem bene gestam per-
 cupidus extitisti, neque eam tolerasti silentio premere,
 quin omnibus cognoscēdam extulisti, quid ergo ex eo
 plus aliquid tibi accreuit? plus equidē nihil, damni ve-
 ro plurimum & extremi, & eorum euacuatio, quæ sum-
 mo cum labore collegeras. mox etiam intelligas velim
 corruptum esse vulgi iudicium, infirmamq; sententiā,
 flaccescerēq; statim, & labare solere. Nam vt ad breue
 homines aliqui admirantur, sic temporis processu fa-
 cile obliuiscuntur, intercipiuntq; omnis per eos dei mu-
 nere iam parta victoria: quam vel si mortales contule-
 rint, tutari diu non possunt, vel si in longum videretur
 mansura, calamitatis quin etiam loco haberi posset, si
 diuina foret cum mortali hac commutanda. Cum ita-
 que fluxa sit & labilis humana laus: qua vt excusatio-
 ne poterimus, si pro incertis certa perdemus, proq; tam
 breui paucorum præconio tot bonorum patiemur ia-
 cturam: insuper si vel infinita foret nos laudibus efferē-
 tium multitudo, eo essemus calamitosi magis & miseri
 iudicandi, quo maior esset laudatium numerus. Quod
 si hæc forte miraris, audi qualem Christus in eam rem
 sententiam ferat, Væ vobis, inquit, quibus vniuersi ho-
 mines benedixerint: nec immerito: nam si ad singula-
 rum artium discrimen internoscendum opifices ipsos
 in iudices malis, quo pacto virtutem permisit multi-
 tudini probandam potius, quam illi qui eius habeat, ce-
 teris longo interuallo posthabitis, notionem, præstare
 & opem queat, & palmam? Illud ergo & parietibus ip-
 sis & foribus erit, ac mente & animo inscribendum, re-
 petendum etiam frequentius, quod à Christo domino
 vsurpatum est: Væ vobis quibus benedixerint homines:
 siquidem qui te tunc extulerint, paulo post nō secus ac
 honoris & gloriæ & suarum priuarum laudum affe-
 ctatorem calumniabuntur. Ab his longo alienus est de-
 us, quippe qui te quanto diuinæ gloriæ cupidiorē cō-
 spiciatur, eo maiores in te congeret laudes, & summa
 omnium admiratione illustrabit: quod certe morta-
 lium egerit nemo, quin te excipiens, è libero seruum
 reddet, vel tenui plerunque verbo, laude in te vel com-
 menticia vsus & subdola, vera promerita mercede frau-
 dabit, faciētque te mæcipio quouis empticio subiectio-
 rem: siquidem seruum dominus dicto audientem ha-
 bebbit, ipse vero nec iussis domini obtemperabis: nam
 vt primum te illi rem gratam facturum cognoueris,
 nec imperanti morem geres. Quibus igitur nō erimus
 incendiis digni, qui improbos adeo oblectemus, vt vel
 tacentibus ipsis fiat satis: deo vero vel iubenti quotidie,
 & commonefacienti nihil prorsus audiamus? Tibi ita-
 que diuinam gloriam affectanti, humanæ sunt laudes
 fugiendæ: quibus euitatis, apud deum & homines quā-
 tumuis famæ & nominis vendicabis. Nil enim magis
 admirantur mortales, quam eum qui gloriam asperne-
 tur: nec quempiam maiori laude & admiratione pro-
 sequuntur, quam qui laudari se pro nihilo duxerint, aut
 magni fieri. Quod sanè si homines ipsi id agimus, quā-
 Tomus quintus.

to magis cunctorum deus gloria te & laudibus extol-
 let, si eas te contemptui habere cognouerit? Quid ergo
 dici te beatius potest: siquidem quantum inter gloriam
 videtur ignominiamq; distare, tantundem sit, vel lon-
 ge maius humanæ huius mortalissq; laudis, & superne
 discrimen? Nam vt turpior suapte natura mortalis est,
 vel si nulla cum re alia conferatur: ita & collata quam
 sit deformis futura, & visu grauis cogitari potest. Etenim
 vt mulier prostituta in domus fastigio adstans, sese cū-
 ctis visendam præbet: sic homines inanis gloriæ serui-
 tute capti, ad ostentationem omnia moluntur: quos
 equidem impudica dixerim impudentiores: quod me-
 retricula nonnullos persæpe amantium aspernentur,
 cum ipse (vt has omittam) vniuersis, fugitiuis inquam,
 prædonibus, furunculis, & burfarum præcisioribus tui
 copiam facias: ex his enim, vel horum similibus con-
 stant in tuam laudem spectacula: neglectisq; liberali &
 præstanti ingenio viris, prædonum collegium, quibus
 te arguis longe inferiorem, tuæ saluti anteponis. Nam
 quo pacto haud fueris minori quam illi honore dignus,
 qui præconio indigeas alieno, neq; satis tibi per te pos-
 se ad gloriam fieri existimes, nisi aliorum fueris laude
 potitus? Proinde haud intelligis (vt reliqua præteream)
 quod si conspicuus fueris, & omnibus non ignotus, er-
 ratorum tuorum quam multos sis criminatores habi-
 turus: si incognitus, & securus peccando futurus sis. Af-
 fentior, inquiet, verum cum præclarum aliquod edide-
 ro facinus, infinitos habuerim qui illud & demirentur,
 & probent. Id equidem fore grauius dixerim, cum non
 solum delinquenti tibi, verum & rem bene gerenti of-
 ficiet plurimum inanis gloriæ morbus: Siquidem flagi-
 tia admittendo, quam multos ad scelus induxeris: recte
 autem viuendo concupita per te laus meritorum præ-
 mia exhauriet. Cuiusmodi gloriæ ambitio, si vel in re-
 bus ciuilibus grauis admodum esse & ignominiosa ap-
 paret: quis erit tibi reliquus ad veniam locus, si eadem
 illa in spiritualibus rebus fueris, & religioni pertinen-
 tibus infectus, quando nec eodem toleraueris deum ho-
 nore impartiri, quem ipse fueris ab eius seruis assecutus?
 Porro & serui domini oculos intuentur, mercede con-
 ductus operibus præsentem, qui sit stipendium deperi-
 surus, discipulus in præceptorem intendit obtutum: at
 ipse te longe aliter geris: oculos enim à deo conducto-
 re auersos ad homines conuertisti, nihil ignarus eun-
 dem recte factorum vel in posterum tempus meminisse:
 hominem vero ad præsens duntaxat rerum memo-
 riam tenere: cumque certum habeas, firmumque in cœ-
 lo spectaculum, in terris congeris spectatores. Certato-
 res præterea vbi fuerit per se decertatum, eodem pro-
 batum se iri malunt: ipse vero cum in cœlo depugnes,
 studes in terra coronari: qua socordia quid esse dete-
 rius potest? Verum si libet, videamus coronas hæc cu-
 iusmodi sunt futuræ, quando & desperatione partim
 componantur, partim irrisione & adulationibus, partim
 pecuniis, & seruili quodam ministerio: vtq; & pue-
 ri per lusum solēt, chartacea alterius capiti corona im-
 posita, coronatum plerunque vel nescium post terga ir-
 ridet: sic tuarum factitant laudum præcones, qui tibi
 paleis dorso iniectis, laudando illudunt. Vtinam his so-
 lis paleis finiretur illusio, laureaque illa haudquaquam
 noxia foret, nec perderet benefacta. Cognita itaque in-
 anis gloriæ vilitate, ne officiat cauendum erit: verum
 quot cuperes ipse tuarum fore laudum præcones, num-
 centum, bis centumve? Concedamus si velis ad homi-
 num quatuor milia, sint etiam si libet plausores innu-
 meri,

Gala.6.

meri, nil tamen hi omnes à graculis de loco superiori A
 crocitantibus distabunt: verum si angelorum spectacu-
 la noueris, vel ipsis vermiculis eiusmodi homines vni-
 uersi videbuntur abiectiones, aranea fumòq;, & infom-
 nis infirmiores. idcirco audi & Paulum quam accura-
 te hæc omnia improbarit, qui non modo nec hæc lau-
 des querat, quin maxime detestetur his dictis, & res-
 piciat: Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce domini
 nostri Iesu Christi. Hunc itaque & ipse imitare iactan-
 tiam, ne deum forte ad iracundiam concites: siquidem
 mortalium gloriam ambiendo, non solum tibi fueris,
 verum & deo iniurius: Etenim si effigiandi peritus es-
 ses, & pictor discipulum haberes qui à te quod ex arte
 perdidicisset, aliis te inuito proderet, aut pictam tabu-
 lam, non tibi, sed astantibus ceteris in tui contemptum
 visendam præberet, num æquo id animo ferres: quòd si
 conferuis illud videtur ad ignominiam cedere, longe B
 magis domino iniuriæ ducitur. Cæterum si aliunde id
 cupis doceri, quo pacto scilicet debeant humana lau-
 des contemni, præsentibus rebus ingenue parui factis,
 adaucta & concepta veræ gloriæ & prudentiæ spiritua-
 lis cupiditate, animus erit tibi haud absimili dicto con-
 firmandus, quo & Paulus vsus est dicens: Num ignoretis,
 quòd angelos sumus iudicaturi: pròq; affectata mor-
 tali gloria subleuatus iam, & leuiter castigatus, his eris
 verbis appellandus: Num qui de angelis sententiam sis
 laturus, optaueris à mortalibus his & impuris iudicium
 de te fieri, consequiq; parem cum saltatricibus, mimis,
 aurigis & beluarum confectoribus laudem, vel qualem
 illis exhibent plausores, quorum acclamationes & plau-
 sus altiori quodam sunt per te volitatu defugiendi: Io-
 annes præterea eremi cuius imitandus, perdiscendumq;
 quo pacto & ille vulgi laudes contempserit, neque vl-
 las hominum attenderit adulationes: siquidem cum Pa-
 lestinos incolas se circa profusos vidisset, & sui admi-
 rationis obstupescitos, nihil prorsus hoc tanto honore
 flectebatur: quín illis insurgens ad populum vniuersum,
 tanquam ad adolefcetulum aliquem verba factitabat,
 & dictis istiusmodi incessabat: Serpentes viperarum se-
 mina: cum sui visendi duntaxat illi gratia relictis vrbi-
 bus magno ad se concursu festinasset, nil tamen ho-
 rum sanctissimum virum à pristino instituto relaxauit.
 nam vt longe aberat à gloriæ cupiditate, sic erat qua-
 uis animi elatione liber. Nec secus & Stephanus, cum
 eius populum spectaret haudquaquam in se venerabun-
 dum, sed furorè incensum, & stridore quodam detum
 sauientem, horum superata vesania dictitabat: O duræ
 cervicis, & corde incircuncisi. Sic & Helias adstante
 exercitu, in imperatoris & populi vniuersi conspectu D
 istiusmodi pronuntiabat: Quousque tandem vtriusque
 tibiis claudicabitis? Nos vero contra quasi honorem
 precio ab hominibus vendicaturi, seruii quadam in-
 dustria omnibus adulamur: ita fit, vt ordine quodam
 præpostero ferantur omnia, pròque populari hac glo-
 ria non minus fides, quam religio ipsa neglecta prodatur,
 & pietas. Exterminemus igitur id morbi quodcun-
 que est: sic enim nobis libertas, sic portus & tranquilli-
 tas omnis egregie innotescunt. Etenim qui gloriæ libi-
 dine trahitur, fluctuanti cuiquam, & tempestate disie-
 cto videtur assimilis: siquidem tremebundus semper,
 & pauidus infinitis dominis gesturus sit morem. At qui
 hæc fuerit tyrannide liber, portum tenentibus erit, &
 puriori fruuentibus libertate non alienus: aliter tamen
 longe cum gloriâ cupienti agetur: nam & tot domi-
 nos cogetur habere, quotquot ei fuerint & familiares,

Acto.7.
3.Reg.18.

& noti, quibus erit sponte pariturus, cuius gloriæ per-
 grauem cauebimus seruitutem, si cœlestis illius & veræ
 capiemur amore. Nam quæ admodum is qui fœminam
 quæpiam adamauerit, alia visa quæ pulchritudine prio-
 rem excedat, illa intermissa hanc deperibit: Sic terrenæ
 gloriæ sectatores, vt primum diuina illuxerit, eam faci-
 le cõtēntent. Spectanda itaque erit cœlestis illa, & di-
 ligentissime imbibenda, vt illius admirari decorem, hu-
 ius cauere possimus turpitudinē: sic perpetuis freti de-
 liciis plurima voluptate potiemur.

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI
 contra luxum & crapulam, Sermo.



Damus & bibamus, cras enim moriemur. In 1. Cor. 15.
 Prophetas hæc multi apud Iudæos dicebant,
 sed haud mirum, si Iudæi ita dicant, quorum
 deus venter est, & gloria in confusione ipso-
 rum: sed quòd post gratiam, post contemptum rerum
 præsentium, & tantam perfectionem & diligentiam,
 sunt adhuc aliqui, licet non omnes dicentes, & vt per
 ipsum apparatus patet clamantes, quæta reprehensio-
 ne fuerit dignum: Etenim fuit profecto, qui ob hoc in
 hanc vitam adductos se putant, vt delicias vacent, &
 ventrem disrumpant, & corpus impingent: atque sic
 hinc migrent, vermibus largiorem è sua carne mēsam
 instructuri. Et vtinam hoc solum graue esset, quòd fru-
 stra & incassum, & ad nullam vtilitatem expenderent
 præsentia, quanuis nec hoc reprehensionibus caret. Nā
 quando opes quæ datæ sunt à deo ad nutriendum cor-
 pus, & in subsidium egentium, in intemperantiâ & con-
 tumeliam, & extremam ignauiam insumimus: non sine
 correctione esse poterit pessimus ille sumptus, sed om-
 nino de hoc dabimus rationem. Et quod de quinque ta-
 lentis, & duobus, & vno dictum est: etiam de diuitiis &
 aliis omnibus dicere fas est. Igitur quod dicebam, si fru-
 stra & inuanum hic adulessemus, neque sic sine culpa esset
 hoc opus: nunc & absque hoc etiam alia iuste irrogabū-
 tur. Nam cum qui viuunt in deliciis, & ebrietati deditus
 est, & parasitos alit, & adulatores, & carniuum voratio-
 ne & vini potatione disrumpitur: sæpe & inuitū & spò-
 te necesse est peccare, & extra huius loci tempus, & cum
 illinc recesserit. Nam sicut naus oneraria, quæ supra
 suam magnitudinem vehenda capit, oneris magnitu-
 dine grauata submergitur: ita anima & corporis nostri
 natura si plures acceperit cibos, quam ferat natura sua,
 impletur, & iniectionum grauitatem nō amat, & in
 perditionis pelagus demergitur, & nautas, & gubernato-
 res, & eos qui in prora, & alios nauigantes, & ipsum o-
 nus cum hominibus perdit. Sicut igitur non tranquilli-
 tas maris, non scientia gubernatoris, non nauarum
 multitudo, non præparationis studium, non anni pars
 tempestiua, non aliud quicquam nauis, quæ sic in tempe-
 state est, prædest: ita & delicatis euenit, neque cogita-
 tionum multitudo, neque eruditio & admonitio, neque
 admonitiones & consilia, neque aliud quid, neque timor
 futurorum, neque pudor, neque accusatio præsentium,
 neque aliud quid saluare potest sic periclitantem
 animam: sed inualescit luxus & amentia per omnia, &
 sub aquas nolens volens eum qui agrotat defert & gra-
 ue facit naufragium. Vnde nihil facile, neque ad futu-
 ram vitam & iustificationes quæ alibi futuræ affert. Sed
 qui talibus vacat, & ad præsentem vitam inutilis fit, ad
 nihil accommodus, & vbique ridiculus, tam in publi-
 cis, quam in priuatis rebus: & si in tumultu aliquid opus
 est fieri, non inuenitur habere aliquid prouidentia, vel
 gubernationis:

gubernationis: ab omnibus inimicis capi potest, omni-
 bus inutilis, amicis & accedentibus: & non solum peri-
 culis & obsidionibus facile potest rapi: nō in tranqui-
 litate solum eum audire pauore non caret, sed & in ar-
 duis ob immodestiam morum se accedenti erit inuti-
 lis. Nam ipsum illic, in aduersitatibus loquor, timor
 & effeminatio, & metus immodicus, & consilij inopia
 apprehendunt: hic autem in prosperitate, audacia, &
 ignominia, & intemperantia, & inflatio, & arrogantia
 plus inutilem quam superiora efficiunt. Sanè talium nō
 solum corpora sic effecta, & iniucundis, & superfluis, &
 fetidissimisque plena sunt, ita vt tolerari nequeat: sed
 & anima corpore multo iniucundior, multo maiores
 quam illud, morbos in se arripit ex deliciis. Nam sicut
 corpus non solum superfluitates emittit naturales, sed
 multo plures, & vndique. Nam & oculi, & nares, & os
 grauedine, mucò, & corruptione, & his quæ intus ge-
 nerantur, lutulentis & impuris affectibus sunt plena: &
 ipsa natura carnis laxior fit quam naturalis proportio
 fetidique & inutilis, & ad omne bonum opus inutilis.
 Etenim & terra, quando à sua abundantia oppressa fue-
 rit, suum innatum perdit calorem, perdit autem & suas
 vires, & neque ad opus, neque ad suam generationem
 est accommodata. Hinc autem incuruabilibus & difficil-
 limis implicatur morbis, qui perpetuo in voluptate
 viuunt. Nam in tremoribus & palloribus, mirisq; & pe-
 dum, & manuum doloribus, & aliis pluribus, de quibus
 medici dicunt, irretibiles fiunt. Idq; adeo ac si non es-
 set gehēna, neque cruciatus, neque extremum iudicium
 dei, neque apud omnes homines correptio, neque intē-
 pestius sumptus, neque alia multa quæ in luxu oriun-
 tur. Hoc autem si solum assit, nōne sufficeret ad om-
 nes auertendos? Venenorum letalium nullum melius
 instrueret mensam, imò si verum oportet dicere, nul-
 lum peius: nam letifera illa mox auferunt eum qui po-
 tat, & mortem sine sensu inducunt, ita vt & qui mori-
 atur, non doleat: voluptates autem vitam multis mortibus
 grauiorem inducunt, iis, inquam, quibus magnum
 vitæ studium non miserabilis tantum, sed & fœdæ &
 ridiculæ. Et dolores quidem alij multos inueniunt, qui
 compatiuntur, sed quæ ex ebrietate & luxuria fuerint
 orta, neque volentes si viderint, permittunt condole-
 re eis qui his obnoxij sunt. Sanè grauitas quidem mali
 ad misericordiam flectit, causa autem huius morbi ex-
 acerbatur eum qui videt. Eapropter media quadam affe-
 ctione tenemur, neque miseramur eos, quia non finit
 hoc causa malorum, neque irascimur: non enim per-
 mittit magnitudo malorum: sed inter accusationem &
 compassionem est status: non enim à natura incitati
 sunt, sicut & ij qui se in barathrum proiciunt. Igitur si-
 cut eos qui se submergunt, vel ex alto præcipitant, &
 gladiis transigunt, non multum miseramur: sic neque
 hoc quauis sit compatiendum magis illi quam hi cõ-
 passionem meretur, tametsi etiam illi valde indigni cõ-
 passionem. Illi quidem vel calumniis, vel opum damnis,
 vel periculis quæ expectant, vel plagis quas timent, vel
 aliam quandam expectantes mortem, & maioribus se-
 ipsos malis erepturi, ad consolationem mortis confu-
 giunt, tanquam in asylum quoddam ad mortem pro-
 currentes, vel vt in portum securum à tempestatibus
 imminentibus festinantes. Hi autem nihil horum dice-
 re possunt, vitæ se tradentes plurimis violentis mor-
 tibus grauiori. Tempestiuum igitur & nunc dicere illud
 Sapientis: Quis miserabitur incantatorem à serpente
 iactam, & omnes qui sibi ipsi feras adducunt? Fera enim
 Tomus quintus.

Eccle. 12.

est voluptas, fera grauis: neque scorpio, neque serpens
 in visceribus nostris sedens ita vnde quaque grassatur
 sicut deliciarum cõcupiscentia omnia subuertit & per-
 dit. Et feræ illæ tantum corpori insidiantur: hæc autem
 cum insederit, cum corpore simul & animam perdit.
 Eapropter fugiamus ab hac, vt prudentius loquar, si ha-
 bet aliquid suaue, ne feramus, ne persuadeamur. Quòd
 si vera quæ dicta sunt, & corruptio omnium est, & ex-
 tremus risus, vestri parcite corporis incolumitati & a-
 nimæ sanitati. Non loquor, vt austeritatem vitæ indu-
 cam, siquidem nolueris: superfluum amputemus, inutile
 rescemus. Quam veniam habemus, quando alij qui-
 dem qui domini sunt, vsu non fruuntur, nos autem plus
 quam vsus exposcit, excedimus? Terminus nobis sit ali-
 monia, ita vt non noceat, & absque nocimento fames
 pellatur. Vltrà nihil requiramus, imò si oportet aliquid
 mirabile dicere, & præter multorum opinionem, quòd
 tamen verum est: Si etiam voluptatem ipsam inquiramus,
 in frugalitate ipsam magis quam in luxuria inue-
 niemus. Audi quo modo hæc quam illa voluptas ma-
 ior est, & vberior. Nam illa subsistere nequit, neque in-
 uenit naturam sanguinis, quæ ei utilis, sed hæc consiste-
 re potest. Quid enim dicit Sapiens, qui his abundauit
 præ omnibus magis? Animæ enim dicit indigenti, & a-
 mara dulcia videntur. Anima impleta, fauis illudit. Vi-
 des quo modo illa quidem ex paucis & ex omnibus fa-
 cile constitui potest, hæc autem minime? Nam si fauos
 non attingimus nec curamus, quid vltra nobis dulce
 erit? si quod est dulcissimum nequit præbere volupta-
 tem, quale erit quod voluptatem poterit efficere: atque
 adeo si voluptatem quarimus, hic magis inuenimus.
 Quo modo ergo non extremæ dementia, fugere à mē-
 sa frugali, quæ habet voluptatem & suauitatem, & om-
 nia bona, & dei amorem: & instruere aliam plenam in-
 numeris calamitatibus, insuauem, tristem, & morbo-
 sam, & quod grauissimum omnium, concitantem con-
 tra nos deum? Nam si vidua quæ in deliciis agit, viuens
 mortua est: quid dicemus de viris? Si in veteri hoc pro-
 hibetur diligentissime, multaque vehementia contra
 agentes in deliciis vsus est Propheta, quanuis speciem
 ponat deliciarum, non valde sumptuosam, neque adeo
 mollem. Comedentes, ait, arietes ex gregibus, & vitu-
 los lactentes, bibentes vinum defæcatum, & qui vnguntur
 tur primis vnguentis, & dormiunt in lectis eburneis, &
 lasciuiantes in stratis suis. Si tanta accusatione digna
 sunt hæc, quando omnia erant carnalia, & cœli sermo
 nullus, quando doctrina erat Iudaica: quid dicemus ad
 præsentem molliciem quæ nunc? Nam si arietes & vitu-
 los lactentes comedere, vt fluxam & luxuriosam ac-
 cusat vitam: quid dicemus de his, qui profunda maris
 perscrutantur, & extrema terræ, & varios auium & pi-
 scium venatores vnde quaque sibi colligunt: & si bibe-
 tes vinum defæcatum reprehenduntur, quid diceres
 de his, qui mittunt transmarinas pro vino profectio-
 nes, & omnia mouent, ne aliquod genus vini eis surri-
 piatur, quasi rationes sint dandæ, vel ipsi inter extre-
 mos sint computandi, nisi omne genus vini intulerint?
 Si eburneo lecto vti, dignum reprehensione: qui mul-
 tos lectos argento circundant, immo ex puro argento
 fabricant non lectos, sed matulas, & ollas, & lebetes, &
 furcas: qualem assequuntur veniam? Quid paruum vel
 magnum, si de his corrigantur, dicere poterunt? Ego
 autem his appono, quod omnibus grauius, quod ex a-
 lienis calamitatibus hæc collecta sunt, quanuis Prophe-
 ta hoc non posuit, sed solum delicias arguit. Quando
 z ij autem

autem & causa adest delictis grauior; quis eximet illos hac facientes ab extrema poena: quis Noë patrociniabitur: quis Iob: quis Daniël: Non est vnus quidem: sed de his dicendum, Exardescet furor meus sicut fumus: An non est, obsecro, furoris & iræ extremæ, impleri & dirumpi, quando alius quidem neque necessario alimento fruitur? Tu autem tantum argentum frustra & incassum in nullum vsum fabricas, sed ne ad ostentationem quidem. Non enim ad hoc tibi vtile erit, sed in diuersum vertetur. Tu enim hoc facis, vt illustris & nobilis fias: sed secus euenit. Non enim es aliquis illustris & nobilis: sed ob crudelitatem & auariciam, & extrema mala accusant te omnes. Nam quanta inuidia, quanta inuidia, quantum odium ab omnibus? quantum vicissitudinis & mutationis desiderium omnibus? Mito dicere blasphemias in deum, quas diuitiæ ille parit, quauis hoc grauissimum est omnium. Et hoc præ illo, & quod non dices, illud illo deterius inuenies. Sed frugalem illam & mediocrem mensam, quam non Propheta carpit, non homo arguit, non deus reprehendit, non ignis punit, nullus auersatur, nullus odit, nullus inuidet: sed probat deus, commendant angeli, laudant homines, suscipit cælum. Ista mensæ angelos susceperunt, istis Christus adest, non illis. Tales Prophetarum erant, tales Apostolorum, tales & iustorum. Sed illa tyrannorum, & eorum qui in terris male locupletantur, habentes saltatrices, & alios qui vitam corruptam egerunt, & latrones, & magos, & fures. Quando talem apponis mensam, angelus quidem refugit, exasperatur deus, latatur dæmonum princeps, auersantur & odio tabescunt præ inuidia, non inimici solum, sed & homines qui officiosi in te videntur, odio magis arroduntur, quam præsentibus fruuntur. Si autem illam sobriam & frugalem, & nullam habentem iram, apposueris: & suauissima & blanda erit omnibus amicis, & deo, & angelis, & hominibus: aderit quoque dei vnigenitus. Nam sicut fugit omnem inflatum, & superbum, & turbulentum: sic humili amicus est, & præsens semper, eumque in omnibus, & per omnia munit & custodit: Christo autem præsentem nihil aliud inquirere opus est. Hæc igitur dilecti cum sciamus, fugiamus luxum, sequamur frugalitatem, vt & præsentia & futura bona nobis eueniant: Gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi, cum quo patri honor, simul spiritui sancto nunc & in secula seculorum, Amen.

CONTRA GVLAM, ET CAETERAS
corporis voluptates, Sermo.

CORPVVS nobis reliquis ritè peractis morte multandum est, verum (quod absit) haudquamquam corporis substantiam ipsam conficiendam dixerim, verum incitamenta, & libidinum impetus maciandos duxerim, qui nos ad praua facinora compellunt. Nam & humanum nihil subire, nec indulgere voluptatibus vitæ loco habendum est: siquidem qui his se dediderit præ tristitia, formidine, periculis, & multiplici animorum affectu, quæ illis immixta in examinis morem circumscribuntur, vitam ducere quietius in reliquum haud poterit, adeo vt si ei hac vita sit excedendum, præ horrore quodam & metu vel ante constitutum obeat mortem. Item si futuram ægritudinem suspicetur, si contumeliam, si paupertatem, seu aliud istiusmodi quippiam ex insperato affuturum præviderit, perit illico, & consumitur. Quo vitæ genere quid esse potest miserius: Contra vero qui spiritu vixerit: nulla erit simili calamitate

obstrictus, sed sine timore, mæsticia, discrimine erit, & quauis rerum mobilitate superior: neque eò victor euadet, quod nil sit auersi perpeffus: sed quod maius vtiq; est, aduersos omnes fortunæ casus contemnere: idq; eo pacto fiet, si spiritus nobis diuinus inhabitauerit, qui non ad breue asseritur, sed perpetuo habitaturus. Nam inhabitare spiritum dicit, non inhabitasse, vt continuam eius mansionem ostendat. Quocirca qui vitam hanc viuere creditur, sempiternæ illi ac perpetuæ intereat necesse est: vnde dictum illud esse constat: Spiritus vita est per iusticiam. Sed hæc vt clarius innotescat, producamus homines duos in medium, quorum alter lasciuia sit & voluptatibus deditus: alter vero prorsus sit his rebus demortuus, videamusque vter horum sit viuens dicendus. Concedatur, abundet alter diuitiis, sit etiam conspicuus, sit insignis, alat parasitos, helluones, adulatorem, vniuersumq; his in rebus diem terat, det ite lasciuia operam, debacchetur, alter vero parce ob victus austeritatem & temperanter viuat, vesperi duntaxat cibum capiat necessarium: maneat, si velis, ad dies binos ternosve impastus: quem horum magis viuere existimabitis? Credo plerisque mollem, prodigum, & bonorum dissipatorem opinaturos: at nos eum dixerimus, qui in his bonis fortunæ modum sibi præfinit. Sed quoniam disceptatio hæc ex re orta est, ad eam interea istorum domos, vel eo maxime tempore, quo tibi opulentus ille viuere videatur, cum in suis inquam deliciis diuersatur: Ingressiq; spectemus quibus sint iudem illi in rebus occupati: ex his enim quæ per eos gerentur, quotus quisque eorum, mortuusne, an viuens sit, apparebit. Inueniemus certe alterum libris incumbentem, vacantem rei diuinæ, abstinentiæ, vel rebus necessariis incumbentem, habentemq; cum deo sermonem: alterum vero madentem mero, & emortuum, apud quæ si ad vesperum vsque moram traxerimus, nihil eum it melius videbimus profecisse: quin imminentem ei mortem magis ac magis auget, & exortam inde incrementum somnolentiam. Hunc vero nostrum (sobrium dico & continentem) vel noctes spectabimus in somnes ducere. Vtrum itaq; horum vitæ plus habere dixerimus, eumne qui sine sensu prostratus iacet & torpidus, & cunctis est ad risum expositus: an actiuosum illum, & deo colloquentem: hunc quidem dixerim: illum nanq; si accedens rena aliquam opportunam rogaueris, nihil magis quam quæpiam vita functum audies respondentem. Cum nostro vero hoc interdum, noctuq; versari cupieris: eum quippe audies & de rebus cælestibus differentem, & angelum potius agentem quam hominē. Vidēsne vti is pro eius vitæ solertia, & integritate inter viuos obtineat primatum: ille vero mortuis ipsis miserabilis iaceat consternatus & torpens, inter agendumq; si quid forte agere videatur, nihil gerendarum rerum ordinem discernat, firmiterq; sit haud absimilis: quin & his longè calamitosior, quibus affectis iniuria condolemus & increpamus, si quos his forte conuiciari conspiciamus: illum vero si quis inuadat, nō modo nihil erimus commiserati, sed iacetem potius & prostratū merito fuisse malo affectum pronuntiabimus. Num erit hæc vita dicenda, quæ mortibus infinitis est grauior? Vides itaq; hominē deliciis incumbentem, non solum viuendo obisse mortem, sed esse mortuis longè inferiorē, perniciosiorēq; dæmone agitato & furis. Quippe misericordia hic iudicatur haud indignus, ille odio: veniam hic, poenas ille pro eius tum viciis, tum morbo meretur. Quod si adeo quispiam exteriore hac facie fluente ex ore pingui, & marcente

cente salua, & urgente baccho grauis cōspurcatur: cogita quam male cum anima illa calamitosa agatur, quæ hoc in corpore tanquam in sepulchro aliquo recondita est, & contumulata. Cuiusmodi in homine temulētia nec secus videri debet, quam si barbarus quispiam deformis & impurus vi summa & potestate impetū faciat in adolescentulam decoram aliquam, venustam & continentem. Quis igitur, qui mentis sit compos, non potius optet mille obire mortes, quam diem vnum hanc vitam degere? Quod si orta iam luce, ex ea se ioculari ebrietate attollens, sobrius fortasse appareat, nebula adhuc quadam ex vinolentiæ procella tibi præ oculis obuersante, nondum satis libera temperantia fruitur: eūdem si vel abstinentem viderimus & modestum, quid iuuat cum nihil ex eo aliud assequatur utilitatis, quam quod se crapulæ insimulantes recognoscat? Cum enim impudentius agit, cum debacchatur, id duntaxat lucrifaciat, quod se irrideri non sentit, vbi vero dies illuxit, amittit omnem quam ex lasciuia ceperat voluptatem: siquidem familiam obmurmurantem & insectantem se iurgio coniugem, obiurgantes amicos, inimicos ludibrio se habentes recognoscit. Quid ergo dici hac vita potest miserius, irrideri ab omnibus interdum, & rursus eadē illa turpiter inceptare? Vis etiam cupidos in medium producam: est enim & hac deterior alia quadam debacchatio, quæ etsi dici hoc nomine potest, cōsequenter & mors est: quin alio quouis mortis genere tanto est acrior, quanto grauior est temulētia: neque adeo etiam vino madere molestum, quam ipsa est pecuniarū affectatio infesta. Ibi enim iactura ad ægritudinē vsq; prouehitur, torporeq; & insensibilitate subsistit, finitq; in ipsius ebrietatis perniciem: hic vero in habēdi scilicet cupiditate detrimētum, & per innumeros hominum discurrunt animos, & varia vbiq; suscitata bella. Age & homines tum auaricia, tum temulētia detentos adinuicē conferamus, videamusq; quibus in rebus aut cōueniant inter se, aut excedant: rursus, inquam, fiat de ebriosis cōparatio: quando quidem nequeūt cum beato illo, cuius supra meminimus, spiritu incalcescente conferri, mensamq; iterato infinitis cædibus referant, in mediū producamus, aperiamusq; quibus in rebus simillimi inter se & pares pro ipsius morbi natura videantur. nam cum huius morbi sint species varia, siquidem partim vino, partim ex cupiditate nimia afficiuntur, morbus tamen vtriusque inest non absimilis: æquē enim absurda quadam auaritate detinentur. Nam vino grauis quo plures hauserit calices, eo magis sitim incendit. Ita & qui pecuniæ fuerit amore captus, quanto plura accumulauerit, tātō maiorem sibi excitat cupiditatis & auariciæ flammam, & grauius se diuexantem sitim subministrat. Ea itaque re vtrique sunt pares, verum in eo rursus temulentum excedit cupidus. quid illud sit queris? ebrius enim rē patitur à natura non alienam. Vinum quippe natura calidum, cū innatam auxerit siccitatem, perpotandi ingerit auaritatem vel inexplēbilē. Vnde, inquit, auaro & cupido tantus hic habēdi amor accreuit? vnde inquit? Cum enim is ad summum euaserit diuitiarum culmen, tum maxime pauper est. Incredibilis sanè hic morbus, perplexus est & ambiguus. Spectemus ergo si liber & hosce, cum temulenti esse delierint, cæperintq; mentis esse compotes: tamen si cupidus ille nunquam sit vinose huius auaritatis expers: quin, vtriusque potius cum ebrijs sint consideremus, videamusque vter horum magis sit irridendus, effigiemusq; eos acrius, & describamus: videbimus certe alterū præ vino delirantem apertis oculis

lis, nec quempiam discernentem, oberrantem frustra, & agitari in obuios quosque offendentem, euometem, lacerum, & informiter nudum, vsque adeo, vt cunctis abunde risum moueat. Age ad hæc & auarū in medium proferamus, cuius res gestæ & actus, non risum modo, sed execrationem, iram, & fulmina merebuntur: verum reliquis omisis, quàm sit irridendus consideremus. Si quidē æquē is atque vinaticus ille, neminem vel amicū discernit, vel hostem, oculosque apertos gerens, captus luminibus est. Vtq; ille præter merum nihil habet acceptum, ita & is præter pecunias nihil aliud spectat: longe vero huic grauior est vomitus, siquidem non cibum potumve remittit: quin verba conuicij, dissensionis & mortis plena, infinita insuper in caput suum fulmina prouocat: cuius anima non secus se habet, quam ebriatis corpus, quod maculosum est, imbecille, ac fluidum: quando ne ipse quidem huiusce temulentiæ vicio careat: quin quod grauius est, curis capitur, ira & vigilijs adusque interitum diuexatur, & sensim absimitur. quippe qui vinolentia opprimitur, nocte transacta potest & sobrius fieri: hic vero & dies & noctes auariciæ ebrietate detinetur, acrioriq; poena afficitur, quam qui vinculis astringuntur, vel qui metalla operantur & cudūt, vel supplicia patiuntur, si qua sunt grauiora. Responde mihi: Num hæc illa est vita, nec mors potius existimanda, quietiam vel quauis morte miserius? mors quippe corpus quieti donat, & quauis irrisione, dedecore & erratis liberum reddit. At habendi cupientissima temulētia hominem planè in res huiusmodi impingit, occluditque aures, excæcat oculos, mentem multa caligine obtenebrat. Nihil enim patitur præter fœnora audire, deque aduictis vsuris, turpi indecentique lucro, detestandis tabernulis seruilibusque & illiberalibus mercaturis iuuat verba facere: omnibus quemadmodum canis oblatrat, omnes odit, omnes respuit, cunctis est sine causa infestus, insurgit in pauperes, opulentis inuidet, nulli se gratum exhibet, nec vxori quidem, non liberis, non amicis: quod si nequeat vndique lucra congerere, vel hos quidem habebit infestiores, quam qui natura sunt hostes. Quid præterea tali vesania aut fieri deterius, vel calamitosius potest: siquidem ipse tibi corpus habenti vnicum, ventrique solum indulgendo, scopulos, præcipitia, terræ hiatus, & quauis barathra subministras: qui vel si aliquod ciuile munus iniuris, impensas veritus prædabundus rapis, mōxque corruptelis, & ambitu plerisque alios comparas magistratus, superiore illo non modo sumptuosiores, sed certiores quidem, cum mammonæ tributum dependis: neque pecuniis duntaxat, vel corporis sudore animæq; ipsius dolore & tormentis, sed sanguine ipso improbo huic facis tyranno satis, vt aliquid tibi magis accrescat: miserum equidem te pro tua hac barbara seruitute dixerim, & calamitosum. Nonne quotidie spectas, qui ad sepulchra tumulandi gratia efferuntur, vt nudi, & rebus omnibus destituti educantur, vtq; nihil eis liceat è domo efferre, quin vel ea quibus mortui obteguntur, vermibus deferant corrodenda? Quocirca hæc velim tecum animo singulis diebus reputes, forsitan hoc pacto auariciæ in te morbus omnis sedabitur, ni forte vel in ipsa funeris pompa liberit maiorem in modum debacchari. Est sanè id graue viciū & horribilis valetudo, eòq; & nos concionibus singulis habemus de hisce rebus apud vos sermonem, sumusque forsitan vestris auribus iniucundi, eaque dicendo exhaurimus, vt assuetæ saltem proficiat magis. Cæterum, neque enim in hoc mihi vestrum

quispiam contradixerit, non solum in ipso futuri iudicij die, sed longe antè, varius iste & multiplex auariciae morbus supplicia quam multa allaturus est: quado nec vincit & compediti, neque longiori & aduersa affecti valetudine, neque hi quidem quibus cum inedia & fame colluctatio est, seu quouis mali genere pressi, talia sustinebunt, qualia pecuniarum tolerant amatores. Quid enim item ferri cuiquam molestius potest, quam omnium in se concitare odia, ipsumque omnes habere inuisos, immitem se praeberè vniuersis & intractabilem, explorari nunquam, siti continua laborare, afflicti fame assidua, ultra quam credi potest, grauiori morore confici quotidiano, angustis continuo & perturbari? Hæc & his longe plura subeunt hi, qui accumulandi trahuntur cupiditate, adeo ut si cunctorum sibi mortaliū fortunam parent, nullam prorsus prae auaritate immodica sentiant voluptatem. Quod si vel nummi vnius iacturam fecerint: putat se super ceteros fuisse grauiora perpressos, & vita ipsa excidisse: cuiusmodi mala quis poterit sermo explicare? At si presentia hæc tantopere illos affligunt, cogita quam acerbiora post mortem tormenta manent, illum dico à regno cœlesti casum doloremque qui sit ex gehenna futurus, perpetuoque carceres, tenebras exteriores, vermes illos venenatos, dentium stridorem, pressuras, angustias, ignis fluentia & caminos inextinguibiles: Quæ omnia colligens, conferensque cum ipsa pecuniarum voluptate, funditus huc auariciae morbum reuellit, ut graui eius inopia liber, & veras tibi diuitias compares, bonisque cum his presentibus & futura assequaris.

*DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI,
de leuium peccatorum periculis, è quibus maiorum peccatorum perniciēs possit
agnosci, Sermo.*

S leuium delictorum magnitudo noscatur, & maiorum facillime perniciēs noscitur, Vnde fit sic, ut perpena diuersitate culparum declinentur leuia, detestentur enormia, atque omnia ab homine omnino damnentur peccata: ne pro peccatis homo ipse damnentur, maxime cum quicquid leue quis duxerit, cōparatione peioris est leue. Ceterum leue non est, quod hominem ex interdictione occidit, & quod ex iussu interficit. Dum enim vitia fiunt, continentur iussa, & imperata audaci contumacia negliguntur: sic & auctoritas dei iubentis offenditur, & poenarum perpetuitas inuenitur. Cur enim iussa contemnis, si seruis: cur operaris vitia, si obsequeris: aut cur imperata negligis, si famularis? Nec enim contemnendo seruis quispiam promeretur: nec dominus obsequendo offenditur, nec parendo aliquis condemnatur. Contumacia creat poenam, seruitus inuenit gloriam. Nunquam enim prospera ex contrariis proueniunt: nunquam denique ex bene gestis mala nascuntur. Quicquid ab homine homotibi fieri cupis: hoc si genitori exhibueris, promereris. Non potes inde iudicem promereri: vnde te ab homine constat offendi. Sed leue forsitan aestimas si sermone deliqueris. At leue non est, quo homo aut iustificatur in bono, aut in malo sermone e contrario condemnatur. De sermonibus tuis condemnaberis. Quare beatus est sermo, si iustificationi proficiat: infelix est, si damnationem incurrat. Denique, martyrij gloria per sermonem conficitur: dum Christianus Christum, quem prædicat, confitetur. Blasphemia & detractiones, perueria, ceteraque similia sermone gignuntur. Negatio

nominis, & abrogatio Christianæ professionis sermone exprimitur: dum nefanda vox in funestam perfidiam aperitur. Ipse iudex, dum iudicat, sententiam sermone exprimit: dum sermone innocentem absoluit, dum reum addicit, ut inde in reos sententia veniat, vnde venit & culpa: inde eis poena oriatur, vnde causa enascitur. Sermo enim fecit obnoxium culpæ, sermo debitorem efficit poenæ. Qualis autem causa sermonis est, cum prolatus in iudicio, ante hominem sermo prior ipse festinat: talis causa molesti sermonis est, quem aut poenitentia culpatur, aut poena condemnat. Mors & vita, inquit, in manibus linguæ. Sermone enim dominus frequenter offenditur, sermone frequentissime promeretur. An tu leuem culpam habere eum existimas: qui detrahit fratri, qui inuidet potiori, qui disponit dolos, meditat in insidias? Aut illū leuiter peccare existimas: qui proximum sermone circumuenit, adulatur reo, opprimit innocentem, qui meliori inuidet, humilem despicit, superbum extollit? Sed forsitan, cogitatus nostros ad deū non putas pertinere? Nullus actus non cogitatione præcurrente conficitur: nullum opus non corde mediante completur, maxime cum sermo minister sit cordis: nec quicquam aut actu conficitur, aut sermone profertur, nisi prius id ipsum cogitando gignatur. Nam etsi non nunquam cogitamus, nec gerimus: disponimus, nec implemus: tamen cogitata pro factis tenentur, licet nondum opere compleantur. Facere enim cordis cogitare est: quia corporis est cogitata perficere. Quid cogitatis, inquit dominus, nequam in cordibus vestris? Et iterum: Qui viderit ad concupiscendum, iam mœchatus est in corde. Cor enim cogitando tenetur in crimine, licet corpus immune videatur ab opere: reus est iam animus, qui cogitauit: licet immune corpus sit ab opere, quod non fecit. Interior notatur, licet immune sit corpus aut substantia, licet exterior sit aliena à culpa. Sed dicis mihi: Quid si cogitauit aliquis, & non fecit: disposuit, sed non impleuit? Primo, malum cogitatum non facere, dupplicem in se continet causam. Aut enim recordatio cogitata immutat, aut faciendi impossibilitas denegat. Alterum poenitentia curat, alterum exercendi difficultas informat. Ut enim recordatione conceptum vulnus curatur: ita facultate negata, mala cogitatio summoetur. Sed ille qui recordatur, beatus est: qui potuit cogitata perficere, sed noluit, quod non licebat implere. Is vero miser est, qui illicitum voluit facere: sed non potuit occasione negata complere. Postremo poterit hic veniam recordatione percipere. Ille reus tenetur in crimine, cui perpetrandi difficultas non attulit curam, sed perseverans cupiditas exaggerauit vindictam. Et quoniam leuium delictorum proposuimus causas, gustus vel visus leue quiddam & inane forsitan videtur. Gustus primo leuis non est, qui Adam protoplastum in origine mundi decepit, & cum eo genus humanum sententia mortis addixit. Nec etiam immunis est visus, qui interdicta videre Loth uxorem de Sodomis proficiscentem non sinit: quæ statim incurrit quod euaserat, dum eam diuina vindicta in falsis materiam transmurtauit: ut ex hoc non appareat qualitatem delicti debere quenquam intendere, sed diuina iussa tota veneratione seruare: nec debere hominem quid iubeatur, expendere, sed magis quis iusserit, cogitare: neque enim leue dicendum est, quod hominem contemnendo occidit, aut contemptorem transgrediendo decepit: cum scriptum sit: Qui modica spernit, paulatim decidit. Sed hoc maxime cogitandum: Si leuia sic occidunt, quemadmodum

admodum grauiam interficiunt? Nec in leuibus se immunem quis deputet: sed ex præcedentibus exemplis, quid mereatur, consideret. Nec euasisse se credat, si fecit ille, quod ille fecit, qui perit: sed magis timeat, quod sibi in futurum, iudicium cœlestis seruauit. Nam si commissa leuia impunitatem habere non possunt, quid de grauius aestimabimus? Cesset igitur, cesset humana temeritas: & omnia omnino delicta omni cautela ac sollicitudine amputet. Ita enim quod interdicitur, transgredi mors est: ut quod iubetur, facere vita est. Si vis, inquit, in vitam venire, serua mandata. Vnde si obseruantia legis, vita paritur: contemptu mors necesse est inueniatur: quoniam si contemptu mors non nascitur, nec vita de obseruantia attribuitur: aut si necesse est vitam de obseruantia attribui, necesse est mortem contemptoribus irrogari. Quare sanctificatus homo sancte iam uiuat, & peccata quæcunque sunt, fugiat: ut qui peccator potuit condemnari per iusticiam, possit in aeterna secula munerari per gratiam.

*DE VANITATE ET BREUITATE
præsentis vitæ, Sermo.*

Quemadmodum, inquit, in diebus Noë erant quæ nuptui traderentur, & qui uxores ducerent: sic & prædictum id antè fuit, & nunc annos iam quadringentos, vel eo amplius prædicit deus: nemo est tamen qui rem hanc animaduertat, quin potius eam quasi commenticiam & ridiculam plerique arbitrantur: neminem timor capit, luget nemo, nemo peccus oppulset, ignis interea fluminis ebullit, inardescit flamma: nos vero deliciis & lusibus operam damus, & peccato sumus impudenter obnoxij, nemo diem illum mente peruoluat, nemo presentia hæc breui lapsura meditat, tametsi rebus ipsis diebus singulis proclamantibus, significatibusque idem illud. Siquidem nos neque acerba & immatura mortes, neque rerum immutationes vel nobis superstitibus effecta, neque valetudines & morbi castigant, quas rerum varietates non solum licet in nostris corporibus, quin & in elementis ipsis conspiciari: quotidie enim & in omni ætate contemplamur interitum, in cunctisque ex rerum euentu instabilitas quædam exprimitur & significatur, non hyemis, non æstas, non ver, non autumnus perpetuo manent, sed decurrunt omnia, euolant & delabuntur. Quid dicam de floribus: quid de magistratibus & principibus ipsis quorum vel præsens in crastinum nulla est vita: quid porrò de opulentibus: quid de insignibus & claris aedificiis: quid de nocte ac die: quid de sole: quid de luna, quæ imminuitur nonnunquam & celatur? Itaque & sol obtegatur per sæpe, & obtenebratur caligine: nihil denique quod visibile fuerit, continuo manet: anima hæc tantum quæ nobis inest, etsi neglecta, aeterna est: at rebus quæ immutari possunt, tanquam perpetuis omni studio & cura incumbimus, illius vero nullam habemus in aeternum mensuram rationem. Dicit aliquis, hominis illius magna est potentia, verum duratura in posterum vsque diem, & paulo post interitura: quod ita esse, ex longe olim potetioribus patet, qui nusquam in presenti apparent. Nec secus se habet hæc vita, quam somnium aliquod, ac scena: quæ sublata, rerum ille omnes varietates dissoluuntur. Itaque cum radiante sole tolluntur in somnia, eodem pacto cum finis tam cuiusque vnius, quam communis omnium venerit, resoluta cuncta euanescent: siquidem diu perstat quod plantaueris lignum, & quam aedificaueris manet domus: faber au-

tem ille murarius, siue agricola abeunt & corrumpuntur. Rebus itaque se hoc modo habentibus, nos minus pudet malefacti, quinimo crapula capti & luxu, quasi ad immortalitatem cuncta molimur. Nunc vero audi Salomonem qui rei ipsius experientiam ceperit, quid de presentibus his fortunæ bonis disserat. Aedificauit mihi domos, plantauit vineas, feci ortos & pomaria, & cœseui ea cuncti generis arboribus, extruxi mihi piscinas aquarum, ut irrigarem ex eis syluam lignorum germinantium: possedi seruos & ancillas, multamque familiam habui, armenta quoque & magnos ouium greges. Hunc sanè nemo vnquam deliciis, gloria, sapientia, dominatu omniumque rerum ad voluntatem successu antequit: nihil tamen ex his omnibus cepit utilitatis, quin ea omnia vanitatum vanitatem appellat, & vana vniuersa, cuius vanitatis non simplicitatem, sed excessum expresseit. Cedamus obsecro ei, qui rerum huiusmodi experientiam confectus est, morem obtemperemus, inquam, illi, & his rebus incumbamus, in quibus nihil est inane: sed vera omnia certa ac stabilia sunt, & cuncta lapide desuper constructa, in quibus, inquam, nihil senescit, nihil præterit, quin virent omnia & florescunt, neque quicquam vetustate confectum ad interitum tendit. Concupiscamus ex animo deum, nulla gehennæ formidine, sed regni ipsius cœlestis cupiditate. Quid enim est quod possit diuino illi spectaculo æquari: profecto nihil. Quid quod bonis illis cœlestibus par esse queat? quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit deus se cœlentibus, ut Paulus inquit. Illa illa omni studio presentibus his neglectis, consequi nitamur. Nonne per sæpe terrena hæc incusamus, & nihil esse hominum hanc vitam ducimus? quid ergo tam enixe in hoc nihilum incumbis? quid rebus inanibus laboriose adeo intendis animus? Spectabis forte magnifica aedificia, & illorum aspectu seduceris: at si cœlum itatim suspexeris, & à lapidibus his & columnis ad illius decorem deflexeris oculos, spectabis hæc esse formicarum opera. Philosophare ergo: contemplando conscende, quæ cœlo insunt: ex his ipse perdisces, & videbis estructuras hæc præclaras nihil esse nisi pueriles ineptias & ludos. Spectasti aërem quam tenuis, quam suspensus & lenis, quam purus sit & splendens, quantoque magis ad superiora conuerseris, videbis qui elemosynas fecerint ibidem habere domicilium: at presentia hæc aedificia non solum in humanorum corporum resurrectione sunt ruitura, quin vel ante ipsam resurrectionem futurum tempus conficiet, destruet ac dissoluet, vel motu terræ discussa subuertentur aut consumentur incendio, quando non modo in hominum æuo, sed in structuris ipsis & molibus immaturi sunt casus, adeo ut domus, quæ fuerint vetustate confectæ ac pene collapsuræ, in ipso terræ discussu consistant immotæ: quæ vero nimio cultu ornata solidæ, ac bene fundata, nuperque constructæ, ædes, vel solo fulminis ictu quassatæ collabuntur. Quod sanè haudquaquam sine dei providentia fieri solet, ne forte ex ipso aedificandi studio efferamur. Quod si uolueris alia quadam via sollicitudine hac & cura liberari, adito publica aedificia, quorum es & ipse fortasse non expers, quibusque nulla est priuata domus, & si magnifica, cultior, maneto & versare in eis, quoad tua sunt, & aliis vnà communia: non tamen priuata & propria. Verum minus delectant, cum vulgata quadam consuetudine, tum cupiditate & auaricia. Ergo & delectatio illa ex habendi libidine, non ex decore aliquo & cultu pro-

cedit. Quocirca auiditas ipsa iuuat maxime, qua volumus nobis omnia vendicare, & nostræ ditionis efficere. Quoadusque tandem erimus his rebus affixi: Siquidē terrenis hisce adeo detinemur, vt non secus simus ac vermes luto obuoluti. Corpus ē terra deus nobis effinxit, vt illud subleuaremus ad cœlum, non vt per id ad terram animam traheremus. Quod corpus etiā luteum est, potest, si libet, cœleste fieri. Vides itaque quanto sit deus nos honore dignatus, quando tani immensi operis nobis concesserit potestatem. Creauit ego, inquit, cœlum & terram, tu suscepta à me creandi licentia, facito ē terra cœlum: potes nanque. Porro illud qui creat omnia & eadem demolitur, de deo dictū esse constat, eandem hanc & hominibus potestatem permisit: vtq; solet pius aliquis genitor, qui pictor sit, non contentus solus effingere quæ libuerit, quin & filium cupit ad eam effigiādi peritiā inducere: ita & deus. Creauit, inquit, ego corpus decorum, concedo tibi meliora faciendi arbitrium, facito & tu animam formosiorē. Dixi ego: Educit terra herbam virentem, & omnem arborem ferentē fructum. Dices & ipse, efferat terra proprium fructum, & emerget quodcūq; volueris operari. Facio ego astatem ac nebulas, offirimo fulmina & spiritū creō, formati draconem ad illudendum ei, id est diabolū: neque tamen hāc tibi inuideo potestatem, illude & illum si libet: poteris enim quemadmodum passerem aliqūē vincire eū. Facio super bonos & improbos oriri solem, imitare ergo & ipse deum, impertire tua tam bonis, quam improbis. Lacesit in iuriā fero animo æquior, cōiuciantibus benefacio, sequere me cum liceat. Beneficia absque vlla vicissitudinis spe cōfero, idem & ipse facito, neq; fueris ad mutuum minus liberalis. Incendi, inquit, in cœlo lumina, accēde & tu his clariore faces, valet enim: lucem præbe errantibus, longe magis erit id factum bene, quam solem intueri, meq; id agens recognosces. Creare hominem non potes, iustum tamen efficere licet & deo placentem. Substantiam ipse creauit, tu illius conscientiam expoli. Vides quo erga te amore afficiat, quando vel in maioribus hisce eam tibi concesserim facultatem: Attendite itaque amantissimi quē simus ad honorem prouecti: tamen pleriq; sint inconsideratius & ingrate loquentes, qui sibi liberum fuisse arbitrium concessum querantur: & eō iniquius, quō neq; in his quæ paulo antē commemorauimus, sequi deū vilo pacto vel imitari possem⁹, nisi esset nobis soluta quedam & libera voluntas concessa. Dominor ego in angelos, inquit deus. In hos & ipse eius dominationis gratia imperium habes. Regio, inquit, throno insideo, eapropter & ipse in hunc cōfessum admitteris. Siquidem confurgere, ait, nos fecit, & deo ad dexteram assidere: quāobrem & tibi Cherubin, Seraphin, dominationes, potestates, throni, principatus, & vis omnis angelica patet. Insuper neque corpus ipsum culpes velim, id fuisse honoris impartitum, quod contremiscunt vel incorporare potestates, verum quod dixi: non enim his solum meum in te amorē patefecit, quin ex his quæ tui sum gratia peressus: conspuit enim, & alapis faciem cœlus gloriam exinaniui, patrem reliqui, & ad te odio me tum habentem, tum refugientem deueni, quinetiam nomen meum audire impatientem sum infectatus, vtq; cōprehenderem cursu contendī, admisi te, & mihi adiunxi. Epulare me dixi, & ebibe, vtq; te supra infraq; haberem, tibi copulatus sum & annexus: neque sat me illud solatur, quod tibi ē cœlo originem dederim, nisi rursus ad terras descendissem. Deinde haud solum sum tibi iun-

ctus, & in amplexum recipior, sed in esum traditus, in frustra comminor, & eapropter vt acrior fiat eiusmodi copula: quæ vero fuerint coniuncta suis perstant limitibus, at ipse tibi contextus, nullo velim nos interuallo distare, quin ē duobus vnū fieri maluerim. Hæc itaque cum ipsi intelligamus, & non ignoremus quā diligētissimam nostri deus curam susceperit: nihil erit per nos intermittendum, vt suis maximis erga nos beneficiis haudquaquam arguamur indigni.

DE DIVI IOANNIS
CHRYSOSTOMI ARCHIEPISCOPI
Constantinopolitani de
pœnitentia homilia prima, Le-
lio Tifernate interprete.



LAETA nobis hodie ac festiua celebritas, solitōq; illustrior cœtus. Quanam ergo causa? Ipse ieiunij hoc clarum tempus, hoc esse noui ieiunij non præsentis, sed expectati. Illud nanque nos huc ad patriam cōgregauit domum: illud etiam eos qui ante hoc pigritauerunt, ad maternas reduxit manus. Si enim solum quod expectatur, tantum studij nobis ingessit: cum apparuerit adueneritque, qualem quantāque præ se venerationem feret? Sic & ciuitas principis tremēdi subitura dominatum, omnem omittit deuidiam, maiorique excitatur studio. Sed haud timere tremendum principem ieiunium audientes: non enim nobis, sed dæmoniorum naturæ tremendum est. Etenim si lunicus fuerit quis, ieiunij ei faciem ostende, atque lapidibus ipsis immobilior manet timore suffocatus, & veluti vinculo quodam detentus: idque potissimum, cum viderit ieiunio adiunctam sociam contubernalemque orationem: propterea & Christus dicit: hoc genus dæmonij nō euicitur, nisi in ieiunio & oratione. Cum itaque nostræ salutis hostes sic persequantur, atque inimicis vitæ nostræ tam sit timendum: nōne & amare & diligere id decuit? Si enim crapulam ebrietatēq; timere oportuit, non ieiunium timeri debet. Illa siquidem nostras post terga ligans manus, viciorūq; tyrannidi, veluti cuidam prauæ domina, seruos nos captiuosq; reddidit: ieiunium vero seruos existentes nos, atq; ligatos inueniēs, vincula remittit, & tyrānide liberat, pristināque in libertatem reducit. Igitur quādo & inimicos nostros expugnat, seruitutēq; nos liberat, atq; ad priorem reducit nos libertatem, quam aliam maiorē eius, quā ad nostram habet genus, amiciciæ rationē exquiris: etenim maximum rationis indicium id esse videtur. Vis discere quantus hominibus ornatus sit ieiunium, quæue stabilitas ac custodia: cōsidera beatum atq; admirabile monachorum genus: hi nanq; qui in eremo sunt, tumultus fugientes, atque ad ipsa montium cacumina currentes, turgurij in eremi silentio veluti in tranquillo quodam portu fugientes, id quasi connegocians, atque totius vitæ particeps susceperunt: eapropter angelos ex hominibus illis fecit: non illos modo, sed & in vrbibus quotquot se tolerantes inuenit, ad ipsum philosophiæ culmen euehit. Nam & Moyses & Helias veteri in testamēto Prophetarum turres, tamen ex aliis illustres magniq;

magniq; habentur, ac multa fiducia gaudent: tamen si quando ad deum volebant accedere & colloqui, quantum homini possibile erat, ad hoc confugiebant, atque per huiusmodi ad deum ducebantur manus. Propterea & deus hominem à principio faciens: illico frænum ei ieiunij manibus imposuit, veluti piæ amabiliq; matri, & magistro optimo cōmittens. Nam ab omni ligno quod est in paradiso comedetis, de ligno vero scientiæ boni & mali non comedetis, species ieiunij est. Si in paradiso ieiunium necessariū fuit, extra paradysum multo magis. Si ante plagam vtilis medicina fuerat, multo magis post plagam. Si necdum bello voluptatum insurgente nobis arma fuerant opportuna, multo magis tantum post voluptatum viciorūq; prælium à dæmonibus nobis illatū. Igitur necessaria nobis à ieiunio sunt auxilia. Si hanc audisset vocem Adam, nequaquam secundam audiisset: Terra es, & in terram reuerteris. Sed quoniā hanc quidem trāsgressus est, propterea mors & ærumna, & curæ, & vita omni morte acerbior: propterea spinæ & tribuli, propterea labores & dolores, vitæq; angustia plena. Vidisti quo modo irascitur de⁹ ieiunio spreto: Disce & quo modo latatur ieiunio honorato. Quæ admodum enim ieiunio spreto, mortem spernenti addidit, honorabile spernenti: sic iterum eodem honorato, de morte reuocat. Nam & volens tibi ostendere rei virtutem, potestatem ipsi dedit, post sententiā, post abductionem, abductos media de via rapere, atq; reducere ad vitam, idq; nō in duobus tribusue, aut viginti hominibus, sed in vniuerso Niniuitarum populo: & vrbem magnam admirabilemque, ac dicentem, ingemui, ad ipsum barathrum iam inclinantem caput, venientē desuper per plagam accepturam, veluti quædam desuper stans potentia ipsis ex carnificis manibus eripuit, atq; ad vitam reduxit. Sed si videtur, & ipsam audiamus historiam: Factum est, inquit, verbum domini ad Ionam prophetā, dicens: Surge & vade in Niniuen ciuitatem grandem. Subito, ad vrbis ipsam magnitudinem, dubitare time- reque vult, futuram præuidēs prophetæ fugam, sed prædicationem audiamus: Adhuc tres dies & Niniue subuertetur. Et cuius rei gratia, quæ facturus es mala prædicis: vt non faciam quæ prædico. Propterea & gehennam minatus est, quod gehennam non inducat. Terreant, inquit, vos verba, ne facta conturbent. Cuius autem rei gratia pactum ad tam tenue tempus compulset: quod & barbarorum discas virtutem, dico autem Niniuitarum tribus diebus tātam peccatorum iram soluere valentium: atque dei clemētiā admireris, trium dierum pœnitentia contenti tot pro peccatis: tuq; desperatione non corruas, etsi peccaueris, muteris. Quemadmodum enim anima pigritans atque negligens, quamquam multum ad pœnitentiā temporis accipiat, nihil operatur magnum, neq; sibi ipsi deum per desidiam conciliat: Sic qui proposito excitato feruet, atq; multa cum solertia pœnitentiam ostendit, breui temporis momento longæui temporis peccata delere poterit. Nōne tertio Petrus negauit? nōne vilis cuiusdam ancillæ verba timens: Quid ergo oportuit ne illum ad pœnitentiam multos annos terere? Nequaquam, sed eadem nocte lapsus est & erectus, vulnusq; & medicinam accepit: agrotauit atque ad priorem rediit sanitatem. Qualiter & quo modo? flens & lugens. Magis autem non modo flens, sed multa cum solertia, multoq; cum proposito: propterea euangelista nō dixit, quoniam solum fleuit: sed, fleuit amare. Et qualis, inquit, quantaque fuerit lachrymarum vis, sermo non poterit explicare: ipse

autem rerum exitus manifeste ostendit. Etenim crudelem post illum casum (nam nullum negationi par malum) sed tamen post malum, iterum eum ad priorē honorem reuehit, & ecclesiæ primatum gubernationēque sibi per vniuersum mundum tradidit: quodque omnium est sublimius, ostendit eum nobis ad dominū maiorem apostolorum omnium charitatē habuisse. Petre, inquit, diligis me plus his? Huic autem ad virtutis rationem nihil sanē par fuerit. Quō vero minime dicas, merito deū Niniuitis ignouisse: Seruus, inquit, nesciens voluntatem domini, & non faciens, vapulabit paucis: Vt ergo hoc nō dicas, Petrum tibi in mediū propterea duxi, seruum voluntatem domini maxime scientem. Sed tamen hic idem peccans maximo peccato, respice quantum ad fidei constantiāq; culmen rediit. Igitur & ipse peccatis concidens, nequaquam orbatus persteteris. Quid enim in peccato magis impium est: in peccato scilicet stare. Et quid peius in casu est: iacere in eo: hoc & Paulus deslet, & ingemiscit, hoc fletu dignum esse dicit. Ne fortē, inquit, cum venero, humiliet me deus apud vos, & luceam multos ex his qui non solum peccauerunt, sed ex his qui pœnitentiam non egerunt super fornicatione & immundicia quam fecerūt. Ad pœnitentiam vero quale congruentius tempus posset accedere ieiunij tempore? Sed ad historiam reuertamur. Audiens autem propheta verba hæc, descendit in Ioppem, vt fugeret in Tharsis à facie domini. Quoniam fugis homo? nunquid & alium audiisti prophetam dicentem: Quō vadam à spiritu tuo, & quō à facie tua fugiam? In terrā? Sed domini est terra, & plenitudo eius. Si ad infernum, ades: si in cœlum, tu illic es: si in mare, & illic, inquit, tenebit me dextera tua: quod & super hunc euenit. Sed tale est peccatum, quod ad ignorantiam multam nostram redigit animam. Et quemadmodum qui grauitate capitis ebrietatēque tenentur, stulte simpliciterq; feruntur, quāuis præcipitium, quāuis barathrum, & aliud quid simile subsit, infra concidunt incaute: sic qui corruunt in peccatum, veluti praua ebrietate, actionis desiderio detenti, nesciunt quid faciunt, scilicet non præsentia, non futura præuidentes. Dominum, dic mihi, fugis: parumper igitur mane, atq; ipsum per rerum discas euentū, quoniam neque serui maris poteris manus effugere. Neque enim nauim iam conscenderat, atq; illud fluctus excitauerat, in altitudinemque eleuauerat magnam: & veluti fidelis seruus & prudens cōseruum inueniens fugientem, quati quid ex domini bonis furruperit, nusquam ab eo recedit, milleq; impedimenta ingerit recipientibus illum, quoad ipsum vèdicans reducit: sic & mare cōseruū inueniens & cognoscens, mille impedimenta excitat, turbans, clamans, nō in iudicium trahens, sed cōminans nauem ipsis demergere cum nautis, nisi cōseruum suum sibi prodiderit. Quid ergo nauta his contingentibus? lactum, inquit, vasorum fecerūt: nauis vero nequaquam alleuiabatur. Nihil tam onerosum & graue atq; ineptum quā peccatum & inobedientia. Propterea & Zacharias id plūbi figurauit similitudine. Dauid vero describit eius naturam, dicens: Iniquitates supergressæ sunt caput meū, & sicut onus graue grauata sunt supra me. Christus autem ad eos qui in peccato vixerant, iterum dicit: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, ego reficiam vos. Iplum autem peccatum & scaphā tunc grauabat, & pessundari cogebat. Ionas vero dormiebat & sternebat, sed nō voluptatis erat somnus, magis autem tristitiæ & afflictionis: nā qui ex seruis & domesticis prudentes

Ion. 1.

Ion. 3.

Matth. 26.

Ioan. 21.

Luc. 12.

1. Cor. 12.

Ion. 1.

Psal. 138.

Zach. 5.

Matth. 23.

dentis sunt, citò peccata sentiunt, quod & ille patiebatur. Post enim commissum peccatu, peccati noui prauitate, nam eiusmodi est: Cum enim factum fuerit, atq; ad ipsum actum culmen, tunc dolores parturienti animæ excitat, aduersus legem nostræ generationis. Nos enim cum primum nati sumus, parturienti dolores soluiimus: illud autem simul editum distrahit doloribus parturientibus ipsum cogitationes. Quid ergo gubernator? accessit, & inquit: Inuoca deum tuum. Nouerat ergo ipsa experientia insuetam illam esse hyemem, atque à deo illatam plagam, maiores humana industria fluctus, ubi gubernatoris manus nusquam profuerant. Alterius enim maioris gubernatoris rei illius casus, hunc vniuersum scilicet gubernantis mundum, ope atque su perno indigebat auxilio: propterea & illi remos & vela & funes atque diuersa dimittentes, orationi instantes manus tendebant, deumque orabant. Vbi vero neque sic profecerunt, miserunt, inquit, sortes, & prodidit de cetero fors noxiu: Hi vero neque sic arripientes eum demerferunt, sed tanto tumultu, tanta tempestate incumbente, veluti multa inquiete, multo silentio, sic iudicium in nauis statuentes, & interrogari & respondere eum dignum fecerunt, atque cuncta subtili cum indagine exquirebant, veluti cuidam pœnas iudicialiter inflictori. Audi igitur eos quemadmodum in iudicio examine cuncta exactissimo inquirunt. Quod opus est tuum? unde venis? quò vadis? qua de regione? quo de populo es tu? Et quidem accusabat mare, acclamans contra: increpabat autem fors & condemnabat. Sed tamen neque mari contra exclamante, neque sorte ex aduerso testimonium reddente sententiam vsque dabant, sed veluti in iudicio & accusatoribus instantibus, & testibus presentibus, iudiciis atque argumentis veridicis non prius damnâtes, ipsi sententiâ ferunt, quoad damnandus ipse propriâ fieret accusator culpæ. Sed & hi nauem homines Barbari & insensati, eum qui in iudiciis optimus est, ordinem imitantur, & id quidem tantò timore, tot fluctibus, tanta ipsis circumstante procella, & mari neque vel respirare permittente: tatus eius tumultus furensque turbatio, insaniente atque exclamante, continuasque vndas implicante. Vnde igitur tanta fuit prouidentia: à dei dispensatione. Etenim hoc fieri deus permittebat, prophetam vel ex his admonens, ex his mansuetum fore & mitem, quasi ad eum clamans, & dicens: Imitare nautas, homines insensatos: siquidem hi neque vnam spernunt animam, neque vni tuo non parcunt corpori: tu vero vniuersam urbem tot milia habentem, quantum in te fuerit, exposuisti. Et hi quidem eius qui suorum causa malorum effectus est, neque impetu ad damnationem irruunt: tu vero nihil habens Niniuitas accusare, demerfisti eos ac perdidisti. Et tu quidem me precipiente eos ad salutem tua prædicatione reuocare, minus paruisti: hi autem vnum audientes vniuersa faciunt, & moliuntur, quo noxiu effectum à multa reuocet. Etenim ipsam post maris accusationem, post ostensionem fortis, cum incusaret sese, fugamque fateretur, neque sic irruerunt ad prophetæ necem, sed nitebantur de industria, & vim atque omnia faciebant, quo eum neque post eius manifestissimam culpam violentiæ maris exponerent. Sed non mittebat mare, magis autem deus, sicuti per nautas eum & per cœtum corripere, ad sapientiamque reducere volens. Nam postquam auditum est: Tollite me, & mittite me in mare, & cessabit mare à vobis, viribus conabantur in aridam euadere, sed nequaquam mittebant fluctus. Tu autem quemadmodum

fugientem vidisti prophetam, audi eum & cōfitementem ex inferioribus de ceti ventre. Illud quidem veluti homo passus est: hoc vero quasi propheta ostendit. Accipiens igitur eum mare, veluti in quodam iudicio ceti ventre deposuit, saluum domino fugitiuum seruas: neque acres vndæ suscipientes suffocauerunt, neque cetus vndis ipsis acrior oppressit. Saluauit autem, ad urbemque reduxit, atque & mare & cetus contra naturam obtemperarunt, quo per omnia propheta instrueretur. Veniens igitur in ciuitatē, sententiā legit, veluti regalem epistolam pœnas tormentaque habentem, & clamabat dicens: Adhuc tres dies & Niniue subuertetur. Audierunt illi hæc, neque non crediderunt, neque neglexerunt, sed illicò cursus omnium vnus ad ieiunium virorum mulierumque, iuuenum, senum, seruatorum, principum, subditorum, puerorum, antiquorum, neque irrationabilium natura expers ab eo erat obsequio. Vbiq; sacculus, vbiq; cinis, vbiq; fletus & eiulatus: nam ipse diademate caput ornatus à regali descendens throno, sacculus sibi substrauit, atque sic urbem periculis eripuit. Et erat rem quidem nouam videre, purpurâ sacco cedentem præstantiori effectu. Quod enim purpura nequiuit, id sacculus potuit: quod consummare diadema non valuit, hoc cinis perfecit. Vides quo modo haud in vacuum dixi, non ieiunium, sed ebrietatem crapulamque: tibi oportuit. Nam ebrietas & crapula urbem stantem quati ad casumque: nutare compulit: ieiunium stantem ipsam casuramque saluauit. Post hæc & Daniel leonum ingrediens lacum, quasi cum ouibus, mitis cum immitibus cōueniens, sic exiuit. Nam estuantes ira, crudele mortiferumque respicientes, apposita non tangebant membra: & hæc ipsa excitante atque impellente natura. Nihil enim agrestius illis bestiis, & fame (nam & septem diebus non acceperunt cibum) veluti carnifice quodam intrinsecus urgente, utque ipsa prophetæ femora discerpserant, clamante, cibum venerati sunt. Tres pueri dum apud Babyloniam caminum ingressi, atque in igne multo colloquentes tempore, igne ipso fulgidiora corpora habentes egressi sunt: profecto si quis erat ignis ille, quo modo quæ ignis sunt partes non implebat? si corpora erant illa, quo modo his quæ corporibus contingere consueuerunt, non contingebant? Quo modo, ieiunium interroga, & respondebit, tibiq; ænigma soluet. Etenim corporum natura cum natura ignis certabat, corporaque ipsa victoria secuta est. Vidisti pugnam admiratione dignam: vidisti nouam inauditamque victoriam: igitur ieiunium mirare, pronisque manibus suscipe, quoniam quidem & in camino fert opem, atque in leonum custodit lacu, demonesque fugat, & dei reuocat sententiā, viciorumque furorē suppressit, & ad ipsam reducit libertatem, plurimamque in nostris cogitationibus quietē insinuat. Quo modo non supremæ fuerit iniquitatis, tot tantaque in manibus habentē bona & fugere & timere: Conterit, inquis, nostrique corporis insuper auget infirmitatem. Sed quanto exterior homo corrumpitur, tanto interior homo renouatur de die in diem. Magis autem si rem diligentius volueris intueri, & sanitatis bonæque habitudinis patrem inuenies. Atque si meis ipse sermonibus derogas fidem, de his filios medicorum percunctare, ipsique eadem tibi manifestius explicabunt: qui abstinentiam matrem sanitatis appellat. Pedum vero dolores, & grauedinem capitis, vomitum, apostema, & hydrophim, & phlegmata, milleque morborum aliorum torrentes, à delicatis cibis crapulaque: prouenire dicunt, quasi à pessimo quodam fonte prauos riuiolos, bonam corporis

Daniel. 4.

1. Cor. 4.

corporis habitudinem, & animæ sanum intellectum A non tam lædentes quam depopulantes. Ne igitur ieiunium timeamus, tot à nobis excludens mala: neque ego vos sine ratione potissima continue ad id moneo. Sed quoniam quidem plurimos video homines pigritantes & immorantes non secus quam si agresti horridoque cuidam dandi in manus forent, ebrietate hodie crapulaque corruptentes, propterea moneo ne quis futuram à ieiunio vtilitatem perimat, gula ingluuieque præueniens. Nam qui male se cibis ingurgitant, cum asperas sunt medicinas accepturi, si nimia sese esca sepeliunt, atque sic medicinam accipiunt, asperitatem quidem illam pertulerunt, vtilitate vero exciderunt, agram facientes medicinæ dimicationem ad corrupti humoris maliciam. Quamobrè medici eos incenatos dormire mandant, quo virtus totius medicinæ quamprimum atque illico morboſis occurrat humoribus: Sic & ieiunio cōtingit, si te ipsum hodie multa obrueris ebrietate, crastina vero eam acceperis quæ ab illo est medicinam: hanc tibi profecto vanam inutilemque effeceris, & laborem quidem pertuleris: quod vero ab illa fuerat lucrum, nequaquam assequeris, rursusque in recetem ebrietatis maliciam, eius omnem consummentem virtutem. Si vero leue præparabis sibi corpus, sobrièque & vigilanti cogitatu susceperis ex electis vteribus medicinam, multa poteris expurgare. Igitur per ebrietatem discamus, ne forte tale fiat, quale si quis infirmanti corpori & conualidato, lasciuie minusque temperate innitens, iterum velocius atque cum maiori ruina cadat. Quod & in nostra fit anima, cum vtraque ieiunij ex parte, principio videlicet ac sine ebrietatis nube obfuscamus mundationem in nobis ab abstinentia factam. Veluti enim qui cum feris dimicaturi, armis multis munientibus, munimentisque mortalia quæque membrorum loca circundant, atque ita bellum suscipiunt: sic & nunc homines milites quasi cum fera quadam pugnatu, ventris se muniunt crapula, disrumpentesque sese & obtenebrantes, multa cum impudentia suscipiunt mitem ac quietum ieiunij oculum. Atque si quempiam interrogauero, cuius rei gratia ad thermas hodie properas? quo corpus abluam, ieiuniumque suscipiam. Si vero interrogauero, quare inebriaris: iterum dices: Quoniam quidem ad ieiunium sum ingressus. Quo modo igitur non erroneu corpore quidem puro, impura vero ebriaque anima, optimum hoc rerum ieiunium suscipere? Restant quidem plura, sed hæc sobriis ad correctionem sufficiant. Quare necesse orationem suppressere: nam cupio patris audire vocem: quoniam ipsi quidem pastorales pueri subtili calamo sibilamus, veluti sub quercu, aut fago quadam ad vmbra satorum horum sedentes. Hic autem veluti musicus optimus auream citharam modulatus, sonorum consonantia vniuersum excitat theatrum. Et huius non ictuum soni, sed consonantia verborum, consonantia operum plurimam nobis affert vtilitatem. Eiusmodi & Christus doctorum querit: Qui enim fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Contingat autem & nos eius, omniumque præsulum orationibus regno cœloru dignos fieri, gratia & amabili pietate domini nostri Iesu Christi: cum quo honor patri, gloria & fortitudo, cum bono & sancto spiritu, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Math. 5.

Homilia quæ antea hoc loco secunda numerabatur, nunc habetur inter Homilias in Genesim prima.

HOMILIA TERTIA

AMETS I hesternâ die vobis defuerim, non mea sponte, sed actus necessitate defui: defui corpore, non voluntate: defui carnis absentia, non mentis affectu. Nam & cōplectebam omnes vos & ferebâ. Iterum fratres temporalem hunc trāseuntē morbū, solertius studiuimus facies vestras videre. Iam enim mecū habens infirmitatis reliquias, ad vestram charitatem cucurri. Consueuerunt quidem ex ægris nonnulli lauacra & balnea inuestigare: ego autem facies vestras desideratas dignū videre duxi, debitamque auditorum voluptatem implere. Pelagus hoc magnum & saluginem non habens, mare hoc fluctibus vacuum, veni tellurem vestram inspicere. Quod enim pratum tale, quale ecclesia? Quis paradisu talis, veluti hic vester cœtus? Non est hic serpens insidiās, sed Christus docens: non Eua ad supplantandum, sed ecclesia ad dirigendum. Non hic sunt ortorum frondes, sed spiritus: non hic spinarum sepes, sed vitis fœcūda. Si autem spinam inuenero, in oleam transfero. Non enim naturæ defectus, sed propositi hic libertas honoratur. Si lupum inuenero, ouem faciam, haud naturam conuertēs, sed propositum mutans. Quare iam non peccauerit, qui arcam ecclesiam maiorem esse concesserit. Arca quidem animalia suscepit, & animalia conseruauit: ecclesia vero animalia suscipiens, eadem transformauit: vterque accipiter illuc introiuit, & accipiter exiuit. Introiuit hic quis accipiter, columba exit: introiuit lupus, & ouis egreditur: Agnus introiuit, & exit agnus, non transmutata natura, sed malicia exclusa. Ideo ad poenitentiam assiduo sermone admoneo, sed acerba & horrida est peccatori: est enim delictorum medicina, iniquitatum consumptio, lachrymarum impensa, fiducia ad deum, aduersus diabolū arma, gladius vim eius præcedens, caput eius amputans, salutis spes, desperationis oculus. Ipsa cœlum aperit, ea in paradisu ducit, ipsa diabolū superat. Ea igitur de re sæpenumero sermone moneo, vt poenitentiam agas: peccator es, ne à spe recedas. Non cesso iisdem cōtinue medicamentis delinens. Non ui enim quæ arma sint contra diabolū, à spe nunquā decidisse. Peccata si habueris, ne desperes, non desiste eadem sæpe repetens. Tametsi quotidie peccas, quotidie poenitentiam age. Et quod in domibus facimus, quum fragiles & ad casum nutant, fragilia educimus, tigna que noua submittimus, cōtinuèque: reparationis munus obliteramus: id ipsum & in nobis faciamus. Si hodie à peccato feneris, te ipsum per poenitentiam instaure. Est ne, inquit, poenitentem saluari: sed dices, est, & valde. In peccatis omnem contriui vitam, atque poenitentiam si ego ro, putas saluabor? valde. Vnde mihi constabit? Domini excellentia pietateque, non iam tua confidentia. Neque enim tua poterit poenitentia sola sordes tot diluere. Si sola super fuerit poenitentia, merito timebis: sed quoniam poenitentia dei clementia deique pietas iuncta est, fide. Nam dei clementia pietasque mensurā non suscipit, neque ipsius bonitas verbo interpretari potest. Tua quidem malicia mensuram habet, dei vero clementia & pietas mensuram non habet. Tua malicia qualiscunq; fuerit, humana malicia est, dei clementia & pietas est incircūscripta: ipsa igitur tuam maliciam superat. Cogita scintilla si in mare ceciderit, non poterit stare, aut apparere: Quantum scintilla ad mare se habet, tantum hominis malicia ad dei clementiam pietatemque, imò vero non tantum modo, sed & longe supra. Nam & pelagus, tametsi magnum sit, mensurā recipit: dei vero clementia & pietas mensuram non habet. Hæc dicā: non quo vos deidioleres faciam,

res faciam, sed promptiores reddam. Admonui sapienter theatrum non ascendere. Audisti, atque haud obtulerasti: theatrum ascendisti, meoque verbo aduersatus es: non te pudeat ecclesiam ingredi secundo, & audire. Dicis, audiui, neque custodiui, quo modo iterum possum ingredi & audire? Denique ipse nouisti, quod minus custodiisti: denique confundere, erubescis. Denique corripiente nemine ipse frænum accipis, denique sermonem mente ipse tua habes radicatum. Denique me non comparante, ipsa te mea purgat oratio. Non obseruasti, te metipsum accusa: vel semis obseruasse est, si minus obseruaueris, non obseruasti dixisse. Nam qui semetipsum accusat, quasi non obseruasse, ad obseruandum festinat: prospexit alius, iniquitatem consummasti. Captius meretrici effectus es, & in theatrum ascendisti: iterum recordatus es, iterum pudore confunderis. Accede: contristatus es, deum ora. Sed hic atque eousque ueniens consististi, vae mihi, audiui, minus obseruasti. Quo modo audeam ecclesiam introire: quo modo audeam iterum? Magis autem ingredi, quoniam quidem non obseruasti, quo iterum audiens obserues. Medela si apposerit medicus, neque priori te die purgauerit: num eam rursus die altera non apponet? Est quisquam quercini roboris cætor, is quercum si velit cedere, securim accipit, incidit radicem: si plaga una percusserit, neque ceciderit in fructuosa arbor, nonne secundam dederit, non quartam, non quintam, non decimam? sic & tu fac. Quercus est fornicatio, glandes ferens irrationabilium animalium escam, multo tempore tua in mente radicata. In arborum circuitu tuam deiecit conscientiam. Meus sermo securis est, vno audisti die: quo modo vno die cadat, quæ tanto tempore radices immisit? Si enim bis, si ter, si centies, si decem millies, non iam mirum. Modo incide vitem malam, & fortem consuetudinem malamque: illam deice, & gratiam impetrasti. Manna comedebant Iudæi, & cepas de Aegypto quærebant, consuetudine dicitur: tam adeo turpis est res consuetudo pessima, quod non statim potest abici, nec tempore breui. Si enim decem consummaueris diebus, si in viginti, si in triginta: non tamen non gratias ago, non te fouebo, modo non deficias, sed pudore confundaris, & despice. Iterum de charitate distulisti, subisti & rapuisti, neque ipsa per opera ostendisti sermonem, haud confundaris ecclesiam ingredi secundo: pudeat te peccantem, non pudeat poenitentem. Attende quid tibi diabolus fecerit. Duo hæc sunt, peccatum & poenitentia: peccatum vulnus, poenitentia medicina. Quemadmodum enim in corpore vulnera & medicina, sic in anima peccatum & poenitentia: sed peccatum pudorem habet, poenitentia vero fiduciam posidet. Attende diligenter obsecro, ne ordinem turbes, & vtilitatem perdas. Est vulnus & medicina, peccatum & poenitentia: in vulnere sanies, in medicina purgatio sanies: in peccato sanies, in peccato improprium, in peccato derisio, in poenitentia purgatio peccatorum. Aduerte peccatum ipsum confusio & pudor sequitur, poenitentiam vero fiducia. Intellexisti quæ dico: ordinem fatanas peruertit, & confidentiam dedit peccato de vita longa, confusionemque poenitentia. Non desistam vsque ad vesperam quoad te soluero: oportet enim me promissionem complere, impossibile est me desistere. Est vulnus & medicina: vulnus saniem habet, medicina sanies purgationem. Nunquid in vulnere sanitas? Num hæc proprium habet ordinem, & illa proprium? Nunquid hoc in id transire potest, & illud in hoc veniamus ad ipsam post hanc delinquentem animam. Peccatum confusio-

nem habet, peccatum improprium, peccatum honoris obfuscationem habet hereditariam. Poenitentia fiduciam habet, poenitentia ieiunium habet, poenitentia iusticiam possidet. Dic tuas prius iniquitates, vt iustificeris: & Iustus prior in sermone accusator sui. Sciens igitur fatanas peccatum quidem confusionem habere, potentem ad se poenitentem retrahere, mutauit ordinem, deditque confusionem quidem poenitentia, confidentiam vero peccato. Vnde hæc, ipse dico. Carpitur quis prauis delictis de publica meretrice, sequitur scortum, captius ingreditur locum, nequaquam erubescens, impudens meretricem complectitur, peccatum exequitur, nusquam ipsi pudor, nusquam correctio: egreditur inde cum peccatum consummauerit, atque vt poeniteat pudore tenetur. Miser & infelix, cum meretricem complectebaris, non te puduit: cum ad poenitentiam venisti, pudore tunc confunderis: Quorsum nam id? Cum fornicaris, non pudebat, rem cum facis, non erubescis: erubescis cum poenitere & confiteri debes peccata verbo. Diaboli hæc astutia est, quod te in peccato erubescere vetat, & peccatum edicere impedit pudore. Nouit enim si homo erubuerit peccatum, fugiet illud: inuerecundus autem vel difficile poenitere potest: & ita duo facit mala, & in peccatum trahit, & a poenitentia arceat. Quid erubescis ergo? Cum fornicari te contigit, haud erubescas: cum te peccato liberes, erubescis: tunc erubescere debuisti, tunc oportuit pudore confundi, cum peccabas. Cum factus es peccator, tunc pudere oportuerat: quum iustus efficeris, pudet. Dic prius iniquitates tuas, vt iustificeris. O domini clementiam & pietatem, non dixit vt poenitearis, sed vt iustificeris. Non deo satis est eum non punire qui peccat, sed eum tum insuper & iustum efficit, & valde. Sed aduerte, iustum eum facio: & vbi id effecit? in latrone. vt solum dixit ille confocio, Neque tu times deum, & nos quidem iuste digna factis recipimus, dicit ei Christus, Hodie mecum eris in paradiso. Non dixit, libera te a tormentis & poena, sed in paradysum iustum introducit. Vides quo modo ex confessione iustus efficitur? valde est clemens & pius deus. Proprio filio non percutit, vt seruis parceret. Dedit enim vnigenitum, vt seruos emat ignauos. Sanguinem vnigeniti precium posuit. O domini clementia & pietas. Neque mihi dixeris, permultum peccavi, quo modo saluari possum? tu nequis, sed dominus tuus potest: atque ita potest, vt tua deleat peccata. Accurate ad sermonem aduerte. Sic enim delet peccata deus, vt neque eorum vestigium maneat. In corporibus quidem id non est ita: sed quanquam milles conetur medicus, tamen vulnere medicinas addat, vulnus quidem euanescit. Sapereque in facie vulneratus quisque vulnus quidem curauit, cicatrix vero remanet vulneris argumentum, faciei deformitatem habens: atque si abolere contendat, mille medicus modis nequit: repugnat enim sibi naturæ infirmitas, artis & medicinarum imbecillitas: deus autem cum deleuerit peccata, sic delet, vt neque cicatrix, neque cicatricis supersit indicium, non vestigium quodquam, sed & cum sanitate deo elargitur: post poenitentiam liberationem, & iusticiam inserit, atque peccantem coæqualem facit non peccati. Extinguit enim peccatum, atque id non esse facit, neque fuisse. Sic enim omnino id tollit, vt non cicatrix, non vestigium, non argumentum aliquod apparuerit. Atque vnde id nobis elucet quod dico? qui ostendere debeo quo modo verum videatur? Ab ipsis itaque ostendatur scripturis, fiduciaque firma permaneat. Inducam igitur vobis homines vulneratos, populum omnem vlcibus plenum & sanies & veribus,

vermibus, vulnus vndique, & existetem totum vlcus, atque ita sanare volo, vt ne quid cicatrix, non vestigium, non signum maneat: neque vnum habentes vulnus, non duo, non tria, non quatuor, sed a pedibus vsque ad caput vlcus existentes. Attende hic diligenter, communis hic nobis sermo, & salutaris. Medicinam spargam his quas seculares adhibent medici meliorem, quales neque ipsi reges spargere possent. Rex quidem potest carcere quinquam emittere, gehenna vero liberare non potest: pecuniam dare, animam autem saluare nequit: sed ex poenitentia vos manuducam, quo dei discatis fortitudinem, quo sciatis super eam peccatum non posse: neque iniquitas potens est eius superare virtutem. Tandem inducam non vnum, non duo, non tria, sed milia multa vlcibus confecta innumeris, plena peccatis, & tamen poenitentia valentia saluari, vt neque vel vestigium cicatricum priorum vulnere superesset. Sed verbo diligenter attendite, sed & memoria dicta mandate, quo & derelictis quandoque auxilio sitis, atque dictorum vtilitate promptiores reddatis. Igitur & Esaias procedit, qui seraphim intuetur, qui mysticum illud haurit melos, qui de Christo infinita predicat. Percontemur quid ait. Visio quam vidit Esaias super Hierusalem & Iudæam. Dic visionem quam vidisti. Audite cæli, & auribus percipe terram, quoniam dominus locutus est. Alia præmissisti, & alia dicis. Quæ alia præmissi? Incipiens dicis, Visio super Iudæam & Hierusalem: cælum alloqueris, atque in terram sermonem declinas, dimittes rationales homines, irrationalibus cum elementis disputas. Ita, inquit, quoniam irrationali irrationabiliores facti sunt rationales: non ea modo ratione, sed quod Moses vult rationes eos promissionem terram inducere, prouidentem fore tradita despici ab his debere. Audite, inquit, cæli, & loquar, & audiat terra verba oris mei, & cõtestabor vobis cælum & terram, si ingressi promissionem terram, dominum deum tuum reliqueritis, in omnes dispergendi estis gentes. Venit Esaias, atque comminatio ipsa in opus efferri debuerat, non poterat vocare Mosem iam defunctum, atque eos qui tunc audierant, mortuique fuerant: elementa igitur quibus Moses cõtestatus est, vocat. Ecce eieci estis a promissione: o Iudæi: ecce deseruistis deum, quo modo te vocabo Moses: interisti enim, mortuusque es, quo modo & Aaron vocabo: & ille morti est deditus: non habes vnde de hominibus voces, voca, inquit, elementa. Idcirco & ipse viuens, non Aaron solum cõtestatus sum, atque illum & illum, sed quoniam illi morituri fuerant, & permanentia elementa vobis cõtestor, cælum scilicet & terram. Dicit ergo Esaias, Audite cæli, & auribus percipe terra, vos enim Moses cepit hodie cõpellare: non solum hac ratione elementa cõpello, sed quod Iudæis dictum est, audi cælum: tu enim manna produxisti, tu supra naturam ostendisti, superius es, atque aërem imitatus es. Auribus percipe terra, inferius quidem es, atque diffusam latamque mensam præparasti. Compressa est natura, gratiaque operata est. Neque bouum opera, spicarumque apparatus, non manibus coquorum atque præceptis, sed manna erat omne quod factum erat, sanctificatus fons, mensa diffusa, natura oblita propria infirmitatis fuit. Quo modo eorum vestimenta non sunt attrita, neque calcamenta vetustate consumpta, cuncta ad eorum fiebant ministerium. Audi cælum, & auribus percipe terra. Post prodigia memoranda, illaque beneficia læcessitus est dominus iniuria. Quem offendam, audientem virum non habeo, veni, & non erat homo: locutus sum, & non erat audiens. Irrationales alloquor, quoniam quidam rati-

onales in vilitatem irrationalium acti sunt: propterea & alius propheta regem vidit furentem, idolum veneratum, deum despectum, aliosque vniuersos trepidos, & dicit: Audi altare, audi. Lapidem alloqueris: Sic quoniam quidem lapide ipso insensibilior. Audi altare, audi, hæc dicit dominus: atque illico altare scissum est, lapisque audiuit, fractus est lapis, & effudit libamen, quo modo non audiuit homo: Extendit manum suam, vt prophetam raperet: & quid facit deus? eius inanum arefacit. Respice quid facit, domini respice clementiam, & serui peccati: Quare a principio eius non arefecit manum? quo lapidis exemplo sanior fieret. Si enim scissus non esset lapis, cõuersus ipse non esset. In te cõcitor ira, extendit manum vt raperet prophetam, & exaruit manus. Stetit trophæum, tot aderant satellites, tot duces aderant, auxiliumque grande, atque suam restituere non poterant manum. Sed manus stabat vocem emittens, atque præ se ferens acceptum impediens conflictum, pietatisque trophæum, dei clementiam & illius insaniam, restituere non poterat. Sed ne sermonem ex sermone texeres, & proposito excidamus, iamque quæ promissimus, ostendamus, scilicet mille si fueris ictus & cæsus vulneribus, atque quod bonum est, feceris: sic ea delet deus, vt neque cicatricem vel vestigium videas, vt nec signum priorum peccatorum appareat. hæc pollicitus sum, hæc demonstrare tentabo. dicit scriptura, Audite cæli, & auribus percipe terra, quoniam dominus locutus est. Dic mihi, quid nam locutus est dominus: Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me: cognouit bos possessorem suum (o rationales irrationabiliores iumentis) & asinus præsepe domini sui (o asinis ipsis insipientiores) Israël autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. Vae genti peccatrici. Quare, inquit, non iam salutis spes datur? vel si datur, vae quare dicis, dic mihi? Quod haud salutem, haud sanitatem inuenio. Medelas apposui, neque celsit vlcus, & ideo auersus sum. Quid igitur facere habeo: cur rare nequeo. Vae, plorantem imitatur mulierem, & benefacit: obsecro attendite diligenter: vae quare dicit? quoniam & id ipsum fit in corporibus, cum viderit medicus agrotantem haud spem salutis habentem, illachrymat, domesticique & proximiores vlulant, ingemiscunt, sed illic incassum & vanè. Cum enim moribundus æger fuerit, tamen mundus defleat omnis, nequaquam eum excitabit, ita vt non resurrectionis, sed lachrymarum ille sit fletus. In anima vero non sic. Si enim mortuam fleueris, sapennumero mortuam excitabis. Quare? quoniam quidem moriens corpus humana non excitatur virtute: anima vero moriens, correctione resurgit, & virtute diuina. Vide fornicantem, & defle, atque illum saepe excitabis: propterea Paulus non scribebat, exhortabatur ve solum, sed & flebat cum lachrymis peccatores admonens. Ideo etiam fundis lachrymas, quo si minus admonitio poterit esse auxilio, lachrymarum intercedant: sic & propheta deflet, & dominus noster videns Hierusalem cadentem dicit: Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, reuocans ciuitatem cadentem, & flentem hominem imitatus. Vae genti peccatrici, & populo pleno peccatis: nec habet sanum corpus. vidisti eos vlcerosos? vae semini nequam, filiis sceleratis. Quare defles, dic mihi: dereliquisti dominum, atque ad iracundiam sanctum Israël prouocastis. Super quo percussam vos vltra, an fame, an peste: omnis plaga iam venit, & neque vestra malicia iam est cõsummata, addetes præuaricationem, omne caput languidum, & omne cor mærens. Non est vulnus vnum, non

Reg. 13.

Esai. 1.

Esai. 1.

Deut. 32.

Luc. 23.

Math. 23.

Esai. 1.

Esai. 50.

liuor vnus. Res noua paulo ante semini dixisti nequa, filiis sceleratis, dereliquistis dominum, ad iracundiam prouocastis sanctum Israel: & vix genti peccatrici. plorans tunderis, malaque loqueris, & rediens dicis: neque vulnus, neque liuor. Attende, vulnus tunc fit, quum altera quidem corporis pars sana est, altera vulnus habet: hic autem dicit totum esse vulnus, totum liuorem, totum vlcus a pedibus vsque ad caput. Non est quo quis fometa, quo quis oleum imponat, non est quo quis circumliget. Terra vestra deserta, ciuitates vestrae succensa igni, regionem vestram coram vobis alieni deuorant: omnia haec feci, & vos conuersi non estis: omnia que ad artem sunt feci, atque agrum ipsum cadaver manet. Venite, audite verbum domini principes Sodomorum & Gomorrhæ, quid mihi multitudo victimarum vestrarum? Quid igitur? Sodomitas alloquitur: Non, sed Iudæos Sodomitas appellat. Quoniam quidem Sodomitas imitabantur, nomen ipsis imponit. Venite, audite verbum dei principes Sodomorum & Gomorrhæ: quid mihi multitudo victimarum vestrarum, dicit dominus. Plenus sum holocausto arietum, & adipe pinguium, & sanguinem vitulorum & agnorum nolui. Cum obtuleritis mihi similiae florem, vanum, & incensum abominatio est mihi, neomenias vestras, & sabbata odit anima mea: ieiunium & diem festum non feram: & quum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos a vobis. Est ne ira huic par quicquam? Propheta celum inuocat, plorat, ingemiscit, illachrymat, dicit: Non est vulnus, neque liuor: deus desuper irascitur, non suscipiam sacrificia, non neomenias, non sabbata, neque florem similiae, non orationem, non extensionem manuum. Vidisti vlcus: vidisti morbum insanabilem, non vnus, non duorum, non decem, sed mille: Quid ergo dicit post haec, Lauamini, mundi estote: Num peccatum putas habet? Ipse deus dicit, Non audiam vos: & dicit, lauamini. Quorum vtrunque vtiliter ingeritur: id vt terream, hoc vt alliciam. Sed eos non audis, spem poenitentiae non habent. Quod si non habent poenitentiae spem, quo modo dicit, lauamini? Sed deus vere clemens, vereque pius, solusque bonus & misericors super patrem, atque vt discas quod pater, dicit ei: Quid faciam, nescio: nescis quid facis: scio, sed nolo: expetit peccatorum natura, sed continet clementiae pietatisque magnitudo. Quid tibi faciam? parcam tibi: sed fides desiderior redditur: persequar te, sed mea non sustinet clementia. Quid tibi faciam? vt Sodomam ponam te, & vt Gomorrhæam subuertam te. Conuersum est cor meum. Impassibilis passibilem imitatur hominem, magis autem amabilem matrem. Conuersum est cor meum, veluti si mulier puero dixit, non satis patior, fuerit dictio. Sed turbatus, inquit, in mea sum poenitentia. Et deus turbatur? Et iuste id quidem cogites: deus enim immutabilis: sed quod dixi, nostras imitatur dictiones. Conuersum est cor meum. Quid autem post haec dicit: lauamini, mundi estote, auferite malicias de animabus vestris, discite benefacere, quaerite iudicium, iudicate pupillo, defendite viduam. Neque grauiam mandata, sed quotquot natura nouit. Et venite, & arguite me, dicit dominus. Parum facite, & ego reliquum adiciam, dicit dominus: parum mihi date, & totum ipse dono. Venite, & quod ibimus? ad me quem incitauistis, quem ad iracundiam prouocastis, ad me dicentem, Non audiam vos: quo minus timentes fugiatis iram. Venite ad non audientem, vt audiam. Et quid faciam: non dimittam cicatricem, non vestigium, non signum. Venite & arguite me, dicit dominus. Si fuerint peccata vestra quasi coccinum, quasi nix dealbabuntur.

Nunquid vlla vsquam cicatrix? Nunquid ruga post purgationis colore? Et si fuerint, inquit, rubra quasi vermiculus, veluti lana alba erunt. Nunquid nigredo: nunquid macula: & quo modo fient haec? Num vel promissiones alie hoc dicunt: sed os domini locutum est. Non modo magnitudinem promissorum vidisti, sed etiam donantis dignitatem. Etenim deo omnia possibilia, qui potest facere mundum de immundo. Haec igitur audientes, & poenitentiae medicinam scientes, gloriam referamus patri & filio, & spiritui sancto, in secula seculorum, Amen.

HOMILIA QUARTA.

SSIDVE in eam pastores consuecunt partem oues suas diuertere, qua gramen altius densiusque intuentur, atque inde prius non abigunt, quam omne grex contuderit. Hos & ipsi seclantes, quartam iam diem hanc ad poenitentiae modum huc pasimus gregem, neque vel hodie digredi paramus: loco enim pabulum vtilitatis multum inesse video, permultumque fructum, simul permultamque laeticiam. Nam neque arborum comae pro pecorum tuguriis facte, meridie per aestum tam oues reficiunt, optabilem atque vtilem exhibentes vmbra, multaque suadentes eum voluptate, quam sacrarum scripturarum lectio afflictas angore animas, arumnisque implicatas solatur, explicat simulque recreat. Nimum siquidem atque exurens voluptatis retundit malum, solatium omni vmbra suauius amoeniusque impartiens. Neque enim solum in pecuniae iactura, aut orbatu liberorum, atque eiusmodi, sed & in peccatorum pressura plurimum ea nobis solatii cōfert. Cum enim homo peccato interceptus, circumuetus cecidit, postea mordetur conscientia, & peccati semper memor, mœroris sese magnitudine obruit, perque singulos dies incenditur, atque mille ingentibus solatii modis si minus acceperit, ecclesiam ingreditur, eod audiens sanctorum multos cecidisse, rursusque resurrexisse, atque in priorem rediisse dignitatem, clam multo solatio plenus egreditur. Et qui in homines saepenumero peccamus, neque peccatum audemus prodere, pudore ruboreque detenti: atque si prodiderimus, non tantum consequimur. Cum autem deus exhortatur, corque nostrum tangit, illico omnis satanae caligo fugatur. Hinc & iustorum conscripti sunt lapsus, quo & recte & peruerse viuentes ab his maxime lucrifaciant. Nam & cadens aut alienatus spe, indulgentiae desperatione, alterum post casum videns resurgente, & iusticie fiet sedulus ac firmissimus cultor. Cum enim ex his qui se maxime praestant, multos cadentes viderit, illorum casu factus cautior, perpetuo in agone versabitur, multaque sese stabilitate muniet. Sic itaque alter in peccato desperationis liberabitur, ille quidem firmiter stabit, hic in priorē a quo excidit, statum reuertetur. Nam cum homo nobis solatii fomenta praebuerit, tamen ad horam consolari videamur, rursus tamen in eum languorem volumus: cum vero per alios qui peccant, atque inde saluantur, nos deus conuertit, suam nobis manifestam facit bonitatem, ne propria de salute ambigamus, sed firmam certamque consolationem capiamus. Quemadmodum igitur in delictorum pressura, sic illatis in periculis, medicinam abundantem plurimam scripturarum historiae mœstis cōferunt prospicere volentibus: & siue pecuniae publicatio, siue calumniarum iactura, siue flagella, siue carceres, siue aliud nos malum conterat, ad iustos prospicietis, qui eadem & passi sunt & tolerauerunt, ad nosmetipsos cito redire poterimus. Alias quidem si corpus manifestis in passionibus patientes intuemur

tes intuemur aegrotum, quandoque contrahimus infirmitatem, atque etiam non existentem facimus. Puta si quis oculorum malo laboratem viderit, ipso & intuitu aegritudinem in se contraxerit. In anima vero non sic, magis vero eos nosse qui eiusmodi patiuntur, leuiorem propriis in malis facit languorem. Propterea Paulus fideles hoc modo hortatur, vt non modo viuentes sanctos, sed & obdormientes in medium producat. Iudæis enim scribens circūuentis & nutantibus ad casum, sanctos viros in medium producit, Daniele, tres pueros, Heliam, Helisæum, sic dicens: Obturauerunt ora leonum, extinxerunt virtutem ignis, effugerunt ora gladii, lapidati sunt, flagellati sunt, in vincula & carceres detrusi, circumierunt in melotis & caprinis pellibus, egenes & doloribus affecti, quibus dignus non erat mundus. Ea autem passionum communio solatium praebet afflictis. Et veluti quempiam malis torqueri sit intolerabile ei, qui solus in angustia versatur, multoque id solatio medendum est malum: ita solatium inuenire eisdem oppressum malis, leuiorem efficit plagam. Igitur vti cunctis quae nobis molesta esse videntur, magnifice repugnemus, scripturarum historiarum diligenter intendamus. Multe enim patientiae hinc nobis occasio excitatur, non modo eorum solandis communionem, qui paribus premuntur malis, sed quod & ab ingruentibus periculis liberationis viam discimus: atque eorum post hyemem & fluctus iterum priori manere in dignitate, neque trahi in desideriam, neque in sensum reprobum tolli. Haud enim mirabile est malis afflictos contrahi & humiliari, maioraque paruitatis indicia praeseferre. Nam ea tetationum natura, quae in tristitia ipsa vel lapideum cor habet, id facere cogat. Sed animae venerabilis est, deumque continuo praeseferentis, & ipsam post liberationem tetationum in obliuionem minus cadere: quod Iudaei saepenumero passi sunt, quare & corripientes eos Propheta dicit: Cum interficiebat eos, tunc quaerebant eum, & conuertebantur, & diluculo vigilabant ad eum. Et Moses id primum cognoscens, saepe admonet eos, dicens: Comedens & bibens, & incrassatus, attēde ad temetipsum, nequando obliuiscaris domini dei tui. Igitur id euenit. Comedit enim, inquit Moses, & impinguatus, & incrassatus, & recalcitrauit dilectus. Quare non modo ea de re mirari sanctos decet & beatos dicere, quod tribulatione super eos ingruente humiles, mansueti, philosophi erant: sed quod & hyeme procellaque illa transacta, & tranquillitate facta, eodem in studij mansuetudinisque culmine permanebat. Atque eum equum laudari maxime qui vlla sine habenarum vi pro nutu compefcitur: si vero freno cogente eum commode subegeris, nequaquam mirum: neque enim pecudis generositate, sed frangi necessitate ipsa modi obseruatio reputabitur. Identidem & in anima licet intueri, quod imminente timore, si tranquille perseverat, nequaquam mirum: cum vero tetatio ipsa quieuerit, atque timoris quis amouerit frangum, tunc vim mihi philosophantis animae ostende, modestiamque omnem. Sed vereor ne Iudæos accusare volens, nostram in primis conuersationem accusem. Quoniam quidem & nos si quando fame pestaque fluctuamus, & grandine, & siccitate, & incendiis, & hostium incurfibus: nonne per dies singulos ad ecclesiam cōuentus, multitudo ploratu ac gemitibus resonat, ac plurima nobis inest philosophia, despectusque rerum domesticarum, & neque pecuniarum cupido, neque gloriae desiderium, neque libidinis confictus, neque prauus alius cogitatus tunc surrepens, impedit. Sed vniuersos vos ad dei contulistis

cultum, cum oratione & lachrymis: & fornicator quidem de castitate tunc agit, obiurgator & conuiciolos conciliationi inheret, avarus ad eleemosinam flectitur, iracundus & furens ad mitem animum mansuetumque reuertitur. Atque vbi deus iram illum illam depulerit, deique tot fluctibus fecerit tranquillitatem, protinus iterum priores ad actiones, damnatasque properamus. Sed neque ipso in tetationum tempore distuli tunc praedicare, ea testificatus, cum nihil magis in vobis euenit: sed veluti somnum & vmbra vniuersa illa cogitationibus vestris exclusistis: propterea nunc abundantius quam tunc timeo: quodque tunc dixi, nunc magis formido, ne prioribus peiora contrahamus mala, tuncque plagam a deo recipiamus insanabilem. Nam cum quis continuo peccat dei consequitur indulgentiam, postea nihil ab hac aequanimitate lucrifacit homo, ad maliciae fugam hunc praeparat, deinceps deus vel cor inuitum ad ipsum malorum deducit culmen, funditusque conterat, neque iam dedit poenitentiae illius locum: quod in Pharaone contigit. Vbi enim priori, & secunda, & tertia, & quarta, aliisque post illas plagis a deo loganimitatis plurimum cōsecutus est, idque sibi nullo accessit vsui, cōtriuuit eum reliquum, atque cum ipsa ciuitate simul perdidit: Idem & Iudaei passi sunt: Quare Christus eos perditurus, eremumque desuper inducturus, sic prius alloquitur: Quoties volui cōgregare filios tuos, & noluitis: ecce relinquetur domus vestra deserta. Vereor igitur ne forte eadem ipsi patiamur, quod neque in alienis malis prudentiores sumus: atque hac non modo ad praesentes, sed ad eos dico, qui studio quotidiano delapsi, priorum tribulationum obliuiscunt, ad quos nequaquam clamans destitit dicens, Quamquam tetationes cesserint, earum tamen vestris in animis memoria maneat, quod & beneficiorum semper memores continuas gratias habeamus eadem tribuenti deo: haec & tunc dicebam, & nunc dico, & vobis & per vos illis. Imitemur sanctos, qui neque pressuris merfi, neque secundis rebus aut longa pace debiliores fuere, quod & plures mortalium nunc patimur. Sicut enim imbecilliores cymba fluctuatione vel parua circumuentem demerguntur. Nam inuecta paupertas saepe deiecit in profundum, eo quod obrutos relinquit: iterumque ipsa opum rediens facies nos timore circūdedit, atque in summam deduxit superbiam. Quapropter aera nostra omnia relinquentes, animas proprias ad salutem computemus: hac enim bene sese habente, quodcumque ingruerit mali, quantumvis fames, quantumvis morbus, quantumvis pecuniae direptio, aut aliud si quid huiusmodi, tolerabile erit, & leue dominico ex praeepto, atque ipsa quam in illum spe habemus: deo quod anima sese deo minus accommodat, tamen diuitiae affluant, pueri adsint, milleque pecuniae voluptates, nullum profectum ad tristitiam curarumque leuamen contrahet. Igitur nequaquam diuitias quaeritemus, ne paupertatem vitemus: sed prius quisque nostram curemus atque ornemus animam, eamque accommodemus ad praesentis vitae dispensationem, atque ad ipsam, quam hinc facturi sumus profectioem. Iam enim modicum & probatio vniuscuiusque nostrum fiet, cum omnes ad stabimus tremendo Christi tribunali propriis actionibus induti, & oculis intuebimur eas atque dicemus: Id mihi lachrymae orphanorum, id viduarum suspiria, id inopum querela, id rapinae pauperum, id turpes luxuria, quibus nostras inquinamus animas. Non haec autem modo, aut his proxima: sed si quid inconcinnum mente tractauimus, quoniam & ipse mentium scrutator, & cogitationum iudex: & iterum, Scrutans corda & renes deus: & reddes vnicuique

Hebr. 11.

Psal. 77.

Deuter. 6.

Luc. 13.

unicuique secundum opera sua. Hic mihi sermo non ad illos, qui vitæ curis implicantur solum, sed & qui turba in motibus fixerunt, quorum corpora non solum a fornicationis labe debent abesse, sed etiã animæ ab omni auaricia satanæ. Non enim modò mulieres sanctus alloquitur Paulus, sed & viros, & vniuersam ecclesiam, animam in virginitate perseverantem, sanctam corpore oportere & spiritu. Et iterum: Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo. Castam autem quo modo? haud habentem maculam vel rugam. Quoniam quidem virgines illæ lampades habentes extinctas, virgines quidem fuerant corpore, corde casta nõ erant. Sed tamen eas corruperat nemo, pecuniæ tamen libido corruperat. Earum quidem corpus purum: anima plurimo adulterio, malarumq; repleta cogitationum erat in se repentium, pecuniæ cupidine, & impietate, & ira, & inuidia, & derisu, & obliuione, & superbia, omnibus pariter venerabilem virginitatis statum demolientibus. Quare & Paulus dixit, Vt sit sancta corpore & spiritu: & iterum, Virginem castam exhibere Christo. Quemadmodum enim sub adulteris corpus corrumpitur: sic anima sub satanæ cogitationibus inquinatur exëplis peruersis, a cogitationibus corruptis. Qui enim dicit, virgo sum corpore, anima vero inuidet fratri: hic nequaquam virgo: virginitatem enim viciavit suã. Iterum inanis gloriæ homo, non iam virgo anima: nam hæc irrepens passio eius virginitatem soluit. Qui vero odit fratrem suum, hic homicida potius cõsuetur quàm virgo. Atque vt vniuersa sub vna definitione complectar: Quisque in eum peruersus quo tenetur morè, propriam virginitatem corruperit: propterea Paulus vniuersos hos morbos prauos exclusit, exilioq; dignos ducit, atque mādāt ita nos esse virgines, vt animæ nullam sponte suscipiamus aduersariam cogitationem. Quid ergo aduersum hæc dicemus? quo modo misericordiã cõsequemur? quo modo saluabimur? quoniam quidem prorsus nihil tale custodimus: quo modo ergo saluabimur? Ego dico, orationem corde semper versemus, atq; huius fructus, mansuetudinem dico, & humilitatem. Discite enim a me, quoniam mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Et iterum Dauid: Sacrificium deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum deus non despiciet. Nihil enim deo tam gratum, tam amabile est, quàm mitis anima, mansueta, gratiasque habens. Aduerte igitur & tu si quid nimis molestum incidēs videris, impedimentoq; tibi paratum, nequaquam ad homines confugeris, aut ad humanum prospexeris auxilium: sed vniuersos transiens, ad animarum medicamentum illud euola. Cor enim ducere solus potest, qui finxit singillatim corda nostra, & intelligit semper omnia opera nostra. Ipse ergo nostram subire conscientiam, mentem tangere potest, animam flectere. Si vero ille minus inclinauerit corda nostra, superfluum erit atque inutile quicquid ab hominibus exigetur. Quemadmodum etiam deo exhortante & consolante nos, quanuis mille hominum molestauerint, haud in refanè vel in minima offendere poterint. Nam cum ille in solido cor posuerit, nemo id vel moueri cõgerit. Hæc igitur scientes, ad deum semper confugiamus, & volentem & potentem nostras molestias soluere. Atqui homines si quãdo exorare oportet, & ianitoribus prius occurrere conuenit, parasitisque, hiætrionibusque suadere, & longam sapenúmero viam abire. In deo nihil est tale. Sine mediatore exorabilis est, sine pecunia, sine impensa precibus annuit. Satis est

A enim solo corde clamare, lachrymas fundere, atq; illico eum ad misericordiam contraxeris. Et item homines deprecantes, se penumero formidamus, ne quis inimicorum perceperit, aut rem ex aduersariis quispiã intellexerit: alioqui prodit dicenda, iustumq; corrumpit. In deo autem nihil est tale suspicari. Cum enim me vuleris precari, solus accede adstante nemine: corde videlicet clama, neque labia mouens, ostium tuum claudere. Intra, inquit, cubiculum tuum, & ostium tuum claudere, & ora patrem tuum in occulto. Vide honoris excellentiam: cum autem te honoro, orbem volo beneficii testem: credamus ergo, atque haud ad ostentum oremus. Neque contra inimicos, sed deum nostris pro tãdiis oremus, neque illum nostri auxiliij modum doceamus. Si enim aduocatis & oratoribus hominibus forensibus in iudiciis solum res ipsas nostras explicamus, suffragiorum vero locos illis relinquimus, qui pro libito nostras ipsi partes disponant: multo magis in deo id faciendum fuerit. Dixisti sibi causam tuã, dixisti quæ passus es: cessa iam dicere, quo tibi pacto auxilium conferre deceat. Sunt vero nõnulli, qui mille verbis orationis extendunt seriem, dicentes: Da mihi domine corporis sanitatem, aut auge mihi duplo substantiam, vltionem de meis inimicis fume: quæ leuitate ac petulantia plena sunt omnia. Ea igitur omittentes vniuersa, orare decet cum publicano, qui dicit: Deus propicius esto mihi peccatori: & ipse deinceps nouit quo tibi pacto succurrat. Quarite enim, inquit, primũ regnum dei, & hæc omnia adiciet vobis. Sic igitur dilecti, labore, & humilium rerum consensu philosophemur, quemadmodum ille, nostra percutientes pectora: vt eorum quæ petimus, cõpotes simus. Si vero furore & ira perciti oramus: aut in nostra re, aut eorum qui nos malis incessiuere, nequaquam assequimur. Nam si iudicem volueris ad tuã animæ partes attrahere, tuiq; auxiliij efficere partem, nunquam eum contra offendentem compellaueris. Etenim talis est iudicis mos, illis maxime annuit, atque his postulata concedit, qui contra inimicos inuicti, nequaquam perdurant super illis elati. Quia pertinacia quanta incumbunt, tanto eum magis irritant, nisi pœnitentia conuertatur. Videte ergo a quoquam iniuria lacesiti, ne protinus turbemur atq; offendamur, sed gratias agamus philosophantes, atque a deo postulantes auxilium: Num enim poterat deus & ipsam ante petitionem tribuere nobis bona? num vitam elargiri omni dolore vacuam, atque omni a molestia segregatam? sed vtraque de summo nobis amore facit, permittit nos tribulari, neque illico in liberationem accedit. Quare: quò sibi assistamus, semper ad eum refugiamus, eum ad nostrum continuo patrociniũ imploremus. Propterea & corporis dolores, propterea fructuum sterilitates, fames: propterea & morbi quò his in flagellis semper ab eo pendeamus, atque temporalibus ex tribulationibus hæreditemus vitam aternã: ita vt in his debitores simus deo multis viis sananti, & saluati animas nostras. Homines quidem si vel parum sese nobis beneficos fecerint, atque hos postea vel inuiti paululum molestauerimus, illico improperant beneficium proferentes, vt plures etiam execrentur, quasi maximis operibus profuerint. Deus vero non sic, sed ipsa post beneficia iniuriatus, neglectus etiam, eque etiam respondet, æquisq; causis cum iniuriantibus contendit, sic dicens: Popule meus quid feci tibi? aut in quo molestus fui tibi? nunquid, inquit, grauis fui tibi, aut onerosus, & importabilis? Sed nihil horũ habes dicere: nam si ita id fuisset, neque

Math. 6.

Math. 11.

Psal. 50.

neq; vel sic te destituisse oportuit. Quis enim est filius, A què pater non corrigit: sed tamen neq; id quidè dicere nobis locus. Et iterũ magnũ, vt verũ fatear, & mirabile dictum. Quod enim dicit, tale est: Quid, inquit, peccauit: quod neq; serui dominis dici concedunt. Neq; quid peccauit dicit in vos, sed in patres vestros. Sed neq; id, inquit, habetis dicere: quòd paternã in me defectiõne hostilitatemq; seruatis: neq; progenitores vestros incusans, quandoq; mea prouidètia dimisi, in paruo aut magno despiciens eos. Neq; simpliciter dixit, quoniã quid habuerunt patres vestri: sed, quid inuenerunt? quamuis multa quæliuerunt, multa circumeuntes meo sub principatu effecti, nullum in me delictum inuenerunt. Igitur vel ex his omnibus ad deum confugiamus, atque omni in mœsticia eius quæramus solationem, eius omni in aduersitate solatione, eius misericordiam, omni in tentatione auxilium: quicquid mali fuerit, quacunque calamitatis magnitudo, omnia soluere potest, & a nobis transferre. Non solum id, sed & omnem stabilitatẽ, & virtutem, & bonam gloriã, sanitatemq; in super corporis & animæ, philosophiam, spes bonas, atq; haud ocyus peccare sua bonitas non permittit. Non ergo cũ stultis seruis murmuremus, neq; accusemus dominum: sed in omnibus gratias agamus, & vnum solum malũ esse putemus, in eum peccare. Atque vbi sic deo præparati, mentes ipsi nostras disposuerimus, non morbus, non paupertas, non despectus, non sterilitas fructuum, non aliud quicquã eorum quæ inter mala computantur, nos præuenit: sed pura voluntate castaq; semper læti, etiã futura assequemur bona, gratia & amabili humanitate domini nostri Iesu Christi, &c.

HOMILIA QUINTA.



EMPER quidem diuinus Apostolus diuina celestiq; vtitur lingua, ac scientia multa euangelicum verbũ orditur, nõ modo propria de sentètia loquẽs, sed regalis dominationis doctrinã præferens: præcipue vero ea vtitur sciẽtia cũ pertinacibus impœnitentibusq;, pœnitentiã sermonẽ ingerit: de cuius sentètia docebo vos omnes. Id igitur singillatim tangã. Audistis quemadmodum Corinthios nuper alloquens dixit mirabilis ille, diuinusq; vir: Ne forte veniens, multos defleã eorum qui peccauerunt, & pœnitentiam non egerunt. Homo quidẽ natura, erat hic magnus doctor, proposito vero dei minister: propterea veluti cœlesti vtitur lingua, & quasi ipsi de cœlo loquens, sic minatur peccantibus, pœnitentibus vero propiciationem promittit. Cũ autè hæc dico, nequaquã Pauli linguæ diuinatione adscribo, sed ad dei gratiam vniuersa refero. De quo ait ipse: An experimẽtum eius quæritis qui in me loquitur Christus? Igitur peccantibus beneficij medicinã supponit, scilicet pœnitentiam ad salutẽ. Cõuenit & hæc apostolica cũ lectione euangelica: est saluatoris diuinarior, qui peccatoribus vberi remissionẽ promittit: etenim paralyticũ saluans, saluator inquit: Fili, dimittuntur tibi peccata tua, veluti nuper audiuius. Remissio vero peccatorũ fons salutis, & pœnitentiã munus. Pœnitentia medicamentum est peccatum extinguens, donũ cœlitus datũ, virtus admirabilis, gratia vim legũ superans. Quare nõ fornicatorem renuit, non ebriõ auertitur, non abominatur idololatram, non adulterũ repellit, non maledicũ infectatur, non reprobatur blasphemũ, non superbũ, sed omnes suscipit, communicat omnibus: virtutis enim digestio pœnitentia est. Necessarium est autem fratres primum

2. Corin. 12.

Marc. 2.

A dei nosse intentionem, neq; ex nostra sapiẽtia huic nos ingerimus contemplationi, sed ipsi ex diuinis scripturis attestatam veritatem ostendimus. Dei intentio, fratres, longanimum sese peccantibus exhibet, patienter enim expectat, salutem ipsis è pœnitentia spondens, ac posteris suis: ad virtutem commonet, scilicet beneficiũ referuans. Et quò rursus sermonem assumam, deus patienter expectat vt peccatorem pœniteat, & nascẽdis ex eo nequaquam salutis occludat viam: quamuis idẽ culpa impœnitenti delinquat, paritq; se penumero, quò radices fructus custodiatur. Sæpe & ipsam transfert radicem, veluti præuenientes diximus. Sed tamen actus ad vltimum malorũ cadat, differt tamen deus vt iliter expectans pœnitentis salutẽ, & quo modo audi. Thare Abraham pater idolorũ & cultor & factor: sed hoc loco haud impietatis pœnã Thare irrogauit, & meritò. Si enim præueniens deus radicẽ amputasset, vnde tantus fidei fructus germinasset? Quid Esaũ nequius? consideratur ob alterius occasionem clementiã. Quid Esaũ nequius inuerecundiusq; malicia ille nõnne fornicator, nõnne prophanus erat: nõnne odibilis deo, quemadmodum testatur scriptura, dicens: Iacob dilexi, Esaũ autem odio habui: Si ergo fornicator & patricida, & prophanus, & odibilis, quare protinus meritam non suscipit animaduersionem? Quare pulchrum quidem fratres, pulchrã causam libet edicere. Si excisus fuisset, maxum fortassis iusticiã fructum mundum amisisset: & qualem audi. Esaũ genuit Raguelẽ, Raguelẽ Zarã, Zarã Iob. Cernis quantus elanguisset patientiã flos, si præueniens deus a radice pœnas exegisset. Omnibus igitur in rebus & initiis speculatur & exitus deus. Ea nanque vtitur prouidentia & super Aegyptios, qui vltra fidem blasphemii: patienter expectat, quousq; ibi monasteria, & ecclesiã, atq; in illis florent, qui angelicam imitentur vitã. Nam adstruunt & qui de publicis legibus disputant, atq; Romanorũ mandant leges, prægnantẽ si quãdo contigerit mortis peccato damnari, nõ prius q̃ pepererit, necari: & probè quidẽ. Neq; enim iuste legulatores iudicassent, cũ peccatrice innoxii simul scelerum tolli. Quòd si humane leges his parcit, qui nequaquam peccarunt: nõnne deus decetius accomodatiusq; radicẽ custodit, in fructibus pœnitentiẽ beneficiũ referuans? Cape de cætero super ipsi peccantibus è pœnitentia beneficium. Nam & in ipsi ipsa clementiẽ redditur ratio, si pœnitentiam iusticia præuenisset, peruisset mundus omnino atq; defluxisset. Si velox ad pœnam fuisset deus, Paulum ecclesia non possedisset, si primo talẽ tanquam noxiũ necasset. Propterea distulit blasphemantem, vt pœnitentẽ ostenderet dei longanimitas: lupũ in pastorem transtulit dei longanimitas: publicanũ fecit euangelistã, dei longanimitas omnium nostrũ miserata, omnes cõuertit, reduxit omnes. Si videris olim ebrium, nunc ieiunare: si olim blasphemũ, nunc obloquimur: si eũ, qui quandoq; turpibus cãtilenis os inquinauerit suũ, diuinis nunc hymnis animã purgare: mirare dei longanimitatẽ, pœnitentiamq; collauda, ac demutationem & conuersionem illius suspiciẽs, dic: Hæc est mutatio dextera excelsi. Bonus igitur ad omnes deus, in peccantes præcipue suam ostendit longanimitatem. Atq; si cupis nouum quoddam peregrinumq; verbum, audi. Peregrinũ quidem ex insueto, sed religione verũ, ac fide verax. Grauis iustus vbiq; videtur deus, peccatoribus cominus pius, atq; ad clementiã velox. Peccantẽ & cadentem releuat, & inquit ad eum: Nunquid cadẽs non adiciet: vt resurgat, aut auersus non reuertetur? Vt

Roma. 9.

Psal. 76.

quid auersa est auersione impudica imprudens filia lu-
da: Et iterum: Conuertamini ad me, & ego ad vos con-
uertar. Alibi autem salutem ex poenitentia affirmat multa
sua de clementia. Vni ego, dicit dominus, nolo mor-
tem peccatoris, sed potius ut conuertatur & uiuat. Ad
iustum autem dicit: Si fecerit homo omnem iusticiam, om-
nemque veritatem, & auersus peccauerit: non recorda-
bor iusticiae eius, sed in peccato suo morietur. O ma-
gnam in iusto cautionem, & magnam in peccatore libe-
ralitatem. Sic variè fratres & differenter excogitat deus,
non ipse quidem mutatus, sed utiliter diuidens bonita-
tis suae dispensationem. Et quo modo, audi. Cadentem
& peccatis obnoxium si terruerit, ignorantia obsecari,
spe quoque periclitari eum compelleret: iustum vero si laudat,
suae vim virtutis debilitat, atque veluti iam beatum de in-
dustria studioque pigritate preparabit. Propterea fratres,
peccatoris quidem miseretur, & ei blanditur, iustum vero
terret. Terribilis est super omnes qui in circuitu eius
sunt. Et qui non fuerint his sancti. Deus enim, inquit Da-
uid, glorificatur in consilio sanctorum, magnus & ter-
ribilis est super omnes qui in circuitu eius sunt. Si ca-
dentem intuetur, clementiam manum protendit: si stantem,
timore iusticiae iustique iudicii concutit: atque hunc timore
quidem confirmat, illum vero per clementiam excitat. Vis
& opportunam eius nosse bonitatem, simulque benignam
& accommodatam seueritatem: Attende diligenter, nec
te contemplationis huius fugiat magnitudo. Peccatrix
mulier illa atque omni conuoluta delicto, tot peruerforum
operum & delictorum rea, de poenitentia salutem sitiens,
surrepsit saluatoris conuiuio. Nam saluatore discubente
in domo Simonis pharisaei, subintroiuit mulier illa pec-
catrix, saluatorisque pedes tetigit, lachrymis eius rigauit
pedes, & capillis extersit, atque hanc tot defossam pecca-
tis eleuat ille clemens piusque dicens: Dimittuntur pec-
cata tua tibi. Neque mihi nunc est cura omnem discutere
historiam, sed id solum testimonium induxisse. Igitur ex-
uberantiam respice, cuius gratia dico tibi, dimittuntur ei
eius peccata multa, quae dilexit multum. Tot prauarica-
trix delictorum dimissionem retulit, & Maria Mosi soror
paruo ex murmure lepra danatur. Peccatoribus dicit,
si fuerint peccata vestra sicut coccinum, veluti niuem de-
albabo. Et tenebras in lucem transfert poenitentiae muta-
tione, totque malorum aceruum, bonitatis voce soluit. Am-
bulanti vero in iusticia dicit: Quicumque dixerit fratri suo,
stulte, reus est gehennae ignis. Vni verbo tantam imposuit
multam, ac omnibus peccatis obnoxiam tanta liberalitate
donauit. Atque aliud considera frater: Quoniam quidem
peccata quasi debita describuntur, peccatoribus quidem
& ipsam principalem sortem elargitur deus & debita
dimittit: a iustis vero etiam usuram exigit. Et accessit ad
eum qui debebat decem milia talenta, ita ut poenitentia
multa multisque precibus iudicem mitigauerit, & dixerit:
Domine, patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.
Non immoratus ipse clemens piusque deus ut redderet,
sed in confessione debiti solutionem fecit: & debitori
quidem decem milium talentorum vniuersa dimisit, &
ipsam etiam prioris sortem: a iustis vero & usuram repe-
re promittit. Quare, inquit, non dedisti argentum me-
um ad mensas, & veniens cum usura recepissem? Hac
deum non quasi deo odiosum sese ad iustos habente: deo
enim nihil iusto acceptius. Sed quod paulo ante dixi-
mus, solatur peccatorem, quod eleuet: iustum, quod statuatur,
terret. Et quibusdam quidem multa dimittit peccata
quasi inimicis & inflatis, quibusdam vero & nimis ex-
acte de minimis etiam quaerit, nihil his ad perfectionem

A deficere volens. Et quod in mundo est pauper, id circa
deum est peccator. Nihil peccante est pauperius, nihil
ditius est iusto. Propterea de his qui in pietate & vita
abundantia versantur, Paulus dicit: Gratias ago deo,
quoniam in omnibus diuites facti estis in ipso, in om-
ni sermone & in omni doctrina. De impiis vero beatus
Hieremias dicit: Fortasse pauperes sunt, quapropter
non potuerunt audire verbum domini. Vides quod pau-
peres eos vocat, qui malicia impietatisque: vinculis pre-
muntur? Quasi pauperum igitur peccatorum miseretur, &
quasi a diuitibus & iustis expetit: illis quidem ipsis praer-
inopia donas: his vero accuratius ratione diuitiarum pieta-
tis exigens. Quod vero semper iustos peccatores facit,
id super diuites operatur & pauperes. Et sicut peccato-
rem per clementiam excitat, iustum vero terret austeritate:
sic mundi in negociis sua dispensatione vitur. Cum enim
viderit in dignitate potentes & insignes reges, princi-
pes, omnes quotquot diuitiis nitentur, hos terrore alloquitur,
ac doctrinae timore humiliter miscet. Et nunc reges
intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite domi-
no in timore, & exultate ei cum tremore. Quonia rex est
regum, & dominus dominantium. Vbi doctrina principum,
illic regibus timorem imponit: vbi tenuitas humilitatis,
ibi medicinam suam profert clementia. Deus enim ma-
gnus rex est regum & dominus dominantium. Idem ipse
sui dignitate excellens, iuxta diuinam scripturam pater in-
uenitur orphanorum & viduarum iudex, regum rex, domi-
norum dominus. Cernis quanta cum clementia vbertate,
cernis vtilitatem metum religionis & potentiam? Vbi enim pote-
ntiam vidit ad solam sufficere, ibi metum ad vtilitatem im-
ponit: vbi vero ad orphanitatem paupertatemque: vilitate
viduitatis imbecillitatemque discretam vidit, ibi clementiam
ad consolationem induxit. Ego pater orphanorum. Duo
facit, & clementiam ostendit, & potentiam punit: sese patrem
fateretur orphanorum, quod calamitosos soletur, potentesque
deterreat, ne orphanis viduisque molesti sint: quoniam
quidem mors hunc patrem, hanc autem viro nudauit, quos
nunc lex corrumpit, clementiae decretum reuocauit: at
eadem gratia huic quidem iudicem, orphano vero patrem
dicit regem sanctorum. Itaque & inique, inquit, si viduam
laesis, viduarum quoque prouisorum ad iracundiam prouo-
cabis, si orphanos opprimes, filios dei oppriferis. Ego
sum pater orphanorum, & iudex viduarum. Quis ad im-
pietatem tam adeo ferrox, tam praecipuus fuerit, qui filios
dei opprimat, atque adeo a deo defensas viduas laedat?
Cernis quam opportune pietatis medicinam praeparat,
& hos quidem terret, horum autem miseretur. Non idem ipse
diuinus, sed ad hominum sententias accommodatus. Nobis
igitur metipsis fratres medicinam infundamus salutis
poenitentiae, magis vero a deo poenitentiam suscipiamus
nobis medente. Non enim nos hanc illi praestamus, sed
hanc ille nobis propinat. Vides eius in lege seueritatem?
vides in gratia clementiam? Cum vero seueritatem in lege
existentem dico, haud iudicio detraho, sed euangelicae
gratiae clementiam praedico: quoniam quidem lex, vli-
la sine excusatione peccatae plectebat: gratia vero mul-
ta cum longanimitate poenam differt, quod emendationem
inducat. Suscipiamus igitur poenitentiam in salutem, me-
delam sordes purgantem. Poenitentia vestra est, fratres,
non verbo praedicata, sed opere consummata. Poenitē-
tia est, quae ipso de corde velet maculam impietatis. La-
uamini, inquit, mundi estote, auferte malum de cordi-
bus vestris & conspectu oculorum meorum. Quid sibi vult
ea dictionis superfluitas? Nam auferte malum animabus
vestris, nonne fatis erat totum significasse? quid igitur ad-
didit,

didit, & conspectu oculorum meorum? Quonia secus atque
aliter hominum oculi vident, & aliter dei oculus videt:
homo in faciem, deus in cor. Neque per ostentationem, in-
quit, poenitentiam degenerem facias, sed in conspectu ocu-
lorum meorum occulta scrutantiu, ostenditur fructus poe-
nitentiae. Decet autem & nos purgatos a peccatis, eadem
ante oculos habere peccata: quanquam deus multum de
clementia ignoscat peccatum, pro tua tamen animae sta-
bilitate & salute habe ante oculos peccatum: etenim pre-
cedentiu memoria futurorum continentia fiet. Et qui in
prioribus morsus est, in secundis firmiore ostendit sen-
tentiam: propterea Dauid, Peccatum meum, inquit, contra
me est semper: quia ante oculos habens praecedentia, in
futura minus defluens. Quod vero huc ipse a nobis deus
expetit statum, ipsum audi dicentem, Ego enim sum qui
deleo peccata tua, & non recordabor: tu autem recorda-
re & peccata tua, & iudicemur, dicit dominus: dic
peccata tua prius, ut iustificeris. Non expectat deus tem-
pus a poenitentia: dixisti peccatum tuum, iustificatus es:
poenituisti, misericordiam es consecutus. Non tempus
aestimatur, sed poenitentis modus peccatum extinguit.
Fuit qui multo exacto tempore salutem non impetrauerit,
atque repentino momento, si verum fuerit confessus, a
peccato soluetur. Multum exhaustit temporis beatus Sa-
muël pro Saule deprecans, noctesque multas transegit
infomnes pro delinquentis salute. Deus autem tempus
repudiens, non enim cum Prophetae oratione peccatoris
conuenit poenitentia, dicit ad prophetam, Vsq; quo tu plo-
ras? Vsq; quo, ostendit tempus ac perseverantiam de-
precantis. Et repulit deus tempus deprecationis prophetae.
Sancto vero Dauid per beatum Nathana prophetam de
peccati errore correpto, & illico ad minas veram pro-
ferenti conuersionem, dicenti: Peccaui domine, ver-
bum vnum vno in momento prolatum verum pureque: v-
niuersam contulit poenitenti salutem: protinus enim con-
uersionem sententia consecuta est. Dicit igitur ad eum
Nathan: Et dominus transtulit peccatum tuum. Cer-
nis deum frater tardum ad poenam, atque a duce quo mo-
do multo post tempore correctionem intulit. Peccaui
Dauid, coepitque: vterque gestauitque mulier, & peccatum
nulla correctio secuta est. Sed post infantis partum de
peccato nati, mittitur peccati medicus. Quare autem
protinus peccantem non correxit: quoniam vidit in ip-
so peccati vigore obcaecatam peccantium animam, &
obturatae sunt eorum aures in peccati profundo merso-
rum. Differt ergo furibundae passioni auxilium addes,
tantumque post temporis correptionem procedit, & vno in
temporis momento poenitentia & remissio. Et domi-
nus dimisit peccatum tuum. O minantis dispensationem.
Cernis quod ad salutem velox. Idem & in aliis fe-
cit, tardans ad demolitionem, ad reparationem pro-
perans. Accedat exemplo quod in nobis euenit homi-
nibus, quibus multo in tempore edificia extruuntur, mul-
to in tempore edificamus domum, & ipsius structurae
quidem multum temporis, parum vero destructionis.
Ecouerso autem fit in deo: Cum struit, velociter struit:
cum destruit, tarde destruit. Velox deus struens, tarde de-
struens: Nam quia domino haec sibi conueniunt, illud
quidem potentiam, bonitatis istud: potentiam excellentia
velox, multa de bonitate tardus: Verborum enim aug-
mentum rerum experientia. Sex in diebus deus caelum
terramque fecit, magnitudines, lateraque montium, campe-
stria, montes, flumina, paradisum visibilem, omnem cul-
tum & virtutem, mare hoc magnum & spaciosum, in-

A silas, maritima loca, omnem hunc visibilem mundum,
& qui in eo est ornatum, sex in diebus consummauit:
quae in eo sunt animalia rationalia & irrationalia, om-
nemque visibilem cultum sex in diebus fecit. Hic igitur
tam velox in construendo, cum ceperit vnius demo-
liendae urbis consiliu, inuetus est bonitate tardus. Vult
Hiericho demoliri, & dicit ad Israel: Circumite eam sep-
tem diebus, & octaua die cadet murus. Mundum vni-
uersum sex in diebus costruis, & vnam urbem septem
in diebus soluis: Quid enim tuae potentiae impedimen-
to accedit? Quare non repete destruis? Nunquid de te
Propheta non clamat, dicens: Si aperueris caelum, tre-
mor motes occupabit, liquefcet sicut cera a facie ignis:
Nunquid non opera virtutis tuae narrans dixit: Non
timebimus dum turbabitur terra, & transferentur mo-
tes in cor maris? Motus transferre & in mare potes, at-
que urbem vnam non vis destruere repugnantem, sed
dies septem tribus excidio. Quare: num potentia im-
becillior? Sed clementia diutius tolerat. Septem huic
addo dies, velut triduum Niniue, si forte poenitentiae
susceperet praedicationem, & saluaretur. Et quis eis poe-
nitentiae praedicator? Hostes urbe circumseperant, du-
ces circumdederant muros, multus vndique timor, tu-
multus multus. Quam eis igitur poenitentiae viam ape-
rueris? Neque enim Prophetam transmisiisti, neque eu-
angelistam designasti. Num inter eos quisquam fuerat
qui saniora suggereret? Ita, inquit, habebat intus poeni-
tentiae doctorem, admirabilem illam Raab, quam per
poenitentiam saluauit. Eiusdem erat massa, sed eadem
quoniam non erat ex sententia, peccato non commu-
nicauit. Atque respice nouae clementiae praedicatorem,
qui in lege dicit, Non mœchaberis: verbum transmu-
tans de clementia clamat per beatum Iesum Naue, Raab
meretrix uiuat. Iesus ille qui dicit, Raab meretrix vi-
uat, imago erat domini Iesu dicentis, Meretrices & pu-
blicani praueient vos in regnum dei. Si viuere debet,
quare meretrix? & si meretrix, quare uiuat? Dico, iquit,
priorem statum, quo sequentem discas mutationem.
Et quid Raab fecit ad salutis argumentum? Quod in pa-
ce exploratores suscepit. Id & meritoria faciunt hospiti-
a. At neque ex ipsa solum dilectione salutem conse-
quitur, sed fide prauiua, atque in deum dispositione. Et
quod discas fidei magnitudinem, ipsam audi scripturam,
narrantem praecleara quidem illa sibi attributa gesta.
Erat in fornice velut in volutabro confusa margarita,
aurum in luto abiectum, pietatis flos spinis confossus,
religiosa anima reclusa impietatis loco. Atque mentem
in me diligentius fleste. Suscepit exploratores: & quem
prodidit Israel in deserto, hunc praedicaui Raab in
fornice. Quo modo autem Israel audiuit in deserto?
Cum mons replebatur, nube & caligine, & tubis, & co-
ruscationibus, aliisque terribilibus, audiuit a deo de me-
dio ignis: Audi Israel, dominus deus tuus vnus est, non
erunt tibi dii alieni. Ego in caelum defursum, & in terra
deorsum, & praeter me non est deus. haec audiens vitu-
lum digessit, deumque reprobauit, & ignorauit domi-
num, repudiavit benefactorem, & dicit Aaron, Fac nobis
deos. Si dii, quare dicis fac: quo modo enim dii qui
sunt? Sic malicia obcaecatis sibi ipsi repugnat, & semetipsam
extinguit. Vnus factus est vitulus, & clamat ingratus
populus, Hi dii tui Israel, qui eduxerunt te de terra Ae-
gypti. Hi dii, vnum respiciens, respiciens vitulum, v-
num factum vitulum. Quare igitur hi dii: ut ostendat
quod non modo eum quem videt adorat, sed & deo-
rum pluralitatem annunciat: sententiam interpreta-
tur,

tur, nō quod videtur indicat. Quōd vero ad nobis subiectum reuertamur opus, quā audiuit Israēl, fide tot signorum habita, tantaq; lege instructus, & negauit, hoc Raab in fornice reclusa prædicat. Dicit ergo exploratoribus à Iosue destinatis: Noui quanta deus vester fecerit Aegyptiis. Et Iudæus dicit, hi dii tui qui eduxerūt te de terra Aegypti: & meretrix non diis, sed deo salutem adscribit. Nouimus quanta fecerit deus vester Aegyptiis in deserto. Ita audiuius, & elanguit cor nostrum, & quōd in nobis nō est fortitudo nouimus. Cernis quo modo respicit legislatoris verbum per fidem? Et nouimus, quoniam deus vester in cœlo desursum, & in terra deorsum, & præter eum non est deus. Raab ecclesiæ figura fornicatione demonum olim inuoluta, tunc vero Christi exploratores suscipientis, non eos qui à Iesu Naue, sed apostolos à Iesu vero saluatore trāmissos. Noui, inquit, quoniam deus vester in cœlo desursum, & in terra deorsum, & præter eum non est deus. Hæc accipientes Iudæi non custodierunt, hæc audiuit ecclesiæ & obseruauit. Digna itaque Raab omni laude, ecclesiæ imago. Quare & generosus Paulus eius fidei dignitatem discens, ex priori statu haud reprobam cogitauit: magis vero acceptabilem, sanctam ob ipsam conuersionem omnibus eam connumerās sanctis, qui dixit: Fide Abel sacrificium obtulit, fide Abraham hoc & illud fecit, fide Noë arcam cōpexit, fide Moses hæc & illa fecit & gessit: atque multos deinde connumerās sanctos, tandem adiecit, fide Raab meretrix nō periit cum incredulis, exploratores excipiens cum pace, & remittēs alia via. Atque respice quo modo multa cum sapientia bonā eius inferunt voluntatem. Cum enim transmissi à rege sunt qui exploratores quærerent, dicunt ei: Si ingressi sunt ad te viri? Ipsa vero ad eos ita, inquit, ingressi: prius veritatem ædificat, atque ita mendacium inducit. Nequaquam enim mendacium ex se creditur, nisi præueniens veritatem ostenderit: propterea qui creduliter mentiuntur, prius vera fatentur, atque omnibus manifesta, deinde mendacium inducunt ac dubium. Ingressi ad te, inquit, exploratores: dicit sic. Si enim à primo dixisset non, ad scrutinium prouocasset abeuntes. Sed ingressi sunt, inquit, & egressi eadem via, persequimini & comprehendite eos. O bonum mendacium, o bonum dolum, diuina non tradentem, sed pietatem custodientem. Si igitur Raab illam fratres pœnitentiā dignam effecit, atque per os sanctorum prædicatur, Iesu quidem Naue in deserto clamante, Viuat Raab meretrix: Paulo vero dicente: Fide Raab meretrix nō periit cum infidelibus: multo magis nos si pœnitentiā induxerimus, salutē consequimur. Pœnitentiæ ergo tempus nunc: multus enim timor imminentiū peccatorum. Præoccupet pœnitentiā pœnam, præoccupemus faciem eius in confessione. Rogū peccatorum extinguimus, non iam aquis multis, sed paruis cum lachrymis: multus enim peccati ignis, atq; modica extinguit eum lachryma: nā lachryma fratres rogum extinguit peccatorum. Testaturq; sanctus Dauid quantum lachrymarum virtus posset. Lauabo, inquit, per singulas noctes lectum meū, lachrymis meis stratum meum rigabo. Nam & si lachrymarum veritatem voluisset ostendere, satis fuerat dixisse, lachrymis meis stratum meum rigabo: quare ergo præuenit lauabo? ut ostendat lauacrum & purgatorium peccati lachrymas esse. Malorum omnium causam constat esse peccatū. Ex peccato tristitia, ex peccato tumultus, ex peccato bella, morbi, atq; omnes quotquot nos pre-

amunt passiones. Quemadmodum igitur optimi medicorum non modo qui apparent morbos perscrutantur, sed apparentiū causas inquirunt in hominibus: ita dominus ostendere volens malorum omnium causam esse peccatum, paralytico dicit idem animarum medicus, ubi prius illum anima, postea corpore paralyticū viderat: Vide, sanus factus es, noli amplius peccare, ne tibi deterius fiat. Igitur & præcedentis infirmitatis causa peccatum, id damni causa, id tristitiæ, id calamitatis vniuersæ materia. Verum id admiror fratres, tristitiā homini tribuens deus per peccatum, sententiā sententiā soluit. Attende diligenter, Mulieri minatus deus, & de præuaricatione pœnam inducens, dicit ad eam: In tristitia paries filios tuos: & ostendit tristitiā peccati fructum. Sed o magnum donum, quod in pœnam dedit, in salutem vertit: peccatum tristitiā peperit, tristitia peccatum contriuit: & quemadmodum vermis in ligno natus id ipsum comminuit, sic tristitia de peccato nata, peccatum comminuit per pœnitentiā inducētā. Quapropter Paulus dicit: Quæ secundum deū tristitia pœnitentiā in salutem incommodabilem operatur: bona est tristitia verè pœnitētibus. Conuenit enim peccantibus pro peccato luctus: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Luge peccatum, ne pœnā desleas: responde iudici priusquam in prætorium veniat. Aut ignoras eos qui iudicem mitigare volunt, nō ipso in examine causa, sed priusquā iudicij ingrediat locum, beneuolum sibi faciūt, vel amico mediatore vel præfule, aut modo alio sibi iudicem conciliant: Igitur & deo nō sessionis tempore suadendum erit iudici, ante vero iudicij tēpus mitigabilis est iudex. Quare dicit Dauid, Præoccupemus faciem eius. Illic magnū iudicem ars rhetoris nulla decipiet, & nullius potētia mitigatur, dignitati non condescendit, nō veneratur personam, sed tremendū & implacabile iusti iudiciū. Hic vero iudicem exorabimus, & placabimus, non pecunia: magis autem (si verum dicere oportet) clemens ipse piusq; pecunia suadet: nō ipse manu, sed per inopes accipiēs. Da inopi pecuniam, & iudicem mitigaueris. Hæc autem dico fratres, alliciens vos, quoniam quidem pœnitentiā sine eleemosyna mortua est: & sine plumis nequit volare pœnitentiā, pennas eleemosynæ non habens. Quapropter Cornelio bene pœnitenti religionis & pietatis penna eleemosyna fuit. Eleemosynæ enim tuæ, inquit, & orationes tuæ in cœlum ascenderunt. Ita nisi habuisset pennam, eleemosynam scilicet, pœnitentiā nequaquā celsisset in cœlū. Producit hodie bona negociatio eleemosyna. Videmus enim captiuos & pauperes, videmus in foro quosdā circumferri clamitantes, videmus lachrymantes, videmusq; sese humili nobis quodā flectentes applausu. Nundinæ nobis profecto mirabiles sunt, harū nulla est alia professio, & negociatori nulla alia intentio, quā paruo quidem emere, magno vendere: nam ea cuiusq; negociantis industria. Nū negociationis alia ratio est, quā quod minori empta, maiori precio vendat, atq; duplicatā sibi summā inueniat? Tales igitur nobis deus nundinas proposuit: modico iusticiæ eme quo multo vendas in seculo futuro. Hic modico iusticiā emitur, nisi pro panis fragmento, vili pro vestimento, pro calice aquæ frigidæ. Amen dico vobis (inquit spiritualis mercaturæ doctor) non perdet mercedem suam. Calix frigidæ aquæ dignus est mercede: data vestimenta, data pecuniæ per beneficium, putas non fortientur mercedē magis, & multo maiorem? Quare ergo calicem aquæ frigidæ

Esai. 55.

frigidæ in medio duxit? sine impensa eleemosynam dixit: nam si frigida aqua, neq; ligna consumis: ubi vero sine impensa datū tanto beneficio rependitur, ubi vestimentorum sumptuositas, pecuniarū affluentia, aliorumq; bonorū collatio, à iusto iudice quanta mercede remunerabitur: Quādiu itaq; virtutes assunt, quæ paruo venundantur, ab eo qui magna donat accipiamus, rapiamus. Sitiētēs enim, inquit, venite ad aquas. Et qui non habetis argentū, venite & emite. Quādiu nūdina ipsa perdurant, demus eleemosynā, salutē emamus. Christum vestis, qui pauperē vestis. Hęc, inquit ille, optimē & noui & accuratē, & bene eadē prius didici, nō tu prior docuisti, neq; abs te primū audiuius, nequaquam noua prædicas, sed eadē sæpenumero ex his qui assunt, nobis ingesserunt. Noui & ipse noui, hęc atq; huiusmodi sæpe didicisti. Sunt sæpe discētes, vel boni parum operātes. Qui miseratur pauperis, fœneratur deo: demus eleemosynam, quod ab eo nobis clementia repēdatur. Sed o verbum sapientissimum summū. Qui miseratur pauperis, fœneratur deo. Quare non dixit: Qui miseratur pauperis dat deo, sed fœneratur? Scriptura nostram auariciam intuetur. Attendit diligenter ad auariciam. Nouit insatiabilem cupiditatem nostrā respicere, & additamentū quærere. Quare simpliciter non dixit: Qui miseratur pauperis dat deo? quod non simplex datum, mercedemq; simplicem pures: sed, qui miseratur pauperis, fœneratur deo. Si deo fœneramur, is ergo nobis debitor erit. Quē ergo eum tibi esse velis, debitorē vel iudicē? Debitor veneratur fœnerantē, iudex nequaquā mitigatur ab eo cui ipse fœneratus est. Necessariū vero fratres & iuxta alterā explicare sententiā. Quare dixit deus, mihi fœneratur qui dat pauperi? Quoniam quidē, veluti iam diximus, nostrā videt auariciam ad incrementum tendere, & habētē pecuniā in stabili & solido non fœneraturum, nec velle fœnerari. Postulat enim fœnerans hypothecam, vel pignus, vel æquipollens, atq; per tria hæc eius pecuniam tradit, vel vades accipiēs, vel hypothecam, vel pignus. Quoniam quidē videt deus præter hæc fœnerantem neminem, & clementia sola neminem moueri, sed lucro intentos solum habere animos, & pauperem horū omnium priuatum, non hypothecam habentem, nihil enim possidet: non pignus ferentem, nudus est enim: nō æquipollens exhibentem: nihil enim sibi præ inopia creditur: vt videt eum periclitantem inopia, atque vnā pecuniam habentes per sæuiciā pessum abire, medium sese ingessit vadem, quippe pauperi pignus. Fœneranti dicit deus: Non credis huic per inopiam, mihi per diuitias crede. Vidit pauperem, neq; spreuit, sed semetipsum dedit pignus nihil habenti, atq; inopi adstitit sua multa de bonitate. Veram hanc cōstat esse clementiā, probante sancto Dauid, & dicēte: Astitit à dextris pauperis. Qui miseratur pauperis, fœneratur deo: confide mihi fœnerans. Magis autem nequissimū est à deo rationem exigere. Verum tuæ vt condescendam nequiciæ, atq; clementia tuā superem sæuiciā, de his queramus. Fœnerans ceteris, quidnā consecutus fueris lucrū? quid ab aliis in additamento requiris, tibi tradā. Nū cētum iure si quæsiueris, si vero insatiabiles actus, duplicē, triplicē ve eam tibi feceris iniquitatem: ego tuam supero auariciam, superexcedo immensam illam cupiditatem, atq; mea veritate immoderantiam tuam. Centum quæris, ego centuplū tribuo: hanc itaq; in fœnus à me accipis, quam in pauperē facis eleemosynā, quod ea mihi quandoq; despecta postulo, vel sic cōmunicatio-

Tomus quintus.

nem postulo. Cupio roborari, designa quoq; mihi retributionis tempus, decerne mihi receptionis terminum. Magis quidē superfluum est à deo hanc rationē exigere. Fidelis dominus in omnib; verbis eius. Quod vero mos & intentio est cui vel gratē fœneratum est, metiri diem: audi quando & vbi tibi debitum reddet, cui per pauperes fœneraris. Cum sedebit, inquit, filius hominis in sede maiestatis suæ, & statuet oues quidem à dextris, hædos vero à sinistris, tunc dicit his qui à dextris: (Hic diligenter attendite, quoniam debitor fœneratori sit gratus: quoniam qui fœnus recipit, multa cum gratia retulit) Venite benedicti patris mei, possidete paratū vobis regnum à constitutione mundi: quare? quia esuriui, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: in carcere eram, & venistis ad me: infirmus erā, & visitastis me: hospes eram, & collegistis me. Hinc qui in tempore bene dispensarunt, propriam infirmitatem respicientes, atq; in eius dignitatem, qui fœnus recepit, dicunt: Domine, quando te vidimus esurientem, & pauium te: sitiuentem, & dedimus tibi potum? In quem oculi omnium sperant, & tu das escam eis eorū in vberitate. O bonitatem multam: occultat dignitatē per clementiam. Dedistis mihi potum. O multam bonitatem, o benignitatem immensam. Qui dat escam omni carni, qui aperit manū, & implet omne animal benedictione, Esuriui, inquit, & dedisti mihi manducare: non dignitate minorata, sed dei clementia pro paupere fidei iubente. Sitiui & dedisti mihi bibere. Quis hæc dicit? qui lacubus & fluminibus, & potibus aquarum naturā præbet. Qui per euangelium dicit: Quoniam qui credit in me, sicut scriptura dicit, flumina de ventre suo fluunt aquæ viuæ. Qui dicit: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Si nudus, inquit, eram, & cooperuistis me. Cooperimus cooperientem cœlum nubibus, qui vniuersam induit ecclesiam, vniuersum orbem. Quotquot enim in Christo baptizati sumus, Christū induimus. In carcere eram. Tu in carcere, qui educis vincōs? Interpretare quæ loqueris. Nam ipsa dignitas fidem derogat diētis. Quando te in tanta necessitate vidimus? quando eadem fecimus? Respondet dominus, Quod enim fecistis vni ex minimis, mihi fecistis. Num verus sermo? Qui miseratur pauperis, fœneratur deo. Atq; mirabile hoc vide. Nullū aliud q̄ id virtutis opus in mediū duxit. Poterat enim dicere: Venite ad me benedicti, quod casti, quod virgines vixistis, quod angelicā suscepistis conuersionem. Sed tacet hæc, nō quod memoria sint indigna, sed quod à clementia sint secunda. Sed quē admodum his qui à dextris, multa de clementia elargitum ostēdit regnum: pari modo eis qui à sinistris, de peccato cōminatus est pœnā, Ite à me maledicti in tenebras exteriores paratas diabolo & angelis eius. Quare? propter quod malum? quia esuriui & nō dedistis mihi manducare: non dixit, quia fornicati estis, quia furtum, quia falsum fecistis testimonium, quia periurastis. Mala quidem hæc manifestē, sed à duritate negantis eleemosynā sunt secunda. Quare autem domine viarū aliarū non recordaris? Non iudico, inquit, peccatū, sed inclementiā: non peccantes, sed immisericordes iudico: inclementiā vos damno, quod talem ac tantā salutis medicinam, eleemosynā scilicet, qua emolliri atq; extergi omnia peccata potuerunt, tantū beneficiū despexistis. Itaq; inclementiā vitupero, quasi maliciæ radicem, atq; comminor illis quidem aternū ignem, his vero aternū polliceor regnū. Vtiles tuæ domine promissiones, vtile & expectatum regnū tuum, vtilis iterū

A iij commi-

cōminata gehenna. Et id quidē bene alliciens, bene enim allicit regnū, terret vero vtiliter gehenna. Minatur enim gehennam deus, nō quō gehēnā inducat, sed quō à gehenna liberet. Alioqui si torquere vellet, non iam ante minatus esset. Quō firmi ac stabiles euitemus minas, pœnam minatur: & terret verbo, quō minus opere torqueat. Fœneremur igitur deo per clementiam, fœneremur quō debitorem inueniamus eum quemadmodum paulō ante diximus, non iudicem. Veneratur enim debitor fœnerantem. Veneratur eum & erubescit. Si abierit fœnerator ad debitoris ianuam, siquidē inops fuerit, fugiet: si vero diues, lato eum animo excipiet. Alterū iusti iudicis mirum intueri, humanis ex rebus proueniens. Si cui in paupertate manenti fœneratus fuerit, atq; exinde ad diuitiarum splendorem venerit qui accepit, potens factus tibi debitum reddere, latebit multos ac reddet, ne pudore confundatur de priori statu: & gratias quidem agit, beneficium vero celat, priorem erubescens paupertatem. Deus autē non ita, sed occultē mutuū accipiens, palam debitum reddit: tunc vero cum accipit, clam per eleemosynam accipit: cum vero reddit, in oculis vniuersæ creaturæ reddit. Sed fortasse quis diceret: quare autē omnino quē admodum mihi diuiti dedit, non æquē pauperi dedit? Poterat quidē sicut tibi & pauperi dare, sed noluit, ne tuas diuitias infructuosas faceret, neq; illius sine merito faceret paupertatem. Tibi diuiti dedit ditescere, per eleemosynam & iusticiam distribuere. Dispersit enim, dedit pauperibus, iusticia eius manet in seculum seculi. Cernis diuitem eleemosyna æternam thesaurizare iusticiam? Quid ergo ad pauperem qui diuitias non habet: quo modo iusticiam operatur? sed habet paupertatem, de qua patientiam lucratur æternam. Nam patientia pauperum non peribit in finem. In Christo Iesu domino nostro, cū quo patri gloria, & spiritui sancto, in secula seculorum, Amen.

HOMILIA SEXTA.

LECE nobis hodie sanctus imminet Dauid, perlectus est musicus pudicitiaē doctor. Cum enim spiritualement eius per psalmos lyram mouet, auditum quidem mulcet, mentem vero pudicitia exornat: propterea decreuit gratia spiritus hunc solum fermē omnis Christiana anima modulari, quo audito latemur pro sinu animæ. Mihi vero sæpenumero admirari contingit, & mecum mente confundor, cogitans & dicens: Cuius rei gratia præ cæteris veteris instrumenti nouiq; scripturis, librum Dauid sic adamarunt omnes Christiani, atq; hunc solum ore voluerunt versari? Moses magnus fuit legislator, facie ad faciem contemplan ipsum vidit deum, qui desursum omnem nobis à primo creaturam, atq; ipsum creatorem innotuit, dicens: In principio cteauit deus cœlum & terrā. Liberq; hic maximus est, omni refertus pudicitia, vixq; semel eum annis singulis per ecclesias legimus. Sed quid ais, quōd veteris est instrumenti? Quid ad lectionem sanctorum euangeliorum? vbi miracula præsentia Christi prædicantur, vbi deus cū hominibus conuersatur, vbi mors destruitur, vbi dæmones præcepto fugantur, leprosi vero mundantur: vbi cæci naturæ defectū luto curauit, & quinq; hominū milia per desertum de panibus quinq; nutriuntur: vbi latro in paradiso constituitur, & meretrix astris purior inuenitur: vbi Iordanis fluenta ad sanctificationem nostrarū animarum consecrantur, & vnigenitus filius à patre de cœlo prædicatur: vbi

vitam nostrā Christus renouat, & renouans ad salutē genus humanū reuocat, dicens: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnū cœlorū. Beati qui esuriūt & sitiunt iusticiā, quoniā ipsi saturabuntur: atq; has leges semel aut bis legimus in hebdomada. Sed dices, diademata regalia non decere quotidie in publicū proferre. Et quid ad beatum Paulum Christi rhetorē, mundi piscatorem, qui quatuordecim per epistolas veluti spiritualia retia ad salutē captat? Qui tertium vsq; ad cœlū raptus, & iterum in paradysum translatus: cui mysteria regni dei sunt credita, quæ nō licet homini loqui. Atq; hunc bis per hebdomadam legimus, eius nō ferimus epistolam in ore, sed lectioni duntaxat accommodantes intellectum, pro tempore ipso hac sola procedimus. Quid ergo ad sanctū habeo dicere Dauid, quo modo spiritus gratia dispensauit, omnes eū dies noctesq; omnes prædicari? Omnes enim hunc odoriferi vnguenti loco circumferimus ore. In ecclesiis pernoctantibus, & primus, & medius, & nouissimus est Dauid. Diluculo quærantur hymnorum modulationes, & primus, & medius, & nouissimus est Dauid. Si pompæ in funeralibus defunctorum, & primus, & medius, & nouissimus est. Si tela in virginum domibus agitur, & primus, & medius, & nouissimus est Dauid. O rem inauditam. Multi qui literarum experimenta minus sumpsere, neq; ipsis edocti principiis, totum Dauid in pectore conseruat: neq; in vrbibus solū atque ecclesiis sic per omne tēpus, per omnē ætatē fulget, sed in foro medio, atque ipsa in solitudine, & inhabitabili terra certatim deo sacras stationes excitat. In monasteriis sanctis, choris angelicarum acierum, & primus, & medius, & nouissimus Dauid. In cœnobii virginum greges Mariam imitantū, & primus, & medius, & nouissimus est. In desertis viri crucifixi colloquentes deo, & primus, & medius, & nouissimus Dauid. Et omnes quidem homines naturali noctis somno altē premuntur, solusq; Dauid in stat, atque ipsos dei seruos in angelicas turmas congregas, excitat tota mente: terram in cœlum vertit, & angelos homines facit. Nostram proinde vitam omnibus exornat muneribus, omnibus omnia factus, nostram omnino vitam angelicam reddit: pueris coadulescens, iuuenes ad prudentiam conuocans: virginibus pudiciā largitus, senioribus firmitatē donat, peccatores ad pœnitentiam prouocat dicens: Cōfitemini domino, quoniā bonus. Eos qui per pœnitentiā profecerunt, roborans dicit: Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris domine. Eos qui beneficia receperūt, ad gratiarum actiones excitans, Quid retribuā, inquit, domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Eos qui multoties peccauerunt, ad cōfessionē reuocat, & dicit: Si iniquitates obseruaueris domine, domine quis sustinebit misericordiam à deo cupientes edocēs, Misere mei deus secundū magnā misericordiam tuā. Vocatos ad sacerdotiū confirmans, Ne proicias, inquit, me à facie tua. Ad iudiciū tractos docet & dicit: Libera me à calumniis hominū. In timore ab inimicis conuersos admonet, dicens: Eripe me de inimicis meis deus. Expectantes & gratias agentes, maiores ad gratiarum actiones excitans, & dices: Expectas expectaui dominū, & intendit mihi, & exaudiuit orationē meā. O magnā citharā, hominū totius orbis animas veluti neruos quosdā vnā in consonantiā, vnū gloriæ sermonem concrepantem & congregantē. Et quo modo talis tantusq; vir hominum mores exornas, angelorum politiā in terrā statuēs, & angelorum celebritate coronatus in cœlo: quōnā modo duo

Psalm. 130.

1 Cor. 10.

Psalm. 108.

do duo in maxima peccata dilabi permittitur? Nā peccatorū priora & maxima pmittitur est pessundari. Propterea sæpenumero mecum ipse reputans, hæc q; cogitans, mente excido haud secus, quā nauis in pelago magistro priuata hinc inde fluctuans circumfertur: ita motus est sæpenumero animus meus, ipse cogitās afflictus est, & astuans ac dices: Quo modo vir tot bonis ornatus, rex, propheta, Christi seruus, seruus per naturam, pater per carnem: Liber enim Iesu Christi filij Dauid: qui magnificatus virtutibus, diademate insignitus, circumdatus purpura, & humilitate munitus, dicens: Domine non est exaltatum cor meum, neq; elati sunt oculi mei: neq; ambulauit in magnis, neq; in mirabilib; super me, Si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meā sicut ablactatus: Qui terminos innocentia custodierat, dicens: Domine deus meus si feci istud, si est iniquitas in manibus meis, si reddidi retribuētibus mihi mala: Qui nō modo superbiā retundebat, sed & superbos animaduersione insectabatur dices: Non habitabit in medio domus meæ faciens superbiā, loquens iniquitatem non direxit in conspectu oculorum meorum: qui confidens deo dicebat: Tentasti me, & non est inuenta in me iniquitas. Et quid dico atq; suis vtor testimoniis? Sepe fidem derogat ei qui de se testimonium perhibet. Alter bene suis actis rebus testimonium afferat, alter eius coronas proferat, quōd fidelius sit testimonium: & quodnam deo fidelius dicente: Inueni Dauid filium Iesse virum secundū cor meum: Quid hoc testimonio firmius? Quid hac voce fidelius? Et quo modo tot donatus beneficiis, tot coronatus virtutibus, qui secundū cor dei testimonium accepit: quōnā pacto peccatis his maximis pessundari permittitur? Non mœchaberis, nō occides, & homicida & mœchus dei propheta. Hic nō bis hodie perlectus est locus. Num Prophetam carpo? absit, sed vestrā roborō vitā. Quo modo? tamen si sæpe bene, officiosq; gesseris, te ipsum corrobore ne cadas: sic & apostol; dicit: Qui se putat stare, videat ne cadat. Propterea & ipse sapius orans dicebat: Et vsq; in senectam & senium deus non derelinquas me. Cuius ergo rei gratia tantus vir permittitur esse ruere? Tribus de reb;. Quibus? Primū quō iustos propria de vita roboraret. Sum religiosus, eremita sum, neq; dicam multum virtute officioq; profeci, multis insignitus sum meritis, ieiuno, vigilo, oro, illachrymor, induor cilicio, corpus meum austeritate contriui, nō iam diaboli impetus formido, iam mihi quæ ad coronā pertinet perfecta sunt. Noli errare homo, ne mente in sublime tollaris, haud plura fecisti quā Dauid. Audi dicentē ipsum, Genua mea infirmata sunt à ieiunio, & caro mea infirmata est propter oleum: & iterum, Ego autē cum mihi molesti essent in duebar cilicio, & humiliabā in ieiunio animā meam: audi eū de vigilia dicentē: Media nocte surgebam ad confitendū tibi: & iterum, Septies in die laudē dixi tibi: audi eum de lachrymis dicentem: Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meū rigabo: audi eum de austeritate vitæ, Quoniā cinerē tanquam panem manducabam, & potum meum cū fletu miscebam. Et quid memoror quæ de propheta sunt? Audi iterum Christi testimonium, dicens: Inueni Dauid filium Iesse secundum cor meum. Et post tamen tot gesta, post tot celeberrima officia, tales in errores delatus concidit. Neq; ergo cōfidas, sed quotidie roboreris, quotidie apostoli disciplina id accipiens. Qui se putat stare, videat ne cadat. Primam audistis causam, Secundā accipite. Quō

peccatores minus suis rebus desperent, sed si peccauerit quis, quotidie confiteatur peccatū: tamen si millies peccauerit, persistet millies confiteri. Nihil enim desperatione deterius. Si quis enim desperauerit ob peccata, peccans non iam ad sanitatem recurrit. Aut non vides medicos, si de salute ægrotantis diffidant, non iam curare dicunt enim quōd mallent infirmitati dare, sed non vltiorē suscipit morbus curā: artis enim industriam morbi malicia vincit: hæc dicunt qui de ægroti salute desperant. Si vero sanitas expectatur, omnia faciunt ægroti, salubres afferunt medicinas. Pari modo si quis peccatis desperado cesserit, quasi nō super sit pœnitenti salus, sese maius in malū stimulat. Et tu ergo si noveris peccatū ad ipsam peccati summā, cæde scilicet, & adulterio, medelā accessisse & sanitatē, tamen si millies peccaueris, cōfessione te excita. Hæc autē dico nō vos alliciens ad peccandū, sed peccatores ad cōfessionē prouocās: quoniā quidē deus pius ac clemens vel maxima peccatorū delet. Quid enim maius cæde & adulterio: Et tu ipsum audi Prophetā pœnitentē, Dixi, inquit, confitebor aduersum me iniusticiā meam domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Propterea & peccatorum maxima Christus peregrinatus in terra remisit. Latronem in paradysum duxit, publicanū fecit euangelistā, blasphemū Paulū orbis apostolū: vt peccans tu minus desperes, sed peccatum fatendo deleas, salubrēq; ingrediaris viā. Confitemini enim domino quoniam in seculum misericordia eius. Ecce secundā causam: tertiā accipe. Debit ipse saluator noster peregrinari secundum ipsam in carne præsentia, mixturamq; nostræ carnis suscipere, & cū hominibus cōuersari. Sed quoniā deus erat, & idem sine peccato solus, permisit iustos proprium penes arbitriū humanis erroribus incuruari, non iam ipse ad peccatū impellens, sed arbitrio permittens secundum propriū nutū ambulare. Sic itaq; infidelitate sanctus peccauit Abraham, propterea pœnam non effugit à deo, vt feruaret eius semen annis quadringentis. Et iterum, Moses non glorificās deum cum aquā de petra donauit, ingratus, atq; ideo ad eum deus, Non videbis, inquit, terrā promissionis, & nō intrabis in eam. Sic & hūc permisit in peccatum cadere, quōd solus ipse in hominis corpore sine peccato inueniatur. Quare & propheta Dauid, cū de cætero ad peccati cōfessionē venisset, hoc dicit de eo: Tibi soli peccauit, & malum coram te feci: quare? Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris. Cum, inquit, venerit dies illa, massa nostræ mixturæ manifestē erit sedens in dextera maiestatis dei. Sede enim à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. In illa die apparebit & corpus, quōd de natura nostra suscepit, superius corpus, & inferius corpus. Videbunt, inquit, eum quem transfixerūt: sed hoc quidem grauatū, videlicet, nostrum: illud vero sine peccato, & peccatorum exigens pœnas. Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris. Quo modo? Quoniam quidem peccatum nō fecit, neque inuentus est dolus in ore eius. Ipsi gloria & imperium, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

HOMILIA SEPTIMA.

NA ergo turbine secularium rerum liberati, animam lectione diuinarum rescimus literarum. Sic faciunt & nauæ. Cum enim procellam digressi fuerint, & multū deinceps pelagus decurrentes, in portū discesserint quietū: dimittētes vela, A iij depo-

deponetes remos, egredientes nauim, quiete sese somno recreates, robustiores conatus reliqua ad nauigatione preparat. Hos imitemur & ipsi, atq; omni procella, tumultuq; & fluctibus liberati, quasi tranquillu ad quendam portu, scripturarum ad lectionem impellamus animas. Etenim portus est a fluctibus liber, murus firmissimus, turris minime nutans, gloria non diripienda, non vicianda, firma felicitas, minime languens, continua voluptas, & quotquot quis dixerit bona, sacra coperiet in scriptura. Eadem & mœrorē abiicit, læticiamq; conseruat, pauperem ditioem ipsis felicibus facit, diuitibusq; firmitatem adhibet, & peccatorē iustū reddit, & iustū stabilitate confirmat: malaq; euellit, bona inserit: fugat maliciā, bonitatem inducit, nō modo inducit, sed radicibus etiam firmat, continuamque facit permanere, spiritualis existens medicina: quoniam quidem diuina quædam & ineffabilis est passionum extinctio. Nam & spinas passionū extirpat, puramq; tellurem reddit: seminaq; dimittit pietatis, atque ad vigorem fructum agit. Nequaquam igitur tot pigritemus a bonis, neque deficiamus a conuentu: sed huc frequentius conueniamus, quod semper curemur. Et ne quis liuore stimuletur, diuitem videt, neq; deprimitur inopia: sed rerum perdicens naturam, transeat quidem vmbra ipsas, veritatem autem complectatur. Quoadusq; enim quis sese longius a virtute constituerit, magna videntur huius vitæ negociationes: cum vero in luce diuinarum scripturarum constiterit, tunc leuitatem & breuitatē, vilitatēq; simul mortalium harum rerum manifeste discet, quod fluuialibus aquis non constantius defluunt, simul & cū apparent decurrunt. Quare propheta philosophans, occupatos in his, pusillanimes ac miseros, humiliq; innixos vocat, qui ad diuitiarū phantasiā anhelant, trementes hos corripens, ab eo atq; reuocans trepidationem, suadensq; diuitias quasi nihil essent despici oportere. Ne timeas, inquit, cū diues factus fuerit homo, aut cum multiplicata fuerit gloria domus eius. Nō enim dixit, gloria sua: sed, gloria domus eius: quoniam cum morietur, non accipiet omnia. Vidisti dictionis subtilitatem, & manifestam diuisionem: Non enim dixit, cum multiplicata fuerit gloria eius, sed gloria domus eius: ostendens sanē alteram quidem esse hominis gloriam, alteram gloriam domus. Domus quidem gloria, porticus, deambulatoria, laquearia pulchra, pavementum, gemmarum ornatus, prata, hortuli, seruorum multitudo, sumptuosa quæq; supellex, quorū nihil ad hominē. Hominis vero gloria, fides recta, zelus in deū, charitas, humilitas, mansuetudo, assidua oratio, eleemosynæ, philosophiæ ornatus, & cætera vniuersa virtutis membra. Et illa quidem possidens, haud inde gloriam consequitur, neque iure quis cognominabitur bonus: sed contra vniuersæ maliciæ indicium. Nam & crudelēs & inhumani, sordidiq;, & philosophiæ expertes excitantur in comœdiis, qui eiusmodi sunt atque suas in his opes ostentant. Igitur non eadem hominis, vti prædiximus, & domus est gloria. Qui vero sese castitate, ornatu, mansuetudine, humilitate accurate deuouent, hos admiramus, prædicamus, laudamus: quoniam quidem ea potissimū est hominis gloria. Hæc igitur scientes, nihil imitandū esse putetis, nihilq; ad eos pertinere qui eisdem consepiti sunt. Nam opes, luxuriæ occasio, maliciæ schola, turpis vitæ & defluentis causa, animæ corruptela, via ad diuersa ferens mala, cursus nullum habens bonum, his qui abutuntur se. Hinc fures, hinc murrorū fossores, domestici transfuge in semetipsis fur-

ti morbum nutrientes. Sed eas vbinam deponemus? In terra suffodiemus: Absit, sed meis si ipse cōsiliis acquiescere volueris, modum tibi dixerō, quod transfugas opes, fidas tibi eas reddideris. Quoniam modo transfuge ipse tenebuntur? Distributa manent, custodia fugiunt. Atque vel ab ipsis agricolis discet. Nam illi quidem frumenta si domi conclusa tenent, vermium in esca amittent: si vero disperferint in terras, non modo custodiunt, sed etiam augent: sic & opes stantes quidē in arca, atq; sub sera & veste defossæ, citō transfugiunt: si vero eas in ventres disperferis pauperum, nō modo non fugiunt, sed & maiores inde resurgunt. Hæc igitur sciens, in manibus fac eas millenis detineri, viduarum scilicet, orphanorum, infirmorū. Neque enim diffugere poterunt tot detentæ manibus: sed cum firmitate & conseruantur planē, & crescunt. Et quid pueris, inquis, relinquam meis: Ego vero non te totas cogo euacuare. Nam & tunc pueros fecisses ditiores pro pecunia, cum deum ipsis propiciam reliquisses: atque ex eleemosyna lucrum fertilitatemq; haberes. Non enim eiusmodi pueros despiciet deus: haud itaque existimate substantiam his minorari eleemosynæ amore & opera. Multiplicabit enim ipsis firmitatem, quæ secundū deum est bonæ voluntatis, si eas hoc in primis ipsis depositum facies: si autē inopiā timuisti, & is superuacuis est timor. Qui enī malos nutrit, multo magis & egrotos, & captiuos, & inopes. Hæc igitur sciens, superflua quæque amputa, facq; pauperibus supplementum. Nam si calceamenta quis supra mensuram pedibus adegerit, itinere certē prolixiori impedimenta sentiet: & vestimentū induens corporis staturā excedens, pari modo implicabitur. Atq; superfluū vbiq; in eo quod satis est, ad opportunitatē inutile est: in pecunia multo fortius id euenit. Et qui supra quod est satis habent, nō modo in ipsa sufficientia, sed & in necessariis quibusdā impediuntur. Nā qui deforis in agone currunt et ipsa exuūt vestimenta: viam vero in cælū ferentē, & eandē arctā & arduā tot cū impedimentis quo modo poteris ambulare: quoniam quidem & veloci, & expedito cuiquā penē impossibile est desideratū iter optimæ huius vitæ, siue salutē cōsequi. Sparge igitur superflua in pauperes, & quod inuitus fortasse paulō post ipsis inimicis es celsurus, id ipsum volens deponere: tuaq; fac, quæ tua nunc non sunt. Neq; enim vllum habebis responsum, vllam indulgentiam, cum hinc abiēs Christi tribunali adfiteris, rationemq; factorum pones. Fugiamus ergo fratres auariciæ morbum, neq; ipsis irrationabilibus ferociores simus. Illis cōmunia omnia, & terra, & fontes, & pascua, & montes, & valles, atque nihil alterum habet plus altero. Tu vero homo mitissimum animal, fera es violentior, atq; infinitas pauperum escas domi cōcludis. Et nō modo natura nobis cōmunis est, sed & alia his multo plura, & aer, & mare, & ignis & aqua, & fontes, & vita, & mors, & adolecētia, & senectus, & morbus, & sanitas, esca & vestiū indigentia. Et spiritualia pari modo cōmunia sunt, sacra mensa, dominicū corpus, regni promissio, lauacrū regenerationis, purgatio peccatorū, sanctificatio, & redēptio, arcana bona quæ oculus nō vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascēderūt. Quo modo ergo nō indignū est, qui tot, tantisq; mutuo cōmunicamus: de pecunia tamē esse diuersos, atq; idem non seruare cognomentū, sed ipsorū animalium de se præbere feritatē, & id debentibus nobis his paulō post cedere, sed & insuper supremis de malis periclitari? Nam mors vsu quidem abducit: ad pœ-

nas vero

nas vero reliquum, atque ad æterna mittit tormenta. Igitur quod hæc minus fiant, multa vtamur eleemosynarum. Ipsa enim est regina virtutum, quæ illic cum fiducia assistet, a tormentisq; eripiet, & nemo repugnabit ei qui secum in seculum abierit. Nam & leuis eius est penna, plurimaq; fiducia sibi sublimitas inest, atque ad ipsum ascendit regalem thronum, alumnos suos audacter agēs. Orationes enim tuæ, & eleemosynæ, inquit, ascenderunt in memoriam in conspectu dei. Quod ergo & ipsi ad illam altitudinem tollamur, ab importuna auaricia liberati, atque deliciis, & honoris cupiditate superflua, in virtutibus quæque vtilia faciamus, multas illic nobis thesaurizantes diuitias: atque dexteræ eius crede manui, qui decimam non exigit, qui & custodire has poterit diligenter: atque hinc in iudicij die mitis propiciusq; inueniri, tametsi millies peccauerimus, ad indulgentiam peruenire nos, & responso dignos efficere. Magnum est bonum, & dei donum eleemosyna, ipsi deo potentia sua coniungens. Id maximè & è sapientibus quidam dixit: Magnus homo & honorabilis vir misericors. Ea nostra est gratia quæ mortuos excitat. Per hanc enim in nomine Iesu mortuos excitare poterimus, quanto magis esurientem nutrimus Iesum: Sed hic tu Christo beneficium tribuis, illic tu tibi: & meritum ipsum non quod suscipiat quis, sed quod faciat bonum, prouenit. Hic quidem, in signis dico, debet ipsi deo: in eleemosyna vero deum habes debitorem. Est eleemosyna cum de proposito, cum de liberalitate fit, cum abunde, cum nō te tam dare censēs quàm accipere, cum quasi lucrantem te, non quasi amittentem. Etenim de necessariis vsibus minus desperare decet. Nam quo modo erroneum non est, alterius te soluere tristitiam, & simul in hoc contristari? Non enim iam ipsam eleemosynam esse finis, sed neque illum ipsum Christum enutrirī. Nam si contristaris quod alterū tristitia liberaisti, summa scruiciæ & seueritatis indicium geris. Quanto præstabilius fuerat non liberare, quàm sic liberare: Quid autem omnino tristaris homo? Prorus aurum tuum non minuitur: si hac duceres sententia, ne tribue. Si enim minus fides quod tibi in cælis accumulatur, ne dederis. Sed hic queris tibi rependi. Dimitte eleemosynam esse eleemosynam, & nō negociationem. Multi quidem & hic receperunt, sed non sic receperūt quasi plura his qui non receperunt haberent: & hi quidem infirmi receperunt, quoniam quidem ad illa non valde festinant. Et quemadmodū nebulones ad regalem vocati mensam, atque idoneum non expectantes tempus, quasi parui pueri suam offendunt comestationem, præuenientes cibus ad crapulam repleti crassioribus: sic & hic quidam mercedem querūt, & eorum quæ illic sunt, minorantur bono. Atqui fœneras ipse multo plus priorē desiderat habere sortem, fortasse neque recipere desiderat, quod per morā in maius crescat fœnus: hic autem cito repetis hoc, cum quidē hic nequaquam futurus sis, sed illic perpetuē mansurus, nō hic iudicandus, sed illic pœnas daturus. At siquidē tibi domū quis ædificauerit, quam non habitaturus fores, id iacturam fortasse duceres. Tu homo vis hic ditescere, vnde & ante vesperam sepe numero profecturus es: Nescis in aliena nos terra versari, veluti peregrini & incolæ transfugatores? Nescis incolas eiici, cum non proficiunt, aut non sperant quod ipsi patimur? Propterea & quæcunque ædificauerimus, hic dimittemus. Nō enim permittit dominus eadem recipientes abire: tametsi domus

ædificauerimus, tametsi agrōs emerimus, aut seruos, aut supellestem, aut quid simile, non modo nō permittit, qui hic bona cupiunt nō abire, sed neque tibi cōputat: prædixit enim tibi, ne ædificares, aut in alienis impenderes, sed in tuis. Quid ergo tua dimittens, in alienis & operaris & impedis, quod laborem & mercedem amittas, atque insuper vltima tormenta subeas: minime obsecro: quoniam quidē natura fumus inquilini, & inhonorati, & abiecti. Hic fortasse si ciues esse voluerimus, neque hic erimus, neque illic ciuium fiduciam accipiemus. Si vero quasi inquilini cōuersantes erimus, & hic accipiemus fiduciam, & illic. Iustus enim in his nihil habens bonis, hic omnino quasi in suis versatur bonis: & in cælum abiens videbit æterna tabernacula, & neque hic patietur quicquam incommodi. Neque enim alienigenam quis eum facere poterit, qui omnē sub se terram habuerit, & in suam veniens patriam, veras ostendit opes. Quo igitur vtraque consequamur, & præsentia, & quæ illic sint bona, præsentibus pro sufficientia vtamur, & cæli erimus ciues, & multa fulti fidentia. Ea igitur pro re faciamus vniuersa, quod apprehēdamus illa, quod illis fruamur bonis: sic oro, sic obsecro, in idipsum studio multo incumbamus. Nemo in casura vrbe ædificat. Dic, inquam, si quis tibi prænunciaret post annum ipsam casuram vrbe, num fortasse in casura vrbe ædificares? Id itaq; nūc fac. Nequaquam in hoc ædificemus mūdo. Cadet enim paulō post, & cuncta peribunt. Quid dico cadet? ante ipsum casum ipsi peribunt, atrociasq; patimur mala. Quid in arena ædificamus: ædificemus supra petram, quantumcunque impetus fiet, inconcussa quidē illa erit ædificatio, eamq; demoliri nihil poterit. Cum enim sæpenumero terræ motus fiunt, incendia, bellorumq; cōgressiones, nobis etiā viuientibus eā nobis eripitur domus. Sæpe autē & vna multa pereunt, quod si & eadē perstiterit, morbus præueniens aut cito transfert, aut manētes nequaquam ea vti cōmodē permittit. Vbi enim voluptas, ibi morbi, & calumniæ & insidiæ: aut si nihil horum, liberos non habentes quibus ipsas demas, aliaq; demus vniuersa, quasi in alienis laborantes affligimur: quandoque & alienis ipsa peruenit cum domo hereditas, non modo nobis præmorientibus, sed etiam viuētibz. Quid ergo miserius quàm in id cum labore conari, quod inimici nobis inuitis hereditati succedāt, atque quod illi quiescant delicatē viuētes, & gaudeant tuis laboribus? Horum exempla in vrbibus plura videntur. Sed ne tristitia eos conficiam, qui huiusmodi inciderunt, tacebo: Possē & eorū fortasse aliquot vel nominatim exprimere, prolixiorēq; narrationem facere, multaq; vobis domus ostendere, quæ proprios hostes susceperunt, eorum qui in his laborauerunt: non domus modo, sed & mæcipia atque vniuersa sæpe hereditas ad inimicos deuoluitur. Eiusmodi enim humana sunt bona, in cælis vero nihil timendū est tale. Neque vt morientis superueniat hostis, hereditatiq; succedat. Non enim illic mors, nō hostilitas. Tabernacula vero sanctorū solida sunt, atque in sanctis illis exultatio, gaudium & læticia. Vox enim, inquit, exultationis in tabernaculis iustorū. Aeterna sunt tabernacula illa finē non habetia. Nō illa eadem tempore cadunt, nō possessores mutāt, sed permanēt cōtinuo in vigore. Neq; enim quid corruptibile est illic & mortale, sed vniuersa & stabilia & immortalia. Hæc in structurā pecuniarum impendamus. Nō architectorum sanē, aut operariorū magna nobis fuerit cura: pauperum manus huiusmodi domos construunt, claudi,

claudi, esurientes illas ædificat. Ne mireris, quoniam quidem hi & regnū nobis propinant, fiduciamque nobis ad deum tribuunt. Nam eleemosyna ipsa artifex est, optimaque illorum propugnatrix & tutela qui exercet eam. Etenim deo amica est, & cominus sibi semper assitit. Quos amauerit, his facillime gratiā impetrauerit: modo nō patitur a nobis iniuriam. Quo modo vero patitur: cum eam fecerimus ex rapina. Adeo quod si pura fuerit, plurimum tribuerit fidentia, his qui sibi adherent, imō & pro terrenis eorum rebus orat, tāta eius est vis. Eadem vincula disrumpit, tenebras soluit, extinguit ignem, stridorem effugit dētium, huic multa cum facultate celorum aperiuntur portæ. Ac velut regina ingrediente, nullus custodum ipsis in portis positorum audet interrogare quæ sit, aut vnde iter agat: magis vero illico suscipiunt omnes. Sic & eleemosyna regina omnino est, eum deo similem faciens. Estote, inquit, misericordes sicut pater vester cœlestis. Pennata est enim & leuis, aureas habens alas: ipsos supra modum delectans angelos. Ibi inquit, pennæ columbæ de argentate, & posteriora dorsi eius in pallore auri. Apud ipsum regalem thronū persistit. Cum iudicamur, imminet tormentis; nos eripit, suis complectens & protegens alis. Hanc vult deus, atque adeo vsque diligit, vt multa de hac ipse disputet. Vidua & orphanus & pauper, inquit, reficietur ab ea. Vult appellari deus miserator, & misericors super omnem terram. Ipsa enim eleemosyna humanum genus saluauit. Nisi enim misertus fuisset, vniuersa fortasse perissent. Ipsa nos existentes hostes, deo reconciliauit: ipsa infinita operata est bona, ipsa filium dei compulit seruu fieri, & semetipsum exinanire: hanc æmulemur per quam saluati sumus, hanc amemus. Nihil enim Christiano tam se fert charatricem, quantum eleemosyna: hanc & infideles quique mirantur. Multis enim & ipsi in locis dei misericordiam petimus, & ad ipsum dicimus: Miserere mei deus secundū magnam misericordiam tuam. Prius ipsi incipimus, magis vero nō priores incipimus. Iam enim & ipse suā nobis misericordiam præostendit, vel saltem secūdi sumus. Si enim homines misericordes, quāuis infinita cōmiserint peccata, miserentur: quanto magis deus? Audi prophetā dicentem: Ego quasi oliua fructifera in domo domini. Eiusmodi sumus. Neque enim satis est oliuā fieri solū, at fructiferam. Sunt qui miserates parua dant ipso anno labente, aut omni hebdomada vel parū quid exhibentes, hi oliua quidem sunt, non fructifera & vera, sed arida: quod quidem miserentur, oliuæ: quod autē non prompte aut ex animo, non fructifera. Sed vt fructiferi sumus, sæpe numero diximus, & nunc dico. Non dantis mensura eleemosynę magnitudo metitur, sed dantis proposito. Non enim dederis veluti vidua, quæ totas opes exhausit ex tota anima, exemplū id & ipsi imitemur, quod minus de te desperes, quali ex proposito non dederis: dederunt quidam capillos in templi structuram, neque repulsam passi sunt. Sed aurum siquidem habentes, capillos si attulissent, maledicti: si vero habentes solum id ipsum tulerunt, accepti. Propterea & Cain accusatur, non quasi vilia obtulerit, sed quod eorum quæ habuerit, viliora obtulit. Maledictus, inquit, qui habens masculum & fœminam, corruptum deo obtulerit: non solum maledictus dicitur, sed qui habet, inquit, & parcat. Si quis autem non habet, a crimine liberatur, magis autem mercedem habet, modo sententia propositoque talis ad conferuum fleatur, atque sibi in pacifica mansuetudine respondeat vsque ad calicem aquę frigidæ.

Da indigenti, & tribulato compatere. Si vero hæc minus habueris, vel suspirium si profers, atque omne tribuisti. Nam & insomnis oculus te vidit quod habueras dedisse. Quid enim duobus obolis vilis, quid capillis minus, ac farina floribus: & tamen hæc placuerunt magis, quā vituli, quā aurum. Etenim in eo quod quis habet, acceptus, haud in eo quod non habet: & quod tua habuerit manus, eo benefacit. Quare indigentibus libeter tribuamus opportuna quanquam modica sint; quamuis parua. Eandem cum illis accipiemus mercedem, qui plura impendunt, magis autem maiorem talenta decem milia proferentibus, modo cum proposito. Hæc agētes, atque ineffabiles dei thesauros assequemur: quæ nō audiamus modo, sed & operibus comprobemus. Quorum omnium nos cōtingat fore cōpotes, in Christo Iesu domino nostro, cui & patri gloria, cum spiritu sancto, nūc & semper, & in secula seculorū, Amē.

HOMILIA OCTAUA.



QVAM iucundi spiritualis huius nobis maris sunt fluctus, & ipsi qui in pelago sunt iucundiores. Illi quidem ventorum insolentia, hi auditus desiderio excitantur. Et illi quidem sublimis agglomerati, trepidatione gubernatori plurimam inferunt: hi vbi apparuerint, dicentem fidentia multa conuallant. Et illi quidem furibūdi maris argumenta, hi animæ lætabundæ sunt indicia. Et illi petris illis, ignobilem sonitū reddunt: hi vero doctrinæ cōtriti blanda voce redūdant. Sic & zephyri flatus in fata cadentes, atque ipsa spicarum capita inclinantes ac releuantes, in terra maris fluctus imitatur, sed & illis satis iucundiores: hic enim nō zephyri flatus, sed spiritus gratia animas releuat calore: & ignis ille de quo olim Christus: Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur? Hūc enim video immissum incensumque in animabus vestris. Quoniam igitur tot lampades vobis Christi timor accendit, agite huic doctrinæ oleum instillemus, quod vobis abunde lumen fiat. Etenim vobis de cætero ieiunij tempus ad finem vrget. Nam stadij medij prætergressi reliquum, ad ipsum finem concedimus. Sicut enim incipiens ad medium festinat: sic medium prætergressus desudat ad finem. Igitur tempus ad finem euolat, atque de cætero cymba prospicit. Sed quod queritur, non iam est ad portum peruenire, sed nauem haud lucri vacuum trahere. Oro vos omnes, & obsecro suam quisque ad conscientiam ieiunij negotiationem reputet. Sed si lucrum multum accumulatum inuenerit, negotiationi addat: si nihil cōgregatum, reliquum temporis negotiationi impendat. Quo adusque stant nundinæ, negociantes, de magno sperantes lucro, contendamus ne vacuis excidamus manibus, ne ieiunij laborem tolerantes, ieiunij amittamus præmium: licet enim & ieiunij laborem sufferre, & ieiunij fructum non consequi. Quo modo scilicet: Cum scilicet esca abstinemus, peccato non abstinemus: cum carnibus quidem non vescimur, deuoramus tamen pauperum domus: cum vino quidem haud inebriamur, inebriamur vero desideriis prauis: cum quidem inedia totam trāsigimus diem, atque eandem impudicis in theatris consumimus. Ecce ieiunij labor, & ieiunij fructus nusquam est, cum iniquitatis theatra conscendimus: nō ad vos mihi est sermo, noui enim ab ea accusatione vos vacuos esse. Sed mos dolore pressus est, cum eius non sunt qui doloris dant causam in præsentibus irruere. Quod enim lacrum theatra iniquitatis

tatis ascendere, ad communem luxuriæ officinam introire, ad publicum incontinentiæ gymnasium, super cathedram sedere pestilentia: Etenim & cathedram pestilentia, & incontinentiæ gymnasium, officinamque luxuriæ, atque omnē deinceps impudiciæ orchestram si quis dixerit, haud peccauerit, pessimū illum locū, plurimorumque morborum plenum, Babylonicam fornacem: omnino velut in fornacem quandam compelleris in theatrum. Diabolus urbem sit infernalibus flammis ministrans, non iam malleolos submittit, veluti Barbarus ille, neque naphtham, neque stupam, neque picē: sed his multo peiora, fornicarios visus, turpia verba, delibuta mēbra, atque omnes plenos maliciæ cantus. Illam igitur fornacem barbaricæ manus accenderunt, hanc autem fornacem cogitationes Barbaris insipientiores accendunt: hæc illa peior, quandoquidem ignis deterior, non qui corporis naturam, sed qui bonam animæ depopulatur habitudinem. Et quod nocētius est, neque ipsi qui comburuntur, id ipsum sentiunt. Si enim sentirent, non iam effusum illum in his risum emitterēt. Igitur id vel pessimum est malum, cum quis infirmatur, neque id ipsum quod infirmatur nouit: & miserē ardens & ærumnose, non sentit incendiū. Quæ nam ieiunij vtilitas, dic mihi, cum quidē corpus arces legitimo a nutrimento, iniquum vero nutrimentum animæ inducis: cum diem illic trahis sedens, cōmunem naturam deturpata intuens ac deformatam, mulierisque fornicarias adulterio damnatas, illic cuiusque domus mala colligētes? Nam & fornicationes videre datur, & audire blasphemias, quod & ipsos per oculos, & per auditum ipsi animæ morbus procedat: alienas imitatur calamitates, vnde & ipsis nobis inest turpitudinis contagio. Quod igitur ieiunij lucrum, dic mihi? Anima cibus eiusmodi nutrita, quibus oculis vxorē illis a theatris videbis, quibus oculis videbis filium, quibus domesticum, quibus amicū? Necesse autē dicentē illic gesta turpitudine, aut tacentē rubore cōfundi. Sed hinc non sic abis: licebit vero domi multa cum fiducia vniuersa narrare, propheticas voces, apostolica dogmata, leges diuinas, omnē virtutis mēsam apponere, vxoremque narrationibus eiusdem pudiciorem reddere, amicabiliorem filium, chariorē domesticū, atque ipsum inimicum persuadebis odiū deponere. Vides quo modo hæc quidē vbi que salutaria dogmata, illa vero spurcē vbi que refonantia: Quæ igitur ieiunij vtilitas, cum corpore quidem ieiunas, oculis vero mœcharis? Adulterium non ipsa modo cōglutinatio, aut copula corporis, sed & impudicus visus. Quæ vtilitas cum illinc hinc abis? ego corrigo, ille corrūpit: ego medicinas morbo adhibeo, ille causam morbi ministrat: ego naturæ flammam extinguo, ille libidinis flammam accendit. Quæ vtilitas, dic mihi: vnus ædificans, & vnus destruens, quid sibi labore profecerunt? Non ergo hic incassum, sed vtiliter conuersumur, quod fructuose, quod minus inuanum hic, quod non inutile, atque ad damnationem vnus edificans & vnus destruens, facilitate subuersionis ædificantium multitudo vincatur. Magnæ profecto turpitudinis & iuuenes & senes ad studium festinare. Sed vtinam eouque esset malum. Etenim id homini libero intolerabile fortasse videtur, & damno plectendū maximo, improbatione & confusione: verum enim nequaquam ad confusionem vsque erogata correctio. Sed tormenta imminēt, & pœnæ: necesse est enim illic sedentes adulterij delicto natate, non quod mulieribus copulemur, sed quod impudicis eas intueamur

oculis. Etenim his necesse est quempiam adulterio deprehendi. Neque meum vobis dicam sermonem quod minus negligatis, sed diuinam legē explicabo, vbi neglectui nequaquam locus. Quid ergo diuina lex inquit? Audistis quia dictum est antiquis: Nō mœchaberis: ego autem dico vobis, quod quicūque viderit mulierem ad cōcupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Vidisti adulterium consummatum? Vidisti completum peccatum? Er quod deterius in adulteriis, deprehensum adulterio, non humano sed diuino sub iudicio adulterij reum esse, hinc mortales pœnæ. Quicūque enim viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Non modo morbum, sed & morbi radicem euellit. Radix enim adulterij concupiscentia impudica. Quare non modo plectit adulterium, sed & concupiscentiā adulterij matrem. Sic & medici faciunt, non ad morbos instant solum, sed ad causas etiam tollendas, quamuis ægrotantem oculum viderint, prauum reuma desuper a temporibus cōpescunt: sic & Christus facit. Cæcitas mala est adulterium, oculorum est morbus, non corporis solum, sed animæ prius. Idcirco inde compefcit reuma impudiciæ per timorē legis. Quare non modo adulterium punit, sed concupiscentiam quoque vlciscitur. Iam mœchatus est eam in corde suo. Corde corrupto, quæ deinceps vtilitas in reliquo corpore: quemadmodum enim in plantis & lignis, si quando excessum videmus, reliquam de cætero repudiamus partem: sic & in homine, cum id perierit, incassum est inde reliqua corporis fanitas. Auriga perit, fractus, deiectus est, vacuum in posterum equi currunt: laboriosa lex & multum oneris habet: sic igitur & magnā habet coronam eiusmodi: laboriosa nanque magnas habet retributiones. Tu vero nequaquam laborem attēde, sed retributionem cōsidera. Sic & in vitæ rebus fit. Si enim laborem prospexeris, graue atque onerosum: si vero retributionē cogitaueris, leue & facile quod subest. Sic & gubernator, si fluctus viderit solum, nusquam è portu scapha digredietur, sed ipsam præ fluctibus vtilitatem cōmodumque metitur, atque demum credit innabili pelago: sic & miles si vulnera cædesque viderit, non iam induit thoracem: si vero triumphos pro vulneribus victoriasque, imperatum quasi concurrat ad prælium. Quæ enim natura graua, sic leuia fiunt, cum iam non labores cogitamus, sed ipsos laborum fructus consideramus. Discerēne vis quo modo natura graua, leuia fiunt? Paulum audi dicentem: Nam & ipsum momentaneum & leue tribulationis nostræ supra modum excessum, æternū glorię pondus operatur in nobis. Aenigma est quod dicitur, tribulatio quo modo leuis: hæc enim repugnant. Sed soluit ænigma illatio sustentans tribulationis leuitatem. quo modo ergo est leuis? quomodo non hæc quæ videntur nobis duntaxat cōsiderantibus. Sed coronam proposuit nunc quidē inuisibilem, certamen atque leue simul fecit seculum. Ostendit brauium, & desudantem solatus est. Tu vero cum mulierem videris formosam, splendētem oculis, ornatam stola, libidine titillantem, desiderantem visum: respice desuper stantem coronam, quod tale spectaculum prætereas. Vidisti conseruū: dominū cōsidera, atque omnino morbū curabis. Si enim qui disciplina pædagogū sequuntur, non flectuntur circum, non variē inhiant, non studio desistunt: multo magis tibi, qui Christum quasi præsentem cogitationibus intueris, nihil horum fuerit. Qui mulierem viderit ad cōcupiscendum eam, iam

iam mœchatus est eam in corde suo. lucundè ac sepius A legis decurro brauium, utinam & per dies singulos idiplum decurrissem: imò nò ad vos, sed ad eos qui peccatis sunt obnoxij, magis autè & ad vos. Nam vos firmiores essetis, & qui morbo laborant ad sanitatem citius redirent. Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Sufficiunt omnem peccati morbum purgare nuda hæc verba recitata. Sed ignoscite, vulnera purgamus, vulnera vero purgantem necesse est amaras medicinas imponere. Quanto vero magis portabunt verba, tanto magis purgabitur virus. Quemadmodum igitur ignis naturæ quanto coheret, tanto magis virus consumit: sic & verborum timor, quanto mente imprimitur, tanto magis peccatum impudiciæ nostræ purgatur. Hic igne examinamus, verbo scilicet doctrinæ, quò minus idiplum cogamur examinare gehennæ igne. Nam purgatam animam atque hinc abeuntem ille non suscipiet ignis. Vniuscuiusque enim opus quale, inquit, sit, ignis probabit. Probemus nosmetipsos nunc sine dolore, quò nec cum dolore tunc probemur. Quicquid ergo fortasse dixeris, id erit quod diximus laboriosa lex. Quid igitur, impossibilia mandat nobis deus? non, inquam, obtumescere, neque domino succenscas. Nò enim hic responsi modus, sed peccati additamentum priori peius. Quòd autem peccatorum plurimi consueuerunt in dominum suas accusationes retorquere, audi: Accessit ille cui talenta quinque tradita fuerant, & alia quinque attulit: accessit qui duo, & alia duo attulit: accessit cui vnum fuit creditum, & quoniam non habuit talentum quod ferret, pro talento accusationem attulit. Quo modo? Noui, inquit, quoniam austerus sis. O serui proteruiam, non contentus peccato, etiam contra dominum statuit accusationem. Metens vbi non seminasti, & tollès quod non posuisti: Sic & in presenti vita quotquot nihil operatur boni, additamentum malorum faciunt accusationem aduersus dominum. Nequaquam igitur dominum incutes: haud mandat impossibilia, multi & ipsa superant mandata. Ergo si impossibilia fuissent, minus sua sponte superassent. Virginitatem, in bonisq; nihil possidere nusquam mandat, atque à se propria substantiam multi abiiciunt, ipsis operibus reddetes testimonium legibus mandatorum inesse multum facilitatis. Nequaquam ergo superassent ea, nisi facilia approbassent. Non mandauit virginitatem: nam virginitatem mandans, & necessitatem & voluntatem agit: qui vero admonet auditorem, reliquit dominum propriae voluntatis. Propterea Paulus inquit: De virginibus autè præceptum non habeo, consiliū autem do: Cernis nò mandatum, sed consiliū: Cernis non præcipientem, sed admonentem: Alterū necessitatis, inquit, alterū voluntatis. Nò precipio, inquit, ut nò onerem. Moneo & consiliū do, ut alliciā: Sic & Christus nequaquam inquit, omnes virginitatem tenete. Nā si mādasset omnes virginitatem tenere, & legem mandasset esse præceptum, his obediens iam non honore multo dignaretur, & inobediens supplicia dedisset. Vidisti quemadmodum nobis parcat legislator? Quo modo nostra sollicitudo est pro salute? Nūquid non poterat præceptum hoc ponere, & dicere: Qui quidem virginitatem sequentur, honorabuntur: qui vero non, punientur: sed onerasset naturam: parcat ergo naturæ nostræ. Dimisit extra stadium, dimisit superiorem certaminibus virginitatem, quò & in ea proficientes, suam magnanimitatem ostendant: non proficientes vero, domini indulgentia digni habeantur: Sic & de men-

dicitate rem non posuit in præcepto, neque simpliciter dixit, vende quæ habes: sed si vis perfectus esse, vade & vende quæ habes. In tua situm est voluntate, dominus eris consilij tui: non cogo, non grauo, sed proficientem quidem coronabo, non proficientem non punio. Nam ea quæ ex mandato, quæve ex debito fiunt, præmium iam non tale consequuntur: quæ de industria, sponteque fiunt, splendidas coronas suscipiunt. Atque horum Paulum inducam testem: Si Euangelizauero, inquit, non est mihi gloriatio. Quare? Necessitas mihi imposita est. Væ enim mihi est nisi Euangelizauero. Cernis in legibus hunc quidem proficientem non multum habere præmij, necessitas enim est: qui autem non proficit, reus erit supplicio & vindicta. Væ autem est mihi nisi Euangelizauero. In cæteris vero quæ ex proposito non sic, Sed quid? Quæ est ergo merces mea? ut Euangelium prædicans, sine sumptu ponam Euangelium Christi, ut non vtar potestate mea. Ibi lex erat, propterea mercedis multum non habuit: hic propositum, quare mercedis multum habuit. Hæc à me omnia non inuacuum dicta sunt, sed diuinæ legis gratia, ut ostendam grauem non esse, non esse onerosam, non laboriosam, neque impossibilem. Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Vidit simul & id ipsum Christus multos legis difficultatem accusaturos: quapropter haud nudam, neque simplicem induxit, neque à semetipso: sed antiquæ legis memoriam reduxit à comparatione, felicitatemq; illius atque humanitatem ostendit. Quo modo autem, attendite. Non enim simpliciter dixit, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Hic ergo diligenter attende. Sed prius antiquæ legis reminiscitur, dicēs: Audistis quia dictum est antiquis, nò mœchaberis: ego autem dico vobis: Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, mœchatus est eam in corde suo. Vidistis geminas, legem veterem & nouam, quæ posuit Moses, & quam ipse introduxit? Magis autem & illam posuit, etenim per Moysen. Quare perspicuum est eam ipsam à se fuisse positam. nò ex Ioanne, aut apostolorum quoquam testimonium vsurpabo: nam ad Iudæos mihi concertatio est, sed à prophetis quibus videntur, credere, ab ipsis ostendam & veterem & nouam vnum habere legislatorē. Quid igitur Hieremias inquit: Disponam vobis testamentum nouum. Sed inde videmus quòd & veterem idem ipse dederit, dicens: Ego disponam vobis testamentum nouum, non iuxta testamentum quod disposui patribus vestris. Ita, sed hætenus iam non rem ostendimus: oportet enim vniuersa eiusmodi refragantia adducere in medium, manifesta q; facere, quò sermo continuo purus nobis insit, nullamq; impudētibus relinquamus causam. Disponā vobis testamentum nouum, nò iuxta testamentum quod disposui patribus vestris. Disposuit testamentum Noë cum diluuiū fuit, volens nos timore liberare & colluctatione, ne diluuiū intuentes & imbrem, in commune exitium assidue timeremus, propterea inquit: Disponam testamentum tecum, & cum vniuersa carne. Iterū ad Abrahamā testamentum circumcisionis disposuit. Disposuit testamentum per Moysen omnibus notū. Dixit Hieremias: Disponā vobis testamentum nouū, non secundum testamentum quod disposui patribus vestris. Dic, quibus patribus? Etenim personarum indeterminatio confusionem parit. Hic aduerte non iuxta testamentum quod disposui patribus vestris, non quò minus credas sub Noë testamentum da-

tum:

tum: sed eius de cætero temporis sic reminiscitur dominus, dicens: Disponam vobis testamentum nouum, non iuxta testamentum quod disposui patribus vestris: subiunxit & tempus, In die qua tenui manum eorum ut educerem eos de terra Aegypti. Quo paternum ostenderet amorem, non quasi seruos eduxit, sed veluti paruulum filium manu accipiens pater, sic liberavit: non post tergum sequi mandauit quasi seruum, sed veluti filium nobilem & liberum manu tenēs, sic duxit. Vidisti testamentorum duorum testatorē vnicum: Quoniam in certamine liberati sumus, & ex vno id tibi ostendam, ut testamentorum consonantiam noscas. Vidisti prophetiam quæ ex verbis est: discite vel eam quæ figuris constat, quāuis idiplum perspicuum sit, quidnam per figuram sit prophetia, quidve per sermonem prophetia: breuius ergo idiplum manifestū faciemus. Prophetia per figuram est: nam prudentioribus quibusq; verbis persuasit, rudiores vero per rerum visionem cohortatus est. Quoniam quidem futurum erat rem magnam in lucem prodire, & deus carnem suscepturus erat: quandoquidem terra cælū fore debebat, nostraq; natura ad angelorum nobilitatem ascendere, quoniam quidē spem ipsam superauit & expectationem, egrediens sermo futurorum bonorum, vti nouum & inauditum repente cōparens, audientes minus videntēsq; turbaret: figurauit olim per res, perq; verba nostrum assuescēs & auditum & visum, quòd in lucem futurum erat præparans: hoc autem erat quod diximus: quòd per figuram prophetia, & quòd est per sermonem prophetia. Altera quidem rerum, altera sermonum. Dico tibi rerum prophetiam, & verborum idiplum: Sicut ovis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente se obmutescet. Hæc per verbū prophetia. Cum enim Abraham tulit Isaac, tunc arietem videns hæretem cornibus, ad sacrificium duxit, opere veluti per figuram proclamās nobis salutarem passionem. Quòd igitur dixi, vis tibi duo hæc testamēta per opera ostendam: quemadmodum vidistis ouem in verbo, discite & in re. Dicite mihi, qui sub lege vultis esse. Bene dixit, vultis, non enim erant sub lege: fortasse ænigma est: quod dicitur, Nam lex auditores Christo transmisit, qui magistro iniuriatur, ignorat & pædagogum. Quare, inquit, dicite mihi, qui sub lege vultis esse, legem nò audistis: quoniam Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, alterum de libera, quæ sunt per allegoriā dicta. Vidisti per rem prophetiam? in eo enim quòd mulieres habet, non verbum, sed res est. Et seruam & liberam ostendit tibi per verba. Quoniam duorum testamētorum vnus est legislator, discite & ipsam figuram. Abraham duas vxores habuit, hæc autem sunt duo testamenta & vnus testator: quemadmodum illic ovis & ouis, alterū quidem in verbo, alterum autem in re, multa vero & operum, & verborum concordantia inest: sic & hic testamenta duo. Et hoc Hieremias quidem per verba prædixit: Abraham autem duas habens vxores, operibus figurauit. Quemadmodum igitur vnus vir & vxores dua, sic vnus legislator, & testamenta duo. Sed quòd dixi, vniuersa vnde hæc effusa sunt: iam mœchatus est eam in corde suo. Sed quare hæc vniuersa nouimus? Cuius ergo rei gratia veterem ipsis legem repetit: dicit enim ipsis: Audistis quoniam dictū est antiquis, Non mœchaberis. Cognouit difficile esse mandatum, nò suapte natura, sed audientium desidia. Multa enim quæ natura facilia sunt, difficultia fiunt cum pigritamus: veluti difficultia quæ sunt,

A leuia & facilia fiunt nobis accurate prospiciētibus: non enim difficultas rerū naturæ inest, sed exercentiū proposito. Quòd verissimū esse vel ex eo patet. Nam mel natura dulcedinē habet, atque eandem iucundissimam, sed ægrotis amarum quid atque illibitum est, non propria, sed illorū egritudinis natura: sic lex tamen videatur onerosa, nò sua natura, sed nostra sit pigricia. Haud etenim mihi multum laboris, ostendere factum facile esse: nā idiplum difficile aliud dicere oportuerat. Nunc enim dicit, fuge mulieris visum, à luxuria recede. Quòd aut peius oppositū dicere fuerat, exquire mulieres, scrutare alienas formas, atque sic libidinem vince. Id ergo difficile fuerat: nam dicere fornacem fuge, recede longius ab igne, flammæ propius nò accesseris, quò sis innocuus, multum facilitatis habet. Etenim iuxta naturam mandatum est antiquis, non mœchaberis. Cuius igitur rei gratia antiquam legem nobis ad memoriam redegit? Alteram introducturus, quò scilicet comparatione discas non esse huius atque illius pugnam. Cum enim ponitur comparatio, tunc fit manifestius iudicium, quoniam inficiaturi erant quidam quòd legislatoris loco hæc diceret. Ecce, inquit, vtrasque alternatim leges pono, tantam addisce consonantiam. Non id solum, sed etiam ut ostendat facilem opportunēque introductam: Propterea inquit: Audistis quia dictum est antiquis, non mœchaberis. Tamdiu in antiqua lege cogitauistis. Quasi doctor pigritanti paruulo antiquorum doctrinæ inniti volenti, atque ad altiora eum tollere cupiens dicit: Cogita quantum temporis hac in lectura contriuiisti. Sic & Christus recordatus, eos prolixiori tempore tenuisse legem antiquam, & cogitasse in ea, esseq; tempus de cætero ad altiorē conscendere, ad ipsam quæ patrum quādoque fuerat, legislationem traducit, dicens: Audistis quia dictum est antiquis, non mœchaberis: id antiquis dictum est, ego autē dico vobis. Si enim antiquis dixisset, merito quæritis, cum imperfectior adhuc esset nostra natura. Ea vero cum altius pullulauit, perfectior facta est, atque discipulis perfectioribus de cætero ipsis erat. Propterea incipiēs à legislatione, ne quis intuens philosophiæ sublimitate pigritet, aut mora teneatur, inquit: Nisi abudauerit iusticia vestra plus quàm pharisæorum, nò intrabitis in regnum cælorum. Plus à me laboris exigis: quare, num vna cum illis non sum natura? nunquid non homo similis illis? Quò minus hæc diceret: Quare nobis labores addidit? quare maiores defudationes exquirat: dicens labores, dicens certamina, dicēs extensionem legis, & præmiorum meminit. Nequaquam, inquit, Palestina do, neque terram fluentem lac & mel, sed ipsum vobis cælum defero. Neque in officiorum mercede plura solum recipimus, sed etiam in ipsa peccatorum transgressione supplicium maius trahimus. Quemadmodū qui legem præcesserunt, mitiorem pœnam his dederunt, qui peccauerunt in lege. Quicumq; enim sine lege peccauerūt, sine lege peribūt: id est, legem accusantem nequaquam habebunt. Sed hos contra ab ipsa natura sententiam, inquit, feram inter cogitationes accusantes, vel respondentes. Sic & his qui in lege peccauerunt delinquentes sub gratia grauioribus suberunt tormētis. Atque differentiam ipse ostendit Paulus, dicens: Irritam quis faciens legem Mosi, sine vlla miseratione duobus vel tribus testibus morietur. Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium dei conculcauerit, & sanguinem testamēti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit: Cernis

Cernis sub gratia maiore pœnam, veluti & præmia maiora. Sed quoniam sancta mysteria ad memoriam vobis retuli horrenda ac spiritualia, rogo, obsecro, deprecor, atque omni cum instãtia expeto, omne deponentes peccatum, horrendam sic ad mensam hanc accedere. Pacẽ, inquit, sequimini cum omnibus, & sanctificationem, sine qua nemo videbit deum. Qui autẽ videre dignus non est, neque communionẽ dignus est dominici corporis. Propterea Paulus inquit: Probet autem se homo, & sic de pane illo comedat, & de calice bibat. Non reuelauit vlcus, nõ in commune theatrum accusationem produxit, non delictorum testes statuit: intus in conscientia adstãte nemine, præter eum qui cuncta videt deum, qui & scrutatur, & de peccatis iudicat, & omnium vitam quasi læce quadã librat, iudicium peccatorum statuẽs, reforma quod deliquisti, atque sic pura conscientia sacram attinge mēsam, particepsq; sancti sacrificij fias. Hęc mente retinentes, & omnium quẽ de luxuria diximus, recordati, quantaq; his pœna posita sit, qui incontinenter & minus pudice respiciunt in mulieris faciem, & præ gehenna dei timorem & charitatem habentes ante oculos, nosmetipsos hinc inde purgantes, sic sacris mysteriis propinquemus, ne in iudicium damnationemq; nobis fiant, sed in salutem, & animæ sanctitatem: fiduciamq; cõtinuam salutis huius suscipiamus: quam assequi nos cõtingat, gratia & amabili clemẽtia domini nostri Iesu Christi, cui gloria in secula seculorum, Amen.

HOMILIA NONA.

ERGO nouistis vnde nobis hesternus sermo inceperat, aut vbi defecerat, aut vbi incepimus prioris homiliæ verba: sed vos oblitos existimo, quo vobis ille sermo quieuerit, qua in re minus dãno, aut redarguo. Quisq; enim vestrum vxorem habẽs paruulis studet, & quæ domi sunt curat omnia. Alij militiæ indulgẽt artibus, alij laborant manibus, ac vestrũ quisque diuersis infudat operibus: nos vero in his versamur, in his cogitamus, atq; in his nostrum terimus tẽpus. Itaq; ea in re haud accusandi estis, magis pro studio laudãdi, quod nequaquam nos vllõ reliquistis solẽni die. Is enim laudũ est cumulus ciuitati nostræ, non tumultum & suburbia, nõ domos deauratis trabibus tricliniis, sed diligentem populum habere, atque exercitum. Neque enim ex frõdibus generosam arborem, sed ex fructibus intuemur. Idcirco enim mutis animalibus prælati sumus, quod sermonẽ habemus, sermone mutuo colloquimur, sermonẽ amãmus. Homo qui sermonẽ abhorret, iumentis est mihius rationalis, non satis sciens cuius gratia honoratur, atque vnde honorẽ accipit. Quare bene Propheta: Homo, inquit, cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. En homo cui proprium loqui, sermonem non amas, & quãnam indulgẽtia dignaberis: Sic mihi omnes necessarij estis, sed in primis qui ad virtutis sermonem pennati aduenistis. Vndiq; igitur edocti diuino sermone rẽ aggrediamur, atque prioribus sequentia cõnectamus. Debeo enim vobis, atque ipse lato vobis animo debitum persoluo: non enim id mihi inopiã affert, sed diuitias nunciat. In his quæ foris sunt, eos qui credunt debitores fugiunt, quod minus reddãt, & merito quidẽ: nam exteris in rebus restitutionem inopia accedit, ipsam vero sermonis dissolutionem diuitiã sequuntur. Quale id est: Debeo cuiquã aliquid: si persoluerõ, nequit apud illum

1. Cor. 11.

psal. 48.

& illum esse, atque etiã apud me, sed à me deficiens, illi adhæsit: sermonem vero si persoluerõ, & mecũ est, atq; omnes habetis: si sermonẽ retinuerõ, neque restituum, tunc inops sum: si persoluerõ, tunc ditior fiam. Si non persoluerõ sermonem, solus ipse ditescõ: si persoluerõ omnibus vobis, fructum referõ. Eia ergo debitum reddamus. Quidnam id est: de pœnitentia sermonẽ cudi-mus, ac ceteris de virtutibus quod multã variãq; sunt pœnitentiã viã, quibus facilis nobis salus fiat. Nam si vnam nobis dedisset, repulissẽmus eam vtique, dicẽtes: Nequimus hanc ingredi, saluari nequimus. Nũc ipsam hanc tuam amputans obiectionem, nõ vnam tibi, neq; secundam, neque tertiam, sed plures ac diuersas dedit, quo multitudine tibi ad cœlũ facilis ascensus fiat. Et dicimus facilem esse pœnitentiam, neque onus in ea: peccator es, eleemosynã ingredi: dic peccauit, & soluis-ti peccatum. Producimus peccãtem Dauid, & soluẽtem peccatum: hinc secundam subiicimus viã, super peccatum flere, & dicimus: Quisnam hic labor, non pecuniam opus effundere, non longas ire vias, nec tale quid dicere, sed peccatum flere duntaxat. Hoc de scriptura inducimus, quod in Achab deus, quod fleuerit, quod mœtus fuerit, peccatum sibi dimisit, atque idem Heliã dicit: Nõne vidisti humiliatũ Achab coram me flentem, & contristatum: non faciam secundũ iram meam. Hinc tertiam dedimus pœnitentiã viã, ac de scriptura pharisæum duximus in medium, simul & publicanum. Quod pharisæus quidem superbe elatus, à iusticia cecidit: publicanus humilibus consentiens, fructum iusticiã suscepit, neque vllõ sub labore pressus iustificatus est: verba dedit, res accepit. Age ergo cœptum sequamur, & quartam proferamus viã. Et quãnam ea est Eleemosyna, regina illa virtutum, homines celerrime ipsorum in cœlorũ axes adducet, aduocati optimi loco fungens. Magna res eleemosyna, præcidit aërem, transit lunam, solis radios cædit, ad ipsum venit cœlorum culmen, ipsos pertransiens cœlos, & angelorũ populos decurrens, archangelorumq; choros, & omnes superiores potestates, ipsi assisit regali throno. Quod ex ipsa discẽ scriptura. Corneli, eleemosyna, inquit, & orationes tuæ ascenderunt in conspectu dei. Tamen si multa habueris peccata, aduocatrix eleemosyna est, ne timeas. Nulla enim super omnibus virtutibus huic sese opposuerat, Christum requirit, quẽ ipsa lucrificet propriis in manibus baiulans. Ipsi enim domini est vox: Si quis fecerit vni ex minimis his, mihi fecit. Ita ergo quotquot talia habueris peccata, eleemosyna tua omnibus est grauior. Aut non intellexistis in Euangelio decem virginum parabolam, quod eleemosynam non habẽtes, virginitati indulgentes, à nuptiis exclusã sunt: Erant, inquit, decem virgines, quinque prudentes, & quinque fatuæ: prudentes quidem oleum habebãt, stultæ vero non habebant oleum, sed extinctas lampades. Accedentes autem stultæ, ad prudentes dixerunt: Date nobis oleum de lampadibus vestris. Pudet me, & rubore confundor, & lachrymis, virginem stultam audiens. Erubescõ cum audio nomen, post tale virtutis lucrum, & virginitatis studium, vbi in cœlum euolarunt, vbi ad ipsas superiores virtutes certamen habuerant, laboresq; superauerãt, vbi ipsam voluptatis flammam conculcauerant: tunc insipientes, & iure insipientes, quod maius cum vicissent, à minore victæ sunt. Et accedentes insipientes dixerunt sapientibus: Date nobis oleum de lampadibus vestris. Hæc autem dixerunt: Non possumus vobis dare, ne fortẽ non sufficiat nobis & vobis.

Math. 10.

3. Reg. 17.

Luc. 18.

Mat. 10.

Math. 25.

Math. 25.

bis. Et non maliciã illud verbum, sed timoris. Ne fortẽ non sufficiat nobis & vobis: ne fortẽ quemadmodum omnes intrare quærimus, omnes remaneamus: sed abeuntẽs emite vobis à vendentibus. Qui nãq; sunt mercatores olei huius: Pauperes ad eleemosynam sedentes. & quanti emitur: quanti liberit. Precium nõ appono, ne obiciã inopiam. Quanti potes, tãti eme, habes denarium, eme cœlum: non quod venale sit cœlum, sed quod clemens sit dominus. Non habes denariũ, da calicẽ frigidã aquã. Inquit enim: Quicumq; dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidę propter me, non perdet mercedem suam. Mercatura negociatioq; cœlum est, atque ipsi pigritamus. Da panẽ, & accipe paradysum: parua da, & magna suscipe. Da mortalia, & immortalia recipe: da corruptibilia, & incorruptibilia accipe. Si celebritas adesset, epulum habẽs, atque in ea ciborum abundantia, multaq; paruo emerẽtur, num obstantiam vendentes, cunctaq; postponentes, in partem eius negociationis veniretis: Et vbi quidem corruptio, tanto studio laboratis, vbi immortalis est negociatio pigritatis, atque adeo conciditis. Da inopi, quamuis tu tacueris, orare pro te, respõdebunt infinita. Eleemosyna tua stante & declinãte, precium redemptionis animæ eleemosyna est. Præterea pelus & lauacra cũ aqua sunt, quo manus laues, qua vestes aqua: sic & eleemosyna quo per eam animę manus diluas. Ne inopiam proferas. Vidua in vltimo cœnaculo Heliã hospitabatur, ac paupertas non affuit impedimento, sed eximio cum gaudio suscepit eum, quare & dignos recepit fructus, & metens eleemosynã spicam legit. Sed fortasse auditor dicet, & mihi Heliã. Qui quæris Heliã: dominum Heliã do tibi, nec ipsum cibus: Heliã si inuenieris, quo modo hospitaberis: Christi domini sententia est: Quicumque vni ex minimis fecerit, mihi fecerit. Si fortẽ rex quempiam de populo appellauerit, atq; ad seruos dixerit: Reddite gratias huic meo nomine quãplures, qui me inopia laborãtem nutriuit, qui mihi beneficia in tempore permulta contulit: num certatim quisque pecunias eius omnes apprehederit, cui rex gratias dederit: Si ergo in hominem regem tãtum honoris res ipsa tribuit, cogita Christum in illa die ad angelos dicentem: Hic me in terra suscepit hospitio, hic mihi innumera contulit beneficia, hic me peregrinũ existentẽ confouit inducens. Cogita de cætero fiduciam, inter angelorum populos gaudiũ. Igitur cui testimonium Christus perhibet, non fiduciã super angelos habuerit. Magna igitur res eleemosyna fratres. Hanc amando faciamus, cui nihil equale: potens est enim peccata alia delere, iudiciumq; propulsare. Te tacente infinita pauperum ora gratias referunt, imò vero minus verbo aut ore necesse est, rebus ipsis clamantibus. Tam adeo exuberans, tamq; magnũ est eleemosynæ bonum, & ipsi pigritamus & concidimus. Da panem pro posse: non habes panem, da denariũ, da vel frigidã aquã calicem: atqui neque id habes, vel malis oppresso cõpacere, atque appensam mercedem habes. Nõ enim necessitatis, sed intentionis est merces. Aliter etiã in his disputemus. Enagata à nobis oratio est. Agẽ, ad propositum redeamus. Date nobis oleũ de lampadibus vestris. Nõ possumus vobis dare, ne fortẽ nõ sufficiat nobis & vobis, sed euntẽs emite à vendentibus. Abeuntibus autem ipsis, venit sponsus, & quæ habebant oleum, intrauerunt cum eo. Et clausa est ianua cõiuuij. Insipientes autẽ accedentes clamabant: Aperi nobis domine. Vox autem ab intra ad eas: Recedite à me, nescio vos. Id omnino

est frustra magnum virginitatis certamen. Cogita quomodo post tot labores exclusã sunt, cum frenabant incontinentiam, cũ aduersus voluptates opposuerãt sese, cum superiores ad virtutes certamen habuerant, cũ vitæ huius res spreuerant, cum periculũ tolerauerant magnum, cum tantum laboris superauerant, cum de terra ad cœlum euolauerant, cum corporis signaculum non soluerãt, ac magnum virginitatis specimen acquisuerant, cum in corpore quæ incorporeorũ sunt, perfece-rãt, cum corporis necessitates suppeditauerãt, cum magnum atque incomparabile virginitatis lucrum possederant, tunc audierunt: Recedite à me, nescio vos. Neque enim mihi existimaueris tantillam virginitatis esse magnitudinẽ. Talis enim virginitas est, vt eam potuerit nemo veterũ cõseruare. Propterea enim gratia magna, quod quẽ tremenda prophetis fuerat & veteribus, eadem nunc facilis leuisq; existimatur. Quæ nunc fuerit grauißima & necessaria, virginitas mortisq; despectus: ea nunc vel tenera puellæ parupendunt. Grauis etenim erat virginitatis possessio, vt hac se nemo reli-garet. Noẽ iustus erat, & à deo testimonium accipiens, sed mulieri adhæsit. Grauis etenim erat virginitatis prædicatio, quoad flos de virgine germinaret. Nemo igitur veterũ poterat virginitatẽ tenere. Magnum etenim est corpus frenare. Pinge mihi sermonẽ virginitatis, specimen atq; rei magnitudinem discẽ: quod bellũ habet quotidie nullatenus sedãdum, ipso barbarico bello deterius. Nam barbarorum bellum vel temporis quietẽ habet, quo aut paciscũtur, aut ordinãt, & quandoq; quidem pugnant, quandoque non, & ordines, & tempora sunt: belli vero in virgine collati nulla datur quies. Diabolus est enim semper bellum inferens. Non temporis obseruationem sciens, non globum in aciem congregans, sed quærens virginem semper nudam inuenire, quo mortale infligat vulnus, neq; à bello vnquã virgo cessare potest. Et damnati ad tẽpus quidẽ principem vident, neque paribus molestiis premuntur: vtrgo autem quocũque abierit, & iudicem circumagit secum, & inimicum secũ portat ad bellum, neque vesperi permittit respirare: nõ nocte, nõ diluculo, nõ meridie, sed bellatur semper, voluptatẽq; submittit: nuptias in memoriam adducens, quo virtutẽ excludat, maliciãq; in ea generet, pudorem expellat, fornicationẽ inserat. Exurit ergo singulis diebus & horis, fornacis modo succensa. Cogita quantus officij labor sit. Sed illæ post hæc audierunt. Nescio vos. Vide rem magnam, cũ virginitas secum sororem habuerit eleemosynam, in eam nulla aduersa poterit, sed omnibus superior erit: propterea nõ introierunt illæ, quod cũ virginitate eleemosynam nõ habuerunt. Multo rubore digna es, voluptatẽ debellãs, pecuniã succubisti: sed virgo quæ vitæ renunciãs, mudo crucifixa, pecuniã amas, vtinam virum desiderasses, atq; minus criminãdum fuerat: nam eiusdem substãtiã rem ac materiã desiderasses. Sed & hæc vã. Quid enim quæ sub viro sunt: illæ faciãiam male ostẽdunt sub filiorũ vmbra. Quod si ei dixeris, da eleemosynam, filios habeo, & nequeo dicẽ. Deus filios tibi dedit, fructũ ventris accepisti, nõ quo seua, sed quo pia misericorsq; fias. Ne igitur causam clemẽtiã pietatisq; faciãia causam feceris. Cupis hereditatem bonam filius tuis relinquere, eleemosynã relinque, quo te omnes laudibus efferant, vulgatãq; artem memoriã tuã relin-quas. Tu vero haud habẽs filios, sed vitæ crucifixa, quid pecuniã congregas: Sed iustus nobis sermo à pœnitentiã & eleemosynã via abducitur. Diximus eleemosynã magnam

Gen. 6.

magnam possessionem, inde suscepit nos poenitentia pelagus. Habes igitur poenitentiam, magnam eleemosynam, valentem peccati catenam dissolvere: habes & viam aliam poenitentiae opportunam, qua poteris a peccatis te vindicare. Ora per momenta singula, neque orans deficias, dei clementiam pete, neque repellat manentem te, sed peccata dimittet, & petita concedet. Orans quidem si exauditus fueris, permane gratias agens in oratione: non exauditus, mane orans ut exaudiaris. Neque dixeris, multum oravi, atque haud exauditus sum: etenim vel id saepe tuae utilitatis gratia. Nouit enim quod piger es, & coccidens, qui: si compos voti fueris, abis iam non orans: & sub voto orationis pertrahit te, quo crebrius deum alloquaris, orationeque exciteris. Nam si ea in necessitate existens, atque indigens pigritas, neque orationi insistis: quidnam egeris horum, si nullo indigeris? Itaque id tibi facit, quo frugi tibi res fiat, nolens te abistere iugi oratione. Mane ergo & ora dilecte, multum enim oratio potest, neque rem paruum aggredieris, orationi indulgens. Quod oratio peccatum dimittet, vel ex diuinis euangelis discite, quid enim inquit? Simile est regnum caelorum homini qui suam ianuam clausit: venit autem quidam vespere, accipere volens ab eo panem, & pulsat dicens: Aperi nobis, quoniam indigeo panibus. Hic ad eum: Non possum dare tibi, obdormiuimus enim & nos & paruuli. Hic autem insistebat pulsans ianuam, neque recedebat. Dixit ergo paterfamilias: Surge & da ei, & dimitte abire. Docet ergo te orare, neque obtorpescere. Si minus acceperis, permane quoad acceperis. Plures alias poenitentiae vias in scripturis inuenies. Ipsa poenitentia & ante Christi aduentum per eius prophetam Hieremiam praedicatur: Nunquid cadens non resurget, aut auertens non reuertetur: Et iterum post haec dicit ei: Accede, conuertere ad me. Praeterea & vias alias poenitentiae diuersas dedit, quo nobis omnem desideria occasione amputet. Nam si vnam haberemus, hac vadere nequiremus, mucronem huc diabolus fugit. Peccasti, ecclesiam egredere, atque tuum dele peccatum. Quoties cecideris in foro, toties exurgis: sic quoties peccaueris, peccati poeniteat, neque desperes. Tamen si secundo peccaueris, secundo poeniteat, neque animo costernatus a spe repositum bonorum cadas, quamuis nouissimo in vita die peccaueris, ingredere, poenitentiam age: medicina locus est hic, non iudicij, non poenas, sed peccatorum remissionem tribuens: deo solum dic peccatum tuum. Habes & aliam poenitentiae viam haud difficile, sed omnino accommodatissimam: qualem hanc, desse super peccatum tuum, idque ex sacris docetur euangelis. Petrus ille apostolorum princeps, in ecclesia prior amicus Christi, qui reuelationem ab hominibus non accepit, sed a patre, sicut sibi testimonium dominus reddit: Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in caelis est. Hic idem Petrus, Petrum cum dico, petram nomine indebilem, non se: crepidinem immobilem, apostolum magnum, primum discipulorum, primum vocatum, & primum obedientem. Ille non paruum rem fecit, sed maximam, qui dominum negauit: hoc dico, non iustum accusans, sed tibi poenitentiae praebens occasionem. Ipsum orbis dominum negauit, saluatorem, procuratorem pauperum. Ut vero altius repetamus, vidit Saluator quosdam abeuntes retrorsum, & dixit Petro: Nunquid & tu abire vis? Petrus autem dixit: Si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Quid dicis Petre? deus est qui decreuit, quid ipse reuertaris? Sed tamen inten-

tio quod suum erat ostendit, nature vero infirmitas redarguitur. Haec vero quando: Nocte vero qua stetit Petrus ante prunas calefaciens se, puella quaedam accessit, & dixit: Heri & tu cum homine isto fuisti? Hic autem dixit, Non noui hominem hunc: & impletum est decretum. Hinc Christus respiciens in Petrum, vocem dimisit per ipsum intuitum. Non enim ore locutus est, ne ipsum forte inter ludaeos redarguat, & proprium confundat discipulum, sed per oculum dimittens vocem, quasi diceret, Petre, quod dixi, factum est. Igitur Petrus tunc sentiens, coepit flere: & non fleuit modo, sed amarè, secundum baptismum per lachrymas ex oculis ostendens. Cumque fleuisset amarè, deleuit peccatum. Non enim paruus fuit reatus, proprium dominum negasse, sed magnus & fortis, eum tamen lachrymae deleuere. Desse igitur & ipse super peccatum, neque solum desse, aut apparenter, sed desse amarè: quemadmodum & Petrus, ex ipso profundo deducit fontes lachrymarum, quo dominus misericordia motus, tibi dimittat: clemens etenim est: ipse enim dicit: Nolo mortem peccatoris, sed potius conuertatur, & viuat. Quid igitur lapidatus, caesus, mortuus, qui omnia pro Christi nomine suffert, qui caelesti voce desuper compellatus, hic dicit quale miserit vocem? Accepi, inquit, gratiam a deo, sed & ego laboraui, & vna toleraui, & gratia eius quae in me est, vacua non fuit, sed plus laboraui omnibus. Nouimus, inquit, gratiae magnitudinem quam accepi, sed non desiderem inuenit: sic & ipsi fratres manus ad eleemosynam doceamus, ut parum quid inferamus. Ploremus super peccatum, ingemiscamus super iniquitatem, quo videamur vel parum quid inferre. Tamen si magna nobis in futuro reposita sunt nostram vim superantia: paradus enim est, & caelorum regnum, cuius & ipsi omnes participes sumus, gratia & clementia domini nostri Iesu Christi, &c.

HOMILIA DECIMA.

PRA nunc recordatio vestri nos tenuit, quanto tempore absumus: atque ipse quidem vestri nusquam obliterari potui, sed urbem dimittentem, vestram memoriam non dimisi. quemadmodum enim qui corporum praestanti forma capiuntur, quocumque recesserint, secum desideratam faciem circumferunt: haud secus ipsi venustate animarum vestrarum tacti, eam mentis vestrae speciem semper nobiscum tulimus. Et veluti pictores coloribus variis corporis imagines oblinire ac decorare consueverunt: ita & ipsi studium vestrum in coetu, in audientia promptitudinem abducere, benevolentiam caeteraque alia officia, veluti colores virtutum varios immiscentes, atque ipsam animarum vestrarum characterem imprimetes, mentisque apponentes oculos, ea speculatione satis nostrae peregrinationis accepimus solatij. Haec & sedentes, & surgentes, & ambulantes, & quiescentes, & introeuntes, & exeuntes continuo versamus, charitatem vestram interpretantes, neque interdiu solum, sed etiam noctu iisdem cogitationibus quasi deliciis enutrimur, illud cum Salomone scientes: Ego dormio, & cor meum vigilat. Id ipsum & nobis contingit, nam somni necessitas palpebras ipsas contrahit. Tyrannis vero amoris vestri oculos nostrae mentis excitat, atque saepenumero per somnum vobiscum loqui visus sum. Etenim consuevit anima quae interdiu cogitat, eadem in somniis per phantasiam cernere. Quod & nobis tunc accidit. Et vos carnis oculis minus videntes, oculis charitatis inspicimus, corporisque abster-

tes, dispositione praesentes fuimus, meae aures semper clamore vestro callebant. Quare & torporis aegritudine eo diutius cogente immorari, & aeris sanitate ad carnis sanitatem proficiente, id vis amoris vestri non tolerabat, sed exclamabat, neque prius molestando cessauit, quam nobis ante praefixum tempus exurgere suasit, & salutem, & alacritatem, & omne quodcumque est boni conuentum hunc vestrum existimare. Haec igitur suasi, maluimus redire, tamen si morbi reliquiae minus cederet, corporis infirmitate prorsus deponere satageas, quam de caetero charitati vestrae molestias inferre. Nam & illic manens criminationes audiebam: continua enim litera has nobis afferebant. Gratiasque habui criminatibus non minus quam laudantibus. Nam animae sitientis amarum illa criminationes fuerant, absentiam nostram accusantes. Quare surgens cucurri, quare nunquam mea vos mente quini excludere: sed quid multa: rursum si commemoratus licentia quadam & libertate fruens, vestri non sum obliuiscus recordator: quando quidem Paulus vinculis alligatus, carcere inhabitans, atque infinitis penitentibus se videns, in carcere non secus quam in prato versatus, sic fratrum memoriam habebat, & scribebat dicens: Sicut est iustum mihi hoc sentire pro omnibus vobis, & quod habeam vos in corde & in vinculis meis in defensione, & confessione Euangelij. Extra inimicorum catena, intra amoris discipulorum catena. Sed exterior quidem ferro obfirmabatur, interior charitate iungebatur. Et illa quidem saepenumero deponabatur, haec vero nunquam dissoluit. Sed quemadmodum mulieres quotquot dolorum partus experientia sumpserunt, quum matres fiunt horum quos parturiunt, quocumque fuerint, vinculo continuo alligantur: sic & Paulus adeo multo fortius: semper enim discipulis suis adherens atque affixus erat, eoque fortius quo naturalibus spiritualia vincula sunt fortiora. Nam non semel, sed eosdem bis parturiuit, & clamauit dicens, Filioli mei quos iterum parturio. Id adeo mulier nunquam pateretur, neque sufferet eosdem iterum dolores. Sed tolerabat hoc Paulus, quod in natura non est videri: & quos semel pepererat, iterum conspiciens actos in his dolores. Propterea & confundere eos volens, dixit: Quos iterum parturio: quasi diceret, Parcite mihi: nullus filius secundo maternum veterum partus doloribus affecit, quod me pati cogitis. Nam dolores illi vno temporis momento torquent, atque infante alio delabente & ipsi quoque delabuntur: hi vero non sic, sed & mensibus tot manent. Nam & annum totum saepenumero parturiuit Paulus, atque haud coceptos peperit. Et illic quidem carnis est labor, hic vero non vntres extenduntur, vnde illi sunt dolores, sed animae robur lacerant. Atque ut discas eos feruenciores esse dolores, quae vnquam mater optat natorum loco gehenam sustinere: Sed optat anathema esse a Christo, quo posset in deo edere quos semper continue parturibat, & dicebat: Tristitia mihi est magna, & incessabilis dolor cordi meo. Atque idem iterum: Filioli mei quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis. Quidnam alio illa beatius fuit, qui tales filios parere potuit, qui in se Christum haberent? Quid eo fortius, qui editos & adultos abortiuos posset denuo concipere ac formare? Id autem in naturali partu praeter humanas est vires. Quare igitur non dixit: Filioli mei quos iterum progenero, sed parturio: Etenim alibi generas, inquit, In Christo enim Iesu ego vos genui: illic ergo progeniem tantummodo ostendere voluit, hic vero & partum coram statuere

conatus est. Quo modo enim filios vocat nondum enixos? Si enim parturit, nondum peperit, quo modo filios vocat? Ut discas quod is prius eos non parturiunt doloribus, quod satis illis fuerat ad ruborem. Si enim, inquit, semel factus sum pater, debitumque in vos partum toleraui, vos vero filij facti estis: quo modo me ad secundos iterum dolores mittitis? Satis enim qui principio habentur, sunt partus dolores, quid me secundo doloribus cruciatis? Nam eorum qui nondum crediderunt casus, non secus quam fidelium labores sibi accedebant. Intolerabile enim fuerat post talium mysteriorum communionem videre quosdam ad impietatem sponte declinare. Quare acriter & sublimem, ac omni muliere passibilius ingemiscebat dicens: Filioli mei quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis. Id autem dixit, & fidere eos & timere volens. Cum enim ostendit non formatum in ipsis Christum, timore incussit & agoniam: eum demonstrat posse formari, iterum fidem voluit. In eo enim quod dicitur, donec formetur: vtraque sunt ostendit, quodque nondum formatus est, & formari posse. Si enim foret impossibile, inuacuum ad eos dixisset, donec Christus formetur in vobis: ipsos spe vana nutriuisset. Haec igitur scientes, neque ipsi a spe cadamus, sed neque omnino pigritemus. Vtraque enim haec perniciosa. Desperatio quidem exurgere non sinit, & stantem cadere facit, & neglectus quidem ex ipsis detrudit caelis. Desperatio in ipsum maliciae deducit abyssum, sicut fidentia deductum inde velociter trahit. Considera vero vtriusque vim, diabolus ante haec bonus erat, pigritans vero & desperans cecidit, tantaque obrutus malicia est, ut in posterum non resurgeret. Quod enim bonus erat, audi quid dicit: Vidi satanam veluti fulgur cadentem de caelo. Fulguris enim similitudo, & claritatem pristinae conuersationis ostendit, & naturae acumen. Paulus blasphemus erat, & persecutor, & contumeliosus: vbi vero desudauit, & spe non decidit, exurrexitque par angelis effectus. Iudas apostolus erat, sed pigritans factus est proditor. Latio item post tantum maliciae, vbi de spe non lapsus est, ante omnes paradusum ingreditur. Phariseus confidentis quasi sua elatus virtute, ab altitudine cecidit in profundum: publicanus non diffidens, sic erectus est, ut illum praerueniret. Vis ut tibi ostendam & urbem omnem hoc facere? Niniuitarum urbs sic omnis saluata est, & illos certe lata iam sententia a spe depulerat. Non enim dixit, si poenitentiam egerint, saluabuntur: sed solum, tres adhuc dies & Niniue subuertetur. Sed tamen iubete deo, & propheta clamante, sententia non correctionem habente non ceciderunt a minis, neque bonas spes perdidērunt. Propterea enim conditione minis apposuit, neque dixit, poenitentiam si egerint, saluabuntur: quo & ipsi latam dei sententiam audientes, neque sic a spe cadamus, sed eo fidentes exemplo haud deficiamus. Nam vel in eo est maxime videre dei clementiam, quae sententiae conditione minus apponens, tamen poenitentibus reconciliatur: sed vel ex eo quod apprehensa ferebatur, augeri volens timorem, eosque plurima sua morderi pigricia id effecit, ipsumque poenitentiae tempus ineffabile eius ostendit clementiam. Quo modo enim tres dies effecissent, ut deleteretur malicia tanta? Cernis quo modo adhuc dei clementia apparet? plura enim hic ad eius urbis salutem contulit. Haec igitur scientes, spe nunquam cadamus. Neque enim vel sic diabolo cesseris ut desperes, quod neque tam adeo latum eum peccantes reddimus, quam facimus desperantes. Audi de fornicatione quae supra peccatum Paulus desperationem timuit. Corinthiis enim scribens, B sic inquit:

763
 1. Cor. 5. sic inquit: Omnino auditur in vobis fornicatio, & talis quæ nec inter gentes nominatur. Non dixit, quam nec in gentibus audent: sed, neque nominatur, quod modo adusque appellationem illis intolerabile, id ipsi opere ausi estis. Et vos inflati estis: & non dixit, ille inflatus. Sed eum qui peccauerat, dimittens, sanos alloquitur: quæ ad modum medici faciunt, ægros dimittentes, ad herentibusque plurimo sermone vtuntur. Secus autem & hi omnes mendacij causa erant, nequaquam corripietes, neque terrentes. Mouit igitur crimen, quo facilis curatio vulneris fiat. Graue quidè peccatum est, sed multo grauius altum sapere in peccato. Nam si de iusticia inflari, iusticia sit euacuatio: multo magis id in peccatis si contingat, maximam nobis iacturam inferet, atque ipsorum peccatorum maius erime fuerit. Propterea inquit, cum omnia quæ præcipiuntur vobis feceritis: dicite, quia serui inutiles sumus. Si enim qui omnia faciunt, parua fecisse computabuntur: multo magis & peccatorem flere decet, & infimum sese omnium computare. Id itaque ostendens, tunc dixit, & non magis fleuistis. Quid dicis: alter peccauit, atque ipse plorabo? Ita, inquit: corporis enim & membrorum exemplo mutuo compacti sumus. In corpore enim tametsi pes vulnus accipiat, humi declinans, caput inclinamus. Et quid eo venerabilius: sed tamè dignitatem suam non nouit calamitatis tempore. Idem & ipse fac. Quare & Paulus admonet, dicens: Gaudete cum gaudentibus, flete cum fletibus. Et non magis fleuistis vt tolleretur de medio vestrarum qui opus id fecerat. Non dixit, & non magis studuistis: sed quod non magis fleuistis, quasi morbo communi, & peste ciuitatem comprehendente: quasi diceret, Orationem exigit & cõfessionem, & preces, quo morbus tota ciuitate tollatur. Vide quantum his timoris inculsit. Et quoniam putabant ad illum duntaxat peruenisse malum, ac constituisse, eos sollicitos reddit, dicens: Nescitis quod modicum fermentum totam massam corrumpit? Quod autem dicit, tale est: Ultra graditur malum, atque reliquis sese applicat membris, veluti de communi malo consulentes, curare vos decet. Neque id mihi subieceris, quod ille solus peccauit, sed illud considera, quod famies quædam peccatum, reliquum corporis depopulans. Veluti domo ardente, & qui nondum malo læduntur, his qui in malo sunt, molestia non minori premuntur: atque vniuersa conferunt, quo ne vrgens ignis ad proprias inualescat domos. Sic & vos Paulus excitat, dicens: Pyra quædam est, præueniamus malum, extinguamus incendiū priusquam ecclesiam inuadat: si vero neglexeris peccatum, veluti in alieno existens corpore, maxime quidem vel sic male. Ille enim membrum totius est corporis. Verum & id considera, quod si pigritaueris ac spreueris, te quoque quandoque comprehendat: quare si non fratris, tua tamen cura exciteris. Reprime pestem, saniam cõtere, depopulationem amputa: hæc & his plura dicens, & mandans tradi illum satanæ, denique inquit: Quandoquidem conuersus, & melior factus, satis huic ea fuit correctio à pluribus. Cõfirmate super eum charitatem: vbi enim communè inimicum & aduersarium statuit vniuersis, & à grege exclusit, à corpore rescidit, vide quanto in eum vtitur studio. Vti enim rursus cõiungat & annectat, non modo amate eum, dixit: sed eum confirmate super eum charitatem firmam: id est, immobilem in eum ostendite amiciciam calentem quandam & feruidam, atque ignitam: æquiualem priori inimiciciæ dilectione inferte. Quid factum est: num tradidisti eum satanæ: nonne iussisti? Ita, inquit, sed non quo in mani-

bus satanæ permaneat, sed eius dominatum illico defugiat. Et quemadmodum dixi, considera quàm timuerit desperationem Paulus, quàm magnam diaboli armaturam: dicens enim, Confirmate super eum charitatem: & causam addit, Ne fortè nimia tristitia absorbeatur: hic in lupi faucibus est ovis: præueniamus igitur, præripiamus antequam absorbeat aut corrumpat nostrum membrum. Periclitatur nauis: priusquam obruatur, eripere naufragio studeamus. Quemadmodum enim mari sese tollente, & fluctibus vsque ad summum eleuantibus, sub procella scapha inundatur: sic & anima vndique mœrore circumdata, velocius demergitur, ni quempiam dantem habuerit manus. Et quæ salutaris in peccatis est mœsticia, exitialis immoderata fit. Atque vnde quo modo accurate dixit: non enim dixit, ne hunc diabolus perdat: sed quid? ne lucrifiamus à satana. Auaricia enim est aliena concupiscere: ostendens igitur alienum ab eo de cætero factum, & quod in Christi gregem domesticum se poenitentia redegit, inquit, ne lucrifiamus à satana. Si enim de cætero comprehendat eum, nostrum rapiet membrum, de grege ouem furripit: nam poenitentia peccatum deposuit. Sciens igitur Paulus quid fecerat diabolus Iudæ, timuit ne quid fortasse idem faceret. Quid autem fecit in Iudæ: poenituit Iudæ: Peccauit, inquit, tradens sanguinem iustum: audiuit hæc diabolus, nouit in melius viam capientem, & ad salutem tendentem, timuitque mutationem: Clementem, inquit, dominum habet, cum traditurus eum fuerat, plorauit: atque ipsum miris prouocauit modis, nunc multo fortius correptum, & peccatum fatentem trahet. Idcirco enim, crucifigendus venit. Quid ergo fecit: exterruit eum, & obtenebrauit, mœrore magnitudine effugauit, persecutus est, quo ad laqueum duxit, atque è præsentem duxit vitam, poenitentiamque proposito priuauit. Quoniam si vixisset, & ipse fortè saluatus foret. Argumentum ex crucifixoribus sumitur. Si enim hos qui eum crucifixerant, saluauit, & ipse in cruce exiens, rogauit patrem, indulgentiamque tantæ audaciæ postulauit: constat quod & ipsum proditorem dignè poenitentem cum mansuetudine suscepisset. Sed ille præseruatur in medicina non tulit, mœrore nimio absorptus. Id igitur & Paulus timens, Corinthios sollicitabat eripere à faucibus diaboli hominè. Et quid opus est de Corinthiis dicere: Petrus enim post mysteriorum cognitionem ter negat, & plorans deleuit omnia. Paulus persequitur, blasphemus, cõtumeliosus, non crucifixum modo, sed illum vniuersos persequens, poenitentia ductus, apostolus efficitur. Solum à nobis deus orationem vel paruam exigit, atque vniuersa dimittit nobis peccata: dieo & parabolam id ipsum confirmatam. Duo quidam erant fratres, paternamque diuidentes substantiam, alter quidem cuncta quæ obuenerant, comedens, patria extorris factus erat: hic paupertatis non ferens pudorem. Hæc autem dico, quo sciatis & peccatorum quæ post baptismum contrahuntur, remissionem esse, si attendimus: dico non vti ad inertiam cõpellam, sed à desperatione reuocem. Nam ea nobis quàm inertia maiora confert mala. Quoniã hic filius eos qui post baptismum cadunt, poenitentia tamen resurgentes, filios esse ostedit. Filius enim dicit: Nam extra baptismum nemo filij appellatione nominatur, & domum habitat paternam, & paternam in sortem accepit omnia. Antè baptismum non est paterna accipere, neque hereditatem consequi: ita vt ex his fidelem hunc fuisse comprobetur. Et probi atque frugalis frater erat, frater vero sine spirituali regeneratione nequaquam fuisset. Hic igitur ad summam

765
 summam maliciam veniens, quid inquit? Reuertar ad patrem meum. Propterea hunc pater dimiserat, neque prohibuerat quo minus in patriam abiret alienam, quatenus experimento disceret accurate quantum beneficiū suscepit domi manens. Sæpe enim deus, quum dicēs minus suadet, rerum experimentis doctrinam promittit. Quod & ad Iudæos dixit: quoniam quidem infinita per prophetas verba impendens, non suasit, neque illexit, omittens per flagella corrigere, dixit ad eos, Corrige te correptio tua, & malicia tua corripiet te. Oportuerat ipsum quidem meritò fidelem esse, & ante ipsarum rerum euentum: quoniã vero se tam adeò impudenter habuerunt, vt eo monente & consulente minus crederent, permisit eos rerum euentu corrigi, quo vel sic reciperet. Quia concedēs luxuriosus in alienam terram rebus ipsis perdidit quid mali sit paterna domo excidere. Redit: non enim turbatus est pater, sed mitibus suscepit manibus. Quid ita? quia pater non iudex erat: & chorex, & facta est celebritas de cætero, lætaque & gaudens domus. Quid dicis? Hæc sunt maliciæ vicissitudines? Non maliciæ homo, sed reditus: non peccati, sed poenitentia: non fornicationis, sed in melius mutationis. Et quod in his est maius, turbatus est his maior filius. Is autè & hunc mansuete mitigauit, dicens: Quoniam tu quidem semper mecum es, hic vero perierat, & inuētus est: mortuus erat, & reuixit. Cum vero perditum saluari oportet, non iudicij tempus est, neque subtilioris examinis, sed clemenciæ indulgentiæque duntaxat. Nullus enim medicus vnguenta adhibens agrotanti, curam dimittens, incontinentiæ poenas ab eo postulauerit. Si vero poenas eum dare oportuit, satis poenarum quæ in aliena versatus est, dedit. Tanto enim à nobis tempore segregatus, fame dedecoreque ac summis dimicans malis, laborat: propterea, inquit, & perierat, & inuentus est: mortuus erat, & reuixit. Non enim, inquit, attendes presentia, sed prioris calamitatis magnitudinem cõsidera. Fratrem intueris, non alienum, ad patrem qui priorum neque vel parum recordari potest: magis vero eorum solum reminiscitur quæ ad compassionem, misericordiam, clemenciam, indulgentiam possent inducere genitoribus accommodata. Propterea non quæ fecit, dixit, sed quæ passus est. Non quod substantiam dissipauerit, meminit, sed quod innumeris periclitatus est malis. Sic & ouem tanto studio quæsuit, magis autè maiori: hic enim ipse rediit filius, illic autè ipse abiit pastor, & inueniēs reduxit, & lætatus est super eam magis quàm super cæteris quæ salua erant. Cernis vero quod reduxit, quod non flagellauit: sed ferēs in humeris, rursus gregi reddidit. Igitur intelligendum non modo à redeuntibus non auerti deum, sed hos non minori cum iucunditate quàm ipsos proficientes recipere: quod non modo poenas non exigit, sed ad errantium inquisitionem proficitur: quod horum gaudet inuentione, quàm ceteris tuto in loco perseverantibus. Ipsi neque malis obruti, spe sternamur, neque bonis abundantes confidamus: sed & proficientes timeamus, ne per cõfidentiam labamur, & labentes poenitentiam non recusemus. Quod enim incipiens dixi, & nunc dico, duo hæc: Stantè con fidere, & desperare iacentem, perditionem animarum esse. Quare stantes roborans Paulus dicit, Qui se putat stare, videat ne cadat. Et iterum, Timeo ne fortè aliis prædicans ipse reprobos fiam. Iacentes erigēs, & ad vltèrius excitās studium testificabatur Corinthiis sic scribens, Ne fortè multos defleam qui antè peccauerunt, & poenitentiam non egerunt: ostendens non tam peccantes quàm non poenitentes dignos lachrymis fore. Et

Hier. 2.

Math. 17.

1. Cor. 10.

1. Cor. 12.

Tomus quintus

A propheta ad eos: Nunquid qui cadit, non resurget, aut auersus non reuertetur? Quare & eosdem exorans David dicit, Hodie si vocè eius audieritis, nolite obdurare corda vestra sicut in exacerbatione. Quo & hodie dicitur, Ne corruamus spe, sed bonas in domino spes habentes, & pelagus clemenciæ suæ cognoscentes, omnem cõscientiam excutientes malam, multa cum spe propostoque adhaerentes virtuti, & poenitentiam maiorem in modum ostendentes, hic vniuersa deponamus peccata, vt multa cum fiducia coram Christi tribunali stare possimus, regnumque cœlorum consequi. Cuius omnes nos participes fieri contingat, gratia & clemencia domini nostri Iesu Christi, cui cū patre, simul cum sancto spiritu gloria, imperium, &c.

Homiliarum D. Ioannis Chrysostomi de poenitentia, Lælio Tifernate interprete, finis.

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI
 de poenitentia, Sermo.

PROVIDA mente, & profundo cogitatu cognosci debent duo rerum distincta negocia: Quid est, quatum distat inter bonum & malum, nec aliunde hæc cognitio, quàm à primordio repetenda est. Quid aliud est malum, quàm peccatum committere: quid est bonum, quàm agere poenitentiam pro commissis? Hæc est discretio vtriusque negocij. Serpens in paradiso peccatum suasit. Heuam poenitentia reclusit, & inde boni maliue origo. Quis deo dignior quàm David? Et tamen deliquit. Qui cecidisset de culmine, si non fuisset compunctus. Quis scelerator Manasse? & hunc poenitentia reuocauit. Poenituit deum quod Salulem regem elegerit: quapropter: nisi quia idem poenitentiam ignorauit. Quis sapietior Salomone? Sed nesciens poenitentiam perdidit gratiam. Et ob hoc dictum est, Concepit dolorem & peperit iniquitatem. Concipit peccator delicti dolorè, & si non poenituerit parit sibi mortem. Paruulus antequam prodeat ex vtero, dolor est matri: postquam vero editus fuerit, venit ei gaudium. Peccatum vero conceptum coluber est, in præcordiis hominis parit mortem, nisi fuerit poenitudine expiatum. Peccati conceptio serpens est in præcordiis latens. Cõsummatum venenum spirat, & letiferum generat morbum. Qui peccatum parit, in iudicium cadit: & si neglexerit, in ipso manebit. Natum suum mulier libèter per lactat, natum vero peccatum facit exitium nutrienti. Peccati vero pater & mater est venter incontinens & libido, captusque ducitur in vtraque prodigus & profusus. Peccati virtus confusa ebrietas, & castigandi securitas. Seminarium delicti, lex est cupiditatis in membris: & cor impoentens capiatur ab ea. Cõmissum crimen dulce est ad momentum, sed vertitur protinus in exitium. Temerarius & audax festinus cecidit in crimen, declinat autem ab eo prouidus poenitendo. Nam sicut aqua ignem extinguit ardentem, sic poenitentia diluit criminum fontibus lachrymarum. Sicut in tenebris non est absque lucerna lumen, sic non potest homo peccatum sine poenitentia abluere. Hoc de homine iam baptizato dicit. Item lector intelligat martyrium poenitentia præteriti non egere. Et sicut lux diei non quarit lucernam: sic iusticia ante deum sine poenitentia lucet. Ponderus peccati deprimit desperantem, prouidus autè poenitens leuius pergat. Præsumptiuo spiritu subintrat peccatum, & multiformis callidus discurret in homines: sapiens autè non illi dat locum gradiendi. In corde pigri vt ceruus

B ij ardet

Gen. 3.

ardet peccatum, nam in pectore pœnitentis liquefcit A vt cera. Peccati princeps factus est aspis. In Adam subintravit eius dolus, & fecit eum intra ligna paradisi latere confusum: vocavit illum deus non matutina, sed vespertina voce, dicens: Adam, vbi es? Et quid ille? Vocem tuam audiui & timui: quia nudus sum, & abscondi me. Timui: quare? Quia peccaui. Abscondi me. Quare? Quia nudus sum, & erubui. Quia ergo expulsus est pater per peccatum, reuocantur filij per pœnitentiã. Nam quod peccatum clausit, pœnitentiã referat: & de quo ira præcipit, pietas reuocauit. Qui non pœnitet modo, nullus manebit in umbra mortis: qui vero timet deum, per pœnitentiã illustratur. O pœnitentiã quæ peccatum miserãte deo remittis, & paradisi referas: quæ contritum sanat hominem, & tristem exhilaras: vti tam de interitu reuocas, statum restauras: honorẽ renouas, fiduciam das: & reformas vires, gratiamq; abundantiorem refundis. O pœnitentiã, quid de te noui referã? Omnia ligata tu soluis, omnia soluta referas, omnia aduersa tu mitigas: omnia contrita tu sanas: omnia cõfusa tu lucidas, omnia desperata tu animas. O pœnitentiã rutilantior auro, splendidior sole, quam non vincit peccatũ, nec defectio superat, nec desperatio delet. Pœnitentiã respuit auariciã, horret luxuriã, fugit furorem, firmat amorem, calcit superbiã, linguã continet, componit mores, odit maliciã, excludit inuidiã. Perfecta pœnitentiã cogit peccatorem omnia libenter sufferre, si violentus quarat, quæ habet, non vetat: si vestem dirimat, non refragatur, percutienti maxillã præbet alterã. iam angariatus vltro adiicit, castigatus gratias agit, prouocatus tacet, exasperatus blanditur: superiori supplex est, inferiori subiacet: in corde eius contritio est, in ore eius cõfessio, in opere tota humilitas. Hæc est perfecta & fructifera pœnitentiã. Sic pœnitentiã præsto est deus, esurienti nutritor, sitiienti potator. Sapienti quod stultum putatur, sapit: quod triste est, placet: quod molle est displicet: quod fluxum est, horret. O pœnitentiã misericordiã mater, & magistra virtutum, magna opera tua quibus reos resoluis, ac rescis delinquentes, lapsos releuas, recreas desperatos. Per te nobis Christus regnum cœlorum appropriatum designat dicens: Pœnitentiã agite, appropinquabit enim regnum cœlorum: ita & Baptistã clamat, Facite fructus dignos pœnitentiã, quoniã ecce adest regnum dei. Per te subito rapuit latronem Christus ad regnum: per te Dauid post flagitium felix iterum recepit spiritũ sanctum: per te Manasses post cruenta facinora ecce meruit fieri acceptabilis: per te Petro apostolo postquã ter negauit, data est indulgentiã dextera: per te filius prodigis regressus ad patrem, non solum amplexum osculumq; paternum, sed etiam epulum vituli saginati, vestemq; insignem promeruit adipisci: per te mulier fornicaria vberes stillauit lachrymas, fontẽque sui baptismi protinus lauit pedes Christi, crineq; deterfit: per te Niniue ciuitas magna, populusq; integer Barbarorum subito deum sapuit, virtutem tuam sensit, odorem tuum accepit, saporẽ tuum strinxit, dulcedinem tuam gustauit, cilicium contraxit, cinerem tuum comedit, ieiuniũ tuum protraxit, lachrymas tuas profudit, gemitum tuum, suspiriumq; persensit, fructusq; vbertatis tuã abundanter exhibuit, & sic per opera tua non solum decretã mortis discrimen euasit, sed etiam vitã incognitã coronam accepit. Cuius similitudini pœnitentiã comparemus? Sic est quo modo ager fructifer, aut vinea fecunda, aut etiam arbor fructifera, fructus eius edit peccator famelicus, profu-

cit in fiducia dei, acceptãque remissione pinguescit in vita, & hæc sunt verba eius. Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus cordis mei non est absconditus a te. Clamorem meum, suspiriumq; intellige, pavor peccati sollicitat me, pondus conscientiã meã deprimit me, non est mihi spes viuendi, neque fiducia moriendi, iudicium tuum deus vereor, & pœnas timeo præparatas impiis. Audi me obsecro, modo dum tempus est: remitte quod timeo, dele quod vereor, priusquã abeam, & amplius non ero. Tali animo pœnitentiã remissio datur, & vita donatur, nec regnum deerit a domino tribuendum. Quid ergo times pœnitentiã o homo, sine qua non est viuere, nec deo placere: Clamat Hieremias Hier. 9. compũctus pro populo, Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarũ, & flebo vulnera populi mei: Sciebat enim quod lachrymẽ iuuarent populũ transmigratũ, sciebat quod eius fletibus subueniret: sciebat quod deus cõtritionem quarit, & fletibus flectitur: sciebat quod deus lugentes lætificat, & pœnitentibus præsto est. Ideo prophetãdi locum querebat remotum, vt vsque ad vallem pertingeret lachrymarum, quam deus amat, quam Christus amplectitur. Vallis est remotis fletibus discreta, quæ dicitur Iosaphat, in qua iudex cœlestis populos discuit, & omnes gentes examinat. Disposuit in cõualle fletus. Est enim vallis hæc propter iudicium quidẽ metuenda, sed propter pœnitentiã exoptanda. Publica enim & secreta est. Publica est ad futuri iudicij pœnã, & secreta est propter salubres pœnitentiã lachrymas. Magnus profectus est lachrymarum, vt plorando seruus propiciet dominum, filius lachrymis mitiget patrem, & alperam matrem plorans parvulus mulceat. Ita ergo & peccator profusus fletibus reuertit iram dei, reformatus in ipso. Cupit videre Timotheum Paulus propter fletum: Desidero inquit, videre te, memor lachrymarum tuarũ: & Dauid dicit. Venite adoremus, & ploremus coram domino, qui fecit nos: & iterum, Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte: & Potum meum cum fletu miscbam, stratumque meum per singulas noctes cum lachrymis rigabam: & iterum, Deus vitam meam annunciaui tibi, posuisti lachrymas meas in cõspectu tuo: tanquã si diceret, Suscipe domine lachrymas meas, quoniã lachrymẽ sunt quæ radunt rudera, & sanant vulnera: lachrymẽ sunt quæ pœnitentiã armant, & indulgentiam prouocant: lachrymæ sunt, quæ cœlum pulsantes, crimina delent & conscientiam degraunt. Sonant in ore pœnitentiã verba, & mouent in pectore pietatis veniam. Et impletur caput aqua, tumescunt oculi, rigantur genæ, decurrunt riui, & deus indulgentiã mentem exhilarat. Lachrymæ sunt, quæ reconciliant deo, a peccatis redimunt animã, & sanant languores eius. Sordentem animẽ vestem lachrymæ lauant, & dant illi remissionis cãdorem. Nam sicut auceps auis, aut visco, aut reti in grano aliquo caput tenet passerem, & manu sua subtilissimo funiculo ligatum retinet, & quasi dimittens laxum de manu sua, dans ei liberam volandi potestatem: at ille avidus ad volandum, euasumq; se putans, alacer altiora appetit: sed iste summum funiculum tenes, restringit eum cum volauerit, & ad se trahit, ab spe volandi & viuendi deceptum: Ita & diabolus versutus venator, & per spiritũ præsumptionis laqueo suo deceptum implicat hominem: qui semel heferit, vult quidẽ ab eo euelli, sed vinculum velox venator tenens, reuocat captum semel in laqueo, & reuolutum premit. Et quidem vinculum ipsius fluxum est, ac faciliẽ potest dirumpi: sed desidia no-

stra, &

Tob. 12.

stra, & dilatio diuturna, facit vt robustum fiat, & non cito rumpatur. Quicquid enim durum, aut rigidũ obicit, vigilantia vincitur, & pœnitentiã propulsatur, orationibus mollitur, fletibusque resoluitur. Nam vbi præsumptionis spiritus imperat, ibi exclusa pœnitentiã, sola peccati arbor fructibus suis exuberat. Et hæc est arbor, in qua deceptus Protoplastus in mortem defluxit. Sed restat lignum vitẽ in paradiso dei repositum, quod nunc per pœnitentiã recepit homo. O homo recurre ad arborem vitæ. Quid tardas manducare fructus eius, vt maneat in æternum? Quid times pœnitentiã? Nihil tam durum quod non debeat: nunc cum gustaueris, tunc persentis quoniam suavis est & odor eius in naribus, & sapor in faucibus. Pœnitentiã sapor est ieiuniũ pro peccato. Quando perfectam verẽ arripueris abstinentiã, & compellentis gastrimargiã cupiditatem superas continendo, pœnitentiã est. Quando persuadentis gula libidinem vinum potando vincis, & iam eo quam parcissime vteris, pœnitentiã est. Quando te somnus premit, & vincis eum, & vigilas propter deum, pœnitentiã est. Quando esurienti fœneras, precium vitæ est, vestire nudum, pascere peregrinum, & cum indigentibus mensẽ habere consortium. Scriptũ est enim, Quoniam elemosyna a morte liberat, si non habet huius vituperationis meritum: quia elemosyna cum iniquitate acquirit, abominatio est coram deo. Illa est precium perpetuẽ vitæ. Si oraueris & ieiunaueris, & elemosynã iuste feceris, complesti precium, redemisti peccata tua, remissa sunt crimina, reparata est vita tua. Duo ara minuta mulier vidua misit in arcam dei, & prælata est opulentis. Et quid de duobus minutis dico, quando calix aquæ frigidæ porrectus non vacat a precio vitæ? Ergo non expauescas pœnitentiã, sed esto in processu eius promptior, in opere paratior, in amore propensior. Rictum fuge, linguã contine, mores compone, vicia vince, virtutem dilige, sanctitatem sequere, promissa male loquentium damna, & plena est pœnitentiã tua, atque perfecta, & promerebitur indulgentiam: prestante ipso domino nostro Iesu Christo, cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI

Sermo de penitentia & confessione.



SECRETO, flagito, supplico, vt hinc peccata nostra deploremus & lugeamus, doleam? ob peccata nostra, nec erit quod illic terreat: mordeant nos hinc verba, & non lancinabit nos illic vermis venenosus: vrat nos hinc increpatio, & non vret nos illic gehenna ignis. Consectaneum erit, vt qui hinc lugent, illic consolationem accipiãt: qui vero hinc rident & deliciãtur, & in peccatis iacent, necesse omnino vt illic videant lugentes & plorantes, & dentibus frendentes. Non meus hic sermo est, sed eius qui iudicaturus est nos. Beati, inquit, lugetes, quoniam ipsi consolationem accipiẽt. Vã vobis qui ridentis, quoniam plorabit. Quanto nunc melius temporalem cõpunctionem, & breuem luctum mutare bonis, & voluptatibus finem non habentibus, quã post breuẽ & momentaneam vitam hinc ridentes abire illuc perpetuo puniendos? Sed confunderis & erubescis peccata tua effari. Atqui oportebat maxime apud homines ea dicere & inuulgare. Confusio enim est peccare, non est confusio confiteri peccata. Nunc autem neq; necessariũ presentibus testibus confiteri: cogitatione fiat delictorum exquiritio, absq; teste sit hoc iudicium. Solum te deus confi-

Matth. 5.
Lucæ. 6.

tentem videat. Deus qui nõ exprobrat peccata tua, sed soluit peccata propter confusionẽ. Nunquid & sic grauaris & retrocedis? Verum & ego scio, quod conscientia non sustinet sua delicta. Nam si veniam solum in memoriam delictorum nostrorum, sicut pullus equi indomitus, & infrenis insolescit mens, sed cõterena, demulce manu, cicura te ipsum, persuasum habe, quoniam nisi quis nunc confiteatur, omnino illic cõfitebitur, vbi maior pœna, vbi amplior traductio. Hic absq; teste iudicium, & tu qui peccasti cõdemnas: illic autem in medium totius orbis theatrum producentur omnia, nisi prius hic detegamus ea. Confunderis confiteri peccata, confunderis admittendo. Nos autem quãdo ea agimus, frequenter & impudenter audemus: quãdo autem confiteri oportet, tunc cõfundimur & grauamur. Oportebat cum alacritate hæc facere. Non enim cõfusio accusare sua peccata, sed iusticia & virtus. Nam si nõ esset virtus, non illi mercedem posuisset deus. Habet enim Esai. 43. mercedem confessio. Audi quid dicit: Die tu prior peccata tua, vt iustificeris. Quis cõfunditur de opere a quo fit iustus? Quis cõfunditur confiteri peccata, vt soluat peccata? Num propter hoc iubet confiteri te, vt puniat? non vt puniat, sed ignoscat. Nam in externis iudiciis post confessionem, pœna. Idcirco & Psaltes istuc ipsum suspicans, ne quis veritus pœnam post cõfessionem neget peccata, dicit, Confitemini domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius. Num ignorat peccata tua deus, si tu non cõfitearis? Quæ nam utilitas tua, etiam si non cõfitearis? Num potes latere deũ? Etiam si non dicas illa, ipse nouit: si autem tu dicis, ille obliuiscitur. Ecce ego sum deus, qui deleo iniquitates tuas, & nunquã memorabor. Vides? ego nunquam memorabor, inquit. Hoc misericordiã fuerit, tu autem memor esto, vt emendationis capias argumẽtum. Hæc vt audiuit Paulus, quod deus peccatorum non sit memor, ipse continuo memor fuit, sic dicens: non sum dignus qui vocer apostolus, quoniã persecutus sum ecclesiam, & Christus Iesus venit in mundum, vt saluet peccatores, quorum ego sum primus. Condonata fuerant peccata a deo, sed memoria peccatorum condonatorum non euauit apud Paulum. Et ea quæ dominus deleuit, illa ipse inuulgauit. Audiuerat enim Prophetam dicens, Ego nõ memorabor, tu autem memor esto. Deus Esai. 43. vas benedictionis eum vocabat, & ipse primum se peccatorum vocat, non oblitus peccatorum sibi condonatorum: cogita quo modo beneficiorum dei memor fuerit. Et quid dico, quod non confundit peccatorum memoria? non ita claros nos reddit bonorum operum memoria, sicut memoria peccatorum: imò nos bonorum operum memoria nõ solum claros non facit, sed & confusione replet, & condẽnabiles efficit. Peccatorum autem memoria implet nos fiducia iusticiãq; multa. Quis hoc dicit? Pharisæus & publicanus. Nam hic dictis peccatis, rediit domum iustificatus: ille autẽ dictis bonis operibus, descendit factus publicano inferior. Vides quantum damnus sit, meminisse operum, quanta utilitas nõ obliuisci peccatorum? Et valde merito. Nam qui bona opera commemorat, arrogans efficitur, hominesque alios cõtemnit, id quod & pharisæo accidit. Non enim in tantam arrogantiam venisset, si non dixisset, vt ceteri homines, si non commemorasset ieiunia sua & decimas. Peccatorum autem memoria mētem humiliat, & humiliter sapere facit, & per humilitatem conciliat ei gratiam dei. Audi fãtem, quo modo Christus præcipit nos obliuioni tradere bona opera: B iij Quando

Quando hæc omnia feceritis, dicite, quoniam inutiles A
serui sumus. Ego te non facio inutilem, tu autem si con-
fessus fueris vilitatem tuam, ego te illustrem faciam, &
coronabo. Vides per quot nobis demonstratum est,
quantum lucri nobis ex peccatorum accrescat memoria?
Et est diuerso quoque poena quidem nobis à peccatorum
obliuione: vtilitas autem si bonorum operum nostrorum
obliuiscamur. Vis & aliunde discere, quod maximè bo-
num opus sit meminisse peccatorum: audi beatum Iob.
Sicut enim de aliis gloriabatur, ita & de confessione pec-
catorum, sic dicens: Si autem & peccans sponte deci-
nabam multitudinem populi mei, vt ne annuncierem
peccata mea. Quod autem dicit, hunc sensum habet:
Nunquam me societas conseruorum ad pudorem du-
xit. Quæ enim vtilitas ex ignorantia hominum, si iudex
sciat omnia: Quod autem damnum, si homines sciant
delicta, quando ille absoluerit vult à poena, licet omnes B
condemnent, iudex tamen liberum pronunciet: Nulla
mihi ratio est calculi illorum: & si omnes absoluant, &
admirantur, ille autem me condemnet, nulla etiam mi-
hi ex illorum iudicio vtilitas. Vbiq; enim ad illum spe-
ctare oportet, & idem facere in peccatis, quod in pecu-
nariarum sumptibus. Statim cum surreximus à lecto, prius
quam nos conferamus in forum, vel priusquam aggre-
diamur opus aliquod, vel priuatum, vel publicum, vo-
cato ministro rationem sumptuum petimus, vt sciamus
quid iam male, vel quid bene expenderit: & si videri-
mus parum quid damus desiderari, omnibus modis reco-
gitamus accessionem, occasionem, ne inuiti perdamus.
Faciamus igitur hoc & in operibus nostris vocata con-
scientia nostra. Faciamus similiter rationem verborum,
operum, cogitationum, & scrutemur quid vtiliter in-
sumptum sit, & quid in perniciem nostram: quis sermo C
male expensus in conuicia, in sales, in turpiliorum: quæ
concupiscentia oculum in intemperantiam prouocari-
rit, quæ cogitatio cum damno nostro in opus prodie-
rit, vel per manus, vel per linguam, vel per cogitationes
ipsas. Operam demus, vt ab intempestiuo sumptu ab-
stamus, pro semel male insumptis aliud reponamus lu-
crum: pro verbis temere prolatis, sanctas preces: pro vi-
su intemperate facto, elemosynas & ieiunia. Quod si in-
tempestiue insumpturi sumus, nullumq; nobis vel repo-
suerimus, vel thesaurizauerimus bonum, in extremam
redacti inopiam, soluemus poenā, immortali igni nos
iniicientes. Igitur seruorum mane rationem facere con-
sueuimus, operum autē post cœnam & vespem ipsam
in lecto iacentes, nullo inturbante, nullo obstrepente,
omnium eorum quæ per diem facta & dicta rationes
à nobis exigamus: & si viderimus quid peccatum esse, D
puniamus nos ipsos, increpemus mentem & conscientiam,
compungamus rationem tanto impetu, vt nō au-
deat ultra exurgere, & in idem peccatorum profundum
nos inducere, memores vespertinæ plagæ: & quod tem-
pus hoc huic rationi accommodatius, audi Prophetam
dicentem: Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus
vestris compungimini. Multa per diem nō vt volumus
facimus, & amici exacerbant, & familiares exasperant, &
uxor contristat, & puer dolet, & sollicitudo negotiorum
tam priuatorum tum publicorum circumsistit, & nō pos-
sumus tunc attendere, neque quo modo supplantamur.
Omnibus autem illis liberati, & apud nos collecti, sub
vespera multaq; fruētes quiete, iudicium in lecto requi-
ramus, vt deum per tale iudicium misericordem facia-
mus. Quod si quotidie peccauerimus, & animam nostrā
contuderimus, nunquam autem senserimus, sicut conti-

nuo vulnera accipientes & despicientes, febrē mortem-
que sibi accersunt: ita vtiq; & nos inuitabile nobis sup-
plicium continua sensus carētia attrahimus. Scio quod
grauia quæ dicta sunt, sed multum habent lucri. Man-
luetum habemus dominum, solum occasionem arripere
vult, & mox omnem præ se fert misericordiam. Nam
ne peccantes & inulti manentes nos efficeremur deteri-
ores, non remittit nobis supplicium, sed vidit hoc ma-
nifeste, quod peccatis ipsis non minus damnosum sit non
puniri: propter hoc imponit poenam, non exigens sup-
plicium de peccatis, sed ad futura nos corrigens. Et vt
discas, quod hoc sit verum, audi qui dicit ad Moysen: Di-
mitte me, & iratus delebo eos. Dimitte me, non quod Mo-
ses eum retinuerit: neque enim locutus erat ad eum, sed
silenter adstabat sua pro illis oratione. non autem sup-
plicationem ei dare volebat, quoniam illi digna suppli-
ciis commiserant, suppliciumq; inuitabilibus. Punire au-
tem volebat, sed misericorditer: id quod eos seigniores
reddebat. Vtraq; autem fecit, & vt poenam nō inferret,
neq; illos faceret ignauiores poena nō irrogata. Disce-
bant enim, quod non suo merito, sed Moysi patrocini-
o iram dominicam effugerint. Hæc & nos saepe facimus,
& famulos qui peccauerunt dignos supplicii nolentes
punire, neq; à supplicij metu liberari, amicos iubemus
vt illos è nostris eripiant manibus, atque vt ita timor il-
lorum in eis crescat, & nostra effugiant verbera. Hoc &
deus fecit. Et quod hoc sit verum, ex ipsis verbis mani-
festum est. Dimitte me, inquit, & irascar. Etenim nullus
remittit, qui punire vult: tunc enim irascimur. Ipse autē
dicit, dimitte me & irascar: vt scias quod ira in deo nō
sit affectio, sed poena in nos eo vocabulo nominetur.
Quando igitur audis Moysen dicentem: Siquidem di-
mittis peccatum, dimitte: præ seruo domino obstupe-
sce, quod ipse sibi ipsi misericordie occasio es quarit.
Non hic autem solum hoc fecit, sed & ad Hieremiā, &
ad Ezechiē idem hoc dicit: Circuite & videte in viis
Hierusalem: num sit qui faciat iudicium & iusticiam, &
misericors ero eis. Vidisti misericordiam: Multi etiam
impij vnus virtute simul fruuntur. Multorum autē ma-
licia, quāuis vnus sit qui recte agat in medio magni po-
puli, non ruit. Sed vnus quidem homo recte viuens, po-
pulum integrum eripere potest ab ira dei. Ciuitas autē
integra, peruersaq; in suam poenam & supplicium attra-
here beneuientem, & deicere non potest. Et hoc de
Noë manifestum. Pereuntibus enim omnibus solus ser-
uatus est. Et de Moysen clarum est. Solus enim potuit tan-
to populo impetrare veniam. Mihi autem aliud maius
est iudicium diuinæ misericordie quod dicam. Quum
enim non inuenit homines viuos, & fiducia præditos,
qui possint intercedendo veniam obtinere, cōfugit ad
defunctos, & per illos inquit, se remissurum peccata:
quemadmodum Ezechiæ dicit, Protegam ciuitatem
hanc propter me, & propter Dauid puerum meū. Olim
enim mortuus erat Dauid. Hæc igitur omnia quæ scia-
mus, quod omnia moueat & causetur deus, vt nos à poena
& supplicio liberare possit, multas ei prabeamus occa-
siones, confitendo, poenitendo, lachrymando, precan-
do, proximis iram dimittendo, pauperibus subuenien-
do, in orationibus sumus sobrii, humilitatem animi ex-
hibeamus, peccata nostra continuo memoremus. Non
enim sufficit dicere, peccator sum: sed opere precium est
& speciatim peccatorum & delictorum reminisci. Si-
cut ignis qui in spinas incidit, facile ipsas absumit: ita
& cogitatio quæ continua in seipsa omnia versat pec-
cata, quæ à iuuetute fecit vsque ad senectutem, ea exuit.
Deus

Deus autem qui transcendit iniquitates, & delet iniu-
sticias, etiam à peccatis nos liberet, & regno cœlorum
dignos faciat: gratia & misericordia domini nostri Ie-
su Christi, &c.

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI

de confessione peccati, Sermo.

Spiritus sanctus in delam purgandi facinoris,
& curam admissi delicti obtulit, dum qualiter
iram dei placaremus ostendit. Non vult pec-
catoribus inferre vindictam qui dare quarit
cōfitentibus veniā. Non enim vult irasci, qui præstruit:
sanitati consulit, qui medicinam vulneribus suggerit:
misereri cupit, qui reo salutis consilia & vtilitatis reme-
dia tribuit. Carterum punire non vult, qui ad hoc præ-
monet, ne cogatur vlcisci. Vult aboleri offensam, si qui
offendit, damnauerit culpam: vult confessione iam vi-
uere eum, qui præcepta contempserat periturus: vt cui
peccatum attulit mortem, & confessio afferat sanitatē.
Confessio enim poenitentiam monstrat: satisfactio veni-
am sibi diuina pietate cōciliat. Nec enim poterit in-
dulgentia tribui, nisi ira dei possit confessione placari.
O veneranda pietas dei. Peccamus, & parcit: delinqui-
mus, & ignoscit: offendimus, & adhuc placatus existit.
Vnde qualis erga iustos sit, monstrat: dum talem se er-
ga peccatores ostendat. Nec peccator iam poterit excu-
sari, qui confessionem, per quam venia nascitur, non
properauit amplecti: quod possit reus gemino crimine
detineri: dum primo legem contempsit, vt relinqueret:
& confessionis remedia amplecti noluit, vt periret. Ra-
pe tu quisquis es peccator remedia, qui peccato diuina
contempsisti præcepta. Confessio afferat salutē, cui con-
temptus attulerat mortem. Viue remediis, qui moriturus
fueras aliquando peccatis. Consilia amplectere ad
salutem data. Hortamenta diuina prouide ac libenter
admitte: peccatorum indulgentiam confessione instan-
ti merere. Quid horres fateri, quod libenter ac propere
commisisti: Cur confunderis dicere, quod non confu-
sus es perpetrare: Cur vereris domino indicare, quod
veritus non es ipso præsentem committere: aut nunquid
eum putas admissa nescire, nisi à nobis quæ cōmissimus
noscat: Aut ignorare quæ fecimus putas, nisi nobis con-
fitentibus discat? Peius est confiteri nolle, quàm legem
contempnere. Peius est admissi poenitentiam spernere,
quàm monita diuina despiciere. Peius est dei offensam
non satisfactione placare, quàm peccando dei bonita-
tem offendere. Et quāuis peccandi causa grauior vi-
deatur, leuior tamen frequenter existit dum confessio-
ne absoluitur, aut contumacia debito mortis expungit-
ur. Denique Niniuitæ confitentur, & viuunt: Sodomita
obdurantur & pereunt: illos impendens supplicium
prouocat cōfiteri: hos vicinus interitus nō confitendo
efficit aboleri. Filij Israël, quoties peccant, hostibus tra-
duntur, quoties se peccasse fatentur, de eorum manibus
liberantur. Ita enim nullus vnquam peccato euasit: vt
nullus confitendo indulgentiā dei non mereatur. Do-
ceant diuina monita, si exempla docere non possunt.
Confitemini inquit, domino: quoniam bonus est. Bonum
dominum hoc loco dicit, nō iustum: quia qui bo-
num ostendit, confiteri persuadet. Peccatorē enim bo-
nus absoluit, iustus condemnat. Bonus indulgentiā tri-
buit, iustus merita peccatorum expūgit. Apud iudicem
bonum, confessio mater est indulgentiæ: apud iustum,
poenæ debitum. Bonus confitenti tribuit veniam, iustus
competentem infert poenam. Vnde sic fit, vt qui confi-
tendo bonum sentire noluerit, iustum sentiat reticendo:

Tomus quintus

A & quem confessio posset absoluerit, eius contumaciam
possit seueritas iusti iudicis aboleri. Quare consule tibi
peccator, dum licet: dum qui offensus est, suadet domi-
nus: ad miserandum dominus ipse paratus est. Nam si
qui contemptus est, misereri noluisse: rogares, vt vel-
let. cum ipse misereri desideret, qui offendit rogando
non desinat: liceat confiteri, cui peccare licuit: liceat pe-
tere veniam, cui licuit contrahere culpam: indulgentiam
postulet, qui mandata contempsit: veniam optet,
qui legis iussa despexit. Confessio reddat, quod pecca-
tum detraxerat. Curet poenitentia, quod delictorum ma-
cula sordidarat. Serpentinū virus, satisfactionis antido-
to recuretur: peccatorum venena precum instantia de-
pellantur, vt dominū, quem nobis delicta fecerant ira-
cundum, reddant obsequia digna placatum. Et qui à
nobis fuerat peccatis offensus, confessione nobis mise-
ricors reddatur & pius.

DIVI IOANNIS

CHRYSOSTOMI ARCHIE-

piscopi Constantinopolitani de ieiunio,

Sermo primus.



DROPICIATIONIS tempus
adest, temporis opportunitatē
ne contemnamus: abiiciendo-
rum peccatorum tempus est, gra-
tiam ne negligamus, sed ieiune-
mus à cibis, sed primum à pec-
catis. Primum enim bonum est li-
berari à malis. Malicia autē est,
quæ virtuti opponitur, inuidia, furtū, & homicidium, &
bellū, & quæcunq; mala dicuntur, & sunt. Qui in malis
est, in poenā habet maliciam. Nam gehenna est malicie
præsentis poena. Non enim affligeret secundo medicus,
nisi ob præcedentem maliciā corripere. Primum malū est
in malicia deprehendi. Impius & alienus à deo, etiam si
nunquā proiciatur in gehennā, bonis priuatur. Qui nō
continens, à concupiscentiis læditur: qui inuidet, affli-
ctione sua tabescit: qui furatur, erubescit & metuit: qui
occidit, non credit vitæ suæ. Primum malū est esse ma-
lum. Etiam si non fecat medicus, agrotat æger: etiam si
non punit deus (nam longanimis est) in morbo est, qui
peccat. Dicit enim: Qui facit peccatum seruus est pec-
cati. Igitur qui peccat, ante peccatum seruus factus est,
& iam habet poenam. Bonum ieiunij lupatum, his qui
diligunt ieiunij vtilitatem. Ne attēdas ad solum labo-
rem, sed etiam ad fructum. Nisi enim ad vsum specta-
ret, non sementem faceret, qui serit, vt ne reposita dis-
pergere videretur. Respicies autem in spem, seminauit
quæ habuit, vt quæ non habuit metat. Dolet in ieiuniis
caro, sed epulatur anima. Quid melius in nobis, anima
vel corpus? Hæc accepit vt non doleat. Nutritur autem
& hoc pulchrius & melius. Oportet nos esse in ieiunio,
nec est propterea corpori corruptio, sed medicina &
cura. Nam qui ieiunant, & à fluxibus corporeis liberan-
tur: & qui se præparant, superfluitatem carniū lique-
faciunt, & animam deficientem nutriunt. Semper ani-
ma corporis curam habeat. Nutrit autem & seipsam,
& suiplus curam habet. Corporis mores, anima mo-
deratur, sibi ipsi vero rationem. Iam quum corporis cu-
ram agit, multo magis decet vt & ipsa sui curam agat.
A deo ordinatum est, vt anima corpori imperet. Qui
præferunt corpus animæ, subuertunt rectum ordinem.

B iij Non

Non ipsa corpori seruit, sed si recte fiat, semper animæ seruit corpus. Si autem ferias suas feriabitur anima in damnum corporis, & non sapit que sunt corporis, corpus saluatur. Quando regit corpus animam, & ipsa corrumpitur, & corpus perit. Ne putetis paruum quoddam lucrum esse ieiuniū. Ab vno ligno si abstinent let Adam, si ab vno ieiunasset, mortua fuisset mors, imò non fuisset mortua quæ non erat. Vides si hoc pharmaco fuisset vsus Adam, non fuisset mortale nostrum genus. Quantæ gratiæ fuit vsus, vt resoluatur quod inuenit Adam per intemperantiam? Quando vides, quid mali operatum sit contrarium, hoc est quod non abstinent ab vno ligno Adam: cognosce quantum bonum ieiunium & abstinentia ab his quæ licita sunt afferant. Nam vbi attingit Adā quod non licebat, cecidit: contrā, abstinentia ab his quæ licet, sua beneficentia ruinam reparat. Vtinā & Esau ieiunasset, & non vendidisset primogenita, sed cibo minor factus, nature priuilegiū pro lentibus vedit. Doctis scripturas velociter transcurro. Quid detulit Iudeis legem à monte ieiuniū Moysi, quod quadraginta diebus fiebat: sed priusquā deferretur lex, vsus est populus veritate amittisse. Prima lex, Dominus deus vnus est: & mandatū suscepturi dicunt, Hi dij tui. Magna infirmitas. Nam & pro deo viuo simulacrū vituli venerati sunt. Quod ergo huiusmodi pharmacū: Iterum ieiunat Moyses, qui non peccarat, & ignoscitur peccatibus peccatū. Veteris legis radix à ieiunio cepit. Nam testamēti prædicatio à ieiunio initium sumplit. Baptizatus enim saluator propter nos, & profectus in eremum prius ieiunauit, & tunc signa facere cepit, nō ipse ieiunio opus habens: nos autē docens pro virili ieiunij præmissione. Si igitur vetus à ieiunio incipit, & noua ab eo fundamēta ponit, ne putemus malū esse ieiunium. Grauatim ferunt aliqui, molestā & onerosam legem videntes. Et leones in lacu ieiuniū didicerunt, & non attigerūt Danielelem. Si autē leones mandato obtemperant, & vt noti quidā cohibent naturæ impetū, & non inuadunt vt alieni, festinemus ad ieiuniū ordinari. Iterum scriptū est, quādo Roboam rex Iudææ impiè egit vitulū adorās, id quod à patre hæreditarie acceperat, adstitit Propheta, & regi & populo: nihil dixit, sciens quod immorigeri & principes & subditi, relictisq; hominibus qui audire nolebant, loquitur ad altare, vt monstret quod lapides magis audiant quā homines. Dicit, Nascatur Iosias, & ossa sacrificium cōburat super altare in ignominia. Succensit qui reprehēdebatur, valideq; manū extēdit, vt benefactorem prophetā pessundaret: extendit quidē manum, nō potuit autē flectere: nam arefecerat illam flagitiū. Qui extendit manū, dicit, vt Propheta iuuet, quem volebat cōprehendere. Sanat manū Propheta: dicit ipsi rex, Veni mecum in domū, vt gustes panem, & bibas aquā, & sic vadas. Respondit Propheta: Mandatū dei habeo in locis illis in quibus tam impiè viuunt, nō gustare vel panem, vel aquam. Recedit Propheta. Intendite autē fini verbi. Ecce alius propheta, qui audierat quod propheta iste quum præsens esset, talia dixisset, sequitur & cōprehendit, & orat Propheta vt ingrediatur, & gustet secum, & persuadet. Persuasit autē vt dixit, quia & mihi dominus dixit, vt hoc facias. Ingressus est & comedit, & dum comederet ingressus est spiritus sanctus in Prophetā, qui vocauerat, & postea prophetauit: nō quæ ex corde suo, sed quæ ex spiritu: & inquit ad illū, qui intrauerat & comederat. Quare nō audisti dominū deum tuum, & comedisti vbi iussus es nō comedere: abi hinc, & comedet te leo. Vides hic contēpsisse mādātū de ieiunādo, quan-

tum malum conciliat: recedit Propheta, & nō patrociniatur illi prophetiæ dignitas ob inobedientiā. Egreditur leo, non vt comedat, sed vt ostendat quod ipse mandatum audiat, & inuadat eum, qui nō audierat. Inuadit corpus inobediētis, vt interimat, & cum qui preuaricatus erat, puniat. Vt autē interemit, vsus est pro deliciis ieiunio, abstinens à deuoratione eius qui nō obedierat. Iacebat itaq; mortuus Propheta, stabat vero asina eius viua, non quod esset difficilior interficere asinū, quā hominem: sed irrationabilis leo præceptū discreuit, & asinam quæ non peccarat, nō occidit, neq; tetigit eam quæ præuaricata non erat, sed eum qui præuaricatus erat, & iam non prophetam, eo quod inobediēs fuerat, occidit. Et videre licebat de hoc triplicia mirabilia. Iacebat Propheta, declarans inobedientiā: asidebat leo, declarans obedientiā: adstabat asina neq; leonis naturam timens, neq; recedens, neq; aliquid à leone patiens: vt clarum esset nō propter explendū ventrem accessisse leonem, vt accesserat, sed ideo quia ieiunium non seruatur ille cui præceptū erat. Assumptus est Helias quasi super cælū. Et quod signum assumptionis: ieiuniū quadraginta dierū. Si Moyses ieiunat, & similiter Helias ieiunat, & dominus ob signat, bona est imitatio: quāuis non reuicimus intermedias refocillationes. Non enim quadraginta dies ieiunamus, sed in medio interualla interpollamus, numerum cōiungimus, ieiuniū nō discernimus. Magna sunt, quæ illi ante nos egerunt, parua quæ nos, siquidē & parua assequimur. Manifestū certe, procul & alienos nos ab his qui olim ieiunauerunt. Nullus nostrū ieiunat quadraginta dies. Nā quadraginta interuallis reficimur, sicut viatores ad vesperā in diuersorio manētes, & iterū incipientes. Si autē illi quadraginta dies ieiunauerūt, nos autē nō eandē viam, etiā cū refocillatione, imus: nō audebimus meminisse eorū, quorū imitationē ieiunando non habemus. Ieiuniū angelorū imitatio est pro nostro virili, contēptus presentū, schola precū, alimonia anime, frenū oris: & mitigat cōcupiscentias: sciunt qui ieiunāt: & mitigat voluptates, & nō ignorāt qui tentarūt: mollit furorē, cōpescit iram, sedat fluctus naturæ, excitat rationem, clarā facit animā, alleuiat carnē, fugat fædas intemperantias nocturnas, liberat ab ebrietate, tollit capitis dolores, claros affert & colores & aspectus. Bene cōpositi ieiunis sunt gestus, facilis lingua, abest rūs ebriorum, recta est cogitatio: nō enim effunduntur cōcupiscentiæ: hilaris est cōtinentia, serenitas inualefcit. Homo enim exterior ociosus est. In ebrietate ea quæ patimur, nō recordamur: à quib; liberati sum; in ieiuniis habem; memoriā. Ieiuniū enī & seipsum scit, & quæ sibi sunt aduersaria: ebrietas autē & seipsam ignorat, & bona quæ ex ieiunio proueniūt. Cuius gratia occisi sunt filij Aaron sacerdotes: nōne quia in ministerio vinū gustarunt? Quæ erat lex Nazaræorū: nōne abstinere à vino, & omnibus quæ inebriāt? Daniel cū suis legumina comedebāt contententes mēsam tyrāni Nabuchodonosor. Ieiunauit Daniel triginta sex dierū hebdomadas: & vir ille desideriorū, quia à cōcupiscentiis sibi tēperabat, cognomē fortitus est. Et quo modo ieiunauit nō vnum Iudaicum diem & breuē, sed triginta sex dierum hebdomadas: Et ipse præfigurabat ecclesiæ consuetudinē. Panē, ait, delictatū nō comedebat. Alij autē pro voluptate sua aliquādo bibunt. Vinū & caro nō intrauit in os meū, à quibus ieiunat ecclesiā. Vide in veteri Christianā vitā. Figuræ enim in his qui infirmi & imperfecti: in prophetis autē iam veritatis vestigia. Ieiuniū sententiā dei reuocauit. Dixit enim deus, Subuertetur Niniue: & non subuersa

lon. 3.
est.

est. Adhibuerunt enim ieiunium & effugerūt. Ionas effugit, quia timuit præsidium quod illis ex ieiunio futurum. Nam cetus eum absorberat. Absorbuit autem ieiunans: non enim vt præda & esca vtatur absorbes, sed deponebat, & seruabat depositum domino, & eum qui per seipsum abire noluit, abducebat quod ordinatū erat. Audiuit Niniue magna illa ciuitas verbum nudi Prophetæ, qualis erat qui à ceto egressus, cui ob metum neque hominis color. Vnus Propheta illuc venit, & signū hoc quod fecit, tēpus indicauit, quin & dixit, quod subuertenda ciuitas: & qui præmittebatur, faciebat ad hoc, vt à fide abducerentur. Illi vero audierunt Prophetam illum vnicum, & diuerso prædicarunt ieiunium pharmacum, quod subuersionem amoliri possent. Ionas autē contendeat, nō quod subuerteretur Niniue, sed ne argueretur ex comparatione Israël, quod gētes prompte audiebant etiam vnum prophetam, Israël autem tot & tātos audire negligeret. Adhibuit ieiunium, vt reuocaretur dei sententia. Erat autem ieiunium non vulgare, sed abstinentia quidem à cibis, & abstinentia à peccatis. Nam qui propter peccatum ieiunat, & in peccatis volutatur: quid amplius facit, quā si in luto lotus sit, iterumq; luto volutetur? Principio à peccato ipso abstinendum est. Quid enim prodest diebus aliquot de peccatis doluisse, si iterum idem cogitabimus post priora nocumēta: quia infirma satis est anima ob plagas prius acceptas. Nōne orātes detestamur quod peccauimus? si priorum pœnitet, cur sequētia colligimus, & idem repetimus? Scriptū item, Abstinebant à cibis, abstinebant & à peccatis, exaudiit deus. Sufficit enim ieiuniū, vt inflectat dominum. Ionas grauatim tulit, quod vocaturū essent eum pseudopphetam: at deus mutata sententiā propria, illos seruare non dedignatus est. Neque deus mendacij argui potest: sed quæ dixit vere locutus est. Et cum dixerit aduersus gentem & regnum, vt subuertatur, & eradicetur, & à peccato suo pœnitentiam egerit, agam & ego pœnitentiam super his quæ decreuerā, non mentitus est deus reuocata sententia. Neque enim misit prophetā, vt subuertatur Niniue: alioqui quid necessariū erat vt prædicaret: sed quia subuerrere noluit, minatus est se subuersurum, vt respiscentes non subuerterentur. Nōne comedit Adā de ligno, & tunc ipsum puniuit deus? Verum, sed prædixit, Si comes, morieris, vt non comederet. Non audiuit ipsum prædicentem. Comedit, deuoratus est. Non est locus accusationi vbi prædictio. At nesciebat, inquit aliquis, quod comesturus esset: Forte hæreticus est qui ita dicit, & obiter vetus testamentum transcurrit. Ad quem dicitur, Sciebat seruator, quod Iudas eum proditorus esset: quo modo igitur illum elegit? Sed forte aduersus hæreticos excusabimus, ea quæ de Iuda dicta cum iis quæ de Adam dicuntur, componentes. Nunquid vna solutio est, vel duplex vinculum? Oportet igitur satisfacere, quare Iudas cum talem sciret, elegit: & quare pœcius Adamum peccaturum, in paradiso collocavit. Operæ precium est ieiunij tempore, quando sobria est anima, maiores quæstiones in medium afferre. Sciebat saluator (hinc enim exordium) quod Iudas proditorus esset: cur igitur eligitur: vt commendaret excellentem misericordiā: quasi dicat, quod in me est, & Apostolus es, & cum discipulis te numero: quod si tu indignum te declaraueris, cōspicua quidem erit excellens mea misericordia, sed & manifesta erit prodigiosa tua malicia. Nam & marsum illi suarum rerum concrediderat, non ignorans quod furaretur, sed volebat dando hanc potestatem me-

deri illius avariciæ. Nesciebat igitur & prædicebat: Nō solum pœcius erat, sed & sape prædicebat, Vnus ex vobis me tradet. Cur igitur accusaretur, quod malus malicia sua boni dispensationem implet? Sed qui eum elegit, non proditorum ipsum coegit fieri, sed apostolum: sed neq; apostolum fieri coegit. Nam quod ex necessitate fit, ipsum dicitur fieri, non fit. Cōtinens ex necessitate non est continens, eo quod necessitas sit. Nō enim vinculis virtus, sed electione vitæ cōstat. Quare igitur & Adam in paradiso deliquit? Quem formauit, bonus fuit, liberum fecerat, & vt libero legē dederat: sed sciēs quod comesturus esset, non necessitate prohibuit, nec voluntatem constrinxit, & Adam peccauit. At si locus honorem meruit, ob lignum quod tā honorabile. Neq; enim male creatum, sed postquam denūciant non est obtemperatum. Iam si gustu quoq; transgressum mādātum est, ieiunium post præuaricationem reparat & seruat. Te ipsum proba: quis enim vsus perpetuarū lectionum? Cōsidera te ipsum, quis eras ante ieiunium, & quis iam ieiunans: Opera enim fructus sequētur, tamen nec operi suus deest fructus. Qui piscaturus ad mare vadit, non habet in manibus capturā dum vadit: qui ieiunat, mox fructum habet. An non arridet serenitas, an non fluctus illi à temulentia venientes cessant, an non à tempestate & aestu maris liberatus es? An non desideras audire, Et caro quæ refrænata est, non lasciuuit, neque erubescit? Non curas tu nunc sermonem de continentia. Non audis quod ieiunat quis & gaudet? Qui ieiunant, ne in malum ieiunent. Qui enim malum putat ieiunium, etsi ieiunet, in malicia est. Non sunt in malis angeli, non habentes opus nostris alimoniis. Non splendide, & vt par esset, pascimur: sed pro indigentia explemur, omniq; mala in ieiuniis extinguuntur. Ieiuniū autem voco non solum abstinentiam ab alimentis, sed quod sciuit Esaias: Ieiuna vt audiaris. Et si dicas de iuxta morem Iudaicum: ieiunauimus, & nō vidisti: humiliuimus animas nostras, & non cognouisti? Caue ne dicatur tibi: Nam in ieiuniis vestris inueniuntur voluntates vestræ. Si voluntatem domini ieiunādo fecisti, in ieiunio aliquando ieiunasti. Non enim negociatio ieiunium est, vt lucrū faciamus non edendo, sed vt quod manducaturus eras, pauper pro te comedit, fiatque tibi duplex bonū, tum quod tu ieiunas, tum quod alius non esurit. Labor quidem nobis est in ieiunando. At nondū pro Iesu crucifixi sumus. Quare ieiunium pro cruce est? Maiora ipse tulit, parua nos reddidimus. Crucifixus est propter te, & sitit, & bibit acetum cū felle, in fame educatio est magnum ieiunium: at nondum quantū id felis. Et stas in labore? Nondum pependisti in cruce. Ne sis ingratus erga Iesum, ne deplora quod ieiunas, sed plora quod non semper ieiunas. Quæ tibi subtracta sunt? Vinum, phlegmatis immundicia, capitis dolor, respirandi difficultas. Vt nunc habent res tuæ? es in silentio, in lenitate. Color faciei ieiunij tempore melior, mitior, serenior. Vini enim calor, ignis ardor est. Qui non compatitur Iesu, ignorat Iesum. Qui repellit ieiunium, ignorat crucem, quæ vt non est mala, ita tu nec eam quasi malā suspiceris, ne sit fœdus seruus, qui minister est dei. Neminem cōtristant festa, nisi quis ignoret quæ festorum virtus. Quando sunt festa, quando es vt angelus, tunc succenses. Ignorans quod medium sit: tūc exposcit natura nuptias, non supernaturales nuptias celebras. Esto pius in coniugio, si ieiunium veneraris. Per dies ieiunij sanctus esto. Non reprehendo nuptias, præfero autem ieiuniū. Quæ ante ieiunium comedimus, non

biscum

Mar. 14.
Ioan. 13.

Esa. 58.

biscum non manent: quæ in ieiunio non edimus, manent nobiscum. Quid ergo in his quæ non manent adeo occupamur? Quæuis voluptas ciborum non diutius durat, quam quousque absorbeat, ut transferant organum gustus, sicut non fuerint: ieiunium vero non læquefcit: neque enim per ventrem ad stercore transit. Nam immortalitatis est conciliator, cum angelis conuictus est: nam pro virili angelorum imitatio est. Insuauiter agis quod sobrius es, quod alienis carnibus non grauaris, quod recta est ratio, quod pura caro, quod floret mens, quod eum gaudio scripturas audis, quod non dicenda taces, quod non es homo, sed ferme angelus: quia ferme angelus est ieiunans & agens festum domini. Qui vocauit ad nuptias, cum ingressus fuerit, ut videat recumbentes, videbit ne quis alienis vestibus ingrediatur. In nuptiis autem puræ vestes gestandæ, impollute autem & sancte ad sanctas nuptias, claræ exteri & intus fulgidæ. Quiescant & nuptiæ ad mandatum & admonitionem Apostoli, ut concorditer coniuges ieiunium vacent, in ieiunium coniungantur preces. Ieiunium admonet, ut tempestiue preces sint. Ieiuna, quia peccasti: ieiuna, ut non pecces: ieiuna, ut accipias: ieiuna, ut & permaneant quæ accepisti. Hæc enim ieiunij genera sunt. Peccauit alius, ieiunauit seipsum castigans, ut effugiat poenam. Ieiunemus ne insurgant in nos concupiscentiæ. Vides ut ieiunium peccata sequatur, hoc est, quia peccata admissa sunt, sit ipsum propter conuersionem & poenam. Aliud ieiunium peccata præcedit, non ut auferat peccatum quod commissum sit, sed ut tollat quod futurum, ne ieiunaretur. Aliud ieiunium, ut qui legem querit, legem accipiat. Etenim qui petit, ieiunat: ut Moses ieiunauit, ut acciperet legem. Iterum alius ieiunat, ut ne amittat iure quæ affectus fuit. Ecclesia autem simul ob gratiam ieiunat, Iesu opus agnoscens, utpote cum crucifixo crucifixa, & ut dum patitur cum domino, & cum domino glorificetur: non ut dominum lugeamus, viuit enim viuētis filius, sed dispensationis confiteamur beneficium. & si lugemus quod crucifixerunt ipsum, non propter ipsum, sed propter audaciam eorum, qui ausi fuerunt: surrexit ex mortuis, stat in gloria, in qua antea cum patre fuit. Simul erat cum patre, à quo & erat. Non est luctu digna victoria Iesu: sed ieiunemus, nos ipsos curantes operamque dantes, ut passionum illius participes simus. Agimus quid supra nostram dignitate fratres. Quis enim dignus ut comunicet afflictionibus Iesu? Magnum hoc mysterium, festinemus ad bona, non declinemus ad mala. Iesus crucifixus est, immortalis dei filius pepedit corpore in cruce: non propter seipsum, sed propter te occisus est à ligno: ieiunauit in ligno, accepit quæ non debuit, posuit corpus pro eo, quod accepisti: concupiscentia victus es, fel bibit pro voluptate, ne sis alienus à regno. nosti quod crucifixus est, nosti quod pro te mortuus est, confitere quod viuit, pro viuente: fac martyr sis, pro eo qui pro te martyr fuit: morere pro eo qui pro te mortuus est. Si autem sic exposcit mortem, paruum est ieiunium, habes magna, largire parua. Cū gaudio ad festa, cum laticia ad ieiunium veni. Deliciæ sint ieiunium. Sed forte frustra clamo. Nam sicut fax mutauit colorem ad mensam venientium, ita & vos. Atqui hoc non est amantium ieiunium. Non enim consequens est vos ægre ferre, quod à mensa domini abstrahimini. Præter expectationem autem occurrit spectaculum, sicut occurrit facis splendor. Reprehensa est conscientia, quæ latebat, quod vi detinemur: & utique non stamus, quandiu aliquando vere cadimus, quandiu aliquando in negociis domini

difficiles sumus. An non audistis psalmum dicentem, imò ipsum obedientem? Si veritatem loquimini. Si vere ieiunas, gaudium in ieiunio habes: si autem doles, te ipsum iniustum declaras. Si laboras non lataris: si persecutionem pateris, si bonis priuaberis, bona non allequeris. Iesus crucifixus est homo. Non mihi tanta virtus est, ut clamem quantum debeo, Iesus crucifixus est. Vide & præfigura ante oculos. Crucifixus est propter te, crucifigere, glorificare cum illo, non ut moriaris, sed ut morte libereris. Hæc dies parasceues est, in qua Christus pro te, & tu morere, & crucifigere. Pro deo sermo hic. Cum deus sit homo pro te, non reueremur dignitatem, non erubescimus passionem: Vtrumque cogita, quid erat, & quid passus est. Iudicatus est iudex, vita morti traditur. Qui passus est, currit: qui potat, sitit: qui in gloria, in ignominia, ut rex ad prælides, & deus ab homine condemnatur. Qui in sermone verax, ait: Pater nullum iudicat, omne iudicium filio dedit: qui omnes iudicat, à quodam iudicatur. Sufficiant hæc in ieiunij memoriam. Oportet enim primum scire quo modo se res nostræ habeant: quando diligemus ieiunium, & afficiemur sicut ad festum, subministrantes & in ieiunium conuiuium: apponendo mysteria ieiunium, laudando mensam domini, gloriam quæ ante secula ac dispensationem eius, quæ in posterioribus temporibus, quis fuit, & quid factus est, unde & ad quæ, & propter quid. Ut & latantes & latificantes ob ieiunium, hanc religionem domino semper habeamus, semper gratias agamus, semper glorificemus, semper diligamus eum, qui dilexit: & adoremus eum qui iterum se ostendit, moriamur propter eum qui pro nobis est mortuus, sperantes cum eo qui in ignominia erat, nos glorificandos. Sanctissimo patri qui hoc ieiunium nobis concessit, & non peperit filio suo, propter nostram salutem, cū eo qui per ipsum qui abiit ad nos mihi est, gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI,
de ieiunio, Sermo secundus.



Dest nobis splendidus dies, & desideratum tempus aduenit: & conuentus ideo opulentior congregatur, & hæc omnia spes nobis expectati ieiunij preparauit. Ad paternam hodie conuenitis domum, & ad matris Ecclesie conuolatis amplexus: & speratum ieiunium tantam nobis diligentiam obseruationis imposuit, quantum nobis reuerentia, cum aduenit, donare poterit firmitatem. Sic & ciuitas cum in eam iudex speratur terribilis aduenire: deposita desidia quam sibi inesse cognoscit, totius diligentia sollicitudinem gerit. Sed, queso, ne vos terreat comparati iudicis terribilis nomen auditum. Non enim vobis ieiunium terribile, sed aduersus demonum naturam constitutum est: ut si quis spiritu fuerit arreptus immundo, & ieiunij perspexerit vultum, ceu ipse lapis immobilis actiuetur: sed etsi addes ei ieiunij sororem, id est, cū eo orationem perspexerit sociam. Et ideo Christus dixit, Genus hoc non exit, nisi in oratione & ieiunio. Quando igitur aduersarios salutis nostræ minuit atque propulsat, & inimicis nostris formidinem tanti terroris incutit, amplecti iuuat atque venerari, non timere conuenit: & cum ultra modum cibus atque ebrietas declinetur per ieiunium, debemus omni animositate primum complecti. Ibi etenim voluptatis illecebris superati, captiuitatis laqueis illigati, libertatis tranquillitate priuatur. Vbi autem ieiunium fuerit affectatum, laxantur tyrannidis nodi, captiuitatis vincula soluuntur, libertatis iura restituantur in integrum.

Cum

Cum igitur ieiunium aduersariis nostris obstat, & ingum seruitutis expellat, & ingenuitatis securitatem restituat: quid aliud argumenti est, omnium bonorum atque beneficiorum cardinem esse, nisi ieiunium constitutum? Vis audire quanta tutela, quantumque subsidium humano generi, de ieiunio generatur? Beatam monachorum vitam diligentius vnusquisque consideret. Illi namque turbulentæ conuersationi renunciantes, & istius mundi delicias abdicantes, libertatis amœnitate illecti, motium cacumina postularunt: & tanquam tutum portum beatitudinis eligentes, ibi receptacula tabernaculorum componunt: & solum secum ieiunium vitæ suæ suffragium retinere festinant. Hac de causa etiam angelorum eos ieiunium consortio sociant, & non solum illos, sed etiam eos, quos in ipsis verbis sui cupidos valeret reperire, ad ipsius philosophiæ culmen exaltat. Nam Moyses & Helias testamenti veteris arces & optima ornamenta, licet & aliis cœlestem confiteri virtutem merebantur: tamē quando suis auribus diuinam vocem inhære cupiebant, ad ieiunij subsidium conuolabant: ut ipsius quodam modo patrocinio eorum deprecatio tolleretur ad cælum. Hac de causa & deus cum in initio hominem faceret, statim eum ieiunij magisterio commodauit. Nam de omni ligno manducabis: de eo autem ligno scientiæ boni & mali non manducabis, ieiunij species est. Et cū in paradiso ieiunium pro magna comoditate indicitur: multo magis extra paradysum necessarium postulat. Et cū ante plagam remedium vtiliter demonstratum est: multo magis lauciat appetendum est, ut præstet vulneribus sanitatem. Et cum ante conflictum ad resistendum libidinosis voluptatibus, clypeus nobis abstinentiæ necessarius fuit: multo magis in ipso nostro certamine, ieiunij auxilium ad nostram victoriam flagitandum est. Si huic voci obedientia consensisset: secundæ vocis sententiam non meruisset audire, Terra es, & in terram ibis. Sed quia huius vocis præcepta contempsit: ideo mors & dolores, & animi cogitationes & mentis angustia, & ipsa vita omni morte grauior est: propterea spinæ & tribuli, propterea dolores & gemitus: & humani generis vita nimio dolore conteritur. Vides, deus quemadmodum commouetur, cū abstinentia ieiuniumque contemnitur? Disce igitur: quemadmodum gratulatur, cum ieiunium obseruatur. Nam sicut ad vindictam violati ieiunij, mortem violatori constituit: ita obseruantibus, vitam pro morte donauit. Et ut ieiunij possis cōperire virtutem à diuinitate ei concessam, vide potestatem: mortem solet ad vitam conuertere: & multos post sententiam liberauit: & in ipsis desperationis angustibus ingementes salutari remedio luci donare consuevit. Et hoc non decem aut viginti hominibus præstitisse monstratur, sed ingenti populo. Nam Niniuitarum illa magna atque miranda ciuitas cum diuino motu labefactari funditus speraretur, & in ipsis esset ruina præcipitiis declarata, & non longe post amissis ciuibus suis à cunctis expectaretur terribili labefactione deleri, & ciuitatis vocabulum amittere: adueniens de cælo solū potuit ieiunium liberare, & cœlestem sententiam mitigauit, & mortem conuertit ad vitam.

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI
Episcopi Constantinopolitani de eleemosyna
& hospitalitate, Sermo.



I opifices qui manu ope industriamque, vel operibus præsidendo vitam ducunt, tantam præ se tulerint liberalitatem, ut plerisque fidelibus opem tulerint: quæ erunt hi qui bonis fortunæ

abundant veniam habituri, qui egenos despexerint: quin etiam nec suo sanguini illi, nec vitæ pepererunt, ut deo se morigeros præstarent, cum ipse ut tenui plerumque pecuniæ parcas, nihil prorsus animæ tuæ indulgeas. Dicit aliquis, erga præceptorem & dominum tales se illi præstiterunt, non tamen eadem sunt in discipulos munificentiæ vsu: quod iure dici non potest. Siquidem, ut legimus, gentilis Ecclesia his gratias ageret, qui etsi natione Iudæi, tam sincere & integre fidei extiterunt, ut eorum Ecclesia ex gentibus confecta volenti animo necessariam subministrasset: quorum studium & virtutes vel feminis imitanda potius forent, quam sericis & auro & vestium abundantanti ornatu expoliri. Quæ enim vnquam regina adeo claruit, vel magis est in omnium ore versata, ut Pauli posset sectatrici & sociæ mulieris, nomen aut famam excedere: hæc enim Paulum non ad decimum vsque aut vigesimum annum, quin ad eam vsque tempestatem, qua Paulo Christus sui præsentiam obtulit, sectata est: ita, ut vbique ob id virtutis laudibus abunde potita, fama & nomine celebretur: quod proculdubio maiori sibi fuit decori & ornamento, quam quæuis corona aut insigne aliquod regium extitisset. Quid enim vel maius, vel dici par potest, quam Pauli defensionem suscepisse, eiusque vitæ discrimine terrarum orbis instructione tutari? Cogita itaque quot fuerint reginæ silentio occultata, cū hæc quæ Paulum comitabatur, vnà cū eo sempiterno nomine celebretur: quantumque sol terrarum circumfulsat, tantumdem huius feminæ gloria peruagatur. Siquidem Persæ, Scythæ, Thracæ, & qui vltimos orbis incolunt fines, eiusdem sapientiam & prædicant & admirantur: quis ipse vel opes, vel regias vestes, vel impéria non paruifeceris, ut hæc tibi testatorem laudem patres? Neque id dixerit quispiam, tales se illos in periculis præstitisse vel fuisse duntaxat in erogandis pecuniis liberales, in Christi vero nomine diuulgando negligentes, quando eosdem Apostolus cooperatores appellat, quos inter nec eam pudet feminam coadiutricem nuncupare, quin id sibi ornamento ducit: non enim naturæ sexum attendit, sed animi promptitudinem palma dignissimam arbitratur. Quid ergo huc potest decorem æquare? Vbi nunc effusa diuitiæ: vbi facierum decus: vbi & infani gloria: Perdisce hunc mulieris ornatum, qui non corpori est circuncinctus, sed animam perpetuo mansuram exornat: qui nec pyxide aliqua, sed cælo reconditur. Respice horum in vulgando Christi nomine laborum, in tolerandis suppliciis victoriam, in his fortunæ bonis impartientiis liberalitatem. Aduerte, inquam, qua sit illa Paulum charitate cōplexa, quæ uero Christum amore profecuta: mox tua cum his cōfero, scilicet, quam sis ipsa in accumulandis pecuniis diligens, quam ad sectandam impudiciam attentior, quam ad explendam ventris ingluuiem vigilatior: spectabis sanè hoc pacto quales Christi discipuli fuerint, & quali nunc ipsa sis cōditione. Malim equidem non magis te cum his cōferas, quam eam tibi admirandam mulierem defumas, & ita ut depositis lasciuia sarcinis, id etiã præferat tuus iste vestimetorum cultus, excipias cælorum ornatum, perdisceasque: unde tam clari euaserint, qui cū Priscilla versarentur: quod si fieri certior cupis, quo pacto illi eò sunt magnitudinis proeecti, facile intelliges, cū noueris Paulum ab his hospitio biennio fuisse susceptum: quo quid esse virtutis potest, ut non interea animam excoluerint? Dicit aliquis, heu miserum qui nullum habeat apud me Paulum: quin si uoueris, vel Paulum habebis tibi hærentem: non enim illos Pauli facies, sed sermo puxit. Itaque si tibi id animo sedet, non

det, non modo Paulum, sed Petrum, Ioannem, Prophe-
tarum insuper, & reliquorū Apostolorum cœtum om-
nem tecum habebis alsiduo colloquentem. Cape in ma-
nibus istorum libros, & scripta perlege, hæc te mulieris
istius facient non absimilem: at quid Paulum dixerim
quin & dominum ipsum, si voles, tecum habebis: siqui-
dem per Pauli sermonē tecum colloquetur. Licebit &
aliter eundem admittere, si suæ fidei iuueris sectatores,
quibus vel abeuntibus pietatis poteris & māsuetudinis
monimenta promereri. Solent enim & mensa in qua
vir sanctus aliquis cibum sumperit, ac sella cui insede-
rit, & quo decubuerit lectulus, vel eo decedente faciles
eos ad pœnitentiā reddere, qui domi sanctum aliqūe
virum exceperint. Quocirca quantum existimas animo
Sunamitem illā fuisse percussam, aut quali veneratio-
ne imbutam, cum triclinium vbi Helius mansisset cō-
scendit, & eo magis cum mensam & lectulum, quo vir
summa sanctimonix quieuisset, inspectaret: nec sanē fi-
lium illi emortuum fulcitādum exposuisset, nisi eius vi-
ri contubernio plurimum profecisset. Quod si longo
post tempore ea loca adierimus, vbi & Paulus diuer-
tus sit, & in vincula coniectus, vel in multorum sit cō-
fessu concionatus: nōne videremur esse præ gaudio
quali alis quibusdam sublatis: Itēq; si temporis illius ex
locorum aspectu repetita memoria tātum capimus vo-
luptatis: quid priscos illos existimādum est fuisse ex
centibus beneficiis iucunditatis assecutos, qui venera-
bundi hospitio alieno susceperint: Erūt itaque sanctio-
res per nos viri admittendi, vt eiusmodi hospitalitate
& domus illustretur, purgeturq; sentibus, & ex diuerso
loco portus efficiatur: neque hi solum erunt suscipi-
endi, quin & eorum abluēdi sunt pedes. Neque enim
ipsa si vel regio fueris nomine insignita, Sarai potior
eris, vel eam nobilitate & opulentiā anteabis, cui qua-
dringenti decem & octo vernæ, & domi nata manci-
pia fuerant, & filij duo, quos omnibus diuitiis præfere-
bat. Verum quid dixerim decem & octo & quadringē-
tos, quando eius ex semine emanaturum terrarum or-
bem esset certior facta, haberetq; in virum dei amicū,
eundēq; quod omni fuit imperio maius, curatorem?
Verum cum tanta esset gloria illustrata, fermento fari-
næ indito panes conficiebat, & reliqua in ancillæ mo-
rem angelis vascibus ministrabat. Porro neque A-
brahā ipse nobilior fueris, qui post trophæa & insignes
victorias, post exactum etiā Persarum regem & pro-
fligatum, cū magnis esset ab Aegyptio principe hono-
ribus auctus, sese pro seruo gesserit. Illudque haudqua-
quam erit animaduertēdum, quod apud te sanctiores
plerūque viri, aspectu viles, egestate & pannis obfiti di-
uertant, quin potius erit vocis illius reminiscēdum af-
ferentis: Quod vni ex minimis his fecistis, mihi fecistis.
Neque ex paruulis his quempiam parui feceritis: siqui-
dem eorum angeli semper spectant faciem patris vestri
cœlestis. Excipe itaque hos animo libentiori, qui ex pa-
cis osculo infinita deferunt ad te bona: post Saram au-
tem hanc & Rebecca cogitatione repetenda est, quæ
cum aquandi gratia fontem petisset, omni animi ela-
tione deposita, & potum alienis iumentis hausit, & ho-
spitem domum apud se inuitauit. Quorsum hæc: quon-
iam eiusmodi hospitalitatis ob causam, præmia illa
immensa promerebantur, quæ & ipsa lōge maiora ac-
cipies. Quippe cum non solum te deus ad liberos pro-
creandos faceret fecundiorē, sed cœlo insuper ipso, &
& bonis cœlestibus donabit, liberabitq; gehenna, & er-
rata remittet. Magnus præterea ei est hospitalitatis fru-

ctus, quam & Iother, etsi barbarus natione, sectatus cu-
ratorem sui eum suscepit, qui tam vastum in mari habe-
ret imperium, qua tam bona venatione filiarum bene-
ficius vsus est. His itaq; cogitatione perceptis cū mulie-
brem hanc animi magnitudinem tecum ipse reputaueris,
omnis erit tibi calcanda superbia. Insuper vestium
ornatus omnis & reliquorum sumptuositas, odorū vn-
guentationes, & huiuscemodi ad luxum delicia cōcul-
candæ erunt: & gradu composito gradiendum, ita vt
omniā hac inani solertia, studium id omne ad animū
transferas excolendum, eumq; cœlesti desiderio incen-
das: cuius cœli si te amor inualerit, terrena hæc pro cœ-
no & luto duces, & facile contemnes, quæ nunc pro bo-
nis homines demirantur. Neque fœminam decet quæ
spiritualibus sit officiis prædita, ea conquirere quæ ridi-
cula sint. His itaque omnibus reiectis, quæ solent ē tur-
ba mulierculæ saltatrices insuper & tibicina magnificare,
circumcinge te sapientia, hospitalitatem exerce,
continenter orationi incumbere: videbis hæc fore auras
vestibus potiora, gemmisque preciosis & monilibus
longo interuallo præstare. Hæc quippe apud homines
laudem, apud deum mercedis plurimum promeretur.
Eiusmodi sunt Ecclesiæ ornamenta: illud vero cuius
nunc meminimus, indecora, scilicet, & turpis voluptas,
in theatris habetur & spectaculis decori: cuiusmodi or-
namentorum alterum cœlo est dignum, alterum equis
& beluis. Animum quippe clarum illud & emicās, hoc
vero indecens & cadauerosa corpora circumagat. Nūc
igitur & ipsi nobis paremus ornatum, vt fama & gloria
celestes effecti, & Christo dum viuimus morem ge-
nerimus, & futuris bonis perpetuo potiamur.

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI,
de misericordiā, Sermo.



Vdite fratres Paulum dicentem, Induite quæ-
dam admodū electi dei misericordiæ viscera: nos
autem longe aliter factitamus. Siquidem ad-
euntem quempiam, vel numum a nobis de-
precaturum, probro & maledictis incessimus, & impor-
tunum appellamus. Cuius rei nō te pudet o homo, mo-
lestum & importunum clamitare panem deposcētē:
is enim vel si molestior esset, foret quidem misericor-
dia dignus, qui adeo fame vexatus, tibi personato ho-
mini supplicet: qua in re nostra est crudelitas inculan-
da: nam si nec facile impartiri aliquid egētibus tolera-
mus, varia coguntur arte nostram inhumanitatem pel-
licere & emollire duriciem. Porro si argētum, aurūve
exposceret, aliquid forte rationis durius tuum illud
responsū habere videretur: at cum necessarij fructus
gratia te adeant, quid inepte philosopharis, verbis ac-
curatoribus & superuacaneis, inopi ocium inertiamq;
exprobrando: quæ si in quempiam essent merito confe-
renda, nemini omnium magis quam nobis ipsi forent
obiicienda: cuius pronuntiati in egenum probri memi-
neris velim, cum deum ipse adieris, peccatis veniam cō-
precaturus, tum quidem senties dignius te hæc posse a
deo quam a te pauperem audire: nōdum tamen talibus
in te ille verbis est vsus, cuiusmodi hæc sunt: Desine iā,
hinc abi in rem malam, admodum es ipse importunus.
Siquidem postquam & templa & aras frequentaueris,
meaq; & instituta & iusta perceperis, mox foro adito, au-
rū, libidines, amicicias, necessitudines, & reliqua istius-
modi meis & legibus & institutis anteponis, humilita-
temq; nunc præferēdo te supplicem reddis: postquā ve-
ro precari desieris, crudelē te exhibes & inhumanū: abi
itaq;

itaque hinc, mēq; nec vltra adieris. Hac ipsi etsi sumus
auditione, vel acriori multo non indigni, nihil tamen
istiusmodi improperat deus: quin tolerat ille nos ani-
mo ingenti cunctaq; per seipse exequitur, indulgēdo-
que precantum vota excedit. Quod etsi nihil horum
nos fugiat, soluamus inopum mendicitatem, vel se in-
gerentium, nec acrius vltra in eos inuehamur, quando
& nobis ad salutem haud minus opus sit diuina clemē-
tia, quam venia, & maiori quadam misericordia. Neq;
enim conceditur nobis, nec licet quidem nostris om-
nibus diligentius discussis actionibus, sine supplicio vel
morte salutem parare. Ne igitur efficiamur aliorū acer-
bissimi exactores & iudices, ne forte acrius de nobis
supplicia exigātur: commissa enim habemus quauis ve-
nia nō inferiora, quinetiam illorum nos miseret, quo-
rum errata veniam non merentur, vt eādē nobis vel
diu seruata comparemus: vel potius si fuerimus, quod
ingenium suppetet & vires, enī, nunquā tanta in alios
clementia vtēmur, quanta & ipsi indigebimus ab indul-
gentissimo deo promereri. Quo igitur pacto non ab-
surdum videri debet, cum in tātis sumus ipsi rerum an-
gustis ad veniam promerendam constituti, adeo nos
esse in conseruos parcos & illiberales, vt in eos, id est,
in nos ipsos omnia enixe faciamus: neque enim tam re-
liquos nostrorum beneficiorum indignos arguimus, q̄
nosmet diuina clementia. Siquidem qui cōseruum ver-
bo offenderit, deum habebit se acrius lacescentem. Nō
igitur erit nobis ipsi detrahēdum, cum inopes vel tor-
pidos dixeris vel ignauos: re aliqua impartiamus adē-
tes. Solemus enim & nos præ torpedine quadam, vel
incuria pleraque delinquere: quinimo vel si cuncta ab
his nostra emanant errata, haudquaquam tamen mox
pœnas exigit deus, sed ad pœnitendum nobis & spaciū
præbet, & victum tribuit, castigando instruendūq; vel
reliqua ad necessitatem subministrat, vt ipsi hanc eius
clementiam sectemur. Erit itaque nostra hæc perdēda
impietas, & feritas a nobis omnis propulsanda: vt pote
id nobis potius quam reliquis profuturum. Nam cum
egentibus argentum, panem, amictūve impartimus:
tam nobis ingentem gloriam vendicamus, vt nullis
queat verbis explicari. Siquidem incorruptibile corpus
resumentes, cum deo vnā & laudem sumus recepturi &
regnum: quod quanti sit faciendum & nostrarū & præ-
sentium rerum coniectura vel leuiter comprehendi li-
cet, tametsi nequeat impræsentiarū liquidō satis inter-
nosci, id tamen exemplis conabimur explicare. Dic mi-
hi, si quis senescētē te & inopem polliceatur in pristi-
nam restituere iuuentutem, redacturūmq; ad priorem
illum ætatis florem, effecturū etiā & valetudine opti-
ma, & virtute præstantem, largiturum insuper tibi ad
annos mille terrarum orbis summa tranquillitate imperium:
quidnam ipse pro istiusmodi pollicitationibus
vel facere, vel pati recusaret? Ecce igitur & Christus, nō
solum hæc, sed his lōge maiora pollicetur: neque enim
quantum inter se videntur senectus & iuuenta distare,
tantundem incorruptionis corruptionisq; discrimen.
Neque pro ipsius principatus & paupertatis, quin pro
fomniorum & veritatis interuallo præsens hæc gloria
cum æterna illa conferenda est, nec tamen satis adhuc
horum intercedinē explicauerim: siquidem nulla
enarrari possit eloquentia futurorum bonorū magni-
tudo, si cū præsentibus conferatur, & tēporis illius infi-
niti, & momētanei huius ratio habeatur. Quo enim pa-
cto cum præsentem hac quisq; vitam illam cōtulerit sem-
piternam, aut terrenā cum cœlesti quiete: quæ tantū vi-

dentur altrinsecus abesse, quantū a bello pax est, ocūq;
semotum. Vtq; purissima margarita a luteo quouis la-
pillo secernitur: sic profecto est a corruptione immor-
talitas aliena, quin quod pluribus id exprimere conitemur,
eo minus certe aliquid vel simile afferemus. Quip-
pe si vel cum micatibus solis radiis futura nobis corpo-
ra contulerimus, nihil tamen pro illius splendoris di-
gnitate explicabimus. Pro his itaq; futuris bonis, quæ tā
immensæ facultates, aut quæ potius humana vita tanti
vnquam possunt existimari, quæ non vltro relinquēda
sint: etenim si quis te in regiam aliquā induxerit, cæ-
terisq; adstantibus, & principis tibi beneuolentiam adeo
conciliet, vt post sermones familiariter habitos conui-
uam te illi, & comitē alsiduum faciat: nemini profecto
diceres te pro tanta beatitudine cōcessurum. At si cœ-
lum conscendere, regiq; illi omnium potētissimo as-
sistere, inq; angelorum conspectu splendescere, fruiq; glo-
ria ineffabili effecerit: hæsitare sene, vel omniū fortunarū
pati iacturam, aut si illud conduceret, vel vita ipsa spo-
liari: quinimo proflire, & læticia efferri oporteret: & vt
ita dixerim, præ gaudio alas sumere ad volatum. At qui
ipse vt principatū assequaris fraudandi & rapiendi oc-
casionem innumeras allaturum, & si illud haudquaquam
pro lucro duxerim aut commodo, & tua disperdis, &
aliena mutuatus, vxorem (si vsus ferret) & liberos, nō ve-
reberis in seruitutē dare: ob regnū autem cœlestē illud
nobis propositum, quod neminē habet, deo testificāte,
successorē, nec exiguos cōtinet angulos, aut terræ par-
tem, sed cœlum integre sub eius ditione capit, segnior
ipse, & piger pecunias immeris inhias: neq; intelligis, q̄
si inferior hæc cœli facies, quæ ad nos vergit, tantū in se
habet decoris & oblectamēti, qualis superior illa & cœ-
lum cœli futura sit. Sed quoniam hæc corporeis interea
oculis spectare non licet, cōscende mente & cogitatio-
ne cœlum quod superadstās suspice, & supernum illud
quod altius tendit: attende immensam illā altitudinē,
& splendorem horribilē: contēplare angelorū multitu-
dinem, archangelorum gentē innumeram, aliāq; infi-
nitas potestates: post hæc descēdens superne & cœlitus,
nota, & oculis circūlustra nostrarum harum rerū ima-
ginem, nostratesq; principes, vt te circū habeat, viros
veste aurata cōspicuos, currus insuper auro vbertim ex-
cultos, quos iumenta trahunt candidiora, & vehicula
preciosioribus gemis ornata, vt niueos lectulos, vt car-
penta aureis bracteis crepitantia, dracones præterea au-
ro & serico vestib⁹ effigiatos: vt scuta auratis vmboni-
bus, & lora ex auro, lapillo distēta, equos demum ipsos
& phalatos, & auro obseptos: cuiusmodi ornamenta
nihil profecto vltra, viso principe aut spectamus, aut
magnificamus: princeps enim vel solus, tum ex eius pur-
pureo amictu, tum diademate, sella, fibula, & foccis, tū
demum fulgētissimo eius aspectu, omnium nostrum in
se oculos conuertet. His itaq; rebus terrenis animadu-
eris, animus erit ad superiora transferendus, intendē-
dusq; ad horribilem illum iudicij diē, quo Christus &
cognoscendi, & iudicandi gratia affuturus est. Neq; enī
beluarū iuga, vel aurata vehicula, seu dracones specta-
bis, & scuta: sed quod visu horrendum & animos paye-
facit, vt vel incorporeæ obstupefcant potestates: siquidē
virtutes inquit, cœlorum cōmoueuntur. Tunc præter-
ea vniuersum cœlum patebit, ab ipsis cardinibus reuul-
sæ disturbabuntur & fores, descēdet dei vnigenitus fi-
lius, non vigenis, aut centenis viris sese armis stipanti-
bus, sed angelis innumeris, Cherubin, Seraphin, potesta-
tibus reliquis circumstantibus. Erunt tunc quidem om-
nia for-

4. Reg. 4.

Gen. 18.

Mat. 25.

Gen. 27.

Coloss.

nia formidinis & terroris plena, cum ex terræ hiatu, A quotquot hominum, qui ab ipsius Adæ origine vnquā, diemq; adusque illum futuri sunt, aut emergent, aut rapiuntur: Christus vero cum tanta gloria apparebit, vt eius splendore tam solis quā lunæ, & cæterorū astrorum lux omnis occultetur. Quibus poterunt verbis, tū beatitudo illa, tum gloria & splendor explicari? Heu mi anime: oboriuntur enim mihi nunc lachrymæ, & ingēs incumbit gemitus cogitanti, quibus excidimus bonis, & quali sumus beatitudine alieni effecti: à qua tū videbimur longius abfuisse, cum magni nihil aut boni operamur. Ne itaque quispiam mihi hoc loco gehennam commemorauerit: siquidē eiusmodi gloriæ casum subire, & gehenna longe sit grauius, eademque abesse quois supplicio deterius, necdum tamē intermittimus & terrenis incumbere, & dæmonū nequicia falli: qui propullis his, & minimis rebus nos priuabunt maioribus: B quippe lutum offerunt, vt aurum subtrahant, vel potius vt cælo nos fraudent: vmbra præferunt, vt à veris propellant: insomnia immittunt (nihil enim aliud id præter dici possunt fortunæ bona) vt luce oborta, omnium nos arguant egētissimos. Quæ omnia ita se habere intelligentes, caueamus aliquando tandem dolos hosce & fraudes, animūmq; ad futura conuertamus: neque enim affirmare licebit ignorasse nos vitam hanc breuem esse & temporariam, rebus præsertim ipsi tuba clariem quotidie clamantibus, pertinem illam esse ridiculam & informem, plenam discriminis, plenam voracitatis. Qua igitur erimus acufatione digni, quādo criminosa & turpia tanto studio cōsectamur: fugimus vero quæ gloriosos nos facerent, & insignes, vniuersiq; in ipsam pecuniarum tyrannidem concedimus: siquidem illa dura est seruitus, quavis tyrannide intolerabilior: quod profecto nec eos fugit, qui ea se vt explicarent, digni sunt habitū. Quocirca & vos vt optimam hanc libertatē perdiscatis: refringite vincula, extricate vos laqueis, nullum iaceat domi aurum, quin quod infinitis est pecuniis honoratius, pietas & elemosynæ recondantur. id enim nos faciet apud deum fidentiores: at illud dedecore multo & pudore offundit, facitq; dæmones magnū in modum in nos dēfūire. Quid igitur in te hostem & armas, & fortiorē reddis? armis potius erit tua in eum dextra munienda, transferendūsq; domus omnis in animum ipsum ornatus, in eoque opes locandæ: aurum pro arca & domo cælum seruet, nostra omnia nobiscum deferamus: sumus certe ipsi & parietibus potiores, & pauimento maioris faciendi. Quid igitur nobis posthabitis, studium in hanc omne concitamus, quorum sumus post vitæ huius excessum expertes futuri? quinimo persæpe in humanis agentes, potiri haudquam possumus, cum liceat diuitiis adeo prouehi, vt nō modo in hac vita, sed in futura possimus opulentissimi videri: idcirco quicunque villas, domos, & aurum animo vel curæ habuerit, vbius sui præsentiam fecerit, cū his fortunis se offerat necesse est. Dicet aliquis, quo pacto id fieri poterit? poterit quidem & facilitate summa: nam sic hanc bona per inopum manus in cælum transfuleris, apparebunt sanē in tuum fuisse animum traducta, ita vt te vel morte præuentū, nemo his opibus fraudet: quin vita sanctus abscedes, cælo opulentus futurus & diues. Eiusmodi Tabite illa thesaurum potita est, siquidem non domus aut parietes, non lapides aut columnæ, sed viduarum corpora amictu operta, fusæ lachrymæ, mors fugata, ac demum vita reddita, conspicuam illam fecere & claram. Istiusmodi nobis paremus arcas,

tales struamus & domos: sic deus nobis opem præstabit, & ipsi nobis eodem coadiutore vti in opere, & quidem præclaro absoluedo videbimur nō defuisse. At qui ex nihilo deus inopes ad esse traduxit: tu vero traductos hosce, & creatos, nec fame siuisti leuando curādōq; nec reliquis confici ærumnis, dei templum attolens vndiq; & sustentans: cuius templi vel probitatem, vel gloriam quid vnquam poterit æquare? Quod si nō dum clare perdidicisti, quibus te deus pro iniuncta hac & suscepta subleuandæ inopiæ cura insigniuerit ornamentis: tecū id animo reputans, ex eo quod inferemus, intelliges. Etenim si quispiam tibi casurum cælū subleuandi erigendiq; traderet facultatem: nōne id tibi honori duceres, perinde ac cōditionem tuam & vires excedens? Ecce nūc maiore quodam te honore dignatus est deus, siquidē quod cælo ipso maioris facit, tibi subleuandum concessit: nihil enim deo ex his quæ visuntur æque atque homo est gratum, cuius gratia cælū, mare ac terras creauit, eiusq; habitatione potius quā cœli lætatur. Quod & si ita esse nos haud latet, nihil tamē curæ vel diligentia diuino huic templo mancipamus: quin eo neglecto, amplas ac magnificas paramus domos: ideoque rebus omnibus destituti, extrema inopia laborantibus sumus inferiores, quando & domicilia, & quibus post vitæ huius excessum nihil sumus splendoris relaturi, ornatiōra struimus, illis reiectis, quæ transferre nobiscum vnā licuisset. Consurgent nanque resoluta iam egentium corpora, quibus deus, cuius hæc iussu fuit, in medium productis, qui ea curauerint, & laudabit, & cum omnium admiratione extollet: propterea quod inopia affectos, vel paulo post siue inedia, siue nuditate, siue algore collapsuros erexerint. Verum adhuc vel his nobis propositis laudibus, tardiores certe ad optimam hanc egenorum curam adeundam sumus & torpidi. Christ⁹ præterea quō diuertat, nihil habet: quin hospes famelicus circumfertur, & nudus. Ipse vero suburbana vel laxiora, balneas & ambulacra, siu' trāq; multa struis bicubula: illi vero neque angustum aliquod impartiris tegumentum, qui coruis & vulturibus celsissima struis tectorum fastigia. Quid hac fieri peius socordia potest, & furis: sunt enim hanc pro extrema quadam habenda insania, quæ nec verbis quidem poterit fatis explicari. Licebit tamen si libet, eiusmodi à nobis ægritudinem, etsi pergrauem propulsare: neque id tantum potis factu est, sed etiam facile, neque facile modo, sed eò facilius pestilenti hoc & animi & corporis morbo liberabimur, quo & medicus aderit omnium excellentissimus. Is itaque erit per nos & alliciendus, & hortandus, vt se nobis iungat. Conferenda insuper in medium nostra omnia, & ipsi nos, voluntas scilicet & animi promptitudo, nullis hic rebus aliis opus habet, modo hæc tulerit, de se omnia præstabit. Conferamus itaque quæ nostri sunt iuris, vt meliori dum viuimus valetudine vti, bona illa futura consequamur.

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI,
de misericordia & duabus mulieribus
viduis, Homilia.



RIA sunt quæ in misericordiam opere optanda sunt Christiano, vt possit facere, vt velit, vt compleat. Vt possit, id est, vt substantia faciendi non desit: vt velit, hoc est, voluntas adsit qua faciat, quia substantia non deest qua fiat. Tertium est, vt compleat, id est, quæ possit & velit sine dilatione perficiat: his enim tribus opus tantum tamq; præclarum

clarum impletur. Nam sunt qui possunt facere, sed nolunt: sunt qui volunt, & non possunt: sunt & qui volūt & possunt, sed differendo non faciunt. Cæterum qui potest facere oret vt velit: & qui vult facere, oret vt possit: & qui in vtroque paratus est, det operam vt misericordiam instanter efficiat, ne quod vult & potest, differendo non compleat. Est enim misericordia salutis præsidium, fidei ornamentum, propiciatio peccatorum. Hæc est quæ iustos probat, sanctos roborat, dei cultores ostentat: cuius exercitium lætum efficit dominum, placatum exhibet Christum, dum cernit subsidiis huiusmodi foueri pauperem, inopem subleuari. Hæc misericordia cum à cunctis impleri præcipitur, tum maxime ab his qui signati sunt, vt dent quā accipiant, tribuant quā sumant, donent aliis quā ipsi indigeant. Cæterum nō potest ille misericordiam facere, qui possessionibus longe latèq; diffusis, in confinio alium possidere non patitur, dum terminos iungit, fines producit, calumniatur pauperi, mediocrem premit, vicinum excludit, & omnes circum circa positos infestando ac persequendo depellit, qui non acquirit nisi alius fleuerit: lucra non condit, nisi alius genuerit, cui soli bonum est quod publicum malum est, dū aut fructus seruat, aut annonam captat, aut inflat præcia, aut fœnus exaggerat, dum acquirendi lucra per nocēdi exquirat ingenia. Potestne talis misericordiam implere officia, cui pupillorum dulcis est gemitus, & viduarū suavis est fletus, dum præda huiusmodi pascitur, & spoliis taliū delectatur, qui diues est arca non merito, possessione non genere, nomine non dignitate? Potestne misericordia tangi, aut humanitate moueri, cuius auariciæ nec proprium sufficit, nec modum ponit alienum: Qui & si pauperi tribuat, hoc magis deterior, si alij tollit quod alij pertineat, & esurientis pane esurientem pascat, & nudū spoliis vestiatur alienis, cum scriptum sit: Qui offert sacrificium ex substantia pauperis, sic est quasi qui victimet filium in conspectu patris sui. Cæterum ille vere est diues, qui in deo diues est, qui magis misericordia opulentus quā diuitiis, facultates suas cum pauperibus diuidit, qui locupletem se dando magis quā habendo ostendit, qui ad hoc se meminit habere diuitias vt fœneretur deo, pascat Christum, vestiatur dominū, qui patrimonium suum non ingrato hæredi querat relinquere, sed per pauperes illud Christo desideret cōmodare, qui diuitias cælo magis quā mundo commēdat, qui desiderat potior esse opere, quā suæ substantiæ facultate, qui thesauros suos ad superna trāsmittit, qui ad hoc viuit vt operetur, qui ad hoc operatur vt in æternum viuere mereatur, qui viduarum casibus fleat, & pupillarum miseria commoueat, qui dolentium causam suscipit, & arrogantiam superbiorum addicit. Cæterum habere nec facere, misereri posse nec velle, commendatum sibi deputat quod per cruciatus suum ad hæredem transmittat. Nec de suo miser permittitur tægere, quod post se futuro cogitur reseruare, qui sollicitus seruat quod acquirit, molestius custodit quā rapuit. Suspirat enim vigilas acquirendo, suspirat dormiens reseruando. Nec vigilas læta, nec somnus securus. Nec dies læt⁹, nec nox quieta est, discurrit, torquetur & gemit, & quasi illi proficiat quod acquirit, sic augere desiderat quod alij cum suo cruciatu relinquat, vt quale fuerit patrimonij pondus, talis sollicitudinis habeatur & cumulus. Sed dicet e contrario de mediocribus aliquis, ego misericordiam instanter implerem officia, ego inopes pascerem, egenos fouerem, nudos vestirē, ego pauperibus necessaria

viuitus impenderem, nec à me inanis quisquam aut sine fructu discederet, si mihi facultates suppeterent, diuitiæ adessent, copiæ redundarent. At cū mihi necessaria desint, cum operandi facultas necessitate habēdi interdita sit, cur mihi aut dandi sterilitas imputatur, aut miserendi cessatio succensetur? Sed audi quisquis hoc loqueris, & excusandi artas quas obtēdis omitte. Nullus miser est nisi qui misereri noluerit: quia nec quisquam misereri desiderans poterit non habere quod tribuat: nullus petentem pauperem poterit inanem relinquere, nisi qui ei noluerit cōmodare. Non enim misericordiam definita sunt præcia, aut nisi quis multū dederit acceptabile esse quod datur nō poterit: aut inopes tantū à quocumque exposcunt, quantum qui poscuntur dare nō possunt: aut ex modico multum, aut de exiguo plurimum dare quispiam cogitur, cum libenter ex modico modicum attributum diuina pietas gratuletur. Deniq; vidua Heliam ex modico pascit, & id ipsum quod habuit, fini- 3. Reg. 17. ri non potuit. Supremi victus dando non defunt, & diuitum horrea finiuntur: modicū olei erogatur nec deficit, & peccatorū apothecas penuria famis exhaurit. Misericordia viduæ seruat quod peccata locupletū exterminant: modica diuitiis maiora sunt, & diuitiæ paupertate viduæ superantur. Ita enim & iustis alimenta non defunt, vt peccatoribus subsidia denegentur. Deniq; audi domini vocem viduam in Euangelio collaudatam, quæ in dona dei totū quod habuit, misit. Amen, inquit, dico vobis, vidua ista plus omnibus fecit. Omnes enim isti de eo quod abundauit illis, fecerunt: hæc autem totum quod habuit, misit. Laudatur in modico vidua, & diuitum non laudantur oblata. Minimum viduæ diuitum opulentias vicit, & vota diuitum votum viduæ superauit. Diuites enim ex multo modicū, vidua vero ex modico obtulit totum. Vnde dominus diuitū & viduæ operationes expendens, non quantum quisq; obtulerit, sed quāto quis fecerit, singulorum animos & facultates ostendit, & viduā in opere perfecto laudauit. Certabat enim animo cum diuitibus vidua, cū locupletibus pauper, mediocris cū opulentissimis, fide ac deuotione certabat: sed vincit animo, deuotione superat, deniq; inuenitur potior, melior conspicitur, maior omnibus à iudice pronunciat. Amen, inquit, dico vobis, vidua ista plus omnibus fecit. Prouocaris Christiane, prouocaris, & à vidua in certamē dēdueris. Hæc enim vidua quæ presente tunc Christo certauit, nunc quoq; cum omnibus certat, & tamen nescierit talem qui victi sunt, qualem nunc qui prouocantur, nouerunt. Quarē taceant steriles, aridi conticescant, infructuosi aut mutentur aut fileat: vidua quod fecit non didicit, & steriles quotidie discunt & non faciunt. Quæsiuit vidua quo modo posset presentem dominum promereri, quæsiuit quo modo posset potior diuitibus inueniri, inuenit causam, inuenit consilium, vt quam natura fecerat paupere, deuotio faceret diuitibus potiorem: & ne possit quisquam non habendi excusatione purgari, gratuita misericordiam inducuntur officia, vt ostendatur dominum etiam ipsis pauperibus operandi imposuisse obsequia. Calicem frigidæ prophetæ porrigere, præmium Prophetæ promittitur: ægrotum vel constitutū fratrem in carcere visitare, dominum visitare est, sicut ipse domin⁹ dicit, vt possit ex gratuitis promereri qui de substantia non potest misereri: vt iam constet pro qualitatibus hominum misericordiam non debere cessare officia, vt operantibus possint præmia dispensari cœlestia: vt cum cœperint misericordes expungi & steriles condemnari, & misericors quia miserus

misertus est gaudeat, & sterilis pœnas quas non speravit, inueniat.

*DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI,
quod dispensatio rerum tuarum per teipsum
exequenda est, & de laudibus insi-
tuisq; monachorum, Sermo.*

RERVM tuarum dispensatio, Ecclesia præsi-
bus minime concedenda est, quin per teipsum
exequenda, vt non solum minuendi fortunas,
sed etiam administrandi mercedem habeas:
ipse semen tuis manibus sulco iacta: non enim hic erit
terre aratrum defigendum, aut boues iungendi, vel tel-
lus ipsa nouanda, geluq; & frigore contedendum: hac
enim omni difficultate caret istiusmodi semen. In cœ-
lo nanque seminas, vbi algores nulli, neque hyems, vel
eiusmodi aliud quippiam inuenitur: in animos seris, vnde
nemo quod satum fuerit, tollet, quin inhærebit ma-
xime, & acrius, ac celerrime detinebitur. Tu semen ia-
cito, cur te hoc præmio fraudas? maxima etenim sunt
proposita præmia his, qui aliena recte subministraue-
rint: siquidem non solum qui sua distribuit, sed & qui
oblata bene impartitur, dignus mercede est. Tu vero
cur illam tibi, cum licet, non vèdicas? Quod autem vel
ex eo futurum sit præmium, illud audi: Cõstituerunt au-
tem Apostoli Stephanum, & qui circa eum erant ad dis-
pensationem per manus faciendam. Efficere ergo & tu
tuarum rerum dispensator: hic enim humanitas, id est,
dei timor, te fortiorem reddet, insolentiam tollet, ani-
mo quietem, manibus sanctitatem largietur, intellectum
eliciet, philosophari edocebit, promptiorem faciet, &
benedictionis participem, qua & caput ipsum manuum
ministerio donatur. Esto itaque ad orandum diligentior,
sanctorum virorum curam suscipito, eorum dico, qui
vere sunt sancti, qui in solitudinibus confidunt, qui
emendicare nequeunt, qui deo adhærent. Iter longius
suscipe, tum & tua aliis impartire: plurimum enim vti-
litas afferet istiusmodi per te datio. Spectabis enim in
ea eremo tuguriolum, videbis & diuersorium, oculis
solitudinem lustrabis, ita vt cum illo per causam pecu-
nias dilargiendi concesseris, & animam plerunque des-
integre, detentusq; efficiere illis conseruus, & hoc secu-
lo alienus, & hospes. Magnum quidem & præclarum est
pauperes intueri & inuisere. Melius enim est, inquit, in-
gredi domum luctus, quam domum lætitiæ. Inde nanq;
incenditur ad virtutem animus. Nam si lasciuientibus
cæteris & ipse arriseris, erit id tibi quædam ad luxum
& incontinentiam incitatio: sin autem, mœsticia corri-
pieris. In domo autem luctus, nihil eiusmodi: nam si de-
licia decerunt, dolore carebis: si vero inerunt, abstinebis.
Certissimæ lachrymarum sedes monasteria sunt, vbi fac-
cus & cinis, vbi solitudo, vbi risus nullus, vel rerum præ-
sentium obturbatio, vbi ieiuniū, & humi cubatio. Sunt
nanque ibi omnia nidore & illecebris vacua, & quauis
interpellatione & inquietudine libera: insuper portus
tranquillissimi sunt, quos qui inhabitant, veluti ignes
sunt, qui cum è loco editiori emicet, lucem vel eminus
aduentatibus exhibent: cumq; vel in portu refederint,
cæteros ad suam alliciunt tranquillitatem, neque se in-
tuentes pati naufragium sinunt, vel in tenebris degere,
qui ad se oculos intenderint. Adito itaque istiusmodi
viros, vt ere eorum contubernio, accedito, inquam, &
sanctorum pedes amplexare, quos prehæfare longe ve-
nerabilius est, quam aliorum complecti caput. Dic mi-
hi, complectuntur nonnulli statuarum pedes, quoniam

figuram & imaginem præferant imperatoris: tunc illi,
qui Christum continet, tenebis à pedibus. Sancti itaque
sunt istiusmodi pedes, vel si vilissimi fuerint: inquina-
torum vero neque caput ipsum honore dignum. Siqui-
dem sanctorum pedes permagna operati sunt: nam &
excruciare solent, cum à se excusserint puluerem. Cum
igitur quispiam sanctus apud nos fuerit, nihil vile illius
ducemus. Sancti enim sunt omnes, qui vt recte credunt
& vixerint, vel si nulla ediderint signa, vel demones
eiecerint, sancti sunt etenim. Ad monasteriū sancti viri
diuertere, tale est quale foret è terris ad cœlos subuola-
re: non enim tibi in eo licebit, que domi plerunque, in-
tueri: nam & monachorum cœtus ille perpurus est, si-
lentiūque apud eos, & quies plurima. Hoc, Meum
Tuum, longe abest: apud quos si ad diem vnum, seu bi-
nos manseris, eò maiorem senties voluptatem: cum enim
primum dies illuxerit, quinimo ante ipsius diei lucem
edidit vocem gallus, nihil tū ibi simile spectabis, quod
domi solemus: stertunt serui & familia, erunt occlusæ
fores, mortuis omnes simillimi præ somno videbuntur,
quatiat & asinarius tintinabula. Sed mox omnes per
monasterij præsidem excitati, somno excusso, modeste
consurgunt, statuentēque sanctum illum chorum, sta-
timq; tollentes manus, sacros decantant hymnos: neq;
enim vt nos excutiendo somno, & sopore multo ho-
rarum longiori indigent spacio. Ipsi enim simul ac è
stratis attollimur, ad multam horam oscitando, & cor-
pus distrahendo relidemus, mox ad secretum accedi-
mus egeredi gratia, deinde manus faciemq; abluimus,
post hæc vestem induimus & calceos: hoc pacto tempo-
ris plurimus teritur. Apud hos autem nihil huiusmodi,
nemo seruum euocat, cum quisque sibi faciat satis, non
multis indiget indumentis, nec somni excullore opus
habet: sed vt primum aperuit oculos, præ abstinentia
similis apparet ei, qui multum ac diu vigilauerit. Nam
cum nullo cor fuerit cibo grauatum, aut suffusum, nec
longius illi necessarium est ad leuandum tempus, quin
leuior ocyus se exteris manibus attollit. Somnus præ-
terea modestus est & sobrius: nemo enim ibi stertetem
quempiam viderit, aut anhelantem, neque inter quie-
tem corpore iactabundum, vel nudum, vel dormiunt
sanè cubantes modestius, quam vigilent cæteri: quod
profecto è quadam bene instituti animi moderatione
efficitur. Hi proculdubio & sancti sunt, & inter homi-
nes angeli habendi. Plurimus enim dei timor arcto &
profundo somno haudquaquam eos sinit soporata me-
te mergi: quin leuior ille dūtaxat imminet ad quietem,
à qua vel eorum insomnia minus aliena: sunt enim va-
nis & monstruosis imaginibus, vel præstigiis vacua.
Vnde, vt diximus, edente gallo vocem, cum monaste-
rij præpositus vel vnum pede pupugerit, omnes excita-
uit: neque enim ibi nudos cubare fas est: inde experge-
facti, illico stantes propheticos hymnos, concinnitate
summa & modulatis carminibus decantant, eo modu-
latu & symphonia, vt neque cithara, neque fistula vlla,
neque aliud musicum id genus instrumentum talem ed-
ant sonum, qualem audire licet tranqerrimis viris il-
lis altiori quadam quiete, & animi tranquillitate succi-
nentibus, qui cantus & suauitate referti sunt, & diuino
amore oppleti. In noctibus, inquit, extollite manus ve-
stras ad deum: & illud, Vigilat anima mea ad te deus,
quoniam lux sunt præcepta tua in terra. Item & Dau-
dici cantus quam multos lachrymarum concitant fon-
tes, cum canens Dauid illud pronunciat: Defatigatus
sum in meo luctu, lauabo per noctes singulas lectum
meum,

meum, & in lachrymis stratum meum rigabo: & rur-
sum, Quoniam cinerem tanquam panem manduca-
bam. Quid est homo quoniam illius es memor? Homo
vanitati factus est similis, & dies nostri tanquam um-
bra decedunt: & illud, Ne timeas cum ditabitur homo,
seu cum fuerit aucta gloria domus eius: &, Qui habita-
re facit pares moribus in domo: & Septies in die lau-
davi te super iudicia iustitiæ tuæ, & rursum, Media no-
cte surgebam ad confitendum tibi super iudiciis equi-
tatis tuæ, & illud, Deus erue animam meam de manu in-
feri: & Si ambulauero in medio umbræ mortis, non ti-
mebo mala, quoniam tu mecum es: item, Non timebo à
timore nocturno, à sagitta volante in die, à negotio
in tenebris perambulante, ab occurſu & dæmonio me-
ridiano: & Aestimati sumus tanquam oues iugulationis.
Itaque oscitantibus nobis, ociosoq; torpētibus ster-
tentibusq; vel supinis cubantibus, & fallacias animo
verfantibus innumeras, canunt illi istiusmodi angeli
vnā, Laudate dominū de cœlis, concinentibus. At vbi
primum dies illuxerit, quiescunt illi: idq; temporis quod
nos ad laborem, illi habent ad quietem, clarescente ve-
ro die cum per causam impensas computandi, vel di-
mittendi ad forum alios euocamus, hicque princi-
pibus coram pœnas veritus adstat trepidus, alius se in
tabernaculū confert, alius arti se & operi cuius est gna-
rus accommodat, rursum illi matutinas inceptant pre-
ces, & hinc se ad sacrarum lectionem scripturarum cõ-
uertunt. Sunt & qui scribendi artē edocti, libros scrip-
titant, & destinationis cellulis se quisque tacitus continet.
Precationes postmodum, quæ tertia, sexta, & nona ho-
ra, & vesperi insuper dicuntur, absoluunt, ita vt quadri-
partita die singulis partibus variis deum laudibus ho-
norent. Igitur vescentibus, ridentibus, & lasciuientibus
reliquis, ac multo cibo distento ventre distractis, hi se
se hymnis applicant, cum eis nondum cibi, & mensæ
sit tempus, neque vlla horum sensibilibus cura. Sumpto
vero cibo, cum se primum quieti dederint, iisdem in-
cumbunt laudibus. Huius vero mundi homines vel die
dormitant: at illi & noctes ducunt infomnes, quare
lucis progeniti merito possunt appellari: siquidem id
tempus quod reliqui somnolentiæ maiorem in par-
tem sumunt, onerosiq; in cibo & graues prodeunt, ab-
stinent hi, & impasti manent, & orationibus student.
Vesperis autem iterato ociatibus cæteris, certatimq; ad
balneas properantibus ad breue laboribus soluti, nulla
seruorum excitata caterua, nullo per domum discursu,
aut tumultu, neque variis & gulam irritantibus apposi-
tis epulis discumbunt, pane duntaxat plerique contem-
ti, & sale, alij oleo his adiecto, & qui infirmiores fue-
rint, oleribus & luguminibus vescuntur. Diuinis inter-
ea laudibus haud intermissis cum paululum confede-
rint, singulis storiis & humi cubant, ad quietem solum
non ad delicias paratis. Nullus ibi principum terror,
nulla dominorum increpatio, neque vlla seruilis tre-
pidatio est, nullus ibi formineus tumultus, nulla puero-
rum obturbatio, non multæ sunt apud eos apothecæ:
aut condendarum rerum gratia parata loca, nulla a-
bundans & seruata vestis, auri & argenti nihil, custodię
nulla, nullum ararium, vel aliud istiusmodi quippiam:
sed omnia oratione, & diuinis laudibus, & fragrantia
spirituali sunt plena, nihil ibi quod carni indulgeat.
Prædonum incurſus haud verentur: cum nihil habeant,
cuius possint iacturam pati: siquidem & pecuniis carēt,
corpus tantum habent & animam: hæc si diripiāt, pro-
fuisse potius viderentur, quam damni aliquid intulisse,
Tomus quintus.

quando essent per eos his corporis vinculis soluti. Mi-
hi enim, Paulus inquit, viuere Christus est, & mori lu-
crum. Vox itaque exultationis in tabernaculis iusto-
rum. Nullus præterea ibi eiulatus, aut lamentatio exau-
ditur, vel gemitus, vacat istiusmodi mœrore domici-
lium illud, aut vlulatu: moriuntur sanè inter eos non-
nulli, cum haudquaquam sint corpore immortales, ne-
que tamen mortem pro morte ducunt: suos enim can-
ticis præmittunt mortuos, præcedere illos existiman-
tes non emori. Quod si è suis quempiam obisse mor-
tem enuncietur, gaudio summo & læticia afficiuntur:
quinimò neque illum audebit quispiam mortuum ap-
pellare, sed viuendi finem fecisse dicet. Proinde gratia-
rum actio, diuina affatim laus & suauitas oritur, optā-
tibus singulis se talem vitæ finem habituros, eoque mo-
do seculi huius certamen excedere, ab agoneq; hoc &
laboribus requiescere, & Christum ipsum intueri. At si
quis eorum ærotauerit, nullæ exprimentur lachrymæ,
nullus gemitus, sed orationi iteratò incumbitur, nulla
medicorum manu, sed fide tantum plerunque suble-
uantur, & ærotus cõualeſcit: quod si vel medico opus
habuerit, permagna patientia & tolerantia præstatur.
Non adest præterea vxor soluta crines, non liberi futu-
ram orbitatem deplorantes, non serui orantes efflatur-
um mox spiritum, sese cuiquam commendatos relin-
quat: sed horum omnium liber animus, vnum illud &
solum aduertit, vt i ultimo suo efflatu decedat deo gra-
tus. Verum si in morbum aliquē inciderint, nulla cra-
pula vel nimio stomachum grauante cibo, eum incur-
runt: quin potius erunt eius morbi causæ quauis laude
cumulatæ, nulla ærotantium culpa exortæ: nam vel
ex lucubratione immodica aut cibi longiori abstinen-
tia, languorē inferunt, vnde & curantur facilius, quan-
do his se nequeunt malis eximere, nisi deserint æque
lassescere, vt cœperant & defatigari. Dicit quispiam,
Licebitne istiusmodi viros in media Christiani populi
frequentia spectare? Nos vero ita respondemus, non ea
mente istorum nos vitam explicasse, vt videantur qui
in ecclesiis viuunt cõtemnendi: quam multi enim sunt
plerunque istiusmodi sanctitate viri, & si haud propa-
lam, vel in ipso Christianorum conuentu medio: ne-
que ex eo quod alienas circunvagantur domos, aut in
foro versantur, vel aliis præfunt, parui illos facimus, eò
minus quò & deus illud iniunxit: Iudicium, inquit, Es. 1.
pupillo facite, & viduam iustificate. Diuersæ enim sunt
ad virtutem viæ: siquidem & margaritæ inter se diffe-
runt plurimum, vel si omnes idem sint nomen sortitæ,
tamen hæc fulgentior est & rotūda: illa vero haud pa-
rem habet decorem, sed alium quandam & varium.
Qualis vero ille sit, explicabimus: quemadmodum enim
corallum artificio quodam productas in longum li-
neas nonnunquam habet, circuncisosq; angulos & ex-
politos, coloremq; à candido etsi diuersum, longe ta-
men delectabiliorem, viridis etiam iniectus color præ-
ter omnem viriditatem iuuat. Item & flos quidam cõ-
iunctum habet cum innata fragrantia & sanguinis co-
lorem: alius autē qui glaucus fuerit, glaucitate ipsa ma-
re vincit, alius etiam erit purpureo colore splendidior,
& istiusmodi plerosque alios videmus: insuper & solis
colores varios esse inuenire quis facile poterit: sic & his
similes dici viri sancti possunt, quorum nonnulli pro-
pria quadam exercitatione & industria sibi ipsis, ple-
rique vero ecclesiæ profuere. Itaque vt eò vnde digres-
sa est, redeat oratio, si sanctorum pedes lauerimus, &
opem tulerimus oppressis, salutare erit. Incumbamus
C ergo

ergo his rebus, ut gloriari in cælo possimus sanctorum pedes abluisse. Quod si horum abluendi sunt pedes, eodem magis & ipsi per nos pecuniis iuuantur. Nō enim sciat sinistra tua, quid faciat dextera tua. Quid multos admittis testes? si enim fieri potest, ne domestici quidem, vel vxor ipsa sit huius beneficii cōscia: quā plura enim sunt subdoli illius aduersarij impedimenta: plerumque enim coniunx arrogātia quadam, vel alia quavis de causa, etsi nunquam antea, tunc tamen te interpellabit, & beneficiū illud tuum intercipient. Siquidem Abraham, & si admirandā haberet vxorem, ea tamen, cum filium esset immolaturus, clam habuit, præsertim cum ipse rei euentum ignoraret, certior tamen quod illum esset necaturus. Quid igitur est turba vir aliquis dixerit, quisnam hic est qui hæc facit: & his simul nōne crudelitas eum & rusticitatis insimulabit? dicens nō licuit matri filium spectare, & vltimam audire vocem, morientemque inspicere? Nihil tamen istiusmodi iusto illi diuino amore incenso veniebat in mentem, præter id solum, ut dei mandata exequeretur, non ea in re filium, nō vxorem animaduertebat: & quod maximum est, futuri nescius, adeo ille omni ex parte integrum deo offerre sacrificium studebat, ut ne lachrymis quidem illud, aut contentione aliqua inquinaret. Ad quem ait Isaac: Ecce ligna & ignis, vbinam victima? Quid ergo pater? Deus prouidebit sibi victimam ad holocaustum fili mi. Fertur autem id esse propheticum ut illud: Et filium visurus est in victimam. At cur cum qui immolandus est celas: etiam, inquit, veritas ne torpescat, vel indignus inueniatur. Vides itaque quā multa diligenter vir ille cuncta factitarit, quæ sacris literis exprimentur. Nesciat, scilicet, sinistra tua, quid faciat dextera tua. Quod illud sonat, vel si quempiam habuerimus, quamuis propinquitate iunctum, nihil illi quod fuerit per nos pie gestum, vltro aperiemus, nisi cogat necessitas. multa quippe ex eo succedunt graua: nam si quis superbire ceperit, erit id quidem illi ad bene agendum impedimento. Quapropter cum aliquid inopi impartimus, vel nos ipsos si fieri potest celabimus, ea ut bona consequamur, quæ nos in Christo lesu domino nostro manent certiora & parata.

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI

Sermo, ne scrutentur pauperes curiose.

QUID stipem deposcentem scrutaris: quin illum Christi ob gratiā excipe: nam si nimium fueris explorando curiosus, vel probum plerumque virum præteribis, faciesque hoc modo futura & emerita mercedis iacturam: quamuis qui vel improbum pro Christo susceperit, culpandus non erit, quin capiet pro eo & præmium. Nam qui Prophetam sub prophetæ nomine admiserit, prophetæ mercedem accipiet: qui vero pro intempestiua hac & superuacanea scrutandi cura quempiam laude dignum paruisse, pœnas luet. Non itaque aut vita hominum aut facta scrutanda sunt: quod proculdubio extremæ cuiusdam nos experientia arguit, dum panis vnius gratia petiti, vniuersa sit inopis vita indaganda: qui siue prædo fuerit, siue aliud quiduis, num capropter vel pane tibi, vel argenteis nonnullis & paucis apparet indignus eumque: cui dominus tuus orientem solem sit impartitus, perexiguam ipse cibatum & tenuem victum exultimas immerentem? Quin etiam quod dictum maximum est, si vel huc compertum habeas innumeris esse vicis constipatum, eoque paruo & exili cibo fraudaueris: nihil id

tibi poterit ad excusationē valere, præsertim cum eius sis domini seruus, qui ita inquit: Num ignoratis ex quo patre sitis: illius præterea familiaris, qui se lapidantes animo tulerit patienti, imò qui est pro se lapidatibus in cruce sublatus. Neque id dixeris, mendicium quempiam sicarium esse aut homicidam, qui vel si tibi esset exitium allaturus, non tamen foret, quādo inedia maceretur, aspernandus: si quidem eius disciplinam seceris, qui cruci se suffigentium concupiuit salutem, eius, inquam, qui in ipso patibulo ita profatur: Pater dimitte te eis, non enim norunt quid faciunt: illius insuper seruitutem subisti, qui se manu cedentes tulit mitius, qui noxiū in cruce coronauit. Quod facinus quid vnquam poterit equare: Porro latrones vel vtrique Christū maledictis insectabantur, horum tamen alteri paradysum nondum cuiquam patefactum, peruium fecit: defletque qui mortem sibi sunt allaturi, turbatur etiam terreturque proditore conspecto, non eo quod foret ipse cruci suffigendus, sed quod ille esset ob id sceleris interiturus: commouebatur præterea quod suspendij laqueos præuidisset, quos supplicia sequerentur. Iudam tamen etiam eius nequicia præcius, adusque extremam horam tolerauit, neque proditorem reiciebat, quin amplexando osculabatur: hunc itaque dominus tuus labiis admittit, qui mox eius est preciosum sanguinem fusurus: tu vero egenum neque pane dignaris, nihil veritus quas deus condidit leges, quibus nos commonefacit, non solum non esse inopes reiiciendos, sed ne hos quidem qui nos ad interitum duxerint. Neque illum commemoraueris, hunc illumve mali quippiam alteri intulisse: quin potius recognosce quid Christus sub ipso patibulo & osculo quo erat prodendus, egerit, ut proditorem emendaret. Attende quā prudenter id dicat: Iuda osculo filium hominis tradis? Quem hominum non his verbis lenisset: quem, inquam, eiusmodi vox non ad pietatem flexisset: quam beluam, aut quem adamantinum lapidem non commouisset: solus ille miser flekti nō potuit. Ne itaque dixeris, ea ratione nōnullos esse fugiendos in animum induxi, quod humana sint cede & sanguine inquinati: quin potius eorum erunt deosculanda manus, vel si tuæ sint ceruicis sanguine respergenda, quando & Christus sit os illud impudentissimum deosculatus, quod necem ei parauerat. Igitur & ipse lacrymis potius & commiseratione prosequere, quā odio aut malevolentia, qui fuerit in te quippiam machinatus: is enim est non indignus cuius non pigeat, quippe illius & serui sumus, qui se tradenti osculum dedit, (id enim sæpe ac multum repetendo commemorauerim) & quous osculo molliora est verba effatus: siquidem non indignabundus, ut homines solent, talia inuehit: Facinorose proditor & omnium perditissime, has mihi pro meis in te beneficiis vices reddis: quin Iuda, inquit, eum nomine appellans, quod commiserantis est potius, & a scelere ad officium renocantis, quā irascentis: nec magistrum se dixit ac dominum, aut bene de se merentem, sed filium asserit illum hominis prodere. Atqui si nec præceptor ille vel dominus extitisset, id solum quod se pure adeo & simpliciter erga te gesserit, ut cum vel prodendus esset, ni osculum proditoris indicium, quod erat antea per te in sui capturam destinatum obtulerit, prodendus à te non fuisset. Sis bone deus benedictus: quot enim nobis tradidisti, tum ad humanitatem, tum ad innocentiam exempla: talem se Iudæ præbuit Christus. Nōne & pari visus est in eos benignitate, qui se fuste & gladiis inuasissent: Maxime: quid

quid enim dici his verbis mansuetius potest, quæ ad eos fertur habuisse, quos & si perdere mox omnes voluntate licuisset, facere id tamen temperauit, quin pudentius sic illos alloquitur: Quid in me cum gladiis & fustibus tanquam in latronem aliquem irrupistis? quibus protinus pauore reiectis & supinis cadentibus & stupiditate affectis, rursus sese vltro obtulit: cumque manus sibi sanctissimas ligari vidisset, & si cōfundendi omnia & disturbandi facultatem haberet, patientissime tolerauit: deinde Christi perspecta mansuetudine tam acriter in inopem sæuendo efferaris, qui vel si innumeris fuerit obnoxius vicis, eius tamen vel egestas, vel fames satis vtique facere posse videtur ad animum, non penitus obtusum vel cacutientem, mitigandum. Tu vero contra leonum more, & si nihil illi cadauerosum attingant, efferatus & furens in pertinacia manes: iacentemque inopē & egestate immodica maceratum, ac malis confectum & premis & vrges, eiusque corpus conuiciis discerpēs, quasi procellas vel aiunt, tempestatis superinductis adaggeras, compellisque ad portum refugientem illidi scopulis, & cogis naufragium subire maritimo longe molestius. Quo igitur pacto tuis facinoribus veniam à deo precaberis, remittique commissa postulabis: qui nihil peccanti conuiciaris, pœnasque pro tanta inedia & rerum angustia deposcis, adeo ut tua sæuicia immanium beluarum feritas obscuretur? Siquidem ventris ille vrgente esurie naturali consuetoque cibo vescuntur: tu vero nemine impellente fratrem & mordicus lanians, & si nullis dentibus dictis tamen laniatu quouis & morsu infelioribus deuoras. Quo igitur pacto sacram illam oblationem sumpturus es, qui linguam humano sanguine cruetaueris? quo modo & pacis osculum deferēs, ore hoc tuo contentioso & hostili: Cibum præterea corporeum hunc & sensibile quo animo ceperis, qui tatum accumulaueris virus? cur atteris quā nec subleuas pauperem? cur deprimis, quem non iacentem erexeris? cur auges, quam haudquaquam sustuleris, animi molestiam? Pecunias nullas impartiris, quid probris quempiam insectaris: nondum tibi ad aures peruenit, quantum hi pœnarum luant, quibusue sint tormentis adiudicati qui mendicum nō aluerint? Abite, inquit, in ignē diabolo & eius angelis paratum. Si igitur qui nullis inopem alimoniis iuuerint, tam acriter condemnantur: quas illos pœnas daturos putas, qui nec victum impartiantur, & contumelias ingerunt? quot, inquam, hi subituri tormenta sunt: quot incendia & gehennas: Ne itaque tantum in nos malorum ardorem concitemus, quandiu id exequi ad arbitrium licet: corrigendus & hic nefarius morbus erit, & linguæ imponendi sunt freni, neque solum per nos inopes non acerbandi, quin dictis factisve haud mediocriter consolandi, ut venia ob id nobis longe ante comparata, bona illa assequamur, quæ nobis sunt diuinitus adiudicata: præstante domino Iesu Christo, cui cum patre & spiritu sancto sit gloria, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI Oratio Kalendis habita, cum non venisset in publicum eo die episcopus Antiochia Flavianus, contra eos qui nouilunij obseruant, & in ciuitate choros ducunt, & in dictum Apostoli, Omnia in gloriam dei facite. Ioanne Checo Cambrijensi interprete.

Tomus quintus.

QUEMADMODVM chorus præfultorem, & nauarum multitudo gubernatorē inquit, sic & sacerdotum iste cætus Pontificē hodie suum, & communem patrem Flavianum desiderat. Sed in choro & nauis, eorum qui præesse debent, absentia multum sæpe tum ornamentum, tum salutis detrahit, hac in re autem non ita fit. Quauis enim carne non adsit, spiritu tamen adest, & nunc nobiscū est, domi cum sedeat, quemadmodū nos cū illo sumus, quamquam hic stemus. Ita enim charitatis natura est, ut longo interuallo disiunctos congreget & deuinciat. Nam hominem in aliena regione commorātem, & magnis à nobis fretis disūctum, si diligamus, quotidie eum locū, vbi ille permanet, animo, cogitationeque sequimur: quemadmodum cum erga aliquem non ita affecti sumus, eum ne prope quidem astantem aspicere sustinemus. Sed ut cum charitas adest, nullum impedimētum ex loci interuallo est: sic eadem cum abest, nullum præsidium ex locorum vicinitate paratur. Nuper autem cum Diuum Paulum laudaremus, ita exultauistis, quasi ipsum presentem vidissetis. Atqui corpus eius cum in basilica Romæ iaceat, anima autem in manu dei sit, charitatis tamen vis illum ante oculos vestros collocauit. Cuperem autem in idem quoque argumentum hodie descendere, sed ad alia quædam, quæ magis vrgent, oratio nostra prouehitur, in quibus à tota hodie ciuitate peccatur. Eos enim qui laudes Pauli audire cupiunt, prius virtutis Pauline æmulos esse oportet, deinde hoc se sermone dignos iudicare. Quoniam ergo non adest hodie Pontifex, age precibus illius freti aliquid, quod ad institutionem vestri pertinet, attingemus. Nam & Moyses, quamquam corpore nequaquam præsens cum exercitu fuit, nihilominus tamen, imò multo magis quā reliqui præliantes victoriā promouit panis manibus sustentans, causam suorum subleuans, & hostibus terrorem incutiens. Quemadmodum autem neque charitatis vis, ita neque precatōnis efficacitas loci interuallo coeretur, sed quemadmodum illa longe disiunctos copulat, sic & hæc eos, qui procul absunt, admodum iuuare potest. Fidentes igitur in pugnam procedamus. Nam & nobis hodie bellum indictum est, non Amalechitis inuadentibus, ut tum fecerant, aut aliis barbaris incurfantibus, sed demonibus pompam in foro ducentibus. Diabolica enim pernoctationes quæ hodie fiunt, & caueæ ludorum & conuicia, & saltationes nocturnæ, & explodendæ comædiæ, quouis hoste deterius ciuitatem nostram expugnant, & propterea par est ut animo contrahantur, lugeant, erubescant, tum qui delinquant, tum qui non delinquant, illi quidem propter admitta facinora, hi vero quia fratres viderunt, fuisse immodestos. Læta cum primis ciuitas fuit, & splendide coronabatur, & forum quasi elegans sumptuosaque mulier, ambitiose hodie exornabatur, & auro, in dumentis preciosis, calceis, & reliquis eius generis vestiebatur, singulis in officina sua opificij sui veditatione, eiusdem artificij socios antecellere studentibus. Hæc autem concertatio, quamquam puerilis cuiusdam cogitationis est, & animi nihil neque magnum neque sublime cogitantis, non ita multum tamen secum incommodi apportat, sed cum inconsiderata sit quædam veditatio, irrationem continet eorum qui in illis elaborant. Si enim exornare aliquid volueris, non officinam, sed mentem: non forum, sed intelligentiam tuam exornato, ut angeli mirentur, archægeli hoc approbent; ipse angelorum dominus fuis te donis com-

penſet. Hæc enim quæ nunc eſt venditatio, tum riſum A
tum æmulatione apportat, ab iis qui excelfo ſunt ani-
mo, riſum, ab illis qui in eadem ægritudine ſunt, æmu-
lationem, inuidiamq; multam. Sed quemadmodum an-
te dixi, non ita adeo reprehendenda ſunt hæ cõcerta-
tiones: qui vero in tabernis ludi hodie ſunt, illi me ma-
xime excruciant, & impietatis atque intemperatiæ ple-
ni ſunt: impietatis quidẽ quod qui hoc faciunt dies ob-
ſeruant, & auguriis addicunt, & putant ſi nouilunium
menſis huius cum voluptate & læticia degant, reliquum
ſe annum ſic tranſacturos: intemperantiæ vero, quod
cum prima luce fœminæ & viri pocula implètes, mul-
ta cum intemperantia, vinum merum hauriunt. Hæc
quanquam vos ipſi non facitis, indigna tamen noſtra
religione ſunt, ſi vel alios hoc facere permittatis, ſive hi
famuli veſtri ſive amici, ſive vicini fuerint. Non audis
Paulum dicentem: dies obſeruat & menſes, & tẽpora, B
& annos, metuo vobis, ne fruſtra in vobis laboraue-
rim. Nepe extrema hoc eſt amentia, propter vnũ diem
ſi auſpicatus fuerit, per vnũverſum hoc expectare annũ:
neque amẽtiæ ſolum, ſed diabolicæ cuiuſdam efficien-
tiæ indicium eſt, non proprio ſtudio & alacritati, ſed
quibuſdam dierum circuituionibus, vitam noſtram cõ-
mẽdare. Fortunatus tibi in vnũverſum annus erit, non
ſi in nouilunio ebrius fueris, ſed ſi in nouilunio & ſin-
gulo quoq; die quæ deo probata ſunt, feceris. Dies enim
bonus & malus eſt, non ſua quadam & propria natura
(nihil enim dies à die differt) ſed noſtra vel diligentia,
vel ignauiã. Si iuſticiam feceris, bonus tibi dies erit: ſi
peccatum designaueris, malus & ſupplicij plenus. Si iſta
meditatus ſi ita animo affectus fueris, & preces, eleemo-
ſynasq; quotidie adhibueris, fortunatũ habebis totum
annum: ſi virtutem neglexeris initiis menſum, ac ſtat-
tis diebus animi tui oblectationem cõcredideris, om-
nium inanis eris bonorum. Quod cũ diabolus perſpi-
ciat & ſtudeat noſtros in virtute labores frãgere, & a-
nimi alacritatẽ extinguere, tum bonas, tum malas felici-
tates diebus aſcribere nos doce. Nam qui ſibi ipſi per-
ſuadet diem vel bonum vel malũ eſſe, neque in malo
die, bonorũ factorũ curam habebit, quaſi propter diei
neceſſitatem fruſtra laborando nihil proficiet: neque
contrã in bono die quicquam faciet, quaſi propter bo-
num diei ſucceſſum, propria ſocordia nequaquam læda-
tur. Sic vtrinque ſuam ipſius prodeſt ſalutem, interdum
quaſi inaniter, interdũ quaſi ſuperuacane laborans, in
ocio & nequicia vitam deget. Quod cum ſciamus om-
nes, diaboli aſtutias fugere oportet, & hunc animi ſen-
ſum deponere, vt neque dies obſeruemus, neque hunc
diem refugiamus, illum perſequamur. Nõ enim ſolum
vt nos in ſocordiam iniiciat, ſed etiam vt opera dei ſu-
gillet, hæc malus ille molitur demon, & in impietatem
ſocordiamq; ſimul animas noſtras pertrahere cogitat.
Sed reſilire nos oportet, & certo ſtatuerẽ, nihil malum
eſſe, niſi peccatum ſolum, & nihil bonum, niſi virtutem
ſolam, & perpetuum cultũ dei. Oblectationem animi
nõ ebrietas, ſed precatio ſpiritualis: non vinũ, ſed ver-
bum erudiens adfert. Vinũ enim tempeſtatem, verbum
tranquillitatem creat: illud tumultum introducit, hoc
turbulentiã expellit: illud obſcurat mẽtem, hoc obſcu-
ram illuminat: illud animi demõſiones quæ ante non
fuerant inuehit, hoc eas quæ adſunt, ruruſq; expellit. Ni-
hil enim ita tràquillitatem ac ſedationem animorum
ingenerat, atq; hæc religionis noſtræ inſtituta: res præ-
ſentes deſpicere, futuris inhiare: nihil humanũ ſtabile
iudicare, nõ diuitias, nõ potentiam, non honores, non

clientelas. Hæc ſi recta ratione reputes, cum diuitẽ vi-
deris, non te inuidia mordebit: ſi in paupertatem inci-
deris, non deſpondebis animum, atque adeo perpetuo
feriari potes. Chriſtianum enim non menſibus, nõ no-
uilunius, non dominicis diebus feriari oportet: ſed per
omnem vitam feſtum diem ſibi accommodatum age-
re. At quis illi feſtus dies maxime cõueniens eſt? Audia-
mus Paulum dicentem: Itaque feriemur nõ in fermento
veteri, neque in fermento maliciæ & nequiciæ: ſed in
fermento integritatis & veritatis. Si ergo puram habes
cõſcientiam, feſtum diem ages perpetuo, bona ſemper
nutritus ſpe, & futurorum bonorum perſuſus expecta-
tione: ſi in animo perturbatus, & ſcleribus multis ob-
noxius fueris, quanquam ſexcentæ feriæ & celebritates
ſint, nihilo tamen melius quam hi qui lugent conſtitu-
tus es. Quæ enim ſplendidæ diei vtilitas eſſe poteſt, ſi
ego mihi animæ obſcuratæ conſcius ſim? ſi fructum
aliquem percipere eſt nouilunio vis, hoc facito: Vbi an-
num expletum videris, gratias age domino, qui te ad
hanc annorum circuituionem perduxit. Extimula cor
tuum, vitæ tuæ tempus tecum reputa, tecum ad hunc
modum verba facito: Dies auolant & prætereunt, anni
finiuntur magnam viæ noſtræ partẽ confecimus: quid
boni à nobis factum eſt: iudicium dei pro foribus eſt, &
reliquum vitæ tempus ad ſenectutem vergit. Hæc in
nouilunius meditare. Hęc de annorum conuerſionibus
reuolue. Futuræ diei perpetuo recordemur, ne aduer-
ſum nos loquatur quis illud, quod aduerſus Iudæos à
Propheta dictum eſt: Abierunt dies eorum cum v ani-
tate, & anni illorũ cum celeritate. Has ergo ferias per-
petuas, & in ambitus annorum nequaquam incluſas,
neque dierum permenſione deſcriptas, tum diues, tum
pauper ex æquo poteſt agere. Non enim hic pecuniis,
neque rerum affluentia opus eſt, ſed virtute ſola. Non
habes pecunias: at dei timorem habes, omnibus pecu-
niis vberiorẽ theſaurum, qui neque cõſumitur, neque
interuertitur, neq; exhauritur vnquam. Intuere in cõ-
lum, terram, mare, aerem, in genera animãtium, ac va-
rietatem ſtirpium, in naturam hominũ vnũverſam: cõ-
ſidera Angelos, Archangelos, Superiores poteſtates: re-
puta hæc in domini tui dititione eſſe. Haud fieri poteſt,
vt domini tam locupletis, præfertim ſi propiciũ habeat
dominum, pauper quiſquam ſeruus ſit. Dies obſeruare
non Chriſtianæ religionis, ſed græcæ cuiuſdam inani-
tatis eſt. In cõleſtem ciuitatẽ aſcriptus es, in rempubli-
cam eam receptus es, angelis teipſum admixiſti: vbi
non eſt lumen quod in tenebris deſinit, neque dies quæ
in noctem terminatur, ſed perpetua dies, & perpetua
lux. In illa ergo intueamur omnino. Cõleſtia, inquit
ille, quærite, vbi Chriſtus ad dexteram dei ſedit. Nihil
habes commune cum terra, vbi ſolis curſus & conuer-
ſiones, & dierum vicifſitudines ſunt, ſed ſi recte viuas,
nox tibi dies fiet: contrã ac illis qui in laſciuia, & ebrie-
tate, & intemperatiã viuunt, quibus dies ad noctis cõ-
uertitur tenebras, non quidem deſectione ſolis, ſed il-
lorum, propter ebrietatem, obſcuratione mentis. Dies
ergo tales in admiratione habere, & magnam ex illis
voluptatẽ capere, & lucernas in foro accendere, &
coronis admodum redimire, puerilis cuiuſdam amentia
eſt. Ab hac iam imbecillitate liberatus es, & in vi-
rum euafiſti, & in cõleſtem aſcriptus es rempublicam:
non ergo in foro accendat lumen ſenſibile, ſed in ani-
mo accende lumen ſpirituale. Lucent enim lux veſtra
coram hominibus, vt videant bona opera veſtra, &
gloria afficiant patrẽ veſtrum cõleſtem. Hæc lux, hanc
adfert

adfert compensationem: non vt domus tuæ fores fer-
tis coronentur, ſed vbi talẽ tuum demonſtraueris cum
cæteris conuiſtum, vt iuſticiæ coronam capiti impoſi-
tã, à Chriſti manu accipias. Nihil temere, nihil impru-
denter à vobis fiat. ita enim Paulus præcepit, omnia in
gloriam dei vt faceremus: Sive enim, inquit, editis, ſive
bibitis, ſeu quid facitis, ad gloriam dei faciatis. At quo
modo, inquires, edere & bibere ad gloriam dei poſſu-
mus? Accerſe pauperem, participem menſæ tuæ facias
Chriſtum, & ad gloriã dei edisti, ac bibisti. At non
hoc ſolum præcepit ad gloriam dei fieri, ſed & reliqua
omnia, vt in forum ire, domi ſe continere. Hæc enim
vtraque propter deũ ſiant. At quo modo vtraque iſta
ſient propter deum? Quãdo ad eccleſiã accedis, quan-
do precationis, quando doctrinæ ſpiritualis particeps
es, hæc progreſſio ad gloriam dei eſt. Sed domi etiam
licet propter deum manere. Quo modo? aut qua ratio-
ne? Vbi audiueris tumultus immodestos, põpas diabo-
licas, malis atque intemperantibus hominibus forum
plenum eſſe, domi maneto, & à turba tali diſcedito, &
ad gloriam dei ibi manſiſti. Quemadmodum autem,
tum domi permanſiſti, tum egreſſio foras, ſic tum laus,
tum vituperatio quoque ad dei gloriã eſſe poteſt. Quo
modo autem ad gloriam dei licet aliquem laudare ac
vituperare? Sedetis ſæpe in officinis, videtis prætereire
hominẽ malos, atque improbos, ſupercilia cõtrahen-
tes, inflatos, qui multos poſt ſe paraſitos & aduatores
ducunt, qui preciosas habent veſtes, & multis inanita-
tibus amicituntur, alienarum rerum diretores, atque a-
uari. Hic ſi quenquam audiueris dicentem: An non
præſtabilis hic vir: an non beatus? Increpa, redargue, os
obſtrua, commiſerator, lacrymare: hunc tu ad gloriam
dei vituperabis. Vituperatio enim talis, ad religionem
reliquorum præſentium & virtutem inſtructio eſt, vt
in res ad victum ſpectantes minus inhiant. Quare ab
illo qui illa dixit: Cur tam beatus hic eſt? Num quia ad-
mirabilem habet equum auro exornatum? aut quia ma-
gnum famulatum? aut præclaram habet veſtem? &
ebrietate deliciisq; quotidie ſoluitur? Sed propterea
miſer atque infelix eſt, & multis lacrymis proſequen-
dus. Video certe vos nullam illius partem laudare poſ-
ſe, ſed externas res omnes, equum, frẽnum, veſtes, quæ
omnia nulla illius pars exiſtunt. Dicas ergo, quid om-
nino miſerius eſſe poteſt, quam vt equus, & equi frẽ-
num, & veſtium ſplendor ac famulorum bona corpo-
ris conſtitutio laudetur, ipſe illaudatus proſus prætere-
atur? Quid eo homine pauperius, quam cum nullum
habeat bonum propriũ aut domeſticum, neque quic-
quam quod inde educere in aſpectum poteſt, alienis vt
rebus totus exornetur? Proprium enim & domeſticum
ornamentum diuitiãq; noſtræ ſunt, non famuli, non
veſtes, non equi, ſed animi virtus, ſed bonorum ope-
rum abundantia, ſed libera & ſecura cum Deo collo-
cutio. Ruruſus, cum videris pauperẽ abiectum, ſpre-
tum, cum penuria vitam tranſigentem, & à ſodalibus,
qui tecum ſunt, commiſeratum, laudato illum: & hæc
prætereuntis laus, inſtitutio eſt & adhortatio ad bo-
nam & honeſtam vitam tranſigendam. Si dixerint, æ-
rumnoſus & miſer eſt: tu contra illum omnium beatif-
ſimum prædica, qui deum habet amicum, qui virtuti
incumbit, qui diuitias nequaquam fluxas poſſidet, qui
conſcientiam habet puram. Quid enim illi incommo-
di eſt, ſi pecuniis terrenis egeat, cum cœli & cõleſtium
hæreditatem aditurus ſit? Si tu cum illis ſic diſputaue-
ris, atque alios inſtitueris, magnam recipies tum vitu-
Tomus quintus.

perationis laudationis tuæ mercedem, cum vtraque ad
gloriam dei facias. Quod autem nequaquam teme-
re animum tuum his verbis pellexerim, ſed quod per-
magna quædam his qui ita animo conſtituti ſunt; à
deo compenſatio futura ſit, & in ſumma hoc virtute
habent, ita de illis qui ſic vitam degunt ſtatuerẽ: audi
quid propheta dicat, & in quo recte factorum numero
ponat, tum malos homines pro nihilo habere, tum ti-
mentes deum gloria afficere. Poſtquam enim reliquas
virtutes commemorafſet illius, qui à deo honorandus
eſſet, & qualem eſſe illum oporteret, qui in ſancto illius
tabernaculo habiturus eſſet, hoc eſt, inculpatum, &
colentem iuſticiam, & à nequicia vacuum, etiam hoc
ſubiicit: Qui nõ dolofus fuit lingua ſua, nec fecit pro-
ximo ſuo malum: & paulo poſt, Pro nihilo habitus eſt
apud illum maleficus, timentes autem dominum glo-
ria afficit. His verbis demonſtrat vnũ certum eius
officium eſſe, malos contemnere, laudare & beare bo-
nos: Et alibi idem ſignificauit cum diceret: Mihi autem
admodum honorati ſunt amici tui õ deus, multiplicati
ſunt magiſtratus eorum. Quem Deus laudat, tu ne
vituperes. Laudat autem eum, qui cum iuſticia viuit,
quamuis pauper ſit. Quem deus auerſatur, tu ne lauda-
ueris: auerſatur autem omnem qui cum nequicia vi-
uit, quamuis multis opibus circumfluat. Sed ſive lauda-
ueris, ſive vituperaueris, vtraque ad Dei voluntatem
facias. Licet etiam ad gloriam Dei obiurgare: Licet
etiam ad gloriam Dei corrigere, quemadmodum erga
ſeruos noſtros ſæpe animo commouemur. Quo modo
autem licet propter deum obiurgare? Si ebrium aut fu-
rentem videris, vel ſeruum, vel amicum, vel alium
quempiam vicinum tuum, aut in theatrum currentem,
aut animam ſuam ipſius prodentem, aut iurantem, aut
peierantem, aut mentientem: ſtomachare, punito, re-
uoca, corrige, & hæc omnia propter deum feciſti. Si er-
ga te peccantem videris, aut aliquam officij partem er-
ga te ſui prætermittentem, remitte hoc ei, & remiſiſti
propter Chriſtum. Nunc vero multi contrã faciunt,
cum erga amicos, tum erga ſeruos: quando enim erga
ſe alij peccant, acerbi, inexorableſq; ſunt iudices: quan-
do autem in deum contumelioſi ſunt, & ſuas ipſorum
perdunt animas, nullam eius rei rationem habent.
Amici tibi acquirendi ſunt: propter deum acquire-
to. Inimici tibi capiendi ſunt: propter deum capito. At
quo modo amici & inimici propter deum acquirendi
ſunt? Si non amicitias illas colligamus, vnde pecunias
corripere, conuiuia agitare, imperia conſequi poterim-
us: ſed illos proſequamur & acquiramus amicos, qui
mentem noſtram moderari, præcipere honeſta, pec-
cantes increpare, delinquentes arguere, ſupplantatos
erigere, cõſilio ac precibus opem ferre, & ad deum ad-
ducere poſſunt. Ruruſus, inimicos licet facere propter
deum. Si videris aliquem intemperantem, nefarium,
nequiciæ plenum, opinionibus impuris refertum, ſup-
plantantem te ac nocere cupientem, recede, & reſilias
ab illo. Sic enim Chriſtus iubet: Si dexter oculus offen-
derit te, extrahe eum, & abiice abſ te. Hoc nempe præ-
cepit, vt amicos quos a que ac oculos charos habes, &
ad omnem vitæ uſum neceſſarios, ſi ad animæ ſalutem
impedimentum afferant, amputes & abiicias. Si in
cõetum hominum prodieris, & verba multa cum aliis
feceris, propter deum hoc facito: ſi tacueris, propter
deum taceto. At quo modo in cõetu verſari propter
Deum licet: Si cum aliis ſedens, non de rebus externis
diſſeras, neque de his quæ nobis plane perparum aut
C iij nihil

Galat. 4.

Pſal. 14.

Coloſſ. 3.

Matth. 5.

nihil conducunt, sed de religione nostra, de gehenna, A de regno cœlorum, non autem de rebus inanibus aut superuacaneis, cuius generis hæc sunt: Quis magistratum gerit? Quis magistratu abiit? Qua de causa hic multatus sit? Vnde ille tantum lucratus sit, & locupletissimus euaserit? Quid ille huic reliquerit moriens? Quo modo ille ab hæreditate abfuerit, cum in primis hæredibus se adscribendum putauerit? ac multa alia his similia. De his rebus autem neque nos communicemus, neque alios communicare permittamus. Sed consideremus potius quibus dictis aut factis deo placebimus. Rursus poteris propter deum silere, exagritus, violatus, infinita mala passus, si feras generose, & nulla maledicta referas illi qui hæc designauit. Non autem laudare solum & vituperare, nec domi manere, aut foras ire, non loqui, aut silere, sed etiam flere, dolere, & lætari quoque ad gloriam dei licet. Quando enim B vel fratrem videris peccantem, vel teipsum in peccatum aliquod delapsum, deinde ingemiscas, ac animo mœreas, haud pœnitendam salutem ex hoc lucrificasti: quemadmodum Paulus ait. Qui secundum deum dolor est, salutem haud pœnitendam efficit. Si florentem alterum videas, nolito illi continuo inuidere, sed deo, qui tam præclarum effecit fratrem tuum, perinde ac de propriis bonis gratias agito, & huius læticiæ permagnum habes fructum. Quid enim inuidis hominibus est miserabilius, quibus cum liceat gaudere, & fructum læticiæ suæ capere, ipsi tamen mallent propter alienas felicitates dolere, & cum dolore ipso, pœnam à deo, & supplicium intolerabile arcessere. Ceterum quid laudes, & vituperationes, dolores, & læticias commemoro: vbi etiam à leuissimis rebus & vilissimis, maximas utilitates percipiemus, si propter Deum ipsum eas faciamus? Quid enim est tonione crinium vilius? Hoc tamen licet propter deum facere. Quando enim comam non composueris, neque vultum tuum ornaueris, neque te ad illecebras, ac lenocinia eorum qui te intuentur compseris, sed incultè, atq; horride, & quantum vsus fert, teipsum apparaueris, tantum propter deum fecisti, & eius mercedem reportabis, tum quia cupiditatem repressisti malam, tum quia ambitionem importunam coercuisti. Si enim qui poculum frigidæ solum dat propter deum, regni cœlorum hæreditatem adibit: qui omnia fecerit propter deum, considera, quantam habebit compensationem. Quin & propter deum ingredi, & propter deum intueri possumus. At quo modo intueri & ingredi propter deum licet? quando non ad improbitatem curris: quando non in alienam pulchritudinem nimis inquiris: quando mulierem occurrentem videns, refrenas oculos, & timore dei propter deum, munis aspectum: quando non preciosis vestibus & delicatis, sed his quæ tegere nos satis possunt, induimur. Sed & ad imos vsque calceos demittere huc morem licet. Eousque enim molliciei luxuriam delapsi sunt homines, vt & calceos exornet, & omni ex parte, æque ac faciem suam alij componunt, variare soleant, quod animæ impuræ ac deprauatæ signum est. Quamquam enim perexiguam hoc esse videatur, tamen tum in viris, tum in fœminis, magnum perditæ mētis argumentum & significatio est. Licebit ergo & calceis ipsis propter deum uti, cum omnino vsus quærimus, & hunc vtendorum calceorum finem habuerimus. Ingressu enim & amictu nos deum gloria afficere posse, cognosce ex eo, quod sapiens quidam olim dixit: Vestitus viri, & risus oris, & incessus pedum, indicat hominem. Quan-

do enim honeste vestiti, grauitatis pleni, & multam in omni re gerenda modestiam adhibentes, in aspectum hominum prodimus: qui infidelis, qui intemperas, qui turbulentus est vir, is quanquam futilis, atque inconsideratus fuerit, tamē primo quoque occursum, in aliquem eius generis hominem intuens, omni illum honore, ac admiratione prosequetur. Si vxorem duxerimus, propter deum hoc faciamus: non vt facultates maiores acquiramus, sed vt temperanter viuamus: animæ nobilitatem, non pecuniarum abundantiam inquiramus: non maiorum splendorem, sed morum virtutem persequamur & modestiam, vitæ sociam, non lenociniorum comitem capiamus. Ceterum quid opus est omnia commemorare? Licet vobis ex his quæ dicta sunt, singula quæ sunt, aut geruntur, percurrere, & omnia propter deum facere. Et quemadmodum mercatores nauigantes maria, & ad ciuitates appellentes, non prius abeunt à portu, & in foros conscendunt, priusquam intelligunt aliquod lucrum esse in mercimoniis: sic nec tu quicquam facias, nec dicas, nisi lucrum aliquod habeas secundum deum. Ne dicas autem, neminem posse omnia propter deum facere: quando enim calciamenta, cæsaries, vestitus, incessus, aspectus, verba, confessus, ingressus, exitus, facietia, laudationes, vituperationes, commendationes, amicitia, inamicicia, possunt propter deum fieri: quid restat, si voluerimus, quod non poterimus propter deum facere? Quid carceris custodibus deterius esse potest? Nonne hæc vita omnium nequissima esse videtur? Licet tamen ei qui velit, inde lucrum reportare, quando vincit parcit, quando iniuste in carcerem coniectis commodat, & in alienis calamitatibus commodatur: quando communis proponitur omnibus adficiis portus. Ita custos carceris Pauli seruabatur. Ex quo satis liquet, quod ex omnibus rebus, si voluerimus, lucrum facere poterimus. Quid parricidio indignius esse potest? Attamen iusticiam afferre potest, etiam hoc facinus, si quis admittat: tanti est propter deum quicquam facere. At quo modo potest parricidium iusticiam afferre? Madianita olim volebant infensum deum ludæis facere, hac via arbitrati se illos superare posse, si beneuolentiam dei erga illos minuerent, puellas exornantes, & in exercitus conspectu collocantes, lenocinabantur eos, & ad stuprum primo, deinde etiam ad impietatem adducebant. Hoc cum vidisset Phinees, duos in ipso facinore deprehendens, districto gladio, utrosque transfodit, & hac rei susceptione, dei iram à destinata sententia deduxit. Ac facinus quidem ipsum parricidium fuit: fructus autem illius, omnium perdendorum salus fuit: vnde & iusticiam attulit, qui hoc fecit. Et non modo non manus hæc cædes inquinavit, sed multo etiam puriores fecit. Atque id iure quidem. Nō enim ad eorum, quos interfecit, inuidiam, sed ad eorum qui superauerant, salutem, hoc suscepit. Duos interfecit, & infinitam hominum multitudinem seruauit. Perinde autem fecit ac medici solent, qui partes corporis putrescentes amputando, integrum corpus conseruant. Sic & ille fecerat, Propterea psalmus ait: Stetit Phinees, & placauit, & cessauit plaga, & habitum est illi hoc ad iusticiam, à generatione ad generationem, vsque ad perpetuitatem. Immortalis huius recte facti memoria permanet. Rursus alius orauit & lacessiuit deum: adeo est aliquid, nō propter deum facere: Pharisaum dico. Sed quemadmodum Phinees etiā cum cædem fecisset, gratiosus apud deum fuit: sic & iste non propter precationis naturam offendit,

offendit, sed propter animi affectionem, qua cum precabatur, prolapsus est. Ita etiam si spirituale aliquid fuerit, si tamen propter deum non fiat, cum primis illud laedit, qui facit. Quemadmodum si aliquid externum fiat, modo propter deum fiat, admodum adiuuat eum, qui cum religiosa id facit mente. Quid enim cæde grauius, aut horribilius esse potest. Iustum tamē effecit eum, qui hoc susceperat. Qualem ergo excusationem habebimus nos, qui dicimus ex omnibus rebus lucrifacere, & omnia propter deum nos facere non posse, cum inueniamus etiam qui e cæde lucrum fecerunt? Si animum aduertere voluerimus, siue emēdum, siue vendendum sit, per omnem vitam spiritualementem hanc mercaturam faciemus: vt si tolerabili precio nihil amplius requiramus: si difficultatem annonæ nequaquam obseruamus, & tum egentibus diuedamus. Maledictus enim, inquit ille, qui rei frumentariæ caritatem auget. Sed quid oportet singula percurrere? Vno exemplo omnia colligenda fuerant. Quemadmodum enim ædificatores cum murum exstructi sunt, amulsi ab angulo ad angulum ducunt, atque ita murum pertexunt, vt minime in aqualis eius ora existat: sic & nos pro amulsi verbū hoc adhibeamus, quod apud Apostolum est: Siue editis, siue bibitis, seu quid aliud facitis, omnia ad gloriam dei facite. Siue ergo precemur, siue ieiunemus: siue accusemus, siue cōdonemus: siue laudemus, siue vituperemus: siue ingrediamur, siue exeamus: siue vedamus, siue emamus: siue taceamus, siue disputemus: siue aliud quid faciamus: omnia ad gloriam dei faciamus. Et si quid ad gloriam dei nō pertineat, illud neq; facto, neque dicto à nobis vsurpetur. Sed pro baculo magno, pro armis, pro præsidio, pro thesauris inexplicabilibus, hoc dictū animo inscribentes, nobiscum, quamcunque viam ingressi fuerimus, circumferamus, vt omnia ad gloriam dei facientes, loquentes, suscipientes, tum hinc, tum post huius vitæ peregrinationem, gloriam ab eo consequamur. Ait enim: Gloria afficientes me, gloria afficiam. Non dictis ergo, sed factis ipsis illum assidue gloria afficiamus: quia illum decet gloria ad omnem æternitatem, Amen.

QVVM PRESBYTER ESSET DESIGNATVS de se ac de episcopo deq; populi multitudine, Sermo. Des. Erasmo interprete.



Vm vera sunt quæ nobis acciderunt, num re ipsa gesta sunt, nec falsi sumus, neque quæ nunc sunt sunt somnia? an vere dies est & vigilamus omnes? Et quis credat quod in die, quum sobrii sunt ac vigilant homines, adulescens nullius rei & imperitus, ad tantum dignitatis fastigium subuectus sit: Nam nocte talia accidere nihil sit incredibile. Tum enim quidam & corpore claudi, & adeo tenues vt ne necessarius quidem suppetat victus, in somnis sibi videtur integris membris, & formosi, & regali frui mensa: sed quæ videbantur, somnus erat, & insomniorum ludibria: siquidem hæc est natura somniorum, vafra quedam ac versuta res est, ac prodigiorum artifex, gaudet nouis & incredibilibus simulacris illudere. At vero nec interdiu, nec reuera forsitan aliquis videat hoc accidere: verum omnia nunc cōtigerunt, facta sunt, perfecta sunt, quemadmodum videtis, hæc, inquam, somniorum visis incredibilia. Et ciuitas tantæ magnitudinis, tam celebris ac hominibus differta, populus & multus & admirandus ad meam inhiat exiguitatem, tanquam à nobis magnum quiddam ac præclarum auditorus. At-

Tomus quintus.

A qui etiam si mihi annuum more proflueret oratio, siq; verborum fontes essent in ore meo, protinus ex tantæ multitudinis ad audiendum concursu, metu sisteretur profluuium, & in diuersum fluenta resiliunt. Nunc vero quum tantum abissus à fluminum ac fontium copia, vt exigua pluuiola mediocritatem obtineamus: qui fieri possit, vt me non deficiat tam exiguus fluxus, metu arefactus, idemq; eueniat quod in corporibus solet accidere? Quid accidit in corporibus? multa frequenter quæ manu tenemus, quæ digitis stringimus, præ metu nobis excidunt omnia, dissolutis neruis nostris, corporisq; vigore remisso. Itidem mihi profecto nunc metus est, ne idem eueniat in animo nostro, videlicet ne quæ multo cum labore excogitauimus, quæquam & hæc sanè perquam exilia paruiq; momenti, præ pauore veniant in obliuionem, & euanescant, abeantq; animum nostrum desertum relinquunt. Quapropter pariter omnes tum vos qui cum imperio estis, tum vos qui paritis imperio, obsecro: vt quantam nobis anxietatem iniecitis vestro ad audiendum concursu, tantundem nobis audaciæ inspiret precum vestrarum diligentia, si rogetis illum qui dat sermonem euangelizantibus virtute multa, vt nobis quoque det sermonem in apertione oris nostri. Nullus omnino vobis tot ac tantis labor erit vnus adolescentis animum timore dissolutum, denuo compingere: quin & par fuerit, vt quod nunc petimus, præstetis: quandoquidem tantam procellam subiimus propter vos vestramq; charitatem, qua nihil violentius aut imperiosius, vt quæ nos non admodum dicendi peritos, ad dicendum pertraxit, effecitq; vt ad doctrine stadium exueremur, licet antehac hoc palæstræ genus nunquam attigerimus, sed semper in auditorum ordine, quieto silentio frui soleamus. Verum quis sit adeo durus & immobilis vt istum vestrum conuentum silentio prætereat, & amicos nactus audiendi studio flagrantem non alloquatur, etiam si omnium hominum esset infantissimus? Cupiebam equidem primū in ecclesia dicturus, proæmiorum primitias illi dicere qui linguam nobis hanc dedit, nimirum deo. Atque ita sanè fieri oportuit: neque enim aræ tantum ac vinarij lacus, verum etiam verborum primitias oportet verbo persoluere, multoq; magis verborum quam actionum. Quinetiam vt ad vos hic fructus magis pertinet, ita ipsi deo qui honoratur acceptior est. Botrum enim & aristam suo terra emittit gremio, alit pluuiarum irrigatio, colit agriculturalum manus: at sacrum hymnum parit animi pietas, alit bona conscientia, deus in cœlestia recipit herrea: porro quanto præstantior est animus terra, tanto hæc illa melior est oblatio. Quapropter & prophetarum quispiam vir magnus & admirandus, nomen illi Osee, eos qui deum offenderant, parabantq; illum sibi propiciam reddere, adhortatur dicens: Adferre vobiscum non armenta bouum, neque similes mensuras tot aut tot, neque turtorem, neque columbam, neque aliud quicquam istiusmodi rerum: sed quid? ferte vobiscum verba. Et quale sacrificium, dixerit aliquis, sunt verba? maximum quidem dicitur charissime, ac splendidissimum, ceteris omnibus præstantius. Et quis ista dicitis nimirum qui hæc omnia nouit maxime atque exactissime, videlicet magnanimus ille ac magnus David. Is enim quum aliquando deo gratiarum actiones immolaret, pro victoria quam ex hoste tulerat, ita fermè loquitur: Laudabo nomen dei mei cum cantico, magnificabo eum in laude. Mox huius sacrificij præstantiam nobis

C iij aperiens

aperiens subiecit, & placebit deo supra vitulum nouel-
lum cornua producentem & vngulas. Cupiebam igitur
& ipse hodie has mactare victimas, & altare spiritu-
ale hinc creuere hostiis. Sed quid faciam? Vir quidam
sapiens obturat mihi os, deterretq; dicens: non est
speciosa laus in ore peccatoris. Quemadmodum enim
in coronis non fat est flores esse puros, nisi pura sit &
manus eas contexens: sic & in sacris hymnis oportet
non verba tantum esse pia, verum etiam animum hym-
nos concinentem. At is mihi impurus est, fiducia vacuus,
vtpote multorum plenus scelerum. Porro sic affectis,
non hac modo lex obturat os, verum etiam alia quaedam
illa vetustior, & ante illam lata, quam & ipsam adiecit
is qui modo nobis de sacrificiis loquutus est David. Quum
enim ait: Laudate dominum de caelis, laudate eum in excel-
sis, laudate dominum de terra: quum vtranque inuitat
creaturam, & quae sursum est, & quae inferne, sensibilem
atque intelligibilem, conspicuam & inconspicuam, quae
supra caelos est, & quae sub caelo, & ex vtraque chorum
constituit, atque ita iubet hymnis celebrare regem vniuersorum,
nequaquam inuitauit peccatorem, sed & hic illi fores occlusit.
Ceterum vt vobis quod dico fiat euidentius, ipsum psal-
mum ab initio vobis praelegemus. Laudate dominum de caelis,
laudate eum in excelis, Laudate eum omnes angeli eius,
laudate eum omnes virtutes eius. Vides angelos laudantes,
vides archangelos, vides Cherubim & Seraphim, summas
illas virtutes. Quum enim ait, omnes virtutes eius, vniuersum
populum caelestem complectitur. Nuncubi vides peccatorem?
Et quo modo, dixerit aliquis, in caelo videre possum? Ergo age
in terram descendamus, ad alteram chori partem transeun-
tes, nec hic rursus videbis peccatorem. Laudate dominum
de terra, dracones & omnes abyssi, bestiae & omnia pecora,
reptilia & volucres pennatae. Haud frustra neque temere
dum haec loquor, intertilui. Quia & metis cogitatio metu
confusa est, ad amaras vsque lachrymas, grauemq; eiulatum
perducta. Quid enim obsecro possit esse miserabilis? scorpionum,
serpentes ac dracones inuitantur ad laudandum eum a quo
conditi sunt: solus peccator ab hac sacra chorea submotus est,
idq; iure optimo. Mala bestia est peccatum, non quidem in
conserua corpora malum proferens, sed in ipsam domini
gloriam effundens maliciam: propter vos, inquit, nomen
meum conuiciis afficitur inter gentes. Eoq; peccatorem
tamquam e sacra patria abegit propheta, & vltra fines ac
pomoria submouit: atque vti musicus optimus e cithara bene
modulata chordam dissonam refecat, ne reliquarum vocum
harmonia vicietur: Sic & peritus artis medicus, membrum
putrefactum amputat, ne hac lues ad cetera membra sana
transiliat. Eundem ad modum propheta fecit, dum veluti
chordam dissonam ac veluti membrum agrum ab vniuerso
corpore refecat. Quid igitur nobis faciendum est? Posteaquam
reieci sumus, posteaquam reiecti sumus, omnino sileamus
oportet: dic igitur, obsecro: num tacebimus? neque quisquam
nobis permittet hymnis celebrare dominum nostrum? ergo
ne frustra vestros animos implorauimus: frustra ad vestras
confugimus preces? Abit vt frustra: reperi enim, reperi &
alterum glorificandi modum, vestris in hac hesitatione
precibus, ceu stellis in caligine apparentibus: fas enim est,
& conseruos nostros laudare, quibus laudatis haud dubium est quin
ea gloria penetret in caelum, quemadmodum ipse dominus
dicit: Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant ope-

ra vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in caelis
est. En alter glorificandi modus, quo & peccatori fas est
vti, vt legem tamen non violat. Quem igitur, quem, inquam,
conseruorum laudabimus: quem alium, quam illum communem
huius patriae doctorem, non solum per patriam, sed & per
vniuersum orbem? Quemadmodum enim vos ille docuit vt
vsque ad mortem religioni infaretis: ita & vos alios homines
docuitis, a vita citius, quam a pietate recedendum esse.
Vultis igitur illi posthac laudem coronas plectamur? volebam igitur
& ipse, sed video recte factorum pelagus immixta profunditatis,
vereorq; ne sermo noster ad fundum delatus pra imbecillitate
non possit in altum recurrere: oportet enim vetusta narrare
facinora, peregrinationes, vigilias, curas, iudicia, pugnas,
trophaea trophaeis, victorias victoriis cumulatas, res gestas,
non nostram modo, sed & omnem humanam linguam superantes,
queque voce requirunt apostolico spiritu concitatum, qui
potest omnia tum eloqui, tum docere: sed hanc partem
praetercurrentes ad alteram quae minus habet periculi
accedemus, quam vel exigua scapha licet enauigare. Age
igitur de temperantia dicere tentabimus, quo modo vntri
imparit, quo modo delicias contempserit, quo modo mensam
sumptuosam deriserit, idq; quum in domo sumptuosa
esset educatus: nam mirum non est eum qui in paupertate
vixit ad hanc squalidam asperamq; venire vitam, quando
quidem is habet ipsam paupertatem peregrinationis ac
vix comitem, quae illi sarcinam indies reddit leuiorem.
At qui factus est diuitiarum dominus, haud facile sese ab
illarum explicet complexu, tantum cupiditatum examen
animam illam circoualauit: tam grauis & caliginosa
affectuum nubes mentis illius oculos obducit, vt non
sinat ad caelum intuitum erigere, sed cogat deorsum
inclinare caput & ad terram inhare. Nec est alia res,
quae perinde obstat quod minus proficiscamur in caelum,
ac diuitiarum, & hinc venientia mala. Nec meus est
hic sermo, sed ab ipso Christo deuenit sententia: Facilius
est, inquit, camelum per foramen acus ingredi, quam
diuitem in regnum caelorum. Sed ecce, quod erat difficile,
vel impossibile potius, factum est possibile. Et de quo
Petrus olim dubitabat apud praecceptorem, voluitq;
ex eo discere, iam ipsa experientia nouimus omnes,
imò etiam amplius: non enim iam diues ipse tantummodo
ascendit in caelum, verum etiam populum introducit,
quum praeter diuitias, & alia his non minora habeat
impedimenta, quod iuuenis est, quod ante tempus
orphanus, quae res quaeuis hominis animam possint
in fraudem illicere. Eiusmodi habent incantamenta,
eiusmodi praebent venena. Verum haec ille deuicit, &
caelum apprehendit, seseq; contulit ad caelestem
philosophiam, ac neque splendore praesentis considerauit
vitam, neque ad progenitorum claritatem respexit: imò
potius ad maiorum claritatem respexit, non quidem
istorum quos ipsi natura necessario deuinxerat, sed qui
iuxta pietatis propositum coniuncti sunt, eoq; talis factus
est quales illi fuerunt. Respexit ad patriarcham
Abraham, respexit ad magnum illum Moysen, qui quum
esset in regio educatus palatio, mensa Sybaritica frui
conseruetus, & inter Aegyptios relictus strepitus ac
tumultus (nostis autem cuiusmodi sint barbarorum
illorum mores, quam fastus & arrogantiae pleni
sint) contempit illis omnibus, ad lutum & laborem
opificum vltro se contulit, & in seruorum numero
esse concupiuit, qui rex erat & regis filius. Atqui
hanc ob causam post reuersus est maiore cum dignitate,
quam antea gerebat atque

atq; abiicit. Siquidem post exilium, post imposturam apud
focerum, post arunas peregre toleratas, rediit, regis
ipsius princeps, imò verius regi iam factus deus. Feci,
inquit, te deum Pharaoni: ipsoq; rege splendidior erat,
non gestans diadema, neq; purpura amictus, neq; curru
vetus aureo, sed vniuerso illo fastu conculcato. Erat
omnis filia regis gloria ab intus. Reuersus est sceptrum
gestans, quod imperaret, non hominibus tantum, sed
& caelo, terrae marique, aeris & aquarum naturae,
stagnis, fontibus ac fluminibus: in quacunque enim
voluit Moses, in ea vertebantur elementa, & in manibus
illius denuo transformabatur creatura: quae non aliter
quam ancilla quaequam officiosa, conspiciata heri sui
amicum aduenisse, per omnia parebat, dictoque audientem
se praebat perinde atque ipsi domino. Ad quem hic,
quem nunc laudandum suscipimus, respiciens illi
similis effectus est: quum esset iuuenis (si tamē vnquam
fuit iuuenis, non enim sanē credo, vsque adeo illi ab
ipsis cunabulis mens erat cana) sed quum iuxta suppurationem
aetatis esset iuuenis, omnem arripuit philosophiam:
& posteaquam cognouerat naturam hominis esse veluti
fundum quemdam & agrum syluestrem, animi cupiditates
ratione pietatis ceu falce quaequam facile refecuit,
agricolae purgata reddens arua, ad faciendum sementem:
ea recepta totum semen ad profunda demisit, vt deorsum
radicatum, nec ad radiorum impetum cederet, nec a spinis
male suffocaretur. Animum quidem ad hunc curauit
modum: carnis vero lasciuia temperantiae remediis
compressit, tanquam equo cuiquam, in os habens rebelle,
ieiunij fraxum iniiciens, & haec in diuersum tendens,
vt ipsa concupiscentiarum ora cum parsimonia congruente
cruentaret. Atque adeo corpori fraxum intendit haec
tenuis, vt nec immodice stringendo equum sibi ad
ministerium redderet inutilem, neque passus sit supra
modum obesum fieri, ne corpulentior factus, rursus
erigeret sese aduersus rationem habenas moderantem:
sed simul & sanitatis illius, & moderationis curam
habuit. Talis autem erat, quum nondum esset iuuenis:
verum posteaquam teneram aetatem excefferat, hanc
quoque corporis curam abiicit: ceterum nunc qui in
senectate, velut in ameno portu sedet, rursus eandem
curam obseruat. Nam iuuentus o dilecte pelago
furenti similis est, immitibus vndis ac ventis malis
referto: canicies vero velut in tranquillo portu fouet
eorum animos qui conseruerunt, praestas vt ibi per
aetatem ad periculum liberam delicientur. Hac aetatis
tranquillitate quum hic nunc tuto fruatur, nihilo minus
tamen in certamine versatur, atque hunc timorem
accepit a Paulo, qui quum ascendisset in caelum atque
inde reuersus, terras rursus attigisset, aiebat, Ne forte
quum aliis praedicauerim, ipse reprobuse efficiar: eoq;
hic sese in perpetuo timore constituit, vt esset in
perpetua fiducia, alsideretque clauo, non ille quidem
stellarum exortus obseruans, neque rupes sub aquis
latentes, neque scopulos, sed daemones insultus ac
diaboli versutias, cogitationumque pugnas, omniq;
parte lustrans exercitum, cunctos in tuto constituit.
Neque enim illud modo spectat, ne scapha demergatur,
sed ne quis eorum quos secum habet in nauis vectores,
a tumultu cupiditatum, tanquam a piratis, abripiatur,
nihil non curat agitare. Per hunc perique huius
sapientiam nos omnes secundo nauigamus vento,
plena nauis vela pandentes. Sanē quum priorem
illum patrem amissilemus, qui & hunc nobis genuit,
in desperatione nostra nauis erat, eaque gratia

miserabiliter lamentabamur, vt qui non sperabamus
fore, vt hic thronus alium virum talem acciperet: verum
vbi hic aduenit, & in clara luce visus est, effecit vt
omnis illa desperatio veluti nubes praeterierit, & omnes
molestiae euauerint. Neque sentim nobis luctum illum
eximit, sed adeo repente, quasi idem ille beatus e
tumulo rediuius in hunc thronum ascendisset. Verum
imprudens amore studioque praclare gestorum patris
nostri, sermonem vltra modum produximus, non dico
vltra modum eorum quae hic cum laude gessit, nam de
his ne loqui quidem coepimus, sed vltra nostrae
iuuentutis mediocritatem. Agedum igitur rursus
velut in portum orationem silentio ad quietem reuocemus:
ceterum ea desinere non vult, sed aegre fert indignaturque
cupiens toto prato expleri. Verum id impossibile est o
pueri. Desinamus igitur ea persequi, quae non possumus
assequi, sufficiant nobis ad solatium ea quae dicta sunt.
Quandoquidem in preciosis vnguentis, non tantum si quis
effundat lecythum, verum etiam si quis vel summis digitis
superficiē attingat, & aerem nouo colore tinxit, &
quotquot adsunt, suauitate fragrantiae repleuit.
Quod & in praesentia contigit, non viribus eloquentiae
nostrae, sed propter vim ab hoc bene gestorum. Abeamus
igitur, abeamus, ad preces diuertentes, deprecemur
deum, vt communis mater nostra illabefacta &
immota maneat, vt hunc patrem, hunc doctorem,
hunc pastorem & gubernatorem, ad longam producat
vitam: si quis vobis etiam nostri respectus est (neque enim
iam nos ipsos in sacerdotum numero ponere audebimus,
quando nec fas est abortiuos partus cum legitimis ac
perfectis numerare) quod si qua, inquam, est apud vos
& nostri ratio, tanquam fetus cuiusdam abortu eieci,
orate vt e supernis nobis multus accedat vigor:
opus quidem erat nobis & prius tutela, quum soli
vitam gereremus a negociis liberam. At postquam
in medium producti sumus (omitto quo modo, siue
humano studio, siue fauore diuino, nihil enim
vobiscum hac de re contentam, ne cui videar per
dissimulationem & ironiam loqui) attamen
quando producti sumus, ac iugum hoc validum
grauēque suscepimus, multis nobis opus est
manibus, infinitis precibus, quod possimus
deponit reddere domino qui deposuit, in die
illo, quum ij quibus talenta credita sunt,
citabantur, & iudicio iustentur, rationem
reddidit. Orate igitur ne nobis eueniat,
quod euenit illis alligatis & in tenebras
coniectis: sed simus in eorum numero,
qui poterunt qualemcunque assequi
veniam, gratia & bonitate domini nostri
Iesu Christi, cui gloria & imperium in
secula seculorum, Amen.

CVM DE EXPVLSIONE IPSIVS SAN-
cti Iohannis ageretur. Homilia.



Vlti quidem fluctus, & vnda immanes, sed
submergi non veror: quia supra petram sto.
insaniat licet mare, petram non potest comouere:
insurgant quantumlibet fluctus, nauis Iesu obrui
non potest. Sed quid putant? Ne mortem ve-
reant, cui viuere Christus est, & mori lucrum. Ne
exilium pertimescam, qui nouerim domini esse
terram, & plenitudinem eius. Sed bonorum
proscriptionem metuum, qui sciam quod nihil
intulerim in hunc mundum, sed neque auferre
quid possim. Quicquid terroris habet mundus,
contemno, quicquid delectabile habet, rideo.
Diuitias non cupio, paupertatem non horresco,
mortem

Ecclias.

Psalm. 148.

Math. 19.
Mat. 10.
Luc. 18.

2. Corin. 9.

Math. 5.

mortem non timeo. Vita enim mihi ad vestrum profectum tantummodo ducitur, sed charitatem vestram precor, ut equo animo sitis. Nemo enim, nos a vobis poterit diuellere. Quos enim Christus coniunxit, homo non separabit. Quod si de muliere & viro dicitur, propter hoc relinquet homo patrem suum & matrem, & adheret uxori sue: & erunt duo in carne una: & si huiusmodi nuptiarum coniunctio ab homine non potest separari: multo magis ecclesia non potest a pastore diuellari. Sed impugnas me. Quid mihi nocebit impugnationibus tuis reddes, tuas vero conteras vires? Durum enim tibi erit, aduersum stimulum calcitrare: quia non stimulum retundes, sed pedes calcitrans vulnerabis: neque fluctus qui saxo illiduntur amplius aliquid proficiet, quam ut semetipsos fracti dissoluant, & in spumas extenuati deperant. Christi ecclesia nihil fortius, si quis eam impugnat, proponit, vires atterat, necesse est: tale est enim, velut si caelo bellum meditetur inferre. Homini si bellum inferas, fortasse vices, aut forte vinceres: ecclesia vincere nulla vis poterit. Deus est ecclesia, qui est omnibus fortior. Aut amulamur dominum. Nunquid fortiores illo sumus? Deus fundauit hoc, quod labefactare conaris. Aut experiri vis potentiam domini? Ipse est qui respicit super terram, & facit eam tremere: & iterum qui iubet, & tremor eius solidatur. Aut non vidisti, tremente ciuitatem tuam quoties stare fecit? Multo magis ecclesiam suam tremente poterit confirmare: fortior enim ecclesia multo quam terra, imo & fortior caelo. Caelum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Quae verba? Tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, & portae inferi non preualebunt in eam. Quod si non credis verbo & rebus ipsis, operibus crede. Quanti tyranni aggressi sunt impugnare ecclesiam dei, quanta tormenta, quantas cruces adhibuerunt, ignes, fornaces, feras, bestias, gladios intendentes, & nihil agere poterunt? Vbi nunc sunt illi qui haec fecerunt, & vbi illi qui haec fortiter pertulerunt? Nunc in aeternis poenis premuntur, & isti aeternis gaudiis eriguntur: fulget enim ecclesia super splendorem solis, & persecutores eius perpetuis tenebris conteguntur. Non legis scriptum, quia undecim soli erant, & vinci non potuerunt? Nunc vbi orbis terrarum repletus est piorum multitudine, quo modo poterunt vinci? Caelum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt: & merito: charior enim ecclesia dei, quam caelum. Non enim ecclesia propter caelum, sed propter ecclesiam caelum. Nihil enim, quae scio, perturbet vos eorum quae agere videtis. Ponamus ante oculos nostros Petrum super aquas incedentem, & parum quid haesitantem, atque ob hoc paululum periclitantem: non propter potentiam fluctuanti, sed propter infirmitatem fidei. Nunquid humana voluntate huc venimus, aut propter hominem huc producti sumus? & haec non arroganter loquor, neque iactantia agitur, sed animos vestros, qui forte turbantur, cupio confirmare. Intuemini ergo quo modo commota est, & contremuit terra, & tamen non corrui ciuitas. Quo modo impurissime diabole ecclesiam te putas posse deiicere, qui trementes parietes deiicere minime valuisti? Non est in parietibus ecclesia, sed in multitudine piorum. Ecce quae fortes quae immobiles stas, non ferro, sed fide vincit. Et quid de tanta multitudine loquor? Vnum fidelium vincere non potes. O diabole, nescis quae tibi fecerint martyres? Quo modo frequenter ingressa est puella aetate tenera, annis immatura, & inueta est ferro fortior, cum la-

tera eius scinderes, fidem tamen eius mouere non potes. Defecit frequenter caro in tormetis, & robur fidei non defecit. Consumptum est corpus, & mens non potuit inclinari. Interiit substantia, & perstitit patientia. Si ergo frequenter ab vna puella victus es, quo modo speras tantae huius & tam fidelis multitudinis fidem te posse euincere? Non audis domini vocem dicentis: Quia vbi duo aut tres sunt congregati in nomine meo, ibi sum & ego in medio eorum? Quid, vbi tanta fidelium multitudo est, charitatis nexibus vincita? Non ego propria virtute confido, habeo scripturam domini mei, manum ipsius teneo, illa mihi cautio satis tuta est, illa me securum reddet & intrepidum: etiam si orbis terrae commoueat, ego cautionem domini mei teneo. Lego manum eius, ipsa mihi murus est inexpugnabilis. Vultis vobis recitem domini cautionem? Ecce, inquit, vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. Christus mecum est, quem timebo? Etiam si fluctus insurgat, etiam si totum pelagus aduersum me conturbetur, etiam si principum furor, omnia mihi illa araneae erunt, & araneis fragiliora. Et nisi propter fragilitatem vestram, hodie non dubitarem ire quod vellent. Semper enim dico: Domine voluntas tua fiat: non quod ille vult, vel ille, sed quod tu vis, tua voluntas mihi turris fortissima, & petra stabilis, & baculus fidus. Si tu vis permanere mecum hic, habeo gratiam: si non vis, similem refero gratiam. Nemo vos conturbet fratres, orate tantum. haec enim diabolus mouet, non aliam ob causam, quam ut religiosa studia vestra dirumpat, & exercitia vestra, quae in orationibus & vigiliis gerebatis, extinguat. Sed non obtinebit, nec eripiet a vobis studia religiosa: nisi quia sollicitiores vos inueniet, & feruidiores efficiet. Crastina vobiscum exeam ad orationes: & vbi ego sum, ibi & vos eritis: & vbi vos estis, ibi ero & ego. Vnum corpus sumus, neque caput a corpore, neque corpus a capite separabitur: etiam si loco diuidamur, sed charitate coniungimur, ego a vobis nec morte diuellar. Nam etsi corpus meum moriatur, anima mea viuit, & memoriam vestri tenebit. Vos estis mihi patres, vos mihi mater, vos mihi vita, vos mihi gratia: si vos proficitis, mihi placebit. Vos estis corona mea, & diuitiae meae, vos estis thesaurus meus. Ego milies pro vobis immolari paratus sum: & nec gratia mihi in hoc est, sed debitum reddo. Bonus enim pastor debet animam suam pro ouibus suis ponere: huiusmodi enim mors immortalitatem parit. Non enim propter diuitias mundi, insidias patior: quod si esset, utique contristari deberem. Nec propter aliquod peccatum, sed propter charitatem, quam erga vos habeo: quia omnia ago, ut vos proficiatis: & ne subintroeat conturbare gregem bene institutum, sed ut permaneat in simplicitate fidei. Haec est causa periculorum meorum, & haec sufficient mihi ad coronam. Quid enim non patiar pro vobis? Vos mihi ciues, vos mihi fratres, vos mihi filii, vos mihi membra, vos mihi corpus, vos mihi lux, imo & ista luce dulciores. Quid enim mihi tantum praestant radii solis, quantum charitatis vestrae splendor acquirit? Ecce pro charitate vestra corona mihi paratur in futuro saeculo, hoc mihi solis huius splendor praestare non poterit. Haec autem dico in auribus audientium. Et quid ita ad audiendum sollicitum, & paratum, quam aures vestrae? Ecce quot dies sunt quod vigilatis, & nullum vestrum somnium inclinavit, nec temporis spacium frangit, nullum timor, nullum minae deterrent, sed terror eorum fortiores vos reddet. Video in vobis, quod semper optavi, ideo quod contemp-

sistis

sistis mundi negocia, renunciauistis omnibus: nihil iam de terra, neque de terrenis actibus cogitatis. Ad caelestia vos migrasse iam cerno, absoluti estis vinculis corporis, ad beatam illam & caelestem contenditis philosophiam. Hoc mihi sufficit vidisse de vobis, haec mea consolatio, ista me in agonibus meis velut vnguenta quaedam corroborant, & fortiosem me agonibus reddunt, & ad gaudia immortalia, atque aeterna transmittunt: pro his gratias agamus deo, cui gloria in saecula saeculorum, Amen.

POST REDITVM PRIORIS EXILII,

Homilia.

QUID dicam? quid loquar? Benedictus deus, hunc egrediens dixi sermonem: hunc iteravi reuertens, & illic constitutus, huc in ore voluebam. Puto vos meminisse, cum ante hoc beatum Iob adduxissem in medio dicentem: Sit nomen domini benedictum. Haec vobis historiam dereliqui, has gratiarum actiones iterabo regressus. Sit nomen domini benedictum in saecula. Diuersae rerum causae, sed vna glorificatio: & cum expellebar, benedicebam, & reuersus iterum benedico. Et si variae quidem causae, sed vna definitio. Super hyemem & aestatem vnus est finis. Culturae fertilitas subsequens campi, Benedictus deus, qui concessit exire: benedictus deus, qui redire precepit. Benedictus deus qui permisit hyemem: benedictus deus, qui dissoluit hyemem, & fecit tranquillitatem. Haec dico admonens vos, ut semper benedicatis. Si euenerint mala, benedicite, & dissoluentur mala: si prospera uenerint, benedicite, & perseverant prospera. Siquidem Iob cum in prosperis esset, benedicebat: & cum pauper esset effectus, glorificabat: neque tunc ingratus fuit, neque postea blasphemauit. Diuersa quidem tempora, sed vna voluntas gubernantis actum. Nec tranquillitas resoluuit, nec tepestas hyemis demergit. Benedictus deus, & cum a vobis sum segregatus, & cum iterum recepi vos. In utroque dei providentia est, separatus a vobis corpore, sed anima non sum a vobis diuisus. Et ex vestro affectu meum metimini animum. Et quid dicam? Non sum separatus a vobis, sed magis accessus sum desiderio vestri, quod etiam de vobis confido: nihil nobis nocere insidiae, nihil laesit inuidia, sed magis augmentum praestitit charitati, & multiplicauit discipulorum numerum. Ante hoc enim diligebam a meis, nunc vero honorificabor a Iudaeis. Sperabant me a meis filiis separare, sed magis mihi extraneos adiunxerunt. Non illis agam gratias: sed dei misericordiae gloriam referam, qui conatus illorum malos in melius commutauit. Nam & Iudaei crucifixerunt Christum, & illius morte humanum saluatum est genus. Non illis gratias, sed crucifixo. Considerent quid boni pugna eorum praestitit, insidiae eorum quale nobis latitiam praeparauerunt. Ante hoc quidem ecclesia replebatur, sed nunc & in plateis ecclesiae facta sunt. Et vnanimes, & coniuncti praesentes, dei in vos prouocatis aspectum: voces vestrae caeli secreta penetrarunt, ut omnis aetas vestras psalmodias miraretur attenda. Cursus equorum hodie, & pauci illuc, imo cuncti in ecclesia, quasi torrens quidam ac fluuius vestra facta est multitudo. Voces vestrae eleuantur ad caelum, amor qui ad patrem est, ostendentes. Orationes vestrae meum coronauerunt caput. Oratio omni modum praeclearior viri & mulieris. In Christo enim Iesu non masculus, neque femina. Qualiter enarrem potentias domini, aut mirabilia eius recenseam? Videtis quia

quod dico, verum est. Quoniam si quis tentationem viriliter tulerit, magnum ex ipsa vindemiat fructum. Ideo vos ad apostolos inuitavi, ut ad eos, qui aliquando persecutionem passi fuerant, veniremus. Et nos quidem insidias passis, illi vero impugnavi. Sed inimici illis nihil nocuerunt: quia isti orbem terrarum lucrauerunt. Veniamus ad sancta corpora, quae Christi stigmata portauerunt. Veniamus ad Timotheum nouum Paulum, & Andream alterum Petrum. Credimus iuuari nos illorum meritis. Si virilem animum geris, non timeas tentationes. Omnes sancti per ista transierunt. Multa tribulatio corporum, sed maius refrigerium animarum. Praestet vos dominus semper augeri, & celebres conuictus agere. Gloria quippe pastoris est cuius multitudo: quid faciam? quid loquar? incultum vbi seminem non habeo agrum. Extensa est propago vitium, perfectum est templum, & praeter multitudinem piscium rumpuntur retia mea. Quid faciam? laborandi locum non habeo, Gaudendi habeo tempus, ideo loquor: non quia indigetis doctrina, sed ut meam voluntatem vobis ostendam, vbi quae spicula comant. Tanta oues & nusquam lupus: tot spicula, & nusquam lolium: tanta vinea, & nusquam vulpes. Vbi nunc latent lupi? quod abierunt vulpes, quae eos persecuta sunt? O rem inaudita. Pastor quiescit, & oues luporum rabie abegerunt, insidias vulpium oppresserunt. O ouium sapientia, o filiorum affectus, o discipulorum charitas, o pulchritudo sponsae, absente viro abegit adulteros, ostensa sunt eius diuitiae, apparuit pulchritudo. Latrones consuli ierunt, & aufugerunt. Dicite mihi, quo modo persecuti estis lupos? quo modo pepulistis latrones? Frequenti, inquit, oratione ad deum. Quo modo despexistis adulteros? Continuis, inquit, lacrymis, ex desiderio viri. Non accepi arma, non sumpti lanceas, non arripui scutum: solummodo ostendi eis pulchritudinem meam, qua perspecta vulnerati fugerunt. Vbi nunc illi? Proculdubio in confusione. Vbi nos? in latitiae. Vbi nunc illi conscientiae suae malo tabescunt. Vbi vero nos? in magna exultatione glorificamus deum. Quid dicam? quid loquar? Adiciat dominus super vos, & super filios vestros: & alleuet dominus vultum suum, & misereatur vestri, in Christo Iesu domino nostro, cum quo est deo patri, & spiritui sancto honor, gloria & potestas, per immortalia saecula, Amen.

DE REGRESSV SANCTI IOANNIS

de Asia Constantinopolim, Homilia.

Moses magnus ille dei famulus, caput prophetarum, maris viator, aeris agitator, mensae apparatus, qui a genitrice protectus est, & ab impugnatrice saluatus: genuit quidem eum mater, abstulit autem eum Aegyptia, & enutriuit: & qui in Aegypto nutriebatur, in caelis conuersabatur: qui tantum ac tale statuit trophaeum, iste talis ac tantus vir, qui quadraginta dies reliquerat populum, inuenit eum idola fabricantem, & seditiones commouentem. Ego autem non quadraginta dies tantum, sed & quinquaginta & centum, & amplius, & inueni vos latentes, & philosophantes, & in dei timore perseverantes. Nunquid ego Mose altior sum? Absit: hoc enim dicere extremae dementiae est. Sed quia populus iste illo populo sublimior, propterea & ille de monte descendens increpabat Aaron ob seditionem populi, & irascens inuehebatur in eum, cur acquireret voluntati eorum. Ego autem adueniens praeconia vestra, & coronas contexam. Vbi enim praenatio, ibi reatus subsequatur necesse

Exod. 31.
 necesse est, & obiurgatio: vbi autē correctio, ibi laudes & præconia & coronæ:ideoq; etiā ampliori tēpore demoratus sum foras, non me paritet, quia confidebam de vestre charitatis affectu, & integritate fidei: sciebam enim vxorem mihi desponsatam castitate esse munitam, sicut in seculari coniugio assolet euenire. Etenim vir quando impudicā vxorē habere se nouit, nec prospicere ei de domo permittit: qui et si peregrinari aliquando coactus fuerit, cogitur cito reuerti, quali quodam suspicionis aculeo stimulat: qui autē sobriam & castam habet, foras securus moratur, sufficientes pro curatore munimine mores relinquens vxoris: hoc ego & Moses passus sumus, ille quidem, quia inemendabilem synagogā habebat vxorē, reliquit eam, & fornicata est, & cōpellit eū deus, dicens: Exurge, descende: impie enim fecit populus tuus. Sed ego nullā huiusmodi iussione accepi. Et cum paululū mihi infirmitas corporis accidisset, non me inquietauit vestra absentia, sed securus de vobis agrotationis meæ expectauit medelam. Non enim opus habent sani medico, sed qui male habent. Nam et si tardauit parumper à vobis, non hoc ad detrimentum vestri, sed ad diuitias puto proficere vestras: quæ enim per me, imò magis per gratiā dei correctæ sunt, vestra corona est, vester profectus est. Et ideo gaudeo & tripudio, & tanquam volitare me credo, & gaudij huius magnitudinem effari non queo. Quid ergo faciā quo modo indicabo exultationē mentis meæ? In testimonium voco conscientiam vestram, quoniā video ex aduentu meo gaudium esse repletā: quod gaudium corona & laus mea est. Si enim mea vnus viri præsentia, tantam plebem tali repleuit voluptate: quantum putatis mihi ex visione vestra gaudium cumulatū: Et Iacob quidem vnum filium videns Ioseph, gaudebat senex, & recreabatur spiritu: ego autem non vnum Ioseph, sed omnes vos illi timiles video & gaudeo, quia paradysum meū recepi illo paradiso meliorē: & ibi quidem serpens erat insidiarius, hic autem Christus mysteria celebrans: ibi Heua erat seducens, hic autem est coronas ecclesia: ibi Adam seducebatur, hic autem populus adhaeret deo: ibi arbores diuersæ, hic autem donationes variae: in paradiso arbores marcescentes, in ecclesia arbores fructificantes: in illo paradiso vnumquodq; genus sementis in suo perseverat statu, in isto verò paradiso si innenero labruscam, vitem vberē efficiam: si inuenero oleastrum, veram oliuam efficiā: talis etenim est terræ istius natura: propter hæc gaudeo, prætermitto satisfactionem: quo modo verò nos abduxit tanti temporis longitudo, suscipite satisfactionem meam charissimi. Si seruum alicubi dirigatis non reuertentem, exigitis causas vbi moratus sit, vbi tantum expenderit temporis: & ego seruus sum vestre charitatis: emittis enim me non pecuniā conficientes, sed charitatem ostendentes. Gaudeo quippe tali seruitio mancipatus, nec vnquam hoc famulatu opto me solui: etenim istud seruitium mihi libertate elegantius: istud seruitium in illud tribunal beatum collocauit mihi sedem: istud seruitium non est necessitatis, sed voluntatis. Quis enim non libentissime seruiat dilectioni vestre tam elegantissimis amatoribus: quod et si lapideā haberem animam, cera fecissetis molliorem: quid dicam desiderio vestro, & fauori, quem hesternā ostēdistis die, quo modo voces vestre cum gaudio cœlū penetrarunt: ipsum sanctificantem aërem, ciuitatē fecistis ecclesiam: honorabar ego, & deus glorificabatur: hæretici confundebantur, ecclesia vero coronabatur: quia

magna læticia est matri, cum exultant filij. Et grande gaudium pastori, cū exultant agni gregis. Veni ad gaudia virtutum vestrarum, audiui quia cum hæreticis coluctati estis, & quia iniquè egerunt in baptismo, redarguistis: nunquid incassum dicebam, quoniam casta vxor absente viro repellit adulteros, absente pastore abigit lupos, sine gubernatore nauis saluauerunt nauem, sine duce milites victoriam reportauerunt, sine doctore discipuli profecerunt, sine patre filij roborati sunt: imò magis non sine patre: vester enim profectus meū gaudium, vestra glorificatio mea corona est. Sed desiderabamus, inquit, tecum facere Pascha. Satisfacio dilectioni vestre, quippe cum iam iracundiā vestro dissolueritis aspectu: nam si pater prodigum suscipiens filium statim reconciliauit, neq; pœnas exegit ab eo, sed illico amplexus est: multo magis filij patre suscipietes. Sed tamen & ad hoc respondeo: Pascha mecum in votis facere habebatis, nemo prohibet hodie vos mecū facere Pascha. sed forsitan dicetis, Nunquid duo Pascha facturi sumus? Non, sed vnū, & ipsum multipliciter. Sicut enim semper sol exoritur, & nō dicimus multos soles, sed est sol quotidie oriens: sic & Pascha semper consummatur, & cum semper celebratur, vnum est solennitatis nostræ. Iudæorum similes non sumus, non seruimus loco, nec subditi sumus necessitati temporis dominica voce firmati. Quotiescunq; inquit, manducaueritis panem istum, & hūc biberitis calicem, mortem domini annuntiabit. Annūciamus namq; hodie mortem Christi. Sed tunc quidē festiuitas. Et hodie festiuitas. Vbi enī charitas gaudet, ibi est festiuitas: & vbi recepi lætantes filios, maximā celebri festiuitatē. Etenim & illa festiuitas charitas est. Sic enim, inquit apostolus, deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret pro eo. Sed multi, inquit, te absente baptizati sunt. Et quid tum? nihil minus habet gratia, non claudicat donum dei, præsentem me baptizati nō sunt, sed præsentem Christo sunt baptizati. Nunquid homo est qui baptizatur? Homo dexteram porrigit, sed deus manum gubernat. Noli de gratia dubitare charissime, quia donū dei est. Attende diligenter quæ dicuntur, si forte aliqua causa sacra explicanda est, cum obtuleris preces, & subscriptam acceperis sacram, non requiris quali calamo subscripserit rex, neq; in quali charta, neq; quali, quòve atramento, sed vnum solummodo quæris, si rex subscripserit: sic & in baptismo, charta, conscientia est: calamus, lingua sacerdotis: manus, gratia est spiritus sancti. Siue ergo per me, siue per illum qui officio fungitur sacerdotis, ipsa manus scribit, nos ministri sumus, non authores. Et Paulus minister est. Sic enim, inquit, æstimet nos homo, tanquam ministros Christi, & dispensatores mysteriorum dei: quid enim habes, quod non accepisti? Si quid habeo, accepi: si autem accepi, non meum, sed eius qui dedit donum est. Noli ergo dubitare charissime, gratia enim dei perfecta est, locus non prohibet, siue hic baptizetis, siue in nauis, siue in itinere. Philippus baptizauit in via, Paulus in vinculis, Christus in cruce latronem ex vulnere, & statim paradisi meruit ianuam referare. Propter hæc gaudeo & exulto, & orationes vestras exigo, cum quibus ad Asiam perrexi, cum quibus reuersus sum, cum quibus pelagum transfretavi, & adiutus vestris orationibus feliciter nauigavi: nec enim nauim citra vos ingressus sum, nec exiui citra vos, non in ciuitate citra vos, aut in ecclesia sine vobis, sed auulsus quidem eram corpore, connexus autem charitate. Videbam namque ecclesiam

ecclesiam vestram & in pelago, & in exultatione gaudebam. Tale enim quid significat charitas, quæ nescit angustari: intrabā in ecclesiā, ad stabā altari, orationes offerrebā, & dicebā: Domine, conferua ecclesiā, quā mihi tradidisti. Ego quidē corpore absens sum, sed tua misericordia præsens est, quæ me illuc perduxit, & plusquā merebar, concessit. Et quia amplificauit, multitudo testatur præsentium. Florere video vineam, & nusquam spinæ, neq; sentium vlla vestigia: exultant oues, & nusquam lupos. Quod si etiam alicubi repertus fuerit, demutatur, & fit ouis. Tanta enim vestra est fides & charitas, vt æmulatione vestra ceteros prouocetis. Ipse dominus vos conseruauit, & ipse me reduxit, & in infirmitate positus orationum vestrarum sensu auxiliū, quas mihi quotidie in suffragiū postulo. Peregrinatio mea coronauit ciuitatem vestrā. Et quia diligebatis ex initio, nunc omnibus manifestum est. Sic enim me absentem, tanquam præsentem habuistis. Nam in Asia cum essem ad corrigendas ecclesias, hinc illò venientes nunciabant nobis, dicentes: Inflammasti ciuitatem. Et certe charitas tempore solet marcescere, vestra autem dilectio quotidie augmentabatur. Et quem ita absentem diligebatis, præsentem credo quòd melius ametis. Iste meus thesaurus, hæc sunt meæ diuitiæ. Et ideo vestras orationes requiro. Orationes vestre murus mihi, & munimen sunt. Noli dicere: Ego languidus sum, quo modo potero pro sacerdote orare? Audi scripturam dicentem: Oratio autem fiebat continua. Et ecclesiastica oratio soluit vicula Petri, & Pauli dilatauit prædicationis fiduciam. Oratio caminum ignis extinxit, oratio conclusit ora leonum, oratio seditionem compescuit, oratio paradysum aperuit, oratio cœli cardines referauit, oratio sterilem fecundauit, oratio Cornelij cœlos penetrauit, oratio publicanum iustificauit. Tale à vobis munimen requiro, talem gratiam postulo: & deus gloriæ suscipiens orationes vestras, det mihi in apertione oris mei sermonem, quòd possim creditum mihi populum instruere ad salutem, per Christum dominum nostrum, cum quo est deo patri cum spiritu sancto honor, gloria, & potestas in secula seculorum, Amen.

BEATI IOANNIS CHRYSOSTOMI

Homilia, quæ Sardonius & Avellianus acti essent in exiliū, & Gaius egressus esset à ciuitate, & de auaricia. Des. Erasmo Rot. interprete.

MVLTO tempore silui, & post longum temporis spacium ad charitatem vestram reuersus sum. Quanquā id non accidit vlla vel animi discordia, vel corporis desidia, sed abfui, tumultus componēs, fluctus sedans, tempestatē corrigēs: eosq; qui iam demergi cœperant, ad portū & in tranquillū porrecta manu reducere studens. Sum enim cōmunis omnium pater, eoq; necesse est curā agere, nō tantum eorum qui stant, sed eorum quoq; qui collapsi sunt: non illorum tantum qui secundis nauigant ventis, sed & illorum qui tempestate iactantur: nō eorum modo qui in tuto sunt, verum etiam illorum qui periclitantur. Harum sanè rerum gratia reliqui vos ad temporis spacium, obambulans, exhortans, obtestans, supplicās vt à domino ea calamitas dissolueretur. Posteaquā autem in amœnis illis ac tristibus finis est impositus, denuo me ad vos recepi, ad vos qui in tuto estis, qui multa cum tranquillitate nauigatis. Ad illos profectus erā, vt tempestatem sedarem: ad vos reuersus sum, ne qua

tempestatas exoriatur. Ad illos discesseram, vt eos à molestiis liberarē, ad vos redij, ne in similes molestias incidatis. Quemadmodum enim oportet habere curam non eorum modo qui stant erecti, sed eorum quoq; qui lapsi sunt: ita rursus non lapsi tantū nobis debent esse curę, sed & stantes: illi quidem vt erigantur, hi vero ne cadant: illi vt ab vrgentibus malis liberentur, hi ne incurrāt in molestias imminetes. Nihil enim est in rebus humanis stabile, nihil incōcussum, sed hominum vita imitatur mare vesaniens, quotidie parturiens naufragia, naufragia, inquam, tum noua, tum periculosa. Omnia tumultuum ac turbarum plena sunt, omnia scopuli & præcipitia, omnia rupes sub aquis latentes, & sinuosa cautes. Omnia terrores, discrimina, suspensiones, tremores & angores. Nemo cuiquā fidit, à suo quisq; proximo metuit, tempus fortassis illud in propinquo est, quod Propheta depinxit his verbis, Ne fiducia habeatis in amicis, & in principibus nolite sp̄e ponere, à suo quisq; proximo caueat, à coniuge tua caue, ne quid illi credas. Quid ita tandem? Quia tempus malū est, quia omnis frater insidiatur calcaneo vt supplantet, & omnis amicus dolose incedit. Non est amicus tutus, non frater firmus. Sublatū est charitatis bonū, ciuile bellum habet omnes, ac ne id quidē apertum, sed obumbratū. Innumerabiles vbiq; personæ simulatæq; facies. Multa ouiu vellerā, innumeri vbiq; lupi sub his occultati, vti iam inter hostes aliquis tutius vixerit, quam inter hos qui videntur amici. Qui heri adulabatur, qui blandiebantur, qui manus excolabantur: hodie repente conperti sunt esse lupi, abiectisq; personis facti sunt omnibus accusatoribus acerbiores. Pro quibus hesternō die gratias agebant, pro his nunc inculant & calumniantur. Quæ est igitur horum omnium causa? Pecuniarum amor, vesana diuitiarum cupiditas, morbus insanabilis, fornax quæ nunquā extinguitur, tyrannis quaqua- uersum per totum orbem terrarū diffusa. Hanc ob causam, & nos quæ prius dicebamus, nūc denuo dicimus, nec dicere desinemus. Tametsi heri complures incusabant nos talia loquentes: Itane nunquam desines aduersus diuites armatam habere linguam? Non desines cū his assidue belligerari? Num ego cū illis bellū gero? Nū aduersus illos armor? An potius pro illis cū cetera tum dico, tum facio? Imò ipsi aduersus seipsos gladios acuunt. An non id declarauit ipsa rerum experientia? Quo, inquit, pacto? Ego quidem increpans & assidue obiurgans, quærebam illorum commodum: sed illi verius sunt hostes, qui nobis hæc loquentibus culpam impingunt. Vidistis euentus rerum cū oratione nostra congruere. An non semper dixi, fugitiuas esse diuitias, ab hoc ad illum transeuntes? Atque vti nam transissent solum, nō etiam occidissent: vti nam discessissent tantū, ac nō è medio quoq; sustulissent. Nunc autem præterquam quòd deserūt suam protectionem, etiam gladio tradunt, & in barathrum pertrahunt, eo quòd sunt periculosa proditrices, cumq; his potissimum bellum gerunt à quibus amantur. Ingrata sunt, fugitiuæ, homicidæ, crudeles & implacabiles, bestię incurabiles, præcipitium vndiquaq; præruptum, scopulis assiduis plena & fluctibus, mare innumeris ventis agitatam. Tyranni acerbe imperantes, dominæ quouis barbaro sauiiores, inimicæ irreconciliabiles, hostes implacabiles, quæq; nunquā erga eos à quibus possidentur, remittunt simultatem. At non huiusmodi paupertas, sed his quæ dicta sunt contraria. Ea siquidem est tutum asyllum, portus tranquillius, perpetua securitas, delicia periculorum

lorum expertes voluptas sincera, vitaurbationum nescia, vita fluctu ignara, copia inexpugnabilis, philosophia parens, frantum intemperantia, supplicij sublatio, radix modestia. Quamobrem igitur rogo, hac fugientes, illas persequimini: illas hostes, illas homicidas, illas quavis bestia sauiore? Talis enim est pecuniarum amor, tale vesanum auri studium. Cur hoste tibi domestico & perpetuum conuictorem tibi facis? Quare bestiam irritas, quam delinire oportuit? Et quo pacto, inquis, fiet mansuetus? Si vel nunc mea verba toleretis, dum delicta feruent, dum calamitas viget, dum omnes in tumultu sunt ac mœrore. Ergo qui fieri possit, ut bestia non sit bestia? Equidem possum illam immutare, si vos velitis. Nam ea sermonum vis est. Quo pacto igitur a feritate sua mutabitur? Si didicerimus, quo modo fiat saua, more leonum, more pardorum, more vrsorum, qui dum includuntur coercenturque in tenebris, erigunt animos, acuntque iras. Idem & diuitia dum includuntur & defodiuntur, acris rugiunt quam leones, perturbantque omnia. Quod si eas e tenebris eduxeris, & in eorum ventres dissemines, ex feris bestiis fiunt oues: quae fuerant insidiosa duces, pro scopulis fiunt portus, pro naufragio tranquillitas. Quandoquidem hoc & in nauigijs videre licet, si quando onus est iusto grauius, demergit cymbam. Rursum cum est moderatum, prospero fertur cursu. Idem vsu venit in nostris edibus. Quum ultra quam vsus postulat, congeris pecunias, exigui venti procella & quiuis rerum inexpectatarum incurfus, demergit cymbam. At si tantum reponas, quantum postulat necessitas, etiam si vehemens turbo ingruat, facile percurris vndas. Noli igitur plus concupiscere, quam exigit necessitas, ne totum amittas. Noli quae superant vsu congregare, ne perdas etiam necessaria. Noli praefinitos terminos praetergredi, ne facultatibus vniuersis exuaris: sed quod superest refeca, ut necessarijs ditescas. An non vides quod agricolae vitem putant, ne vim omnem in pampinis & palmitibus, sed in radice proferat? Idem & tu facito. Amputa folia, omneque studium huc intende, ut quamplurimum fructus ferat. Quod si facere recuses rebus prosperis, expectes aduersas. In tranquillitate tempestatem expecta, in sanitate morbum expecta, in diuitijs paupertatem ac mendicitatem expecta. Memento, inquit scriptura, tempus famis, in tempore abundantiae: mendicitatem & egestatem, in diebus opulentiae. Ad hunc modum si fueris affectus, tum & diuitias multa cum sobrietate administrabis: & egestatem si incidat, fortissime perferes. Malum enim inexpectatum perturbat animum si incidat. Quod autem expectabatur, si accidat, non multum adfert perturbationis. Ita duo commoda lucrifeceris, alterum ne prosperitas te reddat ebrium & insolentem: alterum ne commouearis ac perturberis rebus in diuersum commutatis: maxime si semper expectatione contrariorum pendebis, suffecerit pro experientia expectatio. Tale est quod dico: diues es, expecta quotidie paupertatem. Quare & quamobrem? Quoniam ista expectatio tibi maximam adferre poterit vtilitatem. Etenim qui in diuitijs expectat paupertatem, non indiget delicijs, non extollitur, non diffuit, non concupiscit aliena. Nam expectationis metus qui illi adest, pedagogi cuiusdam vice, cohibet eius mentem, nec patitur mala auariciae germina subnasci, dum ea metu contrariorum, veluti falce quadam prohibet crescere, amputatque. Hoc igitur vnum est e maximis bonis quae lucrifacies. Alterum autem non est isto minus, videlicet ut si accesserit paupertas, non expauescas. Af-

sumatur igitur rerum tristitiam expectatio, ne quando veniat ipsa tristitia experientia: ob hoc enim venit experientia, quod non adfit expectatio. Quod si illa correxisset hominem, hac non erat opus admodum. Huius rei testis Ionas Niniuitis praedicens interitum. Siquidem illi dum expectant quod propheta praedixerat, eis imminere calamitatem insanabilem, expectatione malorum venturorum fregerunt iram numinis. Rursum Iudaei non credentes prophetae praedicensi Hierosolymorum excidium, acerba perpessi sunt. Sapiens enim metuens declinauit malum, insipiens fiducia sua inuoluitur. Qui expectat paupertatem dum versatur in diuitijs, haud facile fiet pauper. Nam quod ab expectatione lucrari noluit, id ab ipsa experientia pulchre discet. Proinde quum in diuitijs es, expecta paupertatem: quum in affluentia, expecta famem: quum in gloria, expecta ignominiam: quum in sanitate viuus, expecta morbum. Absidue perpende rerum humanarum naturam, quae nihilo melius habet, quam amnium defluxus, & fumo in aërem euascente fugacior est, & umbra praetercurrere inanior. In his si philosophatus fueris, nec suauia te poterunt inflare, nec molesta deicere: si praesentibus bonis non admodum haereas, neque absentibus discruciaberis, consuefacias animum ad diuersorum expectationem. Saepem quidem fiet, ut diuersa non accidant. Sed si acciderint, non vehementer te commouebunt. Atque ut intelligatis me haec non ex coniectura loqui, volo vobis narrare veterem quandam historiam. Fuit vir quidam admirabilis & magnus, & ubique per orbem terrarum celebratus, beatus ille Iob, ille pietatis athleta, ille totius mundi victor & coronifer, qui per omnia certaminum genera transiit, qui innumera trophaea erexit deuicto diabolo. Hic erat diues & pauper, gloriosus & contemptibilis, multorum liberorum pater, & orbis. Hic versatus est in aulis regalibus sed idem fuit in sterquilinio. Hic fuit in splendida veste, sed post illam in morsu tinearum. Hic possedit innumera ministeria, sed idem sustinuit innumeras contumelias, a familiaribus in ipsum insurgentibus, ab amicis conuiciantibus, ab vxore insultante. Omnia illi prius velut e fonte affuebant, pecuniarum copia, potentiae magnitudo, gloriae accessio, pax & securitas, honores & obsequium, corporis sanitas, & filiorum opulentia, nec erat in his quicquam molestum. Aderant illi diuitiae cum securitate, prosperitas stabilis. Atque optimo quidem iure. Deus enim illum vndique vallauerat. Sed post illa omnia recesserunt, moxque innumera tempestates immigrarunt in domum illius, omnes, inquam, ac sibi vicissim succedentes ac perpetuae, denique supra modum, supraque fidem omnes. Siquidem vniuersae facultates illi semel ereptae sunt, famuli liberi que praematura violentaque morte oppressi sunt, ad mesam & ipso in conuiuio mactati, non quidem securi aut gladio, sed a malo spiritu, qui domum concussit. Tum vxor in illum armabatur, suasque machinas admonuit iusto. Famuli porro & amici, partim expuerunt in faciem eius, quemadmodum ait ipse, Non pepercerunt faciem meam conspuere: partim irruerunt in eum, & ex tota domo eiectus est, ac deinceps in sterquilinio vitam egit, ac vermium fontes scatebant, vndique sanguine & sanie diffuebant ille preciosus adamans. Et accepta testa, absterisit sanie, ipse sibi factus carnifex: dolor dolore excipiebat, & cruciatus intolerabiles, & nox die molestior, & dies nocte terribilior, sicut ipse dicit: Quum obdormiero dico, quando erit dies? Cum surgo, rursum dico, quando erit vespera? Plenus dolorum sum a vespera usque ad diluculum. Omnia

Omnia precipitia, omnia scopuli, nec est vllus qui cor A soletur, qui insultent innumeris. Attamen in tanta tempestate, tantisque fluctibus aded intolerandis, constitit aduersus omnia generoso animo & illabefactabilis. In causa fuit id quod dicebam: Nimirum quod quum diues esset, expectabat egestatem: cum sanus esset, expectabat agrotationem: quum tot liberorum esset pater, expectabat ut subito fieret orbis. Atque hunc timorem semper apud se suscepit, & hanc anxietatem semper apud se aluit, intelligens rerum humanarum naturam, momentariamque volubilitatem negociorum considerans. Eoque dixit: Timor quem timebam, euenit mihi: & periculum quod metuebam, occurrit mihi. Semper enim cogitatione spectabat ad illum timorem, operiens eum, sperans expectansque. Eoque quum aduenisset, non perturbauit illum. Neque filii, inquit, neque quieui, sed mihi venit ira. Non dixit, non silebo, neque quiescam, praesenti tempore: sed, non quieui, praeterito tempore. Neque enim rerum prosperitas attulit arrogantiam, sed expectatio tristitiam non sinebat me quiescere. Quamquam affluentia vehementer hortabatur ad delicias, sed asperitas eorum quae expectabantur, profligabat securitatem. Et licet praesens felicitas cogeret frui rebus, tamen futurorum sollicitudo voluptatem interrupit. Ideoque quoniam praemeditatus in animo suo haec ventura prospexerat rebus latis, haec certamina posteaquam acciderunt fortiter & animose pertulit, utpote iam olim ad illa exercitatus: & quoniam ea expectatione praecerat, non est perturbatus, quum cerneret illa adesse: quoniam ne tum quidem quum adessent laeta, vehementer illis adhaesit. Audi quid dicat: Quod si delectatus sum, quum mihi multae affluerent diuitiae, si reposui copiosam auri vim mihi, si fiduciam habui in lapidibus preciosis, si ad innumerabilia posui manum meam. Quid ais homo: non delectatus es diuitijs affluentibus tibi? Nequaquam, inquit. Quid ita? Quoniam videbam illarum instabilem fluxamque naturam, videbam possessionem haud durabilem. Aut non video quidem, inquit, solem orientem ac deficientem, lunam vero intereuntem: non enim in eodem manet statu. Quod autem dicit, tale est: Si stella quae sunt in caelis perpetuoque lucent, recipiunt nonnullam mutationem, sol deficiens, luna interiens, an non extremae dementiae sit, terrena pro stabilibus fixisque ducere? Eoque nec praesentibus magnopere delectabar, nec discedentibus vehementer contristatus sum: quoniam probe noueram earum rerum naturam. Haec nos audientes charissimi, neque paupertate deiciamur, neque diuitijs intumescamus, sed in rerum permutatione animum immutabilem retinentes, philosophiae fructum metamus, ut & hic voluptate perfruamur, & futura assequamur bona. Quae contingat nobis omnibus adipisci, gratia & bonitate domini nostri Iesu Christi, &c.

DE RECIPIENDO SEVERIANO
no. Homilia.

SIC VTI capiti corpus cohaerere necessarium est, ita ecclesiam sacerdoti, & principi populum: utque virgulta radicibus & fontibus fluuijs: ita & filij patri, & magistro discipuli. Haec autem non superfluo ad charitatem vestram praefati sumus: sed quoniam dicenda mihi sunt quaedam apud vos, ut nemo turbetur, neque sermoni nostro aliqua oriatur interruptio: sed ut obedientia discipulorum crescat in vobis, & quantum affectum patri deferatis, appareat.

Adornate me filij, & imponite mihi obedientiae vestrae coronam, facite me apud omnes beatum iudicari, & doctrinam meam magnificate per obedientiam vestram, secundum Apostoli monita, dicentis: Obedite praepositis vestris, & obtemperate eis, quia ipsi peruigilant pro vobis, quasi pro animabus vestris ratione reddituri. Haec ergo praemoneo, ne quis superbiat in commonitione nostram. Pater enim sum, & necesse est me filiis consilium suadere: quod enim in carnalibus patribus natura carnis, hoc in nobis gratia spiritus agit. Pater sum, & pater nimis super filios tremens, ita ut sanguinem meum pro vobis fundere paratus sum. Et in hoc non est mihi gratia. Apostolica enim lex est, & domini praecceptum dicentis: Pastor bonus animam suam ponit pro ouibus suis. Sed & vos eadem facite pro nobis: simili namque erga nos deuincti estis affectu. Nam & Paulum audite quid dicit, Salutate, inquit, Priscillam & Aquilam adiutores meos in Christo, qui pro anima mea suas ceruices posuerunt. Sicut enim pulchrum est pastorem pro ouibus immolari: ita rursum pulchrum est, & oues a pastore nec morte seiungi. Cum enim inseparabiles fuerint ab eo, lupum diabolum non timebunt. Murus enim charitatis firmior est adamante. Et frater cum adiuuatur a fratre, eriguntur sicut ciuitas munita & firma. Haec autem praemitto, ut cum omni affectu, quae dicimus, audiat, neque aliquid vestrum incipiat perturbari. Loquimur rem quam dignum est in ecclesia loqui, & quam dignum est libenter audiri. Pro pace loquimur ad vos. Et quid ita conueniens, quam sacerdotem dei pacem populo persuadere: Contradictio nulla est, ubi & legatio sancta, & legatus acceptus est. Pro pace loquimur, pro qua filius dei descendit ad terras, ut pacificaret per sanguinem, non solum quae in terra sunt, sed & quae in caelis, & terrena caelestibus sociaret. Pro pace loquimur, pro qua filius dei passus est, propter quam crucifixus est, & sepultus, quam nobis pro omni hereditatis censu reliquit, & velut murum ecclesiae dedit, quam scutum aduersum diabolum posuit, quam gladium aduersum daemones dedit, quam portum tranquillissimum fidelibus collocauit, quam repropiciationem ad deum dedit, quam delictorum absolutionem concessit: pro hac ergo legatus ad vos missus sum. Nolite mihi incutere pudorem, nolite legationem meam foedare, acquiescite mihi, quae vos. Multa dudum tristitia gesta sunt in ecclesia, deum confiteor, sed non laudo perturbationes, seditiones non amplector. Sed omittere iam haec, desinite, conquiescite, cohibete animos, refragete iracundiam: sufficit iam quod laborauit ecclesia, finis sit, desinat turbatio: hoc enim & deo placitum, & piissimo principi acceptum est. Oportet enim & regibus obedire, maxime cum & ipsi obtemperant ecclesiasticis legibus. Dicit enim Apostolus, Principibus & potestatibus subditi estote: quanto magis religioso principi, & pro ecclesia laboranti: Si ergo preparauimus animos vestros ad suscipiendam legationem meam, recipite fratrem nostrum Seuerianum episcopum. Habeo gratiam quod sermonem meum laudibus profecuti estis. Deditis mihi fructus obedientiae: nunc me semen bonum gratulor seminasse. Ecce enim statim frumeti manipulos colligam. Retribuat vobis dominus praemium benignitatis, & obedientiae mercedem. Nunc enim veram hostiam pacis obtulistis deo, quia nemo turbatus est, audito hoc nomine, sed cum charitate suscipitis: simul ut sermone locuti sumus, omnem ex animo fugastis iracundiam. Suscipite ergo eum pleno pectore, apertis manibus. Si quid triste gestum est, omittite: quia ubi tempus pa-

cis, recordatio dissensionis nulla est, ut sit gaudium in celo, gaudium in terra, læticia & exultatio spiritualis in ecclesia dei. Et oremus de reliquo, ut pacificam deus custodire dignetur ecclesiam, pacem fixam & perpetuam dare, in Christo Iesu domino nostro, cum quo est gloria deo patri, vna cum spiritu sancto, in secula seculorum, Amen.

SERMO IPSIVS SEVERIANI DE PACE, cum susceptus esset à beato Ioanne episcopo Constantinopolitano.

N aduentu domini & saluatoris nostri, atque in præsentia eius corporali, angeli ducentes choros cœlestes euangelizabant pastoribus, dicentes: Annunciamus vobis hodie gaudium magnū, quod erit omni populo. Ab ipsis enim sanctis angelis, etiā mutuam nos vocē, annunciamus vobis hodie gaudium magnū. Hodie enim in pace ecclesia est, & hæreticorum furor iactat in fluctibus. Hodie pastores ecclesie in securitate, & hæretici in perturbatione sūt. Hodie oues domini in tuto, & lupi insaniunt. Hodie vinea domini in abundantia, & operarij iniquitatis in egentia. Hodie populus Christi exaltatus est, & inimici veritatis humiliati sunt. Hodie Christus in læticia, & diabolus in luctu. Hodie angeli in exultatione, & demones in confusione. Et quid opus est multa dicere? Hodie Christus qui est rex pacis, cum sua pace procedens, fugauit omne dissidium, dissensiones depulit, discordiam perturbauit. Et sicut cœlum splendor solis, ita ecclesiam fulgor pacis illuminat. O quam desiderabile nomen pacis, quam religionis Christianæ stabile fundamentum, & altaris dominici cœlestis armatura. Et quid possumus de pace proloqui? Pax nomen est ipsius Christi, sicut dicit & Apostolus, Quia Christus pax nostra, qui fecit vtraque vnum, quæ neque fide, sed inuidia diaboli dissidebant. Verū sicut procedente rege & plateæ mundantur, & tota ciuitas diuersis floribus & ornatibus coronatur, ut nihil sit quod minus dignū vultui regis appareat: ita & nūc procedente Christo rege pacis, omne quod triste est, auferatur è medio, & illucescente veritate fugetur mendacium: fugiat discordia, resplendescente concordia. Et sicut frequenter fieri vidimus, vbi regum vel fratrum tabulæ pinguntur, ut in vtrisque vnanimitatis declarentur insignia, artifex pictor fœmineo habitu post tergum vtriusque concordiam statuit, brachijs suis vtrunque complectentē, indicans quod hi qui videntur corporibus separati, sententijs & voluntate conueniant: ita nunc pax domini media assisens, & vtrunque nostrum, gremio palpate connectens, discreta corpora in vnum conuenire animum, vlnis iungentibus docet. In qua sine dubio completur sermo propheticus, qui ait: Et erit consilium pacificum inter vtrosque. Et hesternum quidem pater noster cōmunis, euangelico pacem sermone præfatus est: hodie vero nos verba pacis exponamus. Ipse nos hesternum resupinis manibus in verbo pacis excepit: & nos hodie dilatato pectore, vlnisq; patentibus ad dominū cum muneribus pacis occurramus. Iam bella destructa sunt, pulchritudo pacis obtinuit. Nunc in luctu est diabolus, & in lamentatione omnis dæmonū turba, nūc in cœlestibus læticia, & in angelis exultatio, quibus specialis familiaris pax. Hoc enim etiam cœlestes admirantur virtutes opus quas fons eius habet perennis, ex quo etiam terrena hæc nostra guttis quibusdam exin-

de stillantibus irroratur. Et ideo etiam si in terris pax, laudis eius splendor redundat in cœlum, laudant eam cœlestes angeli, & dicunt: Gloria in excelsis deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Vides quo modo cœlestes omnes & terrestres inuicem sibi munera pacis emittunt: Cœlestes angeli pacem terris annunciant, sancti in terris Christum qui est pax nostra, collaudant in cœlestibus positum, & mysticis choris acclamant, ofanna in excelsis. Dicamus ergo & nos, Gloria in altissimis deo, qui humiliavit diabolum, & exaltauit Christum suū. Gloria in altissimis deo, qui discordiā fugat, & pacem statuit. Dico enim vobis artē diaboli, cuius neque vos astutiā ignoratis. Vidit satanas firmitatem fidei, stabilitatem in ea pietate dogmatum septam, vidit & operum bonorum fructibus abundantē: & ideo pro his omnibus ad insaniam venit, & rabie furoris exarsit, ut scinderet amicitiam, & euelleret charitatem, ut irrumperet pacem: sed pax domini semper sit nobiscum, in Christo Iesu domino nostro, cū quo est deo patri & spiritui sancto gloria, in secula seculorū, Amen.

EPISTOLAE DI VI IOANNIS CHRYSOSTOMI Archiepiscopi Constantinopolitani,

INNOCENTIO EPISCOPO
Romæ, domino meo reuerendissimo, piensissimoque, Ioannes in domino Salutem.



LTIAM antequam reddite sunt literæ nostræ, opinor pietatem vestrā audiuisse, quidnam hic patrare ausa fuerit iniquitas. Ea enim rerum est magnitudo & grauitas, ut nulla fermē orbis pars relicta sit, quæ tristem hæc tragœdiam nō audierit. Quandoquidem fama vsque ad fines terræ perlata, plurima vbique lamenta & eiulatus exiit. Verum quia non satis est plāgere, sed opus etiam ut cura geratur, & spectetur qua ratione, & quo consilio grauisima illa ecclesie tempestas sedetur: proinde necessarium esse dixim⁹, ut persuadeatur Demetrio, Pansophio, Pappo & Eugonio, dominis meis maxime venerabilibus, pijsq; episcopis, relictis negocijs proprijs, pelago se committere: susceptaq; longinqua peregrinatione hac, ad vestram properare charitatem, de omnibus vos manifeste docentes, quo quantocytus rebus succurratur. Misimus autem cum eis venerabiles dilectosq; diaconum Paulum & Cyriacum, qui & ipsi, quæ facta sunt, charitati vestræ exponent: & nos quoque paucis in epistolæ forma docebimus. Theophilus ille qui Alexandrinæ ecclesie episcopatum regendum suscepit, quum à piensimo rege cui aduersus illum quædam nunciata erant, iussus esset venire solus, collecta multitudine episcoporum non paucorum huc venit, quo præludio quasi declarare volebat, se ad bellum & aciem pergere: cūq; in magnam diuinoq; cultui deditam urbem Constantinopolim ingressus esset, iuxta consuetudinem & constitutionem hæcenus obseruatam non intrauit in ecclesiam, neque ad nos accessit, neque participē se fecit, vel sermonis, vel precum, vel communionis: sed egres-

sus è nauis, & prætercuris Ecclesie vestibulis, alicubi extra urbem diuersatus est, tamen nos plurimū obsecrauerimus & ipsum, & eos qui cum ipso erant, ut apud nos diuerterent. Erant enim diuersoria, & omnia alia quæ oportebat, bene instructa. At neq; illi, neque ipse, nobis morem gerebant. Vnde nos ea videntes, valde cōsternabamur animo: & quanuis iniustarum illarum inimicitarum causam nullam inuenire possemus, nihilominus tamen officium eis, quod illi nobis debebant, impeditimus. Nam iterum atq; iterum eum obsecrauimus, ut se nobis coniungeret, ac diceret, cuius gratia statim ab initio tantum excitaret bellum, tantamq; urbē seditiosam faceret. Verum cū ille causam dicere nollet, mēq; vrgerent accusatores eius: vocauit nos rex piensissimus, & iussit ut iremus ad locū in quo ille agebat, reiq; summam ab eo audiremus. Nā inuidias, & cædes, & alia plurima causabantur: nos autem scientes leges patrum, viroq; honorem habentes, habentes etiā super hac re eius literas, oportere in quibusq; prouincijs sua negocia tractari, transmigransq; ad nostra iudicia non trahendos, fortiter detrectauimus, ne causam susciperemus iudicandam. Porro ille, sicut & prius, nobis oblectari cœpit, & multa autoritate vocato archidiacono meo, quasi iam Ecclesia viduata esset, ac episcopum nō haberet, clerum omnem sibi per illum adiunxit: facteq; sunt Ecclesie seditiosæ, & è singulis Ecclesie abducebantur clerici, & instruebantur, ut nos accusarent, & libellos aduersus nos producerent. Post hæc vocauit & nos ad iudicium, nō dum dilutis quæ aduersus se erant causis, id quod contra omnes canones & leges est. Porro nos scientes quod non ad iudicium, sed ad hostē & inimicū perrecturi essemus, id quod satis declarant, quæ prius ac postea sunt facta, misimus ad eum episcopos, Demetrium episcopum Pisinatium, Eleusium Apamiæ, Lupinum Appiariq; presbyteros autem, Germanū & Seuerū, qui congrua lenitate responderent, ac dicerent: Nō vitare nos iudicium, sed inimicum apertum, & hostē manifestarium. Nam qui nondum acceptis libellis statim ab initio talia fecit, & seipsum abstraxit ab Ecclesie precibus & communionē, & insuper accusatores subornauit, clerum ad se traxit, Ecclesiam desolauit: quo modo idoneus censerī possit huiusmodi, ut in iudicijs thronū conscendat sibi minime congruētē? Neq; enim congruum est, ut hi qui in Aegypto sunt, iudicēt eos qui in Thracia, & præsertim ille qui ipse reus est, inimicus & hostis. At ille nihil horum reueritus, magno studio anhelabat, ut perliceret ea quæ mente conceperat. Cū autem contestaremur paratos nos ad diluēdum crimina, & ad innocentiam, sicut & innocentes sumus, declarādam coram ceterum vel mille episcopis, non assensit: sed licet absentes essemus, & ad synodum appellarem, & iudicium inquireremus: & non auditorium, sed manifestas inimicicias fugeremus: ipse tamē accusatores suscepit, meos excommunicauit, & de illis qui nondum se de suis purgauerant criminibus, libellos collegit: quæ omnia legibus & canonib⁹ prohibita sunt. Et quid op⁹ est multum dicere: non desinit omnia facere & tractare, donec nos vi & potentia è ciuitate & Ecclesia eiiceret, etiā iam prouecta vespera, & vniuerso populo nos attrahente. Tractus igitur vi & abductus à magistratu ciuitatis in media ciuitate, & in nauim cōiectus per noctem nauigauit, eo quod ad synodum & iustū iudicium prouocarem. Quis hæc sine lachrymis, etiam si cor lapideum habeat, audiret? Verū, sicut prius dixi, ea quæ perperam sunt, non solum deploranda, sed & corrigēda

Tomus quintus.

A sunt: & ideo charitatem vestram obsecro, ut prouocetur ad condolendū, faciendūq; omnia, quod mala hæc sistatur. Neq; enim hic facinorū illius finis, sed ad priora adiecit & alia. Nam postquam eos qui Ecclesiam inuaserant piensissimus rex eiecit, & multi episcopi qui aderant cognoscentes iniquitatem, & fugiētes insidias illorum, quasi incendium depascēs omnia, in suas regiones concesserunt, nosq; iterum in urbem & in Ecclesiam, à qua eiecti eramus, vocati sumus, inducētibus nos episcopis supra triginta, & notario à rege piensissimo in hoc misso: ille statim aufugit, eo qd ingressi mox obsecrabamus Christianissimum regem, ut cōcilium cogēret, quo facta hæc iustificarentur. Male conscius enim sibi erat, & reprehensionem pertimescēs, & idcirco cū regis literę in omnia loca mitterentur, & vnde quaq; omnes congregarent, occultē, mediāq; nocte & ipse & sui conscensa nauis elapsi sunt. Porro nos, utpote cōscientiæ nostræ fidentes, non propterea desistimus, sed eadē iterum à Christianissimo rege rogauimus. Qui & pro sua pietate, misiss ad illum nūcijs, eum & omnes qui cū eo erant, ex Aegypto vocauit, ut rationē factorum redderent: neq; sufficere putarent ad defensionem, quæ attemptant ex vna parte absentibus nobis, tã iniuste contra tot ac tãtos canones. Atqui regis literis ille nō obtemperauit, sed domi mansit, prætexens seditioem populi, & intempestiuam festinationem: tamen etiā illic erant qui ei reluctabatur: & populus quoq; ante literas conuicijs eum innumeris abluerat. Verū hæc vos exacte profequi nolumus, summatim nefarios illius conatus ostendentes. Itaq; nos non quieuiimus, sed in hoc incubuimus, orantes regem, ut haberetur iudicium, in quo agere & respondere liceret. Dicebamus enim nos paratos ad ostendendum nos non esse reos, sed illos legum extremos transgressores. Erant autē relicti hic Syri, qui cum eo affuerant, & communiter omnia fecerāt. Quos etiam accessimus, ad dandam rationem parati, atq; super ea re sæpe eos interpellauimus, obsecrantes ut dignentur nobis libellos & commētarios accusationum dare, vel genus crimitum, vel accusatores ipsos significare. Verum nihil horū obtinuimus, iterūq; ex Ecclesia eiecti sumus. Quod si quæ tunc contigerunt, & omnem excedūt tragœdiam, enarrare vellem: quis sermo explicaret: quæ auris sine horrore perciperet? Cum autē illa quæ dixi, prætenderemus, ipso magno sabbato collecta manus militū, ad vesperā diei in ecclesias ingressa, clerum omnem qui nobiscum erat, vbi eiecit, & armis gradum vndiq; muniuit. Mulieres quoq; quæ per illud tempus se exuerant, ut baptizarentur, metu grauiorum insidiarum nudæ aufugerunt. Neq; enim cōcedebatur, ut se velarent, sicut mulieres honestas decet. Multę etiā acceptis vulneribus eiiciebantur, & sanguine implebantur natatoria, & sancto cruore rubescebāt fluenta. Neq; hic rerum finis erat. Nā & sanctuaria ingressi sunt milites, quorum aliquos scimus, nullis initiatos mysterijs, & viderunt omnia quæ intus erāt. Quin & sanctissimus Christi sanguis, sicut in tali tumultu cōtingit, in prædictorum militum vestes effusus est, siebantq; quasi in barbara captiuitate omnia. Vulgus enim in solitudinem fugabatur, populus omnis extra ciuitatem versabatur, erantq; in tanto festo vacuæ Ecclesie, & plures quàm quadraginta episcopi qui nobis communicant cum populo & clero, sine causa fugabatur. Et ob prodigiola flagitia, vbique per fora, per domos, per solitudines, per omnes ciuitatis partes, omnia lamentis, eiulatus, fontibus lachrymarum, & id genus calamitatibus plena

erant:

erant: & in tanto tumultu, & trepidatione ac planctu erant omnia, vt nō modo qui affligebantur, sed & qui nihil tale patiebantur: & non solum qui nostrā fidei erant, sed & hæretici, & Iudæi, & gentiles, quasi ciuitate capta nobiscum dolerent. Talia ausi sunt præter sententiam pietissimi regis, nocte profunda, episcopis hæc instruentibus, & vbiq; militantibus, nec erubescens, quod essent duces militū, & pro diaconis satellites preeuntes haberent. Facto autē die, omnis ciuitas extra muros sub arbores, & in nemora emigravit, ibi festum diē celebrans, quasi oues dispersæ. Liceat vobis ex his & cætera omnia pensare: nā omnia quæ facta sunt, sermone complecti, vt dixi, impossibile est. Est autē & hoc per quod molestum, quod talia tātāq; mala nullum adhuc finem accipiunt: neq; spes est quod statim finiantur, sed augentur indies magis ac magis, nōsq; multis ridiculo facti sumus, imō ridet nullus, etiā valde peruersus: lugent autem omnes propter extremam & inauditam hanc maliciam, malorum facile colophonē. Quid si quis dicat de turbationib; etiam in aliis ecclesiis postea excitatis: Non enim hic cessauit hoc malum, sed vsq; ad Orientem peruenit. Nam sicut à capite quod malis humorib; plenum, & reliqua membra corrumpuntur: ita & nunc quoque tumultus qui in hac magna ciuitate cœperunt, quasi ex fonte in omnia loca effluūt, & clerici vbiq; in episcopos insurgunt, & episcopi ab episcopis, & populi à populis scissi sunt, & alij propediem scindentur, & expectatur vbiq; malorū partus, orbisq; totius subuersio. Igitur domini maxime venerandi, & pij, cum hæc ita se habere didiceritis, studium vestrum, & magnā diligentiam adhibete, quo retundatur hæc quæ in ecclesias irrupit iniquitas. Quippe si mos hic inualuerit, & fas erit cuius in alienam parociam irrumperet, idq; ex tātis interuallis, & eicere quos voluerit, & autoritate propria quæq; pro libidine sua facere, scitote quod breui transibunt omnia, & totus orbis premetur bello nō indicto, omnibus ab omnib; eiectis, & omnes eiciētibus. Quapropter ne confusio hæc omnē quæ sub cælo est nationem inuadat, obsecro vt scribas quod hæc tam iniquè facta, & absentibus nobis, & nō declinatibus iudicium, non habeant robur, sicut neque sua natura habent: illi autem qui iniquè egerūt, pœnæ ecclesiasticarum legum subiaceant: nobis vero, qui nec conuicti, nec redarguti, nec habiti vt rei, literis vestris & charitate vestra, aliorumq; omnium, quorum scilicet & antea societate fruebamur, frui cōcedite. Si autem aduersarij nostri, qui ita iniquè egerunt, adhuc fingunt crimina quædā, propter quæ nos iniuste eiecerunt, non datis nobis neq; cōmentariis, neque libellis, neque manifestatis accusatoribus, Dagemus & tuebimur etiam nos libenter causam, monstrabimusq; illos ipsos, non nos reos esse eorum quæ nobis impingunt, sicut & planè innoxij sumus: & contra, quæ ab ipsis facta, contra omnem sunt honestatem, cōtra omnes leges, contra omnes ecclesiasticos canones. Et quid dico canones ecclesiasticos: Neque in Gentiliū iudiciis, neque in Barbarorum tribunalibus talia attentata sunt vnquam. Neque Scythæ, neq; Sauromatæ vnquam iudicauerunt, iudicium dandum vni parti, absente ea quæ accusatur, & vitante non iudicium, sed inimicis, & inuocante multa milia iudicium, & protestante coram toto orbe declaraturam se non esse ream, depulsuramque crimina, & ostensuram suam innocentiam. Hæc igitur omnia cum ita se habere intellexeritis à dominis meis pietissimis fratribus nostris episcopis, obsecro, vt prestetis id quod petēt officij. Quo non solū no-

bis gratificabimini, sed & Ecclesiarum vniuersitati, mercedemq; accepturi estis à deo, qui nihil nō propter Ecclesiarum pacem facere dignatur. Semper vale, & ora pro me domine dignissime & sanctissime.

INNOCENTIO EPISCOPO ROMÆ,
Ioannes in domino Salutem.



ORPVS quidem nostrum, vno eodēq; loco tenetur, & stabilitum est: animus autē charitatis ala in vniuerso orbe circūuolat. Proinde licet tanta itineris intercapedine separati simus, à pietate tamen vestra non absumus, sed quotidie vobis præsentem sumus. Animi enim oculis videmus vestram illam fortitudinem & synceram affectionem, constantiamq; non mutabilem, & quod vos consolari nos plurimum & perpetuo cupiatis. Quāto enim fluctus extolluntur sublimius, & plures latent scopuli, vehementioresq; venti sunt & tempestates, tanto & vigilātia vestra augetur. Neque vos tanta viā prolixitas, neque tantum temporis interuallum, neque causarum difficultates seigniores reddidit: sed perseveratē imitami optimos gubernatores, qui tunc maxime vigilantes sunt, quando eleuari fluctus, & mare intumescere, & multas aquas in nauim inundare, grauissimamq; interdum noctem ingruere vident. Eapropter & gratias vobis habem; multas, & desideramus quidem ad vos dare crebras literas, id quod nobis maximo foret solatio. Verum quia solitudo huius loci intantum vos à nobis separat: neq; facile ad vos peruenire valent hi qui nobiscum agūt, vel etiam qui in vicino habitant, tum quod in extremis finibus locus ille situs est, tū quod latrones vias illas vndique obsident: precamur vt diuturnum silentium nostrum efficiat, quod magis nobis condoleatis, quā nos reos putetis negligentia. Neque enim contemptus in causa est, quod tacuimus. Nūc enim multo tempore venerabilem, & dilectum Ioannem presbyterum, Paulūq; diaconum in hoc tenuimus, vt scriberemus. Perpetuas enim vobis gratias agimus, quod paternam erga nos beneuolentiam declarastis. Nam quātum in vestra pietate situm fuit, iam res omnes sedate & emendate, & sublata omnia scandala fuisse, gauderentq; Ecclesia tranquilla & sincera pace: & essent planè secunda omnia, neq; contemptæ leges, neq; violatæ patrum constitutiones forent. At illi in suis impiis operibus pergūt, & quasi antea nihil attentarint, ita priora malefacta recētibus vincere certant. Nolo autem omnia, quæ interim gesta sunt singillatim recensere, quando quidem nō solum epistolæ, sed & historia modum trāscenderet narratio. Cæterum vestram oro vigilantiam, quod licet illi omnia tumultibus impleuerint, laborauerintq; morbis incurabilibus, & pœnitentiæ non capacibus: si tamē curari morbos voluerint, ne affligantur, neq; è cœtu abiciantur, considerata tanti operis magnitudine. Certamen enim illud ferme totius orbis est. Ecclesiæ vsque ad genua humiliatæ sunt, populi dispersi, clerus diuexatus, episcopi exules, constitutiones patrū violatæ. Et idcirco iterum atq; iterum, & sapius vestram oro diligentiam, vt quanto maior est tempestas, tanto maior abbeatur studiū. Expecto quidē futurum, vt aliquāto amplius corrigatur. Quod si minus fiet, vos vestram coronam paratā, apud misericordē deum habetis: & hi, qui iniuria afficiuntur, consolationē ex incremento charitatis vestræ nō minorem accipiet. Nam & nos tertium nunc annum in exilio versamur, expositi pesti, fami, bello, continuis obsidionibus, solitudini indicibili, quoti-

dianæ

dianæ morti, & Isauricis gladiis: & nō mediocriter nos consolatur solida vestra fides & charitas, quæ se in me tam tenui & simplice oblectant. Hic noster murus, hæc securitas: hic portus absque fluctibus, hic multorum bonorum thesaurus, hæc læticia mirificæq; voluptatis causa est. Et si in desolatorem, quā ille est, locum iterum abigemur, non paruam hinc habentes nostrarum afflictionum consolationem, abimus.

CYRILACO EPISCOPO EXVLI,
Ioannes exul.



GE mœsticiæ tuæ vlus denuo exhauriam, & cogitationes quæ tibi hæc tristitiæ nubem inuehūt, denuo discutiam. Quid enim est quod mœres & luges? An quod periculosa tempestas, & luctuosum naufragium Ecclesiam inuaserunt? Hoc & ego scio, nec est qui contradicat. Et si vis depingam formam rerum, quo modo sese habeant. Mare ab infima abyssu, a motis repagulis omnib; turbari cœpit, & nauæ relictis remis, & gubernaculis, manibus amplexati genua, & omni consilio propter tempestatē destituti, neque cœlum spectant, neque pelagus, neque aridam: sed in stratis iacent, plorantes & flentes. Et talia quidem in mari cōtingunt. Verum in mari nostro, grauiores tempestates, grauiorēsq; fluctus sunt: sed ora dominum nostrum Christum, qui non arte tempestatem sedat, sed nutu solo maris sæuiciam soluit. Ne sis autem pusillo animo, quod licet sæpe rogaueris, nō tamen sis exauditus. Habet enim hanc consuetudinem deus. An non potuit ipse tres pueros liberare, vt non iniiceretur in caminum ignis: sed cum in seruitutem redacti, cum in regionem Barbarorum abducti, cum paterna hereditate priuati essent, cum ab omnibus ignorarentur, & nihil eis penitus relictum esset, tunc deniq; Christus verax deus repente mirabili opere disperisit ignem. Ignis enim non ferens iustorum virtutē exiit foras, & Chaldaeos quos circa caminum inuenit, incendit, fuitq; illis postea caminus pro Ecclesia. Vnde & omnes creaturas aduocabāt, tam visibiles quā inuisibiles, angelosq; ac virtutes, & omnia complexi, dicebant, Benedicite omnia opera domini dominum. Vides quo modo patientia sanctorum, ignem in rorem cōmutauit, tyrānumq; ita placauit, vt in omnē orbem terrarum literas mitteret: Magnus deus, inquit, Sidrac, Misac, & Abdenago. Et ecce quanta seueritate præcipit, statuēs, quod si quis verbum aduersus illos dixerit, domus eius confisecetur, facultatesq; diripiātur. Ne igitur mœsto & pusillo animo sis. Etenim ego cum à ciuitate fugarer, nihil horū curabam, sed dicebam intra memetipsum: Si quidem D vult regina me exulem, agat in exilium. Domini est terra & plenitudo eius. Et si vult secare, secet. Idem passus est & Esaias, subscribat illi. Si vult in pelagus mittere, Ionæ recordabor: si vult in caminum iniicere, idē passus sunt tres illi pueri. Si me feris vult obicere, obiciat: Danielis in lacum leonibus obiecti recordabor. Si me lapidare vult, lapidet me: Stephanum habeo primum martyrem socium. Si & caput tollere vult, tollat: habeo socium Ioannem Baptistam. Si & substantiam auferre, auferat. Nudus exiui de vtero matris meæ, nudus etiam abibo. Me admonet Apostolus: Hominis personā deus non accipit. Et si adhuc hominibus placere, seruus Christi utiq; nō essem. Armat me & Dauid, dicēs: Loquebar corā regibus, & non confundabar. Multa quidē aduersus me confinxerunt, & dixerunt, quod ad communionem non ieiunius receperim. Et si quidē hoc feci, expun-

Tomus quintus.

gatur nomen meum ex albo episcoporum, & non scribatur in libro orthodoxæ fidei. Quoniam ecce si tale quid admisi, abiiciat me etiam Christus è regno suo. Si autem pergunt hoc mihi obicere & contēdere, deponant & Paulum, qui postquam cœnauit, totam domum baptizauit. Deponat & Christum ipsum, qui postquam cœnatum est, Apostolis communionem dedit. Dicunt, quod cū muliere dormiuerim: exuite me, & inuenietis membrorum meorum mortificationem. Sed hæc omnia per inuidiam excogitarunt. Iam multum contristaris frater Cyriace, quod illi nos in exilium abegerunt, ipsi autem in concione fidenter ambulant, & loquuntur, multitudinēq; satellitū stipantur. Verum hoc loco mēte versa Lazarum & diuitem, Vter illorū in hoc sæculo afflictus: vter fructum accepit? Quid nocuit illi inopia? Nōne quasi athleta & victor in sinus Abraham abductus? Quid profuit huic opulētia, & quod in purpura & bysso vitam egit? Vbinam qui fasces gestabat: vbi satellites? vbi equi aureis frænis? vbi parasiti, & regia mensa? Nōne vt latro vincus in sepulchrum abductus est, nudam animam exportans, & clamans vana voce: Pater ^{Luce 16.} Abraham mitte Lazarū, vt riget, & refrigeret fummitate digiti linguam meā, quia grauius torqueor? Cur patrē vocas Abraham, cuius vitam non es imitatus? Ille omnem hominem in domo sua hospitabatur, tu autē neque inopis curam habebas. Non est deplorandum & flendum, quod diues ille aquæ gutta dignus non habetur. Micas cadentes de mensa, pauperi non dedit: quid mirum, si nunc guttam aquæ non accipit? Hyeme non seminavit misericordiam, venit æstas, & nihil messuit. Est & hæc dispensatio domini, vt quando impios punit, & iustos remunerat, mutuum se videant & cognoscant. Etenim tunc martyres, suos quique tyrannos agnoscent, & tyranni suos quos afflixerunt martyres. Neque mea verba sunt hæc, sed Sapientis, qui dicit: Tunc ^{Sap. 8.} in magna fiducia stabit iustus aduersum eos, qui se afflixerunt. Nam sicut si viator, qui in aestu & calore ambulat, inuenitq; fontem limpidum siti flagrans: & magna fame laborans, exhibita mensa omnigenis dapibus instructa, prohibeatur à potentiore aliquo, ne mesam vel fontem cōtingat, neve cibus & aqua fruatur, valde graui dolore afficitur: Ita & in die iudicij videbunt impij sanctos latari, & ipsi mensa regia frui non poterunt. Ita & deus Adamum punire volens, fecit eum è regione paradisi terram operari, vt locum illum desiderabilem quotidie videns, maiorem in anima dolorem haberet. Cæterum nos, quanuis hic non conuenimus mutuum: attamen alibi nullus est qui prohibeat, ne simul versemur. Videbimus sanè eos, qui in exilium nos miserunt, sicut Lazarus diuitem, & martyres tyrannos. Ne igitur animo conficiaris, sed esto memor Prophetæ dicentis: Subannationem hominum ne timueritis, & ab ^{Esa. 51.} improbitate eorum ne vincamini. Nam sicut lana à tineâ deuorabuntur, & sicut vestes veterascent. Cogita autem & dominum, quo modo statim à cunabulis persecutionem tulerit, & in terram barbaram fuerit missus. Qui terram continet, factus est nobis figura, ne deficeremus in tentationibus. Recordare passionum saluatoris, & iniuriarum quas tulit pro nobis. Alij eum Samaritanum vocabant, alij dæmoniacum, & voracem, & pseudopphetam: dicebant enim: Ecce homo vorax, & vini potor: & in principe dæmoniorum dæmonia eiicit. Quid autem quod duxerunt eum, vt præcipitarent? Quid, quod in faciem eius conspuerūt, & alapas ei dederunt? Quid, quod aceto & felle potarunt, & arū-

D ij dine

dine caput eius percusserunt? Quid: quod eum circumdederunt chlamyde, & spinis coronauerunt, & supplicando, omniq; alio irridendi genere deriserunt, circumdederuntq; eum sanguinarij illi canes? Quid, quod ad passionem ductus, & nudatus, dereliqueruntq; eum omnes discipuli? Et vnus quidem negauit, alius etiam prodidit, alij autem omnes fugam inierunt, & solus ipse stetit nudus in medio illarum turbarum, quas festus dies coegerat: & quod vt malefactorem in medio malefactorum eum crucifixerunt: & quod sepultura carens pe debat, neque deponebant ipsum a cruce donec precibus a quodam inpertratus, qui eum sepeliret: & quod sepulturam non habuit, conuiciaque mala aduersus eum pronuntiabant, & inter cetera, quod discipuli ipsum furati essent, & quod non resurrexisset. Cogita item Apostolos, quod vbiq; persecutionem ferebant, & occultabantur in ciuitatibus, non valentes in aperto ambulare: & quo modo Petrus apud Simonem coriariu, & Paulus apud mulierem purpurariam latuerint: neq; enim diuitibus fidere audebat, sed post hac facta sunt omnia prospera: ita & nunc. Igitur ne sis tristi animo. Audiui enim & ego de deliro illo Nestario, quem regina in throno collocauit, quod afflixerit fratres & virgines non volentes sibi communicare, & quod multi illorum propter me in carcere mortui sunt. Na lupus ille est in agnino habitu, & personam gerit episcopi, cum sit adulter. Nam sicut adultera est mulier, qua viuent viro alteri, se coniunxerit: ita & ille non carnalis, sed spiritualis est adulter qui me viuo sedem mea Ecclesie inuasit. Hac tibi per epistolam significata sint a Cucufis Ciliciae, quo loco regina me exulem manere iussit. Porro in itinere multa aduersa acciderunt, qua non curauimus. Vbi autem in Cappadociae prouinciam Tauroniciam venimus, multi sanctorum patrum chori nobis occurrerunt, in primis examina monachorum & virginum, iuges lachrymarum fontes effundentium & fletium, eo quod in exilium nos proficisci videbant, dicebantq;: Tolerabilius fuisse, si sol radios suos retraxisset obscuratus, quam quod os Ioannis tacuit. Turbauerunt & afflixerunt hac me non parum, eo quod omnes propter me fletentes videbam: alia enim omnia non admodum curabam. Episcopus autem huius ciuitatis me perquam humaniter excepit, multamq; in nos declarauit charitatem: atque adeo si licuisset, sede sua nobis celsisset, ni nos a patribus praescriptam legem obseruassemus. Oro, & supplico, genuaque tua contingo frater, abiice luctum mœroris tui, & nostri apud deum memor esto, nobisq; rescribere precor.

*DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI
ad Episcopos & presbyteros ob pietatem in
carcere inclusos, epistola.*

BEATI vos ob carcerem, ob catenas, ob iniecta vincula: beati, inquam, & ter beati, imò sapius. Totum orbem vobis conciliauit. Etiam longe abientes, amicos vobis fecit. Vbiq; terrarum & marium canuntur vestra praecelara facinora: fortitudo, constans sententia, animusque minime seruilis. Nihil quod aliis videtur graue, vos deterruit: non tribunal, non carnifex, non tormentorum coaceruationes, non minae, qua innumeras mortes nunciabant: non iudex qui ignem ab ore flabat, non aduersarij, qui frangebant dentibus, & innumeris aliis insultandi modis gestiebant, non tantae calumniae, non impudētissimae aculationes, non mors ante oculos quotidie propolita,

sed haec omnia vobis vberem potius ac sufficientem consolationem materiam praestiterunt. Et idcirco clari quidem vos & celebrant ac praedicant vos omnes, non amici solum, sed & inimici ipsi, qui haec effecerunt. Eorum si quis introspectat conscientiam, licet non manifeste fateatur, inueniet etiam apud ipsos vestrum miraculum magnificari. Tanta res est virtus, vt illam etiam impugnantem admirentur. Tanta res est malicia, vt etiam ij qui eam operantur, condemnent. Et ita in hac vita res vestrae se habent. Quae autem in caelis fiunt, quis sermo digne explicabit? Inscripta sunt nomina vestra in libro vitae: cum sanctis martyribus connumerati estis. Scio haec ego certo, non quod in caelum transcederem, sed e diuinis oraculis didici. Nam si Ioannes ille infœcundae fructus, & eremi ciuis, nuptiis in quas peccabatur, patrocinaus est: & cum prauaricationem corrigere non posset, arguit tamen, & propterea in carcerem coiectus, & decollatus, martyr, & martyrum primus est: vos qui legibus & constitutionibus patrum, quas transgrediuntur aliqui, & sacerdotio, quod inuadunt & contaminant, patrociniati, & propter veritatem haec patimini, vt cessent impudentes calumniae: cogitate qualem accepturi sitis mercedem. Non licet tibi habere vxorē Philippi fratris tui: dixit fortis & sublimis ille, fatiq; ei fuit ad recentem arguendi libertatem. Locuti estis & vos. Et exposita sunt etiam vestra corpora pœnis, suppliciis, tormentis. Nō dum decapitati estis, sed longe acerbiora tulistis. Non enim idem est breui temporis momento caput amittere, & tanto tempore cum talibus luctari doloribus, terroribus, minis, vinculis, abductionibus ad tribunal, carnicum manibus, sycophantarum impudentissimis linguis, conuiciis, salibus & dicacitatibus. Nam & hoc maximum certaminis genus, poniturque a beato Paulo in magnorum certaminum ordine, cum sic ait: Recordamini dies pristinos, in quibus illuminati, ingens certamen afflictionum sustinulistis. Deinde certamen narrans, ipsum ponit sic dicēdo: Partim opprobriis & afflictionibus spectaculo estis: partim communicantes his, qui sic affliguntur. Si ergo qui communicant, certant: multo magis qui sustinent. Nō enim vnam, aut duas, aut tres, sed longe plures sustinulistis mortes: etsi non experientia, certum tamen quod animo. Gaudete igitur & plaudite. Dominus caelorum iussit non solum non dolere, vel frangi animo, vel decidere, sed gaudere & exultare, quando nomen vestrum tanquam malum eiicit. Quod si in sycophantiis gaudendum, quando his accedunt calumniae, verbera, tormēta, gladij acuti, vincula, catenae, abductiones, traductiones, inimicorum atroces cateruae, cogitate qualis merces, quam coaceruata erunt retributiones. Gaudete igitur, & exultate, viriles estote, corroboramini, cogitate quot vestro exemplo ad certamina armatis, quantos fluctuabundos confirmatis, quantos spiritus resuscitatis. Nam afflictionibus vestris multum profuturi estis, non solum praesentibus, sed & absentibus: nec his solum qui vident, sed & his qui audiunt. Continuo versetur in ore vestro illud Apostolicum dictum: Non sunt aequales afflictiones, quae nunc tolerantur, ad futuram gloriam in nobis reueladam. Expectate: breui tentationum finis erit, liberatioq; perfecta. Orate etiam iugiter pro nobis. Nam etsi viarum prolixitate longe diuersis locis habitamus, multoq; tempore a vobis segregati sumus: attamen vos vt praesentes & coniuuentis nobis deamamus, vestrum amicum caput exosculamur, coronatos vos expansis manibus excipimus. Expectate etiam vos ex mutua erga nos charitate luctum vestrum maximum.

maximum. Nam si magnam mercedem expectare licet his, qui vos amant: cogitate quales vos, qui tantis claris virtutibus, maneant retributiones.

*DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI AD
Theodorum lapsum pavenensis prior, vel de reparatione lapsi, liber vnus, viro quodam docto interprete.*

VIS dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum? Quod in tempore quidem nunc dixerim, longeq; tepestiuus, quam tu Propheta ille: tamen si multas ciuitates desere, aut vniuersas gentes, consilium non est. Animam tuam deploro, numerosissimis adeoq; amplissimis populis adaequatam dignitate, imò multis nominibus digniorem. Quandoquidem vnus iste melior est, qui dei voluntatem amplectitur, quam sunt decem milia transgressorum. Melior nimirum, & tu pridē fuisti infinitis Iudaeorum milibus. Qua de causa nemo mihi vicio verterit, si ex Propheta luctum acerbiorē assumā, altiorēq; dolorem ostendam. Equidem nec ciuitatem aliquam euersam lugeo, neque viros iniustos in ius victoris coactos. Quinimo sacram animam lugeo destitutā esse deploratamq; ac templum demolitum atque extinctum, cui Christus nuper praesuit, hoc est, ornatum cogitationis istius, quem modo exulsit diabolus. Quis honestus & clarus non ingemuit, qui incidit in ploratum Prophetae, qui animaduertit barbarem manum sanctorum profanasse, & subiectis ignib; perdidisse omnia, Cherubim, arcam, tabulas lapideas, vniā auream. Atqui damnum istud illo est tanto perniciosius, quod illorum significatio preciosior, quae ad tuam ipsius animam pertinet. Tu es illo sanctius templum, quod neq; auro, neque argento, sed ex gratia spiritus resplendit: & in vicem Cherubim atq; arca, Christum & huius patrem, simul atque consolatorem habuit conuersantem intra ipsum, at non amplius habet. Vastum nūc est desertum ac deformis nuditas a pulchritudine ac decore pristino, quando diuinum & incredibile ornamentum detractum est. Desertum plēnū periculis ac sine custode. Ibi nec ianua, nec pessulum, omnia omnibus patent corruptoribus animae, turpibus animi diiudicationibus. Si superbia, si scortatio, si habendi libido aditum captat, nemo prohibebit. Principio quae admodum caelum est inaccessum omnib; ita fuit duritas cogitationis tuae. Et forte videor incredibilia dixisse iis, qui vident destitutionem tuam & subuersionem: propterea doleo & lugeo, nec in hac aduersitate cesso, quousque te in pristina alacritate videro. Hominibus hoc esse supra vires apparet, deo tamen omnia in manu sunt. Is est enim qui erigit e terra mendicum, & e stercore exaltat pauperem, vt sedeat cum principibus, cum principibus populi sui. Is est qui facit incolere sterilem in domo, matrem propter liberos latantem. Itaque ne desperes ad optima commutari. Quod si cacodemon tantum potuit, vt te a vertice illo & fastigio virtutis in extremum malicie detruderet: multo magis deus in pristina te poterit vindicare libertatem, neque in eam solum, sed tibi multo foeliciorem, quam fuit prior persicere. Tantum ne relabaris, ne excindas spes amplas, ne in te admittas, quae impiis accidunt. Nunquam enim peccatorum quamlibet exuberans copia in desperationem conuicere solita fuit, sed cum illis impiam habere animam. Propterea Salomon non dixit simpliciter, Quisquis venit in profundum malorum, contemnit: sed no-

Tomus quintus.

minatim inquit, impius: quia illorum tantum est ille morbus, postquam in profundum malorum descenderunt. Et hoc est quod non permittit eos respicere, neq; eò reuerti vnde exciderant. Nam flagitiosa disceptatio perinde atq; collarium incumbit in animae ceruicem, & collum in terram demittere, prohibet ne ad dominum suum suspiciat. Atqui viri est perquam generosi, planeq; admirabilis conterere huiusmodi lignum, & impositum sibi licetorem deturbare, adeoq; dicere Prophetae verba: Quemadmodum oculi ancillae in manus dominae suae, sic oculi nostri ad dominum deum nostrum, donec miserebitur nostri. Misere nostri domine, misere nostri: quoniam multifariam repleti sumus despectione. Haec sunt diuinæ disciplinae, & supremæ philosophiae verè dogmata. Repleti sumus, inquit, despectione, & infinitis rerum tristiū procellis quatimur, neq; tamen prohibemur a suspiciendo ad deum. Et priusquam nacti fuerimus postulata, non intermittimus eum orare. Hoc est nimirum animi generosi, non conternari, nec a spe discedere propter vim incidentium malorum: neque referre pedem, propterea quod subinde precando nihil emolumenti persensit, sed perdurare quoad misereatur nostri, iuxta beati Dauid sententiam. Quare diabolus in varias desperationis cogitationes nos immittit, quod excludat in deum expectationē, hoc est, ancoram tutam, substantiam vitae nostrae, manuductionem in ea via, qua in deum ferimur, salutem perdituram animarum. Ipsa enim spe, inquit, seruabimur. Si quidem ea ipsa est catena aurea & firma, qua de caelo propēsa subducimus animas nostras: quae breui sursum in illud summum fastigium retracta, eos qui ipsam fortiter manibus seruant, euellit & rapit supra fluctus praesentis vitae, omnium longe periculosissimos. Quamobrem qui mollis per indulgentiam hanc sacrā ancoram amittit, continuo decidit & suffocatur, submersus in profundum maliciae. Quae cum agnouit versipellis, posteaquam ipsi nos conscientia malorum operum onerauimus, tu ille reuersus, ingerit cogitationem omni plūbo grauiorem, qua vergimus ad extremam salutis desperationem: qua semel suscepta, continuo deprimumur pondere, & omnia catena illa, delabimur in vltima malorum. Quo in rerum statu dudum es, qui reiecto mandato domini tam mansueti, tam humilis, istius tyranni & sine fœdere nostram salutem impugnantis atrox imperium sustines. Benigno iugo dissipato, abiectioq; leui onere, in vicem illorum ferreis vinculis collum insertasti. Et quod amplius est, lapidem molarem, quem asinarium nominant, de tua ipsius ceruice dependisti. Vbi igitur subsistes in posterum, qui demersisti in tam vastum mare animam miserrimam, cum ipse tantam tibi necessitatem, quae continuo deorsum cogit, vltro induxisti? Mulier itaq; illa quando inuenit vnā drachmam, vicinas conuocauit participes laticij: Gratulamini mihi, ait. Equidem amicos omnes & meos, & tuos in rem planè diuersam conuocabo, non dicam gratulamini mihi, sed lugeate mecum, ploratus illos assumite, ac triste & flebile quiddam nobiscum exclamate. Maximam nimirum iacturam fecimus, non quia tot aut tot auri lenta e manibus exciderunt, neque quod magna vis lapidum preciosorum, sed quod is qui omnium illorum est preciosior, nauigans nobiscum hoc mare magnum & vastissimum, nescio quo pacto excussus, ad profundum perditionis proruit. Si qui me tentarint a luctu seducere, iis haec verba Prophetae respondebo, dicens: Omittite me, amare flebo, consolari me non potestis.

D iij Equidem

Equidem huiusmodi luctum lugeo, qui nobis immensa vim lachrymarum adducit, de quo haud dubium neque Paulum, neque Petrum puduisset lugere ac plorare omni consolatione reiecta. Quandoquidem hanc communem mortem deplorantibus, quispiam facile paucis multum animi reddit. Ceterum quando vice corporis anima morti succumbit, infinitis confecta vulneribus, ubi cum morte bona forma quae prius apparuit, & habitus & pulchritudo omnis extincta est: quis tam durus, tam alienus a condolendi affectu, qui in locum fletus & lachrymarum sermonem se solantem queat adducere? Quemadmodum illic non lugere, ita est diuerso hic lugere philosophiae est. Qui ad caelum peruenit, qui seculi huius vanitatem irrisit, qui formam corporum non aliter atque lapideum simulachrum inspicit: qui aurum vel lutum, delicias omnes vel coenum contempnit, ille nobis ex insperato, febre correptus absurda concupiscentiae, sanitate, virile robur, speciem omnem perdidit, seruusque factus est voluptatum. Hinc itaque num iure obsecro deplorabimus? num plangemus, donec eum nobis iterum afferamus? Alioqui quis esset in nobis sensus humani animi? nam corporae mortis destructionem nemo hic inueniet, id tamen lugentes a lametis nihil cohibet. Ceterum vnius animae mors hic aboleri contingit. In inferno enim quis, inquit, confitebitur tibi? Quo igitur pacto non maxime est flagitij, tam incuriose ferre animae interitum? Qui corporis mortem lugent, tanta id solent vehementia, quamquam vident quod defunctum lachrymis in vitam reuocare nequeant: & nos nihil tale exhibemus, qui scimus spem esse de anima in pristina vitam reducenda. Siquidem complures & hac tempestate, & progenitorum nostrorum seculis, qui ordinis sui desertores, & est frequentata via praecipites euntes, tanta alacritate resurrexerunt: ut priora sequentibus facile cecidissent, palmamque corripierent, ac redimere corona cum victoribus praedicarentur, ac in caelum beatorum allegerentur. Quandiu tamen quis in fornace voluptatum consistit, etiam si exemplis abundat infinitis, ipsi res esse supra vires apparet: ceterum si vel leuiter coepit illinc egredi, identidem procedens, vim ignis a tergo relinquit, videturque ante se & ad pedes propemodum viam roscidam, atque eximia facilitatis, tantum ne desperemus, ne dubitemus de reditu ad superos. Etenim cui deest fiducia, is frustra possidet vel infinitam ac fortissimam animi promptitudinem. Ianuam enim sibi resipiscendi semel obfirmavit, & ad curriculum aditum interclusit. Quis potest autem foris manens praeciarum facinus designare? Quapropter malignus nihil non tentat, quod nobis hanc diffidentem cogitationem inserat. Etenim non est sudandum ei, neque amodo opus habet industria, ut nos oppugnet, nimirum lapsos & iacentes, quibus nec reluctandi consilium superest. Qui vero vinculis magna vi ruptis receperit pristinum robur, & in rebus istis perditissimis non est acturus quietem, sedulo diabolo reluctans, sit vel millies lapsus, surget iterum, & hostem conficiet. Ceterum qui cogitatu desperationis impeditus, animoque fractus est, quo modo abibit victor? quo modo reluctabitur? quin abiecto, quod aiunt, clypeo, mox fugam capessit. Caue dicas, iis tantum veniam locum concedi, qui modice deliquerunt: Nam si finge, si lubet, aliquem vniuersa malicia redundantem, & patrarit omnia, quae a regno excludunt, is ut demum non sit extra fidem, sed fidelis aliquando fuerit, acceptusque deo, postea vero factus scortator, adulter, mollis, pedico, fur, ebrius, calumniator, aliaque id genus flagi-

tia sedulo committat, equidem illi non ero desperandi auctor, neque si perseuerauerit ad extremam usque senectam, cum infandis illis maximisque viciis. Quod si morbus esset ira dei, non iniuria quis a spe decideret, perinde atque concitata tantis facinoribus flamma deinceps restingui nequeat. Ceterum diuinum numen quia liberum est a perturbationibus, & punit, & in promeritos animaduertit, neque tamen vlla vltionis cupiditate vniquam tangitur, sed amore potius ad nos id faciens praefert, magnamque curam, bono esse animo addeceat, & confidere de virtute resipiscentiae. Siquidem illis qui in ipsum deliquerunt, non solet propter suam contumeliam immittere, aut quicquam incommodi in hanc naturam inducere: sed omnino ad nostram spectans utilitatem, videlicet ne peruersitas nostra aut in peius abeat aut contineat, despiciatque; illius benignitatem. Quae admodum is qui est conspectu lucis vltro secedit, ea datum non dedit, sua potissimum ipsius culpa coniectus est in tenebras: sic qui solitus fastidire virtutem dei, omnia potentem, ex ea quidem nihil mali habet, summum autem exitum ipse sibi aduexit. Haec de causa deus flagella nobis minatur, & interim adducit, non ut se vlciscatur, sed ut nos ad se trahat. Medicus enim propter contumeliam mente captorum non dolet, neque mordetur: sed omnia facit, omnia molitur, quae ad sedandos illorum absurdos mores attinent, non suam spectans, sed illorum utilitatem. Quod si tenuem aegrotus coniecturam temperantiae & frugalitatis ostendit, continuo gaudet & letatur, multoque accuratius medicinam apponit: non propterea quod sit vindex, aut quod exspectat poenas prioris contumeliae, sed quia tam pulchrum initium prouehere vult, ac absoluere in sinceram sanitatem. Non aliter deus postquam nos in extremam cecidimus insaniam, non est vltor veteris flagitij, sed ut morbum arceat, omnia dicit ac facit: quod satis a rectis cogitationibus videre est, id ipsum contestantibus, ceterum incredulis vobis de his rebus facile fide faciemus ex diuinis scripturis. Nam quis est rege Babylioniorum scelerator? Profer aliquem, si potes, qui tantam vim diuinam potentiam prius acceperat, ut & Prophetam adoraret, & ei sacrum, ceu deo, fieri iuberet: rursum in veterem superbiam proiectus, eos qui ipsum noluerunt praefere deo, victos in fornacem accensam dedit, nihil tamen secius hunc tam atrocem ac impium, qui fera potius quam homo censendus erat, ad resipiscentiam cohortatur: variisque offert occasiones mutandi animi in melius, primo miraculum quod in ardente fornace contigit: deinde faciem quam rex vidit, & Daniel interpretatus est, quae idonea erat vel saxum, nedum animam inflectere. Tandem post illam rerum admonitionem, etiam Prophetam in medium fideliter consuluit, quando dixit: Propterea rex consilium meum tibi gratum esto, peccata tua per eleemosynas redimito, ac iniquitates per commiserationem super pauperes: forsitan erit longanimitas delictis tuis. Quid dicis tu sapiens ac beate? Estne post tantum sum reditus? post morbum tam desperatum iterum sanitas, iterum prudentia speranda, post mentem scilicet a deo motam? Omni se responsione nudauit rex, qua prius esse potuit utique purgatus. Nam antea nesciebat eum, qui ipsum creauit, & qui ipsum in eximiam illam euexit gloriam: quamquam iure debuit tam potentiae eius, quam prouidentiae argumenta recensere, quae plurima sunt facta, tum erga se, tum erga progenitores. Quandoquidem ubi sapientiae eius & praescientiae euidentia signa suscepisset, atque magicam astronomiam, omnemque dia-

bolicam

bolicam insaniam umbram vidisset subuersam, grauiora prioribus exhibuit. Nam quae sapientes magi Gazareni exponere nequibant, candidemque profitebantur esse maiora, quam quod iuxta humanam industriam paterent, ea puellus illi reddidit absoluta: quo miraculo eum sic reduxit, ut non solum crederet, sed & ut orbi terrarum toti fieret eius dogmatis praeco, & magister manifestus. Quare si erat ante suscepta signa venia indignus, quod deum ignoraret: multo magis indignus erit post illa portenta, post confessionem eius, post doctrinam erga alios ostensam. Neque enim parum probe credidit, quod solus esset deus verus, qui tantam in seruum suum gloriam posuisset, quamuis id aliis praecipisset, nihilo tamen secius ab huiusmodi confessione recidit in idololatriam. Qui quidem prostratus in faciem, dei seruum adorauit, tanto deinde furore correptus est, ut & seruos dei, qui ipsum adorare recusarunt, in fornacem immitteret. Quid igitur? Num deus, sicut erat puniendus, desertorem puniuit? Quinimo maiora ei argumenta potentiae tribuit, sedulo reducens a locordi arrogantia in veterem modestiam: & quod est sane magis admirandum (neque enim est cur ob excessum miraculorum minus credas quae facta sunt) in nullo alio signum fecit, quemadmodum in camino, quem ille ipse accendit contra pueros, quos ligatos in eum coniecit. Fuit itaque flamma supra opinionem ad miraculum usque exardens. At clementissimus, quo maiore metu illum expauesceret, quove terrore ampliore exanimaret, omnemque excluderet ab eo pertinaciam, id quod est magis obstupescendum inexpectatumque; effecit. Siquidem permisit eam conflagrare, quantum ille volebat, suamque ostendit potentiam moderatam ea prudentia, quae non dissolueret opus inimicorum, permanens tamen inane reddidit ac sine viribus: ne aliquis cum eos intra flammam obambulantem vidisset, arbitraretur flammam esse quiddam fictitium, permisit ut combureret illos, qui eos iniicerant, etiam corrigiam calceorum & stupam, totumque aboleuit corpora. Quandoquidem imperio dei nihil est potentius, quae sequitur omniumque sunt natura, ut qui eam ex eo quod non est in esse produxit, quemadmodum tum demonstrauit: nam flamma quae corripuit mortalia, corpora non aliter atque ab immortalibus abstulit, integrumque reddidit apud se depositum, idque multo cum splendore. Nam quemadmodum ex regibus reges, ita de camino egressi sunt illi pueri. Nemo ad regem dignatus est vel respicere, quin ab illo omnes vitium in hoc incomparabile spectaculo obuerterunt: nec diadema, nec purpura, nec aliud quiddam regiae phantasiae popululum a deo permouit, atque species illorum fidelium, ut qui talia, ceu per somnium, perferre videbantur. Quod enim est in nobis maxime infirmum, & abolitum facillimum, nempe capillorum natura: id velut omni robustius adamante superauit flammam, alioqui omnia deuorantes. Ceterum ne id quidem solum erat suspiciendum, quod in medium ignis accepti nihil incommodi senserunt, sed quod semper locuti sunt. Omnes sciunt qui ardentibus adfuerunt, quandiu habuerunt labia in sermonem soluta, paulisper quidem ad incendium substiterunt, visuri quo modo futura esset ex ore dissoluto discessio animae. Verum tot miraculis animaduertis, omnibusque obstupescitibus tam praesentibus & spectatoribus, quam absentibus, & illis quicunque per literas didicerunt, rex ille qui alios edocuit, perdurauit in emendabilis, iterum in veterem reuersus est maliciam. At ne tum quidem a deo desperatum afflixit, quin adhuc animum continuit, & per som-

Tomus quintus.

num, & per Prophetam ei consulens. Ceterum sane ubi nihilo melior est factus, tum inducit in posterum flagellum, nec id velut vltor praeteriti delicti, sed ut futura incommoda praescindat, ut reliquam maliciam arceat: nec dum tamen omnino extinxit, sed paucis annis erudito pristinum reddidit honorem. Poena quam deus irrogat, nihil damni dat, sed lucrificat quod est inter bona omnia maximum. Solidam enim dat in Christum tenere fiduciam, & resipiscere a peccatis aduersus illum commissis. Siquidem tanta est dei humanitas, & erga nos amor, nunquam auersatur poenitentiam sincere factam, si quis ad maliciae fines olim penetrarit, illinc eum ad virtutis viam reducere conatur, & suscipit redeuntem, & suauiter amplectitur, nihilque non facit, quo in pristinam dignitatem reformet. Quodque est maioris facilitatis argumentum, etiam si non omnem praefert poenitentiam, breuem illam, & exiguo tempore factam non abnuit, sed magna pensat mercede: id quod manifestum est ex iis quae de populo Iudaeorum alicubi dicit Esaias: Propter peccata paulisper contristauit eum, & percussit eum, & auerti faciem meam ab eo, & ipse contristatus sum, & ambulavi moerens, & sanauit eum, solatus sum eum. Testor vos quod rex ille impietissimus, qui propter mulierem factus est maxime deditus peccatis, ubi semel duxerat luxuriam, & sacco indutus agnouit scelera sua, usque adeo dei misericordiam arripuit, ut euitaret omnia mala quae tum ei imminabant. Nam deus Heliae dixit: Vidi quo modo compunctus est Achab a facie mea, non inducam malum in diebus eius. Post hunc Manasse cunctos insaniam anteuit ac tyrannide, legalem euerit cultum, templum clausit, idolorum errorem deo aduersum inuexit, vniuersis qui ante se vixerunt, impietate praestans. Is posteaquam aliquando resipuit, relatus est in numerum amicorum: si conspecta imagine suarum iniquitatum de reditu desperasset, ac de immutatione, decidisset profecto ab his bonis quae postea obuenerunt: nunc vero quia perpendit, quam exiguum sit, vel excessus tantus suorum peccatorum respectu infinitae commiserationis dei, diaboli vincula dissipauit, euasit victor, bonum cursum consummauit. Ceterum deus non solum per ea quae in hunc facta sunt, sed per verba Prophetarum eliminavit cogitationem desperationis. Hodie enim, inquit, si vocem eius audieritis, ne obfirmetis corda vestra sicut in exacerbatione. In hunc modum hodie nobis per omnem vitam dicendum est, & si libet, ad sententiam usque. Non enim ad temporis rationem, sed iuxta affectum animae solet diiudicari poenitentia. Niniuita non multis diebus peccati, ut peccatum eorum deleteret deus, tempus exiguum potuit vniuersam eorum abolere iniquitatem. Et latro haud longo tempore ingressum paradiis impetrauit. Quaecumque quis hora se deiciens, vel vnum dixerit verbum, in eo momento totius vitae peccata simul absterfit, atque ante Apostolos officij grati premium suscepit. Videmus etiam martyres non ita multis annis, imò paucis diebus, adeoque non raro inter diuiculam splendidam cosecutos coronas. Quapropter ubique nobis opus est alacritate, seduloque affectu: itaque paremus conscientiam, ut tanta vehementia cum veterem odiisse maliciam, tum diuersam elegisse viam videamur, quantam deus nobis imperat ac requirit, nihil ob temporis breuitatem habeamus minus, quando multi ex postremis ardenti studio se priores praueuerunt. Neque enim graue est hominem cecidisse, sed lapsum iacere, nec resurgere conari: vltro perferre malum, torperetque ob desperationis sermonem, & morbum corrupti iudicij

D iij praedicare

Hier. 8.

prædicare graue est. Contra quos exardēs Propheta dixit: Num qui cadit, non resurgit: nec qui auertitur, nunquam reuertitur? Si quem à nobis requiris, qui post susceptam fidem sit prolapsus, animaduertas quòd de hoc etiam illa dicta sunt: nam qui cecidit, ex eorum est numero qui prius steterunt, non qui iacuerunt: nam qui iacet, quo modo is potest cadere? Verum alia quoque dicuntur per parabolas, per manifesta facta, nedum verba. Ouis illa quæ separata fuit à nonagintanouem, moxque inuenta & reducta, quid aliud nobis demonstrat, quam casum & reditum? Quoniam ovis erat non alieni pastoris, de reliquarum erat grege, priusque sub eodem pastore pascabatur: & errauit neuitquam casu, sed per montes & saltus, hoc est, per viam longam, defectetemque à recto. Quid: num neglexit errantem? Nequaquam, reportauit eam impositam humeris suis, non egit ante se, nec verberauit. Quemadmodum optimi medici difficili diurnoque morbo decumbentes, variis medicinis ad sanitatem restitunt, non semper veteres arte: interim enim non nihil cupientibus diuersa obsecunt: sic deus vehementer corruptos non impellit magna vi ad virtutem, sed mansuete & sensim promouet: imò plerumque portat, ne immanior scissura fiat, aut error productior. Non est vnum hoc simile, quod huiusmodi doctrinam confirmat, parabola etiam de intemperante puero stat ab eadem: qui non erat patri alienus, vixit filius, & frater pueri acceptissimus, nec in maliciam casu incurrit: quinimo sciens prudensque, vt sic dicam, in alterum litus malorum prorupit diues, liber, bene natus, omnibus seruis, omnibus mercenariis, nedum hospitibus factus est calamitosior: atqui redditus est pristinae dignitati, amissamque gloriam recuperauit. Si de vita desperasset, ac de his rebus quæ ei contigerunt, ambiguus in aliena reledisset regione, orbatus fuisset nimirum bonis illis quæ mox obuenerunt: periisset fame, mortemque obiisset omnium maxime miserabilem. Verum quia poenituit, nec diffusus est super reditu, è tanta corruptione in priorem claritatem commutatus, amicitur stola pulcherrima, fruuntur prioribus quam frater à lapsu immansis. Tot annos, inquit, seruo tibi, & nunquam preceptum tuum sum pretergressus, nec mihi vnquam hædum dedisti, vt cum amicis meis lætaret: at postquam filius ille tuus, qui deo rauit substantiam suam, venit, occidisti ei vitulum illum saginatum. Tanta est virtus poenitentiae. Tam preclaris itaque exemplis excitati, ne permaneamus in malis factis, nec incerti fluctuemus de mutandis nobis in melius, quin magna fiducia dicamus: Pergamus ad patrem, appropinquemus deo, is nequaquam nos auerfabitur. At qui nos consulto, deditaque opera procul ipsos sciungimus. Deus autem, inquit, appropinquans ego sum, & non deus procul. Quemadmodum per Prophetam iterum exprobrat: Non, inquit, peccata vestra diuidant inter me & vos. Quare cum peccata nos longe dirimant à deo, tollamus necesse est ea, ceu interuallum molestissimum, quod nos priores fieri prohibet. Audi, iam in rem presentem ducis. Apud Corinthios vir quidam insigne patrauit peccatum, quale nec apud Ethnicos nominabatur: is erat fidelis de familia Christi: sunt qui eum fuisse sacerdotem quoque autumant. Quid tum? Paulusne à spe illorum qui seruabatur, eum deiecit: Ille, inquam, Paulus qui in superioribus & consequentibus toties exostulat cum Corinthiis hanc non esse receptum in poenitentia, ostensurus denique nullum esse peccatum quod medicinam refugiat, iterum loquitur de eo qui grauius quam gentes peccauerat: Tradite, inquit, eum

Esa. 59.

1. Cor. 5.

fatanae ad interitum carnis, quo spiritus saluus sit in die domini Iesu. Id quidem ante poenitentiam dixit. Mox vt respicit: Satis est, inquit, istiusmodi homini increpatio hæc quæ facta est à pluribus. Et scripsit vt eum consolarentur, vt resipiscentiae locum darent, ne eum in fatanae potestatem transire contingeret. Item Galatæ ges perfecta, post susceptam fidem, post signa per se facta, post multas tætaiones propter fidem Christi exuperatas, lapsi sunt, iterumque resurrexerunt: siquidem clauerunt miraculis, quemadmodum idem manifestat. Qui igitur vobis, ait, præbet spiritum, & operatur virtutes in vobis. Multa fidei certamina decertarunt, quod sic docuit: Tam multa, inquit, passi estis frustra, si tamè & frustra. Post tanta virtutis incrementa graue flagitium commiserunt in hoc, quòd à Christo diuerterunt, de quo videtur ille dixisse: Ecce ego Paulus dico vobis, si circuncidamini, Christus nihil vobis proderit. Et iterum: Quicumque à lege iustificamini, à gratia excidistis. A lapsu tam pernicioso perquam amanter eos recepit: nã dicit, Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis, ostendit nimirum vel ab vltima destructione posse Christum superiorè reformari in nobis. Non vult enim mortem peccatoris, sed vt reuertatur, & viuat. Reuertamur itaque amicū caput, & voluntatem dei perficiamus. In hoc quidem nos creauit, ac in istud esse produxit: quo nos æternis bonis participaret, vtque tribueret regnum cælorum, non vt in gehennam detrudat, aut ignibus dedat, qui quidè facti sunt propter diabolum, non propter nos, non aliter atque nostri gratia paratum est regnum cælorum. Vtrunque subindicat, cum dicit illis qui à dextris adstant: Venite benedicti patris mei, possidete regnum paratum vobis ab exordio mundi: à sinistris autem constitutis, Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est: non addit, vobis: sed, diabolo & angelis eius. Qua de causa non est gehenna instituta propter nos, sed propter aduersarium & angelos eius: regnum autem cælorum ab exordio mundi propter nos adornatum, modo ne nos reddamus indignos ad hæc, vt cum sponso ingrediamur: quandiu enim hic sumus, etiam si peccamus decies millies, semper erit spei locus, omnia dabitur abluere scelera dignam exhibentibus poenitentiam. Ceterum si quando hinc abierimus, nondum consecuti vehementissimam poenitentiam, manebit nos quiddam acerbius: nam tum vel dentibus fremdemus, vel plagemus, vel rogabimus infinita, sed ne summo quidem digito paululum quiddam refrigerij destillabit ardentibus nobis: quin eadem audiemus, quæ quondam diues ille, nempe magnum esse hiatus inter nos & vos. Redeamus itaque ad frugem meliorem moneo, dum hic degimus, & agnoscamus dominum sicut agnoscere fas est. Etenim non est cur alibi speremus poenitentiam, in inferno constituti, quo in loco pharmacum hoc infirmum est: hoc autem seculo, etiam in extrema senecta impositum, miram vim præ se fert. Vnde diabolus omnem, quod aiunt, lapidem mouet, quo in nobis alte radicè agat cogitatio desperationis. Quadoquidem nouit quamlibet exigua poenituerim, nullo id pacto facturos indonatos à deo. Quemadmodum enim malicia subfrigida, si incidit, imminentem habet retaliationem: sic actus poenitudine super commissis à se, quanquam idoneam delictis poenitentiam non exhibet, æqualem tamen illi quam habet, quantalacumque est, retributionem sentiet. Etenim nihil bonorum, sit vel minutissimum, à iudice neglectum erit. Quado peccata tanta cura disquiruntur, vt de verbis & cogitationibus

gitationibus poenam attemperet: quanto accuratius bonorum operum tam insignium, quam obscurorum rationem habebit illis temporibus: Quare si vires non sufficiunt ad amissam diligentiam reuerti, & fortè presens morbus libidoque te destituit, nihil adhuc deploratum videtur, modo initium rei feceris, atque ad certamen aditum recluseris. Quato tempore ante vestibulum oberas, optimo iure omnia tibi difficilia ac desperata videbuntur: ante nimirum experiētiam res facillimæ maximeque parables, arduæ difficultatis speciem præbere solent: deinde vbi facto periculo pauli introspimus, & animum perdurauimus, pro torpore, pro desperatione confidentia subit, diminuit timorem, facilitatem auget, spes amplas confirmat: propterea malignus ludam inde seduxit, quo minus facto feliciter initio, redierit per poenitentiam, vnde prolapsus erat. Equidem dico quòd supra veri fidem aliis apparet, ne illud quidè peccatum ludæ esse maius, quam auxiliū quod nobis à poenitentia venit. Quare rogo & obsecro, omnem fatanae cogitationem à septis animæ procul arceas, atque ad huc penetres portum salutis. Si vno velut misu ad summum illud fastigium conscendere iuberem, haud iniuria grauatim tætares, propter permixtam rei difficultatem: quando vero tantulum duntaxat in præsentia requiro, non dico quantum malis peractis debetur, sed quantum lumcunque eum qui hoc loci consistit, retinere sufficit, ne in contrarium relabatur: quid dum contaris? quid refugis? quid te ipsum retrahis? Num vidisti quosdam qui in deliciis, in ebrietatibus, in reliquo huius vitæ ludibrio mortui sunt: Vbi nunc sunt qui pridem videlicet per forum tumidi superbia cum multis affectatoribus se mouebant, qui sericis induti vestimentis, vnguentum olentes, arridentes parasito, & semper affixicena, vbi nunc illorum est phantasia: sublata est. Cœnarum sumptus, immodicus risus, quies animæ, cogitationis diffusio, vita mollis, ociosa, luxu perdit: vbi nunc? Euolarunt omnia. Quid ex corpore factū est, quod pridem tanto famulitio, tam exquisita mundicia abundabat: Abiit nimirum ad sepulchrum. Contemplare puluerem, cineres, vermes, eius formæ speciem, & amarè suspires. Atque vtinam ad puluerem tantum eiusmodi damnū pertingeret. Verū interim à sepulchro & his vermibus deduc oculos mentis ad vermem illum immortalē, ad ignem illum inextinguibilem, ad fremitum detium, ad extremas tenebras, ad afflictionem & angustiam, ad simile Lazari ac diuitis, qui amictus purpura, & tot nummorum dominus, factus est omnium rerum adeo indigus, vt nec vnus guttulæ aque dominus esset, & sub acerbissima tormentorum necessitate constitueretur. Quid: putasne somniis præstare huius perituri seculi bona? Quemadmodum enim qui ad metalla damnati, aut aliam quandam poenam luunt hac grauiorem, si quando sub duris illis laboribus, & acerbissima vita consopitūtur, se vident in deliciis, ac læta rerum affluentia, & perfecti autem à somniis nihil oblectamenti reliquum intelligunt: sic diues ille tanquam in somnio tantum diues fuisset, posteaquam hinc emigravit, amarā suam poenam percoluit. Hæc considera, & isti igni repugna, qui te occupat nunc ardore concupiscentiarū. Recede à fornace interim: nam qui eam hic probe restinxit, nec eius incalefcerit alibi vicinia: si quis eam non exuperat, hunc abeuntem excipiet tanto vehementior, quo tibi cupis longiore tempore huius vitæ fructum superesse. Equidem opinor non plures annos tibi quam quinquaginta expectandos, imo ne hoc quidem nobis cer-

tum est: siquidem qui de nostra vita nescimus, an vesperum imminens assequatur, qua frōte super tot annis asseuerabimus? Præterea dubia aliarum rerum vicissitudo & inobseruabilis, nedum temporis: quadoque enim dum vita in longum tempus producit, quæ oblectant, non æqualiter producantur, modo adsunt, modo elabuntur. Verum vt demus gratia sermonis ita fore, teque tot annos victurum, neque vllus casus felicitatem intercipiat: quantum hoc ad secula infinita sempiternaque erit: quantum ad seua flagella, & inenarrabile cælorum gaudium: Hic habent tam iucunda, quam tristia finem, eumque celerrimum: illic seculis extenduntur vtraque immortalibus, nec dici potest quantum virtute & potentia differant à rebus presentibus. Quum ignem audis, ne arbitris esse similem huic igni: accensus enim deferuescit, & mutatur: ille autem semel in flammâ exurgens, ardet perpetuo, nunquam intermoritur. Qui peccauerunt, necesse est vt immortalitatem induant, non tamen ad honorem sibi: verum vt continuum supersit viaticum illius supplicij: quod quam sit horrendum, oratio nequit vnquam explicare. Ab experimento rerum tenuium, fieri potest vt accipiamus de magnis aliquid coniecturæ. Si quando in balneo fueris nimum efferuescente, tum gehennæ recorderis: & rursus, si quando febre acriore conflagraueris, ad flammam quæ tunc est, progredere: tum probe intelliges, quia balneum & febris adeo nos affligunt ac teritant: quo animo futuri sumus, quando in fluium ignis incidimus, qui ducitur ab illo horrendo tribunalis? Profecto fremdemus dentibus propter labores & cruciatus illos indicibiles, nemo suppetias feret. Pforabimus omnes tristissime, flamma nobis vehementius incumbente: Neminem videbimus præter condemnatos nobiscum, & immanem solitudinem. Quis potest verbis consequi, quam formidabiles pauores à tenebris exorientur, quæ in animis nostris extabunt? Quemadmodum ignis illic non habet vim resoluendi, sic nec lucere potest: alioqui non essent tenebre. Huiusmodi igitur pauorem à tenebris, tremorem, solutionem membrorum, attonitum stuporem adducere sufficit vna illius temporis ratio. Multa illic variaque tormenta, grumuli poenarum, ceu niuis inundant. Ceterum si quis fortè dubitat, quo pacto satis esse, ac æternū durare immortalis queat anima, confecta tanta vi poenarum, is cognoscat quæ hic fiunt: quo modo non raro multi ad morbum non minus acrem, quam diuturnum suffecerint, nec anima dissoluta est: sed corpus est constrictum ac depressum, anima afflictæ remanente in negocio, non aliter atque si corpori non indita foret. Quare postquam incorruptibile corpus, insolubileque acceperit, nihil prohibet in infinitum protendi supplicium. Hic quidè non simul contingunt vehementia poenarum & earum diuturnitas. Altera enim cum altera pugnat, propter conditionem corruptibilis illius corporis non ferētis ea: immortalitate autè succedente soluitur hæc pugna, & magna potentia nos in infinita vtraque mala possidebunt, nec excessus vllus tormentorum perimet animam nostram. Sic, inquam, licet nos esse persuasos: neque enim hoc corpus poterit in illo tempore consumi cruciatibus: afflictum permanebit cum anima, nec finis vllus erit. Quam exquisitas igitur delicias appetis, & quantum temporis opponi cupis illi supplicio & poenæ? Visne centum annos, aut bis ceterum? Verum quid hi sunt ad secula interminabilia: quod enim est somnium vnus diei per omnem vitam, id est fructus rerum presentium, comparatus ad

tus ad statum futurorum bonorum. Estne qui propter ea vt suauē somnium videat, per omnem vitam eligat ferre cruciatum? & quis sic stultus est, vt vltro ad talem mercedem aduolēt? Nihil dum equidem delicias, nec amaritudinem quæ in eis occultitur, aperio: quandoquidem loqui de his rebus adhuc est intempestiuū: vbi eas effugere valebis, tum locus erit huiusmodi tractandi. Nunc quia morbo illo detineris, videbimur tibi nugas agere, si quando voluptatē amaram nominauero: liberatus olim à morbo dei beneficio, mox planè intelliges maliciam. Quare sermones illos in aliud tēpus differamus, hoc nūc dicemus. Fingamus delicias esse delicias, & voluptatē voluptatem, nihilq; habere fellis: sed quid obsecro, dicemus de imminente pœna: quid tum faciemus: qui modo lati gestimus velut in vmbra & imagine, opere quidem alibi persoluemus pœnam: & præterea quia exiguo tempore quæ tum futura diximus, aut etiā absurdiora effugere licet, fruiq; bonis adiacētibus. Hoc est enim opus clementiæ diuinæ, quod nobis certamina non in longum tempus præscripsit, breui quidem & in momento, & in ictu oculi finiētur: nam tantula est præfens vita, quæ omnino bello debetur, si eam ad infinita secula conferas. Num id animas damnatorum contristabit, quando meminerint q̄ occasione emendandi per hos paucos dies non vsi, se tradiderint malis immortalibus? Surgamus ergo, ne simile quiddam patiamur, dum tempus est acceptū, dum est salutis dies, dum est vis magna pœnitentiæ. Siquidē malis ignauiter coherentes, quæ dicta sunt, omnia excipient, multoq; illis duriora. Ea enim quæ in gehenna noxiis parantur, multo sunt molestiora: à tantis excidisse bonis tantum habet dolorem, tantam afflictionem, tantam angustiam, quā tum vllum esse potest aliud flagellum: certè hic debitu peccantibus, cuiusmodi per se sufficere, & quā tormenta reliqua gehennæ acerbius mordere, contemereq; animas nostras videtur. Concipe animo statū vitæ illius, quantum homini concipere datur: nam iuxta rei dignitatem nobis sermo nullus adesse potest: ex iis tamen quæ audimus, ceu per ænigmata cōiecturam quantum tulamcunq; faciemus. Abiuit, inquit, dolor, & tristitia, & gemitus. Quid igitur ea vita beatius erit? Non est cur illic pauperiem metuas & morbum. Nemo videbit cōtumeliosum, nec iniquè oppressum, nemo exasperatū, aut irascentem, aut inuidentem: nemo ardentem absurda concupiscentia, aut mœrentē propter sumptum necessarium, aut à magistratu vapulantē. Omnis enim affectuū turba quæ hic sedata est, perimetur: omnia erunt pax, læticia, gaudium, omnia serenitas & tranquillitas, omnia dies & splendor, & lux: lux nō quæ nunc est, sed planè alia quæ hanc tantum excedit fulgore, quantum ea lumen lychni: neq; enim occultitur illic aut nocte, aut congressu nubium, nec vrit, neq; inflammat corpora: nam nox non obumbrat, nec aderit vespera, nec frigora, nec æstus, nec alia huius generis immutatio: sed omnino alia est cōditio, quam demum ad hoc idonei reperiri intelligent: nō est illic senium, nec senectæ mala, quæq; obnoxia sunt corruptioni, è medio & è pedibus, quod aiunt, tollētur. Omnia occupabit vbiq; incorruptibilis gloria, & quod omnium longe est maximum, cōtinua fruētur conuersatione cū Christo, vñ cum angelis, cum archangelis, cum superioribus potestatibus. Contemplare cœlum, animaduerte permutatū fore habitū totius creaturæ: nihil enim huiusmodi vt nunc est, manebit, sed multo pulchrius erit ac præclarior: & quantum plumbo aurū vibrans aëra, tantū hac rerum præ-

sentium specie futurus ille decor illustrior erit, quemadmodum beatus Paulus ait: Quoniam & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis. Etenim nūc ceu corruptionis particeps multa patitur, quæ ferre corpus contingit: tum vero hæc vniuersa reiciet, nobisq; exhibebit elegantem & incorruptibilem habitudinē. Incorruptibile nāciscetur anima corpus, quæ & ipsa in melius formabitur. Vnde putas tum simulas: vnde pugna: lucundus nimirum cōcentus erit in hoc, quod omnes sancti perpetuo inter se consentient: nullus illic calumniator timendus, nullæ dæmonum insidiæ, nullæ minæ, nulla mors, nec ea qua hic extinguimur, nec altera quæ hac multo est acerbior: omnis harum rerum expectatio desit. Et quemadmodum puellus regius primū alitur cibo non admodū splendido, terretur minis pædagogū, ne per indulgentiā lapsus, paterna se indignū reddat hereditate: mox regiam nactus maiestatem, omnia hæc mutat, præsidet cum magna libertate, vestitus purpura, diademateq; ornatus, & stipatus numerofo satellitio, abiectis ab anima rebus humilibus ac subamaris, in quorū tunc locum omnia magnifica, omnia iucūda successerunt: sic tum eueniet omnibus sanctis. Atqui sermonis elegātia, & vires nihil possunt, ad montē illum oratione pergamus, vbi dominus transformatus est: contemplemur eum splendens, sicut resplenduit, quanquam ne sic quidem vniuersum nobis futuri seculi splendorē exhibuit, quia fuit quod tum apparuit, attēperatio quædam pro captu nostro, neutiquam accurata rei demonstratio, quod à verbis euangelicæ manifestū est. Quid nam ait: Splenduit, inquit, sicut sol. Ceterum incorruptibilem corporum gloria non tātam lucem demittit, quantam illud corruptibile corpus: neq; talem eiusmodi oculi mortales capere sufficiūt. Ad hanc quidem visionem oculi requiruntur incorruptibiles & immortales. Verum in monte tum aperuit tantum lucis, quā tum ferre potuerunt citra lesionem aciei, atque afflictionem oculorum contuentium in illud, quod tamen aliter cecidit: prociderūt enim in faciem. Dic obsecro, si quis te in theatrum induceret, vbi magna multitudo hominū federet, amicta stolis aureis, & in medio omnium ostēderet alium quendam adornatum eximiè gemmis, regio vestitu insignem, coronam habentem in capite, deinde polliceatur te assumpturum in numerum eorum, num omnia faceres quæ ipse iusserit: Euola nūc in cœlos animo, in illud intende theatrum, quod non coit ex huiusmodi viris. Conuentus est illic eorū qui exuperant omne precium auri, lapidū preciosorum, radiorū solis, & omnis visibilis formæ, nō hominum solum, sed eorum qui hominibus antecellunt, angelorum, archangelorum, thronorum, dominationum, principatuum, potestatum. De rege ipso nihil satis idoneū dici potest, adeo sermonem & mentem omnē excedit eius pulchritudo, formositas, splendor, gloria, maiestas, magnificentia. Tātumne bonorum à nobis ipsis summoebimus, quo declinemus exigui temporis laborē? Quod si quotidie foret infinites moriendum, ferendum tamē esset. Præterea gehennam tormentaq; omnia conuenit sustinere, vt videre queas Christū venientem in gloria sua, & cōscribi ordini sanctorum. Audi quid Petrus dicit, Bonū est nos hic esse. Si Petrus qui vidit obscuram quandam imaginem futurorum, omnia continuo reiecit ab animo propter voluptatem inditam animæ à tali aspectu: quid dicemus, quando rerum veritas aderit, quādo regis cubiculis adaperitis, contueri licebit ipsum regem, nō per ænigma, nec per speculum, sed facie ad faciem,

Roma. 8.

Math. 17.

Math. 17.

non amplius, inquam, per fidem, sed per speciem? Sunt quidam absurdi iudicii, ij duntaxat amant effugisse gehennam: cōtra ego multo durius esse tormentū quoddam assero, quā gehenna est: hoc est, nō assecutum esse tantam gloriam, & illinc elapsū esse. Nec opinor equidē tanto dolore lugendū de malis gehennæ, quanto necesse est calorem deplorare, quod de cœlis excidimus, qui est nimirū cruciatus omnium durissimus. Quando regem videmus frequētī satellitio palatium adequitantem, eos qui illi proxime coherent, sermonis conciliūq; & maiestatis eius participes, felices iudicamus, nōque miseros: licet enim infinitis bonis abundauerimus, & harum rerum nihil sentimus, suspicientes in gloriam sanctorum. Adde quod compertissimum est, seculi factum esse dubium & infirmum propter vim bellorum, propter insidias & inuidiam, propter hoc quod vel extra teli iactum, & extra periculi suspicionem, per se tamen ne huius quidem faciendus est: ceterum tuta perpetuaq; erit felicitas, regnante rege omnium, qui possidet non modo quæ terra, verumetiam quæ ambitu cœli cōtinentur: imò terram pugno complectitur, & palmo cœlos, qui omnia sustinet verbo potentia suæ, cui gentes cunctæ pro nihilo cōputantur: & adhuc dubitamus, an summū sit supplicium à choro qui est apud deū, excludi: adhuc amabimus ceu bonum præcipuū effugisse gehennam? Quid anima sic affecta miseris? Nam rex ille non iugo alborum mulorū, nec aureo vehiculo vectus, nec purpura, neq; diademate ornatus veniet diu dicaturus terram. Sed quo modo veniet? Audi prophetas clamantes & dicentes, quoniam hominum facultatem excedit. Deus enim vester, ait quida, palam veniet, nec slebit: ignis coram eo exardebit, circa eum tempestas vehemens. Aduocabit cœlum à superioribus, & terram ad diiudicandū populum suum. Ad hæc Esaias pœnam nobis proponit: Ecce, inquit, dies domini veniet, austerus furore & ira ad ponendum totum orbem terrarum in solitudinē, & ad abolendos peccatores ex ea: quia nec stellæ cœli, nec Orion, neq; quis alius ornatus cœli lucē diffundet, & obtenebrescet sol in exortu suo, neq; luna dabit lumen suum, & orbi terrarum ingeram mala, & impiis peccata sua: & perdā superbiam iniquorum, & altitudinem superbiorum humiliabo: & erūt qui relictī sunt preciosiores, quā aurum valde exustum igni: & homo pluris æstimabitur lapide, qui est ex Saphir. Cœlos enim cōmouebit, & terra excutietur ex fundamentis suis, propter furorem iræ domini sabaoth, in die qua venerit furor eius. Et iterum, Fenestre, inquit, de cœlo aperientur, & cōmouebuntur fundamenta terræ, & turbabitur terra, & eliquescet terra: inclinando inclinabitur terra, sicut ebrius & crapulans: cōcutietur sicut casula custodum, terra concidet, nec poterit resurgere: confirmabitur enim cōtra se iniquitas, & iudicet deus aduersus ornatum cœli in alto manū suam in illo die, & contra regna terræ: & congregabuntur cōgregationes eius ad carcerem, & excludent munitionē. Subscribit Malachias: Ecce, inquit, veniet dominus omnipotens, & quis expectabit diē ingressus eius, aut quis subsistet in visione: propterea quod ipse ingreditur tāquam ignis conflatis, & tanquam vireus fullonum, & sedebit ad conflandum, & ad purgandum velut argentum & aurum: Et iterum, Ecce, inquit, dies domini veniet exardens vt fornax, & inflāmabit eos: & erunt omnes alienigenæ, & omnes qui faciunt absurda, arundo, accendet eos dies ventura, dicit dominus omnipotēs: nec relinquetur neque radix, neq; palmes. Ceterum vir

Psal. 49.

Esai. 13.

Esai. 24.

Malac. 3.

desideriorum: Vidi, inquit, vsque dum throni positi sunt, & antiquus dierum sedet, & vestimentum eius album sicut nix: & capillus capitis eius tanquā lana munda, thronus eius flāma ignis, rotæ eius ignis consumēs; fluius igneus proruit, antecedēs ante eum: mille milia ministrabant ei, & decies millies decem milia consistebant ante eum: concio iudicum confedit, & libri aperti sunt. Deinde post pauca, Vidi, inquit, in visione notis, & ecce cū nubibus cœli sicut filius hominis veniebat, & vsq; ad antiquum dierum peruenit, & coram eo est ei oblatum, & datus est ei principatus, & honor, & regnum: & omnes populi, tribus & linguæ ei seruient, & potestas eius potestas aterna, regnum eius nō destruetur. Horruit spiritus meus: ego Daniel territus sum: visiones capitis conturbauerunt me. Tum aperiētur omnes cœlestium fastigiorum portæ, imò istud ipsum cœlum è medio subducetur, haud aliter atq; scena pelles, ac velum contrahitur è medio, vt cōmutteret in melius. Tū omnia stupore conferta erunt, & horrore, & metu, tum etiam angelos conferta metus occupabit: neq; solum angelos, sed etiā archangelos, & thronos, & potestates cœlorum: propterea q̄ conferui iudicium subituri sunt de peracta in mundo vita. Nam si in iudicio vnus ciuitatis quæ in ipsius cura omnes exhorruerunt, quanquā erant extra periculum: quid tum erit, quādo cognoscetur de vniuerso terrarū orbe, sub iudice non requirente testes, nec iudicia: sed quādo absq; illis facta iunul & verba in mediū ipse reus exacte prodet, ostendetq; scelera ipsorum istorum authoribus, pariterq; illis qui ea ignorant: Quo modo, inquit, fieri poterit, vt tum nō cōcutiatur quelibet potentia? Si enim fluius ignem nō volueret, neq; angeli assisterent adeo formidabiles: soli autem conuocati homines quorum pars laudata est, & in admiratione habita, pars ablegata ingloriæ, ne gloriā dei videat: num istud per se pœna foret tota gehenna longe acerbior? A tantis bonis esse prolapsū, orbata animas mordet perpetuo, quantum illud malum putas? Nullo sermone quisquam hic explicabit, alibi autē dilucide perspiciemus. Quare obsecro, ob oculos modo ponas, non dico immanissimā illam pœnam, & sususos graui pudore, nec non palam conspicuos, defixis in terram oculis ob conscientiam ignominia: sed illam viam teterrimam quæ ad ignem abripit, sed & ferentes tormenta, traditosq; atrocibus punitoribus: idq; eo temporis quo coronis adornati, celebresq; cantantibus angelis regio throno assident, quicumque hic bona fecerunt, quiq; digni fuerunt reperti aterna vita. Hæc in illa die. Quæ autem sequuntur, quis sermo nobis exprimet? Quis vel deliniabit voluptatem, quæ ex conuictu Christi extabit, aut vtilitatem, aut gaudium? Etenim anima quæ in propriam rediit naturam, quæ in reliquum tempus multa libertate dominum suum suscipit, quantum ea fructum capiat, quā tum dulcedinis, quantum lucrū, haud quisquam vnquam satis explicabit: nec solum læta bonis presentibus, sed securā tutāque erit, quod tanta gaudiorum semina nequaquam desitura sint. Eam itaque iucunditatem vniuersam sermone quis effinget, quis attinget cogitatione? Obscure vt pote minutis magna demonstraturus, tentabo facere perspicuum. Perpendamus igitur eos qui in hac vita huius mundi cōmodis oblectantur, diuitiis, inquam, & magistratu, atque gloria, quanta libidine superbiāq; efferunt? In terra enim se adhuc degere, negare videntur: quāquam fruuntur iis demum bonis, quæ bona esse nondum omnibus persuasum est: quæ possessores mutare solita, frequentius

Esai. 35.

quantius ex insperato euolant, & quandoq; citius quam A somnia. Quod si paulisper consistunt, iuxta modum forsitan vitæ huius, si latissime extenduntur, nam ulterius protendi nequeunt. Quod si hæc fluxa suos possessores in tanta gaudia sustollit, & animum, licet incerta subitaq; sint, in iugem effundunt laticiam: quid putas futurum de animis illis accersitis ad infinita bona, quæ in cælis pios manent, quæ fixa semperq; duratura sunt, quæ virtute quoque his præsentibus longe præstant, nedum constantia sua nunquam desitura, & cuiusmodi haudquaquam ascenderunt in cor hominis? Nunc enim quæ admodum in vtero puellus, sic in mundo viuimus multis interclusi angustiis, venturiq; seculi nec fulgorem, neque claritatem valentes contueri: ceterum ubi tempus imminet parturitionis, & partus editur iuxta legitimum præuisumq; tempus, hæc vita omnes tum excipit mortales. B Maturum abortiuum de tenebris ingrediuntur ex afflictione ad afflictionem non paulo durior. Maturum autem fœtus qui notam regij simulachri gerunt obseruantque, perducuntur ad regem, eiusq; mysterium capessunt, quod angeli quoque & archangeli deo rerum omnium perficiunt. Quare noli characteres illos perpetuo nobis obscurare amice optime, sed eos euertigio istaura, refingeq; in melius: pulchritudinē corporis intra naturæ vim deus descripsit: decorem autem animæ illinc à necessitate & seruitute exemit, veluti corporis luce meliorem, atque eius potiundæ copiam omnem nobis attemperauit diuina trutina. Quadoquidem dominus noster impendio nos amat, eoq; vehementius cohonestat genus nostrum. Minora quidem illa nec quicquam eximij præ se ferentia proficiunt nobis, & quæ minime præstantia credas, ea necessitati naturæ producenda commisit. Porro verorum bonorum nos esse opifices C dedit, propterea quod corporis pulchritudo in nostra sita potestate, mox curæ nimix fuisset, semperque rebus infructuosus impendisse operam, & animæ dotes ubiq; neglexissemus, cum negata ea facultate iam nunc omnia facim⁹, omnia molimur: pigmentis formā à nobis quasi ab inuitis asserimus, cum veram nequimus coloribus tinctorum, concinnatione capillorum, vestiū circumductu, oculorum lubricitate, multisque eius generis ineptis falsam asserimus: quod studiū rebus frugi tribuissemus, si potuissemus ad bonam formā aliquid adiungere: Haud temere aliud quicquā egissemus, ubi fuisset nostrarum virium, quàm excolere formā: quin omnia simul in hoc tempora consumpsissemus, & venustassemus abiectionem seruā infinitis ornamentis, relicta domina nobilissima, inculca magis, magisq; neglecta quouis mancipio. Qua de causa deus adempta infelici D cura, melioris rei artem nobis indidit, per quā qui corpus ex deformi elegans reddere nequit, is animam vel vltimæ turpitudinis in summam speciem reducere sufficit: adeoq; amabilem reddere, atq; adeo illicem, vt & deum regem omnium in suam concupiscentiam pelliciat, ne dum viros bonos, iuxta ea quæ psalmodiū cantor de huiusmodi pulchritudine animæ absoluit. Et concupiscet, inquit, rex pulchritudinem tuā. Num vides quod deformes impudentesq; mulieres prostitute vix possunt obrudi gladiatoribus, & iis quoq; qui cum bestis depugnare soliti sunt: Ceterum si quæ bonæ formæ, si ingenæ liberaliq; facie, per occasionem in eam inciderint calamitatem, quemlibet generosum eximiumq; virum nihil pudebit vel connubio sibi talem adiunxisse. Tanta est apud homines misericordia, tanta despectio vulgaris opinionis, quæ sepe numero in propatulo affectas igno-

Psal. 44.

minia, liberat ab infami seruitute, recipitq; in ordinem matronarū. Quato benignior facilitas erit apud deum erga animam propter superni generis præstantiam, quæ per tyrannidem diaboli in huius vitæ turpissimū lupanar coniecta est: Harū rerū exempla plurima sunt apud prophetas, qui vaticinatur aduersus Hierosolymā prolapsam in scortationē aliquā nouo modo, quæ admodū Ezechiel dicit: Quibuslibet meretricib⁹ datur merces, Ezech. 16. tu autē addidisti mercedē, & in te eueniet cōtra omnium mulierū cōsuetudinē: sedisti expectās eos tāquā coturnix sola in eremo. Hæc adeo deperditæ libidinis vocat rursus deus. Etenim captiuitas eis pœna nō fuit, sed poti⁹ ad occasionē reditus, & ad correctionē: propterea quia si deo libuisset conficere pœnis cōmeritos, profecto domum non reduxisset, nec ciuitatem celebriorē, nec templum augustius vetere apparasset. Erit enim gloria, inquit, huius domus, illa vltima præstantior priore: quia scilicet pius conspurcatam libidine deus à pœnitentia nō summovit: multo auidius animam tuam amplexabitur, ne dubita, isto dātatur casu prolapsam. Nemo enim nemo amator formæ quamlibet insanus, aduersum adamatā tanto conflagrat igni, quanto studio deus nostrā appetit salutē: quod videre est de vnaquaq; anima, & de diuinis scripturis. Obserua in præfationibus Hieremix, & passim apud prophetas, contemptū fastiditumq; dominum, iterum tamen aduolantem ac instaurantem amicitiam erga defectores, iuxta id quod etiam in euangelio huius ipse contestatur: Hierusalem, Hierusalem, quæ occidit prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sūt: quoties volui congregare filios tuos, quæ admodum gallina cōgregat pullos suos sub alas, & noluit: Deus, inquit, erat in Christo, mundum reconcilians sibi, nō imputans eis peccata sua, & posuit in nobis sermonem recōciliationis. Itaq; nomine Christi legatione fungimur: tanquam deo vos obsecrāte per nos, rogamus pro Christo recōciliamini deo. Hęc ad nos modò dicta putato. nō enim incredulitas tantū, sed & vita immunda solet excitare grauem inimiciā. Affectus enim carnis, inquit, inimicitia est aduersus deum. Destruamus igitur interiectum murum dissipemusq; atq; cadauer eiiciamus, quod beata recōciliatio cōtingat, quod reddamur iterum amabiles, & expectēdi deo. Scio qd admiraris Hermiones faciem, & bonam formā eius, nihil ei in terris existimas simile: verum si voles o amice, iam nunc eris ea multo elegantior & pulchrior: tātumq; præstabis, quantū luteis aureæ statuæ. Si super corpore illustri multorū mētes percelluntur & obstupescunt, quādo in anima refulerit lumē decoris, quid equale huic sic pulchro oppones? Nam huius pulchritudinis substantia est pituita, sanguis fluidus, atra bilis, succus cibi bene māsī. Talib⁹ enim pigmentis, oculi, genæ, & reliqua mēbra venustatur: quanquā non suscipiāt huiusmodi asperionē quotidie, quod sepe numero propter vtrius maliciā, aut hepatis corruptur, ipsaq; cutis marcescit, cōgruo farcimēto destituta, atq; oculi excauantur. Citius euolat, q̄ intellexeris oris decor vniuersus. Quid subest micantibus ocellis: quid oculis rectis naribus: quid ore celatur gratioso, & malis purpureis: Certe nihil aliud, q̄ gypso incrustatū sepulchrū esse dixeris, bonā corporis formā, modo exacte cognoscas, tam diuersis oppleta est intus sordibus. Deinde & pannum reiectum, quem cum vides implicitum, tenere simile quiddam pituitæ aut fluori, cuiusmodi ex ore vltro distillat: quemque ne summis quidem digitis audes attingere, imò ne intueri quidem: sed ad plicas eius, & conuolutiones intimas conuertens visum, exhorrescis nauicans.

Math. 23.

Rom. 8.

naueans. Huiusmodi est, si penitus expendis, corporis A venustas, quæ conferta est putore & sanie multa. Ceterum ista tua dignitas, qua pridem claruisti, erat multo alia. Sicut enim terrā cælum, sic ea formam corporis euanidam exuperat: quin imò & cælo ipso est illustrior meliorque. Animam enim à corpore exutam nemo vspiam vidit, alitunde tamen eius tibi demonstrare decorem tentabo, à potentiis nimirum maioribus. Audi igitur quo modo virum desideriorum consternauit illarum decor: nam demonstraturus earum pulchritudinem, neque corpus cui componeret valens inuenire, ad metalli materiam profugit, qua nihil dum contentus, fulgurationis vim acerrimam in exemplum quoque asumpsit. Quare cum substantiam angeli nec puram, nec nudam vidit, sed obscurē admodum & obtecte, sic tamen eam illustrauit, vt decuit apparere expositam extra omne velamentum. Eiusmodi quiddam etiam de B pulchritudine animæ cogitasse fas est: Erunt enim, inquit, angeli: in corporibus leuiora & tenuiora quæ fecerunt ad vitam ferentem super corpora, quo nomine meliora, magisque admiranda istis creduntur. ergo vt terra cælū, & aqua ignis, & lapidibus stellæ sunt speciosiores: & iridem potius, quàm violas, aut rosas, aut quoslibet flores terræ admiramur: Sic nimirum illis omnibus Christianæ animæ facies præfulget, sed & modis omnibus, ubi oculis corporis liceret contueri speciem huius, deridicula viderentur, quæcunq; exempla è rebus crasis, & visibilibus desumpsimus. Vsq; adeo tenuiter deliniant incomparabiles animæ dotes & venustatem. Cuiusmodi possessionem & felicitatē ne negligamus, maxime quia facilis aditus nobis ad illud pulchrum consequendum datur per spem futurorum. continuo enim leuiusculum afflictionis, graue & inestimabile pondus gloriæ perficit, nobis videlicet considerantibus non quæ videntur, sed quæ nō videntur: nam quæ videntur, temporaria: quæ autem non videntur, æterna sunt. Quod si afflictiones, quas nosti, faciles portatu, leuesque nominauit beatus Paulus, propterea quod non respicitur ad ea quæ videntur: quanto procliuus erit ingenio petulantiam restringere? Nam ad pericula te non vocamus, quæ à piis interim obeunda sunt, neque ad mortem quotidie obeundam: neque ad perpetuos labores, neque ad flagra, neq; ad vincula, neque ad inimicitiam cum orbe terrarum sine fœdere gerendam, neque ad odium domesticorum, neque ad vigilias frequentes, neque ad longam peregrinationem, neque ad naufragia, neque ad latronum incursum, neque ad insidias cognatorum, neque ad affectum doloris profortunis amicorum afflictis suscipiendum, neque ad famē, neque ad algores, neque ad nuditatem, neque ad experimentum aliquod durum, neque ad animum consternatum, de rebus tuis alienisve confouendum. Interea quidem à te nihil harum rerum requiro, tantum studeo maledictam seruitutem amouere, pristinamque reducere libertatem: quæ quidem libertas exacte nouerat & agnouerat, quanta sit intemperantia pœna, quodq; præmium superiori vitæ probæ futurum est. Nam incredulos de resurrectione ex mortuis leuius commoueri, nullumq; metum sentire, non admodum est admirandum: sed quod nos qui credimus, quæ hie sunt, vel potius ea quæ alibi prospicimus, tam miserè vitam transigimus, tam calamitose, & earum rerum memoria nihil excitamur, exuti prorsus omni sensu, istud quidem longe est omnium absurdissimum, maximeq; obstupescendum: siquidem credentes, quæ sunt incredulorum desi-

Math. 22.
et Mar. 12.

3. Reg. 17.

4. Reg. 19.

gnamus: parum dixi: multo nimirum indigniora, quàm illi perpetramus. Sunt enim inter illos, qui secundū virtutem huius vitæ clari extiterunt, quæ nobis esse debet vehemens admonitio. Num deinceps venia iure negabitur? Naufragio enim periclitati mercatores fermè nihil dum concidunt, eandem viam audent iterum tentare, quanquam ex incuria id non euenit, sed ex vitorum inuitabile damnum pertulerunt: & nos contamur semel frustrati rursus accingi negotio, qui scim⁹ ante vltimum vitæ momentum nihil desperandum, qui prænouimus nec naufragium, nec damnum incidens, nisi volentibus accidere. Quid abstinemus manū: quid cessamus: quātus pudor sic resupinos confertis inter se mutuo manibus iacere, atq; vti nam inter se cōferitis, & non contra seipsas commissis. Quod quidem insignis est infamia, non minor quàm si quis eorum qui in arena pugnis decertant, omisso aduersario, in suum caput manibus irrueret, faciemq; contunderet propriam. Ex insidiis nos obseruat diabolus, & incautos in magnam abducit perniciem: quare necesse est, vt resistamus intrepidi, vt caueamus ne iterum subripiamur ad pericula, ne ipsi nos in præceps collocemus, ne cicatricem ab illo inflictam, nostra culpa refricemus. Quadoquidem beatus David casu decidit nō leuiore, quàm tu modò, imò nō tantū æquali: subinde enim aliud flagitiū adiecit, nempe eadem atrocissimam innocentis Viri: Quid igitur? Num prostratus nihil amplius tentauit, quò resurgeret? Nunquid forti animo arma resumpsit aduersum inimicum? Adeo enim constanti pectore est ei relictatus, vt & mortuus filiis suis præsidio foret: nam Salomoni cōmerito mille mortes, propter David deus (scriptum est) reliquit regnum integrum, cum sic loquitur: Scindens C scindam regnum in manu tua, & dabo istud seruo tuo: verum temporibus tuis id non faciam, propter David patrem tuum: è manibus filij tui istud accipiam. Ipsi deniq; Ezechie periclitatore vltimo discredimine, quanquā iustus esset, propter beatum illum virum auxilium promisit. Protegam eam, inquit, urbem, vt serue eam propter me, & propter David seruum meum. tanta est pœnitentiæ virtus. Porro si eius sententiæ fuisset, cuius tu nunc es, deum non posse deinceps placari: & si dixisset, Affectu me honore eximio, allegit in numerum prophetarum, & imperium in contribules concessit, periculisq; infinitis eripuit: quo itaque pacto cōtinget, vt eum iterum placem, cui post tāta beneficia sum aduersus omnia pessima temerè perpetrādo: Huiusmodi si vñquam venire in mentem permisisset, non solum non attingisset ea, quæ inde præstitit, sed etiam priora insignia dissipasset. Neq; enim sola corporis vulnera dum negliguntur, inducunt mortem, sed etiam ipsius animæ: & inscitia nostra tāta est, vt illius plagis accuratissime medeamur: huius autem obstinate cōtemnimus: quanquā corpori malum immedicabile sæpe numero accidit, nihil tamē de salute desperamus, quin dicto medicorum audientes, quanquā morbū pharmacis abolere nequeunt, studemus tamen ex verbis eorum qualemcunq; possumus consolationem venari. Animi hic nullus est morbus deploratus, quoniam natura viribus non subest, & perinde negligimus huius incommoda desperatō salutis obtentu, tanquam ad nos nihil pertineret: inde quidem existit, quod detrudimur in barathrum desperationis. Quemadmodum ægrotos qui bona spe sustinentur, salubriter curamus, propterea quod nihil in eis, de quo dubitandum videatur: ita ab illis abstinemus, qui animam ad sanitatem prorsus abiecerunt, eosq; nolumus acci-

mus accipere curandos: tanto diligentior corporis, A quam animæ curâ habemus. quo fit, vt nec seruare corpus valeamus, optimo quidē iure. nam qui neglecto potiore, de minutis omni sollicitudine distringitur, vtraque dissipat & perdit: ceterum qui ordinem, cui maxima virtus, custodit, & quod prius est, maxime curat: altero, quod est vilius, posthabito, per potioris quidem salutem seruat etiam posterius. Sicut & Christus insinuare videtur: Ne timeatis, inquit, eos qui occidunt corpus, animam autem nequeunt occidere: quin potius timeatis potentem & animam & corpus perdere in gehennam. Fortassis tibi per nos persuasum erit, nunquam esse negandum reditum animæ ad sanitatem à morbis tanquam desperatis. Non absurdum itaque videtur aliorum iam cogitationes rememorare. Quamlibet ipse animum abieceris, nos utique spem de consequenda sanitate tua, nunquam vocabimus in dubium: B nequiquam enim id nobis permittemus, quod solemus aliis vicio vertere: & multum interest, vtrum à spe ipse te summoueas, an ab alio summouearis. Etenim ab alio in eum torporem detrusus, non raro celerem veniâ obtinebis: at is qui sibi ipsi omnem ademit fiduciam, nunquam inde confidet. Et quid ita? quia nemo alterius studia respicientiamque in manu habet, suorum autem potestatem omnino tenet: atqui nihil dum tantopere præcludimus sperandi viam, quanquam infinites ignauia hac laboraueris, fortè dabitur aliquis in virtutem regressus, & de malicia veteris vitæ recôciliatio. Audi sequentia. Niniuitæ audita Prophetæ inuentione & minis, qui ait: Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur: non ita consternati sunt, quanquam nihil spei vsquam fuit de deo precibus impetrando, imò potius contrarium habuerunt suspicari ex oraculo. Nam non erat dictum cum aliqua disunctione, sed aperta sententia, & nihilo secius tantam exhibuerunt penitentiam: Quis scit, inquit, si pœnitebit & consolabitur nos deus, & auertet animum ab indignatione, neque nos pereamus: Et vidit deus opera eorū quod summoti essent à viis suis peruersis, & pœnituit deum super afflictione, quam locutus erat se ipsis facturum, & non fecit. Homines illi barbari & imprudentes tantum potuerunt intelligere: multo amplius conuenit vt nos idem perficiamus, qui diuinis decretis, totque exemplis eruditi sumus, qui tam in verbis, quam in operibus quouis populo plus perspeximus: Consilia, inquit, mea non sunt, vt consilia vestra: nec via mea, sicut via vestra. Quantum abest à terra cælum, tantum distant iustificationes meæ à cogitationibus vestris, & consilia mea à vestris consiliis. Porro nos ministri, qui sæpenumero deliquimus, in meliorem frugem proficisci stipulati sumus, quam blande reuersi suscipimur, quanta gloria cohonestamur, & nos non raro delabimur in maiorem licentiam. Non quidem in eum casum à deo describimur: siquidem vbi deus in hoc nos creasset, vt perderet, probe quidem id pernosces, iurèque dubitasses super propria salute: ceterum quia non ob aliud, quam propter bonitatem nos produxit, quod bonis fruamur sempiternis, atque in hoc omnia facit, omnia molitur in præsentem horam vsque: quod factū ipsius idoneum est, nos dubios reddere. Vementer eum exasperamus, qualiter alioqui nemo alius: quo fit, vt ea de causa maxime oporteat abstinentisse sceleribus, duci pœnitentiam super peccatis, multumque specimen præbere animi demutati. Quandoquidem nihil est quod in nos queat, soleatque illum ipsum semel perinde irritare, at-

que in posterum nolle reflexisse in viam: nam peccasse est humanum, perdurasse autem in flagitiis non humanum est, sed penitus diabolicum. Considera quanto maiore stomacho deus id ferat apud prophetam. Scriptum est enim, posteaquam ab eo defecerit omnia: Ad me, inquit, reuertere, neque reuersus est. Et e contrario iterum adnitens demonstrare, quam benigne lancem, quæ continet salutem nostram, inclinēt, vbi post tanta tamque enormia delicta se receperunt rectâ incedere, cum id audisset, inquit: Quis dabit vt sic parentur corda eorum intra ipsos quod me timeant, custodiantque præcepta mea omni tempore, vt eis bene sit, & filiis eorum per seculum? Præterea Moses subscribit: Age, inquit, Israël, quid dominus deus à te petit? Vt timeas dominum deum tuum, vt ambules in cunctis viis eius, & vt ames eum. Quare qui captat omnibus modis, vt à nobis ametur, & in hoc omnia facit: neque vnigenito propter amicitiam nostram pepercit, utque ipsi aliquando reconciliemur, tam amabilem rem præstitit: qui fieri possit, vt respicientes non admittat: vt non redamet: Audi quid per Prophetam dicit: Dic, inquit, tu iniquitates tuas prior, vt sis iustificatus: & hoc, quod in amicitiam fortiter ardeamus, expetit à nobis. Qui est amore captus, si ipsum ij quos amat, afficiunt quamlibet graui contumelia, nondum extingui sustinet concupiscentiam, nullius rei gratia illatas iniurias in mediū festinat proponere, quam vt solido ipsius amore demonstrato, arctiore eos dilectione obuiuiat. Quoniam autem confessum esse peccata, tantum affert solatij: quatum putas allaturum, per opera diluissē? Nisi sic foret, & à recto cursu semel defleuentibus pateret reditus, quoties tum quisque ex tot hominum milibus in cælum introisse videtur: præter admodum paucos, qui supra nos iam nunc sunt coaptati in numerum bonorum. Atqui maxime resurgentes inueniemus post lapsus enormes, qui magnam impetum in malicia præ se tulerunt, eundem rursus adhibuerunt sepenumero rebus optimis, perpen-

Hicr. 3.

Deutr. 10.

Esai. 43.

Luc. 7.

re: ille

re: ille autem tanto furore deinceps non digrassabitur semel exuperatus, ex ea re fortis est qui cecidit. Ceterum nos maiorem alacritatem concipiemus, multaque facilitate pulcherrimam illam pugnam depugnabimus. Suscipiamus itaque quod superest ascensus, recurramus in urbem cœlestē in qua profiteamur, in qua ciues agere iulsi sumus. Nam à nobis spem omnem abiicere, nō solum id mali habet, quod eius ciuitatis portas nobis intercludit, aut quod in peiorem ignauiam trahit atque contemptum, aliud habet facile pessimum: intrudit enim in socordiam, cuiusmodi est ipsi fatanæ. Etenim diabolus ex nulla re tantus euasit, atque ex prima desperatione, vnde in socordiam ceu per gradus delapsus est. Vt primum enim anima de consequenda salute dubitat, non sentit amplius quo periclitetur præcipitio, quidlibet faciendum, dicendoque contra salutem suam. Quemadmodum furia correpti, deperdita semel sanitate capitis nihil verentur, nihil eos pudet, intrepide quiduis audent, in ignem, in mare, in prærupta editaque saxa impigre conuolant. In hunc modum qui se incuriæ per desperationem permisere, deinceps sunt intolerabiles, per auia viciorum assiduo discursitant, neque mors imminens eos ab insania deterret, atque à deprauatione infinitis se calamitatibus cōficiunt. Quare adhortor, antequam altius ab ea ebrietate commadueris, vt respicias, vt resurgas, vt crapulam diabolicam secludas. Si putas esse supra vires, vt vniuersam secludas, & sensum & paululum eius mali, atque iterum paululum deme. At mihi quidem longe facillimum videtur, omnes laqueos quibus complicamur, simul abrumpere, cōferendo nos in palæstram pœnitentiæ: ceterum quia tibi fortassis arduum apparet, sicut lubet attingas viam ad meliora ducentem, modo attingas & apprehendas vitam æternam. Magno siquidem studio precor & oro per superiorem probationem, per istam libertatem, vt iterum videamus obmissum animi robur: misere re offenderum per caput tuum, misere re cadentium & eorum qui facti sunt per te segniores, qui virtutis viam desperarunt. Et nunc quidem ingens mœror occupat fratrum conuentum, voluptas autem & laticia confessum incredulorum, & iuuenum ocio ditorum: ceterum vbi redieris in illam accuratam diligentiam contrarium erit, nostraque ignominia in aduersarios vniuersa deriuabitur. Nos autem ingenuæ reddemur libertati, videntes te iterum cum eximio splendore coronatum prædicatumque: tales victoriæ maiorem ferunt & iucunditatem, & voluptatem. Non enim propria benefacta mercede pensabuntur, sed quod aliis cohortationi fuisti & solatio, exemplum est maximum, quisquis in tanta mala inciderit ad resurgendum, & ad conquerendum contra se. Ne contemnas tantum lucri, neque animas nostras ad inferos cum mœrore subducas, quin dederis nobis & respirasse, & excussisse nubila peccatoris, quæ per trificiam nos occuparunt: nostris enim malis omisissis, tua damna lamentamur. Quādo autem in animum induxeris respiscere, dispicere omnia prudenter, & angelicæ militiæ connumerari: tum nos à luctu reuocabis, bonamque partem de peccatis nostris auferes. Qui per respicientiam iterum exurgunt, magna claritate resplendent, & nō raro maiore, quam alij qui nunquam ceciderunt: quod primo demonstraui etiam à diuinis scripturis. Ea nimirum ratione & vestigalium exactores, & ipsæ meretrices hæreditate acquirunt regnum cœlorum: ea ratione multi ex nouissimis antecessuntur prioribus. Narrabo tibi, quæ nostris contige-

re temporibus, & quorum ipse testis esse valeo. Noui iuuenem illum filium Urbani, qui continuo à teneris vnguiculis absque custodia fuit educationis legitimæ, dominus autem multarum rerum, pecuniarum, ministrorum, agrorum. Is cum dixisset, quam sit oblectatus consuetudine rei musicæ, deposito illo splendidissimo amictu, totoque huius vitæ fastu, repente pallio se viliore contexit, ad montes, ad solitudinem secessit, egregiamque exhibuit philosophiam, non iuxta illius ætatis modum, sed qualem posset vir quispiam admirabilis & excellens: deinde ad sacra mysteriorum sacerrima idoneus reputatus, magnam accessionem virtuti adiecit. Omnes gauisus sunt impese, deumque glorificauerunt, quod in affluentia deliciarum enutritus, clarus ex progenitoribus & admodum adolescens, cuncta huius vitæ phantasiā, fucataque felicitatem, semel conculcasset, & euasisset ad verum fastigium virtutis: Cum esset eo loci constitutus, & nunc iure suspiciendus: ecce corruptores quidam considerantes id esse præter dignitatem generis, iterum illum in fluctus pristinos abduxerunt. Reiectis iterum cunctis eius vitæ, quæ pridem erant, ornamentis, à montibus in medium forum se contulit, & equis vectus, & magno stipatus famulatio, tota urbē obuiuit, neque sapere, neque temperate viuere libuit: nimis enim deliciis incalescens, in absurdos amores ceu nolens perpellitur. Nemo erat ex cœtu cōuersantium, qui non de ipsius salute putaret actum esse, tantum ei examen adulatorum cohæsit: cui accesserunt carentia parentum, iuuentus, multæ opes: qui omnia solent calumniari, hominem traduxerunt eo nomine, quod à spiritibus libus defecisset, inutilis futurus & rei familiari, quod superiori tempore fermone & eloquentiæ deditus, retulisset pedem, illicque nihil fructus valuerit consequi, huiusmodi quiddam crebro occinuerunt. Cum esset itaque multo suffusus pudore, quidam sancti viri qui sæpenumero in tales beluas impegerunt, & per experientiam probe sunt edocti, quod spe diuina communitis nequiquam sit desperandū: obseruarunt eum assidue, vsuque in foro accesserunt, amplexique sunt: quos ille principio sequentes velut è sublimi, equo insidens alloquebatur contemptim, tanta erat primum impudentia hominis. At illi misericordes, studiosique in rem alioqui peritura puericiæ, non ita multum ea contumelia mouebantur, in vnum istud figentes obtutum, vt quacunq; via lupō agnellum subtrahant, & callidè perfecerunt. Siquidem posthac aliquādo velut obstupescens, intra se abreptus est. Assiduam eorū curam tum cœpit reuereri, quoties illos vel procul obuiam factos conspexit, cum multo desiliit, & oculis in terram deiectis, cum multo silentio, quæ apud illos agerentur, auscultauit, propiorque factus maiori pudore suffundebatur, & eis habuit honorē debitum. Atque eo ingenio lapsum diuinæ gratiæ paucis diebus reddiderunt, omniaque ista retia simul expedientes, pristina tranquillitati, philosophicque liberum traderunt. In tantam autem lucem tunc temporis emicuit, vt superiorem vitam, quæ post casum peracta est, incessens, homo nihili videretur. Cum enim prope perspexisset, quæ sit malorum esca, distribuit in egentes diuitias omnes: eo facto se à noxiis curis exonerans, omnem occasionē, quæ potuit insidias tendere, abscidit. Viam quæ ducit ad cælum incedens, ad apicem virtutis iam dudū penetravit. En ille cum esset iuuenis, excidit, & iterum surrexit. Alius quispiam post multos sudores eremiticæ conuersationis, cui duntaxat vnus fuit conuictor, cum quo vixit planè angelicam vitam, ad senectā vsque perse-

que perseverans. Is aliquando ex versutia diaboli velut oscitās ac remissior factus, accessum dedit maligno ad incitandam concupiscentiam: & lapsus est cum muliere se cōmiscēdo, qui nunquā vidit mulierem ab eo tēpore, quo se ad monasticam vitam contulit. Principio contubernalem suum oravit, ut ipsi daret carnes atque vinum, adiectis minis, nisi impetraret, in forum se perrecturum: quod dixit non ex desiderio carniū, sed causam & pretextum captaturus descensus in urbem. Com milito eius cum varia curiose dispexisset, formidaretq; ne renuens illum in maius flagitium coniceret, permisit ut satisfaceret affecto animo. Postquam in eo refringuit amor sapientiē, deposita fronte fictionem aperuit, palamque profitebatur sibi necesse esse, ut in civitatem proficisceretur. Is qui prohibebat, dum vidit se frustram, eadem id etiam concessit: at procul affectatus, abeuntem observavit, quoniam terrarū eo deflexu descenderet. Vidit autem intrantem lupanar, & cum intellexisset eum cōmixtum fuisse cum muliere meretricis, expectavit foris: & post absurdā concupiscentiē saturitatem, egredientem obuiis manibus excepit, amplexumq; ac multum exofculatum, nihil exoptulando de commissis flagitiis, tantū est adhortatus, ut expleta iam concupiscentia, in solitudinis domicilium velit reverti. De tanta māfuetudine pudere cōcepit, moxq; animo percussus, compunctusq; super temere perpetratis, ad mōtem est socium persecutus: eoq; loci constitutus vir ille, se caesa quapiam conclusit, & eius domunculę ianua observata alter ipsi panem & aquam quotidie prębuit: querentibus autem de se, iussit ut responderet se somnum capere. Hęc cum dixisset, facile invenit illum ipsum amicum assensorem, seipsum introclusit, perseveravitq; illic per omnem vitam in ieiuniis, in precationibus, in lachrymis repurgans animam a forde peccati. Tempore autem non ita multo peracto, magna siccitas viciniam inuasit: omnes incolę cum frustra plorarent, quispiam ex eis per somnium mandatum accepit, ut abiret ad virum illum inclusum, hortaturus eum, quod velit orare ac dissolvere siccitatem. Itaque discessit assumpto socio, & inveniunt veterem illius conuictorem solum: a quo dum percontantur, accipiunt, quem tum quęsitum venerant, obisse diē: qua in re cum sibi imponi putarent, ad preces iterum conuertuntur, iterumque per priorem visionem eadem superioribus didicerunt: circumsteterunt deinde haec tenus verum fateri dissimulantem, obtestantque sunt, ut ipsis viri illius indicium faceret: nam quod mortuus non esset, quodque adhuc viueret, omni contentione affirmarunt. Is cum hęc audisset, ac videret quę ex pacto inter se arcana tenuerunt euulgata, deduxit eos ad virum illum, & pariete demolito (quia ianuam obstruxerat) intrauerunt omnes, mox aduoluti pedibus exposito mandato suo, rogarunt, ut ferret suppetias aduersus ariditatem. Ille primum resistere, asserens abesse se a tanta impudentia: nam ut recēs factum peccatum, ita semper ante oculos conseruauit: tandem commemorantes omnia quę sibi contigerant, persuaserunt ut oraret. Ut primum autem oravit, mutata est siccitas. Quę gesta sunt cum illo iuvene, qui pridem diuini Caspiani scipulus fuit Ioannis filij Zebedę: deinde longo tempore duces egit latronum: iterum a sanctis manibus ecclesię lib. 3 beati senis interceptus, in superiorem virtutē e lustrō, e spelunca latronum penetravit, ipse non ignoras: nosti enim non minus quam ego. Sapenūtero te admirantem audiui referre beati viri condescensum, & māfuetudinem & suauitatem illicem: quoniam prior cruen-

Vide Eusebium Caspianum scipulum fuit Ioannis filij Zebedę: deinde longo tempore duces egit latronum: iterum a sanctis manibus ecclesię lib. 3 beati senis interceptus, in superiorem virtutē e lustrō, e spelunca latronum penetravit, ipse non ignoras: nosti enim non minus quam ego. Sapenūtero te admirantem audiui referre beati viri condescensum, & māfuetudinem & suauitatem illicem: quoniam prior cruen-

tam dexteram exofculatus est, hęcens in amplexu adulescentis, & ea via reduxit ad amillam virtutem. Beatus item Paulus sic Onesimum inutilem transfugam, furem illum non solum ipse amplexus est demutatam in melius: sed etiam idoneum putauit, quem pœnitentem honore pœceptoris dignaretur. Rogo te, inquit, pro filio meo, quem genui in vinculis meis, Onesimo, quondam tibi inutili, nunc vero mihi & tibi perutili, quem remisisti. Tu autem eum, hoc est, viscera mea suscipe, quem ego cupiebam apud me retinere, ut pro te mihi ministraret in vinculis euangelij: sed absque tua sententia nihil volui facere, ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed spontaneum. Nam propterea forsitan secessit ad tempus, ut aeternum eum reciperes, non iam ut seruum, sed supra seruum: nempe fratrem dilectum maxime mihi, quanto autem magis tibi & in carne & in domino? Si igitur me habes consortem, suscipe illum tanquam me. Ad Corinthios scribens: Ne forte, inquit, vbi venero legam multos, qui ante peccauerint & nō pœnituerint. Et iterum: Sicut pœdixi, & pœdico, quod si venero denudō, non parcam. Intelligine quos lugeat, quibus non parcat? Non iis qui peccauerūt, sed qui semel atque iterum orantibus ut resipiscerent, refugerunt aures pœbere. Siquidem quod ait, pœdixi & pœdico, ut pœfens cum eis, iterum scribo: nihil est aliud quam ne timor nos exanimet. Etenim Paulus & si non adest, ut olim, quando cum Corinthiis exoptulauit: at Christus ipse in pœfentia manet, qui tum per hunc locutus est. Vbi perdurabimus in peccatis obstinate, non parcat, magnum vulnus infliget, atque hic interim permittet conscindi flagris. Anteuertamus igitur faciem eius in confessione, effundamus coram eo corda nostra. Peccasti enī, ait scriptura, ne superaddas amplius, atq; de prioribus tuis preceris. Et iterum: Iustus est sui accusator ab exordio sermonis. Ne expectemus igitur accusatorem, quin illius partes pœcipiamus, eoq; officio iudicem nobis pacatiorem constituemus. Cæterum tu confiteris peccata, tēque tui miseret supra modum: scio equidem satis: verum id nō requiro solum, cupio autem, ut te res aliqua iustificet, ut primum te obsequentem pœberis. Quandiu enim lucrosam intermittis confessionem illam, nihil est cur te accuses: quoniā nescis in posterum de peccatis discedere. Nam nemo quicquam perficiet cum alacritate & idonea obseruantia, cui nō prius pœsuasum fuerit, quod ea res sibi cōmodo sit futura. Num is qui seminat, postquam messem non expectat, post mentem vnquam metet? Quis enim proposuit aliquando frustra laborare, & non consequi ex industria fructum? Non aliter qui seminat visiones, lachrymas, & cōfessionem extra spem alioquin vtilissimā, nequit a peccatis abstinere, detentus adhuc malo incredulitatis. Sed quemadmodum agricola ille, qui desperato fructuum prouentu segetes deastantia non arcebit: ita & ille qui seminat per lachrymas confessionem, nihil luctri expectans, neutiquam dimouere studebit ea quę resipiscentiam corrumpunt. Corruptit autem pœnitentiam, iterum iisdem malis instituisse. Nam vnus est, ait scriptura, qui extruit, & alter qui demolitur. Quid lucri accedit pœter laborem? Expiatur quis a tactu mortui, & iterum attingit funus: quid emolumentum huic ex lauacro? Haud secus homo, qui ieiunat, de peccatis scilicet suis, & pergit, eademq; denuo committit, quis huic precibus exaudiet? Et rursum: Qui diuertit, inquit, a iusticia ad peccatum, eum dominus pœparabit in gladium. Et sicut canis ad vomitū reglutiedum redit fitq; odiosus:

odiosus: sic imprudens, qui per propriam maliciam ad peccata reflectit. Ne igitur perinde peccatum atq; accusator traduxeris: sed tanquam qui debet iustificari per formam pœnitentię: quo pacto animam confitēti asfidua cura licebit continere, nequando ad vicia relabatur. Nam vehementer se damnare profiteriq; peccatorem, cōmune est, ut sic dixerim, etiam cum infidelibus. Multos a scena tam viros quam mulieres, quū turpitudinem suā perpendunt, sui miseret: at nō collimāt ad verum scopum: ideoq; istud confessionem nulla ratione nominari: quia non est cum animę compunctione, neq; cum amaritudine lachrymarum, neq; cum peccatorum abolitione, quod ea sic enunciant. Verum sunt qui eo nomine ab auditoribus gloriam nimirum elegantia & gratia sermonum aucupantur. Peccata enim non apparent eiusdē molestię, quando alius quispiā ingerit, & quādo ipse aude. Sūt rursum qui nimia desperatione obstupescunt insensatiq; reddūt, & bonā existimationē & sinistram opinionem iuxta ponētes, magna petulantia sua, ceu aliena mala proclamāt, ceterum caue ne fueris, neq; de horum, ne de illorū numero. Nolo enim ut proficiscaris a desperatione ad cōfessionem, quin cum alacritate ac fiducia eruta radice desperationis, quantum vales, huic diuersum studium ostēdas. At quę tandem est radix & mater desperationis? Ignauia, inquam, imō quam quis haud inepte nominauerit non tantum radicē, sed vicissim illius quoque & parentem & altricem. Quemadmodum in caduere tabes gignit vermiculos, quę ab iis iterum augetur: ita est propemodum hoc loci. Nam ignauia desperationē parit, ab ea mutuo & illa nutricatur, adeoq; dum seruant inter se execrabiles vices dandi accipiēdiq; confirmantur in potentiam haud mediocrem: alteram itaq; rescindens abarcensq;, alteram quę consequitur facili opera conficiet. Nunquam enim qui non torpescit, in desperationem proruet: neq; qui alitur spe bona, aut qui expectationem salutis non abdicat, in fociam delabitur. Par istud pessimum dissipa, & iugū confringe, hoc est, illam variam, illam grauem cogitationem. Quandoquidem qui vtrunque malū coniunxit, non est vnus formę, sed multiplicem de se pœbet speciem omnifariamq;. Quis autem talis est? Vsu euenire solet, ut is qui pœnituit, corrigat plurima, maximaq; facinora: interim autē quia denuo peccat, nastę correctioni non minoris pōderis peccatū opponit: quod maxime in desperationem abripit: haud segnius atq; hi ab expectatione cadunt, qui simul eadem ut edificarūt, demolitūtur exhausto frustra tanto labore. Necesse est, ut illa in mente habeamus, utq; expellamus tam perniciosam cogitationem. Siquidem virtutis modo alteram viciorum lancem adæquante non anteuertimus, a mole peccatorum quę interim obrepserunt, penitus opprimemur: nihil enim tum retinebit, quod minus absorbeamur: sin actione boni pœmuniti fuerim, ea nos defendet non aliter atque thorax firmus, acuta noxięque tela summouet, quod minus, quod solent, queant pœstare: quin his disiectis, omne periculum a corpore defendit. Nam qui illinc abscedit, tā bonis quam malis operibus affluens, habebit aliquid solatiij in pœna & diris illis tormentis: qui autem a factis melioribus alienus, tantumque est peioribus stipatus, dici non potest, quam arctissime pœnę sempiternę cohæreat a vita illinc abmandatus. Nam illic bellum erit malorum operum cum aliis diuersę conditionis. Si hęc deprimunt libram, saluum reddunt non mediocriter Tomus quintus.

A autorem suum: & nō tantum poterit damnum, quod usu malorum operum accreuit, quantum eam deorsum rapit prior ordo. Peruersa autem opera si exuperant, abducunt ad ignem gehennę: propterea quod non sit tantum agmen operum virtutis, quod valeat restituisse impulsui tam violēto: sermo noster solus hoc non astruit, verum confestatur omnia diuina eloquia: siquidē ait ille: Reddet vnicique secundū opera sua, neque id gehenna tantum, inuenies etiam in cœlo discrimina plurima. Mansiones enim multę, inquit, sunt apud patrem meum: & Alia est claritas solis, alia claritas lunę. Et quid miraculi est eum tam curiose illa esse perscrutatum, quando stellę quoque differentiam ad stellam asseruit? Quare rebus his omnibus perspectis, nunquam ab exercitio operum cessemus. Vbi asurgere ad ordinem solis aut lunę non datur, ne contempserimus astrorum cœtum, donec tantum virtutis de nobis pœberimus, ut liceat incolere cœlum. Si non aurum, si non preciosus lapis habebimur, ad argenti modum pertingentes, adhuc permaneamus in fundamento. Id vnū curę sit, ne ad eam deflectamus materiā, quam ignis citō corripit: deinde cū videmus egregia facinora superare captum nostrum, minora perfecisse nihil pudeat. Reicere enim parua, vbi magna cōsequi non vales, extremę est dementia, quam omnibus modis effugiamus. Quemadmodū enim opes corporis accumulatur, quū amatores illarū ne minimū quidē lucellum negligunt: sic spirituales diuitiæ. Num absurdū apparet, quod iudex quoque frigidī poculi mercedem rependit? Atqui nos stolidiores, nisi magna benefacta possimus, minorū curā omnē abiicimus. Minima qui non despicit, accurato studio vel maxima perficiet: qui vero illa fastidit, ab his interim excidet: quod ne contingat, libuit Christo pro illis mercedem amplissimā certo polliceri. Quid enim facilius, quam respectum agere eorū, qui laborant, de quo tamen magnū vicissim pœmium tribuit? Itaq; vitam sempiternam suscipe, oblectes te domino, & ei supplica: iterum arripe iugū cōmodū, subeas leue onus, dignum principio finem superadde. Ne despexeris diuitias tantas, quę vltro affluunt: quas semel vniuersas amittes, vbi perseveraueris exasperando deum per ea, quę nunc facis. Vbi autem obstruxeris canales antequam multum damni datum, aut antequam alluuium aquarum exulta arua corruerit, recuperare poteris ab initio cuncta quę perierāt, adiecto etiam illis non exiguo sœnore. Quę quidem cum ritē perpēderis, excutias obsecro lutum & fordes: a terra, vbi iaces, resurgas, & formidabilis eris aduersario, qui te ceu nunquam resurrectorum prostravit: postquam viderit manus te mouentem contrā, inexpectato vulnere percussus, segnior erit ad insidias denuo ponendas: ipse autem tutior factus, non amplius accipies tam acerbam plagam. Si aliorum calamitates idoneę sunt, ut nos erudiant: quanto potentius quas ipsi exhaustumuserudiet? Videor mihi propediem visurus istud in tuo capite, & iterum ex libramine diuino te clariorem, pulchrioremve euasurum, tantamque pœstaturum virtutem, ut aliis illic anteferri queas, modo ne desperes, neque recidas. Hęc enim ad iudicium proficiunt, sic mihi quidem vsus est. Postquam aliquid vel per alios intelligo, non cesso quod mihi condecat eligere: qua in re si probē auscultas, nihil erit loci reliquis medicamentis.

AD THEODORVM MONACHVM,
Epistola sexta.

E Si fletus

S I fletus posset & gemitus per literas nunciari, redundantia lachrymis atque suspiriis profecto ad te scripta misissem. Equidem fleo, non quod paternarum rerum sollicitudinem geras, sed quod ex fraterno te deleueris numero, quod negligendo calcaueris, quicquid ante de pectore Christo sponderas, ad hæc inhorresco, his angor & crucior, propter ista formido, non immerito: ut enim non obicitur desertio militiæ nõ militati: ita is qui semel esse cœperit miles, cum deseruisse detegitur, pœna dignus vltima iudicatur. Non est graue Theodore charissime cadere luçantem, sed iacere deiectum: non est perniciosum in prælio vulnerari, sed post vulnus acceptum desperatione curandi medelam vlceri denegare. Nullus se demergit, naue fluctibus semel merfa, ac post totum onus perditum desit nauigare: sed rursus ad maria nudus quoq; festinat, rursus immensa peruolat freta, & iterato felicius cursu, casus prioris damna cõpescat. Sæpe etiã athletas videmus, post frequentes lapsus & deiectiones plurimas coronatos: militem quoque scimus post fugas multas virum fortem fuisse, & vicisse victores. Multi etiã qui negauerant prius Christum propter crudelitatem necessitatemq; pœnarum, simile rursus certamen aggressi gloriose coronã martyrij receperunt. Quod si vnusquisque eorũ quos dinumerauimus propter aduersa principia desperãdo celsisset, nunquam ad sequentium voluntatem, ac fructum bonorum peruenire potuisset, similis profecto res est frater charissime: ideoque cõsidera ne quia paulisper communis inimicus, te vbi bene steteras, loco mouit: idcirco & ipse te totũ ad præcepta, quod videtur, impellas. Perisiste, imò magnanimus esto, & vnde extuleras pedẽ reuoca, nõ ue ignominia, vel opprobrij genus credas exiguum hanc parui temporis plagam. Neque enim reprehenditur miles, cum de prælio reuertitur vulneratus, sed reprehensibile magis, ac semper turpe est arma deponere, & seruitutis iugum subire captiuum. Quamdiu autẽ quis in conflictibus perseuerat, siue pro tempore cadat ille siue fugiat, nullus vsque adeo ingratus ac durus, & bellicæ disciplinæ expertus erit, qui vituperet denuo dimicantem. Non pugnantem quippe est non vulnerari. Quicumque autem iracundia pertinaci in hostes feruntur, aut cadere nonnunquam videntur aut vincere. Quod quidem tibi nunc prouenisse non miror, qui dũ subito serpentem occisurus insequeris, minime morsum tetri dentis euadis. Verum si constantior redeas, & sobrio ut conuenit paululum corde confidas: non solum & ipsa vestigia impressi vlceris repente delebis, sed diuinitatis auxilio, etiam caput scelerati anguis extingues. Neque illud te forte terreat, quod tam subito, & in exordiis suis refranatus tibi cursus videtur, & impedita principia. Vidit sine dubio, & velociter vidit oculus hostilis, nõ modicarum in sensibus tuis signa virtutum, & inuictum debellatorem suis rebus increfcere longe ante præsensit. Qui enim contra ipsum subito moliri tot & tanta cœpisset, eum nisi inimicis occuparet, expugnandum a se postea difficiliter æstimauit. Ob quod sollicitus vigilantiusq; festinans, aduersum te totus exiliuit, imò aduersum se magis: si tamen ita ipse perstiteris, ut cœperas repugnare. Quis enim non in te iure miratus sit, post repentinam illam mutationem, & rapidum ad meliora transcursum, cœlestis iam verè animę probos mores: Epularum quidem tibi oblectatio omnis, & luxus contemptui erat. Despiciebatur supellex varia, atque preciosa omnis inanium rerum

A iactura ignorabatur. Totum illud externa atque peregrina philosophiæ studium. Non diuersis lectionibus sufficiebat dies, non perpetua orationi noctes: exciderat paterna sensibus tuis memoria dignitatis, diuinitas obliuio profunda possederat. Fraterna autem genua cõplecti, & sanctorũ pedibus aduolui omni nobilitate sublimius iudicabas. Ista dæmonẽ perculerat, ista illum ad certamen armarunt. Propter hæc factum est, ut intorqueret quidem tela violentius, sed tamen certius non feriret. Et quidem si post multorum hoc tibi temporum spacia, post diuturna ieiunia, post terrenorum duriciam lectulorum, post alios labores cœlestis philosophiæ contigisset, ne sic quidem desperandum putarem: quamuis videretur non parua priorum iactura meritorum, licet maximum damnum plures putaret post tot tantosq; sudores, tot luctas, tot pericula, tot palmas, subito iacere victum. Verum quia is nunc te in procinctu certaminis, cum quo eras certaturus, elisit, hoc tantum proficit, ut fortioerem te sentiat resurgentem. Modo enim tibi è portu soluẽti magis, quam de commerciis reuertenti, ac repleta diuitiis repertis nauigia reportanti occurrit incassum pirata violentus: ut si quispiam prouocatum leonem conetur occidere, soloque tantum rugientis transitu feri pelli se agnoscat, non solum illum profecto nõ læsit, sed cautiorem, sæuioeremque in sui magis perniciem prouocauit. Lubricum genus est natura mortalis, cito quidem labitur, sed non sero reparatur. Et ut facile cadit, ita & velociter surget. Beatus quoque ille Dauid, vir electus in ordine regum, electus in numero prophetarum: postquam in plurimis deo dignus apparuit, hominem se esse monstrauit, & in amore quodam alienæ mulieris exarsit. Nec hoc solo contentus fuit, sed adulterium ex cupiditate commisit, & homicidium propter adulterium perpetravit. Sed non ideo, quoniam duplex vulnus acceperat, etiam tertio seipse percussit: verum mox ad medicum conuolauit, & diuersa medicamina plagis festinus apposuit, ieiunia, lachrymas, luctus, preces, & indefessam peccatorum confessionem, ac sic per ista placato veniam à deo meruit, & ad priorem dignitatẽ rediit, vsque adeo, ut post adulterij & homicidij crimen, impietatem ac scelus filij paterna memoria potuerit obumbrare. Filius enim eius cui Salomon vocabulum erat, iisdem quibus pater viciis inuolutus, ob mulierum gratiam à paterno recedere ausus est deo. Hinc aduerte quàm leue sit non vincere voluptatem cupiditatis: sed peruertere ordinem naturæ, & virum genitũ subiacere seruitio fœminarum. Hunc ipsum ergo Salomonẽ, qui omni penitus spoliari imperio dignissimus erat, paternorum contemplatione meritorum sextam regni dominus portionem habere permisit. Et sanè secure, si tibi esset eloquentia secularis, & repente in exercendis negligentior studiis, fori voces, ac tribunalium palmas, & coronas illas atq; victorias deseruisses: reuocarem profecto sensibus tuis memoriam præteritorum, & peterem ne tibi perire patereris tot ac tantos inter illa iudicia desudatos labores. Verum quia omnis nobis sollicitudo est cœlestiũ rerum, ne terrestribus prorsus cogitationibus præpediamur: aliud magis contẽplare, quãso, iudicium, aliud prospice, quod sine fine reuerendum est atque intramiscendum tribunal. Omnes enim nos, inquit, necesse est manifestari ante tribunal Christi. Ille tunc iudex sedebit, qui nunc à te repudiatur. Quid tunc ergo diceremus? quo colore excusationis vtetur, si in eodem crimine permanebimus? Interro-

Math. 16. go, quid loquimur? Negociorum forte, atque causarum varias sollicitudines prætendimus. Sed ante nos commonens, ipse prædixit: Quid proderit homini, si totum mundum lucretur, animæ autem suæ damnum patiatur? Sed seductos nos à quocunq; causabimur. Sed nõ potuit Adam vxoris illecebras excusare, dicens: Mulier quam dedisti mihi sociam, ipsa me seduxit. Nec rursus vxorem serpentis culpa defendit. Magni horrendiq; timoris plenum illud Theodore iudicium est, nõ accusatore eget, neq; testes requirit. Omnia enim nuda atque detecta sunt oculis iudicantis: nec factorum tantummodo, verum etiam cogitationum nostrarum rei necessario subiaceamus. Scrutator enim atque discretor est cogitatiois & cordis ille qui iudicat. Sed forsità naturali infirmitate tentabimus crimẽ obtegere, nec potuisse nos susceptũ iugum ferre dicemus. Et qualis hæc excusatio erit, iugum nos placidum non voluisse sufferre, onus non potuisse portare, quod ipse vocauerit leue: imò graue, & onerosum pondus putare, quietum laborem, ad quem nos Christus inuitat, dicens: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego vos requiescere faciam. Et rursus: Tollite iugũ meum, quia suaue est, & onus meum leue est. Quid enim leuius esse dices ac melius, quam sollicitudine seculari, & laboribus & metu exui, quam ab istius mundi fluctibus segregari & possidere placidi tranquillique portus securitatem? Agẽ perspiciamus quid in hoc seculo nobis beatum, quid optabile esse videatur. Sine dubio dignitatem, & opes dices, & ambitionis humanæ felicitatem. Sed quid his miserabiliẽ erit, si ea libertati Christianorum volueris comparare? Illum primatem beatum æstimas. Iudex populari iracundiæ subiacet, multitudinisque vulgaris irrationabilem impetum tremis: maiorũ autem potestatum auctoritatem veretur, & perpetua pro his quos regit, sollicitudine frangitur: & qui paulò ante iudex erat, fit repente priuatus. Non est profecto theatralibus scenis præsens vita dissimilis. Nam ut illic imperatoris, hic iudicis, alter & militis implet officium: vbi autem consecuta nox fuerit, nec imperator agnoscitur imperator, nec iudex qui fuerit iudex videtur, nec miles postea qui prius miles: ita vnusquisq; nostrum in illius seculi die, non personis, sed rebus atque actibus competentem accipiet dignitatem. Hæc ergo gloria iudicanda est, quæ sic ab homine defluit, ut cadere diuinus sermo florem dixit à fœno? Sed diuitiarum pompa laudanda est, quam qui possident, miserabiles iudicantur. Væ enim inquit, diuitibus. Et alibi: Væ his, qui confidunt in virtute propria, & qui in vbertate diuitiarum suarũ gloriantur. Christiani autẽ nec priuatus ex iudice, nec pauper ex diuite, nec ex glorioso esse ingloriosus potest, sed opibus semper ex vbertate fit egendo locupletior: at tunc maxime supra omnes esse incipit, cum inferiorem se omnibus facit, & ex dignitate illa, per quam regit nõ homines, sed mundi istius potestates, ipsumq; secularium tenebrarum obtinet principem. Humilitas quippe nõ illa tantum laudatur, quæ de conscientia peccatorum venit, sed illa, quæ ex virtute descendit, deo chara est. Et quia in ea requiescit deus, ideo omnibus dominatur, & nullus eum de hac dominatione detrudere potest. Bonum quidem nuptias & ipse confiteor. Honorabiles, inquit, nuptiæ & cubile immaculatum. Fornicatores autem & adulteros iudicat deus. Sed te iam seruare non conuenit priuilegia nuptiarum: Angelorum enim societati semel iunctum, illam relinquere, & vxoris laqueis implicari, adulterij

Math. 11.

Luc. 6.

Psal. 48.

Ecc. 13.

A crimen incurrere est: quamuis frequenter hoc ipsum nuptias voces, ego tamẽ & adulterio illud tanto peius affirmo, quanto maior ac melior mortalibus angelus. Neque vnus tibi forte persuaserit, dicens: Nihil de nõ accipienda vxore dominus præcepit. Nec me ignorare confiteor, quod adulterium interdixit, non nuptias vetuit, verum in te adulterij nomen accipiet, si volueris vnquam, quod abis, nuptias cogitare. Et quid mirum, si nuptiæ tales, quibus offenditur deus, adulterio comparantur? Maius longe audies: Homicida iustorum laude donatur, & misericors plus quam homicida punitur: quoniam hoc vetante fit domino, illud volente. Et Phinees quidem ad iusticiam reputatum est, quod impudicum cum turpi fœmina virum vno gladio percussisset. Saulem autem Samuel sanctus dei in luctibus, lachrymis, precibusque pernoctans, damnatione, cui illum addixerat deus, liberare non potuit: quoniam hostium duci, quem debuerat trucidare, inuito parcendum credidit deo? Cum hæc ita sint, stupere desiste si nuptiæ peiores adulterio iudicantur, quoties Christus offenditur. Atque ut illud repetam, quod in principio posui epistolæ, si militiæ vincula non tenerent, quis tibi desertionis crimen obiceret? Nunc autem nihil in te penitus tui iuris est, quippe qui tanto imperatori militare cœpisti. Nã si mulier proprii corporis non habet potestatem, sed vir: multo magis hi, qui Christo potius quam sibi viuunt, conditione corporis sui habere non possunt. Iste qui nunc Theodore contemnitur, ipse tunc sine dubio iudicabit. Hoc præcipue cogitemus, prospiciamus illum igneum fluum, qui ante conspectũ ipsius præcedet: & quod qui illis semel traditus fuerit flammis, sperare non poterit requiẽ, finemque pœnarum. In hoc quippe seculo aut queritur vita, aut amittitur. Huius enim vitæ diuitiæ, & illicitæ voluptates, somno similes vmbriq; transcurrunt, in quibus antequam peccato terminus detur, delectatio cupiditatis extinguitur: illa vero supplicia, quæ homines propter ista suscipiunt, non carent sine tormenti: & quod hic oblectare creditur, temporale est: quicquid autem illic cruciat & consumit, æternum est. Quid in hoc mundo stabile, quid perenne est? Credo diuitiæ, quæ vsque ad vespertinas quidem horas plerunque manserunt: Sed fortasse gloria secularis? Audi ergo cuiusdam venerabilis viri vocẽ: Tempus, inquit, vitæ meæ leuius cursoribus fuit. Ut enim illi priusquam bene stent, exiliuit: ita & hæc euolat antequam veniat: Nec ignoro quod inferiorem te fecerit contra inimici conflictum cessatio dimicandi: scio quod in medio verferis incendio secularium voluptatũ. Sed si aduersario dictum velis, nõ seruiemus oblectationibus tuis, nec radicem adoramus omnium malorum: si sustuleris ad cœlum oculos, mox caliginem dominus tetricus excutiet: & eos quidem, qui te ad incendium impulerunt, concremabit: te autem in medio fornacis cõstitutum resperget rore nebularum, & sibilantis auræ spiritu æstuantia tibi corda mulcebit, ita ut nec ad cogitationes, nec ad conscientiam tuam vis ignis accedat: tantum ne requiescere segnior velis, & sponte vincaris. Nam & munitissimas ciuitatum, cum sæpe omnia obsidentium tela vicissent, omnium expugnationum genera vitassent, vnus tantum vel alterius ciuiũ interius commanetium occulta proditio sine villo repente certamine capi fecit. Et nunc caue, ne qua in sensibus tuis cogitatio proditiois tibi machinam moliat innumeris artibus, licet lógi tẽporis expugnatione

Iob 9.

murorum vtatur inimicus, incassum cuncta tentabit. A Multos nanq; ac magnos habes diuini muneris gratia viros, qui nobiscū dolent, qui te palestri oleo spiritali sæpe perfundūt, qui pro animæ tuæ diebus ac noctibus salute formidāt. Habes sanctum Valerium, ac deo dignum: Florētinum quoq; per omnia eidem morum ornamento germanum: Habes Porphyrium philosophiam Christi philosophantem: aliosq; præterea plures numero, & pares vita. Omnes hi indefessa casum fratrum lamentatione deplorant. Etiam sine dubio iugipre meruissent assequi dudum quod precabantur, si paulisper hostiū temetipsum laqueis erueret tentasses. Quo modo ergo non incongruū, & reprehensione dignū videtur, si cum alijs nūc quidē de tua salute desperent, sed continuis orationibus recepturos se proprii corporis fratrem esse confidant, nolis ipse consurgere semel lapsus, sed iacere persistas, atque ipsum quodā modo hostem increpes, dicens: Occide, ne parcas. Nunquid qui cadit, non resurget? in libris cœlestibus legimus dictum. Verum contradicis ipse his sermonibus, & repugnas. Nā desperare semel lapsū, nihil aliud est dicere, quā hoc, qui semel ceciderit non resurgat. Ne quæso, ne vsque adeo in expugnatione tui, ac lassione permaneas, nè tantum ignominia omnibus nobis offundas dolorē. Et quidem non nunc solū loquor, quando annum vicesimū necdum agis, sed etiam si omni te æuo Christo vixisse meminisses, postmodū autem in vltimo senectutis curriculo æquē vt nunc lapsum viderem, ne tunc quidem huiusmodi in te desperationem probarem. Sed erige, obsecro, mentem euangelici latronis exemplo iustificati in cruce, & in ipsa morte saluati. Ante oculos collocabo eos etiā, qui vndecima quidē hora aggressi sunt opus, sed ad totius mercedem diei peruenire meruerunt. Vt igitur satis durū videtur, ac barbarum his, qui deuoluti fuerint ad profundū imigurgitis cœnū, si tamē casus prioris crimina emendēt, salutare correctis remedium denegare; ita rursus haud tutum est hac spe hominem ad vicia nutriri, vt dicat, emendatio post ista succurrit, nunc interim voluptatibus vitæ istius fruatur, postea autem per exigui temporis castitatem mercedis tranfactorum quoque adipiscar annorum. Memini nanq; sæpe dixisse his, qui in studiis tibi secularibus posito tam perniciofa suadebant, etiam si in isto, aiebas, breuis temporis spacio, bonum terminum vitæ minime fuero consecutus: quemadmodum ad illum ibi, qui dixit: Nolo differas conuerti ad deum, neque diem ex die protrahas: nescis enim quid pariat superuentura dies: huius animi, huiusque consilij recipe ac recordare obsecrationem, & constringe vinculis furem. Hoc enim nomine excessum de hoc seculo nostrum Christus appellat, quod ignorantibus veniat, & nescientibus nobis repentinus adsistat. Considera vniuersas mundi istius curas, vel quæ singulis quibusque sunt propriæ, vel quæ multis solent esse communes, metum intolerabilis iudicij, & extrema nonnunquam pericula, quæ ad inuidiam ciuium plerunq; nascuntur, miserabiles illos labores, & seruire adulationis ingenium: imò & seruos quosque, qui honestiores paululum videntur indignos terrenorum operum, ac breues fructus, quorum infelici cupiditate deficiunt. Multi etiam voluptate ob quam tot labores impenderant caruerunt, & priori omni æuo in sollicitudinibus periculisq; consumpto: tunc cum recepisse se immēsi sudoris putauere mercedem, subita morte præuēti, nihil secum ex his, quibus nec hic quidē vti potuerant, abstule-

runt: nec immerito. Nam si huius telluris imperatorē vix aliquem post multa discrimina, post frequentium trophæa bellorum cum autoritate promerita videre contingit: quemadmodum cœlestem omnium regē poterit intueri ille, qui per totum suę temporis ætatis alij vixerit, & alij militarit: Agē vt & de domestica, quę in vxore, filiis, seruulisq; sunt solitudine dicā, durum esse filios non habere monstrabo, quorum alterum frustra nuptiis illigari est, alterum amarissimæ succumbere seruituti. Aegritudo tentabit paruulū, formido præcipue immaturæ mortis dirumpit, orbitate non ferenda, crescentibus deinceps annorum gradibus curam quoque adipiscar animorum, ac semper pro ipsis, aut timorem parens sustinet, aut dolorem. Graue equē est, si se magis pauperē quis agnoscat vxore: graue etiam, si ditior sit illa, quæ nubit: vno enim facultates mariti imminuuntur, alio libertas & autoritas derogatur. Quis præterea illas enumerare molestias possit, quæ à dominis ingeruntur seruis? Hæc ergo Theodore charissime vita dicenda est, vnā discerpi ac diuidi animā in tam varias rerū ac personarū necessitates, tot hominibus seruire, tot viuere, sibi autem soli tēpus omne viuendi penitus denegare. Nihil horum apud nos dilectissime, quod & te teste cōfirmo, inueniri potest. Illo enim ipso perbreui tempore, quando paulisper demersum fluctibus caput expedire tēstasti, memor es quæ dulcedo, quod gaudium in tua mente se diffuderat. Non est profecto, nō est omnibus curis solut^o ac liber, nisi solus ille, qui Christo viuit ac seruit. Ille semper vniuersis quæcunq; sunt malis superior inuenitur: tantum vt seipso aduersum se vti nolit inimico. Alius ei obesse nihil poterit, nullius vnquam regis captiua colla iugo submittit, non facultatum damnis sollicitatur: quippe qui dicit, quod nihil intulimus in hunc mundum, neq; hinc quicquam auferre poterimus: non gloriae aut bonorū cupiditate superatur. Scit enim quod nobis dignitas nostra seruetur in cœlo, non conuiciis, non plagis ad iracundiam commouetur: vnum tantummodo Christianus iudicat malum, solumq; formidat, domini cœlestis offensam. Nam illa alia, hoc est imminutionem pecuniarū, amissionem patriæ, periculum vitæ: quorum omnes etiam memoriam perhorrescūt, perniciofa prorsus esse non credit. Hinc autem aliquando migrare, & ad superna transire fore dulcius, sub ipsa vitæ istius luce confidit, vt si quispiam rupis excelsę verticem tenens, pelagus omne prospiciat, multosq; inde nauigantium crebris fluctibus freti, vnda submergi, alios in prærupti montis saxo collidi, nonnullos ad alia littora contendendo properare, & subito vi tempestatis, vt vincos ad alia deduci, plures sorbente vnda sæuientis profundima penetrare, aliquos tabulæ vnus auxilio ex fragmentis nauis inuentæ à morte defendi, aliquando pro gubernaculo, atque remigiis manibus tantummodo suis vti: alios autem videat inter turbidos fluctus multiformi atque multiplici genere cadauera ferri: ita est ergo ille, qui militat Christo, cum se à tempestatibus atque turbinibus vitæ istius separat, consistit in arduo semper, ac tuto securus loco. Quid enim celsius potest esse, quid tutius, quā vnā tantum nos sollicitudinē gerere, quemadmodum deo placere possimus? Vidisti certe Theodore naufragia huiusmodi, pelag^o vndasq; declina, & excelsum illū huiusmodi pelago quare nauigantem: quamobrem obtestor ac deprecor, fugē maria, vndasq; declina, & excelsum illū, atque à periculo captiuitatis immunem occupa locum. Resurrectionē

Theo-

Rom. 14.

1. Ioh. 2.

1. Corin. 6.

1. Corin. 3.

Theodore non ambigis fore, & illud cœlestē iudiciū, quod nos post finem vitæ huius expectat. Omnes, inquit beatus apostolus, nos ad stare oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, pro vt gessit, siue bonum siue malum. Nō incassum gehenna cum pœnis denunciatur, nec frustra tot ac tantorum bonorum præmia præparantur. Vmbra autem quædam ipsiq; vmbri inaniore nequiorq; est conuersatio secularis, plena periculorum, plena tormetorum, extremo cuidam seruitio subiugata. Ne quæso & præsentis temporis bono frauderis, & futuri. Licet autem vtrunque lucrari, si velis facere: clamat beatus Ioānes: Qui in Christo credit, debet sicut & ille ambulauit, & ipse ambulare. Et alibi: Fugite fornicationem: & iterū, Tempus breue est: & Bonum est, inquit, homini mulierem non tangere, quasi & in tactu solo periculum sit: & iterum, Volo autem omnes homines esse, vt me ipsum. Beatus qui Pauli similis fuerit, felix qui audit apostolum præcipientem, non ignoscetem. Liberi nos arbitrij esse natura permisit, vt quod volumus, hoc faciamus. Eligamus igitur bonum potius, quia boni dei creatura sumus, ne nos diaboli opprimant mala. Nam qui in Christo viuunt, etiam istius mundi commoda consequuntur, dicente apostolo: Vos, inquit, templum dei estis, & spiritus dei habitat in vobis. Et quæ cœlum & terra non capit, famuli dei pectus capit. Vides ergo Theodore, quod in hac vita etiam melior ac maior ostenditur ille qui deum, quā illi qui coniugis curam gerit. Nullus quippe hinc ad illam transgressis pœnitentiæ locus est. Neque enim aliquis athletarum posteaquā egressus stadio fuerit, spectaculis ex more finitis luctamē aggredi potest. Hoc si cogitare semper velis, terribilem illum, atque violentum maligni damonis gladium, frangendo comminues, quo interficere plurimos solet, per quem delectio spem resurrectionis abscindit. Graue istud ac durum est armorum ipsius genus, & alia semel captum arte nō retinet, sed huiusmodi vinculis illigatos constringere solet, quos potuerit subiugare. Quos tamen nexus cito, si volueris, dei nutu dissoluendo rumpemus. Scio quidem me epistolæ excessisse mensuram, sed ignosce quod longius paulò nō sponte processis, sed tristitia acerbitate compulsus, & charitatis affectu: propter quam & ipse mihi, vt nosti, imposui istam scribendi necessitatem, vt antibus multis atq; dicentibus: Omitte, quid incassum laboras, & supra petram, vt aiunt, feris? Sed cum multi mihi ista suaderent, nulli acquiescendum putabam. Spero enim, vt mecum ipse confero, Christi dei nostri clementia faciente literas aliquid profuturas: sin autem id quod abhorret ex votis fuerit consecutum, nos tamen non mediocriter consolabimur, si silentij crimen vitare potuerimus, neque his, quibus mos est peragrare totum nauibus fretum, peiores esse credemur. Qui quoties viderint eiusdem artificis disciplina nauē fluctibus mersam, aut ventorum impetu dissolutam, incumbentes allicuius tabulæ pelago sæuiente deferri, vela deponunt, & ancoras iaciunt, & minoris nauiculæ remigiis occupantes homines, alias fortassis ignotos, sed ex præsentis periculi cōditione noscēdos, omnibus modis serua refestinant. Verū si illi forte respuerint salutis auxiliū, nullus his credo poterit imputare eorundem perditionem, quasi noluisent seruare perituros. Hæc à nobis transmissa perspicias. Speramus autem quod etiam à te inuicem nobis votiuā referentur, & quod iterato te sancto atque felici saluatoris discipulorum choro vi-

Tomus quintus.

debimus aggregatum, incolumemque te sanitate, quæ vera est, citius recipiemus, orationibus sanctorum. O mihi amicum caput, si qua etiam nunc in sensibus tuis memoria nostri est, neque ab arcano pectoris tui expulsi, dignare scribere. Non enim ambigis ex literis tuis maximum nobis gaudium esse venturum, Amen.

Ad Eutropium quæ hoc loco legebatur non est Epistola, sed oratio in Eutropium, quærenda circa huius tomus finem.

EPISTOLA D. IOANNIS CHRYSOSTOMI ad Olympiam feminam cum primis illustrem.

T corpora, quæ cū validis luctata sunt febribus: & maria quæ cum ventis ferocibus certarunt: non repente, neque illa aduersitatem deposuerunt, quam suscipere de febribus, nec ista motus, quos habuere de fluctibus: sed sensim paulatimque. Nam & corpora plurimo tempore indigent, cum febrile cessauerint, ad diluendum omne imbecillitatis, quod ex semet remanserat, tædium. Aquæ quoque vbi etiam aduersi spiritus flare deserint, diutius fluctuant ac mouentur, & durant huc illucque iactitata, & plurimo impetu circūactæ opus habent ipsæ etiam tempore ad redeundum in tranquillitatem serenam. Hæc autem præmia sum præloquuntur tuæ non temere venerationi, sed vt addiscas, quod & istam tibi necessario epistolam mittimus. Et si omnem mœroris dissoluit tyrannidem, & omnem arcem eius effodimus per literas præcedentes: tamen multā habet instans sermo necessitatem, profundam etiam operandi pacem, vt memoriam omnium delens, quæ veniunt ex mœrore turbaram, tranquillitatem tibi candidam monstrat & firmam: & in plurima te securitate cōstituat. Id enim nobis studij est, non vt solum te à mœrore liberemus, sed & repleamus iucunditate quam plurima atq; perpetua. Possibile enim erit, si voles. Neq; enim in immutabilibus naturæ legibus, quas cōmutare vel trāspōnere nō valemus, sed in arbitrij sensibus liberis quos tractabiles habemus, status ipse ciuitatis est positus, vt & nosti, & ante forte meministi. Neq; enim multū tēporis intercessit plurimos me ac prolixos super hoc consumpsisse sermones, cum frequenter historias recenserem, quas in medium deducebam. Non enim ita in natura negotiorum, sicut in hominum mente assolet stare felicitas. Igitur quoniam ad hunc se habet modum rerum præsentium conditio, vt & multi diuitis affluentibus, vi tam istam arbitrati sint non viuendam: alij contra in extrema paupertate degentes, latiores omnes perdurarunt. Et illi quidem dum vterentur officiis, gloriaq; vel honoribus fruere, vitæ maledixerūt suæ: hi vero ignobiles, & ex ignobilibus, & nulli penitus noti, beatiore plurimos se crediderunt. Neq; enim vt in natura causarum, sic in animis hominum, ea quæ eueniūt, à prosperitate consistunt. Neque sanè cessabo frequenter istud recantans. Ne ergo recedas: sed erige te, & sermoni dexteram porrige. Et hoc nobis adiutoriū præsta, vt plenius te ab istarum cogitationum amarissima captiuitate rapiamus. Si enim nolueris ipsa quoq; tantum, quantum nos studium commendare: nihil vobis proderit ista medicina. Et quid mirum est, si nobis ista contingunt: Etenim omnipotens deus, cum exhortatus fuerit & consolatus quemlibet: ille vero qui audit, non obediat dictis: ne tum quidem aliqua ex parte proficiet: sed & maioris hinc pœnæ occasio ei, qui noluerit obedire, nascetur. Et hoc significans Christus

E iij dicebat:

Ioh. 15. dicebat: Si nō venissem, & locutus eis nō fuisset: peccatum nō haberet. Modo vero excusationē nō habet de peccato. Et præterea, Hierusalē quæ occidis prophetas & lapidas eos qui ad te missi sunt: quoties volui cōgregare filios tuos, quemadmodū gallina congregat pullos sub alas, & noluit: Ecce relinquetur domus vestra deserta. Hoc igitur sciens labora & da operā, atq; contende habens subsidium eorū quæ dicta sunt, expellendi & eiiciendi cū multa virtute turbantes te cogitationes, tumultū & tempestatem maximā concitantes. Sed quōd istud operaberis, & hanc nostram admittes exhortationem, omnino non dubito. Oportet autem te tibi præparare gladios & hastilia, & arcus & sagittas, & clypeum & tibialia: vt his quidem muniaris, illis vero adoriaris atq; configas, & tanquam mortuas exponas superuenientes tibi tumultuosas cogitationes. Vnde itaq; machinamenta & funditores comparemus: quatenus ne iuxta quidem hostes permittantur accedere, sed admodum procul mœror cum plurima excellentia propellatur. Pauca quædam de ea philosophemur atq; monstremus, quā grauis hæc res sit & molesta. Nam tristitia animarum crudele tormentum est, dolor quidam inexplicabilis: & iudicium omni iudicio vindictaq; deterius. Nam & vermi est similis venenato: non solummodo carnem, sed & animam ipsam perimēs. Et tinea non solū ad ossa, sed ad corda pertingens: & perpetuus quidam carnifex non animam dilanians, sed vires animæ consumens: & iugis nox, ac tenebrę profundæ, & tempestas, & turbo, febris non apparens omni igni validius incendens, & pugna requiem non habens, & languor plurimos obscurans videntur. Nam & Sol, & huius perspicui aëris natura impedimento videtur esse taliter affectis: & in ipso meridie profundissimam noctem videtur imitari. Vnde & admirabilis Propheta, dum significaret ista, dicebat: Occidit illis Sol meridie, non tanquam sydere dissipato, neque tanquam si huius cursus esset incusus: sed quōd in mœroribus anima constituta etiam diei lucem noctem putaret. Non enim noctis tenebrę tales sunt, qualis nox mœroris existit, non quidem veniens ex lege naturæ, sed ex cogitationum obscuritate collecta: formidabilis quædam & intoleranda subsistens, crucem circumferens, faciemq; omni tyranno crudeliorem præ se ferens: nulli facile obtemperans eorum, qui eam dissoluere moliantur, sed adamante fortius tenet frequenter animam captiuatam: si quando hæc plurima philosophia via non fuerit. Quid istud opus est recensere, tanquam de proprio proferentem? Est in manibus in eos qui superati sunt, iam venire, & inde eos ipsi vires addiscere. Magis autem, si videtur, prius interim probationem eius aliunde faciam. Quando enim Adam peccauit illud graue peccatum, & omne genus hominum in commune damnauit, de mœrore pœnas luebat: illa vero quæ amplius deliquerat, ideo quoq; grauiore tristitia mœrebat: adeo vt huius peccatum, dum cum viui comparatur errore, non putetur illud esse peccatum. Adam enim non est seductus: mulier autem seducta in prauaricatione fuit. In prauaricatione igitur ista seducta fuit, dū tale sibi ac viro poculū temperasset: ideoq; hoc genere vindicta punitur quasi quæ possit dolore sufferre mœroris. Multiplicās enim, inquit, multiplicabo mœrores tuos, & gemitū tuū. In tristitia filios generabis. Nusquam dolor, nusquā labor & sudor, sed mœror & gemitus, Et illa, quæ ex his vindicta descendit, doloribus & infinitis mortibus est cœqualis, imō etiam

A multo deterior. Nōne caput humanorum malorum formidabile, & non ferendum, & mille videtur luctibus dignum? Nōne iniquitatis extremæ hanc esse Paulus dixit vltimam pœnam? Nam indigne mysteriorum sacramenta tangentes, & venerandæ mēse participes inhonestos, hanc pœnam luere memorauit ita dicens: Propterea inter vos multi debiles & infirmi, & dormiūt plurimi. Nōne & legislatores omnes eos, qui intolerabiliter deliquerunt, hoc vindictæ genere damnauerunt? Sed & deus nōne hanc in lege posuit vltimam pœnam, his qui magna peccassent? Nōne propter huius mortis timorem, patriarcha ille Abraham & qui humanam vicisset naturā: vxorem propriā maluit voluptatibus donare barbaricis, & Aegyptiæ tyrānidē? Nam fabulam ipse componebat iniuriæ, & rogabat vxorem, vt cū eo tam horrendam tragœdiā simularet. Nōne erubescit, huiusmodi scenæ proferens causam? Erit enim, inquit, vt cū viderint te facie clarā, & speciosam vultu, occident te: te vero reseruabunt. Dic ergo, quōd soror mea sis, vt bene mihi sit, & viuat anima mea propter te. Vides timorem? vides tremorem, exagitantem excessam & philosophicam illam animam? Vides adamantem formidine solutum? Mentitum genus, & aliam pro alia persona inferebat. Quis enim non confundatur & decidat: cum videat eum, qui heri & ante paucos dies gradiebatur stipatus, atque mille aëtus exquebatur, domus, vxoris, famulorum, liberorum curam gerebat, minabatur, terrebatur, irrogabat pœnas, inferebat supplicia, mille alia per ciuitates atque regiones operabatur: subito iacere præ ipsis lapidibus plus tacentem, plurimis se lamentantibus & amicis lugentibus, vxore vulnerante cor, genas lacerante, crinesq; soluente, ancillarum choros vndique congregante cū multo, vt diximus, planctu: illo nihil penitus sentiente? Omnia enim subito recessere de medio, mens, cogitatus, & anima, & flos ipse faciei, motusque membrorū: & successere deformis vocis amissio, insensibilitas, corruptio, sanies, vermis, cinis, puluis, fœtor, dissipatio plena visionis horrendæ: vsque adeo, vt ossa ipsa totius soluantur corporis. Sed interim totum hoc formidabile & ipsis rebus ostensum ex sanctorum illorum timore, longē leuius est mœroris tui defectione. Propter hanc enim prolixiore verborum ambitu diem consumpsi: vt te doceam, quam pœnam modo sustineas: & quo modo ad æqualem libram huius defectionis, multo maiorem vicem expectes bonorum. Vt autem discas quoniam hæc ita sunt, vt dicuntur: ad eos iam confugiam, qui ab hac captiuati esse noscuntur, ad quos & prius venire cogebar. Hebræorum enim populus, dum Moses venisset, & libertatem euangelizasset, & Aegyptiorum malorum liberationem, neque sic eum audire sunt passi. Nam & causam legislator ille memorabat: Locutus est autem Moses populo, & nō audiuit populus Mosē a pusillanimitate. Et quādo maximas Iudæis deus tetenderat minas pro iniquitate multa, post commorationem in aliena regione, post fames, post morbos, & humani generis cibum: hęc infert vindictam, dicens: Dabo illis cor deficiens, & oculos deficientes, & animam tabescentem. Sed quid opus est nominare Iudæos, populum, videlicet, in quietum, & insipientem, & carni solummodo mancipatum, & philosophari nescientem? Possuum in præsentia magis ex præclaris illis viris super his accipere probationem. Nanque apostoli triēnio cum fuissent cum Christo versati, & de immortalitate multa fuissent edocti

docti, aliisque secretis: cum operati fuissent signa miranda, & omnem gloriam supergressi, & ipsum admirationis authorem multo tempore ob oculos habuissent, & cum mēse vnus & confabulationis tantorum sermonum participes extitissent, & essent omnimodis eruditi: quia audire verba, quæ pusillanimitatem sibi met concitarent, frequenter eum retinentes & suspensi ab eo sicut infantes, qui intenti sunt sub mammis, & semper eum interrogātes, Quō vadis? ita extincti sunt tristitię tyrannide, & toti mœrore confecti sunt, vt ab eo hæc vltra non quærerent. Et ob hoc increpans eos Christus, dicebat: Audistis, quia vado ad eum qui me misit, & venio ad vos: & nullus ex vobis interrogat me, quō vadis? Sed quoniam ista locutus sum vobis, tristitia repleuit cor vestrum. Vides, quo modo amor Christi tristitiā tenebras fecerit, & quo modo est in illos grassata captiuitas, & suos esse penitus hæc effecit. Helias vero ille, non enim discedam ab eo, ne nunc quidē post fugam atque discessionem a Palæstina, tristitiā ferens regnum: etiam fortiter mœrebat. Hoc itē conscriptor iste significabat, dicens: Quoniam abiit secundum animam suam. Audi quid dicit, orans: Sufficit domine, accipe animam meam: quoniam non sum ego melior supra fratres meos. Et illud timēdum, illius totius vindictæ cumulum, malorum omnium caput, totius peccati supplicium: hoc in orationibus postulabat, & pro gratia quærere accipere: ita morte mœror grauior est. Vt enim illud fugerit, refugit ad mortem. Hoc in loco aliquam tibi volo etiam soluere quæstionem. Noui enim desiderium tuum circa solutiones eiusmodi, & admodum noui, quantum tibi hinc conferam gratiæ. Quid sibi vult ista quæstio? Si mortem meliorem mœrore credebat: quare & patriam & populum, ne mortem incurreret, reliquit & fugit? Quo modo autem mortem quam tunc fugerat, nunc requirit? Vt videas hinc etiam maxime quo modo morte peior est mœror. Cum enim eum solus ille timor turbasset: sine dubio agebat omnia, vt eum posset effugere. Cū vero incidens ista tristitia propriam ostendit naturam exedens eum, & consumens dentibus suis intolerabilem huic penitus factam: tunc demum ille, quod erat plus omnibus graue, leuius aestimauit. Ita & Ionas mœsticiam fugiens, confugit ad mortem: & ipse, ne intret, postulat dicens: Accipe animam meam a me: quoniam bonum est mihi mori magis, quā viuere. Et Dauid, siue ex persona propria, siue aliis quibusq; plangentibus: psalmum scribens, id ipsum indicat: Obmutui, & humiliatus sum, & silui a bonis, & dolor meus renouatus est. Concaluit cor meum intra me: & in meditatione mea exardecit ignis: illum ignem & igne validiorem mœroris significans passionem. Vnde nequaquam ferens plagas eius & dolores locutus sum, inquit, in lingua mea. Dicis mihi, quid loquimur? Mortē. Et ita postulat, dicens: Notum fac mihi domine finem meum. Et numerum dierum meorum, quis est: vt sciam, quid desit mihi. Vt quid, inquit, ego derelictus sum, & quid deerit mihi? Hoc est, vt quid hic remansi, & in præsentia eius optaret addiscere. Notum enim fac, inquit, domine mihi finem meum: vt & hic fruatur maxima voluptate: ita votiuum, quod timebatur, efficitur. Propter intolerabilem mœsticiæ dolorem, & ignem qui in mente succenditur: in meditatione, inquit, mea exar-

A descit ignis. Tantam itaque supplicij vim sustinens, bonorum vices maximas sperabat: multa brauia, innumerabiles retributiones, claras ac valde florentes huiusmodi certaminum coronas. Nam non solum bona noui, inquit, facere: sed & pati quidlibet mali, spretus plurimæ mercedis atque maximis præmiis illectus. Et ad hunc iam ecce procedo sermonem fati tibi & omnibus profuturum, & idoneum vrgeri homines ad patientiam, & erigere ad tolerandum: nec sinere istis passionum sudoribus cedere. Itaque quōd omnibus passionibus peiorem constaret esse tristitiā, & malorum omnium cumulum principiūque: sermo iam nobis istud abundantissime comprobauit. Restat autem iam recte factorum & periculorum facere comparisonem: vt scias manifestē, quōd non solummodo præclara facientibus, sed aduersa sustinentibus, retributiones appositæ sunt, & remunerationes admodum magnæ: quæ non minus ad tribulationes pertinent, quā ad virtutes. Magis autem est, vbi & debeantur amplius tribulationibus. Et, si placet, maximum inducamus patientiæ certatorem, qui in vtroque eorum fortiter splenduit: illum, inquam, adamantem, illā patientiæ petram, qui in Ausitide quidem regione durauit: per omnem vero orbem excellentiæ suæ virtutibus inclaruit. Et dicam eius actus & passiones, vt videas, vnde amplius eluxerit. Qui igitur erant huius boni actus: Domus, inquit, mea omni venienti patuit: & cōmunis erat viatoribus portus. Illius ferē omnia possidebant. Ego enim, inquit, eram oculus cæcorum: pes vero claudorum. Ego eram pater inualidorum. Iudicium autem, quod non noueram, inuestigauit: & cōfregi molas iniustorum, & de medio dentiū eorum rapui rapinam. Infirmi autē quancunq; habuerunt aliquādo necessitatem, a me impetraverunt. Neq; exiit quisquam ianuam meam sinu vacuo. Vidisti varias species humanitatis, & diuersos misericordiæ portus: & eos qui opprimerentur, modis omnibus adiuuantem. Vidisti inopem sufferentem, vidisti viduitati subuenientem, oppressos tuentem, vim facientibus formidabilem. Neq; tantū vt adesset ac iuuaret, studium propriū demonstrabat. Hoc enim solet esse multorū: sed & vt negociū ad finē vsq; deduceret, & cum magnis hoc viribus faceret. Confregi enim, inquit, molas iniquorū: cōtra contentionē videlicet illorum, prouidentia suam erigens, velut murum. Non autē solis hominū malignitatibus, sed & ipsius naturæ insidiis opposuit diligentiam suā: ex abundantia virium suarum emendans eius errores. Non enim habebat, quæ tribueret, membra peccatis. Nam cum dat oculos suos cæcis, pedes claudis, fiebat totus membra debiliū: & per eum orbat luminibus, priuati cruribus, illi videbāt, hi ambulabant. Quid par isti inueniri possit humanitati? Nosti cæteras eius, credo, virtutes: vt ne omnia prosequens, videar elongare sermonem. Mansuetudinem videlicet, lenitatē, castitatem veram. Qui etiamnum cum validus esset cōtra iniqua facientes, nam vere admiratione maiore istud dignum, mitis erat atq; māsuetus, & ipso dulcior melle, etiam cæteris omnibus ē famulis suis: quia amorem, quem circa illum sumpserant, demonstrabant dicentes: Quis det nobis de eius carnibus satiari? Si autē seruis ita desiderabilis erat & amabilis, quibus necesse est frequenter timori esse dominantem: multo vtique magis cæteris sanctis omnibus. Hęc igitur & his plura apud temetipsam colligens veni, egredere mecum in quendam passionis eius catalogum: & videamus sin-

Amos 3.

1. Tim. 2.

Gene. 3.

1. Corin. 11.

Gene. 11.

Reg. 19.

Ion. 4. 1-2

Psal. 38.

Exod. 3.

Deut. 28.

Iob 31.

Ibidem.

Λεωδου-
μύαυ.

gula comparantes, quando clarior apparebat, cum illa operaretur, an cum tristitiam pateretur, & quæ defectū ei plurimum commouerunt. Quando itaq; erat Iob illustrior, quando domum suam omnibus aduenientibus aperuit: an cū ea ruente, verba amara non protulit, sed potius domino benedixit? Vtiq; cum hoc quidem virtus esset, istud ærumna. Quando splendidior erat, dic mihi, cum sacrificabat pro filiis suis, & eos ad concordiam congregabat: an cum defossi & amarissimo genere fuissent mortis extincti, cum magna philosophia pertulit quod euenit? Quādo potius ille radiavit, quādo ne de tonsura ouium suarum calefacti sunt humerum nudorum: an cum audiens ignem descendisse de celo, & exedisse cum pastoribus greges, non est commotus, neque turbatus: sed amantissime pertulit casum? Quando maior illuxit, cum sanitate corporis ad oppressorum patrocinium utebatur conterēs molas iniquorum, & ex medio dentium rapiens rapinam, miseris portus existēs: an cum hoc idem corpus eius, hoc est indigentium scutum, vermibus videbatur absumi, sedens in stercore, & testa illud radens: Impleo, inquit, tabo glebas terræ? Atquin illa quidem omnia præclara facinora erant, ista vero omnia passiones: sed tamen ista illum clariorem, quā illa fecere. Hæc enim maxime amarissima certaminum portio, & maiorem virtutem requirens, & animam fortiorem & mentem philosophiæ appositorem, quæ maiorem circa deum habebat charitatem. Et præterea cum illa quidem fierent, etsi impudenter & valde crudeliter: attamen contradicit diabolus, dicens: Nunquid gratis colit Iob deum? Hæc vero cum contigissent, confusus abscessit, terga dans quod neque vel impudentem contradictionem, vmbra saltem habentem aliquam possit opponere. Hæc enim coronæ perfectio, hoc virtutis cacumen, ista fortitudinis aperta probatio, hoc verissimum philosophiæ incrementum. Indicat autem hic ipse beatus Iob: quanto tyrannis hæc animorum, mœror scilicet, sit ipsa deterior morte, requiem eam vocans. Mors enim, inquit, viro requies. Hinc eam pro munere postulabat: tantum, vt à tristitia liberaretur, dicens: Si enim cōcedat dominus, & veniat mihi petitio mea, & meam spem det mihi deus: incipiens dominus vulneret me, & in finem me interficiat. Sit autem ciuitas mea sepulchrum, in qua supra murum eius insiliebā. Quanto itaq; animi mœstitudo talis omnibus erat grauior, tanto maiores expectat retributiones. Vt autē & aliunde discas, quantum lucri afferant passiones, etiamsi nō propter deum quisq; patiatur (& ne quis hoc hyperbolicos dicere me credat) patienter autē & forq; ferat atq; mansuete, deum vero in omnibus glorificet: iste ipse nesciebat propter deum ista se pati, & tamē pro hoc coronabatur, quod cum causam nesciret, patienter hoc ferret. Sed & ille Lazarus naturali infirmitate comprehensus: hoc autem non erat pro deo pati: quoniam interim solummodo patiebatur, viriliterque portabat, quum non esset qui curaret: tolerauerat enim dolorem venientem à vulneribus, à fame, ab aspectu diuitis, & crudelitate: nosti quantas adipisci meruit postea coronas. Et quidem eius nullum præclarum facinus inuenimus. Nō quod pauperibus sit miserus, nō quod oppressis affuerit, non quod boni fortē aliquid fecerit, sed quod ianua diuitis pertulit exclusionem & debilitatem, & canum linguas, & despectum contra se diuitis. Quæ omnia periculosa esse constabat. Sed interim magnificum iste nihil fecerat. Verum quoniam tantū-

A modo malorum istorum tristitiam fortiter pertulit: parem Patriarchæ, quem plurimas scimus fecisse virtutes, finem habere promeruit. Dicam aliquid cum his etiam aliud, quod opinionem multorum videatur excedere: non tamen veritatem. Et si bonum quis operatus fuerit magnificum vel virile, non autem cum labore atq; periculo: non aliquam multam recipiet mercedem. Vnusquisq; sane propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem: nō secundum magnitudinē facti, sed prout fuerit qualitas passionis. Propterea & Paulus glorians, non eo quod magnum quid fecisset, solummodo gloriatur: sed & quod aduersa tolerasset. Cum enim dixisset: Ministri Christi sunt, vt minus sapiens dico, magis ego: & per comparationem in quo ipse præcederet, texens non dixit, tantis & tantis prædicauit: sed dimittens omnia sua præclara facinora, mala quæ tolerauit, enumerat ita dicēs: In laboribus plurimis, in plagis supra modum, in carceribus abundatius, in mortibus frequēter: Quinquies quadraginta à Iudeis vna minus accepi. Ter virgis cæsus sum: ter naufragiū feci. Noctē & diē in profundo maris fui. In itinere sæpe, periculis fluminū, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus. In fame & siti, in frigore & nuditate. Præter illa, quæ extrinsecus sunt, incurfus mei quotidiani. Vides velut feriem passionum, & gloria occasiones. Deinde infert facinus præclarum. Et in hoc rursus, plus passionis aliquid inuenimus, quā ipsius facti magnificum. Cum enim dixisset: Concurfus mei quotidiani, ea quæ superuenirent, memorans, frequentes videlicet conturbationes: hoc enim est, quod dicit, incurfus mei. C Intulit enim dicens: Sollicitudo omnium ecclesiarum. Non dixit, correctio, sed sollicitudo: quod plus habet de passione, quā de virtute. Et sequentia hæc designant: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Non dixit, corrigor: sed, infirmor. Et denuo: Quis scandalizatur, & ego non vrōr? Liber ab scandalo, sed particeps sum mœroris effectus. Deinde ostendēs quod hæc talia maximas haberēt retributiones, secutus est dicēs: Si gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ sunt, gloria bor. Et alibi denuo infert eiusmodi fugam, per fenestram in porta demissus sum per murum. Hoc autem de male patiendi genere descendebat. Si itaque, vt diximus, passiones, magnas habent mercedes: omnibus vero passionibus peius & perniciosius animi defectus atque tristitia: cogita quantæ tibi repositæ sint remunerationes. Non enim cessabo frequenter tibi hanc infonare cantilenam: vt, quod in principio videor esse pollicitus, modo complere præualeā: & ab ea ipsa tibi mœsticia afferens cogitationes, quæ possint contra eandē tibi parere consolationem. Vt autē & aliunde cognoscas, quantum sit cum passionibus aliquid fortiter face re, & quanto minus sit id ipsum sine labore perficere: Nabuchodonosor ille Babylonius, qui quum in sceptris & diademate viueret, euangelicum opus aliquando perfectisse dicitur. Post illam enim fornacem, & gloriosam inopinatamque virtutē in orbe toto terrarum extitit prædicator. Nam non lingua solummodo, sed & per literas vbique sic scripsit: Nabuchodonosor populis, tribubus, linguis, habitantibus in omni terra, pax vobis adimpleatur. Signa & prodigia, quæ fecit mecum deus excelsus, placuit corā me annunciare vobis, quoniam magna & fortia sunt, & quoniam ingens & forte regnū eius, regnū omnium seculorū & potestas in generationem

Daniel. 3.

nerationem & generationem. Et edictum proposuit eiusmodi: Omnis populus, tribus, vel lingua, si dixerint verbum contra deum Sydrak, Misak, & Abdenago, erunt in perditionem, & domus eorū in direptionem. Et adiungit: Quoniam non est deus alter, qui ita possit liberare. Vides minas in literis positas, vides timorem, vides doctrinam, vides excelsam prædicationē, & extensas literas vbique terrarum: Quid itaque, dic mihi, parem num apostolis accipiet iste mercedem, quoniam locutus est dei, nō impari prædicatione, virtutem: quoniam tanto studio tam bonum sparfit vbique sermonem? Non planē, nec quasi aliqua ex parte: sed supra modum prorsus minorem. Atqui id ipsum opus fecit, quod & illi. Sed quoniam non hic vel afflictiones vel passiones videntur adiunctæ: ideo intercisa sunt iura mercedis. Hic nanque cum potestate agebat hoc totum: illi vero prohibitionem & expulsionem sustinentes, penas omnes ferentes ac verbera in miseris constituti, præcipitati, submersi, fame necati per singulos moriebantur dies: iam ipsa per desidiam anima sustinente tormenta, per vnunquēque infirmum firmantes, per singulos qui scandalizabantur iusti. Sed & erāt in his doloribus & mœrore, vices plurimæ retributionum. Nam vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. Nō enim desistam frequenter hoc dicens, ac propterea & misericors deus, cum sæpe Paulus rogasset liberari se ab his passionibus & defectibus dolorum atque discriminum, nequam annuit. Propter hoc enim, inquit, ter dominum rogauit: & non merui postulata. Et dic mihi, rogo te, qua ex causa iam poterat maximam ille sperare mercedem, si eundem prædicaret in securitate & deliciis constitutus, ob hoc quod os aperuit, linguam mouit, domi sedens? Sed hoc cuilibet facile erat, & ei qui animi videretur esse deiecti, & qui insane dissolutaq; viueret vita. Modo vero vbi eorum mortium, cursuum marinorum, mœsticiæ ipsius lachrymarum dolorumq; (nam triennio, inquit, noctē & diē cum lachrymis exhortans vnunquēque vestrum non destiti cum omni fiducia) remunerationes accipiet & coronas? Hæc itaque cogitans, ac retractans quantum sit lucri, acta cum molestiis ac doloribus vita: gaude & delectare quæstuosam & mille plenam coronis viam à prima tua ætate proficiens, etiam per frequentissimas passiones. Nam & imbecillitas corporis multiformis & varia, & innumeris mortibus peior, non desit expugnare te sæpe: & detractio & iniuriarum quidam hymbres, & calumniæ nunquam, quæ tibi inferrentur, cessauerunt. Mœrores autem & crebri fontes lachrymarū per omnia inquietauere tempora. De istis autem etiam vnum per seipsum sufficit eis ad vtilitatem plurimam. Lazarus enim propter solam infirmitatem, similem Patriarchæ adeptus est finē: & publicano detractio pharisæi iusticiam, quæ pharisæum vinceret, deportauit. Et apostolorum princeps correxit ex lachrymis illud peccati vulnus horrendi. Quando ergo vnum ac solum de passionibus prædictis vides ad meritum potuisse sufficere: cogita, quantas ipsa receptura es remunerationes, quæ cuncta simul, modum omnem superans tolerasti: & per omne, quod est amplius, tempus. Nihil enim, inquam, ita claros & bonos æmulatores bonis satiat infinitis, sicut turba tentationum, & pericula, & dolores, & mœrores, & sustinere semper insidias malignorum, & eorum vel maxime à quibus ista fieri non debent, eaq; omnia ferre mansuetē. Denique & filium Iacob nihil

2. Cor. 12.

Act. 20.

A ita beatificauit, & fecit placere, sicut tunc illa omnia, calumnia, & vincula, & catene, & miseria quæ inde descendit. Magnum etenim illud castitatis indicium, quando Aegyptiam libidinem vicit, & miseram illam vocantem se ad conuentionem iniquissimam respuit, reperitur: sed non magnū hoc ita, sicut passiones. Qualis enim laus est, dic mihi, nō mœchari, neque alienam copulam dissipare, neq; cubile ad se non pertinens violare: neque lædere eum, qui sibi benefecerat: nec pudore perfunderi domum patroni sui, qui eum magnum fecit: illud est maximum, id est, discrimen, insidiæ, furor libidinis mancipatæ, illata violentia, inuitabile quoddam vinculum thalami, quod ei adultera illa composuit: retia, quæ vndique accusatio tetendit: calumnia, carcer, catenæ: & quod nihil eorum quæ iusta fuerant, impetrauit, post certamen videlicet tantū, pro quō debuit coronari: & quod in custodiam tanquam reus criminis vsq; deducitur: & cum his, qui extrema deliquerant, clauditur. Fecit ergo eum magnū pedor, ferrum, & omnis miseria vinculorum. Tunc eum video magis clarere, quā cum supra sedem Aegyptiam frumenta indigentibus diuidebat, famemq; soluebat, & communis siebat omnibus portus. Tunc enim video splendētem magis, cum illi compedes & maniciæ imponerentur, quā cum in superbis vestibus magna potētia ingerebatur. Tempus enim illud cuiusdam negociationis, & infiniti quæstus erat, illud scilicet vinculorum: deliciarum autem & libertatis & honoris tempus habebat quidem plurimam voluptatem, non autem plurimum lucrum. Præterea nec sic quidem eum beatū dixerim, cū honoratur à patre, quā cum ei inuidēt fratres, & domesticos patitur inimicos. Nam à prima illi ætate grauisima pugna de domo veniebat ab his, qui in eo quod arguerent non habebant: conficiebātur autem & dissiliebat, eo quod maiorem patris mereretur affectum. Et quidem amorem ipsum legislator Moses non de pueri meritis habuisse principium, sed à tempore ipso, quo natus est: quoniam vltimus est, inquit, genitus, & in vltima senectute. Eiusmodi autē amabilis filij puericia: quippe qui contra spem generatur, propterea diligebatur. Amabat enim, inquit, eum: propterea quoniam filius senectutis erat ei. Hoc autē legislator scripsit, sicut ego arbitror, non quod vere erat: sed ipsam patris cogitationem & occasionem exponens. Nam cum videret infantem inuidiā sustinere: curare hunc affectum in fratribus volens, finxit causam dilectionis, quæ non magnam ei inuidiam generaret. Nam quia non erat amoris hæc causa, sed virtus animæ, quæ esset, & in ipsa ætate viridior, de Benjamin utique apparet. Si enim ille propterea diligebatur, multo magis iuniorem plus eo diligere oportebat. Post Ioseph enim est ille generatus: & magis iste quā ille erat ei filius senectutis. Sed sicut prædixi: patris hoc constabat esse figmentum, pugnam volentis dissipare fraternā. Sed ne sic quidē potuit, & incēditur flamma validior. Et quoniam nihil facere præualebant: interim detulerunt contra eum detractioem malignissimam, & criminatione appetuere turpissima: præuenientes in odiis barbaram feminam, multo apparentes ea esse peiores. Siquidem hæc in extraneum, illi iniqui extitisse videbantur in fratrem. Sed nec hucusque suam statuere maliciam, sed priora semper augebant: & solum apprehēdentes illum in solitudine vendiderunt, & seruum ex ingenuo facientes, inuenerunt amarissimam seruitutem. Non enim contribulibus quibusdam, sed barbaris & alienæ linguæ

viris,

viris, & in barbaras abeuntibus partes fratrem proprium vendiderunt. Deus vero clariorem eum parans, facere patiebatur ea quæ fiebant: & longanimiter tolerabat succedentia periculis. Post inuidiam enim illam & accusationem turpissimam interfectio secuta est: seruitus, scilicet, ipsa morte acerbior. Nō enim tibi simpliciter transeat, quod dictum est: sed cogita, quale erat: vt infantulus, qui fuerat bene natus in domo paterna, cum omni ingenuitate nutritus & dilectione tanta patris, subito à fratribus venundaretur, qui nihil haberent quod accusarent: & alienis ac barbaris traderetur, & moribus peregrinis & extraneis: & vt verius dicam, magis bestiis quam hominibus, & sine ciuitate & transmigrator & peregrinus, & seruus ex ingenuo efficeretur & ciue, vt qui tanta fruebatur felicitate, ad vltimam deduceretur miseriam seruitutis: vt supra modum iniuriæ acciperet amarissimos dominos, & deduceretur in barbaram terram. Sed nec in hoc mala ista cessauerunt: & expectabant insidias rursus insidias, post omnia illa miseranda vbi fratres suos adoraturus se esse prædixerat: cum enim eum accepissent hi negotiatores, non apud semetipsos retinuerunt, sed aliis eum peioribus barbaris tradiderunt. Nosti autem & hoc, quo modo ad cumulum calamitatis accedat, malos dominos mutare peioribus. Molestiorem enim facit seruitutem, cum peregrini sunt denuo illi qui comparant, & prioribus læuiores. Et peruenit ad illam Aegyptiam & insanam mulierem, deoq; contrariam. Illuc inquam, vbi impudentia ora nascuntur: & est apud Aegyptios, ex quibus vnus solus potuit magnum illum Moysen in fugam vertere: & vix paululum ibi requieuit benigno circa se deo mirabilia faciente, & tanquam ouem, feram illam, quæ eum comparauerat, mitigante. Statim enim palæstræ parabatur, & aliud denuo stadium aliaq; luctamina, certamina alia, & sudores prioribus fortiores. Cum enim vidisset eum iniquissimis oculis illa, quæ emerat, & fuisset vultus eius specie captiuata, & vicis omnino possessa: à concupiscentia huius libidinis læna facta est de fœmina. Et erat iterum Ioseph hostis domesticus, agens aduersus eum cōtraria magis, quam priores. Illi etenim odientes eum, domo expulerant: hæc diligens & incensa iuuenis specie: Et erat istud duplex bellum, magis autem triplex ac multiplex. Non enim, quia euasit hæc retia, & concidit hunc laqueum breui momento temporis: putes eum certamen istud tanquam sine labore superasse. Nam & sudorem sustinuit ingentem. Et si vis eum manifestius discere: cogita, quantum est iuuentuti certamen hoc. Nam in ipso flore ætatis tunc erat constitutus: quando naturæ maius erat incendium, quando maior concupiscentiæ tempestas, quando infirmiora cōsilia sunt. Adolescentium enim animæ non admodum prudentia muniuntur, nec plurimum virtuti commodant studium: sed tempestas in eis acerbior passionum: & ratio, quæ vicia gubernet, infirmior. Cum natura vero & ætate accessit & libido mulieris. Et sicut Babyloniam fornacem manus illæ Perficæ cum multo studio succendebant, abundantioremscam ignibus suggerentes, & porrigentes flammæ diuersa fomenta: sic tunc misera hæc atque miseranda mulier accendit ignem illa fornace maiorem, vnguentis oblita, fucamentis genarum, picturis oculorum, voce confracta, motibus & gressibus dissolutis, mollibus vestimentis, auri circulis, & infinitis eiusmodi machinamentis, quasi per magica quædam turpitudinum volens illicere infantem. Et sicut capti-

Dan. 3.

rusferam, ad quam difficile peruenitur, omnia incitat artis ingenia: sic & hæc, vt pote quæ sciret adolescentis optime castitatem (nec enim tanto adhuc tempore poterat latere) arbitrata est plurimo opus esse apparatu, vt iuuenis iste caperetur: & propterea omnia artificia luxuriæ commouebat. Sed nec hæc sola sufficiebant: sed aptum tanquam ad hanc venationem tempus locumq; quærebat. Ac propterea non statim vbi amore capta est, semet ingessit: sed expectauit plurimū tempus, malam istam quasi parturiens concupiscentiam, & seipsam diu apparans: timens ne in ipsa velocitate & repentinis insidiis posset effugere. Et aliquando cum solum inuenisset intus in domo solito more degentem: barathrum tentationis profundius fodit, & vndique alas voluptatis expandens, tanquam in mediis iam rebus habens aquilam, sic subintrat: & sola solum retentans, imò vero non sola: nam habebat ætatem, & insidias ornamentorum secum cooperantes: ecce ad illicitum actum illum pertrahit virum fortem. Quid hac tentatione peius inuenias? Qua non istud est fornace validius: vt iuuenis speciosus, seruus desolatus, peregrinus, transmigrator, à domina sic luxuriosa & insana, sic diuite, sic potēte, & tanta in solitudine (nam & hæc ad captiuitatem istam plurimum facit) comprehenderetur, teneretur, blandimentis adiretur, & ad cubile dominicum traheretur, & fierent hæc omnia, post tanta pericula, & tantas insidias? Nosti etenim quod plerique vbi aduersa euaserint, & ad delicias vocati fuerint, ad requiem & vitam solutiorem animosius currunt. Sed non ille ita: sed perseuerabat per omnia propria continentiam demonstrans. Ego thalamum illum demonstrans, fornacem Babyloniam, & Danielis lacum, & vterum bestię marinæ, in quem Propheta Ionas dimissus est, fidenter vnum esse dixerim: immo thalamum istis esse peiorem. Ibi enim insidiarū victoria corporis erat periculum: hic autem animæ aperta pernicies, & mors, vt ita dicam, immortalis, & calamitas remedium non habens. Nō autem ex hoc solo malum esse cōstabat genus hoc discriminis: sed quod cum maleuolētia & dolo plenum erat plurimis blandimentis, multo magis igne vario atque multiplici, non qui corpus incenderet, sed qui animam ipsam consumeret. Et hoc significans Salomon, dicebat: qui valde bene nouerat, quàm periculosum esset virū mulieri propinquare: Alligabit, inquit, quis in sinum ignem, & vestimenta non comburet? Quis ambulabit super carbonem ignis, pedes autem suos non incendet? Sic qui intrat ad mulierem virum habentē, & omnis qui tangit eam. Hoc est autem, quod dicit: Quo modo impossibile est coniunctum igni non incendi: ita qui accedit ad mulieres, non potest illud effugere. Hic autem, quod multo fortius erat, sustinuit. Neque enim ipse ad eā accessit, sed ab illa tenebatur solus à sola comprehensus: plurimis malis constrictus & insidiis, qui refrigerium quæret & quietem. Sed tamen in tantis rebus constitutus, & tam vrbanam feram videns ad semetipsum accedere, omni eum ex parte percutere requirentē per tactum, per vocem, per oculos, per colores, per stibium, per aurum, per vnguenta, per vestimentum, per affectum, per verba, per circumpositum ornamentum, per secretum, per solitudinē, per hoc quod poterat latere, per diuitias, per potentiā, & quæ habebat in eo secum facientia: cum his omnibus quæ supra cōmemorauimus, ætatem, seruitutem, peregrinationem: vicit omne illud incendium. Istam ego tentationē dixerim grauiorem esse fratrum inuidia,

Prouer. 6.

inuidia, & affinium odio, & distractione, & barbarorum dominatione, & longissima illa profectio, & peregrina conuersatione, & vinculis, & catenis, & longo malorum tempore, & miseria quæ ei illic euenit. Nam & de vltimis ei periculum vertebatur. Quoniam autem & hoc bellum fugit: & hic quoque factus est spiritus roris flans à dei gratia, & à iuuenis ipsius viribus. Tantum enim abundabat modestiæ & castitatis, vt & illius infaniam soluere festinaret. Sed tamen, quia ipse exiuit intactus: sicut illi olim iuuenes, qui apud Perfidem ignem fugerunt (neque enim dolor, inquit, ignis in eis erat) & castimoniam magnus athleta probatus est, adamantis robur imitatus: videamus qualibus rebus postea frui meruit, & quid post coronādum virum illum succedit. Insidiæ rursus & baratrum, & mors & periculum, & calumniæ, & odium irrationabile. Nam miserima tunc illa horrendo furore bacchata, amorem iracundia consolatur, & passionem vnā coniungit alteri passioni, & concupiscentiæ luxuriosa iram necit inuisitā, & fit homicida post adulterij quesitam voluptatem. Et feritatem plurimam spirans, & ad necem hominis attendens conuocat iudicem corruptum, dominum, inquam, illius virum suum: illum inquam barbarum Aegyptium, & introducit accusationem sine teste: & non finit intrare ad iudicium eum, qui appetebatur: sed absentem accusat, apud stulticiam iudicis simul & furentis, eo quod quasi hæc persona existeret, cui facile crederetur: & ille seruus esset, qui accusabatur. Et confidens loquensq; contraria, obtinuit iudicantem, & quasi victrix persuasit eum proferre sententiam, innocentemq; damnare, & vindictam inferre sequissimam. Et ecce vincula, carcer, catenæ: & ne accusatorem quidem sciens, cōdemnatur quasi adulter: quasi dominicum thorum concupisset, & alienas nuptias polluisset: quasi deprehensus, quasi confessus, quasi conuictus. Nam & iudex & accusatrix apud plerosque, qui non nouerant veritatem, & vindicta ipsa quæ processerat, fabulam ipsam tanquam fide dignam faciebant videri. Sed nihil horū illum turbare potuit: nec dixit, istæ sunt somniorum retributiones, hic est finis visio-num illarum, ista sunt præmia castitatis: cognitio sine ratione, & sententia sine æquitate, & maligna rursus opinio. Tanquam fornicator de paterna domo nuper expulsus sum: & quasi adulter modo, & quasi mulieris castimoniam violassem, modò cogor in vincula: & hoc in me omnium completur assensu. Et fratres quidem mei illi adoraturi me (hoc enim somnia illa monstrabant) in libertate & abundantia deliciisq; versantur in patria, & in domo degunt paterna: ego autem, qui supra illos videbar futurus, cum sacrilegis & latronibus, & cum furibus hic vincior. Nec posteaquam patria carui, periculis liberor & rebus incertis: sed in aliena iterum terra alia præcipitia nos expectant, & gladij districti. Et illa quidem, quæ talia perpetrauit, & calumniata est, & quæ dignam pro his pœnam vere deberet, exultat modo atque bacchatur quasi quibusdam trophæis, clarissimisq; victoriis coronata: ego autem nullius conscius iniquitatis soluo vltimam pœnam? Nihil ille horum neque dixit, neque cogitauit: sed sicut vir fortis per supplicia, tanquam per coronas ambulans gratulabatur: neque contra fratres, neque contra adulteram doloris memoriam retinebat. Et vnde hoc manifestum est? Ex his, quæ ipse ad quendam, qui in carcere ligatus tenebatur, disputauerat. Tantum enim aberat vt à mœrore possideretur, vt tristitias solueret

aliorum. Nam quoniam vidit nonnullos illic turbatos & confusos atque deiectos: accessit statim. Et vbi didicit causam, quod ex somniis fuerat nata turbela: quæ viderant, soluit. Deinde cum rogaret, vt rex admoneretur de sui liberatione: & si enim vir fortis erat & admirandus, homo tamen erat, & nolebat catenis illis miserabiliter cruciari. Dum ergo rogaret, vt memor eius esset ad regem, & suaderet vt ipse quoque dimitteretur ex vinculis: cum necesse eum esset & causam dicere, propter quam istuc trusus esset: vt posset & ille, qui pro eo rogaturus erat, dignam habere occasionem pro eo petendi: nullum tetigit de his, qui se laferant: sed cum se de criminibus liberasset, stetit huc vsque, & non annexit eos, quos in eum iniquos fuisse constabat. Nam & ego, inquit, ablatione ablatum sum de terra Hebræorum: & quum nihil fecerim, miserunt me in hunc locū tormentorum. Et ob quam causam non dicis: Taces meretricem, adulteram: taces fratres fratricidas, inuidiam, necem, distractionem, furorem, insidias dominæ & luxuriam, laqueos, machinas, tantā calumniam, iniquum iudicium, corruptū iudicem, iniustam sententiam, vindictam non habentem rationem? Vt quid ista taces & celas? Non, inquit, noui retinere maliciā: quia hæc mihi coronæ sunt potius & brauia & plurimæ mercedis occasio. Vides animam multa philosophia eruditam: vides mētem immunem ab iracundia, & ipsis periculis altiore? Vides eum cōdolentem magis inimicis, quàm memorē malignitatis? Ne enim fratres in medium deduceret, vel illam sanguinariā: Rapina, inquit, raptus sum de terra Hebræorū, quum nihil fecerim. Et nūquam personam illius dicit: nec lacus illius memor est, nec Ismahelitarū, nec rei cuiuslibet alterius. Sed interim post ista nō leuis eū tentatio suscipit. Nam ille qui tantum ab eo adeptus fuerat solatium, liberatus à vinculis, & reuocatus ad honorē priorem: statim, vt est beneficium consecutus, oblitus iusticiæ fidem negauit. Nam homo hic quidē seruus in aulis fidelibus versabatur cum prosperitate quàm plurimā: ille vero, qui splenderat supra Solem, & ita claros virtutis emiserat radios, habitabat in carcere, & nemo erat, qui regē cōmoneret. Oportebat enim adhuc multas ei componi coronas, & brauia plurima comparari: vnde & prolixi laborum ambitus agebantur. Manere quidem oportuit certamina deo sinente, non tamen deferente, sed tantum permittente his, qui in eum propriam exercebāt maliciam, quantum virum illum fortem dissipare non possent, nec auferre de medio virtutis optimum certamen. Nam in lacum eum mitti permisit, & vestem eius cruentari: ad necem vero eius illos venire non sinit. Et videbatur quidem frater, nimirum Iudas, hoc dedisse consilium: hoc autem ex dei prouidentia veniebat. Et in Aegypcia muliere istud euenit. Qua enim ex causa, dic mihi, seruidus ille & luxuriosus (scis enim Aegyptium genus) ille, inquam, furiosus & iracundus, ideoque non admodum iudicio & æquitati utilis (quando & hæc quoque species passionis isti hominum generi innata est) qua quæso te, causa, quem credidit mœchum & vxori propriæ violentum, non statim commotus peremit, aut ignibus tradidit? Sed sic cum esset irrationabilis, vt cum vna parte sentiret, & accusato audientiam non præberet: in ipso tempore vindicandi vultum se habere mansuetudinis demonstrauit: vt videns quod maius est, furentem fœminam & rabidam, flentem, vestes scissas circumferentem, & hic maxime subincensam, lugentem, & vlulantem,

Gene. 4.

Gene. 37.

tem, nec sic tamen ad iuuenis exarserit interitū. Vnde dicit mihi. Nonne manifestum est, quoniā ille qui leones frenauit, & in fornacem frigus immisit: hic etiā bestia huius compescuit immoderatum furorē, & iram extinxit ingētem, adeo vt temperaretur ipsa vindicta? Hoc quiniis facile addiscere potest, & in ipsis vinculis contigisse. Nam permisit eum ille vinciri, & cum condemnatis sedere: à crudelitate vero carcerē custodiētis eripuit. Nosti enim quid potest carceris custos. Sed ille tunc mitis erat atque mansuetus. Non solum enim nō aliquibus affecit iniuriis, sed omnibus eum, quos illic videbatur habere, præposuit. Atqui cum eum pro adultero suscepisset, atque damnato, & adultero satis nobili: non enim in domo aliqua vilissima, sed satis magna hoc scelus admisisse putabatur, sed interim nihil horū illum terruit vel coēgit, vt circa eum crudelis existeret: sed coronę iusto de illis passionibus necebat, diuinumq; subsidium cum multa in eum abundantia fundebatur. Vellem adhuc aliquid epistolæ proxi- tati adiungere: sed quoniam hoc quod diximus, vltra sufficientiam, modum arbitror excessisse: hoc in loco finem sermoni iam faciens, obsecro tuam venerationem, quod semper te rogare non destiti, vt à mœrore quidē liberata glorifices deum, quod semper fecisti vel facis, & ei gratias pro omnibus molestiis & doloribus reddes. Ita enim & ipsa plurima præmia consequeris, & diabolo letale vulnus infliges: & nobis plurimam tribues consolationem, & poteris tristitiæ nebulam cum omni facilitate dispergere, & serenissima frui tranquillitate. Ne itaque tu recidas, sed emergere ex hoc fumo elabora. Fumo enim, si volueris, facilius hunc omnem mœrorē prorsus excuties. Hoc nobis iterū facito manifestum, vt longe etiam constituti, plurimā de te talibus nos etiam literis metamus iocunditatem.

DIVI IOANNIS
CHRYSOSTOMI ARCHIE-
piscopi Constantinopolitani liber contra gentiles, Babylæ Antiocheni episcopi ac martyris vitam continens, per Germanum Brixium Alrijsiodorensē, canonicum Parisiensem, latinus factus.



DOMINVS noster Iesus ad crucis supplicium iam iam accessurus, ac mortem illam viuificam moriturus, nocte ea postrema, qua discipulos ad se suos semotis arbitris vocauit, apud eos cum per multa verba alia fecit, eosdem plurimarum rerum cōmonefaciens, tum inter alia, & tale quiddam ipsis dixit: Amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ille facit, & his maiora faciet. Atqui multi olim alij magistri exitere, qui & discipulos habuerunt, & miracula item ostentarent, quemadmodum iactantes gloriantur gentiles: verum tamen illorū nemo vnquam eiusmodi orationem vsurpare, ac ne animo quidem versare sustinuit, neque sanē possint ē gentilibus vlli, etiamsi nihil non se præstafuros, quæ illorum est impudentia, profiteantur; commonstrare huiusmodi elogium, sermonem ve-

apud se extare. Spectra quidē certe demortuorum, neque non cadauerum quorundam simulacra qui representarent, multi multos apud illos nouarum mirandarumq; rerum: autores extitisse affirmant, quin & voces nescio quas quibusdam ē monumētis eductas ad nonnullos peruenisse referunt, quod vero quisquam ex eis omnibus, qui magna in admiratione habiti apud illos vixerunt, vel quos post obitum in deorum numero relatos opinati sunt, tali ad discipulos suos oratione vsus sit, illorum sanē nemo vnquam affirmauerit. Causam autem, si placet, aperiam, quamobrem illi in reliquis alioqui omnibus impudentes, nudo quasi capite, ac perscripta fronte mendacia sua proferentes, tamen eius generis commentū effingere ausi nunquam fuerint. Non enim temere, neque certe ab re ab eo sermone comminiscendo abstinuerunt: sed hoc ipsum astute sciuerunt pestilentissimi generis nostri hostes illi, eum qui aliis futurum facturus sit, oportere probabilia quædam, & veritatis atque artificij plena, & quæ deprehendi non facile queant, commentari. Nam & callidos, tum piscatores, tum aucupes nequaquam nuda proponere retia, sed illis diligenter esca prius circūlitis, ita demum venationis vtriusque vtroque compotes euadere: qui si retibus detectis, ea beluis quas captant, conuadenda præberint, fiet certe, vt neque pisces, neque aues vnquam in ea introeant, imò vero vt ne illis quidem prorsus appropinquēt, ita vt vterq; domū vacuis manibus sit reuersurus, tā qui mari piscatur, quā qui terra venatur. Ergo quādo & illis quoque propositum erat homines in nasiam obtrudere, suam imposturam in huius vitæ, quasi mare quoddā, nudā minime coniecerunt: sed confectis prius ac cōpositis his, quibus imprudentiores capere possent, vterius mendacio procedere superfederūt, vt qui tum vererentur, ne plus æquo mendaces apparerent, tū formidarent ne priores suas fraudes posteriorū immodico vsu subuerterēt. Si enim hoc dixissent, extitisse apud illos qui tale quiddā professus esset, quale seruator noster ad discipulos suos dixit: certe vel illis ipsis, quibus fucus fieret, ridiculos se præbuisent, quasi qui ne probabilia quidem mentiri possent. Nam tale quiddam profiteri, idq; re ipsa præstare, ad diuinam illam virtutem solam spectat. Quod si potuere olim dæmones, homines in errorem adductos per phantasmata non nihil ludificari, id ipsum tum vsu venit, quum luminis fons vulgo nondum cognitus esset: quo certe tempore partim fraude alia, atque alia, partim sacrificiis ipsis declarabatur, quæ fiebant omnia dæmonum opera esse. Illos enim suas aras imperare humano sanguine rubesceri, neque non ab illis ipsis qui genuissent iubere eiusmodi sibi victimas immolari, id vero quā vel summam insaniam nō obscuret: qui enim calamitatibus nostris nūquā satiātur, neque vllū terminum, aut finem propositæ semel aduersus nos pugne norunt, sed immortalem vbi- que præ se rabiem ferunt, perinde quasi nequiquam illis abunde satis foret ad proprium furorē splendendum, ipsorū aris horum vel horū tum vxores tum liberos pro ouibus ac bobus admotos immolari, ij nimirū nouam quandam homicidij immanitatē excogitarunt, atque adeo insolentiorē calamitatis modum introduxerunt. quos enim par erat peremptorum cædes lugere, his dæmones iidē persuasere, autoresq; fuere, vt eos qui occidēdi essent in miserabilis illius homicidij theatrū producerent: qui itē, vt ne humanæ tantū leges ignominiam paterētur, & ipsas quoque naturæ leges funditus diuulfas subuerterunt: tum præstantes, vt ipsa hæc, quam di-

co, natura aduersum semet debaccharetur, tum autem eadem omnium scelestissimā in hominum vitam introducentes. Nullos enim iam inimicos sic, vt genitores ipsos, cuncti formidabāt: atque adeo quibus maxime omniū fidere oportebat, hos maxime omniū suspectos habebant, atque auersabantur. Siquidem cacodæmones illi summopere contendebant, vt per quos dei beneficio ad mundi huius spectaculum prodieras, per eos tute huiusmodi dono priuatus exigereris: hoc agētes, vt qui tibi ad vitæ munera capeienda administri fuissent, ij & mortis quoq; autores fierent: perinde quasi planum facere volentes, mortalibus nihil prorsus lucri, nihil auctarij ex dei optimi bonitate accessisse, vt qui nō aliis egerent iugulatoribus, quā illis ipsis à quibus geniti fuissent. Hæc etiamsi magnum aliquod miraculum subsecutū fuisset, ne dicam sicubi exiguum quoddam ac nihili existimandum, idemq; multa impostura scatenus proditū fuerit, hæc inquam, opera etiamsi magna essent: tamen quæ ego dixi eiusmodi fuisse constat, vt abunde probare possint, his quidem certe, qui mente prorsus alienata nequaquam sunt, quānam planē essent operum illorum artifices, vt flagitiosi, vt omnibus modis scelesti, vt nihil non ad vitæ statūq; nostri subuersionē molientes. At vero dominus noster Iesus nobis, quod tale foret, nihil quicquā imperauit, quin potius admirabilis quū sit ob ea, quæ edidit, miracula, nimirum ob ea quæ reliquit præcepta nihilominus, quā ob miracula iure ab omnibus adorari, ac deus esse credi possit. Impietatē quippe eam, quam diximus, aduentu ipse suo soluit: & quod mirabilius etiam est, ac dura & immani tyrannide nō nos modo, qui ipsum adoramus, sed eos item à quibus blasphemias ac cōuiciis laceratur, expediuit. neq; enim gentiliū quicquā huiusmodi victimas dæmonibus suis posthac offerre coactus est: tāta est ille erga nostrū genus benignitate semper vsus, cuius etiam ampliora extant erga inimicos suos beneficia, quā dæmonū in amicos suos maleficia. Siquidē dæmones, eos à quibus colerētur, atque honorarentur priorū liberorū mactatores agere coegerūt, quum contra Christus eos qui se auersaretur, huiusmodi imperiis liberatos esse voluerit, immanisq; illius sacrificij immunitatem, & pacem hanc admirabilem non intra suos modo coarctauerit, sed & ad alienos vsq; eduxerit. Hæc ratione ostendens illos quidem tyrānos quosdam, ac generis nostri pestilentissimos hostes esse: quo nomine sic, his etiam quos sibi ascuerant, conciliauerantq; quasi alienis abutebantur: siquidē erant & ipsi alieni. Ipse autē & rex, & opifex, & assertor totius generis hominum extitit, itaq; vel alienis, vt propriis pepercit. Etenim proprium ipsius opus erat vniuersa hominum natura: quemadmodum discipulus eius ait, In propria venit, & proprij eum non receperūt. Eius vero omnem in nos clementiam enumerare temporis huius non est, de qua quidem vt nullo vnquam tempore loqui desinas, tanta etiam virtute præditus, quanta incorporeas illas virtutes præditus esse par est, tamen ne sic quidem rem pro dignitate attingas: quā enim bonus est, solus ipse nouit, quandoquidem & solus ipse sic bonus est. Vide igitur cuiusmodi verbis discipulos suos cōueniat: Amē amē dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ille faciet, & his item maiora faciet. neque enim tantæ eos gratiæ participes esse voluisset, non summa ipse, atq; adeo immensa bonitate præditus. quod si quis forte mecum contendat, vbiānam Christi oraculum hoc finem suum sortitum sit, accepto in manus libro eo, cui

Acta apostolorum nomen est (cōtinet autē is non acta ipsa omnia, neque omniū, sed vnus tantum, & alterius, & ea quidem numeratū facilia) videbit hinc egrotos in lectulis decumbētes, vmbas autem beatorum illorum solo statim corporum tactu ipsis sanitate restituere: hinc furiosos per multos nullo prorsus alio, quā tatarum Pauli vestium remedio, egiisse, vt à dæmone, quo exagitabantur, liberarentur. Quæ omnia si quis factum esse dicat, & figmentorū præstigias minime persuasus faciles: certe quæ nunc conspiciuntur, ad blasphemum os obturandum, idq; pudefaciendum, ad effrenam linguā cohibendam, satis superq; fuerint. Nulla est enim nostri huius orbis seu regio, seu gens, seu vrbis, vbi noua atque inopinata miracula hæc non decantentur: quæ quidē si figmenta fuissent, prorsus in tātam hominum admirationem non venissent. Atque huius rei testimonium ipsi vos nobis exhibere possitis: eorum enim quæ à me dicuntur, necessarium nobis non erit aliunde fidem mutuari, quū vos, qui hostes nostri estis, nobis per vos eam faciatis. Quānam enim ob causam Zoroastem illum, itemq; Zamolxim ne de nomine quidem multi, imò vero nulli nisi admodū pauci norunt: quoniam figmenta erant, quæ de illis circumferuntur omnia, quanquam tum illi, tum ij etiam, qui illorum facta memoriæ prodiderunt, summi artifices fuisse seruntur: illi quidem imposturæ cōminiscendæ, atque exercendæ; hi autem mendacij orationis illecebris adumbradi. sed quemadmodū omnia frustra ac temere sunt, quum vitiatum, infirmum, ac minime verum fuerit eorum quæ dicere proposueris argumentum: sic quum id solidū, ac verum, omnia rursus frustra ac temere tentantur, quæ ad illius subuersionem ab inimicis excogitata fuerint: veritatis enim robur planē nullo indiget auxilio, sed vt infinitos habeat, qui ipsam extinguere conentur, ea non solum non deleri potest, sed & per eos quoque, à quibus oppugnatur, splendidior multo, ac sublimior exurgit, eosdem illos irridens, nihil aliud, quam tum sese discruciantes, tum vere insaniētes. Etenim apud nos quæ vos figmenta esse affirmatis, & tyranni & reges, & inuicti dicendo sophistæ, præterea & philosophi, & incantatores, & magi, & dæmones subuerrere summo studio tentauerūt, & debilitata est aduersus eos lingua ipsorum, vt propheta verbum vsurpem, & sagitta infantium plagæ eorum factæ sunt. Ipsi enim reges non alium sanē fructum reportarunt, non alium quæstum fecerūt ex his, quas nobis struxere insidiis, nisi quod feritatis opinionē apud omnes assecuti sunt. nam propter eum demum furorē, quem in martyres præulerunt, in communem naturā ferocientes, se ipsi imprudentes sexcentis obnoxios opprobriis reddiderūt. philosophi autem, & ingeniosi item rhetores, opinionem multam cum apud plerosque haberent, illi seueritatis, hi eloquentiæ, gesta aduersus nos pugna, ita ridiculi euasere, vt visi fuerint nihil prorsus à nugantibus pueris discrepare. ex tot enim gentibus, ex tot populis, non sapientem aliquē, non insipientem, non virum, non mulierem, sed ne puerulum quidem à sententia suadendo, deducere potuerunt, quin potius tantus risus ex his, quæ illi contra nos conscribere, exortus est, vt vel eorum libri iam olim exoleuerint, ex quibus etiam complures, simulatque editi fuere, funditus deperierūt, sicubi autem saluus aliquis comperiat, hunc penes Christianos saluum inuenias: tantum abest, vt ab illorum in nos insidiis detrimentum aliquod suspicemur: sic irridemus multiplices, eosdemque superuacaneos illorum aduersum

aduersum nos conatus. neque enim si adamantina atque immortalia nobis corpora inessent, scorpions, serpentes, igne manibus constringentes timeremus, quinimo & huius rei periculum vulgo ostentantes faceremus: eadem ratione, ne ipsi quidem posteaquam animas nostras fidemque in nobis tantam stabilivit Christus, hostium nostrorum venenis petiti timemus. nam si nobis imperatum est super serpentes, ac scorpions, super omnem item diaboli tyrannidem ambulare: multo magis aduersarius religionis nostrae conscriptorum nocentium tali interuallo dissidet, si eos compares cum mali illius in nos demoniis insidiis. Et nostrarum quidem rerum ea est ratio: vestrarum vero talis. Aduersum vos nullum vnquam bellum gessit, neque enim Christianis fas est necessitate ac violentia illata errorem subuere, sed tum suadela, tum ratione, tum mansuetudine hominum salus concilianda est: quo nomine nullus omnino rex, ex eis qui a Christo steterunt, talia contra vos dogmata sanxit, qualia aduersum nos excogitarunt, qui demonum cultum sunt secuti. Veruntamen gentilis superstitionis error tanta quiete quum frueretur, & a nemine illi negocium faceretur, per sese tamen extinctus est, & in se ipse corruit, eorum corporum more quae longa ac diutina tabes exedit: quae quidem sponte sua, vel a nemine offensa, corrumpuntur, ac sensim dissoluta profus deperunt. Quo fit, ut nunquam non in totum fanaticus iste risus ab orbite exoleuit, tamen vel ea quae iam facta sunt, satis sint ad firmandam in nobis rerum futurarum fidem: plura enim tam breui tempore subuersa quae sunt, de reliquis nemo postea controuersiam mouebit. Etenim vrbe capta, muris dirutis, exustis praetoriis, theatris, deambulacris, denique deletis iis omnibus, qui arma ferre possent, si quis forte intueatur porticus aliquot semistatas, & paucarum aedium stantes adhuc partes, saluis aniculis ac puerulis: is non continuo victori, & qui plurima iam ex parte rerum potitus fuerit, victoria controuersam facturum est, tanquam non valeri quod reliquum est, conficere. Piscatorum vero instituta non perinde sese habent, quae ipsa in singulos dies magis florent, & quidem non per apertam quamdam, ut sic dixeris, planiciem, non per quietem, sed per afflictionem, per bella, per pugnas ad nostram usque aetatem perducta sunt. Gentilitas enim per vniuersum terrarum orbem latissime quum patuisset, mortaliumque omnium animos occupasset: postea ita, ut videmus, post tantum robur, atque incrementum, ipsius Christi virtute dissipata est. Evangelica vero praedicatio, non quum iam vbique tradita, ac solide stabilita esset, aduersas bellatorum manus sustinuit, sed vix dum in auditorum animis infixata, iam inde ab initio coacta, tanquam acie instructa depugnare contra vniuersum terrarum orbem, contra principatus, contra potestates, contra mundi dominos, ac retores tenebrarum seculi huius, contra spirituales versutias: fidei enim scintilla nodum bene accensa, fluuij atque abyssi vndeque influebant. Vos autem opinor, nequaquam latet, non perinde esse plantam eam reuellere, quae multis iam annis radices alte egerit, ut eam quam nuper seueris: sed tamen quum is esset rerum status, in Christiana neque quidem pietatis scintillam, quod modo dixi, aduersariorum mare inundabat, ea vero scintilla eiusmodi inundatione non solum non restinguebatur, sed & maior & illustrior inde quam exurgeret, quoque versus statim omnia suo flatu comprehendebat, aduersariorum partes facile perdens ac consumens, nostras autem Christi

Christianorum excitans, atque ad immensam tollens altitudinem, etiam si viri quidam simplices, tenues, atque obscuri operam ad eam rem suam praestarent. Neque vero piscatorum illorum vel verba, vel miracula successum huiusmodi efficiebant: sed Christi virtus in illos efficaciam suam infundens. Nam ex iis, qui quae dixi miracula edebant, alter, is Paulus fuit, tabernaculorum texendorum artifex: alter, Petrus is fuit, piscator erat, & quidem in mentem nunquam venisset hominibus tam tenuibus, tamque abiectis tale quiddam effingere, nisi si quis eos insanisse ac delirasse dicat: hi porro quod non insanirent, liquet tum ex egregijs virtutis eximia operibus, quae illi solo verbo ediderunt, tum ex compluribus, qui etiam nunc illis fidem habent. Nunquam igitur talia temere illi vel ementiri fuissent, vel gloriabundi iactassent. Siquidem quod initio dixi, qui alius verba daturus est, mentitur quidem: mentitur autem non sic, ut omnibus planum id fiat. Si enim posteaquam & res ipsae contigerunt, & tam multi rerum earundem euentum verum fuisse sunt testati, tum ij qui per ea tempora crediderunt, tum ij qui ex eo tempore vbique eadem haec ita esse decantant, non apud nos modo, sed & apud Barbaros, & si qui barbaris ipsis sunt efferatior: nonnullos tamen adhuc inuenias, qui post tot ac tanta signa, post vniuersi, ut sic dicam, orbis testimonium, prorsus his omnibus, quae antea facta sunt, nullam fidem habeant (ut taceam hic permultos esse, qui de re tota nihil quicquam inuestigare, nihil indagare, nihil examinare laborant) quis, obsecro, initio neque rebus ipsis coram perspectis, neque recepto rerum earundem digno testimonio, fidem suam Christi obstringeret: quid autem omnino illos commoueret tale quiddam fingere atque componere: neque enim orationis vi: quo pacto enim? quum eorum alter literas prorsus ignorauerit: neque opum, ac diuitiarum copia nitebantur, ut quibus necessarius victus vix suppeteret manuum suarum opificio victitantibus: sed neque ob natalium splendorem cristas tollere illis licebat, alterius enim patrem ignoramus, tam fuit ille obscurus, atque ignotus: Petri autem notus quidem pater fuit, sed ea ex parte Pauli patrem claritudine superat, quatenus eius nomen sacrae tantum scripturae nobis notum, idque propter filium, esse voluerunt. Quod si & regionem, & gentem exquirere velis, alterum Cilicem fuisse comperies, alterum ignobilis ciuitatis ciuem, seu verius dicam, non ciuitatis, sed vici cuiusdam infimi incolam, qui Bethsaida (locum in Galilaea hoc nomine appellant) natus sit. Iam artes eorum quisquis audiet, quales fuerunt, videbit nihil illas magnum, nihil graue spirare: nam tabernaculorum artifex piscatore quidem honestior, sed idem tamen ceteris artificibus vilior. Vnde ergo, obsecro, vnde rem tantam simulare auderet: quam spe sublato: quo praesidio freti: calamone, atque hamo? an cultro ac terebra? homines insani in malam crucem iam hinc non vos auferetis, aut vobis praecipitium aliquod parabit? Agedum vero fingamus hoc quod alioqui opinione quidem vestra geri nequit, fieri tamen posse: hoc est, ut tum is, qui est palude recens egressus sit, haec verba vsurpet: Corporis huius umbra mortuos suscitauit, tum is, qui nuper ex coreaceorum tabernaculorum officina exilierit, de vestibus suis eadem, quae ille, gloriabundus profiteatur: quis ita insaniret ex his qui haec exaudiret, ut nudis modo verbis tam magnis de rebus fidem haberet? quamobrem autem nullus plane ab illo tempore artifex tale quiddam vel ipse de se, vel alius de illo praedicauit?

praedicauit: quaequam si quae a nostris facta sunt, ea figmenta fuissent: verisimile quidem est minori negotio talia mendacia fuisse conficturos, qui illos sunt subsecuti. Illi enim quum quod facerent, id ad alios, qui tale quiddam olim fecissent, referre non haberent: certe non poterant sperare futurum, ut figmentum sibi suum succederet. Qui vero illis posteriores fuere, ad illos spectantes, figmentum idem promptius sane, ac facilius agredi ausi fuissent, praesertim quum haberent priorum exemplum, audaciam ac fiduciam posterioribus addens, perinde quasi nullus vsquam sit qui mentem habeat, quin potius omnes obstupescant, atque insaniant, atque adeo vnicuique volenti liceat, quaecumque ipse velit de se praedicare, aliusque persuadere. Nugae sunt haec, risus, ac non nisi gentilis stulticiae verba. Quemadmodum enim si quis adductus sit in caelum arcu intendere, velut sagittis suis illud perrupturus, aut Oceanum exhaurire, tanquam suis illum manibus vacuaturus: hunc profecto ex facietioribus risu, ex grauioribus lachrymis, iisque permultis nullus non prosequeretur: Sic quoties nobis gentiles contradixerint, bene habebit res, si illos & rideamus & deploremus: res enim multo magis arduas, multo magis imperuis aggrediuntur, quam qui vel caelum vulnerare, vel abyssum vacuare se posse sperat. Neque enim vnquam donec lux existeret, tenebrae erunt lux, neque rerum nostrarum veritas refelletur. Veritas enim est: haec autem nihil validius. Atque quod vetera ea, quae nos auditu accepimus, non minore fide digna sint, quam quae praesentia sunt, & quae ipsi videmus, id certe omnes fateantur, nisi si qui forte stupidi, ac delirantes fuerint: verum ut victoriae etiam vel ex superioribus facultatibus reportemus, volo & memoriae nostrae nouum quoddam, atque inopinatum facinus proferre. Enimvero ne tumultuemini, si miraculum etate nostra factum diciturum me pollicitus, tamen a veteri historia narrationis exordium contexere aggredior. neque enim intra vetera illa tantum subsistat: neque quae ego vetera sum huc allaturus, ea a rerum nouarum argumento discrepant: sic enim vtraque inter sese cohaeret, ut non possis illorum consequentiam alteram ab altera separare. Id quod auditis rebus, probe iudicabitis. Fuit imperator quidam maiorum nostrorum temporibus, qui qualis alioqui fuerit, dicere non habeo, verum vbi scelus ab eodem magna audacia, atque improbitate factum audieritis, & reliquam morum illius crudelitatem perspectam habebitis. quodnam ergo piaculum id fuit? Visum fuerat genti cuidam cum hoc imperatore bello decertanti, bellum tandem componere, sic, ut neque alteros affligerent, neque ipsi vicissim ab alteris posthac affligerentur, quin potius molestis, periculis, omni denique timore defungeretur, ac partis contenti, nihil quicquam praeterea requirerent. praestare enim timore procul depulso mediocribus frui, quam plura appetentes vbique timere, trepidare, atque adeo malis vltro citroque datis, & acceptis vitam transigere. Itaque quum constitutum illis esset, bello prorsus deposito, quietam ac minime sollicitam vitam viuere, visum est commodum hoc firma aliqua pactio, ac stabilibus terminis vincitum confirmare. Tum foedere facto, dato, atque accepto iureiurando, & regi praeterea suo suadere conantur, uti suo ille filio (puer autem is admodum erat) pro certo pacis pignore deposito praestaret, tum ut qui prius hostes erant, bono in reliquum tempus animo essent, tum animi ac consilij sui testimonio prodito indicaret, se, quam pacem cum illis faceret, eam citra dolum omnem facere: qua oratione rex ad-

ductus filium dedit, ut ipse quidem opinabatur, amicis, ac sociis: ut vero rei exitus probauit beluae omnium beluarum crudelissimae. Amicitiae ac foederis lege regium illum puerulum quum accepisset, statim omnia simul conculcauit, ac subuertit, iusiurandum, pacta, pudorem eum qui homini ab homine, religionem quae deo debetur, misericordiam quam a nobis etas illa impetrare solet, ac neque iuuentus fera illam flexit, neque sane, quae huiusmodi sceleribus comes esse solet, vltio agreste illud pectus terruit, neque patris filium deponentis verba eiusdem animum subire: ea, inquam, quae ille filium in manum tradens fortasse mandaratum, dum postulat uti illius curam quam diligentissimo imperator susciperet, patrem etiam illum filio suo appellans, dum obsecrat, ut quasi ipse genitor foret, sic illum enutrit, atque erudiret, perficeretque, ut maiorum suorum nobilitate dignus ille olim euaderet: denique dum idem pater inter haec verba media filij dextram homicidae dextrae insertat, ac multis etiam cum lachrymis congressum soluit: horum omnium inquinatissimus ille nihil quicquam secum reputans, quin potius omnibus illis vna ex animo excusis eadem illam caedum omnium scelestissimam patrat. Hoc enim flagitium filij etiam propriae caede grauius est, cuius rei testimonium a vobis mutuabor, qui vtique non sic, opinor, indoluissetis (si modo ex animi mei affectibus & vestrorum item affectuum coniecturam facere oportet) si illum audissetis proprium filium occidisset: tum enim vna cum communibus legibus & naturae etiam leges subuerti visum fuissent. Hic autem plurima simul concurrerunt, quae numero ipso, naturae necessitudine validiora esse possunt. Quoties enim mihi ante oculos obuerfatur adulescens ille prorsus innocens, idem a patre deditus, idem a maiorum suorum regia auulsus, idem domesticas delicias, gloriam, honorem cum extorri vita, hoc nomine commutans, ut posset impurus imperator pactis cum hoste foederibus fidere: idem postea ab illo misere confectus, & splendore domus paternae per eadem foedera priuatus, denique ab eodem iugulatus: nimirum secum pugnans me subit affectus, liquefacto simul, atque exaestuante intus animo, quorum affectuum alterum mihi ira, alterum maestitia parit. Nam dum mecum reputo scelestum illum armantem sese, gladium intentantem, pueri collum apprehendentem, qua dextra depositum receperat, hac eadem gladium in illud impellentem, disrumpor, atque adeo ira suffocor. Rursus dum intueor iuuenem illum timentem, trementem, ploratum extremos plorantem, patrem inclamantem, hunc ipsum istarum rerum autorem fuisse testantem, eadem non ei, qui gladium in guttur mergeret, sed ei, qui se genuisset, acceptam referentem, neque fugam adornare, neque sibi auxilio esse valentem: sed quod vnum superest, frustra de proprio parente expostulat, denique plagam receptantem, palpitantem, calcibus pavimentum ferientem, terram sanguineis riuis inquinantem, ipsa mihi intus viscera discerpuntur, ipsa mihi cogitatio obtenebratur, ac mihi ob oculos maestitiae caligo quaedam offunditur. At vero non perinde belluinum illud imperatoris pectus affectum videas: quin potius quasi vel agnum, vel vitulum immolaturus, sic ad scelestam illam caedem animatus fertur. Et puer quidem plaga accepta exanimis iacebat. At percursor admisso sceleri patrociniabatur, posteriori facinore prius illud obscurare laborans. Existimaturus es fortasse me de sepultura loqui velle, deque imperatoris impietate, qui a se occiso ne tantillum quidem terrae imper-

tinerit. Ego vero aliud quoddam facinus, eo quod a me iam dictum est longe atrocius, indicaturus sum. Nam manus illas impias tam innocenti sanguine ubi cospurcavit, atque consceleravit, novamque illam tragœdiam peregit, quasi nullo profus a se scelere facto, effrons, & ipse etiam saxis durior, ad dei optimi maximi templum festinabundus accurrit. Miraturi fortasse sunt nonnulli cur factum est, ut qui tam sanuum patraisset facinus, divina statim plaga percussus non fuerit: aut quo pacto prius quam introisset, in illum deus non continuo fulmen cœlitus contorsit, ita ut eiusdem os impudens cœlesti igne mox conflagraret. At ego, si quibus huiusmodi cogitatio in animum descenderit, laudo quidem illos & admiror exandescantia istius causa: tamen huic meæ de illis tum laudationi, tum admirationi non nihil certe adhuc deesse dico. Etenim iusta quidem illos indignatio subit, tum ob premissam iniuria puerum, tum ob divinas leges tanta cum petulantia, atque contumelia violatas: sed iidem tamen iræ impotentia exastuantes, rem ipsam totam non perpendunt. Iusticiam enim lege hac, alia quædam lex longe sublimior in cœlis lata est. Lex vero ea quæ tandem esse potest? Iis qui peccatum aliquod commiserunt, pœnam non evestigio deum irrogare, sed tempus delinquenti concedere, ac veluti præscriptum diè statuere, intra quem peccatum quum deposuerit, pœnitentiæ beneficio par tandem iis evadat, qui nullum profus peccatum admiserunt. Id quod & tunc deus in miseri ac perditis illius causa declaravit, sed nullus tamen propterea subsequatur profectus: inmendatus enim persistebat. At deus, quo est in humanum genus amore, hoc etiam quum providisset, ne sic quidem illum despexit, neque partes ipse suas intermisit, sed & laboratorem inuilit, adhibitis etiam iis remediis, quæ salutem afferre possent: cæterum tantum absuit, ut porrectum ille medicamentum admitteret; ut vel medicum ad se hoc nomine missum trucidaverit. Medicamentum porro, ac medicinæ item ratio huiusmodi erat. Forte fortuna per quod tempus crudelis, ac miseranda quam dixi, fabula licentiosè ageretur, magnus quidam atque admirabilis vir (si modo viri nomine designare illum fas est) nostri huius gregis curam gerebat, Babylas huic nomen erat: is igitur, per eos dies Christi ecclesiâ hanc à spiritus gratia sibi concreditam quum haberet, Heliam, atque huius æmulum Ioanem, non dico præterit, ne invidioso admodum verbo utar, sed usque adeo est affectus, ut ne tantillum quidem illorum generosorum pectorum libertati concesserit. Neque enim paucarum civitatum tetrarcham, neque gentis vnius regem, sed eum, qui imperio suo plurimam totius orbis partem contineret, ipsum, ipsum hunc inquam homicidam, de quo nobis est sermo, eundem multarum gentium, multarum civitatum, immensi item exercitus dominum, eundem quoque te vertas, tum ab imperij amplitudine, tum à morum ferocitate terribilem, quasi vile quoddam, ac nullius precii mancipium sic à dei templo exegit: tanta adeo cum constantia, atque animi præsentia cum quanta pastor scabiosam ac morbidam ovem ab ovili excludit, dum prohibet ne laboratorem ovium morbus ad reliquum quoque gregem contagione serpat. Et hæc quidem fecit Babylas, re ipsa servatoris nostri verbum confirmans. Solus illum videlicet servum esse, qui peccatum facit, ut sexcentas etiâ coronas capite gestet, ut omnibus, qui super terram sunt, hominibus imperare videatur: qui autem culpæ nullius sibi conscius est, ut in subditorum classe censeatur, huc vel regibus omnibus

regaliorem, præstantioremque esse. Ergo ipsum imperatorem statim is, qui illius imperio parebat, rexit: & ei, qui omnium dominator erat, subditus iura dedit, atque adeo adversus eum, dationis calculum tulit. Tu vero quisquis es qui hæc audis, noli quod dictum est leniter transmittere. Nam auditus facti huius nuntius, extitisse ex subditis, qui imperatorem à templi vestibulo exegerit, per se abunde satis est ad commouendos ac perterrefaciendos auditorum animos: qui si vis miraculum totum exacte pernoscere, ne verbum ipsum nudum spectes, sed ponito tibi ante oculos hinc satellites hastatos, hinc milites scutatos, hinc tribunos, hinc exercitus duces, hinc permultos in aula regia educatos, hinc eos quibus civitatum administratio credita esset, hinc prætorum, hinc sequentium fastum, hinc asseclarum seipsum vrgentium turbam, denique vniuersum imperatoris famulitium: secundum hæc ipsum imperatorem in medio illo comitatu multo cum fastu ingredientem, eundemque vestium, purpuræ, lapillorum, hac illac consperforum, in dextra, in militaris vestis commissa, in capitis diademate resurgentium sumptu sibi placetum: ac ne hoc quidem loci concepta semel à te imaginis istius faciè finias, quin eandem proferas ad dei usque servum illum, beatum, inquam, Babylam, eiusdemque humilem habitum, vulgarem vestem, animam contritam, sensum ab omni temeritate alienum, atque his demum coloribus vtrunque quum depinxeris, & alterum alteri opposueris, tum certe facti huius miraculum belle perspicias. Imò vero ne sic quidem id exacte comprehendes. Babylas enim fiduciam nullius planè sermo, nullius oculorum acies repræsentare queat, sed solum illius experimentum, atque usus: cuius generosi animi præsentiam solus is possit recte animo concipere, qui potuerit ad idem fiduciæ fastigiū pertingere. Quo modo enim senex ille accessit? quo modo prætoriam cohortem dissipavit? quo modo labia diduxit? quo modo verba fecit? quo modo increpuit? quo modo dextram in pectus impactam firmavit? pectus, inquam, ira turgens, ac cede feruens: quo modo homicidam exegit? nihil illum eorum quæ agerentur deterruit, nihil de sententia deduxit. Exclamare hic libet, o animum imperterritum, mentemque excessam: o cœlestem pectus, & constantiam angelicam. Quasi enim depictam in pariete videret vniuersam illam speciem, sic omnia intrepide generosus ille vir peregit. Etenim illi sacræ erudierant literæ, mundi huius res omnes non nisi umbram esse, ac somnium, & si quid his vanius est: Propterea Babylam nihil ea omnia terruere, imò vero magis animare: illorum enim quæ coram contuebantur aspectus, eius cogitationem traducebat ad supremum illum regem sedentem super Cherubin, abyssos cõtuentem, ad thronum illum gloriosum, & excelsum, ad exercitum illum cœlestem, ad angelorum myriadas, ad chiliadas archangelorum, ad suggestum terribile, ad tribunal incorruptum, ad flumen ignis, ad iudicem ipsum. Propterea certe se ipse totum à terra in cœlum transferebat, quasi iudici ipsi adisteret, ipsumque audiret iubentem, ut scelestum, atque inquinatum illum à sacrosancto grege expelleret, sic eiecit, & à reliquo armento separavit, nihil profus respiciens eorum omnium quæ videbat, quæque terrificæ aliis videtur: quin potius illo viriliter, atque admodum generose expellendo, diuinis legibus vim, ac tyrannidè patientibus opem tulit. Atqui quæta Babylas erga cæteros fiducia usus sit, hinc constare potest: quemnam enim ex aliis metueret, qui adversus ipsummet imperatorem tantam sibi potestatem sumeret?

sumeret: Equidem vir ille qualis fuerit, coniectura quodam modo assequor: seu, ut verius dicam, de eo sic mihi persuasi, ut nihil quicquam vel in gratiam, vel in odium vnquam, vel faceret vel diceret: sed generoso semper ac forti animo contra timorem, contra item adulationem, quæ timore impotentior est, contra id genus alia (cuiusmodi multa inter homines accidunt) sese opponeret, nec vnquam, ne tantillum quidem rectum adulteraret iudicium. Si enim amictus, dentium risus, pedis ingressus, hominis naturam arguunt: multo quidem magis tot, ac tanta illius egregia facta omnibus nobis fidere facere possint, quantam ille in reliqua vita virtutum amplexatus fuerit. Neque enim nobis ille ob fiduciam modo, qua præditus erat, admirabilis esse debet, verum ob id quoque, quod eam fiduciam ad hoc usque loci perduxerit, simul ob id, quod eam ulterius non promouerit. Talis est enim Christi sapientia, quæ permittit ne quid minus, ne quid item plus iusto decertes: sed ut omnia intra modum efficias. atqui Babylas licebat, si voluisset ulterius progredi: ei enim qui vitæ curam semel abiecerat (profus enim non accessisset, nisi se ipse huiusmodi cogitatione armauisset) omnia libere agere licebat, & imperatorem conuiciis aspergere, & diadema capite detrahere, & pugnis os contundere: nam & dextram in pectus iam impegerat. sed tamè ab his omnibus abstinuit: animam enim habebat sale spirituali conditam, quæ res præstabat, ut nihil temere, nihil stulte, sed omnia recto rationis iudicio, ac stato ordine exequeretur: non quemadmodum gentilium sapietes, qui nunquam intra modum sed vbique, ut ita dicam, aut maiorem, aut minorem, quam decet, orationis libertatem vsurpant: idque ut nusquam fortitudinis vbique affectuum ratione carentium opinionem sibi concilient, in iis quæ assequi non possent, metus, atque ignavia: in quibus excessissent, insolentia, ac vanitatis apud omnes cõiuncti. At non sic Babylas noster, qui quod ipsi in mentem venerat, id non inconsulto aggressus est, sed nihil non accuratè perpendens, & animi sui cogitationes diuinis legibus conformans, ita demum ad opus eas eduxit. Eapropter sectionem ipsam neque per summa tantum inflixit, ut ne maior membri affecti pars incurata relinqueretur, neque altiore quam deceret, ut ne superuacanea plaga quod sanum esset, offenderet: sed plaga prius ad morbum attemperata, medicinam quam optimam adhibuit. Equidem hinc illum pronuntiare ausim ira, putillanimitate, arrogantia, ambitione, odio, timore, adulatione profus vacauisse: quod si & maius quiddam atque admirabilius fatendum est, non tam certe mirum mihi videtur eundem adversus imperatoriam insaniam tanta fiducia constituisse, quam vidisse, atque intellexisse, quatenus hoc ipsum facere oporteret, nec quicquam præterea vel fecisse vel dixisse. Equidem quod postremum hoc longe illo admirabilius sit, multos utique inuenies illius compotes euasisse, ab hoc tamen superatos. vocis enim libertatem vtcunque vsurpare possunt, & ex plebeis permulti: at illa eadem decenter uti tempore consentaneo, congrua tum mensura tum prudentia adhibita, magni admodum animi & admirabilis fuerit. Quando in beatum illum David magna cum licentia, contumelia inuectus est Semei, quem & sanguinarium virum appellavit: verum hanc ego nunquam dixerim fiduciam ac libertatem, sed linguæ potius intemperantiam, mentis temeritatem, contumaciam, dementia, atque id genus quodlibet vitium. Conuenit enim arbitror, ut qui alios reprehensus est, is animum suum

1. Reg. 17.

quàm longissime ab omni temeritate, ac contumacia asserat, quàmque vsurpat agendi vehementiam, eam ex verborum, atque rerum natura tantum demonstrat. Etenim medici dum vel putrida membra secare, vel intumescencia comprimere opus est, non ira prius animum suum complentes, ita demum ad curandum accedunt, sed tum maxime decenti in statu animi cogitationem continere adlaborant, ut ne arti ipsi turbati animi motus officiat. Quod si corpus curaturo tanta animi sedatione opus est, quo, obsecro, animarum medicum loco habebimus? quantam ab eo sapientiam exigemus: certe longe maiorem, atque adeo tantam, quam tam bonus ille martyr præstitit. Nobis enim quosdam quasi terminos, & regulas præscribit, per quas videlicet & in reliquis facta proportione nobis ipsi modum desumamus, sic miserum illum à sacrosanctis claustris summouit. Ac factum quidem hoc videri potest vnum modo esse egregia virtutis opus: veruntamen si quis id perpendat, ac tanquam explicans vndique diligenter speculetur, inueniet & alterum, & tertium item emolumentum inde simul nasci, magnamque inibi utilitatis thesaurum recondi. Siquidem vnus tantum is fuit, quem à templo expulit Babylas, at multi extiterunt, qui lucrum inde reportarunt. Quotquot enim erant, qui fidem suam Christo nondum obstrinxissent (de iis loquor, qui tyranni huius imperio parebant, id autem imperium bonam totius orbis partem occupat) ij certe omnes obstupere, admirati sunt: inde edocti quantam seruis suis libertatem Christus impertierit, deriserunt suam ipsorum illiberalem, & abiectam seruitutem, perspexerunt quantum inter se discrepent Christianorum nobilitas, & gentilium probum. Qui enim apud illos templorum administrationem susceperunt, ij reges suos colunt plusquam dominos, plusquam idola etiam ipsa quæ adorant, regumque metu statuis ipsi assident, ita ut maligni illi demones honorem omnem sibi impensum imperatoribus solis acceptum referant. Itaque ubi contingit imperatorem aliquem creari, qui cum illorum religione non consentiat: mox ibidem si quis in idolorum templa fuerit ingressus, passim araneorum telas parietibus circumfusas videbit, & tanto situ idoli statuam obductam, ut neque nasus, neque oculus, neque alia quæuis totius oris pars appareat. Ex altaribus autem, aliorum reliquias solum superesse, maiore parte iam collapsa, alia interim tam alta vndique herba circumdari, ut qui altaria ea esse nescit, sterquiliniij acerrimum aliquem esse putet. Cuius rei causa hæc est: Illis olim licebat quæcumque vellent suffurari, & per statuarum cultum ventri indulgere: nunc vero quamobrem sese miseri discruciauerint? accubantes enim ac se ipsi conficientes, ab illis tamen nullam profus expectant retributionem: sunt enim ligna tantum ac lapides: verum honore eo quem imperatores statuis iisdem exhibent, adducuntur illi ad huiusmodi cultum simulandum, qui certe tollitur, dum imperatores sapiunt, dei opt. max. filium adorantes. At non ea est rerum nostrarum conditio, sed planè contraria. Quum enim in imperatorum thronum conscendit qui nobiscum in fide, ac diuinitatis opinione consentit, hic segniores efficiuntur Christianorum res: tantum abest, ut illæ per humanos honores erectæ, consistant. Rursus quum impius aliquis imperator regnat, qui nos vndique vrget, qui nos infinitis malis exercet, tum eadem precium accipiunt, atque inclarescunt, tum præmiorum, ac triumphorum tempus, tum coronarum, præconiorum, ac

virtutis omnis ostentanda facultas. Quod si quis dixerit superesse etiam nunc civitates, eandem quam olim superstitionem circa idolorum insaniam præ se ferentes, is primum admodum paucas numerabit. Veruntamen ne hac quidem ratione officiet instituto à me sermone. Eadem enim suppositio adhuc manet: nam pro imperatore, civitatis administratores habent parem secum idolis honorem deferentes. Atque huius cultus causa hæc existunt: crapula, comestiones tum diurnæ, tum nocturnæ, tibia & typana, & quod liberum est, turpia quidem cum omni oris impudètia proferre, turpiora autem factitare, liberum item præ ingluvie disrumpti, præ ebrietate debacchari, & in probrosissimam insaniam dilabi. Id genus indecentes sumptus continent adhuc & fouent intercidentem illum errorem. Nam qui opulentiores inter illos sunt, in ordinem paratorum cogunt eos, qui ob ignaviam fame pereunt, quos ipsos tanquam canes ad mensas suas enutrient, eorumque impudentes vètres iniquarum cœnarum reliquis differciunt, ipsidem pro animi arbitrio abutentes. At nos, qui in vniuersum mores vestros iniquos, ac prorsus ratione carentes abominamur, qui ob propriam segniciam, atque ignaviam esurire coguntur, eos non pascimus, quin potius suadendo hortamur, ut & sibi, & cæteris opera sua victum sufficiat: qui vero mutilo sunt corpore, iis permittimus modo, victum necessarium ab iis, quibus facultates suppetunt, mendicare. At comestiones, ebrietates, & reliqua omnis insania, ac turpitudine à cœtu nostro exacta, explosa; est, pro quibus introducta sunt quæcunq; graua, quæcunq; casta, quæcunq; iusta, quæcunq; sunt probata, si qua virtus, si qua laus. Nam cætera illa quæ Græci iactabunde efferunt, philosophis suis attribuetes, facile monstrarunt vanam gloriam, temeritatem, & puerilis cogitationis opera esse. Neque enim temere apud nos dolio quis accepto se ipse includit, neque vili ac lacero panno obtectus, sic per forum ingressus est. Ea enim admirabilia quidem esse videntur, laboreque multo, ac summa ærumna plena, sed indigna tamen sunt quæ laudem mereantur. Est autem diaboli astutia, sibi seruientes laboribus eiusmodi addicere, unde qui decepti ab illo fuerint, cum diuellantur, tum ridiculi omnibus appareant. Labor enim is, ex quo nullum lucrum manat, nullam prorsus laudem meretur. Etenim existunt etiam hodie perditii quidam homines, nullis non flagitiis pleni, qui multo maiora iactant, quam philosophus ille. Alij enim acutos clauos comedunt, alij calceos mandunt, & deglutiant: alij ad alia his longe flagitiosiora male consulti se conferunt, opera porro huiusmodi multo sunt admirabiliora, quam vel doctum illud, vel panni illi viles, ac lacri: sed ea tamen minime probamus, sicuti neque illa: quinimo & istos, & omnes item qui similibus prestigiiis mirabiles sunt æque, ac philosophum eundem damnantes deploramus. Dices, magnam vero philosophus orationis libertatem apud regem præ se tulit: Videamus ergo quæ sit egregia illa libertas, num etiam ea dolij prestigiiis vanior sit. quænam igitur illa proficiscenti cum exercitu aduersus Persas Macedoni, eademque philosophum magna instantia hortanti, diceret, si qua re indigeret: nulla, ille inquit, nisi quod regem rogauit, sibi à sole ne obstitaret. acciderat enim tum iam ut philosophus à solis radiis calefieret. hic non vos ipsos pudore suffundetis: non oculos, frontemque contegetis: non hinc facessentes terra vos obruetis, ob ea ipsa vobis placentes, ob quæ pudore suffundi oportet.

bat: quanto enim præstiterat vestre aliqua sumpta, eaque crassiuscula ad opus aliquod se traducere, neque non à rege quidpiam, quod vsui foret, petere: quam lacero indutum pallio sedentem ad solis radios calefieri, paruorum lactentiumque puerorum more, quos nutrices lotos, atque inunctos ibi collocant, vbi tum philosophus idem sedebat, infelicis anicula gratiam flagitans: At admiranda ea est orationis libertas: imò verò & hac quoque nihil certe prodigiosius. Bonum enim virum oportet publica vtilitate facta sua omnia metiri, & aliorum vitam emendatiorem reddere. Postulare vero, ut ne sibi à sole obstitetur, quamnam id civitatem, quamnam domum, quemnam virum, quamnam mulierem conseruauit? Age vero num quoddam lucrum vocis huius libertas peperit: nam lucrum à libera martyris nostri voce natum iam ipsi demonstrauius, idque vltius progressi apertius detegemus. Tum enim Babylas iniuriam imperatorem, quatenus sacerdoti fas est, puniuit: principum altos spiritus compressit: diuinis legibus, dum violarentur, opem tulit: supplicium pro iniuste occiso exegit, suppliciorum omnium grauissimum, iis quidem certe qui mente sana sunt. Meminitis quidem omnino, quum de cæde ipsa verba facerem, quemadmodum vestrum qui audiebatis vnusquisque intra se afficeretur, atque inflammaretur, percussoremque ipsum in manum capere desideraret, neque non precaretur alicunde apparere, qui eadem vlcisceretur. hoc ipsum igitur beatus ille præstitit: pœnâ enim sumpsit tum se dignam, tum idoneam quæ illum conuerteret, si modo stupidus admodum non fuisset: nequaquam postulando, ut sibi ad solis radios calefenti abscederet rex, neu à sole obstitaret, quin potius impudenter in templi septa ingredientem, atque omnia confundentem, quali canem quendam aut seruum improbum à domini sui aula excludendo. Vides nunc me non iactabunde, non temere paulo antè dixisse, philosophorum vestrorum miracula à Babyla puerilis sensus opera redita fuisse: At temperans, inquis, fuit, continentemque vitam egit Sinopenis ille, ut qui etiam legitimas nuptias non sustinuerit? Sed adde, obsecro, temperantiæ ac continentiæ illius modum. Tu vero nequaquam addes, quin libentius temperantiæ laudes illi detraxeris, quam temperantiæ eius modum prodideris, adeo certe ille infamis, ac magno dedecore plenus. Percurrem hoc loco & cæterorum nugas, stultum, ac vanum studium, denique turpitudinem: vbi enim, quæso, vtile est seminis humani gustu non temperare: id quod faciebat Stagiritis: quale commodum eum matribus, ac sororibus misceri: quod quidem philosophus Stoæ præfectus lege sanxit: percurrerem etiam academiæ principem, illiusque discipulum: item & eos, de quibus maior est admiratio, his quos nominavi obscœniores fuisse demonstrarem: obscœnum quoque puerorum amorem ab illis in honestatis ac philosophiæ parte annumeratum, omni resecta allegoria denudarem, nisi tum nobis ad alia properantibus oratio longior hac ratione fieret, tum omnium illorum risus, vno à nobis detestato, satis superque redargueretur. vbi enim is qui austeriorem philosophiæ partem sequi visus est, quique cæteros & linguæ libertate, & vitæ continentia excelluit, adeo turpis, adeo ineptus, adeo immoderatus fuisse demonstratus est (nam & humanis vefei carnis indifferens esse dixit) quorsum attinet & de reliquis deinceps verba facere, præsertim vbi qui studij, ac vitæ instituti excellentia cæteris illustrior fuit, omnibus tam ridiculus, tam puerilis,

tam puerilis, tam delirus apparuit? Itaque eò nostra redeat, unde aberrauit oratio. Ergo Babylas, ut dictum est, tum eos qui nondum Christi fidem receperant, contempserunt: tum eos, qui iam receperant, religiosiores etiamnum reddidit, non priuatos homines modo sed & milites, & militum duces, & præfectos: planum faciens, ipsum etiam regem, eumque, qui summus fuerit apud Christianos, nuda tantummodo esse nomina, ac dum vel pœna irroganda, vel honos deferendus fuerit, quisquis etiam diadema gestet, hunc vel infimis quibusque adæquari. Ad hæc eorum certe ora obturauit, qui impudentia quadam abutentes affirmare vellent, quum Christiani libertatem apostolis tribuimus, eam non nisi fictam quandam à nobis iactantiam esse: re quidem commonstrans olim etiam eiusmodi viros probabiliter extitisse, dum eorum potestatem signorum præstatio maiorem efficeret. existit & hinc tertium quoddam rare virtutis facinus, atque exemplum. Futurorum enim posthac & sacerdotum & regum animos, horum quidem demisit, illorum autem extulit: planum faciens terræ, & eorum quæ in terra sunt, curam, ac præfecturam verius residere penes sacerdotem, quam penes eum qui paludamento ornatus, ac purpura indutus est: nec non oportere de potestatis huius amplitudine sacerdotem nihil detrachere, sed hominem potius exuere quam autoritatem huic principatui supernè à deo attributam deponere. proinde qui sic è vita decesserit, vel mortuus nemini non prodesse poterit: at qui ordinis huiusmodi defertor fuerit, non solum nemini mortuus vsui est, sed videntium quoque, quibus præest, quam plurimos segniores, mollioresque reddit, exteris ipse interim & vituperabilis & ridiculus. Idem etiã cum è viuis decesserit, multo cum dedecore, ac mœrore ad Christi tribunal sistetur: unde ipsum postea trahentes in fornacem ardentem abducent potestates eæ, quibus id negocij demandatum est. quæ obrem sapientis verbum nos monet, Ne personam adsumpseris contra tuam ipsius animam. Quod si dissimulare tutum non est, dum homini ab homine iniuria inferitur: quo tandem supplicio dignus non erit, qui si fuerit, ac neglexerit, intuitus diuinas leges iniuriam accipere: Quinetiam & aliud item non minus iis, quæ dixi, bonum nos Babylas docuit, quod videlicet vnumquemque oportet suo officio fungi, etiamsi inde nullum lucrum ad alios dimanet (neque enim ipsi, ad imperatoris quidem emolumentum, libertas profuit) nihilo tamè fecius suas omnes partes, atque officium omnibus numeris impleuit, quum interim qui morbo laborabat, propria contumacia atque vecordia artificis peritiam offenderit, medicamento à vulnere magna cum animi indignatione amoto. quasi enim abunde satis ad impietatem non esset, homicidium patrisse, & fronte perfreta in dei templum insiliisse, sic homicidio priori & alterum adiecit homicidium: & quasi simul studeret posterioribus scelerebus priora vincere, nec tamè præcedentium indignitatem subsequentiū excellentia obsecrare (ea est enim diaboli insania, ut quæ contraria, ac sibi inuicem pugnancia sunt astruat, moliaturque) sic vtrique homicidio eximium id largitus est, ut mutuum quandam inter se congruentiam haberent. Et erat profecto pueri cædes prior posteriori miserabilior: Babylas autem cædes posterior priori scelestior. Anima enim, quæ peccati gustum semel fecerit, tum quæ nullius doloris aut pœnitentiæ stimulis tangitur, magnum certe auctarium morbo abiicere solet. Ac quemadmodum vsu venit, ut scintilla ignis, si forte immensam mate-

riam corripuerit, statim obuiam quamque exurat, nec ante tamen subsistat, quam quod reliquum est, id omne depascatur, quantoque plura comprehenderit flamma, tanto magis robur ad alia consumenda concipiat: fitque tum ut comprehensorum à flamma lignorum cogeret lignis iis, quæ mox flamma comprehensa est, quasi insidias struat, flamma eadem sese semper lignorum comprehensorum auxilio contra ea, quæ intacta adhuc manent, armante. Sic & peccati natura, vbi animi cogitationem aliquam adorta est, nec quisquam est qui malum restinguat, procedens vltius grauior certe, ac magis indomita efficitur: propterea sæpe fit, ut quæ posteriora sint peccata prioribus grauiora sint, anima semper posteriorum peccatorum accessione ad maiorem contumaciam ac despicientiam sese prououente, & per hæc ipsa suam quidem vim eneruante. peccati autem robur valente, qua vtrique ratione complures videas in omne peccatorum genus imprudentes prolapsos, quod flammam initio exorientem non restinuerint: Sic & infelix ille imperator peccatis suis prioribus, posteriora grauiora adiecit: vbi enim iuuenem illum extinxit, euestigio ab illius cæde ad inferendam templo iniuriam irruit: rursus ab hac iniuria, tanquam iter semel ceptum persequens, ad contumaciam temeritatemque suam, sacerdotio contumelia afficiendo se accinxit, vincitumque ferro Babylam, atque in carcerem coniectum ita tum excruciat ab eodè beneficij pœnas exigens: eumque ob quæ officia admirari potius, coronaque insignire, ac plusquam etiam parentes proprios vereri conueniebat, ob ea ipsa cogebat maleficorum hominum vincula, vinculorum calamitates, miserias, ærumnas sustinere. Ita, quod modò dixi, peccatum vbi initium cepit, nec est qui id vltiùs progredi impediatur, cohiberi postea, ac frænari haud facile potest: equorum insanientia ritu, qui quum fræno ab ore disiecto, nec non sessore ab armis excusso, atque resupinato, nequiquam tolerabiles occurrentibus euaserint, nemine illos inhibente, immoderato quodam impetu hac illac se ipsi præcipites ferunt: quo fit, ut salutis nostræ hostis huiusmodi animas ad insaniam impellat, quod eas medicorum presentia atque auxilio destitutas deprehendens concidat, & infinitis malis exercent. Etenim qui corpore laborant donec medicos ad se adire patiuntur, in magnam certe salutis spem ingrediuntur: vbi vero mente capti calcitrant, ac se morbo liberare volentes, mordent: tum denique morbo incurabili laborant, idque non ob morbi ingenium, sed quod ab iis destituti sunt, qui insaniam illam sanare possint. In quam insaniam & tyrannus iste sese coniecit. Nam medicum nactus, hunc, vulnus adhuc dum secaret, statim expulit, & à domo quam potuit longissime exegit. Hic poterat Herodis fabulam non iam auribus tantum haurire, sed & coram maiori sanè cum pertulantiæ atque immodestia spectare: quoniam quidem & maiori certe cum ostentatione, atque apparatu diabolus rursus ipsam fabulam in vitæ huius theatrum agendam introduxit, pro tetrarcha regem substituens, pro vna causa duplex argumentum idque longe illo inquinatius præbens: ut non numero tantum, sed & ipsa rerum natura, hæcce tragœdia clarior multo, atque illustrior euaserit. Non enim hic sicut illic nuptiis iniuria afferebatur, neque ex illegitimo coitu, sed ex scelestiori puerilis cædis inquinamento, ex tyrannide crudelissima, ex legis transgressione non in uxorem, sed in ipsam sanctimoniam præstita, historiae huius telam diabolus cõtexit. Coniectus ergo in carcerem Babylas, gaude-

bat quidem de vinculis, dolebat autem de eius exitio, à quo vincetus fuerat. neque enim pater, neque pedotriba, quum ille ex filij, hic ex discipuli flagitio, aut calamitate celebratior fuerit, celebritatis huius voluptatem mœre vacantem capiunt. Propterea & beatus Paulus Corinthios alloquens dicebat: Precamur autem vt mali nihil committatis, non quò nos probati videamur, sed vt vos bonum faciatis, nos autem tanquam reprobissimus. Eadem igitur ratione & admirabili viro Babylæ discipuli salus desideratior erat, quàm expectata ex carcere merces, cui quidem gratius certe accidere nihil potuisset, quàm si per discipulum respicientem huiusmodi laudibus priuari ipsum contigisset: seu, vt verius dicam, si discipulus prorsus in istam morum perversitatem dilapsus non fuisset. Nolunt enim sancti corollas sibi alienis ex malis contexi: quòd si ab alienis malis sibi alienis ex malis contexi: quòd si ab alienis malis nolunt, multo minus ab iis malis, quæ ipsorum domesticis ac familiaribus obuenerunt. Quo nomine & beatus Dauid victoria parta, ac triumpho iam acto, lugebat, & lacrymabatur, quòd ad calamitatem, quam ex filio receperat, & hæc item accessisset: quin exercitibus ad conflictum militibus multa tyranni nomine mandabat, eosque qui ad illius cadem properabant, hac oratione cohibebat: Parcite puero Absalon, quem ipsum in prelio prostratum lugebat, non sine fletibus, lachrymisque amarum inimicum reuocans. Quòd si naturalis pater tam propenso est erga liberos suos affectu, certe multo magis id de spiritali patre fatendum est. Parentibus enim spiritalibus liberorum suorum maior cura est, quàm naturalibus, Paulo ita attestante: Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis offendiculum patitur, & ego non vror? Sed hoc quidem æqualitatem nobis repræsentant, quanquam certe vix patres in hæc ipsam vocem erumpant. Veruntamen demus & illos hucusque affectu accedere posse: nos enim spirituales patres maiora etiam præstare ostendimus. At hoc ipsum vnde? Ab iisdem iterum visceribus, & à legislatoris Moysi verbis. Ille vero quid dicit: Si remittis eis peccatum, remitte: sin minus & me ipsum ex libro quem scripsisti, dele. Nullus sanè est pater cui alioqui bonis infinitis perfrui liberum sit, qui tamen malit vnà cum liberis suis pœnis affligi. At Apostolus, vt qui in gratiæ statu versatus fuerat, paterni huius affectus intentionem addidit, propter Christum. Non enim Moysi exemplo cum illis pœnas dare malebat, sed vt aliis bene esset, sibi ipse excidium imprecabatur, quum diceret: Optarim anathema esse in Christo pro cognatis meis fratribus secundum carnem. tanta certe misericordia, atque affectu olim sanctorum animi abundabant. Vnde & Babylæ nostri viscera magis excruciantur quàm imperatoris exitium magis ac magis inualescere tueretur. Neque enim solù templi causa stomachatus, sed beneuolentia quadam erga imperatorem adductus id fecit, quod illum fecisse diximus. Etenim hic dum diuina sacra contumelia afficeret, illis quidem detrimenti nihil afferebat, quin potius semetipsum infinitis malis implicabat. quapropter pater filij amore tactus, illum intuitus illata sacris contumelia furore percitum præcipitem ferri, immoderatum illum impetum cohibere conatus est, eundem à se obiurgatum quasi effrenem equum retro inhibere properans. At non sustinuit infelix ille, quin potius morfo frango prorsus obstitens, seque & furori, & infantiæ, rationis gyro relicto, dedens, in extremi exitij voraginem coniecit, Babylam à carcere eductum, iubens vinculum ad mortis supplicium abduci. Atque hic quæ fie-

rent iis, quæ cernerentur, minimè respondebant. Qui enim vincetus videbatur, omnibus simul vinculis solutus erat, tam ferreis, quàm aliis item grauioribus (curas hinc intelligo, ac labores ceteraque mala omnia quæ nos in hac mortali vita circumsistunt) contra, qui solutus ferro & adamante videbatur: aliis quibusdam cõpedibus longe grauioribus vincetus erat, peccatorum scilicet catenis irretitus. Sanctus igitur Babylas morti se propinquum dum videret, corpus suum vnà cum ferreis illis catenis sepeliendum mandauit, planum faciens, quæ ignominiosa videntur, ea quoties propter Christum fiunt, honorifica esse, ac splendida: eumque qui ea patitur non solum non dissimulare, sed inde sibi placere oportere, hæc quidem in parte beatum Paulum imitatus, qui sursum ac deorsum stigmata, vincula, catenam versabat, ob ea ipsa gloriabundus, ac sibi placens, quorum alios puderet. Quòd autem alios puderet, id ille nobis ea defensione declarauit, qua ad Agrippam usus est. Nam Agrippæ dicenti, Parum abest aule, quin me Christianum efficias, respondit Paulus, Vtiam vel paruo, vel multo tempore, non solum tu, sed & qui hic circumstant omnes Christiani fierent: exceptis hisce vinculis: quæ vincula non vtique adiecerat, nisi res ea ignominiosa vulgo visa fuisset. Sancti enim dominum vere quum amarent, afflictiones pro illo magna cum alacritate suscipiebant, per quas etiam clariore euadebant: vnde & hic idem ait. Gaudeo in afflictionibus meis. Lucas autem & de reliquo apostolorum cœtu eadem hæc testatur: post multa, inquit, flagella recedebant gaudentes, quod digni habiti essent pro Christi nomine ignominia notari. Igitur vt ne quis gentilium existimaret certamina, ac dedecora vbi ac necessitate à nostris sustineri: ipsa certaminum symbola iubet Babylas vnà cum cadauere suo inhumari, ostendens sibi illa pergrata, & peramica esse, pro ea quidem charitate, qua totus in Christum appensus erat. Et extant etiam nunc cum Babylæ cineribus compedes, ecclesiarum præfectos omnes commonefacientes, vt vinciri, vt iugulari, vt quiduis pati oporteat: certe omnia prompto atque alacri animo, ac magna item cum voluptate sustinenda, vt concreditæ nobis libertatis ne leuissimam quidem partem prodamus, aut contaminemus. Et quidem beatus ille in eo splendore, atque honore mortem cum vita commutauit. Enimvero existimaturus est fortasse quispiam hoc loci orationi nos nostræ finem imposituros. neque enim vita hac finita laudatorum operum, aut virtutis ostentandæ occasiones suppetere, que admodum neque athletic post ipsam certaminum tempus exactum, corollas contexi conuenire. Verum ea quidem est gentilium non ab re opinio, quorum spes vltra hanc mortalem vitam haudquaquam prorogatur. At nos quibus vitæ huius exitus illustrioris vitæ alterius initium est, ab hac suspitione, atque opinione longe absumus: quam sanè opinionem rectam esse, apertius à nobis alibi demonstrabitur. Interim & quæ virtutis eximie opera post Babylæ generosi martyris obitum obuenerunt, talia sunt, quæ magnam orationi nostræ fidem facere possint. Postquam enim pro veritate tuenda ad mortem vsque decertauit, & ad proprii sanguinis effusionem vsque contra peccatum depugnans restitit, atque vt ne ordinem eum, quem à magno rege acceperat, desereret, ipsam etiam animam deseruit, nullo non generoso atque egregio bellatore illustrius occumbens, animam quidem ipsius cœlum habuit, corpus autem (quo tanquam ministro ad

stro ad virtutis opera præstanda vsus fuerat) terra, sic vt creatura ipsa athletam diuiserit. Atqui poterat Babylas, vel exemplo Enoch transferri, vel Helix modo rapi, vt qui vtriusque æmulator fuerat. At deus quia est in humanum genus benignitate, inter alias, quas infinitas nobis salutis nostræ occasiones dedit, & hæc quoque viam nobis à se munitam esse voluit, idoneum ad virtutem capessendam stimulum, relictis scilicet interim apud nos sanctorum reliquiis. Nam post sermonis facultatem, ipsa certè sanctorum sepulchra proximum locum obtinent ad animas hominum in ipsos sanctos intuentium ad virtutum earundem emulationem excitandas. Ac sicubi quis huiusmodi conditoriis adstat, suum statim sensum ab hac, quam dico, vi correptum animaduertit: capsula enim aspectus in animam inuadens ipsam percellit, & exuscitat, ac perinde afficit, quasi qui illic mortuus iacet, preces simul fundat, præsensque adesse cernatur: deinde fit, vt qui se sic affectum sentit, mira alacritate gestiens, aliusque prorsus quodam modo effectus, ita ex eo loco decedat. quisquis porro animum aduertere volet ad eos, qui mortuos luctu prosequuntur, probe inde edocebitur, imaginationem de mortuis conceptam solere ex ipsis locis in animos insinuare: qui vbi mortuorum sepulchris astiterunt, protinus quasi idem sepultos coram stantes contueantur, sic eosdem in ipso statim vestibulo inclamant: plerique autem intolerabili dolore vexati, reliquum vitæ tempus ad demortuorum monumenta habitare sibi in animum induxerunt. Id quod nequaquam fecissent, nisi à locorum aspectu consolationem aliquam cepissent. Et quid hinc de locis, ac sepulchris verba facio: quum & sæpe vestis sola mortuorum visa, & verbum vnum in mentem influens animum nostrum excitet, & memoriam interlabentem refricet, quibus de causis ipsas nobis sanctorum reliquias deus reliquit. Porro autem quòd hæc dicam, non temerariæ cuiusdam iactantiæ causa, sed quòd id ipsum emolumentum nostræ gratia factum fuerit, abunde orationi nostræ fidem faciunt, tum quæ quotidiana à martyribus miracula eduntur, magna affatim ad illa hominum multitudine affluente, tum illis nihilo inferiora Babylæ præclara post ipsius obitum virtutis egregiæ specimina. Vbi enim ita vt mandauit sepultus fuit, & tam longum temporis intervallum ab eius sepultura intercessit, vt non nisi ossa, ac cinis in feretro superarent, placuit imperatori vni ex iis qui postea imperarunt, deo ipsius animum ad id impellente, capsulam in suburbium istud Daphnen abduci. Quum enim deus vidisset locum illum adulescentum intemperantia quadam quasi tyrannide obsessum, in periculum venire, ne prorsus ab iis desereretur, qui grauiores essent, quique in honestate ac modestia vitam degere in animo haberent, loci incommodum ac noxam miseratus, misit qui contumeliam vindicaret. Et enim ipse Daphnes locus pulcher atque amœnus vt esset, deus fecit, simul aquarum copia, ac pulchritudine, simul terræ ingenio, simul cœli atque aëris temperie, non quidem vt solum inde oblectamentum ac leuamentum captarem, sed vti his de rebus se optimum opificem laudarem. Salutis autem nostræ hostis (cuius ea est natura, vt dei muneribus in opus contrarium semper abutatur) locum eundem quum occupasset, qua corruptorum iuuenum turba, qua malorum spirituum habitaculis, affinxit præterea & infamem quandam fabulam, per quam suburbij decor omnis ac gratia dæmoni accepta ferebatur. Fabula porro sic habet.

Daphnen aiunt adhuc puellam Ladonis fluij filiam (antiquis enim mos is receptus fuerat, vt & fluij gignere, & quæ à fluij genita essent in res postea sensu carentes mutarentur, & pleraque id genus prodigiosa effingeretur) Daphnen, inquam, puellam, forma admodum præstantem fuisse volunt, quam quum vidisset Apollo, illius statim amore deflagrauit: hæc vero deum cursu se capere cupientem fugiens, in suburbium istud quum peruenisset, ibidem substitit. mater porro vim patienti filia opem ferre volens, aperto gremio virginem statim excepit, ac pro puella eiusdem nominis plantulam reddidit. hic perditus amator amoribus suis fraudatus arborem circumplexus, tum plantam, tum locum sibi vendicauit, propriumque fecit. In quo postea quum assiduus commoraretur, eum præ aliis omnibus diligere, atque amare cepit: postremo qui tum rex erat Apollini templum, & aram extrui iussit, quo posset demon suam insaniam per eum locum consolari. Et hæc quidem vetus fabula, at incommodum à fabula exortum nõ iam fabula fuit. Posteaquam enim iuuenes permulti impudici illuc accedentes, suburbij pulchritudinem contaminarunt, ibidem in comessationibus atque ebrietatibus victitantes, volens diabolus malum hoc magis ac magis gliscere, fabulam eam quam recitauimus, confinxit, dæmonem loci eius incolam esse diuulgans, vt eiusmodi historia maius illis impudiciæ atque impietatis incendium fieret. Ad tanta porro isthæc mala tollenda, inuenit imperator sapientissimum id remedium. Sanctum Babylæ martyris corpus eum in locum si transferretur, existimauit perinde fore, ac si medicus ad laborantes mitteretur. Sin iter id, quod ab vrbe ad suburbium ferret, autoritatis regiæ mandato impediret, atque interdiceret, iudicauit mandatum id omnibus vulgo visum iri tyrannicum quoddam agreste, ac crudele factum. Quòd si mandato adderet, vt qui honesti ac moderati essent, iis suburbij adeundi potestas fieret: qui vero incontinentes, atque intemperantes, ab eo arcerentur, mandatum perplexum ac difficile fore cœsuis, vt pote per quod præuidebat quotidianas censuras in diiudicanda vniuscuiusque vita necessarias. Itaque martyris præsentiam malorum horum omnium finem ac remedium fore existimauit, quem quidem idoneum intelligebat, qui tum dæmonis potentiam antiquaret, tum iuuenum luxum emendaret: qua vtique spe nequaquam fallus est. Nam vbi quis Daphnæ appropinquat, viso statim martyris monumento, vel ab ipso suburbij vestibulo, compescitur, atque emendatur, more adulescentis alicuius in conuiuio accumbentis, ac pædagogum astantem contuentis, eundemque vultus significatione iubet, vt decenti ordine seruato bibat, edat, loquatur, rideat, cauens necubi modum supergressus, suam ipse existimationem dehonestet. porro ab eiusdem monumenti aspectu tum ab ea, quæ de beato martyre concepit, imaginatione factus ille religiosior, ad capsulam ipsam continuo accurrit: ad quam cum primum peruenit, maiorem animo trepidationem recipit, mox abiecto omni contemptu tanquam volatilis effectus, ita ab eo se loco domum recipit. Idem etiam eos qui ab vrbe in suburbium ascendunt de via excipiens, huiusmodi cum temperantia relegat ad Daphnes laxamentum, tantum non vocem illam inclamas, Exultate domino in tremore, & apostolicum illud ad iiciens, Siue comeditis, siue bibitis, siue aliud quoduis facitis, ad dei gloriam omnia facite: qui idem si incidat in nonnullos delicias delibatos ex suburbio ad urbem se recipientes

se recipientes (si quibus forte vsu venerit vt quadā qua-
si animi focordia frānum abiiciant, atque in crapu-
lam, in absurdas aliquas delicias prācipites ferantur)
hos ebrios in suum diuerforium excipiens, non permit-
tit ebrietatis noxam gestantes, domum abire, quinimo
timore incusso refrēnans, ad eandem reducit sobrieta-
tem qua prādicti erant, antequam ebrietate maderēt.
Etenim quasi tenuis quadam aura eos, qui in martyris
ēde fuerint, vndique circumspirans afflat, nō ea quidem
sensibilis, nec quā ad augendam corporis vim faciat,
sed quā in ipsum tantum animum obrepat, eundemq;
vndique decenter compescens, ac terrestrem omnem
farcinam circuncidens reficiat, atque ingrauescentem
iam & fractum agiliorē reddat. & quidem Daphnes
forma, ac pulchritudo segniores, ad se ipsa euocat: at
martyr quodam quasi in piscatu confidens, & ad se in-
trogresis insidias parans, eos retinet, ac veluti ad nor-
mam quandam prius compositos dimittit, & ita dimittit
vt amata in posterum pudicē, ac citra omnem in-
continentiam sint vsuri. dum enim ex hominibus alij
focordia adducti, alij mundanis sollicitudinibus impedi-
ti sanctorum martyrum monumenta inuisere negli-
gunt, perfecit deus, vt hocce irretirentur modo, & ta-
lem ipsi fructum curationis animā caperent: ac perin-
de fit, vt si quis āgroto medicamenta salutifera admit-
tere nolenti medicamētum dulci quodam condimen-
to oblitum prāparet. qui igitur inibi tandem eurantur,
eō perueniunt, vt iam non delicia solum, sed & visendi
sancti desiderium suburbij adeundi occasionem mul-
tis afferat: sive, vt verius dicā, qui honestioris vitā sunt,
hoc vno nomine illuc ventitant, qui infirmiores illis
sunt, vtroque nomine: qui vero infirmissimi, non alio,
quā deliciarum captandarum nomine: posteaquam
autem illuc perueniunt, eos aduocans ad sese martyr,
suis ipsius epulis splendide exceptos, fortique armatura
prāmunis, non patitur in malum aliquid prolabi. Et
est perinde mirum eo in loco mollem aliqū ac focor-
dem respicere, & tanquam ē media infania sanum ca-
put attollere, vt si quis in medios ignes cōiectus ab igni
detrimenti nihil accipiat. circumvallata enim rationis
arce ab iuuentute, ab effrānata audacia, ā vino, ā saturi-
tate molestius etiā quā ā flāma ipsa, beati Babylę ros
inspectantium animam ex obtutu ipso influens flam-
mam ipsam sopit, incendium sistit, ac magnam certe
animi religionem instillat. Atque in eum, quem dixi,
modam, Babylas intemperantiā tyrānidem subuertit.
At quo idē modo & dēmonis potestate extinxit. Pri-
mum quidem tum dēmonis inibi habitantis obfidio-
nem, tum fabulā noxam iis ipsis, quas dixi rebus ineffi-
cacem reddidit: deinde & dēmonem ipsum exegit. Ve-
rum antequam ad exactiōnis modum veniā, illud vos
annotare postulo, Babylam nō statim vbi aduenit, dē-
monem eiecisse, sed manentem eum ociosum, inertem
agendisq; rebus ineptum reddidisse. Illi enim os ita ob-
struxit, vt vel lapidibus ipsis magis mutus redderetur.
Et quidem manentem inibi dēmonem superauisse, nō
minus fuit quā si eundem de loco exegisset, quum qui
loci illius accolis omnibus fucū prius faceret, ne extin-
cti quidem Babylę cineres contueri sustineret. Ea est eni-
m sanctorum potestas, vt illorum superstium dēmo-
nes, ne vmbas quidem aut vestes ferre possint, vita au-
tem sanctorum & loculos quoque reformident. Itaque
si quis quā ab apostolis facta fuisse prādicantur, fidem
non habet: is tandem memorię huius miracula intuitus
ab impudentia sua desistat. Nam qui de omnibus olim

A gentilibus victoriā reportabat, ā martyre tāquam ab
hero increpitus suppressa voce latrare desuit. Ac primū
quidem videbatur mutus esse, q̄ sacrificiorum, & alio-
rum id genus cultuum particeps minime fieret. Dēmo-
num enim mores ij sunt, vt dum mortales nidore, fu-
mo, sanguine eos inuitant, & allectant, tanquam canes
cruoris auidi & helluones, ebibendi, aborbendiq; eius
causa pręsto adsint: rursus dum nemo est, qui ea offerat,
quasi fame quadā pereant. Quibus certe sacrificia dum
fiunt, ac fœda dum celebrantur mysteria (quę ipsa nihil
certe aliud sunt, quā amores quidam obscœni, quā
puerorum contumelia, quā adulteria, quā domorū
subuersiones, vt nihil hic agam de inhumanis cœdium
generibus, neque nefariis illorum cœnis) quibus, inquā,
fœda dum celebrantur mysteria statim aduolāt, & de-
lectātur, etiam si malefici, etiam si pręstigiatores, etiam si
pestes hominum sint, qui mysteria eadem peragāt. Imō
vero, vt verius dicam, non alios plane habent, quā
quos depinxi, sacrorum suorum ministros. qui enim
temperans, modestus, castus est, is nec comestationem
admittet, nec temulentiam, nec dictu fœdum aliquod
verbum proferet, nec alteri cuiquam id genus fœdita-
tibus inseruienti aures suas accommodabit. quanquam
oportebat, si quam illi humanā virtutis curam gere-
rent, si quam felicitatis asseclarum suorum rationem
haberēt, nihil potius requirere, quā vitam optimam,
quā mores recte emendatos, pratermissis illis inde-
coris dapibus, quibus tamen (quando nihil habent an-
tiquius hominum exitio) magnopere delectantur, iis-
dem coli se profitentes, quibus, tum nostrā mortalium
vita subuertitur, tum honestas omnis radicibus diuellit-
tur. Primum igitur videbatur hic dēmon hac, quam di-
xi, ratione obmutescere. Post autem conuictus fuit, vio-
lenta necessitate prępeditus id facere, metus enim, quo
quasi indito in os frāno cogebatur, impedimento illi
fuit, quō minus solita contra homines impostura abu-
teretur. vnde hoc liquet: Sed ne tumultuemini. Id enim
commonstrabo, atque ita commonstrabo, vt ne illis
quidem, quibus maxime curā semper fuit impudenter
omnia asseuerare, in posterum ea impudentia abuti li-
ceat, quoties sermo incidit, vel de veterum illorum
dēmonum, vel de istius dēmonis infirmitate. Neque
enim mihi coniecturis opus est, neque id attinet pla-
num facere probabilibus quibusdam rationibus, sed ip-
sum dēmonem hac de re testimonium adhibebimus. Ip-
se enim letalem vobis plagam infixit, vestrāque om-
nem fiduciam ac libertatem cōcidit. At vos ne illi suc-
censeatis: neque enim prudens, sed ā maiore quadā po-
D testate coactus, tyrannidem ipse suam deleuit. Id vero
qua tandem ratione factum est? Mortuo eo imperato-
re qui Babylę corpus in suburbium transtulerat, huius
fratrem ad imperij administrationē perduxit is idem,
qui illum imperatorem fecerat, atque hic sine diadema-
te imperium accipit: hactenus enim demortui quoque
fratris potestas pręscripta erat. Idem hic imperator quū
impostor ac scelestus esset, primum propter eum, ā quo
principatum acceperat, Christianum se esse simulauit:
deinde eo vita defuncto, abiecta statim persona, fron-
te perfrita, quam antea superstitionē intus celauerat,
hanc in medium productam nemini non manifestam
fecit, diulgato per vniuersum terrarum orbem man-
dato, vt idolorum templa instaurarētur, arę excitaren-
tur, pristini dēmonibus honores redderentur, magni
item illis prouentus variis ex locis suppeterent. Quo ex
mandato magi continuo, incantatores, augures, haru-
spices,

spices, menagirta, hoc est menstrui viatores, seu prāco-
nes, denique omnifariā imposturę artifices vndique ab
vniuerso orbe confluerunt. hic cernere quidem lice-
bat regiam ipsam infamibus, abiectis ac profugis homi-
nibus refertam. Nam quotquot vsquam fame tabescen-
tes, quotquot ob veneficia ac maleficia conuicti, quot-
quot publicę custodię addicti, atque ad metalli opus
detrui, denique quotquot sordidarum artium artifices
vix inde victitare possent, quum se ipsi derepente sacer-
dotes esse profiterentur, mirum est quanto in honore,
quanto in precio habiti omnes fuerint. Hic imperator
duces ipsos, ac militum pręfectos contemnere, alsis
vnius non estimare, contra mares meritorios, & mere-
trices ē fornicibus suis excitas vnā secum per totam
vr̄bem, per angiportus omnes circumducere, quum in-
terim regius quidem equus, omnesque pratoriani ponē
multo interuallo sequerentur, lenones autem, & me-
B retricula anteambulorum loco, & vniuersus merito-
riorum adulescentum chorus regem medium stipan-
tes per forum inambularent, sermones eos proferentes,
atque cachinnos attollentes, quos par erat eiuscemodi
farinę homines attollere: quę ipsa certe non nescimus
talia, tamque absurda fuisse, vt posteris fide maiora fu-
tura sint. neque enim priuatorum quisquam eorū ve
qui humile pudendumque viuendi genus instituerint,
velit tam turpis, tamque indecens publice videri. Sed
ad eos sanē, qui adhuc vita sunt superstite, oratione nul-
la opus est: qui enim adfieri, & ea dum fierent specta-
uere, hi & quę hic ā me dicuntur, nunc exaudiunt: pro-
pterea enim superstibus etiam nunc testibus hęc scri-
bo, vt ne quis vetera recensentem me, inter eos qui rei
ignari sint, magna licentia mētiri existimet. Ex iis enim
qui ea viderunt, superant adhuc & senes, & iuuenes, C
quos omnes obsecro, & obtestor, si quid ā me historię
adiectum fuerit, in medium prodeant, mēque redar-
guant. sed scilicet tantum abest, vt me de meo adiecisse
quicquam sint redarguturi, vt deprehensuri etiam
sint, multa certe ā me pratermissa: neque enim fieri po-
tuit, vt oratione turpitudinis illius immensam magni-
tudinem repręsentarem: posteris vero, qui credituri
isthęc non sunt, vnum id dictum esse velim, dēmo-
nem vestrū, quem Venerem appellatis, nequaquam
pudere id genus ministris vti. Itaque mirum nemi-
ni esse debet, si miser ille, qui prorsus dēmonum ludi-
brio sese addixerat, ea minime dissimularet, propter
quę dij ij, quos coleret, magnopere sibi placent. iam
vero quis enumerauerit necromantias? quis puerorum
cades? nam victimā illā ā quibus homines ante Chri-
sti aduentum non abstinebant, post eius apparitionem
repressā, de integro renouabantur, non iam quidem in
propatulo: nam tamen imperator esset, ac licentiose
omnia ageret, tamen tanta erat rerum earum impie-
tas, vt ea imperatorię etiam licentię magnitudinem su-
peraret: victimā, inquam, illā de integro tamen reno-
uabantur. Daphnen itaque idem hic imperator graui-
tatem orę pręferens conscendit, multis quidem cum
donariis, ac sacrificiis, manante etiam sanguinis tor-
rente, quem mactatarum pecudū cades effecerat. Tum
ā dēmonē magna instantia oraculum poscit, postu-
lans sibi ille iis de rebus responsū vt daret: quas ani-
mo agitabat. Ibi strenuus ille scilicet, qui pelagique mo-
dum, & numerum qui nouit arenā, qui mutum capit,
& surdum qui intelligit idem, vt de se ipse profiteretur,
bellē admodum cauit, ne in eum sermonem deueniret
vt aperte testaretur per sanctum Babylam, ac vicinō-
Tomus quintus

A rum virtutem obstructum sibi esse os, ac propterea lo-
qui nequaquam posse: nimirum veritus, ne cultoribus
suis ridiculus fieret. Caterum quum idem adumbrare
vellet virium suarum ā Babyla deuictarum conditio-
nem, eum taciturnitatis titulum aperuit, per quem ridi-
culus magis reddebatur, quā si prorsus tacuisset. tacēs
enim imbecillitatem tantummodo suam detexisset,
nunc vero & imbecillitatem, & turpitudinem, & impu-
dentiam declarauit, studens ea adumbrare, quę adum-
brari minime queunt: quis enim color hic esse potest?
Daphnes, inquit, locus cadaueribus scatet, id quod ora-
culum arceat. Et quanto prestabat pessime dēmon, mar-
tyris virtutem non dissimulare, quā titulum tam im-
pudentem prætendere? Et hęc quidem dēmon. Impera-
tor autem mente alienata quum esset, perinde vt in sce-
na ludens, fabulāque agens, euestigio ad beatum Ba-
bylam fertur. quanquam ō nequam, ac nequissime,
nisi vobis ipsi vltro mutuo verba daretis, inq; aliorum
exitium colluderetis: quam tandem ob causam tu qui-
dem suppressis nominibus, atque in genere de cadaue-
ribus loqueris: tu vero quasi certi alicuius cadaueris no-
men exaudisses, aliis intactis Babylę vnius cadauer
uendum tibi sumis: oportebat enim iuxta dēmonis sen-
tentiam conditoria ea omnia, quę in Daphne essent
effodere, & terriculum ā deorum aspectu quā longis-
sime abducere. At non de omnibus, inquis, mortuis
dēmon verba fecit? Cur igitur id non aperte professus
est: nempe tibi imposturā fabulam agētī anigma istud
reliquit, Equidem cadauera, inquit, tibi dico, vt ne pa-
lām fiat, me victum esse: nam & alioqui reformido Ba-
bylam nominatim designare: at tu intelligito quod ā
me dictum est, atque vnum pro omnibus martyrem a-
moueto. Ille enim est, per quem muti efficimur. Tan-
tę certe dementiē dēmon cultores suos ā se damna-
tos esse voluit, vt tam apertam imposturam capere ne-
quirent. nam vt mente alienata, atque insana omnes
essent: tamen, nec sic quidem ignorare debebant, quōd
victum sese dēmon fateretur, tam ea res manifesta,
tam aperta futura erat. Nam si hominum cadauera in-
quinatum quiddā (quod tu esse vis) & execrabile sunt:
multo magis brutorum cadauera, ac tāto certe magis
quanto brutorum genus humano genere contempti-
bilis est. Multorum vero canum, simiarum, asinorum
ossā proxime templum defossa sunt, quę potius mo-
uenda fuerant, nisi forte censes homines simiis esse vi-
liores. Vbi nunc sunt qui Solem bellum dei opificium,
& ad nostrum ministerium creatum contumelia affi-
ciunt, & dēmoni astrum attribuunt, & hunc illum es-
sē affirmant? Sol enim, in tanta etiam cadauerum in-
terra iacentium copia, per vniuersum orbem diffun-
ditur, nec villo loco, neque radios, neque radiorum suo-
rum efficaciam propter ipsas locorum inquinaciones
contrahit. At deus vester impuram hominum vitam,
imposturas, cades non modo non auersatur, aut odit:
sed diligit, amplexatur, amat, corpora autem nostra de-
uitat: quāquam peccati genus tale esse solet, vt vel apud
ip̄os authores in summam etiam reprehensionem ve-
niat, corpus autem mortuū, & quod minime mouetur,
omni reprehensione ac criminatione vacat. Sed scilicet
istud est vestrorum deorum institutum, vt abominētur
quę abominanda nequaquam sunt: colant iidem, & ap-
probent quę omni odio, & auersatione digna sunt.
Et bonus quidem vir, quisquis est, neque ā sano aliquo
consilio, vel dando, vel capiēdo, neque ab opere neces-
sario faciundo per mortuum corpus prohibebitur, imō
F iiii si animo

si animo factus est, vel ad ipsa sepulchra inhabitans, & temperantiam, & iusticiam, & omnem denique virtutē præstabit: prætereāq; artifex suæ quicquid artis opera absque vilo impedimento facturus est, iisq; qui ipsum rogauerint præbiturus: non solum cadaueris propinquus assidens, sed etiam ipsa mortuorum monumenta extruere opus sit, & pictor, & latomus & faber tam lignarius quam ferrarius, denique omnes sua ipsorum opera conferunt, vnus autem omnium Apollo per cadauera impediri se ait, quo minus futura prospiciat. Atqui & apud nos magni & admirabiles viri extiterunt, qui res futuras quadragesimæ ac mille etiam ante annis quam euenirent, prædixerunt: quod dum facerent, nullam prorsus harum excusationum, vel quæsierunt, vel causati sunt: neque mortuorum sepulchra perfringi, neque eos qui intra ea iacerent abijci, neque nouum & impudentem effodiendorum cadauerum modum excogitari iusserunt. Attamen ex eis nonnulli impiis ac scelestis gentibus vicini quibus habitarent, vel in medijs ipsis Barbaris, quorum omnia conspurcata ac polluta erant, vere futura vaticinati sunt, neque illis ad vaticinationem aliorum obfuit conspurcatio. Quid ita? quod quæ illi dicebant, ea re vera per diuinæ virtutis opus dicebant. Dæmon autem quum prorsus in eo diuina vis nulla esset, de futuris nihil habuit quod imperatori prædiceret. Cæterum ne hæreat, perplexusque esse videatur, cogitur verisimilia quædam & ridicula simulare. Quam obrem etiam, quæro ex te, superiore tempore nunquam tale quiddam elocutus est? quandoquidem tum velamen hoc prætereā poterat, sui cultum ab hominibus intermissum esse: hac autem idem excusatione sibi adempta ad cadauera confugit, anxius animi quorsum euaderet. Nam à decore ipse suo recedere nolbat. Verum ipsi vos illum coëgissis, qui cultus excusationem ei ademissis, neque locum illi fecistis ad sacrificiorum penuriam confugiendi. Hæc igitur vbi audiuit fabulæ istius actor imperator, iubet statim capsulam deturbari: quo omnibus dæmonem victum esse innotesceret. Etenim si dixisset ille per sanctum Babylam loqui impediatur, sed hunc tamen ne loco suo moueatis, neue illius capsulam ulterius cõturbetis: nimirum ea res dæmonis modo cultoribus innotuisset, illos enim puduisset factum id ad alios deferre. Nunc vero quasi ipsius infirmitatem traducere ad laboraret imperator, sic nihil nõ fieri coëgit, quo ne volenti quidem factum adumbrare licebat. Neque enim iam simulatio salua & integra esse potest, propterea quod non alius mortuus, sed solus Babylas illinc translatus est: nec solum qui urbem, & suburbium, & agros item incolebant, sed qui remotissime etiam habitabant in rem præsentem quum venirent, capsulamque non amplius illic esse viderent, quæ sita causa statim edocebatur, dæmonem ab imperatore rogatum vaticinari, respondisse, id se præstare nõ posse, nisi beato Babyla prius à se procul amoto. quanquam õ perridicule dæmon, licebat tibi ad alias confugere excusationes, cuiusmodi multis idēdem vteris, infinita semper rebus in dubijs artificiose excogitans, alijs Lydorum regi promittēs magni imperij perdicionem Alyna fluium transgresso: hunc ipsum tamen regem postea super accensam pyram positum commonstrās, alijs in Salamine hæc eadem arte vsus, quum tu perridiculum illam addidisses cõiunctionem. Nam quod dixisti, muliebria pignora perdes, simile fuit illi, quod Lydorum regi dixeras. quod autem adiecasti, vsquam vel cerere sparsa, coëunte vel vsquam, maiore id certe risu dignū

fuit, ac prorsus simile iis, quæ à circularibus in trinijs vulgo iactantur. At tibi ne istud quidem facere placuit. Licebat & tibi sermonem tuum obscuritate velare (nam & hoc tibi artificium solenne esse solet) at enim institissent omnes iterum non intellectæ vocis solutionem quærentes? Tibi etiam licebat ad astra confugere: id enim tute per se nullo rubore, nullo pudore facis. neque enim tibi res est cum viris mente præditis, sed cum pecudibus, atque adeo cum longe crassioribus, quam sunt pecudes ipsæ: non erant vtique qui tum te consulebant. Græcis sapientiores ancipitia responsa tua audire solitis, ab errore tamen sese non eximentibus. At mendacium intellexissent: Te igitur oportuit vni tuo sacerdoti veritatem aperire, qui quod victus esses melius quam tute multo adumbrare nosset. Nunc vero quis te miser adducit, vt te in tam manifestam impudentiam obruderet? Sed tu fortasse peccasti nihil. Imperator vero perperam fabulæ subseruiuit. In genere enim quum de cadaueribus audisset, ad Babylam solum adiens, te ille coarguit, & imposturam tuam denudauit. Sed ne ille quidem volēs id fecit: neque enim vnus eiusdemque erat tot ac tanta tibi donaria honoris gratia offerre, & temet rursus infamare. Verum omnium simul oculis martyris virtus tenebras offudit, neque passa est illos ea intelligere quæ fierent: quæ omnia fiebant quidem, quasi contra Christianos, risus autem non in eos qui ea paterentur, sed in eos qui ea facerent totus vertebatur. quod ipsum vsu venire videmus, quum qui furore correpti sunt, in ipsos etiam parietes calcitrantes, & fanda ac nefanda in præsentem conuicia iactantes, sibi ipsi videtur proximos belle vticisci, quum factis talibus non illos, sed se ipsos dedecorent. Id quod & tum certe euenerat. Trahebatur enim capsula per totam viam, reuertebatur autem martyr athletæ alicuius exemplo coronam alteram in suam urbem ferens, in qua & priorem coronam reportarat. Quam obrem si quis est forte, qui mortuorum resurrectionem neget, quum videat martyris nostri facta illustriora post obitum esse, in posterum erubescat: qui martyr strenui alicuius bellatoris more trophæis trophæa coniunxit, magnis maiora, & mirabilibus mirabiliora. Tum enim certamen illi cum imperatore solo fuerat, nunc cum imperatore pariter ac dæmone. Tum imperatorem à sacro templi ambitu exegerat, nunc ex omnibus Daphnes locis pestilentissimum humani generis hostem expulit, non manum admouens, quemadmodum & prius fecerat, sed virtute inuisibilem virtutem debellans. Ac viuētis quidem liberam orationē non tulit homicida, mortui autem cineres, neque imperator, neque dæmon sustinuit, quo dæmone authore imperator hæc agebat. Nam quod Babylas ambobus istis posterioribus maiorem incusserit timorem, quam antea incussisset priori illi imperatori, inde certe aperte liquet. Prior enim ille Babylam captum, eundemque in vincula coniectum interfecit: posteriores autem isti Babylam solum transtulere. Cur enim capsulam in mare demergi, neque dæmon iussit, neque posterior hic imperator voluit? cur non attriuit & exussit? cur non in vastam aliquam solitudinem deferri eam mandauit? Nam si ea piaculum, & scelus fuisset, si eam abominans, ac non potius reformidans illinc demouisset, nõ intra urbem piaculum deducere, quin potius in montes quospiā, in saltus trāsferre oportuit. Sed scilicet perditio huic imperatori æque atque Apollini Babylæ virtus, & quam cum deo haberet, fiducia cognita erat: ob id formi-

id formidabat, si hoc fecisset, ne fulmen diuinum, neve aliquem alium morbum in se ipse prouocaret: multa enim habebat Christi virtutis, tum in iis qui ante se regnauerant, tum in iis, qui vnā secum imperium administrabant, spectata argumenta. Nā ex superioribus imperatoribus ij, qui similia attentauerant, multis, iisq; intolerabilibus calamitatibus acceptis fœda, ac miserabili morte interierant, ita vt cuiusdam, dum adhuc viueret, sponte ex oculis pupillæ exilierint: Maximinus hic fuit: alius autē furore, alius alia id genus calamitate vexatus mortem cum vita commutauit. Cæterum ex iis qui tum cum ipso erant, patrius, cum licentiosus infamiam suam cõtā nos prodidisset, ausus impuris manibus sacra vasa contingere, hoc etiam scelere non contentus, sed contumelia ulterius progressus (vasis enim iis inuersis, & super pauimentum collocatis, atque extēsis, ita super ea defecit) euestigio illegitimæ huiusce sessionis pœnas luit. Illius enim verenda corrupta vermifera generantur: ita, vt morbum diuinitus illatum cõtaret, ad quem curandum medici aues pingues, easque peregrinas interficiebāt, quibus ad putrefacta membra admotis vermiculos euocabant: illi vero loco cum nõ mouerentur, mordicus putridis partibus inhærebāt, atque illum ita demum multis diebus absumptum perderūt. Alius porro regij ærarij præfectus, antequam aula regis limen transcederet, derepente medius crepuit, & ipse id genus impietatis cuiusdam pœnas luens: hæc sanè, & his item plura, neque enim omnia enumerare temporis huius est, animo lustrās impius imperator, verebatur temeritate suam ulterius promouere. Me porro hæc non ex me enunciare ex eis constabit, quæ ab illo postea edita sunt. Interim historiarum nostrarum tenorem persequamur, quid exinde euenerit recensentes. hoc enim demum mirum admodum est, nõ modo dei optimi maximi virtutem, sed & inenarrabilem benignitatem patefaciēs. Babylas intra sacra templi septum erat, intra quod & prius fuerat, antequam Daphnen tralatus fuisset. At malignus dæmon statim edoctus est frustra sibi fraudis sua artificia conficta, seq; non iam certamen habere cum mortuo, sed cum eo qui viueret, qui efficax esset, quicquid non se modo, sed omnes quoque dæmones fortitudine superaret. Is enim deum precatus ignem in templum vt cœlitus dimitteret, totum illius tectum exussit, ipsoq; idolo ad extremos vsq; pedes delato, eodemq; in cinerem ac puluerem redacto, ab omnibus parietibus, qui ipsi integri adhuc stant, abstinuit. Ac si quis nunc illud accesserit, nunquam vtiq; dixerit factum id, ignis opus esse. Neq; enim incendium id non ex composito factum, neq; ex materia inanimi natum: sed tanquam manu quadam ignem circūagente atque indicatē, à quibus abstineret, quæ porro absumere oporteret, tanta certe concinnitate, tanto artificio ipsum tēplum detectum est, nec ad simile quidem iis, quæ casu, ac temere incendio conflagrasse videmus: verum iis quæ parietum ambitum integrum cum habent, tecto tamē carent. Cætera enim omnia, & columnarum item omnes, tam ex quæ templi culmen, quam quæ vestibulum sustinebant, adhuc extant, præter vnā, quæ ad posteriorem tēpli partem stabat: & hæc tamen non temere perfracta est, sed ea de causa, quam postea dicturi sumus. Hoc incendium vbi accidit: statim dæmonis sacerdos in carcerem rapitur; incēdij authorē indicare coactus: qui vbi nõ habuit quem accusaret, intortis cubitis multis flagris vapulauit, in sublime raptus, ac latera vndiq; cæsus, quāquam ne sic quidem ex eo quicquam didice-

rit: reiq; huius euentus similis erat illi qui in Christi resurrectione accidit. tum enim dispositi fuere milites qui corpus Iesu custodirent, ne qua possent eius discipuli furto illud auferre: cæterum in fuit rei ipsius euentus, vt nulla vel impudens species iis relicta fuerit: qui resurrectionis eius fidem eleuare, ac calumniari vellent. Atque hic distrahebatur miser sacerdos, quo testificaretur factum id non diuina ira, sed humano maleficio accidisse. Is tamen cõtortus, ac fœde laceratus, cum neminem haberet, quem proderet, ignem è cœlo delapsum testatus est, vt maleuolis, atque impudentibus nullus iam calumniarum locus relictus fuerit. Sed quod nos paulo antè dicere volentes in alium locum reiecimus, id ipsi hic tēpestiuè dicemus. quidnā vero id esse potest? Certe martyr noster Babylas imperatorem eouit; terruit, vt furore ille suo superfederet. Neq; enim ipsum quidem sacerdotem, eumq; quem tãto antea honore prosequeretur, tot malis tecti exusti causa affecit, & immamiam, quam fœra crudelis dilaniavit (à cuius etiam vorandis carnibus fortasse non temperasset, nisi res ea detestanda, omnibusq; abominabilis visa fuisset) Babylam autem per quæ dæmon os suum obstruxerat, rursus in urbem ea de causa trāstulit, vt maior illi honos ab omnibus haberetur: Etenim idem imperator si minus prius, hoc est, quo tempore victum se esse dæmō fassus est, ac certe post ipsum incendium omnia subuertisset, ac perdidisset, capsulam exussisset, vtrumque item monumentum, tum quod Daphne, tum quod in vrbe erat, nisi metus in eo quān ira maior fuisset, ac nisi eius mœsticia timor imperasset. Solenne enim permultis esse videmus, cum eos ira, ac dolor corripuerit, etiam si affectuum eorū authores non nanciscatur, in obuios quosque ac suspectos iram effundere. Non procul autem ab hac suspitione Babylas erat. Nam simul vt in urbem peruenit, statim ignis in templum inuasit. Sed quod dixi affectus cum affectu pugnabat, & iræ metus imperabat: mihi enim hæc cogitata qualis esse poterat bonus ille imperator in suburbium ascendens, hinc martyris monumentum stans intuitus, hinc templum exustum, idolum deletum, donaria absumpta, & liberalitatis suæ, ac pompæ sathanicæ memoriam omnem de medio sublatam. Nam vt cœcedamus futurum fuisse, vt illum hæc cernentē neq; ira, neq; mœsticia subire posset: ipsum certe dedecus ac risum permultum ferre minime potuisset, quin potius sacras, impurasq; manus in sancti Babylæ sacellum intendisset, nisi illum ea, quam ante dixi, causa prohibuisset. Neque enim parui momenti ea res esse videbatur, per quæ videlicet præcisa ademptaq; erat omnis gentilium fiducia & libertas, læticia omnis extincta, ac tanta mœroris nebula illorum animis offusa, quanta certe offundi potuisset, si deorum simul omnium templa diruta disturbataq; fuissent. Ac quod rem ipsam verbis non attollo, ipsa hic ego læmēti, & neniæ eius, quam ciuitatis sophista in dæmonem conscripsit, verba apponam. Sic autē habet neniæ initium: Viri, quorum oculis æquæ ac meis caligo offusa est, in posterum neq; pulchram, neq; amplam ciuitatem hanc vocemus.] Deinde cum nonnulla attigisset, differuissetq; de Daphnes fabula (neque enim omnem illius orationem huic nostræ inferere tēpus patitur, ne longiores, quam par est, simus) Persarum, inquit, rex olim ciuitate hac capta, templo pepercit. Verba porro ipsa sunt hæc: Ille quidē ducto contra nos exercitu præstare putauit, si templum integrum esse sineret, ac certe statuæ decor barbaricę irę præualuit, nunc autem õ Sol, õ Terra, quisnam, vel vnde hostis hic

hic: qui citra omne auxilium equitum, citra omne praesidium, & grauis, & leuis armatura militum, tenui scintilla omnia absumpsit.] Postea ubi declarauit Babylam a damone superiorem fuisse tum, cum gentiliū res victimis ac sacrificiis maxime florent: Et nostrum, inquit, templum ingens illud diluuium non disturbauit: in sudo autem, atq; adeo cum nubes ipsa praeterisset, deiectum est.] nimirum nubem, ac diluuium appellans imperatoris eius, qui praecesserat, tempus. Rursum oratione paulum prouectus id ipsum amarulentiū deplorat, his verbis: Ad haec cum arae tuae sanguinem sitirent sedulus Daphnes custos, vel contemptus cum esses permanisti o Apollo, aliquoties etiam iniuria laecelsus, atque externo spoliatus ornatu, patienter tamen tulisti: nunc vero multis ouibus, multis item bobus ad aram tuam maectatis, posteaquam sacrosanctum imperatoris os pede excepisti, intuitus quae praedicebas, uisus liberatus esse mortuo quodam, quem te iudicaueras malum tibi vicinum esse, ac tibi obstrepere, de medio statim cultu solum vertisti, unde nam hoc tempore gloriabimur apud eos qui memores sunt sacrorum, statuatumque tibi erectarum?] Quid ais lugubris decantator: itane Apollo, cum nullus ei honos tribueretur, atq; adeo cum in vituperium venisset, tutus Daphnes permanit custos: honore autem, ac cultu illi praestito, ne suum quidem templum tueri ualuit: praesertim qui sciret per illum casum ac ruinam futurum, ut in maiorem priore ignominiam ipse deueniret? Quis porro mortuus ille, o sophista, qui deo tuo negocium facessit: qualis mala ista uicinia: hoc loci enim in beati Babylae uirtutes cum incidisset, neque posset daemone ignominiam transmittere, re simpliciter dissimulata praeteriit, testatus quidem daemone a martyre obturbari, ac premi: sed neutiquam adiciens, quod cum daemone infirmitatem suam adumbrare adlaboraret, eandem magis detexerit: uerum simpliciter mala, inquit, uicinia liberatus est. quamobrem enim non aperte indicas mortuus ille quisnam fuerit? quamobrem solus ipse deo tuo negocium facessit? quamobrem solus translatus est? quamobrem & tute ipsum eundem uiciniā malam appellitas? An ne quoniam daemone imposturam conuicit? At qui id ipsum non prauis alicuius hominis opus fuerit, sicuti neque mortui, sed uiuentis potius, & opus agentis & probi & praesidis, & patroni, & omnia pro uestra ipsorum salute procurantis, siquidem uoluisse. Nam ut ne amplius uobis liceret uosmetipsos decipere, ac dicitare daemone ipsum excandescentem, eundemque propter intermissa sacrificia exoptulantiem, tum uero & de reliquo sui cultu conquerentiem uero abscelsisse: nimirum hac de causa illum Babylas ex eo omni loco summovit, qui locus ei maxime omnium gratus esset quemque praeter aliis tam charum haberet, ut eum etiam inhabitare non grauaretur, tum, cum nullus ei honos, nullus cultus redderetur. Tu enim primo statim loco id testatus es: Atque hoc ipso in tempore cum multas oues, multos boues imperator illi immolaret.] Quo fit, ut uideatque palam fiat daemone ipsum coactum, atque a maiore potentia pulsatum de Daphne decessisse. Potuisset quidem Babylas uel statua ipsa stante daemone exigere: sed uos nec credidissetis, quemadmodum neque olim, cum ab eo uinctus fuisset: & assiduo item cultu instaretis. Quamobrem Babylas statuam primam stare cum permisisset, hanc ipsam tum deiecit, cum maxime impietatis flamma altior ferretur: planum faciens quisquis vincit, hunc sic vincere oportere: non quidem

A iam depresso aduersariis, sed tum maxime, cum efferruntur, ac clarescunt. Quamobrem enim Babylas cum Daphnen transportaretur, imperatori transportatio- nis eius auctori non mandauit: ut & templum subuerteret, & daemone statua alio transferret, quemadmodum arculam transferebat: quia nullum plane detrimentum ab ea statua Babylas sentiebat, neque ei certe aduersus daemone carneo auxilio opus erat: quem & tunc, & nunc quoque citra humanae manus praesidium deiecit, & priorem quidem uictoriam nobis manifestam esse noluit, sed illi os tantummodo cum obstruxisset, conqueiuit. Tales enim esse sanctos constat, ut perfici modo uelint, quae ad hominum salutem spectant, non etiam uulgo ostentare opera huiusmodi per seipsos fieri, nisi sibi uisus aliquis cogat. Usum autem rursus esse dico, seruadum hominum curam, id quod tum usu uenit. B Cum enim imposturae daemone mala inualescerent, tum demum detecta nobis est uictoria, & quidem non a uictore, sed ab eo ipso, qui uictus est: qua ratione & testimonium ipsum apud hostes nostros minime suspectum fuit, & Babylas, ut de se ipse praedicaret, uel cum necessarium erat, euitauit. At uero cum ne sic quidem daemone impostura sine haberet, sed rursus qui uel saxis ipsis stupidiore erat, atque adeo ad tam apertam ueritatem caecutiebant, deuicti daemone opem implorarent: hic necesse fuit statuam igni deflagrare, quod per incendium & alterum item idololatriae incendium extingueretur. Cur tute ergo daemone increpas, qui affirmas illum e medio ipso cultu se subtraxisse? Non ille quidem uero se subtraxit, quin potius exactus eiectusque est nolens, coactusque tum, cum ob nidorem ac sacrificia manere in animo maxime haberet. Nam qui tum imperabat imperator, quasi ob hoc unum imperaret, ut uniuersi terrarum orbis pecudes insumeret, sic largiter & affatim ad aras oues bouesque maectabat, qui & eouesque insaniam prolapsus est, ut multi etiam ex eis, qui philosophi apud illos uiderentur, coquum ipsum & carniū cauponem, nec non id genus artificem uocitarent. A tam opipara igitur mensa, ab huiusmodi nidore ac fumo, ab his sanguinis torrentibus daemone utique non seipse uero subtraheret, cum idem antea absque his omnibus, quod tute nuper affirmasti, propter eam insaniam, qua amicum deperibat, libens ibidem moraretur. Sed enim suspensa hic a nobis oratione nostra, interim rursus exaudiamus sophistae huius lamenta. Misso enim Apolline ad Iouem his uerbis questus suos conuertit: Quale o Iupiter laborantis animi laxamentum perdidimus: quam Daphnes regio tumultibus uacua erat? quanto etiam templum ipsum magis uacuum? utpote in quo natura ex sese quasi portum in portu fecerat, ambobus quidem admodum tranquillis, altero tamen maiorem tranquillitatem praestante. quis non ibi mortem? quis non ibi timorem? quis non ibi luctum posuisset? quis praeterea fortunatas insulas inibi desiderasset?] Quale, obsecro, laxamentum o scelestae perdidimus? qui uero templum tumultibus magis uacuum? qui item portus tranquillus: in quo tibia, in quo tympana, in quo crapula, in quo comestationes, in quo ebrietates? Quis, inquit, inibi morbum non posuisset? quis potius ex affeculis tuis morbum ibidem non contraxisset, etiam si prius sanus esset: morbum, inquam, omnium longe pestilentissimum. Nam qui daemone ipsum adorat, & ad Daphnes fabulae argumentum exaudiedum aures applicat, tum autem tantam Apollinis insaniam uidet ut absorpta amica, loco atque arbori etiam nunc incubet: hic quantum secum morbum, quantum perturbationem

turbationem circumfert? hoc igitur animi laxamentum, hoc portum quietum, hoc morborum defunctione appellitas: Et quid mirum fuerit, si contrariis contraria appendis: nam qui mente capti sunt, nullius rei naturam, ut se habet, sentiunt: quin potius contra quam, rei ueritas habeat, sententiam ferunt. Olympia, inquit, non admodum procul.] Rursum enim ad huius lamentationem reuertar ostendens quantam Graeci illi omnes, qui tum urbem incolerent plagam accepissent, & simul ut nequaquam id aequanimiter tulisset imperator: quin potius omnem suum furorem in martyris arculam effudisset, nisi eum maior metus cohibuisset. Quid igitur ait: Olympia iam appetunt. Conuocatur a est autem pagnyris ciuitates: haec uero adertur Apollini sacrificandos boues agentes. Quid faciemus? quis praeco, quae buccina lachrymas non exprimet, quis Olympia festum diem esse attestabitur? cum proximus casus luctum inuenerit. Da mihi arcum & fiducias, tragodia inquit. Ego autem dico & uaticinij non nihil, ut tum capiam, tum excusis arcu sagittis petam sceleris huius auctorem: o impiam audaciam? o animam impuram? o temerariam manum? Tityus alter aliquis hic, uel Idas Lyncei frater non magnus quidem, ut ille, neque iaculator ut hic: ueruntamen unum hoc edoctus, ut contra deos insanat. Aloe filios, etiamnum diis insidias struere cogitantes morte consopiuisti o Apollo, huic uero ignem procul afferenti non obuia iit sagitta ipsius cor petens. o dextram malignam, o iniquum ignem, quoniam primum delapsus est: quod nam mali huius exordium? Num a teo exorsus, ad reliqua deinceps serpsit? Ad illius caput, ad faciem, ad phialam, ad cidarim, & talarem uestem? Vulcanus ignis arbiter non comminatus est igni huic detrimentum afferenti, cum beneficio deuinctus Apollini deberet, ob indicium olim sibi ab illo factum. sed neque Iupiter qui imbrum habenas tenet aquam in igne dimisit, praesertim qui olim Lydorum regi periclitati pyram extinxerit. quid nam primum ad illum fari ausus, qui bellum hoc aggressus est? Undenam audaciam tantam sumpsit: quoniam modo impetum asseruauit suum, qui animi sententiam non mutauit, dei pulchritudinem reueritus?] Quousque tandem miser, & infortunata rem ipsam intelleturus non es, qui dicitas igne hunc humana manu immissum, quique delirantium ritu pugnantia inter se loquutus tecum ipse digladiaris: Na si daemone Persarum regis tam magno exercitu stipati capta iam urbe, caeterisque templis exustis, faciem manu quatientis, eandemque templo isti iam iam admoturi, mentem immutauit (nam & haec initio statim ueniam tuam dixisti, sic lamentatus, Persarum regem, eius qui nunc nobiscum bellum gerit ex maioribus unum, urbem proditione captam cum exussisset, & ad Daphnen concederet item facturus, daemone sic immutauit ut face, quam manu teneret, abiecit Apollinem adoraret, adeo eius animum delinuit, & coercuit conspectus) iste, inquam, daemone si furorem illum barbaricum, & tam magnum exercitum uictor, ut tute fateris, exuperare, ac periculum illud euitare potuit (addis autem & eundem Aloidas diis insidias struere cogitantes morte compefcuisset) quo, quaso, modo, qui tanta praestare potuit, nunc nihil quicquam, quod tale foret, praestitit? quanquam si aliud nihil, certe sacerdotis tam iniuste dilacerati, producto facinoris auctore, misereri oportuit. Et si auctorem ipsum prode per ipsum incendij tempus recusat daemone, saltem representare tum ac dedere oportuit, aut etiam indicare tantum, si dedere non potuit,

A cum miser ille sacerdos suspenso corpore latera perforeretur, cumque rogatus incendij auctorem indicare, non haberet quem nominaret: nunc uero ingratus, & inconsultus ministrum suum iniuria flagris affligi, ac laecerari uelut conuiuentibus oculis permittit: sinit item & imperatorem post tot ac tanta sacrificia ludibrio haberi. Eum enim ut insanum ac delirum omnes risere, cum iram suam in miserum illum effunderet. Quo modo autem qui regis procul adhuc distantis aduentum praedixit (nam & ipsum hoc superius lamentatus es) eum qui sibi propinquus esset, ac qui se exureret non uidit? Atqui uatem illum esse uultis, & uestris quidem diis alias artes, perinde ut hominibus distribuentes, illi uaticinandi peritiam acceptam tulistis, nec tamen illum tecum artem suam communicare postulas. Quo pacto igitur proprias calamitates non cognouit, cum id factum ne eum quidem qui homo sit, latuisset? B At uero fieri ne potuit, ut obdormiret, quod tempore illum ignis contingeret? Sed nemo certe tam stupidus est, quin flamma corpori suo admota statim excitetur, & admouentem compefcat. Reuera pueri semper sunt Graeci, senex autem Graecus nullus. Nam cum oporteat domesticam imprudentiam complorare, quod uidelicet uel res ipsae daemone imposturam clamitent, ipsi uos ne sic quidem ab illis deficitis, sed dedentes uos ad internecionem prostituta uestra salute ducimini pecudum ritu, quae illi uos subsequi iusserint, seseitando statuarum excidium lugentes. Tu uero & arcum flagitas, nihil ab illo discrepans, qui haec in tragodia dixit: quomodo enim non aperta, ac manifesta insania fuerit, expectare ut aliquid istis armis efficias, quae ne domino quidem suo opem attulere: si enim maiorem tibi tum artem, tum experientiam uerdicas, quam daemone habeat, certe haudquaquam oportebat illum abs te colidoctiorem, & imbecilliozem iis in artibus, quibus in artibus illum caeteris antecellere affirmatis: qui si primis illi partibus cedis, siue iaculandi, siue uaticinandi, qui fieri potest, ut tibi persuaseris in artis particula quadam praestare ea posse, quae ille totam artem callens praestare minime potuit: haec certe deridicula profus sunt, ac nugatoria. neque enim ille diuinatorie artis quicquam habuit, neque si habuisset, ei illa quicquam profuisset. Non enim, non, inquam, huius incendij auctor fuit homo, sed diuina una uirtus, causam autem postea aperit. Sed interim non indignum fuerit perdiscere, quae ob causam Vulcanum ingratitude accusat, per haec uerba: C Vulcanus autem ignis custos non comminatus est igni isti detrimentum afferenti, cum beneficio deuinctus Apollini ob uetus indicium deberet.] Quodnam, quaso beneficium? quodnam uetus illud indicium intelligis? quamobrem occultas deorum tuorum praecleara & magnifica facinora: si enim beneficium indicares, nimirum Apollinem magis ingratum fuisse ostenderes. Sed te uideo, pudet, atque erubescis. Igitur ipsi libere res tuas aperiemus. Quodnam ergo illud beneficium? Aiunt Martem Veneris amore olim fuisse correptum, eundemque cum Vulcanum (Veneris is maritus erat) ueretur, obseruata illius absentia ad eam accessisse. Apollinem autem, cum illos una commixtos uidisset, ad Vulcanum adiuisset, illique adulterium renunciauit. Vulcanum porro re comperita, uinculis illos, sic ut erant, in lecto comprehendisse, deosque ad turpe illud spectaculum aduocasse, ac tales quidem de illis adulterij poenas sumpsisse: huiusmodi beneficio deuinctus Vulcanus Apollini cum deberet, postulante tempore ingratum in referenda gratia

gratia fuisse ait. quid igitur admisit & Inpiter ð præclara: nam & tu hunc immanitatis insimulas, cum eum dicitas imbrum habenas tenentē noluisse aquam in flammam dimittere, præsertim qui olim Lydorum rege infelicitate presso pyrâ extinxisset. Sed enim nobis quidem non importune Lydi regis memoriam suggestisti. Nam & illum flagitiosus hic dæmon vana spe turgidum decepit, in præsentaneum periculum coniciens, ac nisi humanitatem in eum suam Cyrus ostendisset, certe longe illi abfuisset Iouis auxilium. Quapropter frustra Ioui vicio vertis, quod filio suo Lydū antetulerit, neq; enim sibi ipsemet quo in loco in primis coleretur (Romuli urbem intelligo) fulmine tactus auxilio fuit. Cæterum audiamus & reliqua lamenti istius verba: ita enim belle luctum eum, qui illorum animos occupavit, intelligemus. Viri, trahitur mihi mēs ad dei Apollinis speciem, ac mihi ob oculos cogitatio typum ipsum representat, formæ lenitatem, colli mollicitē, idq; in lapide, cingulū quo aurea tunica circa pectus sic colligebatur, vt partim subsideret, partim subsurgeret, breuiter totus dei habitus cuius iram vel feruentem nō sedauisset, vt qui similis eius cantilenam occinenti. & Hercules audiuit hūc olim aliquis, vt aiunt, in meridie cithara ludentem. aures beatas. cæterū cantus erat terrę laudatio, cui quidem de aureo cyatho libare mihi videtur, quod puellā occuluerit dehincens ac sese deinde contrahens. Post hæc pauca admodū ad incendiū pertinentia questus, clamabat, inquit, viator flamma erumpente, turbabatur per lucum Daphnes inquilina sacerdos dei, planctus autē pectorū, & vlulatus ingens per locum arboribus densum percurrrens ad urbem vsq; vehemēs, atque horrificus peruasit. Imperatoris oculus vix somnum capere incipiens, amaro illo nuncio audito, è lecto exurrexit: ipse furore percitus, Mercurij talaria peruestigās, ad mali istius originē indagandā pergebat, æquē intra se flagrans, ac tēplum ipsum: trabes ferebātur, deorsum ignem deferentes, id omne quod ignis cōprehendisset, absumentes, ipsum scilicet statim Apollinem tāquam à tecto non admodum distantem, mox & alia musarum ornamenta, signa inibi extantia, lapillorum fulgura, columnarum pulchritudinem. Vulgus autem circumstans lugebat, auxilium tamen ferre minime valens, id quod vsu venire solet iis, qui de terra naufragiū spectāt, quorum vnum hoc superest auxilium, casum ipsum lachrymis prosequi. Nymphæ certe è fontibus suis egressę ingentem luctum excitarūt, ingentem itē & Iupiter haud procul cōsidens, cuiusmodi illum verisimile est labefactatis filij honoribus concitasse. Ingentem autē sexcentorum dæmonum in luco agentiu turba, neq; sanē minorem è media vrbe Calliope, præside musarum Apolline ignis iniuriam sentiente.] Postea & sub finem, ait:

Præsta te mihi talem Apollo, qualē te reddidit Chryses, dum Græcis imprecaretur, ira plenū, & nocti adimilem: quandoquidem tibi ornamenta cum redderemus, & quicquid olim de templo tuo ablatū fuerat restitueremus, præreptum est quod colamus simulacrum, haud aliter quā si spōsus aliquis, interim dum corollę contextantur, emoriatur.] Et sophistę quidem nostri lamentatio hæc fuit, seu potius parvæ quædā lamentationis partes hæ. Mihi vero succurrit admirari, qui factum est, vt ob quæ illum præ pudore se auertere oportebat, ob ea ipse placere sibi putet, vt qui Apollinem eundem intēperati, atq; obscœni iuuenis ritu per meridiē cithara perfonantē inducat, dicatq; illi, cantilenæ argumentum amicam esse, aures itē eas beatas vocet, quibus ob-

scœnum id carmē exaudire cōtigerit. Et quidem quod nonnulli ex iis qui Daphnen, & adiacentia Daphne loca incolunt, collachrymentur, quodq; & ciuitatis princeps ipse excandescat, ac nulla certe alia in re, quā in luctu ac lamētis versetur: id vero mirum haudquaquā fuerit. Quod autem ipsi etiam dij eadem mentis consiliq; inopia laborent, & solum inter se lachrymentur, quodq; neq; Iupiter, neq; Calliope, neq; frequēs dæmonum turba, ac ne ipsæ quidē nymphæ extinguendo incendio pares sint, sed omnes eiulatus, omnes luctus tantummodo excitent: id profecto ridiculum admodum fuerit. Ex iis itaq; quæ à nobis dicta sunt, magnam illos plagam accepisse liquet: etenim sophista vel in media ipsa monodia apertē professus est illos ad viuum (quod dicitur) sauciatos. Id quod certe nequiquā leuiter tulisset imperator, nisi illum maior metus, ac formido distinxisset. Cæterum tēpus iam appetere puto, vt ostendamus tum cur irā suam non in imperatore, sed in dæmonem conuertit, tum cur factum est, vt ignis totum templum non absumpserit, sed templi tecto statim dissipato correptum simulacrū improbarit, atq; refutarit: neq; enim ea temere, neq; sine causa contigerunt, sed ab ea dei benignitate, qua errantes homines tueri solet, facta fuere. qui enim res omnes, etiam antequam enascatur, nouit, is & hoc item vnā cum aliis nouerat, futurū, vt si fulmen contra imperatorem contorsisset, qui præsentem rem spectassent, temporario quodam timore percellerentur, altero autē, & tertio vertente anno, rei eius memoria deperiret, multiq; miraculo fidē minime haberent: sin autem templum flāma correptum fuisset, fore, vt ea res quouis buccinatore clarius non iis modo, qui tum superstites erāt, sed & posteris quoq; omnibus dei iram enunciaret, vt iis quoq; qui impudentes esse, ac factum id occultare vellent, omnis calūniandi ansa esset prærepta: quisquis enim in rem præsentem venit, quasi nuper contigerit incēdium, sic animo afficitur: idēq; horrore quodam percussus, cœlum cōtuitus, statim dei opt. max. incēdij eius authoris gloriā, ac virtutē laudibus effert. Vt enim si quis primarij cuiusdā latronis perfracta supernē spelunca, ac latibulo, vincitum illum extraxerit, tū eiusdem supellectile omni ablata, locū illum feris, ac monedulis receptaculū esse siuerit, postea quisquis latibulū huiusmodi fuerit ingressus, simul vt locorum deuastationes, ac direptiones cōtemplatus fuerit, statim secū animo concipit, ac reputat, qualis fuerit qui locū illum prius inhabitaret: ita & hic vsu venit. Procul enim columnas quis intuitus, postea vbi accessit, ac tēpli limen supergressus est, effingit sibi dæmonis abominationem, fraudem, insidias, ac dei irā atq; fortitudinē admiratus, ita demum de loco eo decedit. sic quæ prius domus erroris, & blasphemix fuerat, nūc diuinæ glorię hymnis decantandæ argumentū est: tā ingeniosus, tāq; industrius est deus noster. Atq; hæc quidē nec opinata non nunc primū, sed iā inde à superioribus seculis magno ille miraculo edere solet. Omnia porro recensere, temporis huius non est: cōmemorabimus tamē factum quoddā huius perquā simile. Prælio olim in Palæstina à Iudeis contra alienigenas quosdā facto, victoria potiti hostes, captam dei arcā, tanq; exuias, & opimū quoddā spoliū suo cuidā idolo (huic nomē erat Dago) donarij loco cōsecrarunt: ea porro in idoli eius templum perlata, statim idoli statua delapsa in caput iacebat. Vbi autē diuinę virtutis robur hac ruina illi minime agnoscentes, idolū de integro excitatū in sede sua collocarūt, postredie sub aurorę tēpus eō cū accessissent, viderūt nō iam

Gene. 19.

iam collapsum idolū, sed prorsus diffractū. Huius enim manus ab humeris auulsæ vnā cum pedibus ad templi limen exilierāt; reliqua idoli parte, & ea quoq; diuisa, aliō dispersa. Et Sodomorum item tellus, vt parua magnis conferamus, hac ratione vnā cum ipsis incolis incendio absumpta, sterilis facta est, vt non solum qui id temporis superstites essent, sed & posteri itē omnes locorum vastitate admoniti, continentiores viuerent. si enim ad homines solos supplicium peruasisset, futurum erat, vt factū id postea ab aliis minime crederetur: propterea locus ipse plagam accepit, qui tempore prorogari potest, quiq; & subsequencia omnia secula admonet, lege cautum esse, vt qui similia commiserint peccata, ij similes pœnas luant, etiamsi in præsentia id non fiat: id quod & in tēpli huius incendio accidisse videmus. Ecce enim iam vicesimus ex eo annus agitur; nec tamen ædificij ab igne relictī pars vlla deleta est: sed quæ partes flammæ euaserunt, ea solidæ ac firmiter stāt, suntq; etiam nunc sic validę, vt vel ad centenos, ducentosque, & multo item plures annos durare possint. Id vero quī mirum videri debet, si ex colūnis nulla prorsus ab altera auulsa ad solum deciderit? Colūnarum enim earum, quæ ad posteriorem templi partem erant, vna tantum tum perfracta, nec ea quidem corruit, sed à sua sede mota, ad murum dum caderet inclinata, sic māsit. Cuius quidem columnę partes, sunt due, quarum altera à basi ad sectionem oblique muro incubuit, altera à sectione eadem ad capitulum supina cōstitit, & ea ab inferiori parte suffulta. quanquam autem & venti vehemētes loco illi sæpe incubuere, & terræ motibus crebris tellus fuit concussa: ignis tamen reliquæ inconcussæ manserūt, quæ ipsæ firmiter stant, propemodum clamitantes, sese ad posteriorum emēdationem asseruatas esse. Et quidem quod templum ipsum totum nō conflagravit, hanc dicere possis causam esse: quod autem imperator fulmine percussus non fuerit, aliam si quæsieris, causam reperies, ex eodē bonitatis, & benignitatis dei fonte manātem. Propterea enim deus ignem ab imperatoris capite defendit, eundēq; in templi tectum eiacularatus est, vt alieno ille malo edoctus, pœnam sibi reseruatum effugeret, pœnitētia compunctus, & errore liberatus. Illi enim hoc neque solum, neque primum virtutis suæ signum Christus dedit, sed & alia item multa hoc ipso non inferiora. Nam & patruus eius, & quæstor ærarius, sic, vt dixi, vterq; vitam finientes, præterea & famēs in urbem statim vnā cum ipso inuadens, & aquarum penuria nunquam antē visa, quā ab eo sacrificia in ipsis fontibus facta fuissent, & multa præterea alia, tū ea, quæ in ipsius castris, tū ea quæ in urbibus euenerunt, huiusmodi certe fuere, vt vel saxeam animam flectere possent, non ob id quidem quod permulta essent, neq; ob id, quod omnia pariter ederētur, ac deinceps, & post ipsa statim scelera perpetrata, vt quondam Aegyptiorum regis tempore: sed quod quæ edebantur miracula per sese talia erant, vt ad eorum qui ea cernerent emēdationem aliud alio nō egeret, verum illorum vnum quodque hoc ipsum per se præstare possit. Nam vt cætera prætermittam, quem tandem, qui idem non admodum stupidus esset, nō perterrefecisset editum ad veteris templi Hierosolymitani fundamēta miraculum? id porro cuiusmodi fuit? Tyrannus cum videret per omnes imperij sui fines Christi fidem diffusam, eandēq; ad Persas vsq; aliōsq; remotiores barbaros, atque adeo vltra etiam illos peruasisse, breuiter omnem eam, quam sol radiis suis lustrat, regionem occupare, cruciabat

animo, atque angebatur, apparabātq; sese ad gerendum contra Christianorum conuentus bellū: infelix, vt qui ignoraret se contra stimulum calces. Ac primum quidē Hierosolymitanum templū Christi virtute solo æquatū excitare conabatur, & Iudæorum res quanquam Græcus homo procurabat, virtutis Christi periculū inde facere volens. Hic vocatis ad se Iudæis quibusdam; iisq; sacrificare iussis (nam & illorum maiores dicebat hunc religionis ritum obseruare solitos) vbi Iudæi idē eō confugerunt, vt dicerent, fas sibi nequaquam esse, id templo collapso extra veterē metropolim facere, iubet illos pecunia de regali thesauro sumpta, suppeditatisq; iis omnibus, quæ ad opus necessaria forent, abire, templum instaurare, & ad pristinam sacrōrum consuetudinem redire. Tum illi dementes planē, à matrisq; vtero errantes, atq; ad canos vsque eruditione indigentes discesserunt, imperatoris mādato parituri. At simul vt ædificaturi fossiciam humū euacuare cœperunt, statim è fundamētis ignis exiliit, quo omnes pariter absumpti fuere. Quæ res imperatori vt renunciata fuit, neq; vltorius insaniam suam promouere conatus esse: metum enim detinebatur: neq; tamen dæmonum errore (quorum tyrannide prorsus premebatur) liberari voluit. Ac tū quidē super sedebat. Cæterum nō ita multo post tempore ad id genus leuitatis rediit, templum quidē non iam ædificare audens, aliunde autem paruulis præliis, ac velitationibus nos petens: aperto enim Marte nos adoriri tum differebat: primum, atq; præcipue, quod persuasus planē esset, frustra se id tētaturum, deinde quod nullam nobis ansam relinquere volebat, per quam martyrij corona redimiri possemus. Ferre enim haudquaquā poterat, idq; illi quavis calamitate indignū erat, si quis in medium productus pro veritate vel ad mortē vsq; tormenta sustineret: vsque adeo ex animo inimicitias se nostras suscepisse declarabat, nouerat enim, nouerat inquam aperte, futurum, vt si id ipse attentasset, omnes pro Christi nomine suas animas proderēt. Proinde vasser & callidus cum esset, quos intelligebat ob peccatum aliquod Christianorum conuentuum principibus pœnas dedisse, & à præfectura, quam gererent amotos, eos omnes liberos esse fuit: hoc modo pessimis quibusque licentiam largiens, Ecclesiæ leges subuertens, denique omnes inter se committēs: fore enim sperabat, vt postea minori negotio debellarentur, si prius bello inter se conflictati fuissent. quinetiam quendam, huic Stephanō nomē erat, tum ob doctrinā peruersitatem, tum ob vitæ improbitatem ab ecclesiastico principatu amotū, iubet de integro magisterij sedē occupare: atque adeo Christianum nomen tūc vt extingueretur, quoad eius poterat, elaborabat, Galilæos pro Christianis nos in edictis suis tum ipse appellans, tum principes vt idem facitarent adhortans. Inter media autem ea signa, quæ per famem atque siccitatem euenisse recensui, à sua ipse impudentia, ac duricia minime desistebat. Idem cōtra Persas bellum suscepturus, tanto cum fastu cum descendiisset, vt si omnem barbarorum gentem deleterum esset, identidem nobis comminabatur, cum diceret omnem se, post suam à Persis reditum, funditus perditurum. hoc enim bellum sibi esse profecto grauius, atque adeo oportere minore illo confecto, tum demum ad hoc quod maius foret descendere. & hæc quidem nobis annunciant qui illi à consiliis erant. Aestuans porro ira aduersum nos ad maiorem quotidie insaniam sublatus, in eadem nunquam sententia persistebat, sed priore illo consilio posito, rursus nobis persecutionem minabatur.

minabatur. Caterum cum illum deus inhibere, atque intumescens sedare vellet, edidit rursus signum hoc in Daphne, igni in templum immisso: hic vero ne sic quidem furore suo superfedit, quin potius summa depopulandi nostri cupiditate cum disrumperetur, ne ad id quidem tempus, quod minatus fuerat, sibi temperavit: sed Euphrate traieciturus, militum suorum animos probabat, ac paucos quosdam adulatione cum corrupisset, quos suam voluntati repugnantes inuenit, nequam exautoravit, veritus si eos à reliquorum cœtu segregasset, ne copias suas contra Persas debiliores redderet. Quis nobis hic quæ subsecuta sunt enarrabit? quæ quidem iis multo terribiliora sunt, quæ tum in eremo, tum in mari, tum in Aegypto acciderunt, quo tempore Pharaon ille sensu carens plectebatur, & qui cum eo erant omnes submergebantur. Quemadmodum enim tum, postea quam Aegyptius ob nullum calamitatis genus concedere, ac melior fieri voluit, illum tandem deus vnâ cum suo exercitu perdidit: sic & nunc postea quam ad omnia dei miracula imperator hic impudenter constitit, nihil fructus inde percipere volens, animumque in emendatum ad omnia afferens, hunc ipsum deus idem extremis malis inuoluit, vt quoniam aliorum calamitatibus edoctus ad frugem bonam redire nō sustinuit, eius supplicii meliores alij euaderent. Qui enim plures militum myriadas secum duxerat, quam vllus vnquam ante ipsum imperator, quique Persidem omnem per incursionem, ac sine puluere, quod aiunt capturum se sperauerat, huic sic infeliciter, ac miserabiliter res successit, vt foeminarum potius, ac puerulorum, quam virorum exercitum illum secum habuisse dicas. Primū enim imprudentia sua in tantam illos necessitatem adegit, vt equinis carnibus vescerentur, ac partim fame, partim siti absumpti perirent: quasi enim in Persarum gratiam copias ageret, neque illos caperet, quin potius suos illis prodere studeret, sic eos in locorum difficultates quaedam conclusit, ac tantum non victos hosti tradidit. Enimvero calamitatum earum genus omne nullus possit, ne ex iis quidem qui illas viderunt expertique sunt, recensere: ita omnem modum superarunt. Sed vt summam dicamus, illo turpiter ac miserabiliter mortuo (alij enim illum volunt à lixa quodam rerum indignitatem non ferente percussum interiisse: alij autem, ne vidisse quidem se, à quo interfectus ille sit, sed fuisse tantummodo percussum dicunt, rogasseque vt in Ciliciam, inibi sepeliendus, portaretur, vbi etiam nunc iacet) illo, inquam, tam turpiter mortuo, cum viderent milites in extremo sese vitæ periculo constitutos, cum hostibus pepigerunt: quibus cum iureiurando receperant, abcessuros se à loco locorum omnium tutissimo, eodemque regionis nostræ tanquam muro quodam inexpugnabili, Barbaros humanos erga se nacti, ita euaserunt, atque è multis pauci reuerterunt, & ipsi affectis admodum corporibus, erubescetes ob fœdera cum hostibus pacta, coacti vero illis per iusurandum paternis bonis cedere. Hic videre erat spectaculum qualibet captiuitate miserabilius: nã vrbis illius ciues à quibus gratiam aliquam expectabant, quod suos omnes intus muri instar in portu collocarant, pro omnibus semper ad omnia pericula obiecti, ab iis hostilia omnia passi sunt, propriis domibus, atque agris relictis solum vertere coacti, & à maiorum suorum possessionibus auulsi: & quidem iniuriam à suis acceperunt. hunc nos fructum ab egregij istius imperatoris operibus percepimus. Hæc porro temere à nobis dicta non sunt, sed vt satisfactum esset iis, qui quærent, cur

A non antea deus de imperatore pœnas sumpsit. Illum enim rabie percitum sapenúmero reprimere voluit, ne impetu vltius procederet, & alienorum malorum exemplo emendare: verum vbi restitit, extremis illum malis obiecit, iustam quidem peccatum eius retributionem in magnum illum iudicij diem reiciens: præfenti autem pœna superiores excitans & castigans. Talis est enim dei lenitas, vt qui eadē non recte vtuntur, eos grauiore pœna afficiat, quæ quemadmodum respicientibus vtilis, ita & obstinatis, ac peruicacibus maioris supplicij occasio esse solet. Quod si dixeris, quidē nonne præuiderat deus fore vt tyrannus hic nunquam emendaretur: huic ita respondebimus: præuiderat quidem, sed tamen ob id quod maliciam nostram prospiciat, officium ille suū non intermittit: quin potius etiam si eius non admittamus admonitionem, clementiam tamen in nos suam præstat: qui si postea in grauiora etiam nos peccata impingimus, id certe non iam eo authore euenit, qui non propterea lenis longanimisque est, vt pereamus, sed vt feruemur potius: verum nobis authoribus sit, qui in illius immensam tolerantiam iniurij sumus. Sic autem & infinitam suam in nos benignitatem ostendit. quoties enim recusamus ab eius prolixa lenitate adiuuari, tum ille in aliorum vsum eam vertit, nusquam non clementiam erga nos suam simul & prouidentiam solertiamque prodens. Id quod tum præstitum est. Et tyrannus quidem in hunc, quem dixi, modum è viuis decessit. R abieci autem eius, ac beati Babylæ virtutis argumenta extant, & templum, & martyrij monumentum: illud desolatum, hoc eandem quam prius efficaciam retinens. Cuius capsula non vltra refertur, deo rem sic dispensante, quod potestis testatiora sunt præclara Babylæ eiusdem facinora. C Quisquis enim eò aliunde accedit martyrem requirēs, hunc vbi ab eo loco abesse videt, statim causam inciscitatur, neque prius de loco decedit, quam omnem eam historiam perdoctus fuerit: sic & dum ad Daphnes locum accedit, & rursus ab eodem dum decedit, fructum maximum percipit. Ea est martyrum virtus & viuendum, & mortuorum, & ad loca illa, vel illa adeuntium, & rursus ab eisdem alio migrantium. Etenim ab initio ad finem vsque Babylæ nostri præclara facinora continua quasi serie copulata fuere. Rem, quæso, animo lustra, dei leges ab iniuria vindicauit, pro occiso pœnas sumpsit, qua ex re planum fecit, quāto inter se interuallo sacerdotium & regnum dissideant, mundi fastū omnem dissoluit: vitæ huius opinionem conculcavit. Reges docuit nihil vltra modum ipsis à deo datum potestatem promouere: sacerdotibus planum fecit, vt principatui huic præesse oporteat. Atque hæc quidem, & his item longe plura etiamnum viuēs præstitit. Vbi autem hinc emigravit, dæmonis robur eneruauit, gentiliū imposturam coarguit, vaticinij deliramenta detexit, personam eius contriuit, simulationem omnibus denudauit, ac patefecit: eum, qui in ea dominari videretur, obmutescere cogens, ac magna vehementia opprimens: hodie quoque templi parietes recti stant, omnibus quasi prædicantes quæ dæmonis impudentiam, risum, imbecillitatem, quæ martyris coronas, virtutem, virtutem. Ea sanè est sanctorum fortitudo, tam inexpugnabilis, & terrifica tum regibus, tum dæmonibus, tum ipsi etiam dæmonum principum.

DIVI IOANNIS
CHRYSOSTOMI ARCHIEPISCOPI
Constantinopolitani aduersus Iudæos
Oratio prima, Des. Erasmo
Roterdamo interprete.



Simile.

VRSVS infelices illi, mortaliūque omnium miserissimi Iudæi ieiunaturi sunt, rursus Christi gregē muniamus necesse est. Quandoquidem & pastores, quandiu noxia bestia molesta non est, sub illicem aut populum porrecti, fistula canunt, sinentes oues libere pro suo arbitratu pascere. Verum simul atque senserint alicunde luporum incursionem immineere, mox abiecta fistula, fundam arripiunt, & omisso calamo, sustibus & saxis obarmant sese, proque septis consistentes magno emissio iubilo, ingenti que vlulatu vociferantes, frequenter ipso clamore feram priusquam irrumpat, abigunt: Itidem & nos facimus. Superioribus enim diebus in scriptura, velut in prato ludentes choreasque ducentes, nihil in enarratione attigimus contentiosi sermonis: eo quod nullus esset, qui nobis obturbaret, aut molestus esset. Caterum quoniam hodie lupis omnibus fœuiores Iudæi, oues nobis circunvallaturi sunt, ad pugnos & pugnam accingamur oportet, ne quid nobis ereptum cedat in prædam ferarum. Ne vero mirum vobis videatur, si cum ieiunium illud post decem & eo amplius dies venturum sit, nos ab hoc statim tempore munimus & armamus animas vestras. Quandoquidem & inter agricolas qui vigilantes & industrij sunt, cum habent vicinum torrentem, qui vexat læditque segetem, non cum suo tempore torrens inundat videlicet hyeme, sed tempus illud præuertentes & ripas obsepiunt, & aggeres erigunt, & fossas agunt, denique modis omnibus sese præparant aduersus torrentis futurā violentiam. dum enim tranquillus est & stagnans, atque angustus, facile est illi admoliri manus: verum posteaquam increuit, multoque aquarum impetu fertur violentus, non perinde facile est exundantibus obistere. Eoque multo ante tempore præueniunt illius irruptionem, vndiquaque præparantes quicquid agros possit tutos reddere. Eundem ad modum & milites, & nauæ, & agricolæ, & messorum facere consueuerunt. Siquidem & milites priusquam veniat pugnandi tempus, & thoracem abstergunt, & scutum si quid desit circunspiciunt, & frænos apparant, & equos omni diligentia nutriunt, cateraque omnia recte diligentique curant. Similiter & nauæ priusquam nauim in portum detrahant: & clauum apparant, & instaurant latera, & remos dolant, & vela consarcinant, denique quicquid præterea ad totius nauis armaturam pertinet, diligenter accurant. Quin & messorum consimili modo multis ante diebus, & falces acunt, & aream præparant, boues item & currum, breuiter quicquid ipsis ad messem ac trituram conducibile iudicant. Imò videas omnes homines si quid rerum agendum est, prius ad eas apparatus facere, vt cum aduenerit rei gerendæ tempus, facile conficiant quod est opus. Hos igitur & nos imitantes multis ante diebus præmunimus animas vestras, exhortantes vos vt impium hoc ludæorum & sceleratum ieiunium fugiatis. Neque enim ita dixeris, ieiunant: quin potius illud mihi ostendito, eos ex dei sententia ieiunare. Quod ni id fiat, quauis ebrietate sceleratius est ieiunium. Neque enim solum considerandum est quid ab istis fiat, verum illud etiam obseruandum, quam ob causam faciant. Etenim quod fit iuxta dei voluntatem, quauis videatur improbum esse, tamen omnino deo gratum est & acceptum. Contra, quod fit præter dei voluntatem, ac secus quam ille vult fieri, quanquam existimatur acceptum deo, tamen est omnium pessimum & iniquissimum. Etiam si quis occidat hominem ita volente deo, quauis humanitate melius est hoc homicidium. Rursus si quis parcat, & humanitatis officium collocarit in quempiam, præter dei sententiam, quauis eadē sceleratior est ista sanguinis parsimonia. Nō enim ipsa eorum quæ fiunt natura, sed dei voluntas ac decretum efficit, vt eadem vel bona sint vel mala. Vt autem intelligas hoc esse verum, Achab cum aliquando regem quandam Syrorum cepisset, contra dei voluntatem dedit vitam, & assensu dignatus est, denique multa cum honorificentia dimisit. Mox Propheta quispiam accedens, dixit ad sibi proximum, in nomine domini percute me, ille vero noluit eum percute. Dixit igitur ad illum: Eo quod non audisti vocem domini, ecce tu fugies à me, & percuet te leo. Discessit ab illo, reperit eum leo & percussit. Ac mox Propheta reperit alium hominem, cui dixit: Percute iam me. Et percussit eum homo ille, vulneravitque eum, ac Propheta sibi obligauit faciem. Quid hoc absurdum fieri possit? Qui percussit Prophetam, euasit incolumis: qui pepercit, dedit pœnas: nimirum vt intelligeres in iussis diuinis nō oportere curiosum esse, examinarèque rerum quæ præcipiuntur naturam, sed nihil aliud quam obtemperare. Etenim ne prior ille veritus parceret prophete, nō dixit illi simpliciter, percute, sed addidit, in verbo domini: hoc est, deus præcepit, ne quare vltius. Rex est qui hanc præscribit legem. Reuerere iubentis auctoritatem, summæque cum animi promptitudine obtempera. At id facere non sustinuit, eoque pœnas dedit grauissimas, suo exemplo secuturos adhortans, vt quicquid præceperit deus, per omnia obtemperarent, morèque gererent in posterum. Vbi posterior ille percussisset eum & vulnerasset, propheta sibi caput obuinxit loro, & oculos obtexit, denique in eam speciem sese transformauit, vt à nemine posset agnosci. Cuius igitur rei gratia hoc fecit? Erat redarguturus regem, & sententiam in eum laturus de salute regis Syriæ. Is igitur cum, vt erat impius, semper odium gessisset aduersus prophetas, ne conspectum ipsum & agnitionem ab oculis suis submoueret, eoque facto non reciperet correctionem, velat propheta simul & faciem suam & negocij narrationem, vt & ipsi contingeret potestas dicendi quæ volebat, & regis confessionem extorqueret. Etenim cum rex præteriret, clamore compellans eum dixit: Seruus tuus egressus est ad exercitum vt præliaretur, & ecce vir quidam adduxit ad me virum, dixitque: Serua mihi hunc, quod si elapsus euaserit, erit anima tua pro anima illius, aut dependes argenti talentum. Et accidit dum seruus tuus circunspiceret huc & illuc, & ecce vir non comparebat. Et dixit illi rex Israël: Ecce iudex tu apud me, occidisti. Et illico propheta detraxit velamen ab oculis suis, & agnouit illum rex Israël, quod esset vnus ex filiis prophetarum. Dixitque ad illum: Hæc dicit dominus, eo quod dimisisti virum exitio dignū è manu tua, erit anima tua pro anima illius, & tuus populus pro populo illius. Vides quod nō solum deus, sed & homines simili-

3. Reg. 18.

Idem.

simili modo iudicant, non respicientes ad eorum quae sunt naturam, sed ad finem potius & causas ob quas fiunt. Ecce, inquit, etiam ipse rex, tu iudex apud me qui occideris. homicida es, inquit, eo quod hostem dimiseris. ob hoc enim Propheta velum addiderat, & velut in aliena causa sententiam elicuit, ut rex quod verum & rectum erat pronunciaret: quod & accidit. Etenim postquam rex seipsum sua sententia condemnasset, detracto velo, dixit Propheta: Quoniam tu dimisisti virum exitio dignum e manu tua, erit anima tua pro anima illius, & populus tuus pro populo illius. Vides quas pro humanitate poenas luerit rex, proque intempestiva sanguinis parsimonia quo affectus sit supplicio? Et hic quidem qui seruauit, punitur: alter vero, qui occidit, comprobatus est. Igitur & Phinees, qui eodem temporis articulo duplex perpetravit homicidium, virumque simul cum muliere sustulit, sacerdotio honoratur: adeo non inquinauit manum sanguine, verum etiam puriore reddidit. Proinde cum videris eum qui Prophetam percussit esse seruatum, eum vero qui non percussit extinctum, & illum qui pepererat dare poenas, rursus eum qui non pepercit approbatum: semper apud te potior sit ratio, quid deus praecipiat, quam quae sit negociorum natura. Quod si quid compereris illo comprobante geri, illud solum amplectere. Atque hac vtentes regula, & ieiunium hoc Iudaeorum expellamus. Etenim ni id fecerimus, sed actiones nudas per se tantum in medium prolatas consideremus, ingens erit confusio, magnaque iudicij perturbatio. Nam praedonibus raduntur latera, & monumentorum perossoribus, maleficisque: verum idem patiuntur & martyres. Facta quidem sunt eadem, ceterum animus & causa cur haec fiant, non est eadem, eoque plurimum est discriminis inter hos & illos. Quemadmodum igitur in illis non tormentum tantum expendimus, sed prius animum & causam ob quam cruciatus inferuntur, consideramus: & ob id martyres amamus, non quod cruciantur, sed quod ob Christum cruciatus ferunt: Contra, latrones detestamur, non quia puniuntur, sed quod ob malefacta puniuntur: Ad consimilem regulam & in hoc negotio Iudaeorum, rationem eorum quae sunt subducito. Quod si videris illos amore dei ieiunantes, amplectere quod fit: at si perspexeris illos hoc praeter diuinam voluntatem facientes, magis eos detestare, maioreque odio prosequere quam ebrios, quam temulentiae & comestationibus indulgentes. In hoc autem ieiunio non satis est causam inquirere, sed & locus & tempus consideranda sunt. Verum priusquam moueamus aciem aduersus Iudaeos, lubens orationem verterim ad eos qui sunt nostri corporis membra, ac nostri quidem ordinis esse videntur, ceterum illorum cultum sequuntur: quandoquidem horum causa totum hoc quicquid est laboris suscepi, atque hac quidem ex parte dignos esse video grauiore condemnatione, quam Iudaeos vniuersos. Id esse verum non modo sapientes & cordati, verum etiam quicumque vel paulum habent mentis ac rationis mecum fatebuntur. Nec enim opus est argumentis arte excogitatis, nec artificiosa probatione, nec prolixis sermonum ambagibus ad hoc demonstrandum, cum satis sit illos simplici percontatione interrogatos, ex ipsa responsione capere. Quid igitur? Percontabimur istorum quenque, qui in hisce rebus insaniam, Christianus es? Quam igitur ob causam molestus es Ecclesiae? Qui Persa est, nonne quae Persarum sunt curae? Barbarus, nonne Barbarorum ritus amulatur? Qui habitat in ditione Romanorum, nonne vestris vitur legibus? Age dic mihi,

nonne si quis horum qui apud vos viuunt, cum illis sentire fuerit deprehensus: inauditus citraque examinationem punitur, etiam si multa habeat, quibus causam suam possit defendere? Et si quis apud istos extiterit, qui Romanis vtatur institutis, nonne rursus idem perpetuetur? Quo modo igitur tu qui ad impium illud vitae institutum defecisti, audes sperare salutem? Neque enim exiguum interuallum est inter nos & Iudaeos, neque de rebus leuibus aut vulgaribus inter nos est controversia, ne tu vnum & idem esse credas nostrum & illorum institutum, ac non miscenda misceas. Illi crucifixerunt Christum, tu crucifixum adoras. Vides quantum interest? Qui sit igitur, ut ad illos qui Christum occiderunt, curras, profitens te adorare crucifixum? Neque vero ipse legem hanc fero qua illos criminer, nec hanc accusationis formam inueni. An non scriptura simili modo accusat illos? Audi igitur quid dicat Hieremias aduersus eosdem illos: Abite in Cedar, & videte, emittite ad insulas Chetiu, & iudicate, num talia facta sint. *Hier. 2.* Quanam ista? Angentes mutent deos suos, & isti non sunt dii. Vos autem mutastis gloriam vestram, in eam ex qua nihil utilitatis capietis. Porro quod dicit, huiusmodi est: Illi, inquit, cum venerentur simulacra, colantque demones & adorent, tam constant in errore, ut ne velint quidem illa relinquere, & ad veritatem conuertantur. Vos autem qui verum adoratis deum, relicta maiorum religione vltro ad aliena defecistis, neque tantum religiosae mentis praestatis in veritate, quantum illi praestant in suo errore. Proinde dicit: Si istiusmodi facta sunt, si mutarunt gentes deos suos, & isti non sunt dii: vos autem mutastis gloriam vestram, vnde nullam capietis utilitatem. Non dixit, mutastis deum vestrum: deus enim non mutatur: sed, mutastis gloriam vestram. Neque enim me existis, inquit, neque vlla noxa ad me peruenit: vosmetipsos affecistis ignominia. Meam gloriam non imminuistis, sed vestram ipsorum. Concedite sane mihi ut hunc sermonem etiam ad nostros accommodem, si tamen per est illos appellare nostros qui cum illis sentiunt. Abite in synagogas, & videte num Iudaei mutaturi sint suum ieiunium, num illi sub Pascha nobiscum celebrarint ieiunium, num hunc diem vnumquam praetermiserint. Atqui hoc non est ieiunium, sed legis transgressio, sed error, sed peccatum: attamen illi nunquam mutarunt, vos autem mutastis gloriam vestram, vnde nihil utilitatis capietis, & vltro ad illorum ritus desciuistis. Quando Paschae ieiunium celebrarunt illi: Quando martyrum festos dies nobiscum egerunt? Quando diem Epiphaniarum nobiscum communiter celebrarunt? Illi non accurrunt ad veritatem, & vos ad iniquitatem properatis: Iniquitatem autem dico, quandoquidem ista sunt non suo tempore. Erat olim tempus quo conueniebat ista seruare, iam vero non est amplius. Eoque quod tum iuxta legem fiebat, nunc praeter legem fit. Concedite mihi, ut illud etiam Heliae dicam aduersus eos. Cum enim ille conspiceret Iudaeos impie viuentes, & nunc quidem obtemperantes deo, nunc rursus idola colentes, ad hunc loquitur modum. Quousque claudicatis vtroque poplite vestro? Si dominus est deus, venite & sequimini eum. *3. Reg. 18.* Idem & ipse loquor ad istos. Si iudaismum putatis verum esse, qua gratia obstrepitis Ecclesiae? Quod si Christianismus verus est, sicut reuera est, in eo manete, & illum sequamini. Particeps es nobiscum mysteriorum: age dic mihi, Christum adoras, ab illo bona petis, & cum illius hostibus festum celebras? Et quo tandem animo produs in Ecclesiam? Verum haec dixisse sufficiat ad illos qui

Acto. 7.

Deu. 12.

Num. 9.

los qui praedicant se nobiscum sentire, cum quarant diuersa. Igitur & ad illos volo dirigere sermonem. Concedite mihi ut liceat doctrinam hanc altius repetere, quo perspicuum fiat, Iudaeos nunc ieiunantes legem ignominia afficere, deique praecipua conculcare, semper ea facientes quae illius placitis aduersantur. Etenim cum illos volebat ieiunare, tum incrassabantur dilatabanturque. Rursus ubi non vult eos ieiunare, mordicus tenet ieiunium, quum vellet illos victimas offerre, ad simulacra properabant. Cum non vult illos celebrare festum diem, studio festum diem agunt. Et ideo Stephanus dixit ad illos: Vos semper spiritui sancto resistitis. In hoc, inquit, solum incubuistis, ut quaecumque deus praeeperit, iis contraria faciatis, quemadmodum & nunc faciunt. Vnde id liquet: Nimirum ex ipsa lege. Siquidem in ipsis etiam festis Iudaicis, non tempus solum, verum & locum obseruari iussit ipsa lex. Nam & de pascha quod erat apud ipsos differens, loquitur hunc in modum: Non potestis celebrare pascha in vlla ciuitate earum quas dominus deus dat vobis. Sed quemadmodum decimo quarto die primi mensis, ita Hierosolymis iubet illud peragi, similiter & Pentecoste. Et hic loci simul & temporis obseruationem complexa est, dum post septem hebdomadas iubet hoc festum celebrari, rursus cum addit: In loco quem elegerit dominus deus tuus. Sic & festum scenopegiae & ieiunium hoc instituit. Sed dispiciamus, vtrum tandem horum est magis necessarium, locus an tempus. Et si non sint haec inter se paria, vtrum obseruandum est, tempus neglecto loco, an neglecto tempore loci ratio tenenda est. Quod dico, tale est: Praecipit dominus ut in primo mense & Hierosolymis celebraretur pascha, videlicet tempore pariter & loco praefinito. Ponamus igitur duos quospiam esse qui pascha celebret: rursus alter obseruet quidem locum, sed transgrediatur tempus. Atque is qui tempus obseruat neglecto loco, celebret pascha in primo mense, sed alicubi procul extra Hierosolymam. Is vero qui locum obseruat neglecto tempore, pascha celebret Hierosolymis, non tamen primo mense, sed secundo. Deinde videamus vter horum duorum sit in crimine, vter probandus, isne qui neglecto tempore locum seruauit, an qui loco neglecto tempus seruauit. Etenim si is qui tempus neglexit, ut intra ciuitate pascha celebraret, videtur approbandus: contra, qui seruato tempore locum neglexit, vocandus est in crimen, & impietatis reus peragendus: nimirum liquet, quod isti quoque legem violant, loco non suo facientes quod faciunt, etiam si decies millies praedicent sese seruare tempus. Vnde igitur hoc nobis perspicuum est: videlicet ab ipso Mose. Siquidem cum quidam essent celebraturi Pascha, adierunt Mosem dicentes: Nos impuri sumus super hominis anima, num omitemus offerre munus domino iuxta tempus suum, in medio filiorum Israel? Respondit illis Moses: State hic, & audiam quid praecipitur sit dominus de vobis. Et responsum dedit dominus Mose, dicens: Homo quicumque fuerit inter vos impurus super hominis anima, aut in longo itinere, aut in nationibus, faciet pascha mense secundo. Quod autem dicit tale est: Quisquis, inquit, primo mense deprehensus fuerit in peregrinatione, ne faciat pascha extra ciuitatem, sed mense secundo, ut venire possit Hierosolymam, ac tempus negligat potius quam faciat extra ciuitatem. Ex hoc declarans quod obseruatio loci temporis obseruatione magis est necessaria. Quid igitur isti habent quod dicant, qui extra ciuitatem praescriptam faciunt pascha?

Tomus quintus.

A Nam posteaquam transgrediuntur id quod magis est necessarium, nihil illos excusare potest eius obseruatio, quod minoris est momenti. Igitur etiam si decies millies videatur seruare tempus, extrema legis transgressio est quod faciunt. Atque id esse verum non hinc liquet tantum, verum etiam ex prophetis. Cum enim costet illos nunquam sacrificasse, neque canticum cecinisse in terra aliena, neque istiusmodi ieiunium ieiunasse: quam veniam promerentur isti? Attamen illi quidem expectantes reditum in ciuitatem suam, nihilo secius persistebant in lege parentes illi, quaeque lex praescribebat, implentes. Hoc enim lex ipsa illis fore promiserat. Isti vero haec faciunt, cum nullam habeant spem, fore ut pristinum vitae statum recipiant. Non habet, inquam, vllam spem: id ipsorum prophetarum testimonio docere possumus, & tamen ne sic quidem possunt conquescere. Iam ut maxime sperarent se ciuitatem recepturos, etiam tunc oportebat sanctos illos imitari, tum a ieiuniis, tum a ceteris obseruationibus abstinere. Quod enim istiusmodi rerum nihil illi fecerint, audi quid rogantibus responderint. Cum enim vrgerent, compellerent, cogentque: Barbari ut vterentur organis suis, dicerentque: Cantate nobis canticum domini. Illi qui pulchre legis mentem tenebant, responderunt: Non decere ut ista facerent extra Hierosolymam: quo modo, inquiunt, cantabimus canticum domini in terra aliena? Rursus tres illi pueri qui versabantur in Babylone, dicebant: Non est hoc tempore princeps, neque propheta, neque dux, non locus ut sacrificemus in conspectu tuo, & inueniamus misericordiam. At sane multus erat ibi locus, ceterum quoniam ibi templum non erat, abstinent a sacrificiis. Iam vero & ad alios per Zachariam loquitur dominus: Num ieiunium ieiunastis mihi per annos septuaginta? Sentiens de annis quos egerant in captiuitate. Quo modo ergo tu nunc ieiunas, dic mihi, cum maiores nec sacrificauerint, nec festa celebrauerint? Id ex eo palam est, quod ne pascha quidem ibi celebrarunt. Nam ubi non erat sacrificium, ibi ne festum quidem erat, eo quod omne festum sacrificio tum peragi oportebat. Quod si plenior huius rei demonstrationem exhibere velimus, audi quid dicat Daniel: In diebus illis era ego Daniel lugens, panem desiderabilem non comedi, & vinum carnesque non ingressa sunt in os meum, & vnguento non vngebar in hebdomadibus illis. Et factum est in decimo quarto die primi mensis vidi visionem. Hic mihi diligenter auscultate. Ex his enim perspicuum est, quod tum pascha non celebraueritis. Qui sic? Dicam. Per dies azymorum, id est quibus abstinebant a fermentatis, ieiunare Iudaeis fas non erat. Hic autem dies viginti vnum, prorsus non attigit panem. Et vnde hoc docetur, dicit aliquis? Et quod isti viginti dies & vnus inciderint in dies azymorum. Id inde demonstratur, quod dicit, quarto & vigesimo die primi mensis. At pascha festum vigesimo primo die finiebatur. Nam incipietis a decimo quarto die primi mensis, deinde diebus septem continuata celebritate, ad vigesimum primum diem perueniebant. Attamen Daniel perseuerabat ieiunans etiam cum praeterisset paschae tempus. Nam cum coepisset a tertio die primi mensis, ac deinde per dies viginti vnum continuasset, nimirum decimum quartum diem praeteriit, & post hunc item alios decem ieiunauit. An non igitur isti exleges & impij, qui cum illi sancti viri in aliena terra nihil seruauerint eorum quae lex praescribebat, tamen per contentionem & peruicaciam diuersa faciunt? Etenim si quilibet fuisset incogitant-

G tes

tes parumque circumspēcti, qui talia vel facerent, vel dicerent: forsitan incogitantē negligentiaque tribueret aliquis, quod ea non obseruauerunt. Iam cum fuerint amantes dei, cum pij, cum ij qui pro dei praeceptis traderūt animas suas: conspicuum est, eos haudquaquam per negligentiam fecisse quod fecerunt, sed ab ipsa potius lege persuasos, quod non oporteat quicquam talium ceremoniarum extra Hierosolymam obseruare. Quin & aliud quiddam ex his perspicue colligitur longe maximum, videlicet quod obseruationes sacrificiorū, sabbatorū, & nouiluniorū, denique similitum rituum omnium ex persfluo addita sunt Iudaicae vitæ, vt neque si seruentur, aliquid magni momēti conferre possint ad virtutem: neque si praetermittantur, possint ex bono facere malum, aut pietatis studium, quod in animo situm est, aliqua ex parte imminuere. Illi igitur qui vitam angelorum nobis in terris ostenderunt, cum harū rerum nihil omnino peregerint, non victimā mactarint, non festum diem obseruarint, nō istiusmodi ieiunium susceperint: adeo tamen placuerunt deo, vt ipsam naturam transcenderint, totoque terrarum orbe superiores, meritis suis in dei cognitionem raperentur. Quid enim proferri queat quod cum Daniele conferatur? quid quod cum tribus pueris? quando quidem illi quod praeceptum in euāgelis maximum, quodque bonorum omnium caput ante proditum euangelium occuparunt, ipsisque factis declararunt. Maiorem hac, inquit, charitatem nemo habet, quam si quis animam suam exponat pro amicis suis. Illi vero animam suam exposuerunt pro nomine dei. Nec hac parte solum admirandi sunt, verumetiam ob hoc quod id nullius mercedis gratia fecerunt. Ideoque dicebant, Est deus in caelo potēs eripere nos: qui etiam si non eripiat, notum sit tibi rex nō seruituros diis tuis. Sufficit nobis illa mercēs, quod propter deum morimur. Hac praestiterunt, tamque insignem virtutē exhibuerunt, nihil eorum obseruantes quae lex praescripserat. Ergo qua eadem, inquit, gratia deus ista praecipit, si non volebat obseruari? Qua gratia tuam ciuitatem demolitus est? Nam alterum ē duobus illi faciendum erat, si voluisset illa remanere: aut non debet praecipere, vt ipsi vno tantum in loco sacrificia fierent, cum vos per omnes mundi plagas esset dispersurus: aut si volebat vos eo in loco sacrificare, non solum debet vos per vniuersum orbem dissipare, verumetiam solā illam ciuitatem desertam & inaccessam reddere, in qua sola victimas iusserat immolare. Quid igitur? An secum ipse, inquit, pugnat deus, qui vno in loco sacrificari iusserit, & rursus ab hoc ipso loco quem praescripsit, excludat? Nequaquam, imo magnopere sibi constat deus: neque enim initio sibi volebat offerri sacrificia. En ipsam prophetam adduco testem, qui loquitur hunc in modum, Audite verbum domini principes Sodomorum, attendite sermoni dei vestri populus Gomorrhæ. Non ad Sodomitas & Gomorrhæos verba faciens hac loquitur, sed ad Iudæos. Sic autē appellat illos deus, quod imitantes illorum maliciam, sibi cognationem cum illis assciuissent. Similiter & canes illos appellat, & equos insanientes in foeminas, non quod illorum esset transformata natura, sed quod illorum animalium incontinentiam imitarentur. Quō mihi multitudinem victimarum vestrarum? Caterum qui Sodomis habitabāt, nunquam visi sunt immolare victimas, sed ad Iudæos sermo dei dirigitur, ob causam quam diximus, Sodomorum cognomina illis tribuens. Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit: Plenus sum holo-

caustumatis arietum, & adipem ouium, & sanguinem hircorum ac taurorum nolo. Nequaquam veniatis in conspectum meum. Quis enim exquirit hac omnia de manibus vestris? Audistis clarissimā vocem dicentem, quod in initio non postularit hac de manibus vestris: Etenim si postulasset, similiter & priscos illos omnes qui ante hos floruerunt, prius ad hoc vitæ institutum adegisset. Quo igitur, inquit, consilio hac praecipit? Nimirum vestrae morem gerens infirmitati, non aliter quam medicus, videns hominē febricitātem, morosum, minimeque sibi temperantem, si concupiscat frigidam bibere, ac ni accipiat periturum, ac planē futurum, vt vel ad laqueum fugiat, vel ē sublimi praecipitem det, dum studet maius excludere malum, permittit quod minus est, cupiens illum a violenta morte reuocare. Consimilem ad modum fecit & deus, quoniā vidit illos insanientes, anxios, concupiscentes victimarū oblationem, iamque nisi acciperent quod desiderabant, paratos vt ad idola se deflecterent, imo non solum paratos, verumetiam eō iam prolapsos, permisit immolationem victimarum. Atque vt scias hanc fuisse causam, vel ex ipso tempore declaratur id quod dico. Siquidem post festum quod impiis dæmonibus celebrarant, tum demum permisit illis immolationem pecudum, tantum non dices: Insanitis, & vultis immolare victimas, quin igitur mihi potius immolatis? Quanquam ne hoc quidem ita permisit, vt perpetuo liceret, sed prudētissimo consilio quod permiserat, rursus eripuit. Et quē admodum si medicus ille (nihil enim vetat eodem exemplo denuo vti) posteaquam indulit appetitui laborantis, mox phiala ē suis edibus allata praescribat, vt ex hac sola bibat aquam: deinde persuaso aegrotō, clam iis qui ministrant, praecipiat confringere phialā illam, vt eum clam nihilque suspicantem auocet ab illa cupiditate bibendi frigidam: Itidem fecit deus permittendo sacrificia. Neque enim in vllō orbis loco permisit id fieri, nisi in vnīs Hierosolymis. Mox vbi per breue tempus sacrificassent, diruit ciuitatem: & quemadmodum ille fracto vase, ita deus subuersa ciuitate, vel inuitos illos abducere voluit a victimis. Etenim si clare palamque dixisset, desistite: haudquaquam facile ab immolandi insania desistissent. Nunc autem loci adempti necessitate, clāculum ac dissimulanter illos abduxit ab oblationū insania. Sit igitur medicus quidem ipse deus, phiala vero ciuitas: sit aegrotus, ille morosus Iudæorū populus. Denique frigida potio, sit victimarum permissio concessioque. Quemadmodū igitur medicus fracto vase aegrotum cohibet ab intempestiuo frigidi potus appetitu: sic & deus, euerfa ciuitate ipsa, adeoque funditus diruta, vt omnibus facta sit inaccessa, Iudæos a sacrificiis abduxit. Nam si non hoc agebat, cur religionē illā in vnum locum conclusit, qui nusquam non est praesens, qui implet vniuersa? Cur cultum rededit ad victimas, victimas ad certum modum, modū ad tempus, tempus ad vnam ciuitatem contraxit, ac rursus hanc ipsam ciuitatem subuertit? Adde quod mirum est & incredibile, totus terrarū orbis conceditur Iudæis ad sacrificandum, vbi fas non est sacrificari, solam Hierosolymam illis adire non licet, in qua sola licet immolare. An nō igitur vehementer etiam tardis clarum perspicuumque est, quam ob causam ea ciuitas fuerit subuersa? quē admodum faber iactis fundamentis, erectis parietibus, concamerata testudine, ipsaque concameratione in vnum lapidem in medio positum connexa, si eum tollat, totam edificij compagem soluerit: Similiter deus cum

cam

eam ciuitatem fecisset quasi nodum totius religionis Iudaicae, ac mox eam subuerterit: nōne pariter & vniuersum eius ciuitatis statum dissoluit? Verum hactenus aduersus Iudæos pugnatum est. Nam hodie solum eminus in illos iaculis velitati sumus tantū locuti, quantum satis erat ad depellendum periculū a fratribus nostris, imo multo etiam amplius. Restat autem illud necessario, vt vos qui adestis, adhortemur, vt multam sollicitudinem habeatis pro membris vestris. Ne dixeritis, quid mea refert, cur autem ego rerum alienarū curiosus sim & sollicitus? Dominus propter nos mortuus est, tu vero ne sermonē quidem profers pro illo? Et quam inuenies veniam, aut quam reperies excusationē? Quo modo ad Christi tribunal stabis cum fiducia, dic mihi, tot animarum exitium dissimulas? Vtinam mihi contingat eō currentes videre, nequaquam vobis opus esset, sed celerrimam adhibere correctionem. Quoties frater est ad meliora reuocandus, etiam vitam oportebat impendere, vt serues. Imitare dominum tuum. Quōd si famulum habes, si vxorem, multa cum austeritate illos domi contineas. Etenim si nō permittis illis vt in theatrum eant, quanto magis a synagoga Iudæorum sunt arcendi? Maius est hic scelus quam illic. Quod illic fit, peccatū est: quod hic, impietas. Hac non ideo loquor, vt illos sinatis in theatrum ire, nam & isthuc malū est: sed vt ab illis arcetes, & ab his multo magis prohibeatis. Age dic mihi, quid spectaturus eō curris, num homines tuba canentes? At oportuit domi sedentem gemitus ac lachrymas pro illis profundere, quod rebellāt praecipio dei, quod diabolum habet cum ipsis choreas agentem. Nam, vt antē dixi, quod fit praeter voluntatem dei, etiam quādo fuit permissum: postea violatio legis est, & innumerabilem suppliciorū materia. Tuba canebant Iudæi, tum cum habebant sacrificia, nūc vero non est illis permissum idem facere. Proinde accipe iam qua de causa data sint illis tubae. Fac, inquit, tibi tubas ductiles argenteas, moxque commonstrans vsum illarū subiicit: Et illis canite in holocaustum vestris. Vbi igitur est altare, vbi arca, vbi tabernaculum & sancta sanctorum, vbi sacerdos, vbi Cherubin gloriae, vbi thuribulum aureum, vbi propiciatorium, vbi phiala, vbi patera libatoriae, vbi ignis ille caelitus demissus? Cum omnia amiseris, nihil aliud retines quam tubas? Vides illos ludere verius quam sacrificare? Verū quemadmodum illos culpamus, quōd legem transgrediuntur: ita multo magis vos inculamus, quōd ad transgressores legis concurritis, nec illos tantum qui eō concurrunt, verumetiam eos quibus cum sit autoritas prohibendi suos, nolint tamen id facere. Ne mihi dixeris: Quid mihi cum illo commercij est? Alienus est, ignotus est. Dum modo sit fidelis, dum eorūdem particeps mysteriorū, dum eadem iungatur ecclesia, & fratribus, & cognatis, & necessariis, & ceteris omnibus est propinquior. Proinde quemadmodum nō ipsi tantum sues dant pœnas, verum etiam eadem pœna plectuntur ij, quibus cum esset potestas vetandi, non vetuerunt tamen: ita non solum qui impie agunt, verum etiam illi qui cum possint ab impietate reuocare, tamen vel ob pigritiam, vel ob timiditatem id facere nolunt, simili cum illis pœna plectuntur. Alioqui talētum illud quod acceperat ac defoderat seruus ille, reddidit integrum: attamen dat pœnas, eo quod nō auxerat lucrum: ita tu quidem etiam si ipse purus & innocens perseueres, ceterum non augeas talentum, nec fratrem pereuntem reuoces ad salutem, eadem que ille patitur, patieris. Quid

Tomus quintus.

magni postulo? vnusquisque vestrū vnum mihi ex fratribus ad salutem reuocet. Hic sollicitus, hic quisque curiosus esto, quo nimirū in crastina cōmuniōne multa cum fiducia cōpareamus, donaria deo ferentes. Donaria, inquam, omnium preciosissima, si animas errantium reduxerimus, etiam si contumelia fuerit ferenda, si toleranda verbera, breuiter si quid aliud his etiā molestius sufferēdū, omnia faciamus vt illos recuperemus. Quādoquidem & aegrotos ferimus, calcibus ferientes, contumeliis & cōuiciis incessentes, nec offendimur contumeliis: verū nihil aliud videre cupimus, quam sanitatem hominis, per morbum indecora facientis. Quin & medici vestem saepe lacerant aegrotans, at non ideo a cura destitit ille. Quis fit igitur vt qui corporibus cōsulant, tanta vtantur diligentia, nos animabus istorum pereuntibus celsēmus, perinde quasi existimemus nihil accidere graue, cum membra nostra putrescūt? At non ita Paulus: sed quo modo? Quis, inquit, infirmatur, & non infirmor? Quis offenditur, & non vrōr ego? Hunc ignem tu quoque concipe, & si conspexeris fratrem pereuntem, quamuis conuicietur, quamuis vim & contumeliā inferat, quamuis verberet, quamuis minitetur se futurum hostem, aut aliud quidlibet intentet, fac omnia perferas fortiter, vt illius lucrifacias salutem. Si ille fiat inimicus, deus tibi est amicus, magnisque in die illo bonis te remunerabitur. Vtinam autem hac donet deus sanctorū votis ac precibus, vt & qui in errorem abducti sunt, recuperentur ad salutem, & vos in hoc venatu voti cōpotes euadatis: & illi ipsi blasphemi liberati ab impietate sua, Christum agnoscant ab ipsis crucifixum, vt omnes vno animo, eodemque ore glorificemus deum & patrem domini nostri Iesu Christi, cui gloria in secula seculorum, Amen.

EIVSDEM ADVERSVS IVDAEOS
Oratio secunda.



INDE tandem nobis hodie frequentior conuentus factus est: Ad flagitandum quod polliciti sumus, comparuistis omnes, & in hoc aduenistis, vt argētum igni probatum quod me vobis exhibiturū promiseram, accipiatis. Nam eloquia, inquit, dei, eloquia pura, argentum ignitum probatum terrae. Benedictus deus qui vobis tantum audiendi spiritualis sermones inspirauit ardore. Quemadmodum enim homines vino & potionibus dediti, singulo quoque die simul atque surrexerunt, obambulāt, curiosaque disquirunt, vbi cōpotationes agantur, vbi cōiuiua, vbi cœna, vbi comestiones, vbi temulentia, phialae, crateres, & pocula: Sic & vos quotidie simulatque surrexeritis, curiose perquiritis, vbi nam futura sit exhortatio, vbi salubris admonitio, vbi doctrina, vbi sermo ad sermonem Christi conducens. Quas ob res & nos quoque propensiore studio hoc quod polliciti sumus, aggredimur: & quae promissimus, summa cum fide praestabimus. Itaque pugna nobis cum Iudæis suscepta, exitum quem debuit, sortita est. Trophaeum erectum est, & corona nobis parta est, & brabium ex superiore dictione reportauimus. Siquidem hoc susceperamus agendum, vt demonstrarem quod ea quae fiunt ab istis, sit quaedam transgressio legis praenaricatioque, nec aliud quam hominū aduersus deum erecta machina bellumque, idque deo auxiliante nobis accuratissime demonstratum est. Etenim si ciuitatem suam essent aliquādo recepturi, & ad pristinū vitæ statum redituri, templumque instauratum visuri, quemadmodū aiunt ipsi, quanquam id nunquam

G ij quam

quam est futurum, ne sic quidem haberet iustam excu-
sationem eorum quae faciunt. Nam & tres illi pueri, &
Daniel ceterique omnes qui vivebant in captiuitate, ex-
pectabant donec reciperet ciuitatem suam, ac post an-
nos quadraginta viderent patriae solum, pristinisque vi-
uerent legibus. Atqui cum hoc illis & palam euidenter
esset promissum: non tamen ausi sunt quicquam eorum
facere iuxta legis ritus quae faciunt isti. Hoc pacto poteris
& ipse Iudaeus occludere os. Roga illum, quae de cau-
sa ieiunas, cum non habeas ciuitatem? Quod si dixerit,
Quoniam spero me recepturum ciuitatem, dic illi: Pro-
inde quiesce, donec receperis. Nam illi sancti donec ad
patriam suam redirent, nihil eorum quae tu facis, ausi
sunt facere. Vnde palam est, quod nunc legem dei vio-
las: etiam si, ut vis, recepturus sis ciuitatem, tamen pacta
cum deo inita rescindis, & in ipsum vitam statum contumeliosus es. Igitur in oratione superiore diximus vestre
charitati, quantum satis est ad retundendam Iudaeorum
impudentiam, & ad redarguendam eorum prauiarica-
tionem. Ceterum quando non hoc tantum nobis erat
propositum, ut illorum ora clauderemus, verum ut ec-
clesiam copiosius de suis propriis dogmatibus edocere-
mus: age rursus, & hoc ex abundantia demonstremus, quod
templum nunquam instaurabitur, neque ad pristinum
vitae statum restituendi Iudaei sunt. Hoc pacto fiet ut &
vos exactius noueritis apostolica dogmata, & illi con-
tra ad maiore impietatem prolapsi capiantur. Harum
vero rerum testem adducemus non angelum, non ar-
changelum, sed orbis vniuersi principem dominum no-
strum Iesum Christum. Is enim quum ingressus Hiero-
solyman, vidisset templum, dixit futurum ut Hieroso-
lyma concalceretur a gentibus multis, donec impleven-
tur tempora gentium, videlicet tempus significans usque
ad consummationem mundi. Ac rursus haec de templo
comminatus est, loquens discipulis, non mansurum la-
pidem super lapidem in eo loco qui non diruatur: vide-
licet explanate praedicans eum profus abolendum, & in
perpetuam solitudinem redigendum. Verum Iudaeus om-
nino reiiciet hoc testimonium, nec recipiet ea quae di-
cimus. Inimicus, autem, inquit, meus est qui talia loquitur:
ego illum ad egi in crucem, & quo modo recipiam
illius testimonium? Atqui hoc ipsum prodigiosum est de
Iudae, quod cum tu crucifixus es, ille posteaquam abs-
te crucifixus est, tunc ciuitatem tuam euerit, tuam gen-
tem dissipauit, tuum populum per vniuersum orbem dis-
persit, videlicet re ipsa declarans se resurrexisse, ac vene-
re, atque nunc agere in caelis. Quoniam enim ex bene-
factis noluisi potentiam illius cognoscere, per afflictio-
nem ac supplicia demonstrauit robur suum inuitabile
pariter & inexpugnabile. At ne sic quidem credis, aut
putas illum esse deum, ac totius orbis dominum, sed ar-
bitraris hominem fuisse quemlibet e vulgo. Age igitur
perinde quasi nihil aliud quam homo fuerit, ipsum as-
sumemus. Quum aliquos videmus homines quos in om-
nibus comperimus esse veraces, nec vlla in re mentien-
tes: horum etiam si fuerint hostes, modo sapiamus, dicta
recipimus. Rursum si viderimus eos mentientes, etiam
si in nonnullis veraces fuerint, nec illa facile recipimus
quae vere ab illis dicta sunt. Age nunc igitur considere-
mus Christi mores, & cuiusmodi fuerit vita. Non enim
hoc tantum quod diximus, praedixit, clareque pronun-
ciauit: verum etiam alia multa, longo post tempore ven-
tura, vaticinatus est. Proferamus igitur praedictiones il-
las in medium, in quibus si videris illum mendacem, ne
hanc quidem recipito, neque putes illi fidem habendam.

Contra, si videris illum in ceteris omnibus veracem, &
hanc ipsam praedictionem euenisse: deinde quum videas
immensum temporum curriculum attestans veritati eor-
um quae praedixit, ne velis ultra perficere frontem, ne-
que rebus sole clarioribus obstrepere. Videamus igitur
quid praeterea praedixerit. Accessit ad illum mulier ala-
bastrum habens unguenti preciosi, & effudit unguen-
tum in caput illius accumbentis. Hoc factum indigne
ferentes discipuli, dicebant: Quin istud potius venun-
datum est triginta denariis, ac datum pauperibus? Hoc
reprehendens, loquitur hunc in modum: Quid molesti
estis mulieribus? bonum enim opus fecit. Dico enim vobis,
quum praedicatum fuerit hoc euangelium in vniuersa
terra, dicetur & hoc quod illa fecit, in ipsius memoria.
Vtrumne mentitus est, an dixit verum? Euenit quod
praedixit, an fuit inane vaticinium? Interroga Iudaeum,
& si millies perfuruerit frontem, aduersus hanc praedi-
ctionem non poterit oculos attollere. In omnibus enim
ecclesiis appellari mulierem audimus. Sunt consules,
duces, viri, mulieres, nobiles, illustres, splendidi, in om-
nibus vrbibus, & in quamcunque orbis parte deueneris,
summo cum silentio audiunt omnes huius mulieris
officium. Nec est vlla mundi plaga quae factum hoc
ignoret. Atqui quot reges multa magnaque in multos
contulerunt beneficia, bella cum laude gesserunt, tro-
phaea statuerunt, gentes gubernarunt, ciuitates erexe-
runt, & innumeris commodis auxerunt rempublicam,
& tamen cum suis benefactis silentio teguntur. Item re-
ginae primariaeque feminae innumerabilia benefacta con-
tulerunt in eos quibus imperabant, quae ne de nomine
quidem vlli nota sunt. Haec autem abiecta mulier quae
tantum effudit unguentum, toto terrarum orbem decan-
tatur. Ne temporis quidem tam immensa longitudo
memoriam illius vel extinxit, vel extinguet inquam,
idque quum factum ipsum non esset insigne (quid enim
magni erat unguentum effundere?) neque persona esset
celebris: erat enim mulier abiecta, neque multi testes
aderant: nam inter discipulos res est gesta: neque locus
nobilis, neque enim hoc fecit per theatrum transiens,
sed in domo decem duntaxat hominibus praesentibus.
Attamen neque personae utilitas, neque testium pauci-
tas, neque loci obscuritas, neque vlla res alia potuit il-
lius abolere memoriam. Quin potius reginis omnibus
ac regibus vniuersis celebrior est nunc haec mulier, nec
vlla aetas obliuioni tradidit quod factum est. Vnde id
dic mihi, aut quis hoc effecit? An non deus ipse, cui tum
hoc officium praestabatur, hanc famam per omnia ter-
rarum loca dispersit? Proinde dic mihi, num huiusmo-
di praedicere, virtutis humanae videtur? Quis enim sa-
nae mentis hoc dixerit? Nam praedicere quae facturus es-
set, priusquam ab ipso fierent, mirum quidem ac prodigi-
osum: verum praedicere quae sunt ab aliis, efficereque, ut
fides illis habeatur, sintque cunctis perspicua, multo ma-
ius est ac mirabilius. Rursum praedixit Petro: Super hanc
petram aedificabo ecclesiam meam, & porta inferi non
praeualebunt aduersus eam. Proinde dic age Iudae, quid
habes quod reprehendas aut redarguas ex iis quae dicta
sunt? quid habes quo doceas hanc praedictionem esse
mendacem? An non testimonium cum rebus consentit,
etiam si mille modis ipse contendat in aduersum? Quot
enim bella aduersus ecclesiam concitata sunt, quot exercitus
instructi, quot arma mota, quod non afflictionum & vindictae
genus excogitatum, sartagine, catapulta, lebetes, fornaces,
lacus & praecipitia, bestiarum dentes, maria & proscriptiones,
aliaque innumera tormen-

Math. 16.

tormentorum genera, neque dictis memoranda, neque
factis toleranda? Atque haec non tantum ab extraneis,
verum etiam a nostris domesticis. Nam civile quod-
dam bellum occupat omnia, vel quouis potius civili
bello perniciosius. Neque enim ciues modo cum ciui-
bus, verum etiam cognati cum cognatis, domestici cum
domesticis, amici cum amicis conflictabatur: nihil tam-
en horum dissoluit ecclesiam, ac ne inferiorem qui-
dem reddidit. Atque id sane mirum & incredibile, quod
haec in ipsis statim primordiis mota sunt. Nam si tum ir-
ruissent haec acerba, posteaquam iam radices egerat, &
per omnes mundi partes plantatum esset euangelium,
haud perinde fuisset admirandum non fuisse subuersam
ecclesiam. Ceterum cum in ipso doctrinae exordio nu-
per iacto fidei semine, teneris etiamnum auditorum me-
tibus, tot procellae bellorum eruperint, res nostras non
solum nulla ex parte fuisse diminutas, verum etiam mul-
tam accessionem adiunctam fuisse: hoc nimirum superat
omne miraculum. Ne quis autem dicere possit, quod
nunc ecclesia ob pacem a regibus praestitam constabili-
ta sit, cum esset minor, quum videretur imbecillior, tunc
illam oppugnari permisit: uti cognoscas etiam quod
nunc in tuto est, non acceptum esse ferendum paci quam
praestant reges, sed a potentia dei proficisci. Id quo ma-
gis cognoscas esse verum, reputa tecum, quam multi con-
nati sint apud Graecos opiniones nouas ac peregrinas
viuendi rationes inducere, velut Zenon, Plato, Socra-
tes, Diagoras, Pythagoras, aliique innumerati: tamen adeo
non vicerunt, ut plerisque ne de nomine quidem sint
noti. Christus autem non modo praescripsit vitae formam,
verum etiam hanc per totum terrarum orbem planta-
uit. Quam multa fertur Apollonius ille Tyaneus fecisse:
verum uti scires illa omnia esse conficta, vana, nihil
habentia veri, extincta sunt, & sinem acceperunt. Iam
ne quis arbitretur contumeliam esse Christi, quod de
illo verba facientes, Pythagorae, Platonis, Zenonis &
Tyanei meminimus: non enim id facimus ex animi
nostri sententia, sed ad Iudaeorum infirmitatem nosip-
sos demittentes, qui credunt nihil aliud eum esse quam
hominem. Itidem & a Paulo factum est. Is enim ingres-
sus Athenarum urbem, non ex prophetis nec euangelio
cum illis disseruit, sed ab ara cepit exhortationem. Non
quod aram illam ad faciendam fidem plus habere mo-
menti crederet quam euangelia, neque quod literas il-
lic inscriptas potiores duceret prophetis: sed quoniam
cum gentibus disputabat, quae nulli nostrorum volu-
minum credunt, a propriis ipsorum dogmatibus ipsos
aggessus est. Hinc est quod ait: Factus sum Iudaeis lum-
dus, his qui sine lege erant, tanquam essem sine lege, cum
sine lege non essem deo, sed essem in lege Christi, ut lu-
crificiam eos qui sine lege sunt. Itidem & veteris testa-
menti scriptura facit de deo Iudaeis loquens. Sic enim
ait: Quis similis tui in diis domine? Quid ais propheta?
Itane comparatio est vlla dei veri ac deorum falsorum?
Non, inquit, hoc ut comparationem inducam, locutus
sum, verum quoniam ad Iudaeos mihi erat sermo, qui
magnificam de daemonibus habent opinionem, ad illo-
rum imbecillitatem memet accommodans, hoc docen-
di genere sum usus. Quonia igitur nobis quoque dispu-
tatio est aduersus Iudaeos, qui Christum existimant sim-
plicem fuisse hominem, & hominem quempiam legis
praeuicatore: propterea ab his quae apud gentes in
admiratione sunt, induxi comparationem. Quod si vul-
tis me & eorum qui apud ipsos Iudaeos eadem conati
sunt vel aduersus discipulos, vel aduersus principes aut

1. Cor. 9.

2. Gal. 8.

perfectos, sed protinus extincti sunt, exempla recedere,
age conabimur & haec demonstrare. Hoc igitur modo
Gamaliel illis obturauit os. Cum enim videret illos insa-
nientes, cupidosque effundendi sanguinis discipulorum,
studens eos ab impotenti vesania cohibere, iussis paulisper
secedere apostolis, sic ad illos verba fecit. Prospicite
vobis quid de his hominibus sitis facturi. Ante hos enim
vobis dies exortus est Theudas, dicens se esse aliquem, &
secuti sunt illum viri quadringenti, & ille periit, & om-
nes quotquot ei paruerunt, dispersi sunt. Et post illum
exortus est Iudas Galilaeus, qui concitauit turbam ma-
gnam, & mortuus est, dissipulique illius perierunt. Et nunc
dico vobis, prospicite vobis, quoniam si factum hoc fue-
rit ex hominibus, dissoluetur. Sin ex deo est, non pote-
ritis illud dissoluere, ne forte comperiamini & aduersus
deum pugnare. Vnde igitur manifestum est, fore ut quic-
quid ex hominibus sit dissoluetur? Experimentum, in-
quit, cepistis a Iuda & Theuda. Itaque & hic qui ab istis
praedicatur, si talis est quales fuerunt illi, nec diuina po-
tentia peragit omnia, expectate paulisper, & ipse rerum
euentus vobis faciet fidem: ex ipso sine certu cognosce-
tis, vtrum hic sit impostor, ut dicitis, ac legis transgres-
sor, an deus vniuersa temperans, ineffabilique potentia
res mortalium dispensans moderansque. Quod dico, fa-
ctum est. Expectarunt, & ex ipsis factis declarata est di-
uina & inexpugnabilis potentia. Atque hoc inuentum
quod ad decipiendos plurimos adhibitum erat, retor-
tum est in caput diaboli. Nam quum videret illum ad-
uenisse, volens illius obscurare aduentum, submisit de-
ceptores aliquot, quo videlicet & ille vnus quispiam ex
eorum numero putaretur. Quodque de cruce fecit, pro-
curans ut duo latrones cum illo crucifigerentur: idem
fecit de illius aduentu, studens veritatem admixto me-
dacio obscurare: verum nec illic praualuit, nec hic, quin
magis hoc ipsum potentiam Christi declarauit. Alioquin
dic mihi, quid est in causa, ut quum tres fuerint crucifixi
eodem loco, eodem tempore, sub iisdem iudicibus, illi sileat-
tur, hic solus adoretur? Rursum quae ob rem tandem quum
plures nonam viuendi rationem induxerint, ac discipu-
los habuerint, illorum ne nomen quidem hodie notum
sit, hic per omnes mundi plagas colatur? Res enim potis-
simum elucescunt ex collatione. Confer ista mihi de Iu-
dae, ac discere veritatis excellentiam. Quis impostor tot ec-
clesias toto terrarum orbem parauit? Quis ab extremis ad
extrema mundi cultum suum protulit? Quis omnes subie-
ctos habuit, idque quum essent innumera obstracula? Ne-
mo sane. An non igitur perspicuum est Christum non esse
impostorem, sed sospitorem, sed beneficium, sed curato-
rem, sed principem vitae nostrae? Proinde ad id quod erat
propositum redibo, si prius vnam adhuc praedictionem ad-
didero. Non veni, inquit, ut mitterem pacem super ter-
ram, sed gladium: non declarans quid ipse cuperet, sed
rerum euentum praedicans. Veni enim, inquit, separare ho-
minem, excitare filium aduersus patrem suum, & nurum
aduersus socrum suam, & filiam aduersus matrem suam.
Vnde haec praedixit, si nihil aliud erat quam homo, &
vnus quispiam e vulgo. Quod autem dicit, hunc habet sen-
sum: Quonia eueniet, ut in eadem domo vnus sit fidelis,
alter infidelis: deinde pater velit filium suum pertrahe-
re ad impietatem, hoc ipsum praedicans ait: Adeo vin-
cet euangelij potestas, ut filij quoque contemnant patres
suos, & filiae matres, & parentes liberos. Non solum au-
tem prius habebunt familiares contemnere, verum etiam
suam animam exponere, cunctaque sustinere ac perpeti,
ne pietatem ab se repellant, aut quicquam deserant eo-
rum

Acto. 5.

Math. 10.

rum quæ nostræ conducunt prædicationi. Vnde hæc ille tum scire, tum efficere potuit, si fuit homo vnus quispianam è vulgo: vnde illi venit in mentem hæc cogitare, quod ipse filius esset magis reuerendus futurus quam patres, quod parētibus dulcius quam liberi, quod vxoribus desiderabilior quam mariti, idq; nō vna in domo, neque duabus, neq; tribus, neque decem, neque viginti, neque centum, sed vbique per orbem terrarum, in vrbibus omnibus ac regionibus, in terra pariter atque in mari, & in parte mundi habitata simul & inhabitabili. Nec illud possis dicere, dixit quidem ista, verum haud perduxit ad effectum. Complures igitur in primordiis ecclesiæ atque adeo nunc quoque ob pietatem habentur odio, eiciuntur è paternis ædibus, nec ad quicquam horum reuertuntur, abunde magnum solatiū esse dicentes, quod hæc ob Christum perpetuantur. Dic mihi, quis hæc vnquam potuit inter homines? Hic igitur qui hæc omnia prædixit, de muliere illa, de ecclesia, de bello hoc: idem prædixit templū ruiturum, Hierosolymā interituram, eamq; ciuitatem nō amplius fore ciuitatem Iudæorum quemadmodum fuit antea. Itaque si mentitus est illa omnia, nec euenerūt quæ prædixit, diffide & his. Quod si vides illa clarissime euenisse, inq; dies singulos augetur, neque inferorum portas aduersus ecclesiam præualere, si vides quod mulier illa fecit prædicari tanto iam tēpore per vniuersum orbem, si homines qui illi crediderūt eum pluris faciunt quam parentes, quam vxores, quam liberos: quæ quæso te, huic vni prædictioni resistis, præsertim quum ex ipso tēpore testimonium illius silentium imponat impudētia tua? Quod si post excidium vrbis nō transissent nisi decem anni, aut viginti, aut triginta, aut quinquaginta: minime tamen decebat vel tum impudētè oblitere, etiam si fuisset aliqua reluctanti reliqua occasio: iam vero si nō quinquaginta tantum, & centum, imò bis ac ter tantum annorum multoq; amplius, præterit post ciuitatē captam, nec interim vllū vestigium, aut vmbra apparuit, pollicens rerum vestrarum mutationem: quæ frustra, nullaq; de causa impudentiam tuam obtines: Hæc satis erant ad demonstrandū vobis, nunquam fore vt templum restitueretur. Verum quando veritas multis modis exuberat, omnis euāgelis ad prophetas me verto, quibus & maxime videtur fidere: atque ex his perspicuum faciam, neque ciuitatē, neque templum vnquā posthac restituendū. Quamquam nihil erat mihi necesse demonstrare quod non restitueretur. Neque enim hoc meū erat, sed illorū partes erant, docere quod esset restituendum. Nam ipse quidem ex ipso tēpore cōgruum habeo testimonium, mihi patrocinās: ipsi contra, quum ex ipso rerum euentu deiiciantur, nec alioqui quicquam eorum quæ dicūt queant demonstrare, tamen nihil aliud quam ostentant sese, quum oporteat ipsos hoc testimonium exhibere quod exhibeo. Nā illa quæ dico, ex ipso rerum euentu doceo esse vera. Corruit enim ciuitas, nec tam longo iam tēpore instaurata est. Contra, quæ dicunt isti nudis verbis nituntur. Atqui debebant ipsi docere, futurum vt ciuitas rursus instauraretur, quādo quidem in forensibus iudiciis videmus sic fieri probationes. Nam quoties inter illos aliqua incidit controuersia, & alter alterum scripto cōuenit, deinde is aduersus quem agitur, inficiatur ea quæ obiiciuntur, cogitur is qui negat postea testes & alias adferre probationes, quibus doceat non esse vera quæ scripto continentur, non is qui scriptum produxit: Eodem modo conueniebat & istos hic facere, nobisq; in medium producere prophetam

qui prædixerit omnino futurum vt ciuitas restitueretur. Nam quod prorsus est necesse, prophetas vobis prædixisse venturum illius captiuitatis in qua estis finem, si venturus est, nimirum perspicuum est omnibus qui vel inspexerint libros prophetæ. Mos enim erat apud Iudæos vetus, vt prophetæ diuinitus afflati prædicerēt illis quæ imminerent, seu bona, seu mala. Qua gratia & quam ob rem? Propter insignem illorū improbitatem & impudentiam. Alioqui fugisset illos, beneficia quibus afficiebantur, à deo proficisci: eaq; quæ fiebant, demonibus ascripsissent, & bona illis imputassent. At nunc quidem cum illis egressis ex Aegypto, mare scissum esset, aliaq; prodigia fierent, obliti quod hæc autore deo gererentur, is qui dii non erant, tribuebant ea quæ fiebant, dicentes Aaroni: Fac nobis deos qui præcedant nos. Videntur autem & Hieremiæ dicere: Sermonem quem locutus es ad nos sub nomine domini, nō audimus ex te, quoniam faciemus omnia quæ egredientur ex ore nostro, vt sacrificemus reginæ cæli, & immolemus illi victimas, quemadmodū hactenus fecimus & nos, & patres nostri, & principes nostri, & repleti sumus panibus, & bene nobis erat, & mala non vidimus: & posteaquā destitimus sacrificare reginæ cæli, & immolare illi victimas, diminuti sumus omnes nos, & gladio fameq; defecimus. Proinde ne quid eorum quæ contingunt simulachris imputarent, sed potius crederent & vltiones, & beneficia ipsis à deo proficisci, illas quidem ob peccata, hæc vero per dei bonitatem erga genus humanum, prophetæ diuinitus afflati prædicebant illis euentura. Atque vt certius scias hanc esse causam prædictionis, vide quid dicat vocalissimus ille Esaias ad populum Iudaicum: Scio quod durus es tu, & neruus ferreus ceruix tua: hoc est, inflexibilis: & frōs tua ærea, hoc est, impudens. Sic & nos frequenter solemus eos qui nesciunt erubescere χαλκον προσωπῶς, id est, æream habentes faciem appellare. Et annunciaui tibi quæ ventura erāt in te priusquam fierent, & ingessi auribus tuis: deinde prædictionis causam applicās, subiicit: Ne quando dicas idola me seduxerunt, & sculptilia cōstiliaq; præceperunt mihi. Ac rursus, quoniam peruicaces quidam & elati, post euentum rei, perfricabāt frontem, perinde quasi non antea fuisset illis prædictū: prophetæ non solum futura prædicebant, verum etiam testes adhibebant eorum quæ gerebātur. Sic enim rursus loquitur idem Esaias: Da mihi testes viros bonæ fidei, Vriam sacerdotem & Zachariā filium Barachia. Nec hoc cōtentus, in nouo volumine descriptam deposuit prophetiam, quo postquam euenisset, ipsa res de se ipsis testimoniū ferrent, quod afflatu cælesti multo ante tēpore fuisset illis prædictum. Eoq; non solum scripsit in volumine, sed in nouo volumine, quo posset in multū durare tēpore, nec facile corrumpi, sed expectare euentum rerum quæ ibi cōtinebantur. Equidem esse verum quod dico, videlicet deum illis omnia ventura prædixisse, non ex his tantum, verum & ex ipsis quæ illis acciderunt, tum bona tum mala, demonstrabo. Tres seruitutes grauissimas pertulerunt Iudæi, quarū nullam deus illis ingessit nō prædictam, sed singula illis prædicenda curauit, & locum, & tēpus, & personam, & afflictionis speciem, & reditum, aliaq; cuncta summa cum diligentia prænunciāns. Ac primo loco dicam de captiuitate quæ passi sunt in Aegypto: Deus loquens ad Abraham his fermè verbis vtitur, Sciens scias, quod semen tuum peregrinum erit in terra nō sua, & in seruitutem adigent & affligent illud annis quadringentis. Gentem

autem

Exod. 5.

Gen. 15.

Exod. 15.

Exod. 32. Hier. 44.

Psal. 104.

Hier. 29.

Esai. 48.

Daniel. 9.

Hier. 7.

autem cuiusque seruerint, ego iudicabo, dicit dominus. Quarta autem generatione reuenient huc cum apparatu copioso. Vides vt & numerū annorum expresserit, & seruitutis modum, quum nō simpliciter inquit, in seruitutē adigent, sed addit, affligent. Audi quo modo Moses paulo post exponat afflictionem: Paleæ, inquit, non dantur famulis tuis, & iubēt nos lateres facere, & flagris cædebantur quotidie, vt intelligas quid sibi velit, in seruitutem adigent & affligent. Gentem autem, inquit, cuiusque seruerint ego iudicabo: significans Aegyptiorū submersionem in mari rubro, quam in canticis describens Moses sic loquitur, Equum & ascensorem proiecit in mare. Mox & reditus modum, quod essent redituri cum multa supellectile, Sumite, inquit, commodato à suo quisque vicino & cōtubernali vasa aurea & argentea. Quoniam enim longo tēpore seruerant, nec mercedem receperant, deus effecit vt B inscientibus ac nolentibus etiā peterent, clamatq; propheta dicens: Eduxit eos cum argento & auro, nec erat in tribubus eorū infirmus. Hæc est vna seruitus exactissime prædicta. Age nunc & ad alterā captiuitatem veritatem sermonē, quam perpessi sunt in Babylone. Nam & hæc accurate prædixerat Hieremias ita loquens: Sic ait dominus, Posteaquam impleti fuerint in Babylone septuaginta anni, visitabo eos, & ponā erga vos verba mea bona vt redeatis in locum hunc, & conuertā captiuitatem vestram, & cōgregabo vos ex omnibus gentibus, & ex cunctis locis in quos dispersi vos, dicit dominus, & cōuertam vos in locum vnde vos demigrare feci. Vides vt rursus hic & ciuitatem expresserit, & annorum numerum, & vnde & quod esset illos congregaturus. Eoq; Daniel prius super his rogauit dominum quā vidisset annos septuaginta cōpletos. Quis C hæc dicit? Ipse Daniel ita loquens: Et ego Daniel faciebam opera regis, & admirabar visionem, nec erat qui intelligeret, & intellexi in libris numerum dierum, qui fuit sermo domini ad Hieremiam prophetam, ad expletionem desolationis Hierosolymæ anni septuaginta: & dedi faciem meam ad dominum deum meum, vt exquirerem precationem & obsecrationem in ieiunio, sacco, & cinere. Audisti quemadmodum hæc quoque captiuitas prædicta fuerit, & propheta non ausus fuerit preces ad supplicationem admouere deo ante tēpus præfinitum, ne frustra temerè que admouens audiret quod audiuit Hieremias: Ne rogaueris pro populo hoc, neque postularis pro illis: quoniam non audiam te. Verum vbi vidit vaticinium esse cōpletum, simulq; tempus vocare ad reditum, tunc orat, non simpliciter, sed in ieiunio, sacco & cinere: & quod in hominum D moribus euenire solet, id fecit erga deum. Nos enim quum videmus aliquos qui famulos post multa grauiāq; commissa coniecerunt in vincula, non protinus in principio exordioq; punitionis admouemus supplicationem: sed vbi sciuerimus illos aliquot dies temperatioribus esse factos, tunc adimus heros, nacti iam & ab ipso tēpore auxilium: hoc sanè & propheta fecit. Posteaquam enim pœnas dederant, haudquaquam dederant dignas admisis, attamen iam adit deum pro illis verba facturus. Quod si videtur, ipsam etiam deprecationem audiamus: Confessus sum enim, inquit, & dixi, Deus magne & admirabilis qui seruas pactum tuum & misericordiam tuam his, qui te diligunt, & seruat præcepta tua. Quid facis o Daniel, pro hominibus qui peccarunt & offenderunt intercedens, eorum mentionem facis qui leges illius seruauerunt? Ergo indigni ve-

Tomus quintus.

nia sunt, qui præcepta illius violant? Non ob istos hæc loquor, inquit, sed ob horum progenitores, ob Abraham, ob Isaac, ob Iacob. Illis promisit, illis pollicitus est deus, qui præcepta illius seruauerunt. Quoniam igitur hi nullo iure possunt petere salutem, idcirco progenitorum mentionē facio. ac ne putares quod de his verba faceret, quum adiecisset, Qui seruas pactum tuum & misericordiā tuam diligentibus te, & seruantibus præcepta tua: mox subiicit, peccauimus, iniquè egimus, iniusticiam perpetravimus, excelsimus, defleximus à præceptis tuis, & à iudiciis tuis: non auscultauimus seruis tuis prophetis. Vna siquidem solaq; purgatio peccatoribus reliqua est post peccata, videlicet vt sua commissa confiteatur. Tu vero mihi considera & iusti virtutem, & Iudæorum improbitatem. Nam ille quidem nullius mali sibi conscius seipsum multa cum austeritate damnat dicens: Peccauimus, iniquè fecimus, iniusticiam perpetravimus: Hi vero malis innumeris pleni, contra fecerunt dicentes, Seruauimus præcepta tua: & nunc beatos dicimus alienos, & restituantur qui patrant iniquitatem ac peccata. Quemadmodum enim solent iusti post iusta facta modeste agere, ita solent mali post admissa scelera laudare sese. Qui nullius peccati sibi conscius erat, dicebat: Iniquitatem fecimus, defleximus à præceptis tuis: Contra, qui innumerabilium facinorum sibi conscij erant, dicebat: Seruauimus præcepta tua. Atque hæc eò loquor, vt alterum vitemus, alterum imitemur. Post hæc quoniam attigerat illorum peccata, narrat & vindictam ac pœnam quam dederunt, & ex hoc deum ad misericordiam reuocare cupiens ait: Et venit super nos execratio quæ scripta est in lege Mosi serui dei, quia peccauimus. Quænam est ista execratio? Vultis ne legamus illam? Nisi serueritis, inquit, domino deo vestro, inducet super vos gentem impudentem, & non audies vocē illius, & eritis numero pauci. Hoc idem declarantes tres illi pueri, palamq; facientes quod ob ipsoꝝ peccata accidisset hoc vindictæ genus, & ipsi pro communibus peccatis confessionē proferentes, dicebant: Tradidisti nos in manus hostium impiorum, inimicissimorum, desertorū, ac regi iniusto & sceleratissimo, terrā que transgressa est. Vide quo modo completa est illa execratio quæ dicit: Eritis numero pauci. Rursus quod dicit, Adducā in vos gentem impudentem: Idem hoc & Daniel hic rectè significans dicit: Venerunt super nos mala, qualia nō acciderunt sub omni cælo, præ his que facta sunt Hierosolymis. Quæ tandem ista? Matres liberos suos comederunt. & hoc sanè prædicit Moses: ceterū Hieremias ostendit euenisse. Ille quidem loquitur: Ciuitas tenera ac deliciosa. Cuius enim non cepit experientiam pes eius vt inisteret in vestigio propter teneritudinem ac delicias, attinget impiā mensam, & suos ipsius filios comedet. Hieremias autem declarat hoc euenisse dicēs, Matres mulierū miserabilium aggressæ filios suos. Quamquam autem peccata illorum qui peccauerāt elocutus esset, & vltionem in medium adduxisset: ne sic quidem illos ex his iudicat dignos qui seruentur. Vide bonitatem famuli. Siquidem hic quum ostēdisset quod nondum digna meritis essent perpessi, nec his quæ multa licet pertulerāt, dissoluissent quæ pro commissis debebant, mox confugit ad dei misericordiā, & ad solitam illius bonitatem erga genus humanum dicens: Et nūc domine qui eduxisti populum tuum è terra Aegypti, & fecisti tibi nomen, vt hic est deus, peccauimus, iniquitate fecimus. Et quemadmodū illos, inquit, nō ex ipsoꝝ

Deu. 28.

Thren. 4.

G iij benefa-

benefactis saluos fecisti, sed afflictionē videns, & angustias & clamorem illorum exaudiens: sic & nos libera a praesentibus malis, propter solā bonitatem tuam erga genus hominum. Nam aliud nullū habemus ius speranda salutis. Hæc loquutus, multaq; lamentatus, mox inducit ipsam ciuitatem ceu mulierē aliquam captiuam, & ait: Ostende faciē tuam super sanctificationē tuam, inclina aurem tuam & audi, aperi oculos tuos, & vide interitum nostrum ciuitatisq; tuæ, in qua inuocātū est nomen tuum sanctum. Posteaquam circumspēctis hominibus neminem vidit qui possit deum reddere propiciū, ad ædificia cōfugit, & ciuitatem ipsam obicit, eiusq; desolationem ponit ob oculos, atque ad hæc deflexo sermone deum propiciū reddit. Id perspicuum est ex his quæ sequuntur. Verum quod dicebam: oportet enim ad id quod erat propositum reuerti, quando hæc obiter interiecta sunt, nō simpliciter, neque temere, sed vt animos vestros aliquantisper refocillare ex perpetuis contentionibus fatigatos. Age redeamus igitur vnde digressi hæc diximus, demonstramusq; quod ea quæ Iudæis erant euentura, diuinitus prædicta sunt illis exacte pleneq;. Iam enim duas captiuitates sermo noster demonstrauit illis accidisse, quemadmodum a prophetis erat prædictum, idq; non casu neque præter expectationem. Superest vt vbi tertiā adiecerimus, de hac qua nunc tenetur dicamus, doceamusq; perspicue, quod nullus propheta promisit illis futurū, vt vilo pacto ab his malis in quibus nunc sunt, soluantur aut liberentur. Quæ est igitur tertia? Quæ facta est sub Antiocho cognomento Illustri. Nā Alexander Macedonum rex, vbi Dariū Persarum regē deuicisset, in sese transtulit imperium. Hoc autem extincto, quatuor post illum reges successerunt, & quorū vno prognatus Antiochus longo post tempore & templū incendit, & sancta sanctorum deuastauit, & sacrificia sustulit, & Iudæos subegit, denique totam illorum religionē ac ritus destruxit. Et hæc omnia ad vnū vsque diem exactissime prædicta sunt a Daniele, & quādo hæc essent futura, & quo modo, & a quo, & qua ratione, & vbi finem acceptura, & quam tandem mutationem sortitura. Hoc autē euidētius perspicietis vbi visionem ipsam audieritis quam sub similitudinis inuolucro proposuit propheta arietis vocabulo designans Dariū regem Persarum: hirci vero Græcorum regem videlicet Alexandrum Macedonem: quatuor cornua vocat eos, qui post illum extiterunt: postremū cornu ipsam signat Antiochum. Quin præstat ipsam audire visionem. Vidi, inquit, visionem & sedebam in Vbal: (Vbal locum quempiā dicit, Persarū lingua sic illum appellans.) Et sustuli oculos meos & vidi, & ecce aries vnus stans in Vbal, & erāt illi cornua excelsa, & vnum excelsius cæteris, & excelsum illud peruenit. vsque ad extrema. & videbam arietē mouentem cornu contra mare, & Boream, & Notum, & omnes bestia non steterunt in conspectu eius, nec erat qui eriperet de manu illius, & faciebat iuxta voluntatem suam, & magnificatus est, & ego intelligebā. De potentia loquitur Persica, quæ peruasit totam terram. Deinde de Alexandro Macedonum rege loquens dicit: Et ecce hircus caprarum venit ab Austro super faciē vniuersæ terræ, & nō tangebatur terram, & hircus illi prominebat cornu in medio oculorum ipsius. Deinde narrans congressum Alexandri cum Dario, eiusq; victoriā viribus partam: Venit, inquit, hircus vsque ad arietē habentem cornua, & efferatus est in eum, & percussit arietem, (dicendum est enim cōpendio) & cōtriuuit vtrum-

Danic. 8.

Danic. 8.

que cornu illius, nec erat qui eriperet de manu illius. Post hæc narras mortem Alexandri & quatuor regum successiōnem, & quum hic inualesceret, inquit, contritum est cornu magnum, & exorta sunt quatuor cornua sub illo, ad quatuor vicos cæli. Hinc trāiens deinceps ad Antiochi regnū venit, & declarans quod ex horum vno sit ortus, sic ferē ait: Ex vno prodiit cornu validū, & exaltatum est vehementer supraq; modū ad Notum & Orientem: deinde designans, quod Iudaicam ditionem funditus destruxit. Post hæc, inquit per eum sacrificium turbatum est delicto. Et factū est, & successit illi prospere, & sanctum desolabitur, & datum est contra sacrificium peccatum, altari sublato, sanctis conculcatis idolum statuit intus, & hostias immolauit dæmonibus impiis, & proiecta est in terrā iusticia, propter mala quæ fecit: Et successit illi prospere. Deinde repetens denuo hæc eandem quæ sub Antiocho Illustri facta est captiuitatem, excidiumq; ac desolationē templi, etiam ipsium tempus addidit. Exorsus denuo ab Alexandri regno vsque ad finem libri, cōmemorans obiter & omnia quæ Ptolemæi & Seleuci conflēctantes inter sese fecerunt, quæq; horum ductores gesserunt, dolos, victorias, exercitus, pugnas nauales, prælia pedestria: deinde progressus in Antiochum desinit iterum, dicens, Brachia ex ipso exorientur, & prophābunt sanctum, & transferent continuationem (Continuationem appellans, solennes & quotidianas victimas) & inferēt in illam abominationem, & eos qui violant testamentum, hoc est præuaricantes Iudæos abducēt in ruinas, secum habebunt ac transferent, & populus cognoscens deum suum præualebit: Maccabæorum res significās, quæ acciderūt sub Iuda & Simone & Ioanne: & prudētes populi intelligent ad multa, & infirmabuntur in gladio & flamma: nimirum iterum narrās incendium ciuitatis: & in captiuitate & in direptione dierū, & quum infirmati fuerint, adiunabuntur adiutorio paruo: Significans quod in mediis illis malis poterunt respirare, & emergere ex afflictionibus, quibus inuoluti sunt. Et adiungentur illis multi in ruinis, & ab intelligentibus infirmabuntur. His autē verbis significat futurum, vt multi etiam stantes cadant. Deinde causam etiam aperit, ob quā permisit deus illos in tātis malis versari. Quæ nam est ea: vt intendant, inquit, in illis, & eligant ac dealbēt vsque ad terminū temporis. Propter hæc enim, inquit, hæc permisit deus, vt eos repurgaret ostenderetq; qui essent inter illos probati. Deinde commemorans regis illius potentiam, ait, Vt faciat iuxta volūtatem suam, & exaltabitur & magnificabitur. Mox blasphemum illius animum significans addit: Aduersus deum deorum, inquit, loquetur superba, & prosperabitur donec cōsumet iram: declarās quod non ex proprio cōsilio, sed propter irā dei aduersus Iudæos ille sic inualuerit. Tandem vbi dixit quanta mala per alios complures facturū esset, tum Aegypto, tum Palæstina, quo modo rediturus sit, & quo vocante & qua urgente causa: postea narrat earum rerum commutationem: præterea quod Iudæi posteaquam per hæc omnia pœnas dederint, nascēntur aliquod auxiliū, misso angelo in illorū subsidium. In tempore enim illo, inquit, exorietur Michaël princeps magnus, qui præfectus est filiis populi tui, & erit tēpus afflictionis, quale non fuit ex quo gentes fuerunt in terra, vsque ad tempus illud, & in tēpore illo salua fiet omnis multitudo, quæ reperietur descripta in libro, hoc est qui digni sunt salute. Verum ne nūc quidē adhuc demonstratum est de quo fuit instituta quæstio.

ἐν δὲ τῷ ἑξῆς κεφάλαιον

Danic. 11.

Danic. 11.

Quid

Quid autem hoc est? Videlicet quod illis etiā tempora præfinierit in his malis, velut illic, annos quadringentos & postea septuaginta. Videamus igitur, an his quoque præfiniat tēpus aliquod. Vbi vero licebit hoc inuenire? In his quæ post hæc dicentur, Quoniam enim audierat multa magnaq; mala, Ciuitatis incendium, subuersionem, familiarum captiuitatem, postea desiderat finem illorum discere, & quæ futura sit earum calamitatum commutatio. Percontans autem loquitur hunc in modum: Domine quis est istorū finis? Et dixit, veni huc Daniël, quoniam signati sunt sermones: videlicet recte significans obscuritatem eorum, quæ dicerentur vsq; ad temporis finem. Mox causam aperies quare ista permiserit euenire mala, donec eligatur, inquit, & dealbent, & igni examinentur multi, & iniquē agent iniqui, & intelligent omnes impij, & cordati intelligent. Deinde quanto tempore sint illos contristatura hæc mala prædicens ait, A tempore transmutationis endelechismi. Sic autem vocabatur quotidianum sacrificiū. Nam hoc perpetuum est, frequens & continuum. Erat autem mos Iudæis & vesperi & sub auroram & singulo quoq; die sacrificiū offerre deo. Atq; hac de causa sacrificium illud endelechisimum, id est, alsiduitatem siue continuationem vocabant. Itaq; venies Antiochus hunc morē sustulit, & immutauit: hoc est, quod ait angelus, A tempore transmutationis endelechismi, hoc est a tempore quo cōmutabitur hoc sacrificium. Sunt autem dies mille ducēti & nonaginta, hoc est, tres anni cum dimidiato, ac paulo amplius. Deinde quod tū esset futurum horum malorum finis ac terminus, subiicit: Beatus qui sustinuerit, ac peruenerit vsque ad dies mille trecentos & triginta quinque, Ducentis nonaginta addēs quadraginta quinque. Quoniam enim in mēse & dimidio mensis accidit vt fieret ille conflictus, in quo victoria illa pura facta est, & omnium malorum vrgentium cōmutatio, quum ait: Beatus qui sustinuerit ad dies mille trecentos triginta quinque, rerum immutationē declarat. Neq; simpliciter dixit qui peruenerit, verum quoniam multi eorum qui impietate perpetrarant viderunt commutationē, non eos simpliciter dixit beatos, sed eos qui testimonium præbuerāt in diebus afflictionum, nec a pietate descuerant, ac deinde consequuti sunt relaxationem, nec amplius patiebantur, quæ merito patiebantur qui non perdurarant in tempore certaminis ac probationis bonorū ac malorum, vt instabiles in bono, temporariiq; amici reperirentur. Eoq; nō simpliciter dixit, qui peruenerit: sed, qui sustinuerit & peruenerit. Age, quid his esse potest dilucidius: Vides vt non vsque ad annum vnum, aut mēsem, sed vnum vsque diem summa cura & captiuitatē & captiuitatis solutionem prædixerit propheta. Atque vt sciatis quod hæc non loquor ex cōiecturis, age proferamus & alium testem eorum quæ dicta sunt, quem illi grauissimum habent authorem, Iosephum loquor: qui calamitates illorum tragicas descripsit, ac vetus testamentum omne veluti paraphrasi suis explicauit: qui fuit post Christi aduentum, & captiuitatem a prophetis prædictam commemorans, de hac quoque descripsit, Daniēlis visionem enarrans, de ariete, de hircos, de quatuor cornibus, de postremo post illa exorto. Et ne quis habeat suspecta quæ a nobis dicta fuerint, Age referamus & illius verba. Quum enim laudasset Daniēlem, supraque modum extulisset, cæteris omnibus prophetis antepōnens, ad hanc venit visionem ac dicit: Reliquit autem nobis suorum scriptorū monumē-

τὸ πρῶτον κεφάλαιον

Iudæicæ antiquitatis li. 8. ca. 14.

ta: vnde nobis huius prophetiæ exactam & inuitabile certitudinem præstitit. Ait enim, Susis, quæ Persidis est metropolis, quum exisset in campum cum sociis suis, subito terræ motu concussioneq; oborta, deprehensum fuisse solum fugientibus cæteris: & ipse quidem turbatus pronus in faciē concidit innixus ambabus manibus: dein vbi quispiam tangeret eum interea, iuberetq; surgere ac videre quæ post multas ætates ciuibus essent euentura, erecto monstratum ait fuisse arietem ingentem, cui multa quidem enata sunt cornua, sed horum postremum excelsius fuisse cæteris. Deinde sustulisse oculos ad occasum, vidisseq; hircum, qui per aërem impetu ferebatur. Hunc congressum fuisse cum ariete, & cornibus inuolutum bis eum in terram deiecisse, conculcasseq;. Atque hircum fuisse visum excelsiorē, & fronte producentem cornu maximum, nō adglutinatum, sed agnatum. Quatuor autem ad singulos obuersa vicos, ex his aliud minus exortum fuisse scripsit, quod increuit. Dicebat autem qui illi hæc ostendebat deus, futurum vt gēs ipsius bellum ageret, ac ciuitatem vi subuerteret, templum confunderet, sacra prohiberet: futurum autē ad dies mille ducentos nonaginta. Hæc quidem vidit in campo iuxta Susas Daniël quæ scripsit. Declarat autē qd deus exposuerit quid sibi vellent, quæ per visum apparuerāt, videlicet qd aries idicaret regna. Persarū ac Medorum, cornua vero reges futuros, extremum autem ac postremū natum regem esse, qui hos omnes præcessurus esset tum opibus tum gloria. Cæterum hircus significabat & ex Græcis oriturum regem, qui bis congressus cum Persa prælio superaret, ablaturus vniuersum illius principatum. Significatum autem fuisse per magnum cornu, quod erat in fronte hirci, primum regem, & quatuor illorum exortum. Exciso autē illo significari, iuxta quatuor cornua singularum successorum exortum post mortem primi regis, foreq; vt regnum illius inter multos diuideretur, quandoquidē primus ille, nec filios nec fratres esset habiturus, eosque pluribus annis regnatos in orbe terrarum. Ex his rursus exoriturum regem quendam qui expugnaturus esset, & leges illius gentis & religionem ac ritus sublaturus, tum sacrilegio spoliaturus templum, ac per triennium vetiturus fieri sacra. Hæc sanē iam euenerūt omnia. Passi sunt ista Iudæi ab Antiocho, cui cognomen Illustri, sicut Daniël multis ante annis præuiderat, scripsitq; euentura. Age quid his possit esse euidentius? Nūc tēpus est, nisi videamur esse molesti, vt ad id quod quærebatur reuertamur, cuius gratia hanc præsentem captiuitatem ac seruitutem, reliquaque omnia hodie mouimus. Agedum igitur nunc vigilantibus animis auscultate. Non enim nobis de rebus vulgaribus certamē est. Absurdū enim fuerit alios in certaminibus Olympiacis quotidie a medio noctis vsq; ad meridiē perdurare, expectantes vt videant, cui cellura sit corona, nudoq; capite excipere solis radios, nec prius abscedere, qd de certamine fuerit pronunciatū: nos vero nunc quā certamē sit non de tali corona, sed de corona immortalis, defatigari ac tardio affici. Itaq; qd tres captiuitates prædictæ fuerint antequā acciderent, vna quæ annos habebat quadringentos, altera septuaginta, tertia tres ac dimidiatū, hæctenus satis est nobis demonstratum: Age superest vt & de hac loquamur. Quod autem de hac vaticinatus sit propheta, rursus eundem Iosephum adducamus testē, qui res Iudaicas optime nouit. Postq; enim illa dixerat, audi quid post subiiciat: Eodē autē, inquit, modo Daniël & de Romanorum principatu scripsit,

scripsit, quodq; ab illis tollenda esset Hierosolyma ac desolandum templum. Tu vero illud mihi considera, quod tamen iudaeus esset Iosephus, tamen veritus est vestram imitari peruicaciam. Etenim quum dixisset subuertendam esse Hierosolymam, non ausus est addere quod esset restituenda, neque tempus aliquod certum praescribere: sed quoniam sciebat, prophetam non praescribere, quoniam superius enarrans Antiochi victoriam ac desolationem, & dies & annos expresserat quantumq; temporis esset duratura, de victoria Romanorum nihil istiusmodi loquutus est: tatum hoc scripsit, quod esset in solitudinem redigenda Hierosolyma, templumq; diruendum. Caeterum quod esset aliquando venturus finis desolationis, non addit, eo quod videret ne prophetam quidem haec addidisse. Haec autem omnia, ut ait, Christo monstrante conscripta reliquit: ut qui legerint, & euenisse conspexerint, Daniëlem admirentur ob honorem illi a deo habitum. Vbi igitur dixerit Daniël, fore ut templum redigeretur in solitudinem, nos deinceps consideremus. Nam ubi praecatione illam in sacco & cinere perfecerat, venit ad eum Gabriel, & ait: Septuaginta hebdomades, abbreviatae sunt super populum deum & super ciuitatem sanctam, Ecce hic, inquit aliquis, & tempus expressum est. Tempus, non captiuitatis, sed post quantum temporis esset reditura captiuitas. Possumus & aliud tempus dicere, quamdiu esset duratura captiuitas, rursus tempus post quod esset ventura. Septuaginta, inquit, hebdomades abbreviatae sunt super populum: non ait, super populum tuum, non super populum meum. Atqui propheta dixerat, ostende faciem tuam super populum tuum, sed deus illum posthac pro alieno ducit, propter futuram audaciam. Mox & causam exprimit: donec inueterascat delictum, & consummetur peccata. Quid est hoc, donec consummetur peccata? Multa, inquit, peccata, sed malorum finis tunc erit, quum dominum suum occiderint. & hoc dixit Christus: Implete mensuram patrum vestrorum, Seruos occidistis, addite & herilem sanguinem. Vide quo modo concordant sententiae, Christus dixit, implete: Propheeta ait, consummetur delictum, & signetur peccata. Quid enim est, signetur? ne quid praeterea reliquum fiat, & adducat iusticiam sempiternam. Quid est autem aeterna iusticia, nisi quae a Christo data est: Et donec propheta quoque signet visionem & inungatur sanctus sanctorum: hoc est, sistere oportet posthac prophetias: hoc enim est signare, sistere victionem, sistere visionem. Ideo Christus dixit: Lex & prophetae usque ad Ioannem. Vides ut haec omnino minentur desolationem, ac scelerum malefactorumq; vindictam? Non enim indulturum se, sed incubiturum peccatis illorum, minatur deus. Quando tandem hoc factum est: quando profusus sublata, quando victionis sic est sublata, ut nunquam sit reditura? Et si nos sileamus, ipsi lapides clamabunt, ad eum manifesta est ipsa rerum vox, nec enim possunt aliud tempus proferre, quo haec gesta sunt, quam hoc longum ac magnum, sed maius etiam futurum. Post haec exactius etiam de his loquens ait, Et cognosces & intelliges ab exitu sermonum, ut respondeas, utq; edificetur Hierusalem, donec regnet Christus, Hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duae. Hic mihi diligenter auscultate, nam hic est totius quaestionis cardo: hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duae conficiunt annos quadringentos octoginta tres. Nec enim hic dicit hebdomadas dierum aut mensium, sed annorum. Nam a Cyro usque ad Antiochum qui dictus est, Illustris, & captiui-

tatem illam, sunt anni trecenti nonaginta quatuor. Itaque declarans quod non de captiuitate sentiat, quae fuit sub Pompeio, Vespasiano & Tito, vltierius profert tempus: mox docens nos, vnde oporteat supputare, demonstrat non esse numerandum a die reditus. Sed vnde tandem? Ab exitu sermonum, ut respondeas, & edificetur Hierusalem. At non fuit extructa sub Cyro, sed sub Artaxerxe cognomento Longimano. Post descensum enim rursus ascendit Cambyses, deinde Magi, post hos Darius Hystaspae filius, deinceps Xerxes Darii filius, post hunc Artabanes, post Artabanem Artaxerxes Longimanus imperauit Persidi. Et dum hic regnum obtineret anno vigesimo regni illius Neemias reuersus ciuitatem instaurauit, & haec Esdras accuratissime descripsit. Nos igitur hinc quadringentos octoginta annos numeremus, & haud dubie veniemus ad hanc subuersionem. Eoq; dicit: Aedificatur platea & murorum ambitus. Quum igitur, ut ait, restituta fuerit, suumq; statum receperit, ex hoc supputa hebdomadas septuaginta: vide hanc captiuitatem nondum sortitam finem esse. Aequae hoc ipsum euidentius etiam aperiens, quod mala quibus nunc tenentur, non sunt habitura finem, ad hunc ferme modum loquitur: Post hebdomadas autem septuaginta abolebitur vinctio, & iudicium non erit in ea, & ciuitatem & sanctum perdet, cum eo qui praecedit & venturus est: & concidentur tanquam in diluuium, neque supererunt reliquiae, neque radix quae repullulet, & usque ad finem belli abbreviati interuentionibus. Rursus loquens de hac captiuitate dicit: Tolleretur sacrificium & libamen, ac praeterea, super templum abominatio desolationis, consummatio dabitur ad desolationem. Heus Iudae audis consummationem, quid adhuc superest quod expectes? Rursus post haec, quid autem est, post haec: hoc est, praeter haec quae dicta sunt, post sacrificiorum & libaminis sublationem & aliud maius accedet malum. Quodnam hoc dicis? Super templum abominationis. Hieron enim vocat templum, abominationem autem desolationis vocat statuam quam collocauit in templo, is qui ceperat ciuitatem. Et usque ad consummationem, inquit, desolationis. Quam ob rem dicit Christus, qui iuxta carnem fuit posterior Antiocho Illustri, vaticinans imminens urbis excidium, ac declarans quod de hac praedixerit Daniël: Quum, inquit, videritis abominationem desolationis, de qua loquutus est Daniël propheta, stantem in loco sancto, qui legit intelligat. Quoniam enim omne simulachrum & hominis effigies apud Iudaeos appellabatur abominatio, recte significans statuam illam, simul aperuit & quo tempore, & simul quo rege captiuitas esset ventura. Quod autem de Romanis haec dicta sunt, & ipse Iosephus, quem admodum ante docuimus, asseuerauit. Quid igitur vobis reliquum est quod loquamini? Quum reliquias captiuitates praedicunt prophetae, certum & praefinitum tempus expresserunt: in hoc nullum tempus praefiniunt, quin potius contrarium addunt, videlicet captiuitatem usque ad consummationem duraturam. Porro quod haecenus dicta vana non sint, age a rebus etiam ipsis exhibeamus testimonium. Nam si Iudaei nunquam tentassent aedificare templum, dicere poterant: Si voluissimus aggredi templi instauracionem, omnino potuissimus, & perfecissimus. Nunc autem res ipsa demonstrat eos non semel aut bis, sed ter aggressos, & impetum fecisse, non aliter quam fit in certaminibus Olympicis, ut nulli dubium esse possit, quin ecclesiae sit victoria. Qui enim igitur hoc aggressi sunt? Nimirum illi qui

Danic. 9.

Matth. 23.

Luc. 16.

2. Esdr. 2.

Danic. 9.

Matth. 24.

Hierosolyma dicta Aelia.

semper resistit spiritui sancto, qui res nouas molitur, quae seditiones concitat. Post deuastationem quae facta fuit sub Vespasiano ac Tito, sub Adriano mota seditione conati sunt pristinam rempublicam instaurare, haudquaquam intelligentes quod arbitrio dei bellum gereretur, iubentis in perpetuum eam ciuitatem deuastari. Porro deo bellum superare impossibile est. Impetu igitur factum in Caesarem, rursus eum adegerunt, ut funditus deleret ciuitatem, deuictis ac subactis illis: omnibusq; reliquiis abolitis, ne in posterum possent impudenter agere, statuam suam in loco collocauit. Deinde sciens futurum ut illa tempore collaberetur, quo illius victoriae notam immedicabilem inureret, & illius impudentiae monumentum, nomen suum ciuitatis ruinis imposuit. Quoniam enim ipse dicebatur Aelius Adrianus, ideo & ciuitati nomen Aeliae iussit imponi, inde & Aelia dicitur in hodiernum usque diem, cognomine euictoris & euerforis. Post hunc sub Constantino rursus eadem aggressi sunt. At ille amputatis illorum auribus, ac rebellionis signo impresso corpori illorum, per omnia loca circumferebat illos, ceu fugitiua mancipia ac verberones, corporibus mutilatis conspicuos illos faciens omnibus, ac eos qui per omnes regiones erant sparsi, erudiens, ne in posterum eadem conareretur. Sed haec, inquit, prisca & obsoleta. Imo hoc potius notum est etiam illis qui inter vos sunt seniores. Quidam etiam dicturus sum, valde iuuenibus clarum ac perspicuum. Non enim gestum est sub Adriano aut Constantino, sed sub imperatore qui fuit etate nostra ante annos viginti. Etenim cum Iulianus qui imperatores omnes superauit impietate, vocaret illos ad sacrificandum idolis, & ad suam impietatem pertrahere conaretur, ac mox obiiceret illis priscum cultum ritum, dicens: A vestris maioribus deus hoc modo cultus est, etiam nolentes tum fatebantur haec quae nos nunc demonstrauimus, quod fas non esset extra ciuitatem immolare victimas: sed totam, inqueiebant, religionem violant, quicumque sacrificant in terra aliena. Proinde si vis nos videre sacrificantes, redde nobis ciuitatem, restitue templum, exhibe nobis sancta sanctorum, colloca aram, & sacrificabimus nunc quemadmodum olim. Nec puduit sceleratos & effrontes haec poscere a viro impio paganoq; & impuras manus vocare ad extructionem sanctorum: nec intelligebant se conari impossibilia, neque perpendebant, quod si homo illa demolitus esset, potuisset homo illis ea restituere. Verum quum deus esset qui ciuitatem illorum subuerterat, fieri nequaquam potuit, ut quae deus decreuerat, vnquam veteret humana potentia. Nam quae deus sanctus, inquit, statuit, quis dissipabit? ac manum illius excelsam quis auerteret? Sicut enim quaecumque ille stabilierit, volueritq; manere, nullus homo potest demoliri, ita quaecumque destruxerit, volueritq; manere diruta, nemo poterit instaurare. Verum esto sane, templum reddiderit, aram prorsus erexerit, quemadmodum vos frustra potuisset fieri suspicamini: num & ignem caelestem a sublimi poterat vobis demittere? qui si defuisset, impium & impurum fuisset sacrificium. Ob hoc enim perierunt filii Aaron, quod ignem alienum induxerint. Nihilominus ad omnia obsecrati, obsecrabant ac supplicabant, ut cum ipsis susciperet & aggrediretur instauracionem templi. At is qui & pecunias impendit, & praefectis dedit negocium, viros primates & artifices vndiquaque: accessit iussit, nihil, non fecit, nihil non tentauit, paulatim, ac sensim hoc agens, speransque futurum, ut si posset illos ad sacrificandum inducere, facile illos reuocaret ad cultum simu-

lacrorum. Simul & illud fore sperabat insanus iste ac vecors, ut Christi sententiam frustraretur, quae non patitur templum illud instaurari. Verum is qui comprehendit sapientes in ipsorum astutia, protinus ipsis factis declarauit illi, quod dei decretum omnibus est potentius, quodq; valida sunt opera sermonum dei. Nam simul atq; tentassent hunc impium conatum, cepissentq; nudare fundamenta, multamq; terram exhaustissent, restaretq; ut iam structuram aggredirentur: protinus ignis exiliens a fundamentis exiit multos, & intempestiuam pertinaciam interrupit. Haec ubi rescieuit imperator, quanquam tanta vesania deditus erat illi negotio, veritus tamen ne ultra progressus in suum ipsius caput ignem accerseret, destitit, extinctus cum tota gente. Et nunc si redeas Hierosolymam, conspicias nuda fundamenta: quod si causam quaeras, haud aliam quam haec audies. Huius rei nos omnes testes sumus. Nostra enim aetate haec non ita pridem acciderunt. Iam considera victoriam insignem. Non hoc accidit sub piis Caesaribus, ne quid dicere possint, quod Christiani superuenientes, opus perfici vetuerint, sed tum quam res nostrae afflictae, quum omnes de vita periclitaremur, quum omnis libertas esset sublata, quum floreret paganismus, quum fideles alij quidem in edibus suis latitabant, alij vero in solitudines demigrarunt, forasq; fugerant, tum demum haec acciderunt, ne qua istis vel impudens reliqua fieret occasio tergiversandi. Etiamne adhuc dubitas Iudae, quum perspicias & ex Christi praedictione, & ex prophetarum vaticiniis, & ex ipsarum rerum demonstratione testimonium aduersus te confirmatum? Verum nihil mirum est. Istiusmodi quippe fuit tua natio, ab initio effrons & peruicax, semperq; rebus euidentibus repugnare solita. Vultis ut & alios prophetas in vos armemus, qui hoc ipsum aperte dicunt, futurum quod vestra ditio, vestraq; religio finem esset sortitura: nostra contra effloritura, totoq; terrarum orbe proroganda, Christi praeconium, aliudq; sacrificiorum genus inducendum, iis quae apud vos fuerunt, abrogatis? Audi Malachiam qui ceteris prophetis fuit posterior: nondum enim Esaias aut Hieremiae produco testimonium, neque cuiusquam aliorum qui praecesserunt captiuitatis tempus, ne dicere possis quod haec mala quae praedixerunt, acciderunt in captiuitate: sed adduco prophetam qui fuit post reditum a Babylone, ac post ciuitatis instauracionem, deq; rebus nostris aperte vaticinatus est. Etenim posteaquam redissent, ac restituta ciuitate templum extruxissent, hanc praesentem desolationem narrans futuramq; sacrificiorum sublationem, hoc ferme pacto sub persona dei loquitur Malachias, Accipiam facies vestras, dicit dominus omnipotens, quonia ab ortu solis usque ad occasum, nomen meum glorificatum est inter gentes, & in omni loco sacrificium offertur nomini meo, & sacrificium purum. Vos autem prophanaestis illud. Quando haec euenerunt Iudae: Quando in omni loco incensum oblatum est deo? Quando sacrificium purum? Non possis aliud proferre tempus, quam hoc, posteaquam Christus aduenit. Quod nisi de hoc tempore praedixit, nisi de nostro sacrificio vaticinatus est, sed de Iudaico, etiam legi repugnat propheta. Nam cum Moses veteri vltimo alio in loco sacrificium fieri, praeterquam in eo quem elegit dominus deus, cumq; ille in vnum locum sacrificia illa conluserit: nimirum propheta dicens, quod in omni loco incensum adolendum sit, ac sacrificium purum, aduersatur ac repugnat Mose. Verum nulla est inter illos pugna, neque dissensio. Ille de alio locutus est sacrificio,

Malach. 2.

ficio, & hic de alio post vaticinatus est. Vnde hoc declaratur? Tum ex his quæ dicta sunt, tum ex aliis plurimis signis. Ac primum ex ipso loco. Non enim in vna ciuitate, quemadmodum sub Iudæis, sed ab exortu solis vsq; ad occasum prædixit hæc culturam esse celebrandam. Præterea ex sacrificij modo, siquidem purum illud appellans, declarauit de qua loqueretur. Deniq; à personis offerentium. Nō enim dixit, in Israël, sed in gentibus. Ac ne putares quod in vna duabusve aut tribus ciuitatibus hoc culturæ genus instaurandum esset, non simpliciter dixit in omni loco, sed ab ortu solis vsq; ad occasum: demonstras quod quantum terræ sol aspicit, tantundem Euangelium esset occupaturum. Purum autē dicit sacrificium, quasi prius illud fuisset impurum, non quidem suapte natura, sed iuxta voluntatem offerentium. & ideo dixit: Incensum abominatio est mihi. Quamquam & alioqui si quis ipsum hoc sacrificium conferat cū illo, ingens immensumq; discrimē inueniet, vt iuxta comparationis rationem solū hoc purum dici mereatur. Quodq; de lege & gratia dixit Paulus, ne glorificatum quidem fuit, quod erat glorificatum, propter eminentem gloriam: idem & hic iure dixerimus, videlicet quod hoc sacrificium cū illo collatum solum dici debeat purum. Non enim per fumum ac nidorem, non per sanguinem ac redēptionis precia, sed per spiritus gratiam offertur. Audi igitur & alium prophetam hoc idem prædicentem, quod dei cultus non circumscribendus esset loco, sed ipsum omnes deinceps homines essent laudaturi. Sophonias autem ad hunc fermē modum loquitur, Illucescet dominus super omnes gentes, & abolebit omnes deos gentium, & adorabunt illum è suo quisq; loco. Atqui non dixit hoc Moses, sed vno in loco sacrificari iussit. Cum igitur audias prophetas hoc dicentes ac vaticinantes, quod non in vnam ciuitatem, neq; in vnum locum compellēdi sint homines, sed suæ quisq; domi sedens culturus deum, quod aliud possis afferre tēpus quam hoc præsens? Audi sanē quo pacto & euangelia & apostoli cū prophetis concordet. Hic dixit, Illucescet dominus: Apostolus ait, Illuxit gratia dei salutaris. Hic, inquit, super gentes: ille, super omnes homines. Hic dixit, Abolebit deos gentium: ille erudiens nos, vt abnegantes impietatem ac mundanas concupiscentias, sobrie & iuste & pie viuamus. Rursum Christus Samaritanæ dixit: Crede mihi mulier, quod venturum est tempus, quando nec in monte hos, nec Hierosolymis adorabitis patrem. Spiritus est deus, & qui eum adorant, in spiritu & veritate oportet adorare. Hæc autem dicebat, simul & necessitatem tollens obseruandi loci, & culturę sublimius magisq; spirituale genus inducēs. Ex his igitur rursus poterat demonstrari, quod posthac neque sacrificia, neq; sacerdotium, neque regnum apud Iudæos futurum sit. Nam per vrbis euersionem hæc omnia potissimum semel probata sunt: attamen poteramus & alios prophetas allegare, qui hoc expresse loquuntur: sed video vos orationis longitudine fatigatos, vereorq; ne frustra temereq; videar esse molestus. Quapropter polliceor me hæc alio tempore absoluturum. Illud interim rogabo vos, vt fratres vestros seruetis, ab errore reuocetis, ad veritatem reducat. Nihil enim profuerit audisse, nisi facta demonstrantur, quę cum dictis consentiant. Etenim quæ dicta sunt, non propter nos dicta sunt, sed propter infirmos, vt illi postquam hæc à vobis didicerint, & à praua consuetudine fuerint liberati, sincerū & germanum præsent Christianismū, fugiantq; pra-

uas Iudæorum synagogas, siue quæ sunt in ciuitate, siue in suburbis, speluncas latronum, dæmonum habitacula. Proinde ne deseratis illorum salutem, sed omnia facientes, nihil non tentantes, agrotos reducite ad Christum, vt & in hoc seculo, & in futura vita recipiamus præmium benefactis nostris longe maius: Gratia & bonitate domini nostri Iesu Christi, qui cum & per quem patri gloria vnā cum spiritu sancto nūc & semper & in secula seculorum, Amen.

EIVSDEM ORATIO TERTIA, QVVM superiori die plixius disseruisset aduersus Iudæos, atq; hinc rauce dicitur vocis contraxisset, hanc deinceps orationē habuit.

RESTIAE donec in syluis pascunt, & ab hominibus negliguntur, mitiores sunt, minusq; saxuæ. Verum vbi venatores eas captas in ciuitates adduxerint, atq; inclusas extimularint, vt pugnet cum iis qui bestiis obiciuntur, protinus irruentes vbi carnem degustauerunt, & sanguinem humanum biberunt, postea nō facile abstinent à talibus epulis, sed multa cum auiditate ad eandem decurrunt mensam. Hoc sanē & nobis vsu venit: quoniam nunc cum Iudæis pugnam suscepimus, & impetu aduersus illorū impudētes cōtradictiones facto, rationes illorū subuertimus omnēq; celsitudinē erigentē sese aduersus cognitionē dei, & cogitationes cupitius duximus ad parēdum Christo, maior etiam nos cepit aduersus illos bellandi cupiditas. Sed quid faciam? Videtis mihi vocem factam imbecilliorē, idemq; mihi nūc accidere, quasi si quis miles concisis aliquot ex hostibus, magnōque animo impressione facta in hostium condensatam aciem, pluribus prostratis, mox fracto gladio consternatus ad suos sese referat. Quin potius quod nobis accidit, periculosius est. Nam militi qui fregit gladium, licet ab alio quopiam astantium ensē eripere, suūque animum exerere, multamque strenuitatem ostēdere. Cæterum si vox labore, non licet ab alio vocem mutuo sumere. Quid igitur? suffugiemus & nos? At non permittit hoc vestra charitatis tyrannus ac violentia. Vereor & patris præsentiam, & vestram reuereor promptitudinē. Proinde conabor & ea quæ supra vires meas sunt. Omnia cōmittemus & precibus huius, & charitati vestræ. Ne vero vestrum quispiam reprehendat orationem, velut intempestiuam, si cum martyres vos hodie vocent, nos super sedentes illorum exponere certamina, aduersus Iudæos exuimur. Nam & ipsis martyribus hic sermo est exoptator. Ex nostris enim laudationibus nihil illis splendoris accrescet. Quid enim egeat linguis nostris, quorum certamina superant naturam humanam, quorum præmia vim ingenij nostri vincunt? Deriserunt hanc vitam, conculcarunt carnificinas ac tormenta, despexerunt mortem, ad cælum euolarunt, erepti sunt è fluctibus rerum humanarū, in tranquillū enauigauerunt portum, haudquaquam aurum argentūve, aut vestes preciosas, sed thesauros quos nemo potest eripere importantes, tolerantiam fortitudinē & charitatem. Nunc in Pauli chorum peruenerunt, ante coronas suas expectatione coronarū alacres ac gestiētes, eo quod iā de futuro incerti esse deserunt. Quid igitur illis opus sit oratione nostra? Hoc igitur argumentū illis gratius. Ex nostris enim laudationibus quemadmodū antea cōperā dicere, nihil illorū gloriæ accesserit. Cæterū ex nostris aduersus Iudæos confictationibus multū illis adiungetur gaudij, & libenter auscultaturi sunt maxime sermones eos qui pro gloria dei dicuntur. Iudæi

Matth. 17

Iudæi in primis inuisos habent martyres, quandoquidem ab illis crucifixum maxime diligunt. Nam isti dicebant: Sanguis eius super nos & super filios nostros: illi vero sanguinem propriū effuderunt eius amore quē illi occiderunt. Hos igitur sermones libenter audient. Ergo quod si hæc Iudæorum seruitus finē esset habitura, hoc quoq; prædicturi fuerint propheta, & nequaquam silentio præterituri, satis declarauimus: posteaquā docuimus omnes captiuitates, vt à prophetis prædicta fuerant, in illos venisse, primū in Aegypto, deinde in Babylone, tertiam sub Antiocho illustri. Demōstrauimus enim harū vnicuiq; & locum & tempus fuisse prædictum in sacris literis. Huic vero presenti nullus propheta præfinit tempus. Verū quod esset vêtura, omniaq; desolatura, ditionē in super & religionem translatura, quantoq; tempore post reditum è Babylone ventura, prædixit Daniël. Cæterū quod sit habitura finē, quodq; aliquando sistenda sint ista mala, nec ille patefecit, nec quisquam aliorū prophetarū. Quin contra magis prædixit, quod ad finē vsq; duratura esset hæc seruitus. Attestatur his quæ diximus & ipsum tēpus, quod iam tantū peractum est, nec vllū initiū ad hunc vsq; diē bonæ cōmutationis ostendit, idq; cū crebro iam conati sint instaurare templū. Nā semel & iterū ac tertio sub Adriano, sub Constantino, sub Iuliano conatus illorū interruptus est. Primum quidem à militibus, rursus ab igni promicante è fundamētis, & illorū importunam periuicaciam coercente. Iam vero lubens illos rogauerim, qua de causa cum tantum temporis in Aegypto versati receperint statum suæ ciuitatis, ac rursus abdueti in Babylonem redierint Hierosolymā, tertio sub Antiocho tam multa passi mala, ad pristinum reuersi sint statim, ac denuo sacrificia, altare, sancta sanctorum, breuiter omnia cū pristina receperint dignitate, nunc nihil simile factum fuerit, verum quum centū anni, imò bis tantum, imò ter, imò quater tantū, multoq; amplius annorū præterierit (nam hic quingentesimus ex eo tēpore agitur annus) ne significatiouem quidem vllam eius mutationis videmus alicūde apparere, sed res illis funditus collapsas, ac ne per somnium quidem vllam spem eis ostendi, quemadmodū prius. Etenim si peccata sua obicerent, dicentes: Quoniam peccauimus deo, offendimusq; ideo non recipimus nostrā regionē, & si qui prius cum à prophetis accusarentur asidue, non erubescēbant, atq; illis atrociter exprobrantibus homicidia negabant, iidē nunc confiterentur damnarentq; propria peccata: lubens de integro vnumquēq; illorū interrogauerim, ob quę tandem peccata è Iudæe, extra Hierosolymā agis tanto tempore? Et quid istuc nouū est aut mirum? Non enim nunc tantū in peccatis viuitis, prius in iusticia recteq; factis soliti viuere. Nōne iam olim ab initio in innumerabilibus peccatis versabamini, an nō innumera reprehēdit in vobis Ezechiël propheta, cum inductis duabus meretricibus Oolla, & Oolliba loquitur hunc in modum, Lupanar edificatū est in Aegypto, & insanistis in Barbaros, & alienos deos coluistis. Quid porrò: quum mare finderetur, quum petra rumperetur, quum tot miracula fierent in deserto, nōne vitulum adorastis: Nōne Mosē nunc lapidibus impetentes, nunc aliis atq; aliis modis frequenter conati estis occidere: Nōne adhuc perseuerabatis blasphemias iacentes in deū? Nōne Beelphegor immolastis: nōne filios vestros ac filias sacrificastis dæmoniis: nōne omne peccatorum genus perpetrastis: nōne propheta vobis sub persona dei loquitur, Qua-

Ezech. 23.

draginta annos infensus fui generationi huic, & dixi: Psal. 94. semper errant corde: Qui fieri potuit, vt tum vos non auerfaretur deus, sed post mactationem filiorum, post tantam improbitatē, post ineffabilē ingratitudinē, etiā prophetam apud vos esse passus est, magnū illum Mosē, signaq; edidit miranda ac prodigiosa, quæq; sub alio mortaliū nemine facta sunt? Hæc inter vos contigerunt, nebula super vos testudinis vice porrecta, columna tedæ loco vos precedente, hostibus vobis vltro cedentibus, ciuitatibus sola propemodum voce captis, non armis vobis opus erat, non acie, non pugna, tantū insonuistis tuba, & vltro mœnia corruerūt. Suppeditatus est vobis nouus quidam & inauditus cōmeatus, de quo clamat Propheta, dicens: Panem cœli dedit eis, pa. Psal. 77. nem angelorum comedit homo. Quibus igitur de causis, dicite mihi, tunc aspernantes deum, simulachris immolantes, liberos mactantes, prophetas lapidibus obruentes, aliaq; innumera scelera perpetrantes, tantam beneuolentiam estis consequuti, tantam à deo prouidentiam? Nūc vero cum nec idola colatis, nec liberos occidatis, nec prophetas lapidatis, in perpetua degitis captiuitate: Num enim tum alius erat deus quam nunc est? An non idē est qui tum illa gubernabat, & qui nūc quæ sunt operatur? Quid igitur in causa fuit, vt quum grauioribus peccatis abundaretis, vberior fuerit erga vos dei beneficentia: nūc vero quum leuiora peccatis, prioris vos auerfetur, perpetuāq; tradiderit ignominiam? Etenim si vos nunc ob scelera reiicit, multo magis hoc tunc conueniebat facere. Quod si tunc vos sustinuit impie viuentes, nunc multo magis oportebat sustinere, quum nihil simile committatis. Quam ob rem igitur nō sustinuit? Si vos pudet causam dicere, ego dilucide profitebor, immo potius nō ego, sed ipsa rerum veritas loquitur. Posteaquā Christum occidistis, posteaquam in dominum iniiecistis manus, posteaquā sanguinem illum preciosum effudistis: propterea non est vobis reliqua corrigendi spes, neq; venia, neque purgatio. Tum enim quæ per audaciam perpetrastis, in seruos perpetrastis, in Mosē, in Esaia, in Hieremiam. Tum tamen si impietas aliqua cōmittebatur, tamen audacia nondum processerat vsque ad malorum caput. Nunc autem omnia veterum facinora vestris sceleribus occultastis, nec vobis vllam reliquistis locū atrociora committendi, ob insaniam qua debacchari estis in Christū: eoq; nunc grauiora luitis pœnas. Etenim si hæc non est causa vestræ reiectionis qua nunc tenemini, quare deus vester tum vos occidētes liberos vestros tolerauit, nunc autem à talibus abstinentes auerfatur? Siquidem occiso Christo maius grauiusq; scelus commisistis, quam si mactassetis liberos. Agedum igitur dicite mihi, etiā nunc posthac sustinebitis illū vocare impostorem ac legis transgressorem, ac nō potius aliquo sedentes vospis occultabitis, qui coram oculis obtueamini tam manifestam & euidentem veritatem? Etenim si impostor erat Iesus, quemadmodum dicitis, legisq; transgressor, par erat vt hanc etiam laudem ferretis, qui talem occideritis. Nam si Phinees vnico tantum perempto homine, totam numinis iram aduersus populum exardescens sedauit (Stetit enim, inquit, Phinees, & placauit & cessauit quassatio) tamq; multos homines eripuit ab ira diuina vnus hominis cæde: multo magis hæc vobis oportuit accidere, si legis transgressor erat quem vos crucifixistis. Quis igitur, quæso, Phinees, viro legis transgressore perempto, iustus habitus est, & sacerdotio honoratus? Vos autem quum in crucem

Psal. 105.

Sopho. 2.

Ti. 2.

Ioan. 4.

Hier. 17.

crucē egeritis virū impostorē, vt dicitis, deoq; aduersantem: qui sit vt nō solū nō feratis laudē & honorem, verum etiā acerbiora passi sitis, quā tum cū filios vestros mactaretis? An non istud perspicuum est, etiā vehementer tardis & hebetibus, quōd posteaquā aduersus seruatorē ac principem orbis impie egistis, talis vindicta de vobis sumpta sit: Et nunc sanē abstinētis à nefario sanguine, & sabbatis, tum vero ipsum etiā sabbati diem violabatis. At ecce deus per Hieremiā iussit parci ciuitati vestrā, si desisteretis gestare onera sabbato. Sed hoc nunc facitis, neq; tollitis onera sabbato, attamē ne sic quidē vobis reconciliatur ille. Nam peccatum illud vestrum omnīū erat maximum, vt ista vobis excusatio de peccatis, superuacanea sit. Non enim ob cetera vitæ cōmissa, sed propter illud facinus estis in istis calamitatibus. Quod ni sic haberet, deus haud vos fuisset ad istū modum auersatus, etiā si innumera alia peccata commisisset. Id quum perspicuum sit ex omnibus quæ dicta sunt, ex hoc quod dicitur sum, erit dilucidius. Quid autē est hoc? Audimus deum crebro per prophetas dicentem maioribus nostris, vos quidē eratis digni malis innumeris, at ego nō facio propter nomen meum, ne prophanetur inter gentes. Non propter vos ego facio domus Israël, sed propter nomen meum. Sensus autem hic est, Eratis quidē grauioribus digni supplicis ac pœnis: verum ne quis diceret, quōd deus quum ob inopiam virium non posset seruare, reliquit Iudæos in manibus hostiū, auxiliabor & prospiciā vobis. Itaq; si legis transgressor erat Christus, quem vos crucifixistis, etiā si decies mille peccata commisisset, multo etiam prioribus illis grauiora: profectō propter hoc factū seruasset vos deus, ne nomen ipsius pollueretur, ne ipse crederetur nō esse magnus, nēve quis diceret quōd ipsius causa hæc pateremini. Quōd si videtur ob suam ipsius gloriā relaxare peccata: multo magis hoc nunc erat facturus, & mactationē hanc acceptā habuisset, ac multitudinem peccatorum vestrorum deleuisset. Ceterum, quoniam, vt apparet, vos perpetuo auersatur, palam est quōd per hanc iram & perpetuam derelictionem, demonstrat etiam vehementer impudentibus, eum qui à vobis occisus est, non fuisse transgressore legis, sed ipsum legis conditorem, & innumerabilium bonorū authorem vobis aduenisse. Eoq; vos qui impie fecistis aduersus illum, in contumelia & ignominia degitis: nos vero qui illum adoramus, honore vos omnes præcedimus, perq; dei gratiam venerabiliores vobis omnibus sumus, & in maiore dignitate cōstituti. Et vnde liquet, inquit, quōd nos repulit deus? Quæso te etiam nunc opus est hoc verbis demonstrare, cum ipsa res clamitet, ac vocem tuba clariorē emittat, tum per vr̄bis euersionem, tum per templi destructionem, tum per cetera omnia: Verū homines, inquit nobis hæc intulerunt, nō deus. Imō deus ista potissimum effecit. Quōd si hæc hominibus imputas, illud rursus considera, quōd vt vt homines ista fuerint ausi, nisi deo placuisset, haudquaquā potuissent ad effectū perducere. Quū igitur redisset ille Barbarus, totam Persidem secum ducens, sperā fore vt vniuersos ex insidiis adortos caperet, ciuitatem totam velut sagna quadā ac reti conclusam habebat: tunc demum, tum inquam, quoniam deus erat vobis propicius, absque bello, sine conflictu, sine prælio centum octoginta milibus militum interfectorū Assyriorum apud vos relictis, ita fugit, vt fatis haberet si solus euaderet incolumis. Verum & alia bella innumerabilia frequenter istum ad modum iudicauit deus: itidem

A & nunc nisi ipse esset qui semel vos deseruit, haudquaquā potuissent ciuitatē vestrā diruere, ac templum vastare, nequaquā huc vsq; tanto tempore mansisset solitudinis calamitas, nequaquā vobis sæpe conantibus instaurationem, conatus in vacuum celsisset. Iam non ex his solū, verum etiā ex aliis conabor vobis facere fidē, quōd nō suapte virtute vobis ista fecerūt Romanorū imperatores, sed quia deū habuistis iratū, qui vos deseruerat. Etenim si quod gestū est, humanū erat opus: oportuit vestras calamitates excidio finiri, nec longius proferri vestram ignominia. Ponamus enim iuxta vestram sententiam, mœnia ab hominibus fuisse subuersa, ciuitatem dirutā, altare deiectum: num & illud ab hominibus factum quōd propheta cessarunt? num & spiritus gratiā sustulerunt: num alia quæ apud vos fuerunt magnifica destruxerunt: veluti vocem de propiciatorio reddi, vim vnctionis, declarationem quæ fiebat in lapidibus sacerdotū: neq; enim Iudaica religio origines omnes habebat ex inferioribus, sed plures ac magnificentiores superne è cœlis. Hoc autē dico: Permisit sacrificia fieri. Altare quidem erat ex inferioribus, quæ admodum gladius & ligna, nec non sacerdos. Ceterū ignis venturus in adyta illa, victimasque consumpturus, è supernis habet originem. Nec enim homo inferebat ignem in templum, sed flamma è sublimi immissa suo ministerio consummabat hostiam. Rursum si quando cognoscendū erat aliquid è propiciatorio, vox quæpiā è medio Cherubin prodibat, prædicens futura. Rursum è lapidibus qui erant in pectore summi sacerdotis, id vocabant declarationem: relucebat fulgor quidam futura significās. præterea quoties esset aliquis inungendus, deuolabat spiritus gratia, & insiliebat in vnguentū. Hæc autē administrabant propheta. Quin & nebula frequenter & fumus adyta corripiebat. Itaq; ne Iudæi perfrita fronte hominibus imputarent suarū rerum vastationem, non solū ciuitatem deus passus est dirui, ac templum vastari, verum etiā illa quæ cœlitus habebant originem è medio sustulit, videlicet ignem, vocem, è lapidibus reddi solitum fulgorē, & huius generis alia vniuersa. Proinde cum tibi Iudæus dixerit, homines nos expugnarunt, homines insidiis adorti sunt, dicito illi: Profectō nequaquam expugnassent homines, nisi deus hoc permisisset. Verum esto sanē, murū vestrum diruerint homines, num & ignem ex alto deuehi vetuit homo? Num vocem assidue ex propiciatorio audiri solitam inhibuit homo? Num declarationē in lapidibus: num sacrā vnctionē: num cetera omnia sustulit homo? An nō deus hæc omnia submouit? Neminē nō perspicuū est, sed qua de causa sustulit? An nō manifestum est ideo fecisse, quōd vos odisset, quōdque semel auersatus esset? Nequaquam, inquit, sed quoniam ciuitate caremus, ideo caremus & istis. Quin potius vt ex abundanti impudentia illorum ora claudamus: age & hoc scripturarum testimoniis demonstremus, quōd tēpli apparatus non fuerit causa destructionis ceterorū à prophetis prædictæ, sed ira dei, & quōd magis etiam ipsum prouocarint insanientes in Christum, quā tum cum vitulum adorarent. Nam quum vaticinaretur Moses, nec templum erat, nec altare, sed quum persisterent in innumeris impietatibus, tamen prophetiæ donum non cessauit. Verū & hic ipse egregius vir, & alij rursus præter hunc septuaginta tum extitere propheta: nec id solum, verū & post datum templum reliquamq; totam culturam: deinde hoc incēso, cunctisque deportatis in Babylonem, rursus extiterūt

Ezechiel

Esai. 53.

Math. 27.

Esai. 53.

Coloss. 3.

Esai. 53.

Ezechiel & Daniel, qui nec sancta sanctorum aspicerent, nec altari assisterent, sed in media Barbarorum regione & impurorum hominum consortio agentes spiritu repleti futura prædicebant, idque de rebus multo tum pluribus, tum admirabilioribus quā præcesserant: ac diuinam visionem viderunt quatenus ipsis videre licuit. Itaque dicitē mihi, quam ob causam non habetis nunc prophetas? An non perspicuum est hanc esse causam, quōd deus vos repulerit? Sed quam ob causam repulit? Clarum item & hoc, quōd ob illum crucifixum, & impium illud facinus. Vnde hoc liquet, inquit? Ex hoc quōd cum antehac impie viueretis, nihil non obtinebatis: nunc vero cum videamini modestius viuere post crucem, atrociores luitis pœnas, neque quicquam eorum contigit habere quæ prius habebatis. Vt autem & ipsis prophetis hoc euidenter & expresse testificantibus, præsentium malorum causam intelligatis, audite quid dicit Esaias, quo modo prædicit simul & venturam omnibus per Christum beneficentiam, & vestram improbam ingratitude. Lioure, inquit, eius nos sanati sumus: salutem indicans per crucem omnibus oblatam. Deinde de nostri similibus loquens, subiecit: Omnes vt oves aberrauimus, homo in via sua errauit. Tum crucis modum explicans, sic loquitur: Sicut ovis ad occisionem ductus est, & vt agnus in conspectu tondentis ipsum sine voce fuit, sic non aperuit os suum. Et vbi licet hoc videre? In nefasto prætorio Pilati, quum tam multa, inquit, testimonia proferrent aduersus ipsum, nihil eis respondit Iesus. Et dixit ad illum præfes: Audis quā multa in te testificantur? Verum nihil respondit, sed stabat tacitus. Hoc olim cœlitus afflatus propheta dixerat: Sicut ovis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram se tondente mutus. Post hæc exponens iniquitatem, in prætorio perpetrata ait: In deiectione eius iudicium sublatum est. Nemo tum iuxta iuris rationem de illo suffragium tulit, sed falsa potius aduersus illum recipiebant testimonia. In causa erat quōd tum nolebat elabi. Nam si voluisset, omnia turbasset, concussissetq;. Etenim si id temporis quo pendebat in cruce, saxa disscidit, orbem terrarum obscurauit, solis radios auertit, noctem medio die per vniuersam terram induxit, idem potuisset in prætorio facere. Verum noluit, mansuetudinem ac lenitatem exhibens. Eoq; dicit: In deiectione illius sublatum est iudicium. Deinde demonstrans, quōd non esset vnusquilibet è vulgo, subiecit: Generationem eius quis enarrabit? Quis enim est? de quo dicit: Tolle tur de terra vita eius. Ideo & Paulus dicit: Vita nostra abscondita est cū Christo in deo. Quum apparuerit Christus vita nostra, tunc & vos apparebitis cū illo in gloria. Sed quod dicere proposueram, vt demonstrarem quōd propter hunc sustinuerit præsentia mala, tempus est vt ipsum Esaiam inducam loquentem. Vbi nam hoc est, inquit? Post dictum prætorium, post occisionem, post assumptionē, vbi dixit: Tolle tur de terra vita eius, & subiecit: Et dabo improbos pro sepultura eius, & diuites pro morte illius. Non simpliciter dixit Iudæos, sed improbos. Quid enim illis improbus esse possit, qui post tot tantaque accepta beneficia beneficium occiderunt? Nisi hæc euenerunt, nisi nunc viuitis in ignominia, nisi omnibus quæ maiores habuerunt, estis priuati, nisi corrui vestra ciuitas, nisi templum vestrum versum est in ruinam, denique nisi vestræ calamitates superant omnem tragœdiam, ne credas è Iudæe. Contrā, si res ipsa clamitant, si quod prædictum erat à prophetis perfectum

est, quid frustra, quid in cassum obtines tuam impudentiam? Nam vbi illa apud vos veneranda, vbi pontifex, vbi stola & rationale, vbi declaratio? Ne vero mihi istos patriarchas dixeris, caupones, negociatores, iniquitate plenos. Dic mihi qualis est sacerdos, cum non sit vetus illud oleum, neque quicquam omnino veteris sanctimoniam? Dic inquam, mihi, qualis sacrificus, quū non sit sacrificium, neque altare, neque cultura? Vis tibi recitē leges de sacerdotio, quo modo solent olim consecrari, vt intelligas quōd qui nunc apud vos dicuntur patriarchæ, non sint sacerdotes, sed per simulationem sacerdotum agant personam, nec aliter ludant quā histriones in scena, imō, vt verius dicam, nec sustinere possint sacerdotis personam: non dico iuxta veritatē, verum ne iuxta simulationem quidem sacerdotij. Exeunte igitur: recordare quo modo tū Aarō factus sit sacerdos, quot hostias pro illo immolarit Moses, quot pecudes prostrauerit, quo modo illum lauerit, quo modo illum vnxit, extremum auriculæ, manum dextram, in sancta sanctorum introduxerit. Post hæc iussit præscripto septem dierum numero manere intus. Quin potius operæ precium est audire verba illorū: Hæc, inquit, vnctio Aaron, & vnctio filiorum eius. Et dixit dominus ad Mosem, dicens: Assume Aaron & filios eius, & stolas, & vnctionis oleum, & vitulum pro peccato, & arietem, & conuoca synagogam ad ostium tabernaculi testimonij. Et dixit Moses vniuersæ multitudini congregatæ sermonem quem mandarat dominus, & posteaquam applicuisset illos (dicendum est enim compendio) lauit eos aqua, induit tunica, cinxit zona, induxit spindytē, imposuit humerale, præcinxit illum ac subfrinxit, imposuit rationale, imposuit declarationē & veritatem, & mitram imposuit capiti illius, & super mitram laminam auream, deinde sumpto oleo cōspersit altare, & sanctificauit illud, & vasa, & basim sanctificauit ex eodem, & effudit ex eo in caput Aaron, & filius illius similiter fecit, & adduxit vitulum. Quum autē occidisset eum, posteaquam Aaron cū filiis suis imposuissent manus, sumpsit de sanguine, & imposuit cornibus altaris, & purificauit altare, & sanguinem effudit in basim, & sanctificauit illud, vt propiciaret sup illud. Deinde posteaquā quædā ex his mactasset, alia foris, alia intus, adduxit rursus aliū arietē, & ipsum immolauit in holocaustū, & iterū adduxit arietē consummationis, & rursus Aaron cū filiis imponente manus occidit, rursusq; sumens de sanguine eius super extremū auriculæ Aaron dextræ, & super extremū manus dextræ, & super extremum pedis dextri, simili modo fecit & filiis illius. Deinde sumens hostias, imposuit manibus Aarō & filiorū eius, ac sic obtulit. Et sumpto sanguine, rursus ex oleo cōspersit super Aaron & stolas illius, & super filios eius, & super stolas eorū, & sanctificauit eos, & insit coqui carnes in atrio tabernaculi testimonij, illicq; eis vesce: & ab ostio tabernaculi testimonij ne egrediamini, inquit, dies septē, donec impleatur dies ordinationis vestræ, septē enī diebus consummabit manus vestras, vt propicietur p vobis. Cū igitur dicit, q̄ his reb⁹ legitime initiatus sit Aarō, his purificat⁹, his sanctificatus, per hæc placauerit deū: nihil autē horū nūc fiat, neq; victima, neq; holocaustū, neq; sanguinis asperio, neq; olei inunctio, nec adlit tabernaculū testimonij, neque ad præfinitū dierū numerū sedeatur intus: profectō palā est, q̄ sacerdos qui nūc apud istos est, impurus sit ac nefastus, illegitimus ac prophanus, deniq; q̄ nō propiciet, sed prouocet. Etenim si nō poterat aliter cōsecrari,

nisi

crucē egeritis virū impostorē, vt dicitis, deoq; aduer-
santem: quī sit vt nō solū nō feratis laudē & honorem,
verum etiā acerbiora passi sitis, quā tum cū filios ve-
stros mactaretis: An non istud perspicuum est, etiā ve-
hementer tardis & hebetibus, quōd posteaquā aduer-
sus seruatore ac principem orbis impie egistis, talis vin-
dicta de vobis sumpta sit? Et nunc sanē abstinētis à ne-
fario sanguine, & sabbatis, tum vero ipsum etiā sabbati
diem violabatis. At ecce deus per Hieremiā iussit parci
ciuitati vestrā, si desisteretis gestare onera sabbato. Sed
hoc nunc facitis, neq; tollitis onera sabbato, attamē ne
sic quidē vobis reconciliatur ille. Nam peccatum illud
vestrum omniū erat maximum, vt ista vobis excusatio
de peccatis, superuacanea sit. Non enim ob cetera vitæ
cōmissa, sed propter illud facinus estis in istis calamita-
tibus. Quod ni sic haberet, deus haud vos fuisset ad istū
modum auersatus, etiamsi innumera alia peccata com-
mississetis. Id quum perspicuum sit ex omnibus quæ di-
cta sunt, ex hoc quod dicitur sum, erit dilucidius. Quid
autē est hoc? Audimus deum crebro per prophetas di-
centem maioribus nostris, vos quidē eratis digni ma-
lis innumeris, at ego nō facio propter nomen meum,
ne prophaneur inter gentes. Non propter vos ego fa-
cio domus Israhel, sed propter nomen meum. Senfus au-
tem hic est, Eratis quidē grauioribus digni suppliciis ac
pœnis: verum ne quis diceret, quōd deus quum ob ino-
piam virium non posset seruare, reliquit ludæos in ma-
nibus hostiū, auxiliabor & prospiciā vobis. Itaq; si legis
transgressor erat Christus, quem vos crucifixistis, etiā si
decies mille peccata commisissetis, multo etiam prio-
ribus illis grauiora: profectō propter hoc factū serua-
set vos deus, ne nomen ipsius pollueretur, ne ipse cre-
deretur nō esse magnus, nēve quis diceret quōd ipsius
causa hæc pateremini. Quōd si videtur ob suam ipsius
gloriā relaxare peccata: multo magis hoc nunc erat fa-
cturus, & mactationē hęc acceptā habuisset, ac multi-
tudinem peccatorum vestrorum deleuisset. Ceterum,
quoniam, vt apparet, vos perpetuo auersatur, palam est
quōd per hanc iram & perpetuam derelictionem, de-
monstrat etiam vehementer impudentibus, eum qui à
vobis occisus est, non fuisse transgressorē legis, sed ip-
sum legis conditorem, & innumerabilium bonorū au-
thorem vobis aduenisse. Eoq; vos qui impie fecistis ad-
uersus illum, in contumelia & ignominia degitis: nos
vero qui illum adoramus, honore vos omnes præcedi-
mus, perq; dei gratiam venerabiliores vobis omnibus
sumus, & in maiore dignitate cōstituti. Et vnde liquet,
inquiunt, quōd nos repulit deus? Quæro te etiam num
opus est hoc verbis demonstrare, cum ipsa res clami-
tet, ac vocem tuba clariorē emittat, tum per vr̄bis euer-
sionem, tum per templi destructionem, tum per cetera
omnia: Verū homines, inquiunt nobis hæc intulerunt,
nō deus. Imō deus ista potissimum effecit. Quōd si hæc
hominibus imputas, illud rursus considera, quōd vt
vt homines ista fuerint ausi, nisi deo placuisset, haud-
quaquā potuissent ad effectū perducere. Quū igitur redi-
set ille Barbarus, totam Persidem secum ducens, sperās
fore vt vniuersos ex insidiis adortos caperet, ciuitatem
totam velut sarena quadā ac reti conclusam habebat:
tunc demum, tum inquam, quoniam deus erat vobis
propicius, absque bello, sine conflictu, sine prælio cen-
tum octoginta milibus militum interfectorū Assyrio-
rum apud vos relictis, ita fugit, vt satis haberet si solus
euaderet incolumis. Verum & alia bella innumerabi-
lia frequenter istum ad modum iudicauit deus: itidem

& nunc nisi ipse esset qui semel vos deseruit, haudqua-
quā potuissent ciuitatē vestrā diruere, ac templum va-
stare, nequaquā huc vsq; tanto tempore mansisset solitu-
dinis calamitas, nequaquā vobis sæpe conantibus in-
staurationem, conatus in vacuum celsisset. Iam non ex
his solū, verum etiā ex aliis conabor vobis facere fidē,
quōd nō suapte virtute vobis ista fecerūt Romanorū
imperatores, sed quia deū habuistis iratū, qui vos dese-
ruerat. Etenim si quod gestū est, humanū erat opus: o-
portuit vestras calamitates excidio finiri, nec longius
proferrī vestram ignominia. Ponamus enim iuxta ve-
stram sententiam, mœnia ab hominibus fuisse subuer-
sa, ciuitatem dirutā, altare deiectum: num & illud ab
hominibus factum quōd propheta cessarunt: num &
spiritus gratiā sustulerunt: num alia quæ apud vos fue-
re magna destruxerunt: veluti vocem de propicia-
torio reddi, vim vnctionis, declarationem quæ fiebat
in lapidibus sacerdotū: neq; enim Iudaica religio ori-
ginis omnes habebat ex inferioribus, sed plures ac ma-
gnificentiores superne è cœlis. Hoc autē dico: Permisit
sacrificia fieri. Altare quidem erat ex inferioribus, quē-
admodum gladius & ligna, nec non sacerdos. Ceterū
ignis venturus in adyta illa, victimasque consumptu-
rus, è supernis habet originem. Nec enim homo in-
ferebat ignem in templum, sed flamma è sublimi im-
missa suo ministerio consummabat hostiam. Rursus
si quando cognoscendū erat aliquid è propiciatorio,
vox quæpiā è medio Cherubin prodibat, prædicens fu-
tura. Rursus è lapidibus qui erant in pectore summi sa-
cerdotis, id vocabant declarationem: relucebat fulgor
quidam futura significās. præterea quoties esset aliquis
inungendus, deuolabat spiritus gratia, & insiliebat in
vnguentū. Hęc autē administrabant propheta. Quin
& nebula frequenter & fumus adyta corripiebat. Itaq;
ne ludæi perfricta fronte hominibus imputarent suarū
rerum vastationem, non solū ciuitatem deus passus est
dirui, ac templum vastari, verum etiā illa quæ cœlitus
habebant originem è medio sustulit, videlicet ignem,
vocem, è lapidibus reddi solitum fulgorē, & huius ge-
neris alia vniuersa. Proinde cum tibi ludæus dixerit,
homines nos expugnarunt, homines insidiis adorti
sunt, dicito illi: Profecto nequaquam expugnassent ho-
mines, nisi deus hoc permisisset. Verum esto sanē, murū
vestrum diruerint homines, num & ignem ex alto de-
uehi vetuit homo? Num vocem assidue ex propiciato-
rio audiri solitam inhibuit homo? Num declarationē
in lapidibus: num sacrā vnctionē: num cetera omnia
sustulit homo? An nō deus hæc omnia submouit? Ne-
mini nō perspicuū est, sed qua de causa sustulit: An nō
manifestum est ideo fecisse, quōd vos odisset, quōdque
semel auersatus esset? Nequaquam, inquiunt, sed quo-
niam ciuitate caremus, ideo caremus & istis. Quin po-
tius vt ex abundanti impudentia illorum ora clauda-
mus: age & hoc scripturarum testimoniis demonstre-
mus, quōd tēpli apparatus non fuerit causa destruēti-
onis ceterorū à prophetis prædictæ, sed ira dei, & quōd
magis etiam ipsum prouocarint insanientes in Chri-
stum, quā tum cum vitulum adorarent. Nam quum
vaticinaretur Moses, nec templum erat, nec altare, sed
quum persisterent in innumeris impietatibus, tamen
prophetiæ donum non cessauit. Verū & hic ipse egre-
gius vir, & alij rursus præter hunc septuaginta tum ex-
titerē propheta: nec id solum, verū & post datum tem-
plum reliquamq; totam culturam: deinde hoc incēso,
cunctisque deportatis in Babylonem, rursus extiterūt
Ezechiel

Ezechiel & Daniel, qui nec sancta sanctorum aspice-
rent, nec altari assisterent, sed in media Barbarorum re-
gione & impurorum hominum consortio agentes spi-
ritu repleti futura prædicebant, idque de rebus multo-
tum pluribus, tum admirabilioribus quā præcesserant:
ac diuinam visionem viderunt quatenus ipsis vi-
dere licuit. Itaque dicite mihi, quam ob causam non
habetis nunc prophetas? An non perspicuum est hanc
esse causam, quōd deus vos repulerit? Sed quam ob cau-
sam repulit? Clarum item & hoc, quōd ob illum crucifi-
xum, & impium illud facinus. Vnde hoc liquet, inquis?
Ex hoc quōd cum antehac impie viueretis, nihil non
obtimebatis: nunc vero cum videamini modestius vi-
uere post crucem, atrociores luitis pœnas, neque quic-
quam eorum contigit habere quæ prius habebatis. Vt
autem & ipsis prophetis hoc euidenter & expresse testi-
ficantibus, præsentium malorum causam intelligatis, B
audite quid dicit Esaias, quo modo prædicit simul &
venturam omnibus per Christum beneficentiam, & ve-
stram improbam ingratitudinem. Liore, inquit, eius
nos sanati sumus: salutem indicans per crucem omni-
bus oblatam. Deinde de nostri similibus loquens, subie-
cit: Omnes vt oues aberrauimus, homo in via sua erra-
uit. Tum crucis modum explicans, sic loquitur: Sicut
ouis ad occisionem ductus est, & vt agnus in conspe-
ctu tondentis ipsum sine voce fuit, sic non aperuit os
suum. Et vbi licet hoc videre? In nefasto prætorio Pila-
ti, quum tam multa, inquit, testimonia proferrent ad-
uersus ipsum, nihil eis respondit Iesus. Et dixit ad illum
præses: Audis quā multa in te testificantur? Verum ni-
hil respondit, sed stabat tacitus. Hoc olim cœlitus affla-
tus propheta dixerat: Sicut ovis ad occisionem ductus
est, & sicut agnus coram se tondente mutus. Post hæc
exponens iniquitatem, in prætorio perpetrata ait: In
deiectione eius iudicium sublatum est. Nemo tum iux-
ta iuris rationem de illo suffragium tulit, sed falsa po-
tius aduersus illum recipiebant testimonia. In causa e-
rat quōd tum nolebat elabi. Nam si voluisset, omnia
turbasset, concussissetq;. Etenim si id temporis quo pen-
debat in cruce, saxa dilcidit, orbem terrarum obscu-
rauit, solis radios auertit, noctem medio die per vni-
uersam terram induxit, idem potuisset in prætorio fa-
cere. Verum noluit, mansuetudinem ac lenitatem exhi-
bens. Eoq; dicit: In deiectione illius sublatum est iudi-
cium. Deinde demonstrans, quōd non esset vnusquili-
bet è vulgo, subiecit: Generationem eius quis enarra-
bit? Quis enim est: de quo dicit: Tolle tur de terra vita
eius. Ideo & Paulus dicit: Vita nostra abscondita est cū
Christo in deo. Quum apparuerit Christus vita no-
stra, tunc & vos apparebitis cū illo in gloria. Sed quod
dicere proposueram, vt demonstrarem quōd propter
hunc sustinuerit præsentia mala, tempus est vt ipsum
Esaiam inducam loquentem. Vbi nam hoc est, inquis?
Post dictum prætorium, post occisionem, post assump-
tionē, vbi dixit: Tolle tur de terra vita eius, & subiecit:
Et dabo improbos pro sepultura eius, & diuites pro
morte illius. Non simpliciter dixit ludæos, sed impro-
bos. Quid enim illis improbius esse possit, qui post tot
tantaque accepta beneficia beneficium occiderunt? Nisi
hęc euenerunt, nisi nunc viuatis in ignominia, nisi om-
nibus quæ maiores habuerunt, estis priuati, nisi corrui-
vestra ciuitas, nisi templum vestrum versum est in rui-
nam, denique nisi vestræ calamitates superant omnem
tragœdiam, ne credas ò ludæe. Contrā, si res ipsa cla-
munt, si quod prædictum erat à prophetis perfectum

est, quid frustra, quid in cassum obtines tuam impuden-
tiam? Nam vbi illa apud vos veneranda, vbi pontifex,
vbi stola & rationale, vbi declaratio? Ne vero mihi
istos patriarchas dixeris, caupones, negociatores, ini-
quitate plenos. Dic mihi qualis est sacerdos, cum non
sit vetus illud oleum, neque quicquam omnino veteris
sanctimoniarum? Dic inquam, mihi, qualis sacrificus, quū
non sit sacrificium, neque altare, neque soluta: Vis tibi
recite leges de sacerdotio, quo modo solent olim conse-
crari, vt intelligas quōd qui nunc apud vos dicuntur
patriarchæ, non sint sacerdotes, sed per simulationem
sacerdotum agant personam, nec aliter ludant quā
histriones in scena, imō, vt verius dicam, nec sustinere
possint sacerdotis personam: non dico iuxta veritatē,
verum ne iuxta simulationem quidem sacerdotij. Excute
igitur: recordare quo modo tū Aarō factus sit sacer-
dos, quot hostias pro illo immolarit Moses, quot pecu-
des prostrauerit, quo modo illum lauerit, quo modo il-
lum vnxit, extremum auriculæ, manum dextram, in
sancta sanctorum introduxerit. Post hæc iussit præ-
scripto septem dierum numero manere intus. Quin po-
tius operæ precium est audire verba illorū: Hęc, inquit,
vnctio filiorum eius. Et dixit dominus ad Mosē, & vnctio
stolas, & vnctio oleum, & vitulum pro peccato, &
arietem, & conuoca synagogam ad ostium tabernacu-
li testimonij. Et dixit Moses vniuersæ multitudini con-
gregatæ sermonem quem mandarāt dominus, & post-
eaquam applicuisset illos (dicendum est enim compen-
dio) lauit eos aqua, induit tunica, cinxit zona, induxit
ependyten, imposuit humerale, præcinxit illum ac sub-
strinxit, imposuit rationale, imposuit declarationē &
veritatem, & mitram imposuit capiti illius, & super mi-
tram laminam auream, deinde sumpto oleo cōpersit
altare, & sanctificauit illud, & vasa, & basim sanctifica-
uit ex eodem, & effudit ex eo in caput Aaron, & filiis il-
lius similiter fecit, & adduxit vitulum. Quum autē oc-
cidisset eum, posteaquam Aaron cū filiis suis imposuisset
sent manus, sumpsit de sanguine, & imposuit cornibus
altaris, & purificauit altare, & sanguinem effudit in ba-
sim, & sanctificauit illud, vt propiciaret sup illud. De-
inde posteaquā quædā ex his mactasset, alia foris, alia
intus, adduxit rursus aliū arietē, & ipsum immolauit in
holocaustū, & iterū adduxit arietē consummationis, &
rursus Aaron cū filiis imponente manus occidit, rur-
susq; sumens de sanguine eius super extremū auriculæ
Aaron dextræ, & super extremū manus dextræ, & super
extremum pedis dextræ, simili modo fecit & filiis illius.
Deinde sumens hostias, imposuit manibus Aarō & fi-
liorū eius, ac sic obtulit. Et sumpto sanguine, rursus ex-
oleo cōpersit super Aaron & stolas illius, & super fi-
lios eius, & super stolas eorū, & sanctificauit eos, & iussit
coqui carnes in atrio tabernaculi testimonij, illicq;
eis vesci: & ab ostio tabernaculi testimonij ne egredia-
mini, inquit, dies septē, donec impleatur dies ordina-
tionis vestræ. Septē enī diebus consummabit manus ve-
stras, vt propicietur p vobis. Cū igitur dicit, q his reb⁹
legitime initiatus sit Aarō, his purificat⁹, his sanctifica-
tus, per hæc placauerit deū: nihil autē horū nūc fiat, neq;
victima, neq; holocaustū, neq; sanguinis aspersio, neq;
olei inunctio, nec adlit tabernaculū testimonij, neque
ad præfinitū dierū numerū sedeatur intus: profectō pa-
lā est, q sacerdos qui nūc apud istos est, impurus sit ac
nefastus, illegitimus ac prophanus, deniq; q nō propi-
ciet, sed prouocet. Etenim si nō poterat aliter cōsecrari,
nisi

Hier. 17.

Esai. 53.

Math. 27.

Esai. 53.

Coloss. 3.

Esai. 53.

Leui. 7.

Leui. 8.

nisi hisce ritibus: omnino necesse est totum sacerdotium illorum non consistere. Vides à me meritò dictum, quòd non solum à veritate, verum etiam ab ipsa rei simulatione procul absunt. Nec ex his tantum, verum etiam ex aliis discere licet, quanta fuerit sacerdotij dignitas. Proinde cum aduersus Aaron seditionem mouissent homines quidam scelerati perditique, conantes eum à principatu depellere, & de honore cum illo disceptare, mansuetissimus Moses cupiens illis, rebus ipsis facere fidem, quòd non vt fratrem, aut cognatum, aut familiarem euexisset illum ad eum honorem, sed dei parens edicto tradiderit illi sacerdotium illud, iussit vt vnaqueque tribus virgam adferret, idem præcepit Aaroni: quum attulissent, omnes accepit, & intus reposuit, eo facto iussit expectari diuinum iudicium, quod per virgas illas esset proferendum. Deinde quum simul omnium reliquorum virgæ manerent in eodem habitu, sola virga Aaron germinauit, frondisque produxit ac fructus, vt intelligerent quòd naturæ dominus illum delegisset denuo, literarum vice foliis vtens. Etenim qui in initio dicebat: Germinet terra herbam graminis, eiusque vim ad fructificandum excitauit, idem & illud lignum quod erat aridum & infrugiferum fecit vt absque terra, sine radice germinaret. Ac nunc quidem illa virga simul & illorum maliciam & dei iudicium declarat, non emittens quidem vocem, sed ipso aspectu quauis tuba clarius exhortans, ne quid talium facinorum in posterum aggredierentur. Nec hoc modo tantum, sed alio quodam argumeto deus declarauit eum sacerdotem. Etenim quum multi mota aduersus illum seditione, appeterent ipsius honorem (principatus enim res est, pro qua depugnari solet, eo quòd expetatur à multis) iussit vt illatis thuribulis, & imposito thymiamate, cœlitus expectarent sententiam. Atque illis adolentibus, terra dehiscens, omnes absorbit, & eos qui ipsis consenserant foculosque sumpserant, ignis è cœlo demissus exussit. Tum ne quod acciderat temporis progressu deletum oblivione iaceret, neue admirabilem hanc dei sententiam ignorarent posteris, præcepit Moses, vt thuribula sublatà applicarent ad altare, vt quemadmodum virga sine voce vocem emisit ipso conspectu, itidem & hæc per ora posterorum volitantia cunctis commemorarentur, admonitura consulturæque minoribus, ne maiorum amentiam imitarentur, ne quando simili pœna plecterentur. Ad hunc modum olim sacerdotes creabantur, nunc verò lusur meri sunt risusque, quæ fiunt apud Iudæos omnia, pudor & cauponatio, plena imensa impietatis. Hos igitur sequeris, dic mihi, qui pertinaciter solent semper tum facere, tum dicere omnia, quæ dei legibus aduersentur? ad horum synagogas accurris? nec metuis, ne fulminis impetus cœlitus emicans exurat caput tuum? An ignoras eos qui ipsi quidè non prædantur, sed tamen in prædonum spelūcis conspecti fuerint, easdem dare pœnas cum prædonibus? Quid autem loquor de prædonibus, profecto scitis omnes ac meministis, quòd apud nos scelerati quidam & impostores statuas principis demoliti sunt. Quid factum? Non illi tantum qui facinus ausi fuerant, sed quotquot simpliciter præsentis erant iis quæ gerebantur, quoniam videbantur illis assentiri, in iudicium abrepti, easdem cum illis pœnas dederunt. Tu verò vbi pater afficitur contumelia, vbi filius lacepsitur conuiciis, vbi spiritus sanctus contemnitur, eo stude accurrere? Age dic mihi, non metuis, non horre-

scis, quum te ipsum in loca prophana impuræque conuiciis: Dic mihi, quid habebis quod excuses, quam sperabis veniam, qui volens te ipsum in barathrum immitas, in præcipitium des? Neque enim mihi illud dixeris, quòd illic sita est lex, & prophetarum libri. Neque enim ista res locum reddit sanctum. Vtrum enim maius est, libros esse repositos in loco, an loqui ea quæ sunt in libris? Perspicuum est melius esse si ea quæ sunt in libris sones, habeatque in animo. Ergo responde mihi, quum diabolus recitaret ea quæ sunt in scripturis, num os illius sanctificatum est? Non potes dicere, sed permansit id quod erat diabolus. Quid autem demones? quum prædicarent ac dicerent: Isti homines serui dei altissimi sunt, annunciantes vobis viam salutis, an ideo illos in apostolorum ordinem referemus? Nequaquam, imò nihilo minus execramur illos, odimusque quàm antea. Ergo quum verba prolata non sanctificent, libri repositi sanctificant? Minime. Qua tandem ratione id consequitur? Imò hoc nomine odi synagogam, quòd legem habeat ac prophetas, & nunc etiam amplius odi, quàm si nihil istorum haberet. Quur ita tandem? Quoniam hinc habent escam variamque fraudis materiam, qua simpliciores alliciant. Quandoquidem & Paulus spiritum illum loquentem magis quàm tacentem infectatus est. Etenim molestia tædioque affectus, inquit spiritui. Exi ab illa. Qua de causa: Quoniam clamabat: Isti homines serui dei altissimi sunt. Tacentes enim non perinde decepissent simplices, loquentes autem multos simpliciores erant attracturi, persuasurique, quo nimirum & aliis in rebus sibi auscultarent. Siquidem vt ostium aperirent suis fraudibus, possentque in posterum mentiri confidentius, propterea vera quoque nonnulla commiscebant: non aliter quàm qui letifera miscent venena, os poculi melle circumlinentes, efficiunt vt facilius accipiatur malum. Hanc ob causam & Paulus potissimum afficiebatur molestia, festinabatque illis ocludere os, quòd sibi autoritatem vsurparent, nequaquam ipsis congruentem. Hanc ob causam & ipse Iudæos odi, quòd quum legem habeant, legem violant, & hoc modo simpliciores inescare conantur. Non perinde graue crimen admitterent, nisi quum credant prophetis, diffiderent Christo. Nunc verò sibi omnem veniam ademerunt, qui cum se iactent prophetis credere, contumeliis afficiunt eum quem illi prædixerunt. In summa, si credis illos esse sanctos, eo quòd illic lex & prophetarum libri repositi sunt, superest vt & idola & idolorum templa pro sanctis ducas. Quondam enim quum bellum teneret Iudæos, victores Azotei ceperunt arcam, inque suum templum intulerunt. An ideo sanctum erat illorum templum quòd haberet arcam? Nequaquam, sed prophanum, sed impurum: id protinus ipsis factis declaratum est, vt hostes intelligerent victoriam ipsis celsisse, non ob impotentiam dei, sed ob iniquitatem eorum à quibus colebatur, arca capta in aliena terra vim suam ostendit, idolo bis in solum deiecto, effecit vt etiam comminueretur. Tantum aberat vt locum sanctificaret, vt locum etiam expugnaret. Verum hic quamnam est arca penes Iudæos, vbi non est propiciatorium, non vinctio, non testamenti tabule, non sancta sanctorum, non velum, non summus sacerdos, non thymiamata, non holocaustum, non victima, non alia quæ tum arcam illis reddebant venerandam? Mihi quidem Iudæorum, quam nunc habent, arca nihilo melius habere videtur, iis quæ veniunt in foro, imò

foro, imò peius habet. Nam hæc nihil lædere possunt si quis adeat, illa vero quotidie multam noxam inferunt iis qui accesserint. Fratres ne sitis pueri sensibiles, sed malicia paruuli estote: eosque qui ad ista stupent, ab hoc intemptiuo certamine liberantes, erudite quid oporteat timere, reuererique non istam arcam, sed quòd concurrentes ad illam violant templum dei, per conscientiam ad Iudaismum propensam, per intemptiuam istam obseruationem. Quotquot, inquit, in lege iustificamini, à gratia excidistis. Hoc oportet timere, ne in die illo audiat ab eo qui vos iudicaturus est: Discedite, nō noui vos: communicastis enim cum his qui me crucifixerunt, ad Iudæorum qui impiè agebant in me, ac legem violabant, synagogas concurristis. Atqui ego quidem templum illorum subuertere, & in rudera acruum verti templum illud venerabile, templum res verendas & horrendas continens. Vos autem habitacula negotiationum nihilo meliora speluncis latronum colitis. Etenim si tunc cum esset Cherubin, cum arca, cum adhuc spiritus floret gratia, dixit: Fecistis illud spelūcam latronum, aut vt refert Ioannes, domum negotiationis, propter iniquitates ac cædes illorum: Nunc postquam illos spiritus deseruit gratia, cunctaque illa magna sublatà sunt, etiā cum deo pugnantem impiam istam religionem celebrat, quid addere possit aliquis, vt nominatis synagogis reperiat illis dignam impietatem? Etenim si iam tum erat spelunca latronum, cum statum suum obtineret: nunc etiam si lupanar, si transgressionis locum, si diaboli spelūcam, si animarum exitium dixeris, si totius perditionis præcipitium ac barathrum, denique quicquid addideris, minus quàm pro rei dignitate dixeris. Templum cupis videre, ne curras ad synagogam, sed ipse fias templum. Vnicum templum diruit deus Hierosolymis, & innumerabilia erexit illo longe venerabiliora. Vos, inquit, templum estis dei viuētis. Hanc domum exorna, omnem exige cogitationem malam, vt fias preciosum membrum Christi, vt fias templum, deinde & alios redde tales. Et quemadmodum cum vides pauperes nō facile prætercurris: ita cum videris aliquem ad synagogam currentem, ne dissimules, sed oratione ceu fratre quodam cohibitum reducas ad Ecclesiam. Hæc est maior eleemosyna quàm illa, imò maior quàm decem milia talentorum, quàm hic mundus vniuersus, quantus quantus vndique patet oculis. Siquidem homo est toto mundo precior: huius enim causa & cœlum, & terra, & mare, condita sunt & sol & stellæ. Perpende igitur quanta sit dignitas eius cuius saluti consulitur, & ne contempseris illius curam. Nam etiam si pecuniæ vim immensam dinumerarit aliquis, nihil simile præstiterit ei quod præstat is qui seruat animam, & abducens ab errore ad pietatem manu reducit. Qui dederit pauperi, famam soluit: qui Iudaizatem correxerit, impietatem extinxit. Ille paupertati solatium adhibuit, hic iniquitatem inhibuit: ille corpus liberavit à dolore, hic animam eripuit à gehenna. Ostendi thesaurum, ne deseratis lucrū. Non est quod hic paupertatem causemini, nō est quod mendicitatem prætexatis: verba tantum insumenda sunt, sermonis modo fit impendium. Ne pigritemur igitur, sed omni studio venemur fratres nostros, eisque vel inuitis in domum nostram pertractis prandium apponamus, ad mensam communionem illos asciscamus hodie, vt vbi nostro in conspectu ieiunium soluerint, satisque declarauerint, fidemque plenam fecerint, quod in melius correcti sint, & sibi ipsis & nobis eterna bona conciliet, gratia ac bonitate domini nostri Iesu Christi, qui cum

A & per quem patri vnà cum spiritu sancto gloria, imperium, honor, & adoratio in æuum.

EIVSDEM ADVERSVS IVDÆOS,

Oratio quarta.

Vtrum vos pugna huius cum Iudæis suscepta fatietas cepit, an vultis vt rursus hodie quoque materiam eandem tractemus: Quamquam enim multa sunt iam dicta, attamen arbitror vos sic affectos, vt cupiatis iisdem de rebus iterum audire. Etenim qui nō satiatur amore erga Iesum, is nec vnquam satiabitur pugna aduersus eos suscepta, qui Iesum oderunt. Super hæc, & alioqui nobis hic sermo necessarius est. Super sunt enim adhuc festorum Iudæorum reliquæ. Sed quemadmodum illorum tubæ multo sceleratiorum erant iis qui sonant in theatris, & ieiunia quavis ebrietate & comestatione erant improbiora: ita & tabernacula quæ nunc apud illos figuntur, nihilo sunt honestiora diuerforis, in quibus scorta versantur ac tibicina. Ne quis autem orationis huius audaciam reprehendat. Nam ausus est extremus summaque impietas secus de illis opinari. Cum enim aduersus deum cõtendant, ac spiritui sancto resistent: cur non de illis seramus sententiam? Erat olim hoc festum venerabile cum iuxta legem fieret, deique iussu. Nunc autem non amplius, eo quòd tota illius dignitas sublata est, eo quòd contra dei mentem celebratur. Quicquid maxime violant legem præcæque festa, ij maxime omnium sunt qui nunc videntur ea celebrare. At cõtã, nos sumus qui maxime legem veneramus, qui eam velut hominem senio defectum quiescere finimus, nec in caueas hominibus differas protrahimus posteaquam incanuit, neque præter ætatem certare cõpelimus. Nunc enim nec esse legis tempus, neque vetustæ religionis, satis antè demonstrauimus. Age igitur, quod superest hodie persoluamus. Satis quidè erat ex prophetis omnibus demonstrasse, quòd nunc extra Hierosolymam tale quippiam facere, transgressio legis sit & impietas. Nam si verum esset quod isti semper vbiq; iactantes prædicant, futurum vt ciuitatem denuo recipiant, ne sic quidem possent à violatæ legis crimine liberari: attamen nos ex abundantia hoc quoque demonstrabimus, quòd nec ciuitas sit instauranda, neque præscum reipublicæ statum sint recepturi. Hoc autè demonstrato, reliqua omnia in confesso sunt, videlicet quòd neque sacrificiorum ritus, neque holocaustorum: neque legis vis, nec alia pars vlla status illius consistere poterit. Primum enim præcepit lex, vt ter in anno omne masculinū ascenderet in templum, cæterum deiecto templo hoc fieri nequaquam poterat. Rursus præceperat, vt qui profluvio feminis laboraret, qui lepra contaminatus esset, quæ menstruo fluxu teneretur, quæ peperisset, offerret sacrificia. Atqui nec hoc fieri potest, cum desit locus, nec extet altare. Iussit cani sacros hymnos, & hoc antè declarauimus tum ipso loco veterari, tum à prophetis dånari accusantibus illos ac dicentibus, quòd foris legerent legem, & appellarent cõfessionem. Cum igitur ne legere quidem fas fuerit extra ciuitatem, quo modo legem seruare potuerunt extra ciuitatem? Hanc ob causam & minitans illis dicit, Non visitabo filias vestras, cum stuprum aduiserint, neque nurus vestras, cum mœchata fuerint. Quid autem hoc est? Recitata veteri lege conabor vobis reddere dilucidum. Quæ igitur illa lex? Si mulier præuaricata fuerit à viro suo, eumque negligens despexerit, dormieritque aliquis cum illa coitu feminis, & latuerit oculos viri, nec testis fuerit aduersus illam, nec fuerit deprehensa: ac super ipsum

quidem spiritus zelotypia, cæterum ipsa non fuerit cõtaminata. Sensus horum verborũ hic est: Si mulier, inquit, mœchata fuerit, & vir habeat illam adulterij suspectam, ille quidem suspicabitur. Et si non fuerit testis, nec verus coarguens, ducet, inquit, illam ad sacerdotem, & offeret donũ illius, ordeaceam farinam. Cur ita eadem nõ siligineam, nõ triticeã farinã, sed ordeaceã? quoniã id quod gerebatur luctus erat, & inculatio suspiciõq; forma sacrificij domesticam calamitatem imitabatur, eõq; dicit: Non effundes super illã oleum, neq; impones illi thus. (nam contrahendus est sermo.) Adducet illam sacerdos, sumetq; puram aquam in vase fictili, & sumet de terra quæ est in pavimento, sumptamq; coniciet in aquam, statuetq; mulierem, & adiurabit illã & dicit: Si non es transgressa, nec polluta viro tuo, salua esto ab aqua redargutionis. Quod si transgressa es ac polluta, & aliquis tecum concubuit, det dominus te in execrationem, ac detestationem in medio populi. Quid est, in execrationem, ac detestationem? Vt dicant, ne mihi accidat quod accidit illi mulieri. Vt reddat dominus vterum tuum inflatũ, & ingrediatur aqua execrata, inflatq; ventrem tuum, & dicit mulier, fiat, fiat. Et erit si fuerit polluta, ingrediatur aqua redargutionis, & inflabit venter illius, & erit mulier execrabilis. Quod si non fuerit polluta mulier, erit innocua, & profeminabit semen. Ergo postquam in captiuitatẽ abducti sunt, neq; quicquã horum fieri potest, cum nec tabernaculum habeat: nec offerantur hostiæ, dominus cõminans dixit: Nõ visitabo filias vestras, cum stuprũ admiserint: nec nurus vestras, cum mœchata fuerint. Vides legẽ a loco vim habere? Ex hoc perspicuum est ne sacerdotium quidem esse posse, cum desit ciuitas. Quemadmodũ enim fieri nõ potest, vt imperator sit, si nõ sit exercitus aut diadema, non purpura, non alia quæ regnum commendant, cõprobantq;: ita nec sacrificus esse potest sublata hostia, vetita oblatione, sanctis conculcatis, toto rerum statu abolito. Nam his rebus omnibus constabat sacerdotiũ. Sufficiebat igitur nobis ad probationem quemadmodum dicere cõperamus, quod neq; sacrificia, neq; holocaustomata, neq; reliquæ purificationes, neque præterea quicquam obseruationis Iudaicæ rediturum sit. Supererat, vt demonstraretur, nunquam fore vt templum instaretur. Nam quemadmodum omnia sunt abrogata, si non sit templum, & si quid videatur fieri, facinus est aduersus legem cõmissum: Ita posteaquam ratio demonstrauit nunquam fore vt templum redeat ad pristinum statum, eadem opera & illud demonstratum est, quod neq; ceteri ritus & cultus ad pristinum statum sint redituri: Non sacerdos erit quispiã, non rex. Etenim si non erat permissum vti quis ex ipsorum cognatione quamuis plebeius, seruiret alienigenis: multo magis fas non erat ipsum regem alienigenis subiici. Verum quoniam hic contendimus conamurq; nõ tantum, vt illis obturemus os, verumetiam vt vestram charitatem erudiamus: age hoc ipsum aliunde demonstrabimus, videlicet quod illis & sacrificiorum & sacerdotij finis sit, adeo vt nunquam amplius ad pristinam consuetudinem hæc sint reditura. Quis igitur hæc dicit? Admirandus ille ac magnus propheta David: declarans enim quod omne sacrificiorum genus esset eiiciendum, & aliud inducendum, loquitur hunc in modum: Multa fecisti tu domine deus meus mirabilia tua, & cogitationibus tuis non est qui similis sit tui. Annunciaui & locutus sum. Vides Prophetæ sapiẽtiam: vbi dixisset, multa fecisti tu domine deus meus mirabilia tua, stupefactus admiratione di-

Psal. 39.

uini opificij, nihil dicit de conditione rerum nobis cõspicuarũ, cœli, terræ, maris, & aquæ, & ignis, non de stupendis illis prodigijs, quæ acciderunt in Aegypto, non de ceteris huiusmodi oraculis. Sed quæ dicit esse miracula? Sacrificium & oblationẽ noluit. Quid obsecro dicit? An istud stupẽdum est ac mirandum? Nequaquã, inquam: nõ enim hoc solum vidit, sed cœlitus edocuitus prospiciebat oculis propheticis futurũ vt gentes adducerentur: & quo modo qui prius erãt addicti dijs, colebantq; lapides, miseros ipsi brutis, repente visum reciperent, omniumq; dominum agnoscerent, ac relicta impura demonum cultura, purẽ citraq; sanguinem deũ colerent: simulq; intelligens quod nõ illæ solum, sed & Iudæi infirmiores relicta hostiarum, holocaustomatũ, aliorumque corporalium rituum obseruatione, ad nostram & ipsi philosophiam adducerentur, simulq; reputãt ineffabilem dei erga genus humanum charitatem, quæ superat omnem intellectum, & attonitus admiratione tantæ mutationis futuræ, & quã mirabiliter ista deus in alium ordinem trãslaturus esset, & homines ex demonibus facturum angelos: ac vitẽ genus inducturum cœlis dignum. Tum quod hæc omnia essent futura veteri sacrificio abolito, & altero in illius locum inducto per corpus Christi: quod sacrificium admiratus ac stupefactus dicebat: Multa tu fecisti deus meus mirabilia tua, & ex persona Christi totũ hoc vaticinium edit. Sane cum dixisset: Sacrificium & oblationẽ noluit, subiicit: Corpus autem adaptaſti mihi. De corpore loquẽs dominico, communi pro toto orbe sacrificio, quo nostras purificauit animas, peccata dissoluit, mortẽ extinxit, cœlos aperuit, multasq; ac magnas spes nobis ostendit, ceteraq; preparauit omnia: quæ quidem & Paulus videns exclamauit, dicens: O altitudo diuitiarũ, sapientiæ & scientiæ dei, quã imperſcrutabilia sunt iudicia eius, & imperuestigabiles vię ei. Hęc igitur omnia prospiciens dicebat: Multa tu fecisti domine deus meus mirabilia tua. Deinde cum ex persona Christi dixisset, Holocaustomata & pro peccato non probasti, subiunxit, Tunc dixi, ecce adsum: quoniam perfectioris doctrinæ tempus est. Nam imperfectiora per seruos erant docenda, sublimiora vero & humanam superantia naturam per ipsum legis authorem, ideo & Paulus dicebat: Multifariẽ multisq; modis deus locutus patribus nostris per prophetas, extremis hisce diebus locutus est nobis per filium, quem constituit hæredem omnium. Ac rursus Ioannes: Lex per Moſem data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Itaque hæc summa legis laus est, quod ea naturam humanam illi doctõri preparauit. Deinde ne putares hunc esse recentem deum, aut aliquid nuper inuẽtum adferre, audi quid dicit: In capite libri scriptum est de me. Iam olim meum aduentum prædixerunt Propheta, & in initio librorum meę diuinitatis cognitionem obiter hominibus aperuerunt. Itaque cum deus dicit in initio conditi mundi: Faciamus hominem ad similitudinẽ nostram, recte nobis filij diuinitatem aperit ad quem loquitur. Post hæc declarãt, quod hæc vitæ ratio non est priori contraria, sed hoc quoq; voluisse deum, vt illo sacrificio antiquato in eius locum hoc induceretur (Nam erat correctionis vehementia, non contrarietas aut pugna) vbi dixisset: In capite libri scriptum est de me, subiicit: Vt facerem voluntatem tuam deus, volui, & legem tuam in medio venteris mei: post exponẽs quæ tandem esset voluntas dei, prætermiſſa mentione hostiarum, holocaustomatũ, oblationum, laborum, ac sudorum, ait, Annunciaui iusticiam in Ecclesia

Ibidem.

Rom. 11.

Hebr. 1.

Ioa. 1.

Psal. 39.

Gen. 1.

Hebr. 10.

in Ecclesia magna. Quid hoc est, annunciaui iusticiã in Ecclesia magna? Non dixit, dedi: sed, annunciaui. Quid tandem igitur: non ex benefactis, nec laboribus, nec pefatione, sed ex sola gratia iustificauit genus nostrum. Quod & Paulus declarans dicit: Nũc autem absq; lege iusticia dei manifestata est, iusticia autem dei per fidem Iesu Christi, non per vllum sudorem aut laborẽ. Et hoc assumpto testimonio hunc in modum loquitur: Vmbrã enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam rerũ imaginem, singulis annis iisdẽ hostijs quas semper offerunt, nunquam potest accedẽtes perfectos reddere. Eõque ingrediens mundum dicit: Sacrificium & oblationem noluit, corpus autem adaptaſti mihi: significans ingressum vnigeniti in mundum per carnis dispensationem. Sic enim ad nos venit, non locum loco cõmutans (qui nanq; cõueniat hoc in eum, qui est vbiq; quiq; cuncta cõplet) sed per carnem nobis factus cõspiciuus. Cæterum quoniam non solum aduersus Iudæos est nobis pugna, verumetiam aduersus gentes, ac multos hæreticos: age profundiorẽ sensum quendam hic vobis aperiamus, quarãmusq; quid tandem sibi velit, quod cũ Paulus innumerabilia haberet testimonia, quæ docerẽt cessare legem veterẽsq; ritus, huius meminit: neq; enim simpliciter, neq; fortuito id fecit, sed ratione ac sapientia quadam ineffabili. Quod enim alia quoq; habuerit testimonia, tum maiora, tum vehementiora si voluisset adducere, omnes cõfitebuntur. Esaias enim ait: Non est mihi volũtas in vobis, plenus sum holocaustomatibus arietum, & adipem agnorum & sanguinem taurorum & hircorum nolo, neq; si veneritis in conspectũ meum. Quis enim exquisiuit hæc de manibus vestris? Si obtuleritis similaginem frustra facietis. Incẽsum abominatio mihi est. Et alibi rursus: Non nunc aduocaui te Iacob, neque molestiam tibi exhibui Israẽl, nõ glorificasti me sacrificijs, neque seruisti mihi in donis, neq; tibi molestus fui in thure, neque parasti mihi argento suffitũ. Hieremias autem: Ad quid mihi thus & Saba offeras, & cinnamomum e terra longinqua? Holocaustomata vestra non delectarunt me. Ac rursus: Holocaustomata vestra cum sacrificijs vestris, & comeditis carnes. Et alius insuper Prophetarum sic ait: Aufer a me strepitum cãtionum tuarum, & canticum organorum tuorum non audiam. Rursus alibi, cum Iudæi dicerẽt: An accipiet dominus in holocaustomatibus, si dederõ primogenita mea pro impietate mea, fructum venteris mei pro peccato animę. Propheta increpans illos dicebat: Annuncia-bo tibi homo quid sit bonũ, & quid dominus deus querat abs te, vt diligas misericordiã, & facias iudicium & iusticiam, vt paratus sis ambulare post dominum deum tuum. David quoq; sic dicebat: Nõ accipiam de domo tua vitulos, neq; de gregibus tuis hircos. Quã igitur obrem cum tot posset adferre testimonia, per quæ deus videtur illa sacrificia reicere, neomenias, sabbata, dies festos, omnib; illis omiſſis huius vnus meminit: Nõ simpliciter id factũ, neq; fortuito: sed iam causam dicẽt. Multi infideles, & ex Iudæis ipsis pugnantes aduersus nos, dicunt veterem religionem antiquatam esse, non quod ipsa esset imperfecta, neque quod inducta sit maior, nostra videlicet religio, sed propter improbitatem eorum, qui tunc offerebant sacrificia. Esaias itaq; dicit: Si extenderitis manus vestras, auertam oculos meos a vobis: si multiplicaueritis obsecrationem, non exaudia vos. Mox causam addẽs prosequitur: Manus vestræ sanguine plenæ. Hoc autem non est sacrificia accusare, sed offerentium iniquitatem criminari. Et ideo nõ accepta

Hebr. 10.

Psal. 49.

Esai. 1.

Tomus quintus.

habuit sacrificia, quod ea manibus impuris offerrent. Rursus cum David dixisset: Non accipiam de domo tua vitulos, neq; de gregibus tuis hircos, adiecit dicens: Peccatori autem dixit deus, Quare tu enarras iusticias meas, & assumis testamentum meum per os tuũ? Tu autem odisti disciplinam, & abiecasti sermones meos post tergum tuum: si videbas furem, currebas cũ eo, & cum adultero ponebas portionem tuam, os tuum abudauit malicia, & lingua tua contexebat dolos: sedes aduersus fratrem tuum obrectabas, & aduersus filiũ matris tuæ ponebas offendiculum. Vnde perspicuum est, quod hic ob has etiam causas reiecerit sacrificia, quoniã furabantur, quoniam fratribus insidiabantur. Sed cũ vnusquisque Prophetarum, inquit, accuset offerentes, fatetur omnes deum has ob causas aspernatum fuisse nostra sacrificia. Sed Paulus illis plagã satis magnam infixit, & abunde illorum impudentiã filitium imposuit hoc testimonio. Cum enim vellet ostendere, quod ipsam Iudæorum religionem, vt imperfectissimam reieciſſet, irritamq; fecisset: hoc assumpsit testimonium, in quo accusatio offerentiũ nulla est, sed ipsius religionis imperfectio nuda per se declaratur. Propheta enim nulla in re accusans Iudæos, simpliciter sic loquitur: Sacrificium & oblationem noluit, corpus autẽ adaptaſti mihi, holocaustomata & pro peccato non probasti. Idq; exponens Paulus ait: Tollit prius, vt posterius statuatur. Nam posteaquã dixit, sacrificium & oblationẽ noluit, deinde addidit, corpus autẽ adaptaſti mihi: quoniã ostẽdit aliud inductum sacrificium, nullam præterea spem dedit futurũ, vt illud restitueretur. Et hoc ipsum interpretans Paulus dixit: Per oblationem hanc sanctificati in voluntate Christi. Si enim sanguis taurorum & hircorum, & cinis vitulæ asperſus inquinatos sanctificat ad carnis emundationem: quãto magis sanguis Iesu Christi, qui per spiritum aternũ obtulit semetipsum immaculatum, emundabit cõscientiam vestram ab operibus mortuis? Itaque quod illud sacrificium antiquatum est, & aliud in eius locum inductum, quodq; posthac illud non sit restituendum: satis ex his demonstratum est. Age, iam superest, vt quod dudum conati sumus demonstrare, illius sacerdotij ritus posthac non exorturos, neque denuo redituros, euidenter hoc palamq; e scripturis ipsis dilucidum faciamus, pauca prius vobis præfati, quod fiat euidentior eorum quæ dicentur enarratio. Abraham reuersus e Perside genuit Isaac, Isaac deinde Iacob, Iacob duodecim patriarchas, ex quib; profectũ sunt duodecim tribus, magis autem tredecim: quandoquidẽ loco Ioseph duo ipsius filij Ephraim & Manasse extiterũt tribuum principes, & quẽadmodum vniciq; filiorum Iacob, tribus cognomine respondebat, Ruben, Simeõ, Leui, Iuda, Nephthalim, Gad, Aser, Benjamin: sic sub Ioseph duo illius filij cognomen indebãt tribubus, & appellabantur, altera quidem Ephraim, altera vero Manasse. Harum itaque tredecim, cætera quidem omnes agros habebant ac prouentus multos, & agricolabantur omnes, reliquãq; omnia exercebant ad victum pertinentia. Cæterum tribus Leui sola honorata sacerdotio a negocijs ad victum pertinentibus liberata erat, neque colebant agros, neque tractabant opificia, neq; præterea quicquam huius generis exercebãt, sed soli sacerdotio vacabant, ac decimas accipiebant a toto populo frumenti, tũ hordei. Ex his enim rebus illis portionem dabant omnes, & hic erat illis prouentus. Nec fas erat ex villa alia tribu sacerdotem vnquam fieri. Ex hac enim tribu factus est Aaron, nimirum de tribu Leui, ac

H ij per

per successionem illius posteri sacerdoti accipiebant, A neque quisquam vnquam ex alia tribu creatus est. Hi itaque Leuita decimas ab illis accipiebant, & sic alebatur. Sed ante Iacob, sub Isaac, sub Abraham cum nondum esset Moyses, nondum scripta lex, nondum Leuiticum sacerdotium esset proditum, non tabernaculum, non templum esset, non tribus discretæ, nō Hierusalem extaret, cum nullus omnino in Iudæos rerum principatum occupasset, fuit quidam Melchisedech, rex idem & sacerdos: typus enim futurus erat Christi, cuius & scriptura manifeste meminit. Cum enim Abraham irruptione facta in Persas, ac fratris filio Loth ex illorum manibus erepto, omnibus spoliis direptis rediret, hostibus virtute deuictis, hūc in modū de Melchisedech loquitur scriptura: Et Melchisedech rex Salem obtulit panem ac vinū: erat enim sacerdos dei altissimi, & benedixit Abraham, dixitque: Benedictus es Abraham deo altissimo, qui condidit cælum & terrā, & benedictus deus altissimus, qui tradidit inimicos tuos sub manus tuas. Et dedit illis decimas ex omnibus Abraham. Si quis igitur Prophetarū extitit qui dicat, quod post Abraham postque sacerdotiū illud, & hæc sacrificia atque oblationes exoriturus esset sacerdos alius, non ex illa tribu, sed ex alia, ex qua nunquam creatus est sacerdos, non secundum ordinē Melchisedech: manifestum est quod vetus sacerdotium cessauit, aliud autem nouum in illius locum inductum est. Nam si futurū erat vt vetus illud obtineret, non secundum ordinem Melchisedech, sed secundum ordinem Aaron, oportuit hoc explicare. Quis igitur hoc dicit? Hic ipse qui de sacrificiis locutus, de Christo differens hoc quoque alicubi dicit: Dixit dominus domino meo, sede a dextris meis. Deinde ne quis de vulgariū hominum aliquo suspicaretur illud esse dictum, nō dicit hoc Esaias, neque Hieremias, neque quisquam alius propheta priuata conditionis, sed ipse rex: vt intelligeres quod non possit hominem appellare suum dominum, sed deū solum. Nam si priuatus fuisset, fortassis aliquis improborū dixisset illum de homine loqui. Quo modo enim si de quopiam hominum hæc locutus fuisset Dauid, dixisset quod homo a dextris confedisset ineffabilis ac summæ illius maiestatis. Hoc enī impossibile. De hoc vero ait: Dixit dominus domino deo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Deinde ne putares eum imbecillum esse minusque potētem: Tecum, inquit, principatus est in diebus potentia tua. Manifestum etiam declarās addidit: Ex vero ante luciferum genui te. Ante luciferum nullus hominū fuit genitus. Tu sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Non dixit secundum ordinem Aaron. Proinde percontare Iudæum, si sacerdotium vetus nō est antiquādum, quam ob causam induxit alium sacerdotem secundum ordinē Melchisedech, & non secundum ordinem Aaron. Per hoc igitur ipsum rem euidentiore reddidit. Cum enim dixisset de Christo, quem admodum & alibi loquitur: Tu sacerdos in æternū secundum ordinem Melchisedech, subiūxit, de quo multus nobis sermo & enarratu difficilis. Deinde cū increpasset discipulos, (dicendum est enim breuiter) ait: Quis est ille Melchisedech? & adducit historiam quæ loquitur hoc modo: Hic occurrit Abraham reuertenti a cōcissione regum, benedixitque illi, cui & decimas impartitus est Abraham. Post aperiens considerationē figuræ: Cōtemplamini autem quātus sit iste, inquit. Hoc autem nō simpliciter dixit, sed ostendere cupiens, quod maius sit sacerdotium nostrum quā Iudæorum, atque in ipsis ty-

pis præueniens rerū excellentia declaratur. Nam Abraham Isaac erat pater, auus Iacob, proauus Leui, siquidē Iacobi filius erat Leui. Ex Leui sacerdotiū apud Iudæos sumpsit originem. Verum hic Abraham progenitor Leuitarum ac Iudæorum sacerdotū, sub Melchisedech, qui typum gerebat nostri sacerdotij, laici locum obtinuit, idque duplici modo declarauit. Primum quod illi dederit decimas. Nam laici sacerdotibus dabant decimas. Deinde quod benedictionem acceperit ab eo. Et enim laici a sacerdotibus benedictionē accipiunt. Rursum considera quanta sit excellentia nostratis sacerdotij, quando quidem Abraham patriarcha Iudæorū, progenitor Leuitarum comperitur benedictionē accipere a Melchisedech, illique dare decimas. Nam horum vtrūque narrat vetus testamentum, & quod Melchisedech benedixerit Abraham, & quod decimas ab eo acceperit. His igitur in medium adductis Paulus dicebat: Considerate quantus est iste. Quis Melchisedech, inquit, cui etiā decimas Abraham ex præcipuis dedit, ipsorum patriarcha. Et quidem hi qui sunt ex filiis Leui, sacerdotiū accipientes, mandatum habent, vt decimas accipiant a populo, hoc est a fratribus suis, quāquam egressi e lumbis Abraham. Quod autem dicit tale est: Leuita, inquit, qui apud Iudæos sunt sacerdotes, mandatum acceperunt, iuxta legem, vt decimas acciperent ab aliis Iudæis, attamen omnes Leuitæ progeniti sunt ex Abraham, quæ admodū & reliquis populis, nihilominus decimas accipiunt a fratribus suis. Melchisedech vero qui nō dicitur originē ab illis, neque enim ex Abraham progenitus erat, neque ex tribu Leuitica, sed ex alio genere: decimauit Abraham, hoc est, decimas accepit ab Abraham: nec id solum, verum & aliud quiddam fecit. Quid autem hoc: quod eisdem, qui promissiones habebat, videlicet Abrahamo, benedixerit. Et quid hoc inquis, significat? quod hoc sacerdotium illo multo sit inferius. Quo modo? Citra omnem controuersiam quod minus est a maiore benedictionem accipit. Itaque nisi Abraham progenitor Leuitarum fuisset inferior Melchisedech, nequaquam ille huic benedixisset, neque hic illi decimas dedit. Deinde volens ostendere quod per Melchisedech aduenerit hoc sacerdotium, subiicit dicens: Et, vt ita loquar, hoc est, propemodum, per Abraham etiam ipse Leui qui decimas accipiet decimatus est. Quid est, decimatus est? Decimas dedit Melchisedech & ipse Leui, qui nō dum erat genitus per patrē ipsius, inquit. Adhuc enim in lumbis patris erat cum occurreret Abraham Melchisedech. Nā ideo hoc occupans dixit. Cuius igitur causa hæc dicebat? Subiicit dicens: Si cōsummatio igitur erat per Leuiticum sacerdotium, populus enim sub illo legē accepit, quid opus erat deinde secundum ordinem Melchisedech exoriri alium sacerdotem, qui nō dicitur iuxta ordinem Aaron? Quid autem est quod dicit: Si res, inquit, erant perfectæ quæ gerebantur apud Iudæos, neque lex erat vmbra futurorum bonorum, sed ipsa totū efficiebat, nec futurum erat vt cuiquam alteri concederet, neque vt sacerdotiū prius cessaret, qua de causa Propheta dixit: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech: dicendum enim erat, secundum ordinem Aaron. Et idcirco ait: Si cōsummatio per Leuiticū sacerdotium erat, quid deinde opus erat secundum ordinem Melchisedech exoriri sacerdotem alium, qui non diceretur secundum ordinem Aaron? Ex hoc enim liquet, quod illud finem acceperit, aliud in illius locū inductum sit multo melius ac sublimius. Hoc autē euidentis, simul & illud in confesso est, quod alius etiam vitæ status sacer-

tus sacerdotio congruens, simul inducendus esset, neque non legissatio melior, nimirum nostra. Quod sanē demonstrans Paulus dicebat: Translato enim sacerdotio, necessario fit & legis trāslatio. Quoniam autem pleraque legalia circa sacerdotij ministerium consistebant, prius autem sacerdotium profigatum est, nimirum alio in illius vicē inducto, legationem etiam meliorem in illius locū induci oportuit. Post hæc declarās de quo hæc dicat, ait: De quo enī dicitur hæc, alterius tribus particeps fuit, ex qua nullus vacabat altari. Manifestū est enim quod ex Iuda exortus est dominus noster, in quam tribum nihil de sacerdotio Moses locutus est. Cum igitur clarum sit Christum ex illa esse tribu, nimirum ex Iuda, & sacerdotem iuxta ordinem Melchisedech, porro Melchisedech esse multo honorabiliorem Abrahamo, nimirum & illud vndique constat, quod etiam aliud pro alio inducitur sacerdotium, multo quā prius fuerat sublimius. Nā si typus talis, etiam Iudaico sacerdotio splendidius erat, multo magis ipsa veritas: quod tractans idem Apostolus, dixit: Amplius adhuc manifestum est, si secundum similitudinem Melchisedech exoritur alius rex, qui nō sit iuxta legem præcepti carnalis, sed iuxta virtutem vitæ incorruptibilis, quod nullum illius præceptum erat carnale. Non enim oues macrare neque vitulos iussit, sed virtutem animi curare, & hoc pacto deum colere, & horum præmia vitam nobis designauit, quæ nunquam corrupitur. Ac rursus mortuos nos sub peccatis veniens suscitauit, & in vitam reduxit destructa duplici morte, altera peccati, altera carnis. Quoniam igitur venit, propter hoc dicit: Non iuxta legem præcepti, sed iuxta virtutem vitæ incorruptibilis. Iam igitur & illud quod restabat demonstratum est, quod translato sacerdotio, legis quoque translationē fieri conueniebat. Attamen & hoc ipsum expresse licebat demonstrare, prophetasque testes rursus adducere, quod & lex esset transferenda, quod reipublicæ status in melius transmūdus, & quod nunquam rex aliquis Iudæus exoriturus sit. Verum quoniam tantum est dicendum, quātum auditor possit capere, nec omnia simul, nec acruatim, illis in aliud tempus dispensatis: hic sermonem finiemus, exhortātes vestram charitatem, meminertis eorum quæ dicta sunt, & hæc illis quæ prius dicta sunt, annectatis: quodque prius rogauimus idem & nunc rogamus, vt fratres vestros reducat ad salutem, multam sollicitudinē habeatis pro membris neglectis. Propter hoc enim nos tantum laborum suscipimus, non vt vulgari more loquamur, neque vt plausum strepitumque feramus: sed vt auulsos ad viam veritatis reducamus. Ac ne quis mihi dicat, nihil mihi cū eo est negocij, vtinā contingat mihi mea ipsius negocia recte gerere. Nemo suū ipsius negocium recte gerere potest, neglecta proximi salute, propter hoc & Paulus ait: Nemo quod suum est querat, sed quisque quod alterius: sciens quod sua cuiusque vtilitas in proximi vtilitate sita est. Sanus es tu, sed oculus tuus infirmatur: hoc est, est agrotus. Itaque si vere sollicitus fueris pro agrotante, magis dolebis, & imitaberis in hoc quoque beatum illum qui dicit: Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis offenditur, & ego nō vrōr? Etenim si cum duos obolos dederimus, paulumque pecuniæ insumpserimus in pauperes, gaudemus: si poterimus arimas seruare, quāto maiorem voluptatis fructum capiemus? quantum autem in futuro seculo recipiemus gaudium? Nam ibi quoque quoties conueniemus, multam capiemus voluptatem ex congressu, reminiscētes officiorum, quæ vicissim alij in alios præstitimus. Deinde cum

1. Cor. 10.

2. Cor. 11.

illos conspexerimus ad tribunal illud metuendum, multa fiducia participes erimus: & quemadmodum qui iniuria afficiunt, qui vsurpant aliena, qui rapiunt, qui mala innumera proximis inferunt, cum illuc venerint, eosque viderint qui hæc passi sunt, (videbunt enim, videbunt inquam, omnino, id quod perspicuum est & diuite illo & Lazaro) neque os aperire poterunt, neque habebunt quod dicant aut excusent, sed multo pudore magnaque condemnatione repleti ex illorum aspectu, ad ignea flumina adducentur. Item qui bene viuunt, qui docent, qui instituunt, vbi viderint eos quos seruauerunt, illic patrocinantes ipsis, multa fiducia replebuntur. Et hoc Paulus declarās dixit: Gloria vestra sumus, quæ admodum & vos nostra. Quando hoc? In die domini nostri Iesu Christi. Ac rursus Christus exhortatur, dicens: Facite vobis amicos ex mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, accipiant vos in æterna sua tabernacula. Vides quod multa fiducia nobis contingit ab his, quos hic nostro beneficio iuuerimus. Quod si vbi pecunia duntaxat infumitur, tot sunt coronæ, tanta merces, tanta remuneratio: vbi iuuatur anima, quæ fieri potest vt non multa magnaque nobis cōtingant bona? Etenim si Tabitha illa quæ viduas vestiebat, quæ paupertati subueniebat, a morte in vitam reuocata est, & lachrymæ eorum qui beneficiis affecti fuerant, animam in corpus reduxerunt, cum nondum venisset resurrectio: quid facient hominum lachrymæ per te seruatorum? Quem admodum enim hanc circumstantes viduæ viuam ex mortua reddiderunt, sic & te tunc circumstantes qui nunc per te seruati fuerint, efficiēt, vt multam experiantur humanitatem, & ex incendio gehennæ eripiant. Hæc igitur scientes non ad præsentem horam tantum feruidi simus & vigilantes, sed ignem quem habetis nunc, excitate egressi foras, iustrantesque curate salutem ciuitatis. Quod si ignoretis, disquirite vbi sint qui his malis ægrotant. Sic enim & nos vobis promptius lubentiusque loquemur, ipsis factis cognoscentes quod non in petram semen iacimus, & vos ipsi circa virtutis exercitationem eritis alacriores. Quæ admodum in pecuniis, qui duos lucratus est aureos, proclius est ad decem, ad viginti colligendos congregandosque. Sic vsu venit & in virtute, qui fecerit bonum opus, officiumve præstiterit, extimulationem aliquā aut exhortationem ad agendum sumit, vt alia quoque benefacta aggrediatur. Vt igitur & fratres seruemus, & nobis veniam pro peccatis, imò potius multam fiduciam reponamus, denique curemus & illud, vt a cæteris omnibus nomen dei glorificetur, cum vxoribus, liberis, & famulis ad hunc venatū & indaginē egressi, extrahamus e diaboli laqueis captos ab illo iuxta ipsius voluntatem: nec prius desistamus, quicquid per nos præstari poterit, præstiterimus, siue pareant, siue non pareant. Quin potius impossibile est, vt Christiani cum sint, non pareant: sed ne vel hanc excusationem habeatis illud dico. Si postquā multa verba exhauseris, & quicquid per te præstari poterit, expleueris: videris illum, non obtemperare, adducito ad sacerdotes, & omnes per dei gratiam potentur venatu, totumque tuum erit, qui illum adduxeris. Expediit vt hæc & vxores dicant viris, & viri vxoribus, & filij parentibus, & patres filiis, & amici amicis. Discant hæc & Iudæi, & ij qui nobis quidem coniuncti videntur, sed cū illis sentiunt, quod nobis aliquid studiū est, ac sollicitudo, vigiliantiaque pro fratribus nostris ad illos vltro currētibus. Et omnes ante nos, illos corrigēt, qui cum nostræ profissionis sint, tamē illō comitant. Quin potius nemo

posthac aufurus est ad illos confugere, sed erit corpus A
Ecclesie purum. Deus autem qui vult omnes homines
fieri saluos, & ad agnitionē veritatis venire, & vos ad
istum venatum corroboret, & illos ab hoc errore libe-
ret. Denique cunctos ad salutem reuocatos dignos red-
dat cœlorum regno, in gloriam eiusdē domini nostri
ac saluatoris Iesu Christi, cui gloria & imperium, nunc
& semper, & in secula seculorum, Amen.

EIVSDEM ADVERSUS IVDÆOS,
Oratio quinta.



Drauerit ieiunium Iudæorū, imò potius ebrie-
tas Iudæorum. Est enim & absque vino ebrie-
tas, est & in sobrietate temulenta luxuriosaq;
comestatio. Quòd si nemo posset absq; vino
temulentus esse, nequaquā Propheta diceret: Vā is qui
ebrii sunt, & non à vino: si non esset sine vino ebrietas, B
haudquaquam dixisset Paulus: Nolite inebriari vino in
quo est luxuria. Nam quemadmodum vino, sic & alio
modo possit aliquis inebriari. Eòque dixit, Nolite in-
ebriari vino. Est enim ebrietas & in ira, & in absurda
concupiscētia, & in auaricia, & in amore gloria, deni-
que in aliis innumeris affectibus. Ebrietas enim nihil aliud
est, quàm excidisse à recta ratione, deliratioq; & sa-
næ mentis priuatio. Non solum igitur qui multum ex-
haurit merum, verumetiam qui alium quempiam mor-
bum alit in animo, vehementer ebrius esse iudicabitur.
Etenim qui mulieris alienæ tenetur amore, qui scortis
vacat, ebrius est. Et quemadmodum is qui multum ebi-
bit merum, seseq; ingurgitavit, illiberales voces effun-
dit, aliudq; pro alio videt: sic & hic veluti mero quopiā,
sua cupiditate repletus, neq; sana profert verba, sed ob-
scœna omnia, sed pernicioſa, sed illiberalia, risusq; plea,
aliāq; pro aliis videt, cæcutiens ad ea quæ cernuntur.
Quòd si cui mulieri stuprum inferre concupiscit, hanc
vbiq; imaginans, non aliter quàm mente captus, ac deli-
rans, in conuenticulis, in conuiuuiis, in omni tempore,
in omni loco, & si innumera hominū milia ipsum allo-
quantur, ne audire quidem videtur, sed ad illam tantū
intētus est animus, nec aliud somniat quàm peccatum,
habētque suspecta omnia, metuit omnia, nihilo melior
animante quòd alligatum scutica impellitur. Rursusq;
quæ tenet ira, ebrius est. Similiter & huic turget facies,
vox fit asperior, oculi fiunt sanguinolenti, mēs obtene-
bratur, prudentia submergitur, lingua tremat, oculi in-
torquentur, aures alia pro aliis audiunt, nimirum ira lō-
ge grauius quàm vllum merum soleat percellēte cere-
brum, tempeſtatem concitante, turbationēq; gigañte
infedabilem. Quòd si ebrius est, quæ tenet concupiscētia
iræ: multo magis homo impius & in deū blasphemus,
illiūq; legibus repugnans, quiq; hanc intempestiuam
Iudæorum pertinaēciam nunquam vult effugere, ebrius
est insanitq; deterior affectus quàm ij qui comestantur,
quiq; mente capti sunt, licet ipse morbum suum non
sentire videatur. Nam id maxime conuenit ebrietati,
etiam sensu vacare malorū, quæ turpiter committit.
Quemadmodū igitur illud est grauisimum in mēte
captis & attonitis, quòd cū agrotent, nec hoc ipsum
sentiant se esse agrotos: sic & Iudæi, nūc cum sint ebrii,
non sentiunt tamen morbum suum. Præterit igitur il-
lorum ieiunium, quauis ebrietate fœdus. Nos autem ne
remittamus pro fratribus nostris sollicitudinem, neque
posthac existimemus vllam illorum curam esse impor-
tunam: sed quemadmodum faciūt milites, vbi commis-
so prælio verterint in fugā aduersarios, ab insectatio-

Ephe. 5.

ne redeuntes, non protinus currūt ad tabernacula, sed
prius ad conflictus locum profecti, tollūt eos qui ex ip-
sorum numero cæsi sunt, ac vita quidē defunctos terra
occulunt: cæterum si quos viderint inter mortuos spi-
rantes adhuc, nec letale vulnus habentes, us in tentoria
sublatis, multam adhibēt curationem extracto telo, ac-
cerſitis medicis, absterſo sāguine, pharmacis porreſtis,
reliquaq; omni curatione admota ad sanitatem redu-
cunt. Et nos igitur quoniam opitulante dei gratia Iudæos
persecuti sumus armatis aduersus illos vndiquaque
prophetis, reuerſi ad nos videamus, num qui fra-
trum nostrorum ceciderint, num qui ab ieiunio inter-
cepti sint, num qui illis in festo cōmunicauerint: ac ne-
minem quidem tradamus sepulturæ, sed potius subla-
tos omnes curemus. Nam sub externis quidem hosti-
bus, qui semel conciderit, animāq; efflarit: fieri nō po-
test vt miles eum recuperet, & ad vitam reuocet. Cæte-
rum in hoc bello præliōq; etiā si quis letale vulnus ac-
ceperit, fieri potest vt auxiliāte nobis dei gratia eum ad
vitam reducamus. Nō enim hæc naturæ mors est, quæ
admodum illa, sed voluntatis ac propositi. Volūtatem
autem mortuam licet denuo suscitare, animāq; morti
data persuadere licet, vt ad suam vitam redeat, suūq;
dominum agnoscat. Agite ne defatigemur fratres, ne-
que delassemur, neq; deſistamus, neque quicquā illa ver-
ba dicat, quòd ante ieiuniū illis cauere oportuerit, om-
nēq; mouere lapidem: nūc vero posteaquam ieiuna-
tum est, posteaquam peccatum admissum est, postea-
quam iniquitas consummata est, quæ superest utilitas:
Etenim si quis nouit quid sit fratri cōsulere, nouit & il-
lud, quòd nunc potissimū oporteat ad mouere manus,
omnēq; studium impendere. Neque enim tantum ante
peccatum admissum conuenit fratris saluti cauere, ve-
rum & post lapsum manus porrigendæ sunt. Etenim si
deus ab initio fecisset istud, tantūq; nobis consuluis-
set ante peccatum, post peccatum neglexisset hominē,
passusq; fuisset perpetua in ruina iacere: nullus adhuc
nostrum vnquam salutem fuisset consecutus. Verū hoc
non facit deus, quippe amans humani generis ac mitis,
nostrāq; salutis audisſimus. Quin & post peccata mul-
tam præstat sollicitudinem, quando quidem & Adæ ca-
uit ante peccatum, dicens, è quouis ligno quod est in pa-
radiso comedens comedes: è ligno vero cognitionis
boni malq; non comedetis, sed quocunq; die comederit,
morte moriemini. Ecce & facilitate legis, & largi-
tate concessorum, & acerbitate supplicij: & ipso sine il-
lationis prospexit ne peccaret. Non enim dixit, post v-
num aut duos trēsve dies, sed in ipso die quo comed-
erit, morte moriemini. Denique cunctis quibus cauere
oportuit modis, cauit homini: attamen vbi post tātā
providentiam, eruditionem, exhortationem, beneficē-
tiam lapsus est, nec obtemperauit iussis diuinis, non di-
xit deus, quæ iam restat utilitas. Comedit, eecidit, trās-
gressus est legem, credidit diabolo: despexit præceptum
dei, accepit vulnus, mortuus est, neci traditus est, in dā-
nationis sententiam incidit. Quid posthac est quòd il-
li loquamur? Nihil horum dixit, sed protinus ad illum
venit, allocutus est, cōsolatus est, ac rursus aliud admo-
uit remedium, videlicet laborem ac sudorem: nec prius
desistit omnia facere, conari omnia, donec naturā col-
lapsam restituisset, atq; à morte liberasset, & ad cœlum
prouexisset, maiorāque quàm perdiderat homini bona
dedisset: factis ipsis docens diabolum, quòd his insidiis
nihil profecisset, sed quòd homines eiectos è paradiso,
paulo post visurus esset in cœlis angelis permixtos. Idē
fecit

Gene. 2.

Gene. 4.

fecit in Cain. Siquidem & illius priusquam peccaret, ca-
uerat salutem, denunciato periculo dicens: Peccasti, quie-
sce, ad te conuersio illius, & tu illius dominaberis. Vide
sapientiam prudentiamq; dei. Hoc metuis, inquit, ne te
frater spoliēt prerogatiua primogenitorum, propterea
quòd mihi charus est, ne principatum sibi vsurpet tibi
debitum. Nam primogenitos, posterius genitis oportebat
honorabiliores esse. Bono, inquit, animo sis, ne metue,
ne hac de causa despondeas animum: ad te conuersio
eius, & tu dominaberis illius. Quod autem dicit hūc
habet sensum, Mane in honore primogeniti, & esto
fratri tuo refugium, vmbra culum, ac patrocinium. im-
perāq; & dominare illius, tantum ne ad parricidiū pro-
siliās, neque ad impiam illam feraris occisionem. Verū
ne sic quidem auscultauit, neque conqueuit, sed cæde
semet impiauit, dexteram in fratrem immisit iugulū.
Quid igitur? num dixit deus, Sinamus illum in posterū?
Quis posthac erit profectus? Perpetrauit parricidium,
mactauit fratrem, contempsit admonitionem meam,
insanabile, minimēq; condonandum homicidium aus-
sus est perpetrare, taliq; ac tanta dignatus sollicitudine
mea, eruditione, consilio, cū ista illa propulit ex animo,
me vlla ratione conuersus est. Deferatur igitur in po-
sterum ac proiectus esto, nec vllō meo respectu dignus
habeatur. Nihil tale deus nec dixit, nec fecit, sed ad illū
venit denuo & corrigit hominem dicens: Vbi est Abel
frater tuus? Ac ne inficiantem quidem deserit, sed vel
inuitum adigit ad facinoris confessionem: cūque ille
dixisset, Nescio: Num custos fratris mei sum ego ait,
vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Ipse,
inquit, res prædicant te homicidio inquinatum. Quid
ille: Maius est peccatum meum quàm vt mihi remittatur,
etsi eiicias me de terra, etiā à facie tua occultabor.
Huius sermonis sententia sic habet, Grauiora quidem
commisi, quàm vt veniam mereātur, aut excusari pos-
sint, aut condonanda sint: sed si velis vrgere quòd fa-
ctum est, omnib; obiciar, tuo auxilio destitutus. Quid
igitur deus? Non sic, inquit, immo quisquis occiderit
Cain, septē vindictas persoluet. Ne metuas, inquit, hoc,
viues longam vitam. Si quis te occiderit, obnoxius erit
multis suppliciis. Nam septenarius numerus in scriptu-
ris infinitæ multitudinis significationem habet. Quo-
niā igitur Cain multis suppliciis obnoxius erat, anxie-
tati, tremori, suspirijs, deiectionibus animi, dissolutioni
corporis: Qui occiderit, inquit, te, & ab illis vinculis
liberari, ipse in sese vindictas accerset. Ac videtur qui-
dem id quòd dicitur vehementer atrox esse, cum cōtra
declaret domini beneuolentiam. Etenim deus volens
posterōs ad temperantiam adducere, tale supplicij ge-
nus excogitauit, quòd Cain à peccato posset liberare.
Nam si protinus illum interfecisset, abisset quidem pec-
catum in sese reſectum ferens, neque posteris vllō pacto
fuisſet cognitus. Nunc autem permissus multo tempore
viuere in illo tremore, docuit obuios omnes ipso a-
spectu, vacillationēq; carnis exhortans ne quādo simi-
lia auderent, ne similia paterentur: simul & ipse reddi-
tus est melior. Nam tremor & timor ac vita cū anxie-
tate peracta, corporisq; dissolutione, veluti vinculo quo-
piam constrinxit illum, neque permisit denuo ad simi-
le facinus prorumpere, & prioris asidue commonefecit,
& interim ipſius animam moderatiorem reddidit.
Sed inter hæc loquenti mihi venit in mentē, vt in me-
dium adducam, quæramq; quāobrem tandem cum pec-
catum suum esset confessus, factūq; damnasset, dicēs
se maiora peccasse quàm vt veniam mereretur, nullāq;

excusatione se dignum esse, non potuerit abluere pec-
cata, cum Propheta dicat, Dic tu iniquitates tuas prior,
vt iustificeris: sed condemnatus fuerit. Quoniam nō di-
xit quemadmodum iussit Propheta: nō enim simplici-
ter dixit, Dic tu iniquitates tuas, sed ait, dic tu prior ini-
quitates tuas. Quòd queritur hoc est, nō simpliciter esse
dicendas, sed prius esse dicendas, non expectandam
redargutionem accusantis. Hic autem non dixit prior,
sed expectauit donec redargueretur à deo, quin potius
illo redarguente negauit. Postquam autem semel factū
est peccatum palam, tum dixit peccatum, quæ quidem
non est confessio. Proinde tu quoque dilecte cum pec-
caueris, ne expectaris vt ab alio accuseris: sed priusquā
accuseris ac deferaris, tu condemna quæ facta sunt. Nā
si quis alius deinde te redarguerit, non iam confessio-
nis est officium, sed illius qui accusat correctio. Qua-
propter & alius quispiam inquit: Iustus suipſius accusa-
tor est in principio sermonis. Itaque non hoc est quòd
queritur vt accuses te ipsum, sed vt prior te ipsum ac-
cuses, nec expectes ab aliis redargutionem. Petrus itaq;
post illam nefariam abiurationem, quoniam celeriter
suum ipſius peccatum recordatus est, nulloq; accusante
dixit peccatum, fleuitque amare: adeo abluuit illam ab-
negationem, vt etiam primus Apostolorum fuerit factus,
ac terrarum orbem totum subiecerit. Sed quòd dicebam
(nam oportet ad id quòd propositum est reuerſiſatis
vobis ex his demonstrauit ratio, quòd nō oporteat
fratres lapsos negligere neque cōtemnere, verum
prospicere quidem illis ante peccatum, cæterum etiam
post peccatum multam erga illos præſtare curam. Itidē
faciunt & medici: præſcribunt enim ac præcipiunt ho-
minibus, quæ possunt illorum sanitatem tueri, omnē-
que morbum excludere: cæterum vbi neglexerint præ-
scripta, & in valetudinem aduersam inciderint, nō ne-
gligunt eos ipsi, sed tum maxime multam adhibent so-
licitudinem, quò illos morbo leuent. Identidem & Pau-
lus fecit, qui eum qui stuprum cōmiserat, post illud pec-
catum quòd ne inter gentes quidem inueniebatur, nō
contempsit: verum etiam auersantem, nolentēq; cō-
fiteri peccatum, sed subducere se parantem ac resilien-
tem, reduxit ad sanitatem: & ita reduxit, vt cōiungeret
corpori Ecclesie: neq; dixit apud sese, quid amplius? quæ
utilitas: Stuprum commisit, peccatum perpetravit, nec
vult desistere à lasciuia, verum sibi placet, & immedica-
bile vulnus reddidit: sinamus igitur illū ac deferamus.
Nihil horū dixit, sed propter hoc ipsum maxime mul-
ta vsus est erga illum sollicitudine, quòd ad non referē-
dam maliciam videbat illum esse delapsū: neque ces-
savit terrere, minari, punire, tum per sese, tum per alios
complures, nihil non faciens, nihil non tentans, donec
illum ad agnitionē peccati perduxisset, ad sensum ini-
quitatis, postremo donec ipsum liberasset ab omni nota.
Hoc sanè facito tu quoq;, imitare Samaritanum illū,
qui in Evangelio tantam erga vulneratum præstitit so-
licitudinem. Etenim illic præterit lenita, præterit pha-
risæus, ac neuter deflexit ad iacentem, sed inclementer
crudelitēq; relicto seminece abierunt. Samaritanus au-
tem quispiā, qui nulla ex parte illi coniunctus erat, non
prætercurrit, sed accurrens miseratus est, instillauit oleū
& vinum, imposuit asino, duxit ad diuerſorium, pecu-
niam partim dedit præsentē, partim pollicitus est, pro-
eius qui nihil ad ipsum pertinebat curatione, nec dixit
apud sese: Quæ mihi cura est istius? Samaritanus sum, Luca 10.
nihil mihi cum illo, procul absumus à ciuitate, & ille ne
ingredi quidem potest. Quid autem si ferre non possit
H iiii viz

Es. 43.

Prouer. 19.

Matt. 26.

Luca 22.

1. Cor. 5.

vix longitudinem, mortuū afferam: capiendus sum ob
 cædē, obnoxius ero homicidio. His sanē de causis mul-
 ti sæpe prætereuntes ac videntes homines vulneratos,
 prætereunt, non quod grauentur tollere pecuniisq; par-
 cant, sed metuentes ne & ipsi pertrahantur in iudicium
 tanquam cædis rei: verum humanus ille ac mitis nihil
 horum metuit, sed his omnibus contemptis imposuit
 eum atino, & in diuerforium perduxit, neq; quicquam
 harum rerum spectabat, non periculum, non pecunia-
 rum impendium, non aliud præterea quicquam. Quod
 si Samaritanus adeo humanus mitisq; fuit erga homi-
 nem ignotum, quam habituri sumus nos veniā, si pro-
 prios fratres neglexerimus in malis grauioribus? Nam
 & isti qui nunc ieiunauerunt, inciderunt in prædones
 Iudæos: imò verius omnibus prædonibus seiores, qui-
 que grauioribus malis afficiūt eos qui in ipsos incidūt.
 Neq; enim vestes illorum lacerarūt, neque corpori in-
 fluxerunt vulnera, quemadmodum illi tunc fecerāt: sed
 animam sauciarūt, multisq; vulneribus illis inflictis sic
 abierunt illos relinquentes in fouea peccati iacētes. Ne
 igitur dissimulemus talem tragœdiam calamitatemq;
 neque prætereamus inclementer tā miserabile specta-
 culum. Quinetiam si alij hoc fecerint, tu ne feceris, Ne
 dixeris apud te ipsum, homo sum mundanus, vxorem
 & liberos habeo, ista sacerdotum sunt, ista mona-
 chorum. Neq; enim Samaritanus ille hæc dicebat, vbi
 nunc sacerdotes, vbi nunc pharisæi: vbi Iudæorum do-
 ctiores: sed perinde quali venatum quempiā maximum
 nactus esset, ita lucrum arripuit. Et tu igitur cum vide-
 ris aliquem egētem curatione vel corporis vel animæ:
 ne dicitis apud te ipsum, quare ille & ille eum non cura-
 uerunt, sed à morbo libera. Ne petas ab illis causas ne-
 gligentia. Si inueneris aurum iacens, nō dicis apud te
 ipsum, quare ille aut ille hoc nō sustulerunt, sed festinas
 ante alios rapere. Itidem & de fratribus collapsis cogita,
 putatq; te thesaurum reperiisse, nimirum occasione il-
 lis medendi. Etenim si instillaueris illi velut oleum ser-
 monis doctrinam, si obligaueris humanitate temperā-
 tiq; vulneratum, si sanaueris, ille tefaciet ditiorē quo-
 uis thesauro. Qui enim eduxerit preciosum ex indigni-
 tate, tāquam os meum erit, inquit ille. Quid huic pote-
 rit æquiparari? Quod neq; ieiunium, neq; humi peracta
 cubationes, neq; per vigilia, neq; aliud quippiam potest
 efficere, efficit fratris procurata salus. Cogita quā multa
 tuū os frequenter peccauerit, quā multa verba ob-
 scœna protulerit, quā multa cōiucia, quā multa ma-
 ledicta euomuerit, & omnino suscipies collapsi curam.
 Nam hoc vno benefacto omnem illam delere maculā
 poteris. Et quid dico delere: facies vt sit os tuū, sicut os
 dei. Quid huic honori possit æquiparari? Nō enim ego
 ista polliceor, ipse deus hoc dixit. Si vnum quempiam
 eduxeris, inquit, vt os meum, erit os tuum, purum, san-
 ctūq;. Ne igitur negligamus fratres, neq; prætereuntes
 dicamus, quā multi sunt qui ieiunant, quā multi in-
 tercepti sunt, sed curam habeamus illorum, etiam si mul-
 ti sint qui ieiunauerunt, tu ne traducas, nēve in fabulā ver-
 tas Ecclesiæ calamitatē, sed medere potius. Et si quis di-
 xerit, multi ieiunauerunt, obtura illi os, ne fama diuulgetur,
 eiq; dicitis: Ego quidē non noui, deceptus es homo,
 mentirisq; dicēs illos esse multos. Ac delatori quidem
 impone silentium, ceterū eos qui intercepti sunt ne ne-
 glexeris: vt vtrinq; multa securitas contingat Ecclesiæ,
 tum ex eo quod fama non sit euulgata, tum inde quod
 eos ipsos interceptos ad sacrum gregem reduxeris. Ne
 igitur obambulantes referamus qui peccauerint, sed fe-

stinemus vt eos qui peccarūt, corrigamus. Est enim pra-
 ua consuetudo tantum accusare fratres, nec illorum cu-
 ram habere, traducere mala infirmorū, nec mederi. Au-
 feramus igitur hanc prauam consuetudinē charissimi.
 Neque enim ea mediocrem pestem inuehit. Et quo pa-
 cto: ego dicam. Audiuit aliquis ex te quod multi cū Iu-
 dæis ieiunauerint, minimēq; expendens quo animo di-
 xeris, in aliud id quod dictū est, detorsit. Rursus ille pa-
 rum attentus, alteri hoc ipsum elocutus est, deinde pau-
 latim hac mala fama crescente, magnum quidē pro-
 brum offunditur Ecclesiæ: his vero qui pereit nulla af-
 fertur vtilitas, quin potius grauissima noxa, tum his tū
 aliis. Etiam pauci fuerint, nos tamen eos rumoribus ma-
 lis multos facim⁹: & eos qui stant, imbecilliores reddi-
 mus, & eos qui ad casum procliuēs sunt, impellimus.
 Frater enim audiens esse multos qui ieiunauerūt, ipse ne-
 gligentior erit: Deinde rursus qui infirmior est, hoc au-
 dito, accurret ad multitudinem eorum qui ceciderunt.
 Ne igitur vel super hoc, vel super alio quouis improbo
 facto gaudeamus, etiam si multi fuerint peccatores, tra-
 ducere eos ac dicere multos esse, sed potius obturemus
 os, & coërceamus. Ne mihi dixeris multi sunt qui ieiun-
 auerunt, sed corrige multos. Non ideo mihi contumptū
 est tantum verborum, vt accuses multos, sed vt ex mul-
 tis facias paucos, imò potius ne paucos quidem, sed &
 hos ipsos etiam sanes. Ne itaq; traduxeris peccata, sed
 medere. Quēadmodum enim qui traducunt, & in hoc
 tantum vacant, etiam si pauci fuerint qui peccauerunt,
 faciunt vt multi esse putentur: ac qui cohibent ac silen-
 tium imponūt traductoribus, lapidorūq; curā habent,
 etiam si multi fuerint & eos ipsos facile corrigunt, nec
 quenquam sinunt ex horum fama ladi. Non audistis qd
 Dauid deplorans Saulem dixit, Quo modo ceciderūt
 potentes: Ne annunciaueritis in Geth, neq; prædicaueris
 in viis Ascalonis, ne latentur filia incircumforū.
 Quod si ille rem manifestam noluit traduci, ne aduer-
 sarius gigneret voluptatem: quanto magis non oportet
 hæc esse ad aures alienas, sed poti⁹ ad nostras, vt ne-
 que hostes audientes gaudeant, neq; nostri re cognita
 concidant, sed oportet cohibere rumorē, & vndiqua-
 que compescere. Ne mihi dixeris, hoc illi dicebāt, apud
 te ipsum contine verbum. Quemadmodum tu non po-
 teras tacere, ita nec ille poterit hæc apud sese cōtinere.
 Hæc non de hoc præsentē tantum ieiunio dico, sed de
 ceteris etiam innumerabilibus peccatis. Ne hoc consi-
 deremus tantum, an multi sint abrepti: sed illud consi-
 deremus, quo modo illos reducamus, ne exaggeremus
 res hostium, ac nostras deiciamus: ne illos potentes of-
 fendamus, nostras vero res imbecilles: sed omnia potius
 in contrarium faciamus. Nouit etiā fama vel deiicere,
 vel erigere animū. Ideoq; moneo vt illos rumores
 augeamus, qui res nostras attollūt, magnasq; videri fa-
 ciunt: non autē illa fratres exaggeremus, quæ toti sonda-
 litati dedecus offundūt. Contrā, si quid audierimus bo-
 ni, apud omnes proferamus: si quid vero mali prauiq;
 apud nos ipsos occultemus, idq; vt tollamus, nihil non
 faciamus. Et nunc obambulemus, curiose scrutemur, cō-
 templemur eos qui lapsi sunt, etiam si in ædes oporteat
 ingredi, ne grauemur. Quod si ignotus fuerit, nec vlla
 ex parte ad te pertinens is qui cecidit, scrutare, esto cu-
 riosus, quem habeat amicum aut necessarium, & cui ma-
 xime obtemperet, hoc assumpto ingredi in ædes, ne
 pudeas, neq; erubescas. Si ingrederis pecuniam postu-
 latus, aut beneficium accepturus ab illo æquum erat
 erubescere. Ceterum cum pro illius salute ingrediendi
 occasionem

occasionem ceperis, liberatus es ab omni crimine. Assi-
 de sanē, loquere cum illo, aliis de rebus facto sermonis
 exordio quod correctio careat suspicione. Dic mihi lau-
 dāsne Iudæos eo quod Christum crucifixerint, quodq;
 eum conuiciis afficiant, & legis transgressorem appel-
 lant: Profecto non sustinebit si fuerit Christianus, etiā
 si millies Iudaizet dicere, laudo: sed obturabit aures, di-
 cētque tibi, absit. Bono animo sis homo, quum ab ipso
 ceperis consensum vnius proloquij. Rursus assumito
 dicens: Quo modo igitur cum illis, dic mihi, quo mo-
 do particeps es festi? quo modo cum illis ieiunas? Post
 hæc accusa illorum improbitatem, expone omnem ini-
 quitatem, quam superioribus diebus narrabam apud ve-
 stram charitatem, à loco, à tempore, à templo, à prædi-
 ctione prophetarum redargui: ostende quo modo fru-
 stra & incassum omnia faciunt, nec vnquam ad pristi-
 num statum redituri sunt, quodq; fas illis non est extra
 Hierosolymam quicquam tale facere. Ad hæc commo-
 nefacias gehenne, formidādī tribunalis Christi, eorum
 quæ nostram causam illic vel leuatura vel grauatura
 sunt, quodq; illorum omnium reddituri sumus ratio-
 nem, quod vltio non parua reposita est eis qui talia au-
 dent. Commonefacito & Pauli dicentis: Quicumque in
 lege iustificamini à gratia excidistis: & rursus commi-
 nantis, Si circuncidamini, Christus nihil vobis prode-
 rit: dicitōque quod quemadmodum circuncisio, ita &
 ieiunium Iudaicum è cælis expellit ieiunantem, etiam si
 habuerit alia innumerabilia benefacta. Dic, quod Chri-
 stiani propter hoc vocamur & sumus, vt Christo paream-
 us, non vt ad hostes curramus. Quod si prætexat cu-
 rationes aliquas, dixeritque tibi, pollicentur remedium,
 & ideo ad illos curro: patefacito illi imposturas, incan-
 tationes, applicaturas, veneficia. Neque enim alio mo-
 do videntur mederi, neque enim vere medentur. Absit.
 Quin ego quidem illud longe mirabilius dicā, etiam si
 vere sanarent, satius tamen esse emori, quàm ad Christi
 hostes currere, itaque sanari. Quid enim prodest cu-
 rare corpus, anima pereūte: Quid autem lucri, aut quid
 solatij nanciscamur, mox coniciendi in ignem æternum:
 Si extiterit propheta in te, aut somnium somnians, edi-
 deritq; signum ac prodigiū, eueneritq; signum ac pro-
 digium sicut loquutus est, dixeritq; eamus & seruiamus
 diis aliis: ne auscultetis prophetæ illi, quoniam tentat
 vos dominus deus vester, an diligatis ipsum ex toto
 corde vestro. Quod dicit tale est: Si quis, inquit, prophe-
 ta dixerit, Possum excitare mortuum, mederi cæco, sed
 obtēperate mihi, adoremus demones, immolemus ido-
 lis. Deinde si qui hæc loquitur, possit mederi cæco, aut
 excitare mortuum: nec ista præstanti credideris, inquit,
 eò quod deus tentans te, permisit vt ille hoc possit, nō
 quod ille non nosset tuum animum, sed vt tibi proba-
 tionis occasionem exhiberet, an vere diligeres deum.
 Est autem amantis, etiam si exanimis ad vitam reuocēt
 qui nos conantur ab amato distrahere, nequaquam ta-
 men ab amato deficere. Quod si hæc dixit Iudæis, mul-
 to magis ad maiorem sapientiam inuitauit eos, quibus
 resurrectionis ostium aperuit, quibus præcepit ne in re-
 bus præsentibus figerent amorem, sed spes omnes ad vi-
 tam futuram transferrent. Sed quid dicis? Affligit te,
 premitque corporis morbus: Atqui nondum tanta pas-
 sus es, quanta beatus ille Iob, imò ne minimam quidem
 partem malorum illius. Siquidem postquam simul in-
 terissent greges & armenta cum ceteris omnibus; in
 prædam abductus est & puerorum totus chorus, eaque

omnia vno die peracta sunt, vt non modo natura cā-
 lamitatu, verum etiam perpetuitas deiicere posset athle-
 tā. Post hæc omnia vultus accepit letale, vidit vermes
 toto vndiq; corpore scatentes, nudusq; sedit in sterqui-
 linio, publicū iis qui aderāt calamitatis spectaculū, ille
 iustus, ille pius, ille ab omni malo opere abstines athle-
 ta. Ne hic quidem erat malorum finis, sed dolores ad-
 debantur diurni pariter: ac nocturni, nouaque quedam
 & admirabilis illum fames oppugnabat: Auenam, in-
 quit; video cibum meum, probra quotidiana, scom-
 mata, risus: Nam famuli, inquit, mei, & concubinarum
 mearum filij insurrexerunt aduersum me, & in somnis
 terrores, cogitationum perpetua quædam fluctuatio:
 Atqui vxor consilium dedit, vt ab his omnibus malis
 liberaretur, ita loquens: Dic aliquod verbum aduer-
 sus dominum, ac morere. Dic, inquit, blasphemiam;
 & ab vrgentibus malis liberare. Quid igitur? Num sub-
 uertit sanctum illum virum mulieris consilium? Imò
 contrarium fecit, magisque sibi sumpsit alas, sic etiam
 vt increparet vxorem. Potius enim dixit, maioribus af-
 fici cruciarique doloribus, innumeræque perpeti mala;
 quàm blasphemia vlla tantorum malorum relaxatio-
 nem cōsequi. Itidē & ille qui triginta octo annis deten-
 tus fuerat in infirmitate sua, singulis annis currebat ad
 piscinam, & singulo quoque anno repellebatur, nec as-
 sequebatur sanitatem: sed quotannis conspiciebat alios
 sanari, propterea quod multos haberet à quibus cura-
 rentur, se vero quoniam nullos haberet qui ipsum
 exhiberent, in perpetua manere paralyti. Ne hic qui-
 dem confugit ad diuinos, non adiit incantatores, aut
 prosiliit ad eos qui per applicaturas promittunt sani-
 tatem, sed expectauit diuinam opem, eoque tādē ad-
 mirandam quandam & inauditam sanitatem adeptus
 est. Lazarus autem cum fame, cum morbo, cum solitu-
 dine per omnem vitam colluctatus est, non triginta &
 octo annos versatus in his, sed per omne vitæ tempus:
 Sic igitur & expirauit in diuitis vestibulo iacens, con-
 temptus, irrisus, esuriens, canibus obiectus pabulum. Sic
 autem illius corpus debilitatū erat, vt nec canes irruen-
 tes vlceræque illius lingentes posset abigere. Haud ta-
 men quærebat incantationem, non petala circunliga-
 uit, non expertus est imposturas, non veneficos ad se
 vocauit, nec aliud quicquam veterum artium tenta-
 uit, sed prius habuit illis immori malis, quàm vlla ex
 parte deferere pietatem. Quam igitur veniam nos im-
 petrabimus, qui cum illi in tantis malis perdurarint, ob-
 febriculam, aut leue vulnus procurrimus ad synago-
 gas, veneficos & impostores in ædes nostras accer-
 sumus? Non audisti, quid dicat scriptura: Fili si accedis
 seruiturus domino, præpara animam tuam ad tenta-
 tionem: dirige cor tuum, & perdura in morbo ac pau-
 pertate: in illo fidens esto. Sicut in igni probatur au-
 rum, sic homo fit acceptus in camino deiectiois. Si tu
 famulum flagris cæcideris, & ille triginta aut quinqu-
 ginta plagis acceptis, illico prouocet ad libertatem, aut
 deferat tuum dominium, & ad alios quospiam sese con-
 ferat, qui te oderint, eosque in te cōcitet: dic mihi, num
 is abs te veniam impetraturus sit? An quisquam pro il-
 lo poterit esse patronus? Nequaquam. Quir ita tādē?
 Quoniam officium est heri, punire talem famulū. Non
 ob id tantum, verum etiam ob hoc: quod si fugiendum
 erat, non ad hostes & ofores domini prioris oportebat
 fugere, sed ad amicos & cognatos. Proinde tu quoque
 si videris te puniri à deo, ne profugias ad inimicos Iu-
 dæos, ne magis etiā illos in te prouoces, sed ad amicos
 illius

illius martyres ac sanctos, qui illi placuerunt, quiq; multam apud illum habent auctoritatem. Sed quid loquor de famulis & heris? Filius nō poterit hoc facere, nec abnegare cognationem quam habet cum patre. Nam & naturæ leges, & leges ab hominibus institutæ, sic præscribunt, etiam si flagris cædat pater, si à mensa depellat, si ædibus exigat, si quocumque modo puniat: iubent omnia fortiter perpeti, nec vllam illi veniam concedunt, ni paruerit pertuleritque. Etiam si filius cæsus innumeris querimonias deplorās proferat, hæc verba audit ab omnibus: Pater est qui cecidit ac dominus, habetque potestatem in te quod vult faciendi, & oportet omnia placide ferre. Ergo famuli quidem ferunt dominos, filij parentes, frequenter & præter æquum punientes: tu vero non sustines deum te corripientem, qui plus habet in te iuris, vtpote verè dominus, qui plus te diligit quàm pater, qui que nihil per iracundiam, sed omnia facit in tuâ utilitatem: sed si leuis aliquis morbus acciderit, illico resiliens ab illius dominio, ad dæmones accurras, & ad synagogas confugis? Et quam tandem post hæc veniam consequeris? Quo pacto valebis illum denuo tibi propitium reddere? Quin potius nec alius quisquam pro te deprecari poterit, etiam si tantum valeat apud deum auctoritate quantum Moses. Non est, inquam, quisquam qui hoc facere poterit. Non autem quid deus loquatur ad Hieremiam de Iudæis: Ne depreceris pro populo isto, quoniam si surrexerit Moses & Samuël, nō exaudiam illos. Adeo sunt peccata omnem remissionem superantia, quæq; nullam recipiant excusationem. Itaque ne tantam in nos prouocemus iram, etiam si videantur aliqui febrem incantamentis sedare, non enim verè sedent: tamen aliam in conscientiam inducunt febrem, ratione singulis diebus stimulant, conscientiaq; flagellante ac dicente: Impie fecisti, iniquitatem perpetrasti, violasti fœdus cum Christo ictum, ob paululum bonæ valetudinis, pietatē deseruisti. Num tu solus hæc passus es? An non alij multo quàm tu acerbiora passi sunt? Attamen nullus illorū tale quid ausus: tu vero molis ac dissolutus animam tuam oppigneraisti. Quo modo excusaberis Christo? quo modo illum implorabis precibus? qua conscientia posthac ingredieris ecclesiā? quibus oculis videbis sacerdotem? qua manu sacrā attinges mensam? quibus auribus audies scripturas, quæ illic leguntur? Quum his stimulis quotidie ratio te punget virgebitque, quum conscientia flagellabit, rursus ipse dicas: Quæ hæc est sanitas, quum intus tam multas habeam cogitationes accusatrices? Quod si perduraueris paulisper, eosque qui vel incantationem aliquam canere voluerint, vel applicationes aliquas applicare corpori, multa etiam cum contumelia tuis ex ædibus eieceris: protinus ab ipsa conscientia refrigerationem acceperis. Etiam si milies exurat febris, anima tua quouis liquore, quouis irroratione meliorem vtiliorēque mitigationem adducet. Quemadmodum enim postquam receperis incantationem, sanusque factus fueris, miserius affectus es iis qui febre laborant, dum tecum reputas peccati magnitudinem: sic nunc quoque etiam si febriciteris, innumeræque patiaris mala, repulsis impiis illis, quouis sano melius eris affectus animo, gestientes præ gaudio conscientia ac laudante te probantēque ac dicente, euge euge, heus homo Christi seruus, fidelis vir, athleta pietatis, qui malueris molestiis imori quàm deserere tuam pietatem, proximo secundum martyres loco stabis in illo die. Quemadmodum enim illi præoptarunt cædi flagris torquerique, vt ad honorem per-

Cap. 7.
15.

uenirent: ita tu quoque hodie præoptasti flagellari torqueriq; à febris vulneribusque, ne abiiceres pietatem, nō incantamentis, nō applicaturis ac spebus istiusmodi incantationibus, neque sensu premētium dolorum deiectus. Nam etsi te non auferat hæc febris, alia prorsus auferet, etsi nunc non moriamur, tamen post hæc moriemur. Mortale corpus sortiti sumus, non vt illius cupiditatibus obtemperantes impietatem amplectamur, sed vt illius affectionibus ad pietatem abutamur. Hæc enim corruptibilitas, & hoc ipsum mortale corpus si sobrii fuerimus, nobis est materia probationis, multamque nobis in illo die præstabit fiduciā, non autem in illo solum, verum etiam in præsentī vita. Siquidem quum eieceris incantationes multa cum contumelia ex ædibus tuis, omnes hoc auditu collaudabunt, mirabuntur, & inter se dicent: Ille laborans ægrotansque plurimis exhortantibus, incantantibus, consulentibus, vt magicis quibusdā incantamentis vteretur, non accessit: sed respondit, Satius est hoc pacto mori, quàm deserere pietatem. Ad hæc consequentur multi plausus ab his qui audierint, cunctis stupentibus, deum glorificantibus. Hoc quot statuis erit tibi honorabilis: quot imaginibus magnificentius, quanto honore insignius? Omnes laudabunt, omnes tuam felicitatem prædicabunt, omnes te corona dignum iudicabunt. Præterea ipsi quoque meliores fient, ac vicissim tuum exemplum æmulabuntur, imitabunturque fortitudinem, & si quis alius tale quippiam fecerit, tu mercedem feres, qui exempli fueris author. Neque tantum consequentur laudes rectè factorum, verum etiam celerrima morbi leuatio, quum ipsa tua præclara voluntate conciliante tibi deum ad maiorem beneuolentiam, tum sanctis omnibus gratulantibus tuæ propititudini, atq; ex intimo corde pro te preces fundentibus. Quod si hic talia sunt præmia fortitudinis huius, cogita quantas illic recipies coronas, quum angelis omnibus præsentibus, omnibus archangelis, Christus adueniens prehensa manu tua in medium te illud theatrum produxerit, cunctisque audientibus dixerit: Hic homo quum aliquando febre correptus esset, multis ipsum exhortantibus vt à morbo liberaretur propter nomen meum, ac reuerentiam quam habet erga me, ne quid offenderet meam bonitatem, omnes qui pollicebatur ipsi damnatarum artium præsidio sanitatem, repulit, cumque ignominia reiecit, ac præoptauit emori potius morbo, quàm deserere meam beneuolentiam. Etenim si eos qui ipsi potum dederunt, qui vestierunt, qui cibum dederunt, in medium adducit: multo magis adducet eos qui propter ipsum optarunt obnoxij esse & affligi febris. Neque enim simile est dare panem ac vestem, & morbum diutinum perferre. Imò hoc illo multo maius est. Quanto enim laboris ac doloris plus toleratum fuerit, tanto etiam corona erit magnificentior. Hæc & sani meditemur, & ægrotantes inter nos colloquamur, & si viderimus nos ipsos aliquando febris intolerabili correptos, illud apud nos ipsos dicamus: Quid autem si nobis alicunde intentata lite ad tribunal rapiamur, moxque sublatis nudentur latera, an non necesse fuerit omnino perpeti, idque nullo lucro nullaque mercede? Hoc & nunc cogitemus, proposita sit etiam tolerantia merces satis magna, vt leniat collapsum animū. Sed molesta est febris. Verum oppone illi incendium gehennæ, quod effugies omnino, si volueris istam febrim cum omni tolerantia perferre. Reputa tecū quàm multi passi sunt apostoli, considera iustos perpetuo in afflictionibus fuisse, recordare beati Timothei, qui nunquam ab

quā ab aduersa valetudine respirauit, sed ab adolescentia iungi morbo erat obnoxius, idque Paulus declarans dixit, Modico vino vtere propter stomachum tuum ac frequentes infirmitates tuas. Quod si ille iustus, ille sanctus, ille qui orbis præfecturā suscepit, qui mortuos excitauit, qui dæmones abegit, qui morbos innumerabiles in aliis correxit, tam acerba passus est: quam excusationem habebit qui tumultuatur ac deficit in morbis temporariis? Non audisti scripturam dicentem, Quem diligit dominus castigat, flagellat autem omnē filium quem recipit? Quàm multi frequenter optarunt martyrij coronam accipere? Hæc est parata martyrij coronam. Non enim is modo martyrium peragit, qui iussus sacrificare, potius ducit emori, verum etiam seruantem quod iustum est, ac spōte propter deum mortem accersere, manifestum est martyrium. At vt intelligas hoc esse verum, recordare quo modo Ioannes Baptista mortuus sit, & qua de causa, & quamobrē, quo modo Abel. Neuter enim horum vel altare vidit incensum, vel statuam positam, vel iussus fuit immolare dæmonibus: sed ille quidem quia tantummodo reprehendit Herodem, decollatus est: hic vero quoniam deum meliori sacrificio honorauit quàm frater, occisus est. Num igitur priuati sunt martyrij corona? At quis hoc audeat dicere? quandoquidem ipsum etiam mortis genus sufficit ad omnibus persuadendum, quod inter primos martyres celebrantur. Quod si etiam diuinam sententiam super his prolatam quaris, audi quid dicit Paulus. Nam quæ ille loquitur, sine dubio spiritus sunt. Puto enim, inquit, quod spiritum dei habeam. Quid igitur hic dicit? Exorsus ab Abel quum dixisset, quod maiorem hostiā Abel præ Cain obtulisset deo, & propter hanc mortuus ad huc loqueretur: deinde digressus ad prophetas ac decursa serie vsque ad Ioannem, dixisset, occisione gladij mortui sunt, alij vero distenti sunt, multis & diuersis mortis generibus commemoratis, subiicit hoc modo: Itaque nos quoque tantam habentes circundatē nos nubem martyrum abiecta omni segnicie, & tenaciter in hærente peccato, per tolerantiam curramus. Vides quod etiam Abel appellauit martyrem, & Noë & Abraham & Isaac & Iacob. nam & isti propter deum mortui sunt. Quemadmodum inquit Paulus, quotidie morior: atqui non mortuus est, sed proposito tantum perpeffus est mortem: Sic & tu si repuleris incantamenta, beneficia, ac magicas artes, etiam si morbo moriaris, martyr perfectus fueris, eò quod aliis pollicetibus morbi leuationem cum impietate, præoptaris mortem cum pietate. Et hæc nobis dicta sunt, aduersus eos qui iactant dicuntque dæmones mederi. Caterum vt intelligas, ne hoc quidē esse verum, audi quid Christus dicat de diabolo, Ille homicida erat ab initio. Deus dicit, homicida est, & tu ad illum tanquam ad medicum curris? Dic mihi quum accusaberis, quam rationem adferre poteris, qui credas horum imposturis esse fidendum potius quàm Christi sententiæ? Quum igitur deus dicat, homicida est: isti vero dicant, potest leuare morbos, nimium repugnantes sententiæ diuinæ: tu recipiens maleficia illa, & incantamenta, nihil aliud quàm ipsis factis tuis iudicas, istorum verbis potius habendam fidē quàm Christi. Quod si diabolus homicida est, manifestum est quod illi seruientes dæmones sunt. Et hoc quoque te ipse factis docuit Christus, qui permisit illos irruere in illum gregem porcorum, vt intelligeres quod eadem facturi fuerint hominibus statimque præfocassent, si deus illis permisisset aduersus eos propria potentia ac volun-

1. Tim. 5.

Heb. 12.

1. Cor. 7.

Ioan. 8.

tate vti. Nunc vero ipse illos coëruit prohibuitq;, nec quicquam eis permisit facere aduersus homines: quod quidem ipsi potestate accepta in porcos declarauerunt: Etenim si porcis non pepercerunt, multo minus à nobis abstinuissent, si aduersus nos potestatem habuissent: Ne igitur dilecte fraudibus illorum abducaris, sed esto confirmatus in timore dei, ne similis illorum fias. Nam similes illorum sunt qui faciunt eadē, & omnes qui confidunt in illis. Et quo modo ingredieris synagogam? Si signaris frōtem tuam, illico fugiet praua potestas synagogam inhabitans: si vero nō signaueris, in ipsis foribus protinus arma abiecisti, mox nudum & inermem abreptum diabolus malis innumeris afficiet. Sed quid attinet de illis loqui? Nam quod ipse quoq; maximum peccatum esse iudicas, ad sceleratū illum locum accurrere, manifestū est ex ipso adeundi modo. Etenim quoties illuc accedis, studes & famulos & amicos & vicinos fallere, iubetque ne te deferant ad sacerdotes: ac si quis detulerit, indignaris. An non igitur magnæ dementiæ sit, homines velle fallere, quum deus qui videt, vbique sit præsens, perfrictaque facie tantum facinus audere? Sed non times deum? Ergo saltem ipsos reuerere Iudæos. Quib⁹ enim oculis ipsos intueberis: quo ore alloqueris, profitens te esse Christianum, tamen ad illorum artes currens, & ab illis opem implorans? Non perpendis quantum risum in te effundent, quot scommata, quantam subfannationem, quanta dedecora, quantam irrisionem, quanta probra? Etsi non palam, certe in sua ipsorum conscientia. Proinde dic mihi, hæcine sunt tolerabilia? hæcine ferenda? Etiam si mille mortes sint oppetendæ, & non ferenda mala tolerare sit necesse: multo satius erat omnes illas perpeti molestias, quàm istis scelestis risui & ludibrio fieri, præterea cum mala conscientia viuere. Hæc non dico vt audiat tantum, verum etiam vt his morbis laborantes sanentis. Quemadmodum enim illos incusamus, quod ad sceleratum illud theatrum, & impiam illam aberrent synagogam: sic & vos, quod infirmos corrigere non vultis. Non igitur hoc est quod queritur dilecte, vt huc ingressus tantum audias quæ dicuntur. Nam id quidem etiam ad condemnationem facit, quum auditis sermonibus non adiungitur operum demonstratio. Etenim propterea Christianus es, ideo hoc nomen accepisti, vt Christum imiteris, eiusq; legibus operum exhibitione pareas. Quid autem ille fecit? Non Hierosolymis desidens vocauit ad se egrotos, sed obambulabat ciuitates ac vicos, geminos curās morbos, tum animi, tum corporis: attamen poterat eodē in loco sedens omnes ad se attrahere, non tamen hoc fecit, nobis præbens exemplū, vt obambulemus & queramus eos qui pereunt. Rursus hoc etiam parabola de pastore significauit: non enim desidebat cum nonaginta ouibus, expectans donec quæ aberrauerat veniret ad ipsum, sed abiit ipse & inuenit, inuentamq; gestauit humeris ac reduxit. An nō vides medicos quoque hoc ipsum facere? Non cogunt ægrotos lecto decumbentes ad ipsorū edes deferri, sed ipsi accurrūt ad eos. Hoc & tu facito dilecte, sciens hæc præsentem vitam esse breuem: quodque nisi hæc luera parauerimus, nullam illic sumus habituri salutem. Sæpe vna anima quam lucrati fuerimus, potest innumerabilem peccatorum pondus abolere, animeq; redimendæ fieri precium in illo die. Cogita quamobrē propheta, quamobrē apostolus, quamobrē iusti, quamobrē frequenter angeli missi sint, quapropter ipse primogenitus filius ac verbum dei aduenit. An non vt homines serua-

Simile

nes seruaret: an nō vt eos errantes reduceret: Hoc idem fac agas tu quoque pro viribus tuis, omnēque studium ac sollicitudinem impendas ad reducendum eos qui aberrarunt. Ad hanc vos singulis concionibus adhortari non cesso: siue mentem adhibeatis siue non adhibeatis, ego dicere non desinam. Nam hanc legem nobis deus praescripsit, vt siue audieritis, siue non audieritis, hoc misterium impleamus. Et si quidem audieritis ea quae dicuntur, multa cum voluptate hoc ipsum faciemus. Sin autem neglexeritis, ac per insignem socordiam contempseritis, nobis quidem ex vestra inobedientia nullum futurum est periculum: (quandoquidem quicquid erat nostrum, praestitimus) attamen quanquam non periclitamur nos qui praestiterimus omnia quae in nobis sunt, dolemus tamen quod vos accusabimini in die illo. Non enim absque periculo vobis erit audisse, si nō accesserint opera. Audi igitur quo modo Christus accusans doctores sermonem occultantes, etiam his qui docentur, loquatur. *Quum enim dixisset: Oportuit deponere pecuniam meam apud mensarios: & adiecisset, Ego veniens cum usura utique repetissem illam: ostendit, quod postquam audierit (nam haec est pecunia depositio) qui accepit doctrinam, usuram facere oporteat, tanquam domino repetituro. Usura autem doctrina nihil aliud est, quam operum exhibitio. Ergo quonia nos quoque deponimus pecuniam in aures vestras: necesse est, vt vos reddatis usuram domino, hoc est, salutem fratrum vestrorum. Itaque si haec ipsa quae dicuntur tantum detinueritis, nihil ex his lucri facientes: metuo ne eandem detis poenam, quam dedit ille qui defoderat talentum. Nam ille propterea manibus ac pedibus vincitus in tenebras eiectus est externas, quoniam non deprompsit in alios quae audierat. Ne igitur nos quoque eadem patiamur, eum qui quinque talentis acceptis duo lucratus est imitemur, etiam si sermonem, etiam si pecuniam, etiam si corporis laborem, etiam si preces aut aliud quippiam, quicquid illud fuerit, proximo seruando insumere oportuerit, ne grauemur: vt vnde cunque talentum nobis a deo traditum pro sua quisque portione multiplicantes, posimus illam beatam audire vocem, Euge serue bone & fidelis, in paucis fuisti fidelis, supra multa te constituiam, intra in gaudium domini tui, quam nobis omnibus au dire contingat, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, qui cum & per quem patri gloria simul cum sancto spiritu in secula seculorum, Amen.*

THEODORI GAZAE THESSALONICENSIS ad Alphonsum regem praefatio in orationes de incomprehensibili dei natura, diui Ioannis Chrysostomi, quas de Graeco in Latinum vertit.



VNDEM regem, & pontificem olim fuisse accepimus, diue Alphonse rex in clyte, tanquam regis officio is fungi non posset, qui minus iura & rationes rerum sacrarum teneret, quas nosse pontificis certe interest. Romani itaque tui, gens armis praestantior ceteris omnibus, ingenio autem, doctrina, & deorum cultu facile cum Graecis etiam conferenda, homines praeditos sacerdotio potius Reipublicae praesse censuere: & vehementius de summo pontifice, quam de consulatu solebant contendere: quippe qui ita sese dignius rem publicam regere credi posse arbitrantur, si profiteri cognitionem partis quoque diuinam viderentur. Graecis item hominibus haec eadem opinio semper & probata, & summo in studio habita est. Vnde apud Athenienses inter novos illos, & primarios


A magistratus regia dignitate praeditus enumeratur, qui deorum Cereris & Proserpinae mysteriis, & Mineruae ludis praesesset, & sacra vrbis praecipua faceret: ad quem causa vel impietatis, vel sacerdotij, vel cuiusvis de religione controuersia deferretur: qui iura matrimoniorum discerneret, & vnus ex principum numero, cum sancto Areopagitano senatu de homicidiis iudicaret. Ad hanc Iudaeorum genti, cuius nobilitatem Iosephus cognomine Flavius insignis author, duobus libris, quos contra Appionem Grammaticum scripserat, late ac perpulchre aperuit, id fuisse in more certum est, quando reges tales siue diuinitus, siue optimo iudicio hominum crearentur, vt reipublicae bona & seruarentur & auerentur. Aegyptios praeterea, quos bonarum artium, & religionis studium singulare nobilitaret, atque etiam Persas, Medos, Indos, gentes nominis magni, suos reges vel ex sacerdotum ordine facere, vel maxime familiaritate sacerdotibus deuinctos habere solitos legimus. Ita omnes quasi duce natura regerentur, regem, quem peritum esse rerum humanarum oportere censerent, eundem haudquaquam diuinarum esse ignarum patiebantur: & vt gens quaeque magis ad rempublicam probem & laudabilem accederet, ita diligentius id seruauit semper, & coluit. Verum hac nostra aetate, sic institutum videlicet a primis Christianae religionis temporibus usque habetur, vt non idem & reges iunt, & pontifices: credo ob eam potissimum causam, quoniam regi facilius posse existimabatur, si duo quidam, quorum alter rebus humanis, alter diuinis praesesset, crearetur. Quam obrem & si vterque, tam rex quam pontifex, sine altero exequi officij quidem sui ratione autoritateque posset vices rei tum diuinam, tum humanam, tamen digestum in duas personas est. Vnde fit, vt rex saepius res sacras sibi vindicare iure suo existimet, & pontifex non alienam adire prouinciam arbitretur, si quando rem attinentem ad regem sibi attribuat: quod ceterorum quoque officiorum collegis vsuuenire conspicuum est. Cedere tamen & rex pontifici debet, & regi pontifex: & alterum seruari ab altero, quantum constitutum delegatumque a maioribus est, oportere existimamus. Quod etiam rex minus diuinam rem facit, minusque iudex constitutus est rerum sacrarum, quas ecclesia suo vocabulo spirituales appellat: tamen rationes nosse earum rerum, & quemadmodum agi singula Christianae religionis debeant, minime ignorare pulchrum proculdubio est, & maiestati regiae consentaneum. Quocirca tu vt semper hoc ita esse iudicasti, ita semper dedisti operam, ne quid desit, quod te regem minus perfectum absolutumque ageres: atque ita effectum est, vt te ceteris nostrae aetatis regibus elegantior, & plane cum illis, quorum memoriam & laudem seruant secula, comparandum omnes & censeamus & praedicemus: ac nisi mentiri quis velit, & verba contra quam sentit facere (quod non hominis grauis & veri, sed assentatoris est) te quisque adeo religione, & rerum diuinarum scientia ceteris principibus antecellere affirmauerit: vt non cui te comparat, quareat, sed cuius vnus exemplo ceteros omnes ad eam ipsam praecellam virtutem hortetur & moneat. Quis enim ex tot terrarum orbis principibus te pietate insignior? quis diuini cultus obseruantior? quis ordinem sacerdotum sibi deuinxit familiaris, vel plura suae pietatis reliquit monumenta? Quis autem acutius de rebus diuinis, aut subtilius potest differere? Ceteri prorsus vel eo tenentur errore, vt putent parum attinere ad principem rerum diuinarum cognitionem: vel cum

cam

eam probarent studerentque adipisci, voluntate quidem proxime accesserunt ad laudem, sed doctrina atque ingenio tanto te existunt inferiores, vt non minus theologiae princeps, quam facultates & copiae rerum ciuiliu iure inter principes habearis & nomineris. Sed cur praeter ceteris principibus te consideres, quando ne hominibus priuatis, qui in hoc stadio versantur, & amplius quicquam superesse quam tibi percipimus? Quoties Narcissus Verdunensis, & vir & theologus singularis, argumentis, quibus vel respondisses, vel obiecisses, recitatis in frequenti omnium doctorum conuentu, ratione demonstrauit euidentissima ita esse, vt qui tecum ita disputant, non regia maiestati, sed exquisitae tuae doctrinae viribus cedant, & victorem te inuiti interdum confiteantur. Quoties eiusdem scientiae professores alij vltro, sed animo inuito, vt verbo Homeri utar, expertos in se fuisse fateri, quod Narcissum doctorem saepenumero explicasse retuli, vidimus. Ita fit vt maiorem in modum tuum admiremur ingenium, quo praeter ceteras virtutes ingenuas, quas tam multas complexus mirifice es, theologiae tam pulchre cosequi potuisti: quare & si honestissima & grauisima est, tamen ob percipiendi difficultatem vix a paucissimis quaeritur. Ita merito vnus tu vehementissime laudaris ab homine probato & laudato, Beisario Pontico Romanae ecclesiae cardinali, quem desiderium tui visendi Neapolim ad te duxit, ac mensum iam quartum tenet apud te summa cum delectatione, laude & admiratione tuarum virtutum & operum. Laudat hic sapiens vir, & religionibus venerandus te regem & sapientem, & religionis tum cultorem, tum defensorem egregium: bona animi tui commendat homo, cui certe omnium consensu contigit, vt literarum Graecarum sit facile princeps. Latinarum autem tantum teneat, quantum nemo adhuc Graecorum consequi potuit: effert summis laudibus prudentiam, ingenium, doctrinam, mores, denique praestantiam tui animi. Vir qui praesui animi magnitudine admodum paucos solet laudare, te tamen ita is admiratur, exosculatur, & complectitur animo, vt vix posset abs te discedere. Ostendit hic porro quanti tuam doctrinam faceret, cum libros, quos Aristoteles nobilis philosophus de rebus diuinis inscriptos Metaphysica edidit, hos diligentissime tibi in Latinum conuertisset sermonem, ac tuo dicasset nomini: vt quos ille Alexandro regi sapienti per quam gratos composuit, idem ad te interpretati mitterentur regem theologum, ac longe rebus diuinis edoctiorem, quam de rege Alexandro coiectari ex iis quae accipimus, liceat. Te igitur religionis obseruantissimum, & Christianae doctrinae studiosissimum regem, si operibus non modo, quae ad rem attinent militarem, verum etiam quae summae religionis sunt, adire censemus, non inepte id agimus, nec ea offerre videmur, quae minus te delectent & moueat. Quam ob rem post Mauricij illos de re militari libros, quos anno superiori obtuli tibi, vt iudici peritissimo eorum, quae imperator ille & gessit & scripsit: has de incomprehensibili dei natura orationes quinque, Ioanes Antiochenensis, cognomine Chrysostomi, doctoris ecclesiae singularis, conuertit: & legendas propterea tibi obtuli, vt vel ex hac mea interpretatione, & ingenium, & dicendi copiam eius doctoris perciperes, & te sacro sermone, vt soles, oblectares. Fuit is certe facundior ceteris Christianae religionis doctoribus, & copiosior. Et quanquam more ecclesiae, vel in grauitate sermonis, vel in exquisito Atticae linguae vsu negligentior, aut

A Gregorio, aut Basilio eiusdem professoribus, & praedicatoribus Christianae religionis, tamen in exponendis sacris codicibus, tum magna vtilitate populi ad dilatandum argumentum, ad amplificandam sententiam, ad exemplorum copiam, ad facilem & omnino acceptam modatam, tum ad populi aures, tum ad religionis praecipua elocutionem, ad memoriam omnium, quae officium doctoris Christiani requirit, hic meo iudicio anteposendus est ceteris: nec esse arbitror quempiam qui, si modo quae is Graece differuit, assequatur, aliter sentiat. Vnde hic iure optimo cognomen id Chrysostomi meruit, ab oris aureo flumine: quod idem datum est Prusensi Dionio: sed eo dignius Ioanni nostro, quo longe hic plura, & ad hominum vitam moralesque vtiliora, quam Prusensis ille scripsit, praedicauit, & docuit. Constat hunc iisdem claruisse temporibus, quibus Arcadius **B** Theodosij imperatoris gentilis, cuius filius tum armis, tum pietate, ingenio, & literarum bonarum studio sese exhibuit singularem, tantaque apud eum ipsum imperatorem autoritate & gratia valuisse, vt & suos ciues Antiochenenses, homines parum quietos, & plus sibi libertatis fumantes, quam Romanorum pateretur imperium, ab ira capitali imperatoris saepe liberarit, vniuersamque ipse vnus seruauerit ciuitatem, ne poenas grauisimas lueret: & ecclesiae Constantinopolitanae patriarcha praefuerit, quae dignitas proxima in sacro ordine a summo pontifice habetur. Vixit tanta probitate morum, & sanctimonia illustris, vt nomen sancti accepit ea vice, qua aut heros, aut certe diuum, homines superioris religionis nominarent eum, qui virtute quadam excellisset heroica, mirumque in modum generi mortalium profuisset. Huius itaque orationes, quas homilia ipse a conuersatione, & suae doctrinae communicatione inscripsit, vt hominis sancti & docti & elegantis, & diui Arcadij imperatoris familiaris, leges cum otiosior fueris: eris autem eo citius, quod plus apud te religionis charitas, quam ciuile negotium valet.

ADIVI IOANNIS
CHRYSOSTOMI ARCHIE-
piscopi Constantinopolitani de incomprehensibili dei natura, contra Anomaeos, absente episcopo, Homilia prima, Theodoro Gaza Thessalonicensi interprete.



VID hoc sit fratres charissimi, pastor abest, & tamen oues suae cum diligentia seruant ordinem, video. Profecto boni illius pastoris id quoque officium est, vt non modo illo praesente, verum etiam absente ouile studium omne adhibeat, ne quid temere agatur. Brutorum gregem si quis educet, nec adsit, manere intra septa necesse est: vel si sine pastore prodierit, passim oberrat & vagatur. At inter vos nihil eiusmodi video euenire: sed etiam cum pastor abest, vos consueta pascua petitis cum ordine & decore. Verum vt melius loquar, pastor & ipse adest mente & animo, quamquam corpore abest: nemo id abesse dixerit, cum

cum ordinem nostrum, & modestiam cōtempletur, tamen minus corpoream eius faciem cernit. Quam obrem ego magis magnifice illum laudo & miror, quod tantum nobis imponere illud, virtutis, veraq; religionis potuerit. Nam & copiarum imperatorem ita precipue commendamus, si eo nō solum presente, sed etiam absente milites suum ordinem seruāt & tuentur. Quod idem Paulus à suis petebat discipulis, cum diceret: Itaq; charissimi sic semper obtemperastis, non in presentia mea solum, sed multo magis in mea absentia. Cur multo amplius in absentia, quam cum pastor adest? Si lupus gregem inuadit, repelli facile potest, & fugari: at cum abest, grauius periculum imminet, cum nemo sit qui defendat, & seruet. Adde quod pastor cum adest, mercedem studij ac industriæ cum eo ipso ouili, quod custodit regitque, partitur: cum autem abest, totum suum officium, munusque virtutis ab ipso ouili proficisci intelligendum est. ob hæc eadem vel absens ille humanissimus magister & pater, vbicunq; gentium sit, vos vestrumque conuentum & ordinem cogitat, & completitur animo: neq; tam quos sibi habet presentes, quam vos absentes cernit, atq; intuetur. Noui illius summum amorem, noui charitatis feruorem insuperabilem, quem penitus radice innixum viuacissima, animo continet, & singulari studio colit. Quippe qui certe sciatur charitatem ipsam caput esse bonorum omnium, & radicem, fontem & parentem, atque ea vna absente, cætera vobis nullum fructum afferre, nullam præstare posse utilitatē. Hæc enim discipulorum domini indicium est, magnus feruorum dei character. In hoc, inquit, omnes cognoscant, q̄ mei discipuli estis. In quo? num in eo, vt mortuos suscitent, vt leprosos purgent, aut dæmonia expellant? Minime, inquit. Sed illa missa faciis omnia, in hoc vno, dicit, omnes cognoscant, quod mei discipuli estis, si charitatem adinuicem habueritis. Nam illa vnius supernæ gratiæ munera sunt, hoc humani studij est officium: animum autem probum & generosum, non tam ea quæ deus præbuerit, munera, quam suorum laborum officia commendant. Quapropter Christus non à signis, sed à charitate suos cognosci discipulos asserit. Hæc enim si adest, nulla pars deest philosophiæ: sed integerrima perfectissimæque virtutis ratio habetur: quemadmodum certe laborum expertem esse necesse est omnium, cui hæc deest. Quocirca & Paulus eam commendat, & verbis magnopere extollit, quāuis eius dignitatem nemo satis attingere queat. Quid enim ea esse possit condignum, quæ prophetas, legemq; vniuersam continet, sine qua non fides, non scientia, non sacramenti ratio, non ipsum martyrium, non quicquid dixeris, aliud seruare hominem valeat? Nam si tradidero, inquit, corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Idem item cum summū bonum, & caput bonorum omnium charitatem esse ostēdere vellet, sic retulit: Siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur: manet autē fides, spes, & charitas. Sed quæstio ex iis, quæ de charitate proposui, oritur non meo iudicio negligenda: prophetiam enim euacuari, & linguas cessare nil mirum est, quando hæc mira vbi suū vsū ad tempus nobis præstitere, deinde cessant, & nihil detrimenti nostræ inferre possunt rationi. Iam prophetia nulla est, nullum linguarum munus: & tamē ratio pietatis nihilo impedita est. At si scientia cessat, ambigendum, quærendūque est, an quicquid hominis restet. Cum enim dixisset, siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt: adiunxit, siue scientia destruetur. Quod si scientia aliquādo cessauerit, res nostra nō ad melius, vt speramus, sed in deterius, deducetur. Nam sine scientia id quoque vt homines simus, amittemus. Deum enim metue, inquit, & mandata eius custodi, quoniam hoc quisque homo est. Quod si homo non aliud scit, quā deum timere: timor autem ipse dei nō nisi ex scientia prodeat: scientia item destruetur, vt Paulus author est, aliquando nostra omnia amittemus, & scientia priuati omnino peribimus, & nulla ex parte melius, imō multo ex reb⁹ vilius quā animalia bruta euademus. Hac enim re vna præstamus, cum in ceteris omnibus corporeis longe admodum à natura brutorum superemur. Quid igitur sit, quod Paulus dicat, & qua de re ita asserat, vt scientia destruetur? Non de perfecta & vniuersali scientia disputat, sed de particulari & imperfecta, profectūque nostrum in meliora destructionē voluit nominare, videlicet nostra particulari scientia ita destructa, vt non præterea particularem perfectam, & vniuersalem habeamus. Vt enim puerilis destrui solet, non delecta substantia & natura pueri, sed tempore aucto, & ipsius ætatis processu, euentūq; in virum perfectum: sic in ea scientia posse fieri intelligere debemus. Parua hæc scientia, inquit, non propterea erit parua, sed amplitudinem in posterum capiet, magnæque efficietur, hoc sub illo vocabulo, Destruetur, intelligit: quod clarius ipse suis frequentibus verbis explicauit. Vt enim cum audires scientiam destrui, non posses inferre destructionem cuiusque scientiæ, sed incrementum potius, & sciendi profectum in meliora, addit: Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus: cum autem venerit quod perfectum est, tunc euacuabitur quod ex parte est. Vt non præterea sit hoc ex parte, sed perfectum, ergo imperfectio eius destruitur, ne præterea sit imperfectum, sed perfectum esse incipiat: destructio igitur ista accumulatio est, & ad maiora accessio. At velim, vt adueras diligentiam Pauli: non enim partem cognoscimus, dicit: sed ex parte cognoscimus: hoc est, partem partem tenemus. Sed quantum restet, & vtrum maiorem an minorem partem teneamus. Ergo vt te partem minorem tenere intelligas, nec quamlibet minorem, sed centesimam aut millesimam, accipe quæ sequuntur: vel potius antequam verba Apostoli recitem, exemplum referam, quo exprimetur quoad fieri potest exemplo, quantum restet, quantumque sit, quod impræsentiarum tenemus. Quæris quantum differentiæ sit inter præsentem scientiam & futuram. Quantum inter virum perfectum sit, & lactentem puerum, tanto futura scientia præsentem amplior est & præstantior. Quod ita esse à Paulo itē accipe, qui cum dixisset, Ex parte cognoscimus: velletq; explicare quantum ex parte, & quā exiguum esset id quod tenemus, addit: Cum essem paruulus, loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus: cum autem factus sum vir, euacuauit quæ erant paruuli. Cum habitu paruuli, præsentem scientiam comparat, cum habitu viri perfecti, futuram scientiam confert. Nec dicit, cum essem puer, quoniam & qui decennis est, puer dicitur: sed cū essem paruulus, hoc est, infans & lactens, & parentis desiderans vbera. Hunc enim à scriptura vocari paruulum, accipe à psalmo, qui ita dicit: Domine dominus noster, quā admirabile est nomen tuū in vniuersa terra: Quoniam eleuata est magnificentia tua super cælos. Ex ore paruulorum & lactentium profecisti laudem. Vides iam paruulum accipi pro lactente vbique? Tum spiritu prælagiens sancto, hominum posteriorum

posteriorum impudētiam & temeritatem explicat, nec vno exemplo contentus, sed etiam secundo & tertio idem affirmat. Quemadmodum enim Moses cum ad Iudæos mitteret trium signorum demonstrationem accipiebat: vt si primum illi diffiderent, secundo obtemperarent: aut si parum etiam arderent, secundo persuasisset, & tertio eximium prophetam illum reciperent. Sic & Paulus tria proponit exempla, primum ex paruulo, secundum ex speculo, tertium ex ænigmate. Nam posteaquam dixit, Cum essem paruulus: intulit: Videmus autem nunc per speculum. Secundum vero presentis infirmitatis exemplum est, & imperfectæ scientiæ nostræ indicium. Tertio per ænigmatis obscuritatē idem declarat. Etenim puer tamen complura videt, audit, loquitur, tamē nihil expresse, nihil dilucide aut videt, aut audit, aut loquitur, & sapit quidē, sed nihil integre. Itaque more pueri ego quoque & scio cōplura, tamen modum eorum ignoro. Deum nanque esse vbique, totūque esse quæ in parte orbis terrarum noui, sed quemadmodum sit, nescio. Item non inceptum, non genitum, sempiternum esse deum non ignoro: sed quo pacto ita sit, intelligere nequeo. Haud enim humana ratio potest capere, quemadmodum fieri potest, vt aliqua substantia sit, quæ neque à semetipsa, nec aliunde suam originem habeat. Filium esse à patre deo immortaliter genitum noui, sed quemadmodum, ignoro. Spiritum ex eo procedere scio: sed quemadmodum, nescio. Vbi igitur illi sunt, qui se totā scientiam recepisse affirmant, qui se in fauces summæ ignorantiæ precipitarunt? Nam qui hoc in seculo totum sciendi modum se recepisse autumant, in postero priuatos sese omni scientia cōstituant, & miserimos ac perditos esse patiuntur. Quippe cum ego qui me ex parte cognoscere asseuerem, & hanc meā scientiam destrui aliquando debere fatear, in melius ac perfectius proficiscar, destructa particulari scientia, & accedente perfectiore & pleniore: ille vero qui se integerrimam perfectissimamq; tenere scientiam arbitretur, & tamen destrui eam aliquando debere cogatur asserere, omni scientia priuatum, destitutumque in postero fore nequaquam possit inficiari. quam enim nūc tenet, destruitur, & nulla requiritur perfectior, cū ea sit perfectissima, vt ipse censet, quam hoc tempore obtinet. Videt sine quemadmodum cum omnem hoc in seculo sese habere scientiam contendant, neque in hoc habeat, quod intelligant, & in postero omni despoliati scientia pessum eant? Tam malum, tam nefarium est, nō intra iustos se continere limites, quos principio deus immortalis nobis descripsit & statuit. Sic Adam honorē, quo erat præditus, spe amplioris amisit. Sic homines cupiditatis & quæstui dediti, sæpenumero cum plura maioraque persequerentur, non modo nihil plus acquirere potuerunt, sed etiam quæ habebant, amiserunt. Sic etiā isti summæ scientiæ authores, cum se totum tenere arbitrentur, parte etiam quam possunt habere, destituti labuntur & corruunt. Quas ob res vos fratres charissimi hortor & rogo caueatis, & infaniam illorum hominum fugiatis. Contendere enim scire quid substantiæ deus sit, postremam esse infantiæ iudicio. Quod vt melius intelligatur, prophetarum sententias asseram: quos non solum quid substantiæ deus sit ignorare videmus, sed etiam de sapientia eius quanta sit, plane ambigere: quam non à sapientia substantia est, sed ex substantia sapientia. Verum cum eam ne prophetæ quidem plene percipere valeant: quantum ij infaniant, qui substantiam ipsam suis obicere rationibus posse arbitrantur?

Audiamus quid de ea David dicat propheta præclarus: *Psalm. 138.* Mirabilis facta est scientia tua ex me. Vel potius altius repetamus: Cōfitebor tibi, quoniam terribiliter magnificatus es: Quid cum terribiliter dicat, significat? multa sunt, quæ licet miramur, non tamen cum timore: Verbi gratia: Magnifica ædificia columnarum, ornāmēta parietum, picturas corporum, flores & elegantiam miramur. Item maris vastitatem, immensosq; gurgites, sed non sine metu, cum eius inspicimus altitudinem. Sic & propheta cum vastum id immensumque diuinæ sapientie mare inspicit, vertigine quasi tentatus stupefcit, ac summo cum timore demirans recedit, atque exclamat: Cōfitebor tibi, quoniam terribiliter magnificatus es mirabilia opera tua. Ac rursus: Mirabilis facta est scientia tua ex me. Corroborata est, & nō potero ad eam. Vide modestiam famuli, nota animi gratitudinem. Gratias, inquit, propterea tibi ago, quod te dominum habeo incomprehensibilem. Non de substantia agit hoc loco, illam enim vt pote inter omnes constantem esse incomprehensibilem omittit. Sed cum deum esse vbique cogitaret, hæc retulit, explicauitq; ne id quidem se intelligere, quemadmodum fieri possit, vt deus vbique adsit. Hac de re eum illa dixisse, accipe ab his quæ adiungit: Si ascendam in cælum, tu illic es, si descendero in infernum, ades. Videtne quā propheta, quæ admodum deus vbique adsit, intelligere nequeat, sed ambigat, hereat, vacillet vna eius ipsius rei cogitatione. Quo modo igitur fieri potest, vt non ad postremum infaniam sint profecti, qui tantum ab illius gratia absunt, quantum quid ipsa dei substantia sit, curiose quærunt & perscrutantur? Atqui hic est ille propheta, qui incerta, inquit, & occulta sapientia tuæ manifestasti mihi: veruntamē qui occulta & incerta diuinæ sapientie percepit, de hac eadem sapientia refert, immensa est, incōprehensibilis est. Quippe qui magnus dominus dicat, & magna virtus eius, & scientiæ eius non est numerus: id est, nulla est cōprehensio. Heus tu, quid ais? Sapientia dei non comprehendit à nobis potest? Nonne istud perspicua sit infania? Magnitudo eius nullo describitur sine, & tu substantiam describere audes, satisque completi animo posse opinaris? Hæc eadem cum Esaias pro suo nobilissimæ philosophiæ studio cōtemplaretur: Generationem, dicebat, *Esaias. 53.* eius quis enarrabit? nō, quis enarrat: sed, quis enarrabit: vt omnem posteritatis temporis rationē secluderet. Cum itaq; David dicat: Mirabilis facta est scientia tua ex me, Esaias non ex se tantummodo inquit, verum etiam ab omni natura humana secludi narrationē eiusmodi asserit. Sed videamus, an Paulus vas illud electionis cognouerit, vt pote quia gratia ampliore potiretur. Omnino hic est, qui illa refert: Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. Nec eo loco solum, sed etiam alibi, non de substantia, sed de sapientia ipse quoque differēs ea, quæ in prouidentia versetur, non de illa vniuersali, qua angelis, archangelis, ac omnibus supernis virtutibus prouidetur: sed de ea prouidentia parte, qua hominibus terræ incolis cōsultitur, ac de eius ipsius parte, nec tamen totam eam scrutatur, qua sol oritur, qua animæ inspirantur, qua corpora effigiantur, qua mortalia aluntur, qua vniuersus mūdus cōtinetur: sed hæc omnia omittens, & particulam quandam diuinæ prouidentie inquirens, qua scilicet Iudæos neglexerit, gentes autem natos receperit, amplexus sit: & hanc ipsam particulam veluti ad mare immensum & gurgitem prælatū inspiciens, cōturbatur, deficit & recedit, illico voce magna exclamat: O altitudo diuitiarū & sapientie & scientie dei.

tia dei, quam inscrutabilia sunt iudicia eius. Non incomprehensibilia dicit, sed inscrutabilia: quod si scrutationem non patiantur, longe minus percipi possint & comprehendi. Et inuestigabiles viae eius. Iam vias eius inuestigabiles esse audis, & ipsum esse comprehensibilem putas. Sed cur loquar de viis: pramia ipsa, quae nos manet, comprehendi non possunt. Oculum enim non vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis ascenderunt, quae deus praeprauit his qui diligunt eum. Et munus eius inenarrabile est. Gratias enim deo, inquit, pro inenarrabili eius dono, & pax eius omnem excedit intellectum. Quid ais: iudicia inscrutabilia sunt, & viae inuestigabiles, pax omnem excedit intellectum, donum inenarrabile: quae praeprauit diligentibus se, non ascenderunt in cor hominis, magnitudo finem non habet, scientia caret numero, omnia eius incomprehensibilia sunt: & ipse solus est comprehensibilis: quis ad tantam insaniam possit accedere? Retine illum haereticum, noli sinere abire, vrge acrius, quere quid in iis Paulus referat. Ex parte cognoscimus. Non id de substantia, sed de dispensationibus dici respondent. Omnino si de dispensationibus Paulus ita dixerit, longe amplius vicimus, quam si de substantia loqueretur. Nam si dei dispensatio incomprehensibilis, multo magis ipse deus incomprehensibilis esse debeat. Verum non de dispensationibus agi hoc loco, sed de ipsa dei substantia, accipe ex his quae adduntur. Cum enim proposuissit: Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus, adiunxit: nunc ex parte cognosco: tunc autem cognoscam sicut cognitus sum. Dic ergo, a quo est cognitus? A deo ne, an a dispensationibus? A deo scilicet. Deum igitur ipsum ex parte cognoscit, non tamen ita ex parte, ut partem substantiae nouerit, partem ignoret, cum deus natura simplicissima sit: sed quod esse quidem deum proculdubio norit, quod autem substantiae sit, omnino ignoret. Sapientem esse certo scit: quantum sapientia valeat, nescit. Magnum esse minime ignorat: sed quemadmodum & quae sit eius magnitudo, intelligere non potest. Vbi que deum adesse exploratum habet, sed quemadmodum, nescit. An prouideat, contineat, tegat, gubernet summa cum diligentia omnia, non dubitat: sed modum quo haec agat, ignorat. Hac de causa ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. Sed iam si placet, dimissis prophetis & Paulo, caelum petamus, & an in illa regione superiori aliqui sunt, qui dei substantiam norunt, quaramus: quaequam si qui id scientes, ibi comperiatur, nihil inde potest deduci argumeti. Nihil enim commune angelis cum hominibus est, cum tam magnum discrimen inter naturam corpoream sit & incorpoream. Veruntamen deus & concedamus, ut latissime intelligatur, deum incomprehensibilem esse, quando ne in caelo quidem virtus aliqua sit creata, quae norit diuinam substantiam. Audiamus igitur angelos ipsos, non quod de diuina substantia illi disputent inter sese, atque disceptent, sed quod glorificent, adorant, & modulos triumphales, secretisque assidue referunt summo cum timore. Alij, gloriam in excelsis deo, modulatur: alij, hoc est Seraphim, sanctus, sanctus, sanctus concinunt: & suos auertunt oculos, cum ne condescensum quidem & indulgentiam dei valeant tolerare. Ad haec, Cherubin benedicta gloriam eius ex loco eius obseruatissime referunt, non quod locus aliquis circa deum constet, sed quod more humano consueuimus dicere, vbique sit, & quemadmodum sit: quanquam ne id quidem tute dici de deo potest. Homines sumus, nec aliter quam lingua humana

A verba de deo facere possumus. Videsne quantum timoris, quanta religionis obseruantia inter angelos est: Vides quantus contemptus, quanta negligentia inter homines? Angeli glorificant, honorant, colunt, obseruat, adorant: homines paruifaciunt, petulanter scrutantur, temere plusquam capere possunt, conantur rapere. Illi commendant & laudant, hi disceptant & plus tibi arrogant, quam valeant intelligere. Illi oculos integunt & venerantur: hi contendunt impudenter inspicere, atque intueri ineffabilem gloriam. Quem non hominum eorum misereatur? Quis non lugeat, quum adeo errantes, insanientesque videat? Volebam prolixius agere, sed quoniam nunc primum in istud disputandi certamen deueni, commodius esse arbitror non plura vobis in praesentiarum proponere, ne larga eorum, quae occurrant, copia, suo impetu memoriam eorum, quae iam accepistis, detrahat atque aboleat. Alias itaque, si deo placuerit, sapius de hac re differemus. Equidem iam pridem haec referre vobiscum & discutere cupiebam: sed cunctandum praeterea, differendumque duxi ob eam rem, quia complures ex his, qui eo morbo laborant, viderem nostris interesse libeter sermonibus: quos cum nollem repellere, linguam adhuc meam retinui, ut primum illos nobis familiares, deuinatosque redderem: deinde in hoc perluctandi genus me more athletarum, expolierem. Nunc vero quoniam dei immortalis gratia ipsi me & adhortentur & cogant adire hunc puluerem, subeo iam pro incomprehensibili deo certamen, & arma suscipio: quae hominum vanas cogitationes, omnem animi elationem atque superbiam, contra dei scientiam possint euertere, fundere, & prosternere. Suscepi tamen non ut euerterem aduersarios, sed ut erigerem iacetes. Haec enim armorum meorum vis est, ut homines contentes feriant atque vulnerent: audientes pie benigneque, curent cum diligentia, & tueantur. Non id genus armorum inferre vulnera, sed mederi vulneribus consuevit. Igitur non contra illos exandescemus, non animo irato agemus: sed modeste, humane, amiceque disputabimus. Nihil enim mansuetudine validius, nihil modestia efficacius. Quam obrem Paulus rem huiusmodi seruari accuratissime monet cum dicat, Seruum domini non pugnare oportet, sed mansuetum est erga omnes. Ac rursus: Modestia vestra nota sit, non fratribus, dicit: sed omnibus hominibus. Quae enim sit utilitas, inquit, si eos diligitis, qui vos diligunt? Si tamen amicitiae detrimento sint, & ad societatem suae impietatis inuident: recedendum, resiliendumque, etiam si cum parentibus agitur, erudendus est oculus si offendit. Ita enim praecipitur: Si oculus tuus dexter te scandalizat, erue eum: quod non de oculo corporis intelligimus. Nam si de corporis natura hoc diceretur, crimen & culpa iure in corporis creatorem transferretur. Praeterea non oculum vnum, sed vtrumque erueri oportet. Nam si alter, id est, sinister relinquetur, non minus scandalizare te poterit. Sed ut intelligas non de oculo dici, adiungit dextrum: quod ostendat praestare, si quem amicum habeas etiam charum perinde ac tuum oculum, eum quoque reicere, & a tua praecidere familiaritate, si modo te scandalizet, hoc est, animae noceat. Quid enim iuuat habere oculum, cum reliquum corpus laedatur & pereat? Ergo si, ut proposui, detrimento sit amicitiae, resiliamus & fugiamus: at si nullam noxam, nullam iniuriam nobis ad religionem, pietatisque rationem inferant, inuitemus, duca mus amicos ad meliora. Verum si neque prodesse amico possis, & detrimentum ex eo haurias: consulere tibi debes, ut

2. Tim. 3.
Philip. 4.

Matth. 5.

Rom. 12.

1. Cor. 4.

tutus, secureque maneat. Fugienda sunt enim amicitiae, si offendant. Si minus probentur, fuge, tamen sine lite, sine pugna. Sic enim Paulus monet, cum dicit: Si possibile est, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Seruus es dei, qui author pacis est: qui cum daemonia eiceret, & bona ageret innumerabilia, & cum male audiret, in homines qui eum dixere demonium habere, non fulmen misit, non ora maledica prostrauit, non linguas igne confudit impudicas, ingratas, improbatas, quanquam haec facere omnia poterat, sed verbis hisce duntaxat maledicta illa auertit: Ego demonium non habeo, sed eum honoro, qui me misit. Famulus item pontificis alapam contumeliose in eius faciem infixit. At ita respondit: Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si bene, cur me cedis? Quod si dominus & angelorum & hominum omnium, vindictam sibi non faciat, sed excuset, & seruo atriensi examinandum proponat, nihil profecto est, quod nos sermone egeamus prolixiore admonitionis: haec enim paucissima verba abunde sufficiant, haec tantummodo animaduerte. Cogita tecum frequenter, meditare & refer. Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si bene, cur me cedis? Et quis sit qui haec dixit, intellige, & ad quem, & cuius causa dixerit. Ita enim efficietur, ut haec verba diuinum quoddam & perpetuum carmen tibi habeantur, ut omnem animi inflationem, omnem timorem doloremque sedare possint & tollere. Cogita dignitatem eius qui affectus est contumelia & auctoritatem, personam vilem atque abiectam eius qui contumelia affecit. Adde grauitatem contumelie, & molestiam, & acerbiteratem. Non enim maledixit solum, sed etiam cecidit: nec modo quolibet cecidit, sed alapa: qua quidem plaga nil ignominiosius, nil contumeliosius esse potest. Sed tamen haec omnia a quo animo tulit, & tranquillo, ut tu latissime intelligeres, quemadmodum modestiam, patientiam, mansuetudinem, denique virtutis officium seruare deberes. Haec non modo philosophari probareque hoc loco debemus fratres charissimi: verum etiam quum res exigit, meminisse & colere probata & commendata, quae diximus: verum non satis hoc est, sed etiam cum res agitur, serues ea oportet, quae probas & laudas. Nam & athleta non frustra se in palestra exercet, sed & fructum, quem ex studio meditandi ceperit, in ipso dimicandi certamine explicat. Igitur & tu qui modo audisti, postea quum ira te concitarit, quantum fructus adeptus hinc fueris ostendens, & verbum illud crebrius dices: Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo, si bene, cur me cedis? Hoc mada memoriae, hoc tuo inscribere animo & tene. Nam ob eam rem idem sapius memoro: ut in animis nostris inhaereat, ut eius memoriam fructumque memoriae nullum tempus: nulla negotij occupatio possit delere. Etenim si haec verba scripta in pagina animorum nostrorum teneamus, nemo tam durus, tam excors, tam insensatus sit & lapideus, ut per iram turpiter efferatur, & erret. Nam omni freno, omnibus habenis firmiter ac validius linguam nostram, ultra modum decoremque se proripientem possunt haec verba inhibere & retinere, possunt haec animum intumescens sedare, compescere, & in perpetua modestia tranquillitateque constituere: possunt haec truces oculos & efferatam faciem emendare, placare, & mitigare: possunt haec pacem plenissimam integerrimamque in nobis creare & conseruare, qua vti nam semper fruamur & potiamur, gratia & clementia &c.

Tomus quintus.



A DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI DE INCOMPREHENSIBILI DEI NATURA CONTRA ANOMAEOS. Homil. secunda.
Ge iterum aduersus impios Anomaeos, certamen ingrediamur: qui si aere ferant, quod impij appellantur, fugiant ipsi rem, ut ego vocabulum fugiam: discedant ipsi a me impia, ut ego ab hac probrosa appellatione discedam. Sed si ipsi cum fidem re ac opere negligant, & semetipsos turpissime tractent, non sentiunt: cur mihi succenseant, qui ea obiicio, quae ipsi summopere exerceant. Nuper quum in hoc venissemus curriculum disputandi, & luctandi captus eosdem tetigissemus, quemadmodum meministis, pugna nos cum cuneo Iudaeorum excepit, cum minime esset tutum membra propria grauer agrotantia negligere. Disputatio contra Anomaeos agi quoque tempore potest opportuno. At fratres nostros morbo teterimo, Iudaeorum opinione laborantes, nisi festinatus ab igne eripuissimus Iudaico, nihil iuuare admonentes possemus, cum iam error ieiunandi ille pro voluntate celsisset firmius. Deinde nos aduentus accepit patrum spiritualium, qui complures huc diuersis ex locis accesserunt. Neque enim per id tempus duximus esse opportunum, ut dum illi omnes veluti flumina quaedam in hoc mare spirituale affluerent, nos sermone prolixiore ageremus: post decessum illorum celebritates percrebrae martyrum occurrere, quorum solennitate negligere, & laudem haudquaquam deberemus. Quae propterea refero atque enuero, ne per aliquam meam negligentiam aut desidiam commissum esse existimetis, ut certamen Anomaeorum usque ad hoc tempus differretur. Nunc itaque cum Iudaeorum pugnam, deo bene iuuante, cursu felici expedierimus, & patres in suas redierint sedes, & martyrum laudes nos satis delectarint, age diuturnum vestrum audiendi desiderium expleamus. Nam certe scio non minus vos hac de re audire cupere, quam me disputare: causam cur ita sit, dicam. Ciuitas nostra semper dedita Christo, eiusque obseruantissima fuit, & paternam hanc denique: acceptis hereditate, ut nunquam pietatis verumque religionis opinionem adulterari, deprauarique pateremini. Vnde id constat: Venerat olim ex Iudaea nonnulli tempore maiorum vestrorum, qui lucem ac mundiciam doctrinae apostolicae perturbarent, atque praeciperent circuncidi, & legem seruari Moysi. Quam rem nouam ferre minime potuerunt, qui per id tempus urbem colebant: sed quemadmodum canes generosi & nobiles, conspectis lupis aggrediuntibus atque vastantibus gregem, sic concitati illi insultarunt, nec prius expellentes profugantesque: vndique illos destiterunt, quam effecissent, ut ab apostolis quoque versus decreta mitterentur, quae & illorum & posterorum omnium impiorum insidias contra fideles & impetus reprimerent atque arcerent. Sed vnde exordiar? An ab ipsa perfidia infidelitatisque eorum improbatione & compellatione: quippe cum summopere nitantur, & omnia tractent ac faciant, ut fidem ab hominibus omnino excludant: quo crimine quid fieri possit grauius? quid ad pietatem scelestius? Cum enim deus immortalis quippiam asserit, accipere cum fide oportet quod asserit, non temere rimari & perscrutari. Vocet me, qui ex his velit, infidelem ac impium, non aere feram. cur ita? quia facta dictaque mea quo nomine appellandus sum, late ostendunt. Stultum etiam me appellet, si placet, in Christo. Nam vel hoc nomen tanquam adeptam coronam gloriabor, & communem hanc habebam cum Paulo nuncupationem. Sic enim ille egregius author scribit: Nos

1. Corin. 4.

stulti propter Christum. Porro hæc stulticia prudentior omni sapientia est. Quæ enim externa illa sapientia comperire non potuit, hæc stulticia quam secundum Christum excolendam censemus, nimirum efficere potuit: hæc tenebras orbis terrarum excussit, hæc lucem cognoscendi reuocauit. Quid secundum Christum stulticia sit, cupis audire. Cum nostras efferas cogitationes comperimus, & animi furentes appetitiones continemus & moderamur, tunc secundum Christum stulticiam colimus: atque etiam quoties data opera animum experte externarum disciplinarum, & vacuum sciscitamentis illis curiosis habemus: ut cum res exegit sacra Christi edicta recipere, vacante & mundum ad recipiendum adhibeamus. etenim quoties aliquis deus asserit, quod minus scrutari ac discutere valeas, ex bona fide recipiendum & admittendum est. Nam rerum eiusmodi causas pertinacius querere, & rationes exigere, & modum sciscitari: animi certe est nimium audacis & temerarij. Quod & ipsum sacra scriptura testimonio confirmabimus. Fuit Zacharias quidam vir miræ virtutis, præclarique nominis: sacerdotio præditus, & patrocinium totius populi commertus apud deum immortalis: qui sancta sanctorum ingressus, ipsum scilicet penetrale, quod vni fas erat illi inspicere, ac pro populo deo supplicans (intellige quantum in illo fuit autoritatis) & dominum reddens propitium famulis, quasi quidam esset interpres dei & hominum: vidit angelum intra parietem sacri illius domicilij stantem, cuius aspectu ictus est: expavidus vocem audit: Noli timere Zacharia, exaudita est oratio tua, & ecce Elizabeth vxor tua pariet filium. Sed vnde hæc verba consequendi habeant rationem? Ille pro populo rogabat, pro peccatis veniam suis conseruis implorabat. Hic noli timere, inquit, nam exaudita est oratio tua. Atque exaudiendi indicium addit, filium in lucem venturum Ioannem. Vide quam recte ista sequantur, quum pro peccatis rogaret populi, nasci ex eo debere filium, qui clamaret: Ecce agnus dei, qui tollit peccatum mundi: ratione sanè optima, ita angelus retulit: Exaudita est oratio tua, & Elizabeth vxor tua pariet tibi filium. Quid ille ad hæc quod enim probare volumus id est, nullam iis dari veniam, qui modos dei oraculorum scrutantur, & hesitant, qui diuinas sententias non fide recipiunt, sed rationis examine requirunt. Conspicatus est suam amentiam, suam canicem, suum debile corpus & imbecillum. Animaduertit suæ vxoris naturam sterilem, atque ita diffidit, & modum quomodo fieret petiit & dixit: Vnde hoc sciam? Quo pacto, inquit, possit fieri? Iam ego consenui & percanui, vxor sterilis prouecta in diebus suis, ætas inepta, natura incommoda, quæ ratio huius pollicitationis sit, non equidem video. Ego qui seram, admodum sum imbecillis: seges quæ semen recipiat, nihil reddere potest. Nonne illi seni dixeris esse ignoscendum, cum rerum ordinem petat, & legem naturæ consideret? Nonne aliquid illud ex ratione rerum deliberare putaueris? Sed tamen deo nullam mereri veniam visus est, & recte quidem. Quum enim asserit deus, nemo suarum rationes debet mouere. Nullus rerum consequentiarum aut naturæ necessitati locus relinquatur. Nil penitus huiusmodi est obiciendum. Vis enim diuinæ sententiæ longe iis omnibus est superior. Homo quid agis? Deus pollicetur, & tu respicis ætatem, & senectutem proponis? Num senectus validior sit voluntate diuina? Num natura potetior sit suo creatori? Nescis verbo illius vno summa atque præcipua esse effecta opera? Iam eius verbum cælum instituit, ange-

los creauit, orbem terrarum condidit, creaturam omnem produxit: & tamē tu de filij procreatione & vnus animule inspiratione dubitas: Idcirco moleste angelus tulit, ne sacerdotij quidem negotio pepercit, imo ob id ipsum poenam illi subeundam censuit grauiorē. Qui enim plus quam ceteri obtinebat honoris, habeat fidem quoque quam ceteri ampliorem. Sed quemadmodum puniatur, videamus. Ecce eris tacens, & non poteris loqui. Lingua tua, inquit, quæ ad meorum verborum diffidentiam suum officium præstitit, poenam incredulitatis ipsius luet. Ecce eris tacens, & non poteris loqui vsque in diem quo hæc fient. Animaduerte clementiam domini & humanitatem. Quia mihi, inquit, non credis, nunc poenam aliquam solues: quum autē re effecta monstrauero quod proposui, tunc illam meam extinguam: quum te punitum iure optimo intellexeris, tunc te supplicio eximam. Audiant Anomœi quemadmodum deus ægre atque moleste tulit, quum eius sententia curiosius quæreretur. Quod si ille quum minus crediderit humano mortaliq; puerperio, puniatur: tu qui diuinam ac ineffabilem & supernam illam vnigeniti generationem pēstas vane & rinaris, quo pacto effugere valeas, quin supplicio plectaris grauisimo? Ille nihil sua autoritate asseruit, sed tantummodo quo pacto res efficeretur, voluit intelligere, & tamen nullam veniam consequutus est: tu qui & scire te vehementer affirmas, quæ omnibus inconspicua, inaudita, & incomprehensibilia sunt, qua excusandi ratione vtaris. Quod genus supplicij non merito tibi haurias? Verum dispensationem generationis ad tempus aliud differamus, nunc priorem causam repetamus: cuius reliquias his diebus superfedimus, quum radicem illam perniciosam secare atque euellere conaremur, quæ parens malorum omnium est, ex qua omnis eorum opinio proficiscitur. Quænam sit ista omnium malorum origo, horret animus dicere, piget ea narrare, quæ illi assidue meditantur atque efficiunt. Quod nemo vnquam dicere ausus est, ipsi se ita deum nosse quemadmodum deus seipse nouit, asserunt. Hoc audent dicere: hoc cunctis refelli debeat argumentis, & tanquam res dubia in controuersiam cadere: Nonne satis hac ipsa verborum serie efficitur, ut omnis eorum impietas late ostendatur? Nonne statim ex se, ipsum eorum scelus explicatur & deprehenditur furor? Id manifesta est infania minime ignoscenda, nouus impietatis modus, nemo vnquam aliquid tale vel animo concipere, vel lingua referre ausus est. Intellige homo infelix & miser, quid nam sis, & quid quæras atque explores. Homo quum sis, deum scrutaris, & nosse omnibus rebus contendis. Tua ipsa tantummodo nomina satis tuæ amentia possunt monstrare nimietatem. Homo es, terra, cinis, caro, sanguis, fœnum, flosculus herbæ, vmbra, fumus, vanitas, & si quid iis exilius, vilius, atque abiectius. Sed nolim ita putetis, quasi ego inuehar in naturam humanam, velimque maledictis eam lacerare. Nec enim à me ista dicuntur, sed à prophetis studio philosophiæ veræ atque nobilis: non tamen ut genus nostrum vituperarent notarentq; illa retulerunt: sed ut hominum stolidorum & despicientium animos opinione inflatos castigarent: non ut nostræ naturæ detraxerent, ac probro darent & vicio, sed quo furentium hominum insolentiam & petulantiam compererent atque ablegaret. Nam si postquam tam copiose, tam seuerè, imo acerbe disputarunt, non desunt, qui animi fatui elatione superbiam diaboli superent: quo tandem amentia non prouerentur,

tur, si nihil eiusmodi sanctissimi illi homines apposuissent: Qui vbi appositam gerunt medicinam, tamē adhuc inflantur & intumescunt: ad quid fastus stoliditatisq; non demum ruisent, ni illi tot atque talia de natura asseruissent humana? Audi quid ille beatus patriarcha de se referat: Ego sum puluis & cinis. Deum alloqui meruit, & tamen nihil propterea effertur, quinimo ea propter moderatiorem se exhibere oportere censebat & humiliorem. At isti qui ne cum vmbra quidem illius sunt conferendi, angelis ipsis maiores sese faciunt & superiores: quam rem certe vltimæ infantiæ argumentum esse nulli dubium est. Deum scrutaris, & pertinaci studio inuestigas, qui nullo esse cœpit initio, nullam patitur immutationem, nullo corpore constat, nulla corruptione disperit, qui vbique adest, omnia superat, omni creatura excellior est. Audi quid de eo propheta prophetantur, & metue: Qui aspicit terram, & contremere facit eam. Aspexit enim, & illico terram tam magnam, tam poderosam commouit & conuulsauit. Qui tangit montes, & fumigantur. Qui commouit orbem terrarum funditus, & columnæ eius concutiuntur. Qui mari minatur, & secatur id. Qui dicit abyssis, desolaberis. Mare vidit & fugit. Iordanis conuersus est retrorsum. Montes exultauerunt sicut arietes, & colles sicut agni ouium. Omnis creatura mouetur, metuit, contremiscit, destituit, soli isti contendunt, despiciunt, negligunt, parui faciunt suam salutem, non dicam dominum omnium. Paucis ante diebus à superiorum virtutum ordine eos admonebamus: hoc est, ab angelis, archangelis, Cherubin, Seraphin, nunc à creatura sensu priuata. Hoc enim generum hominum nullis rationibus cedunt, nullis argumentis flectuntur. Vides cælum hoc, quod pulchrum quod amplum, quod magnificum sit, quemadmodum vario stellarum ordine exornatur & splendet, quantum edurare potuerit temporis. Iam enim quinque milia annorum atque etiam plus seruat & constat, nec tamen longo temporis spacio effectum est ut senescat, sed ad corporis modum adolescentis robusti floret, vigetque ætate: & quam principio sortitum est pulchritudine, eandem integerrimam seruat, nulla ex parte factum deterius tanto spacio temporis. Attamen hoc pulcherrimum, splendidissimum stellis elegantissime ornatum, infessum, eduransque iam diu deus, quem tu scrutaris, & rationibus tuis subicias, & desinis, quasi quis per ludum tugurium faceret, ita summa cum facilitate creauit. Quam rem Esaias propheta pulcherrime exprimit cum dicit: Qui instituit cælum sicut cameram, & extendit sicut tabernaculum super terram. Quid de ipsa terra? qui continet gyrum terræ, qui fecit terram quasi nihil, tam ingens corpus, tam opus arduum. Animaduerte quot montium moles, quot mortaliu gentes, quot stirpium, quot quadrupedum, reptilium denique animantium genera sua dorso sustineat telus. Sed tamen hanc tantamque deus facile adeo condidit, ut propheta quod non exemplum quidem tantæ facilitatis haberet, perinde ac nihil factum tradiderit. Quum enim non satis rerum conditarum magnitudo & ornamenta potentia facultateque sui conditoris exprimeret, sed longe ab omni illius vi & excellentia iacerent inferius, modum prophetæ excogitarunt alium, quo pro viribus possent aliquid plus nobis explicare de diuina potentia: quo magnitudine non solum creaturarum, sed etiam modum creationis referret, ut vtraque ex parte, videlicet tum rerum magnitudine conditarum, tum facilitate condendi possemus dignius quid pro virili nostra de deo omnipotenti intelligere. Igitur non modo rerum magnitudine spectare debemus, verum etiam qua facta sunt à deo facilitate. Nec

solum in terra hoc patet, sed etiam in ipsa natura hominum. Quippe quum auctor dicat: Qui continet gyrum terræ & habitantes in ea quasi locustas: aut quasi stilla situla, omnes gentes in conspectu eius: ne minus considerate quod dicit prætereas, sed diligētius attendas, discutias, atque inquiras rogo & hortor. Repete omnes gentes, complectere animo Syros, Cilices, Cappadoces, Bithynios, Mysos, Phryges, Meones, Lycios, Pamphylios, Iones, Assyrios, Arabes, Indos, Aegyptios, Aethiopes, Pœnos, Hispanos, Gallos, Germanos, Sarmatas, Pannonios, Sauromatas, Massagetas, denique omnes Scythas, degentesque vltra Aquilonem: item Albanos, Iberes, Bactrianos, Caspios, Medos, Persas, Parthos, Armenios, ponti Euxini vicinos omnes & incolas, Thraces, Macedonas, Græcos omnes: adde Epirum, Daciam, Dalmatiam, Italiam: insulas omnes tam interioris maris quam exterioris, ceterasque innumerabiles gentes, quarum ne nomina quidem nouimus: hæc omnia mortaliu genera instar guttæ labentis de situla coram deo versari autumat. Accipe accuratius, dic quæso, quanta eius guttæ particula sis, qui deum, cui vniuersæ gentes pro situla situla habentur, scrutaris atque examinas? Sed cur de cælo, terra, mari & natura hominum loquar? Cælum superet ipsum nostra oratio, & ulterius pergat ad angelos, Nostis denique vnumquemuis angelum rependi, paremque esse vniuersæ huic visibili creaturæ, vel potius multo nobiliorē, præstantiorēque. Nam si homine iusto dignus non sit vniuersus mundus, ut Paulus auctor est, qui dicit: Quibus non erat dignus hic mundus, longe minus ad dignitatem possit accedere angeli, qui omni homine iusto superior est admodum & præstantior. Veruntamen milia angelorum sunt innumerabilia, mille milia archangelorum: adde sedes, dominationes, potestates, principatus, cœtus incorporeos virtutum innumeros, denique genera cœlestia innumerabilia, quæ omnia deus creauit tanta cum facilitate, quantum nemo valeat verbis exprimere. Satis enim illi ad omnia fuerat voluisse. Itaque ut nobis voluntas nihil affert laboris, nihil negocij: sic illi creare tot tantasque virtutes facile fuit, & sine villo labore. Quod propheta expressit cum diceret: Omnia quæcumque voluit, fecit in cælo & in terra. Vidēsne quemadmodum non solum ad condendum res inferiores, sed etiam ad creandum virtutes superiores, vna eius voluntas satis fuerit? Hæc cum audis, non te luges, non te ab hominum consortio distrahis, non te obruis, qui eo temeritatis atque amentia prouisti, ut quem glorificare duxeris debes & adorare, hunc cœli rem quandam abiectam & vilem curiose scrutaris & contendas penitus comprehendere? Hinc Paulus sapientissimus ille cum incomparabilem dei exuperantiam, & naturam humanam fragilitatem cogitaret, contra homines qui dispensationes diuinas scrutabantur & perquirebant, molestissime ferēs dicebat ad hanc vehementiam: O homo tu quis es, qui respondeas deo? Quis es? intellige prius tuam naturam, quæ sit: nomē enim nullum coperies, quod possit tuam satis exprimere exiguitatem. Dices credo, homo præditus sum libertate & honore præponderans. Sed honore adeptus es istud, non ut libertate ad obloquendum abutaris, sed ut eum qui te affecit honore colas atque obserues summo cum honore. Deus te censuit honorandum, non ut eum afficeres contumelia, quod facis quum eius substantiam inquiris & perscrutaris: sed ut animo pio, fideli, modesto, grato vicē pro viribus reddas. Nam dum eius pollicitationes minus scrutaris, glorificas & obseruas: porro cum quæris & curiosius explores, non sententiam solum, sed

etiam dicentē sententias contēnis & negligis. Quam vere deum glorificet is, qui eius pollicitationē minus scrutetur & quarat, ex Paulo accipe, qui de Abraham ac eius obedientia, & in rebus omnibus fide hac dicit: Cōsideravit quidem corpus suum emortuū quum iam ferē centum annorum esset, & emortuam vuluā Sarę: verum in repromissione dei non hāsitavit fide. Natura quidē & atas, inquit, faciebant, vt desperaret, sed fides spem bonā mouebat. Sed confortatus est fide, dans gloriam deo, & plenissime sciens, quia quacunq; promisit, potens est facere. Vides quemadmodū qui ratus & certior de rebus istis est, quas deus asserit, gloriam reddit. Quod si gloriā is reddit, qui confidit & credit: contumeliam certe, qui diffidit, non in deū, sed in suū caput conuertit & trahit. Tu quis es, inquit, qui deo respondes? Deinde quum ostendere vellet, quantum differentia inter deū & hominē est, retulit minus quidē q̄ res tanta desiderat: eo tamen quod proponit exemplo fieri potest, vt etiā longe maiore differentiam intel ligamus. Quid dicat, audi: Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, quid me fecisti sic? An nō habet potestatem figulus luti, ex eadē massa facere aliud quidem vas in honorē, aliud vero in contumeliā? Quid ais? Itāne debeo subiici & obtemperare deo, vt lutū figulo? Ita inquit. Tantū est enim inter deū & hominē discrimen, quantū inter figulū & lutū: vel potius ne tantū quidē, sed longe amplius: quippe cū luti & figuli eadē natura sit. Quod etiā apud Iob scribitur: Sine, inquit, habitantes domus luteas. Sed si homo nobilior & formosior luto videatur, hoc non diuersitate naturā, sed ingenio artificis prouenit: Nam materiā quidem ratione nihil inter lutum & te interest. Quod si nō credis, sepulchra & monumenta inspicite maiorū tuorū, illa suo exēplo facile tibi possunt persuadere te puluerē esse & lutum. Discrimen itaq; luti & figuli nullū est. At inter deū & hominem tanta est substantiā differentia, quanta nec lingua narratur, nec animus complecti omnino polleat. Quo igitur modo illud manibus figuli, quocunq; duxerint, obsequitur, paret & seruit: sic tu morē gerere ac deo obtemperare proptus, libensq; debes, quoties aliquid iste statuit & dispēsat: nec aliter q̄ more luti ad nutū te voluntati diuinā exhibere tuum omnino est. Nō enim ob eam rem Paulus illa scripsit, vt nobis potestātē agēdi auferret, & liberum arbitrium tolleret: sed vt multo amplius nostram temeritatē, procacitatēq; prohiberet atq; perimeret. Sed si placet, illud etiā videamus, quid quū illi intelligere velint tam vehementer increpātur & reprimuntur. Num substantiā dei scrutabantur? Minime: nemo vnquā id ausus est. Sed quod est minus, dispēsationes diuinas quærebant, scilicet quā ob rem hominū alius puniretur, alius veniā impetraret, alius supplicio liberaretur, alius angorib⁹ & molestiis implicatus esset, alij ignosceretur, alij minime. Hæc enim & cetera id genus illi sciscitabātur & quærebāt, Vnde id cōstat: ex his quæ scribūtur superius. Cū enim dixisset. Ergo quē vult miseratur, & quem vult indurat: dices itaq; mihi, quid adhuc queritur: volūtati enim eius quis resistet? adiūxit cōtinuo: O homo tu quis es, qui respōdeas deo? Ita cōstat, eos cōfutati & reprimi qui curiosius dei quærebāt dispēsationes. Quod si illis ne id quidē cōceditur, tu qui beatā illā substantiā, quæ rebus omnib⁹ cōsulit, quæ omnia regit, gubernat, dispēsat, tā curiosè inquiris & perscrutaris, nō te putas mereri, vt fulminibus innumerabilib⁹ corripiaris? Qui fieri potest, ne ista sint furoris summi facinora? Audi prophetā dicentē, vel po

tius deū immortalē verba facientē oris illius: Si pater ego sum, vbi est honor meus? Et si domin⁹ ego sum, vbi est timor meus? Qui enim metuit, nō scrutatur, sed colit, obseruat, adorat, honorat, glorificat, laudat, cōmendat. Accipe hæc tum à superis illis virtutibus: tum vero ab ipso beato Paulo, qui vt ceteros reprehendit, ita ipse non aliter agit quā doceat: audi quid ad Philippēses scribat, cum se particularem adhuc tenere scientiā & nondum totam perfectamq; recepisse velit declarare: quod idē scribens ad Corinthios dixit: Ex parte cognoscimus. Fratres ego me nondum arbitror comprehendisse. Quid hac voce apertius, quid certius, quid expositius, quid deniq; manifestius dici potest? Tuba clarior sonat, vniuersum cōmouere faciens orbē terræ, cōtentū esse eo ipso sciendi modo, quē deus præbendum censuerit, nec totū perfectūq; scientiæ munus in hoc seculo se recepisse existimare. Quid dicis Paule? Christū in te ipso loquentē geris. Idcirco ita sentio, ita mihi est persuasum doctrinā ipsius Christi, qui in me loquitur, beneficio. Quam ob rem isti quoq; nisi penitus spiritus sancti adiūmeti & auxiliij essent inanes, eiusq; omnem intelligendi operandiq; gratiā ab animo suo exterminassent, non cū Paulus diceret, nondū comprehendisse me arbitror, ipsi totā scientiā adeptos esse arbitrarentur. Vnde, inquis, id constat, vt de fide, scientia & opinione ista dicantur à Paulo, nō de vita & moribus? Quasi dicat: Ego minus me esse perfectum virtute ac vitæ officio, probū & laudabilē arbitror. Profecto hoc ipsum amplissime ille explicauit, cum diceret: Certamē bonū certavi, cursum consummaui, fidem seruauī, de reliquo reposita est mihi corona iusticiæ. Qui itaq; recepturus erat coronā, & suū cursum perfecit: qua ratione dicere apte de se potest, nondū cōprehendisse arbitror? Agēda item, & nō agenda nemini esse possunt incerta, sed omnibus tā Græcis, quā barbaris vitæ officia explorata habētur omnia: nec est vllū mortaliū genus, quod ignoret quid honestū sit, quid turpe, quid iustum, quid iniustum, quid vtile, quid inutile aut detrimentosum: quid deniq; probatū improbatūve ex legibus & institutis maiorū suorū. Quo igitur pacto ipse vnus se intellexisse comprehendisseq; negaret, quæ omnibus cōstant? Atq; vt latius mea hæc sententia pateat, epistolā ipsam non itē interciscam, sed continentē exponā. Cū enim dixisset: Videte canes, videte malos operarios, cū plura de his qui importune ritus Iudaicos introducebant disseruisset, addidit: Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta, vt inueniri non habēs iusticiā, quæ ex lege est: sed iusticiā quæ ex deo est, quæ per fidē Iesu Christi est. Post hæc qua de de fide loquatur, adiungit: Vt eū cognoscerē, & potentiam resurrectionis eius, & societate passionū eius. Sed quid signat cū dicit: potētiā resurrectionis eius? Nouus quidē, inquit, & inusitatus resurgendi modus apparuit. Plerique enim antea resurrexere mortui, verum eodem quo Christus modo nemo vnquā surrexit. Ceteri quippe omnes, qui aliquādo resurrexerunt, in terrā iterum redierunt: & mortis vinculis relaxati ad tēpus, rursum ad potestātē illius ducti sunt. At corpus ipsius domini cū semel surrexerit, nunquā præterea collapsum in terram est, sed cœlū ascendit, & tyrānide hostis remp̄ta, ex toto vniuersum terrarū orbē secū luci restituit, & nūc victor & domin⁹ omniū regio sedet folio: Quæ cū animaduerteret omnia Paulus, velletq; explicare tot tamq; admirāda, quæ ratione quidē nulla, fide autē vna possent recipi, ac pro veris certisq; haberi, dixit

Iob 4.

1. Corin. 13.

2. Tim. 4.

Philipp. 3.

xit fidē cognoscēdi potētiā resurrectionis eius. Nam si resurrectionē absoluta contēplatione nulla docere ratio potest, cū hoc sit plus q̄ natura & series rerum patiatur: quo pacto eā exprimere possit resurrectionem, quæ tā à ceteris omnibus differat resurrectionibus tāq; nobilior sit & admirabilior? Nulla certe ratio est quæ rem tantā attingere valeat, sed fide opus est, si opinari velimus corpus mortale, fluxū, caducū, sensu omni priuatū surrexisse, & vitā recepisse perpetuā, nullo fine, nullo termino describendā. Quod idē alibi significat his verbis: Christus cū ex mortuis resurrexerit, nō præterea moritur, mors illi vltra nō dominabitur. Duplicatur itaque admiratio, cū & surrexerit, & eo modo surrexit: causa hæc est, cur dicat fidē cognoscēdi potētiā resurrectionis eius. Quod si fieri non potest, vt eius resurrectionē ratione captemus, lōge minus superā illā generationē ratiocinari nos possumus, & eius elicere scientiam. De his rebus cū Paulus disputaret, de cruce quoq; & passione domini egit, quæ & ipsa cōmittefida fidei cœluit: quæ vbi mouit, explicauitq; omnia, id addidit: Ego me arbitror nō comprehendisse. Nō ego arbitror me nō scire, aut nosse dicit, sed cōprehēdisse: ne ex toto vel scire vel ignorare intelligatur. Quod enim fateatur se arbitrari nondū cōprehēdisse: adhuc illū esse in via, & ambulare ac vltius pergere, necdū deuenisse ad finem, quē totū adipisceretur, significat. Quod ad alios quoq; scribens sic admonet, dicens: Quicunq; perfecti sumus, hoc sentiamus: & si quid aliter sapitis, hoc deus reuelabit, non ratio docebit. Vides nō de vita & morib⁹ agi, sed de opinione & fide: Vita enim & mores nō desiderāt reuelationē, sed opinio & scientia. Quod idem etiā alibi significans scribit: Si quis existimat se aliquid scire, nondū aliquid nouit. Nō enī nihil omnino scire asseuerat, sed nihil quēadmodū oporteat. Habet quidē scientiā, sed non perfectā illā & exquisitam. Quod vt latius ita esse intelligas, omīssis superiorib⁹ illis, mēteq; illa accipiēdi, inferiorē hanc & sensu nostro subditam creaturā prosequamur. Cœlū hoc formā quidē concauerati gerere nouimus, idq; non ingenio nostro & ratione, sed diuinā scripturā sentētia. Cōplectiq; idē vniuersam terrā nō ignoramus, quod & ipsum ab eodē diuino fonte hausimus. Sed qua substantia constat, nescimus. Dicat qui cōtēdit, & se nouisse affirmat, quid substantiæ cœlū sit. Num humor quidā in gelu concretus? Num obdensata nubes & in spissiorē obducta substantiā? Num aer crassus & corpulentior? Nemo certe quid sit, plane docere potest. Quod si ita est, quis præterea potest argumentum, quo amentia intelligat, & furorē eorū qui deū, quid sit se scire autumat: Cœli quod quotidie cernis, naturam reddere nequis, & inuisibilis dei substantiam scire indubie profiteris: Quis tam rudis & insensatus sit, quin his qui hæc garrulant, non postremū insanie irroget? Quas ob res vos fratres charissimi omnes & hortor & rogo, curare tētetis pro viribus eorum opinionē, perinde ac insanie & deliriū furentiū, cū modestia tamen & cū clementia. Nam hæc eorum opinio orta est ex stoliditate & inflatione mentis vehementissima: vulnera autē inflata & tumescencia tactum omnem recusant asperiorē, ne attrēctationē quidē manus patiuntur. Proinde medici spongia quadā præmolli & humefacta vlcera leuiter leniterq; attrēctare cōsueverunt. Quod cum his quoq; vlcus in animo sit in flatum ac tumescēs, officij est his quas diximus rationibus, velut humore quodā clemente ac mirifico, spongia molliissima abluendū curare, atq; flatū eorum cōpescere, ac

Roma. 6.

Philipp. 3.

1. Corin. 9.

tumorem omnē diffundere conari: & quāuis nos afficiant contumelia, quāuis inspuant, calcitrēt, quodcūq; faciant, noli relinquere curā, noli deserere hominem, Multa enim huiusmodi patiatur necesse est, qui furiosum hominē curat. Nō propterea desistendū est frater charissime, quinimo ea propter maiore in modū miserandū, illachrymandūq; quod tali genere morbi laborant & pereunt. Hæc tamē ad eos dicta intelligi volo, qui animo sint firmiore, qui nullum ex societate, colloquiisq; eorū possint capere detrimentū. Nam qui infirmior est, fugere debet congressum & vocem, deuictet is conuentū eiusmodi hominū, ne ratio amicitia pariat errorē impietatis. Sic enim & Paulus facit, ipse quidem cū agris conuersatur, & dicit: Factus sum ludæis tanq̄ ludæus, his qui in lege erāt, tanquā sine lege essem. Sed suos discipulos atq; infirmiores auocat, cōmonefaciens ad hunc modū dicens: Corrumpunt bonos mores colloquia praua. Quod propheta etiā præcipit, cum dicit: Exite ex medio eorū, & separamini, dicit domin⁹. Me dicus enim cū ad ægrotū accedat, prodest sapenūmero & illi & sibi. Sed si quis parum sanius validusq; accesserit, & se & ægrotantem mutua cōtagione reddet infirmiorē: & qui prodesse illi haud quicquam potuisset, sibi ipsi magnam hausit labem. Omnino quēadmodum, qui oculos inspicunt lippientium, malo afficiuntur eodem: ita his accidit, qui consortium blasphemorum & scædorum illorum hominum adeunt, eo quod animo sint infirmiori: plurimū quippe contrahunt sibi impietatis & stolidorū numerum augent. Igitur qui ita se habent, vt offendantur, vitent & fugiāt illorum colloquia, & optent duntaxat, vt clementissimus deus qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, liberet eos ab errore & diaboli laqueo, & ad lucem scientiæ restituat: hoc est, ad deum & patrem, qui viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Esai. 3.

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI
de incomprehensibili dei natura, contra
Anomæos, Homilia tertia.



Gricolæ, quibus non deest industria, arbore quam syluestre ac sterilem viderint, suis officientē laboribus, vel ex radicis reptatu improbo, vel vmbra opacitate nimia detrimentum inuehentē generi vrbano stirpiū & frugali, præcidendā tollendāq; summo studio curare consueuerūt: qua in re flatus quoq; interdū, casusq; adiuuat, qui suo impetu comā intorquens vehemētius arboris frangat stipitē, molem totā prosternat, itaq; bona laboris parte leuet agricolā. Cum itaq; nos quoq; arbore præcendentem curemus syluestre, atq; erraticā ipsam Anomæorum opinionē, deū immortalē rogemus, nobis gratiā sui diuini spiritus mittat, quæ omni vehementius flatu occursans, errorē illū stirpitus extrahat, & nostrū laborem reddat leniorē. Profecto vt seges cultu solito destituta herbas viciosas educit, & sentibus horret, & arbores sponte interdum edit syluestres: sic animus Anomæorum cultu scripturæ sacræ priuatus, & carens doctrinæ sanctæ & Christianæ munere, sponte ac suo pte motu ferocem istam & horridam promptit hæresim. Hanc etenim arborem non Paulus plantauit, nō Apollo rigauit, non deus auxit: sed plantauit rationū intempestua scrutatio, rigauit superbia stolidā, auxit ambitiosa cupiditas. Itaq; flamma spiritus sancti opus est, vt non solum extrahamus pessimam istā radicē, sed etiā peruramus. Inuocemus igitur deum ipsūm, quē illi malis

ledictis laceſſunt, nos omni laude proſequimur & honore: rogemusq; vt lingua ad dicendū plenius & mentem ad intelligendū certius excitet. Cauſam enim illius agimus, pro cuiusq; gloria laboramus, vel, vt verius loquar, pro ſalute noſtra contendimus. Deū nanq; nemo quiſquā eſt, qui vel contēnendo offuſcet, vel commendando reddat illuſtorem. Manet ille quidem ſemper in ſuo eodem ſtatu cum gloria, neq; laudibus ampliā- dus, neq; maledictis diminuendus. Homines vero, qui digne illum commendant, vel potius qui pro viribus (nam digne quis poteſt commendare) fructum ſibi ex ea ipſa commendatione egregie capiunt. Contra, qui blaſphemant & pro nihilo putant, ipſi lædunt ſalutem & perimunt. Veriſſima nanque illius ſententia eſt, qui blaſphemis inquit hominibus: Lapidem qui ſurſum iaciunt in excelfum, in ipſorum caput iaciunt & contendunt. Quemadmodum enim qui lapidē illō iaculatur, corpus cœleſte non attingere, nedū lacerare poteſt, plagam autē ſuo capite excipit, cum lapis eodem vnde iaculatus eſt redeat: ita qui beatam illā blaſphemam ſubſtantia, vt nunq̄ offendere eā poteſt, cum longe potior atq; excelfior ſit, q̄ vt affici aliquo poſſit detrimeto: ſic ferrum aduerſum animam ſuā acuit & parat, cū ſe ingratum domino bene merēti exhibet. Inuocemus itaq; ipſum ineffabile, inuiſibile, incompreheſibile, inintel- ligibilem deū, qui omnē linguæ humanæ ſuperat facultatem, qui omnes mortalis intelligentiæ vires excedit: quē neq; angeli inueſtigare, non archangeli indagare, non virtutes, nō deniq; aliqua creatura cernere valet: ſed filius dūtaxat cognofcit & ſpiritus. Nec vero ignoro aduerſarios noſtros verbis his meis inſolentiā ſummam obiecturos, quod ne ſupremis quidem virtutibus deum eſſe comprehenſibilem iudicē. Verum ego ſuum ob idipſum illis obiicio furorem. Nō inſolenter is agit, qui natiuorum omnium vim comprehendere & ſuperari à ſuo creatore autumat, ſed qui ipſum incomprehenſibilem virtutibus ſuperis exiſtimat poſſe deſcribi & cōprehendi rationibus hominum, qui terrenam hanc regionem incolunt, & tam à ſuperis illis diſtant ac diſcrepant. Ego niſi quod pollicitus ſum, probauerim atque demonſtrauerim, me crimine inſolentiæ dam- nandum eſſe conſiteor. Atqui vos poſteaquam oſten- ſum ſit deum incomprehenſibilem eſſe virtutibus ſuperis, contendetis præterea & affirmabitis voſmet illum noſſe, & comprehendere: quo terræ hiatu, quo præcipitio, qua mala cruce non iure optimo puniamini, qui eo inſolentiæ deueniſtis, vt quæ virtutes incorporeæ omnes inſpicere nequeunt, hæc vos explorata certaq; habere putetis, ac prædicetis? Age igitur ad rem ipſam demonſtrādā explicandāq; veniamus, ſi prius interim orauerimus, à deoq; implorauerimus auxilium.

1. Timo. 6. Sapius enim orandi ratio rem de qua agitur, probabit atque exponet. Inuocemus itaque ipſum regem regum, & dominum dominantium, qui ſolus habet immortalitatem, & lucem inacceſſibilem habitat: quem nullus hominum vidit, neq; videre poteſt, cui eſt honor & imperium, in ſempiternum, Amen. Hæc nō mea ſunt verba, ſed Pauli. Tu velim animi deuotionem intelligas, & amorem penē incredibilem. Cum enim dei meminerit, non ante ad deſtinatā doctrinæ rationem venire patitur, quā debitum ſuum exoluat, finem dicendi faciens cum commendatione & laude. Nam ſi memoria iuſti cum laudibus, teſte Salomone viro ſapientiſſimo: longe magis mentionem dei immortalis facere cū commendatione debemus & laude. Quod idem Pau-

lus in exordiis ſuarum epiſtolarum facere aſſolet. Sapius enim cum epiſtolā ordiatur, ſi dei meminerit, non prius pergit vterius, quā debitam reddat commendationem & gloriam. Audi quid ſcribens ad Galatas dicat: Gratia vobis & pax à deo patre noſtro, & domino Ieſu Chriſto: qui dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris, vt eriperet nos de præſenti ſeculo nequam: ſecundum voluntatem dei & patris, cui eſt honor, & gloria in ſecula, Amen. Atq; etiam alibi: Regi autem ſeculorū immortalis, inuiſibili, ſoli ſapienti deo honor & gloria in ſecula, Amen. Sed nunquid in patre tantummodo hoc facere conſuevit, non itidem ſeruat in filio? Vide quemadmodum in vnigenito quoq; faciat hoc idem diligentiffime, cum enim dixiſſet: Optabam anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati ſecundum carnem, adiunxit: Quorum adoptio filiorum, & gloria, & teſtamentum, & legiſlatio, & obſequium, & promiſſa, quorū ſunt patres, & ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt benedictus ſuper omnia in ſecula, Amen. Iam vt patri, ſic etiā filio poſtquam laudem & gloriam reddiderit, ſermonē aggregidit: quippe qui dicentem audierit Chriſtum, vt omnes honorēt filium, ſicut patrem honorant. Sed vt intelligatis ipſa noſtræ orationis propoſita verba ea eſſe, quæ rem de qua agimus probare poſſint atque exponere: age hæc ipſa in medium afferamus. Regem regum, inquit, & dominum dominantium, qui ſolus habet immortalitatem & lucem inacceſſibilem habitat. Hic inſiſtendum interrogandumq; hæreticum illū, quid hoc ſignificet: Et lucem inacceſſibilem habitat. Atq; attendas velim diligentiq; Pauli. Non enim dicit, qui lux inacceſſibilis eſt: ſed, qui lucem inacceſſibilem habitat, ſcilicet vt intelligas, quā ipſe habitans deus inacceſſibilis ſit, quando domicilium quod inhabitat inacceſſibile eſt. Non tamen ita hæc refert, vt dei locum, & domum eſſe ſuſpiceris: ſed quo latius, quā ipſe deus incomprehenſibilis ſit, accipias. Quapropter nec lucē incomprehenſibilem habitat, dicit, ſed inacceſſibilem: quod longe pluſquam incomprehenſibile eſt. Quod enim inqueſitum, inueſtigatumq; comprehendere nō poteſt, id eſſe incomprehenſibile dicimus. Quod autē ne inueſtigandi quidem vllō pacto operam patitur, & ad quod nemo propius accedere poteſt, id inacceſſibile eſt. Exempli gratia: Mare incomprehenſibile dicimus, quod ſubeuntes vrinatores, multumq; altitudinis trāſmittentes fundum attingere nequeunt: inacceſſibile, quod nemo vel vrinari tentet, vel metiri. Quid ad hæc dixeris? Hominibus, inquis, lux illa incomprehenſibilis eſt, non angelis, non virtutibus ſuperis. Tu vero angelus es, inter virtutes incorporeas enumeraris: nō homo es, & eiufdem cuius ego ſubſtantia? At etiam tuæ naturæ oblitus es? Sed ponamus hominibus tantū eſſe inacceſſibilem, quanquam hoc non additum eſt, nec ita Paulus ait, hominibus lucem inacceſſibilem habitat, angelis vero non inacceſſibilem. Veruntamen hoc ſi placet do tibi, & pono. Sed licet angelis ſit acceſſibilis, quid hoc ad te hominem, qui examinas & contendis, & comprehenſibilem eſſe naturæ humanæ diuinā illam ſubſtantiam iudicas? Verum vt non hominibus ſolum, ſed etiam virtutibus ſuperis incomprehenſibilem eſſe intelligas, audi quid Eſaias dicat: (cum autem Eſaiam dico, ſententiam ſpiritus ſancti intelligo: propheta enim non niſi quæ diuinitus inſpirantur, ſcribit & loquitur.) Anno quo mortuus eſt rex Ozias, vidi dominum ſedentem in folio excelfo & eleuato, & Sera-

phim

phin ſtabant circum eum, ſex ala vni, & ſex ala alteri: duabus obuclabant facies ſuas, & duabus obuclabant pedes. Dic quaſo, quamobrem alas prætendunt, & ſuas operiunt facies: quid aliud dixeris cauſā, quā ſplendorem procurſantem è folio illo, & fulgur proſiliens ferre nequire: quanquam non ipſam meram videbant lucem, nec ipſam ſynceram ſubſtantiam: ſed quæ videbant, condeſcenſus erant & indulgentia. Quid nomen hoc condeſcenſus ſignificat? Cum deus nō vt eſt, ſe oſtendit: ſed quoad videre is poteſt qui aſpectum huiusmodi meruit, eatenus firmitate videntis ſuam repræſentationem metitur ac temperat, condeſcendere illum tantisper dicimus: & eiufmodi rem condeſcenſum nominamus & indulgentiam. Conſtat & illa condeſcenſum fuiſſe verbis ipſius prophetæ. Vidi dominū, inquit, ſedentem. At deus non ſedet, corporis enim hic habitus: & in folio, cum deum nullum folium complectatur. Eſt enim nullius penitus capiens deſcriptionis. Attamen ne condeſcenſum quidem ferre potuerunt, quanquam propinqua: Seraphin enim ſtabant circum eum, inquit: quod tamen non loci ſignat propinquitatem. Sed cum ſpiritus ſanctus vellet oſtendere illas eſſentias, quanquam diuinæ ſubſtantia propiores, non tamen propterea poſſe proſpicere: idcirco dixit, Seraphin ſtabant circum eum, non vt locum & ſpaciū indicaret, ſed quod ex ipſa loci propinquitate propius quā nos illas eſſe oſtenderet: deū namq; incomprehenſibilem eſſe non pari modo nos atque virtutes nouimus. Sed quanto illa excretiores, puriores, ſapientiores, & perſpicaciores ſunt natura humana, tanto perfectius norunt, & melius. Quemadmodum lucem radiorum ſolis non tam cæcus, quā qui videt, eſſe inacceſſibilem nouit: ſic naturam dei inacceſſibilem non eodem nos nouimus modo quo illa ſuperæ virtutes & incorporeæ. Quantū enim inter hominē cæcū & videntem diſcriminis eſt, tantum illa à nobis differunt. Quamobrem ſi prophetam dicentem audis, vidi dominum: noli quaſi eius ſubſtantiam viderit, ſuſpicari, ſed condeſcenſum ipſum vidiffe intellige, eumque obſcurius, quā virtutes ſuperæ videant: non enim tantum videre, quantum Cherubin potuiſſet. Sed cur de beata illa ſubſtantia loquor, quando ne angeli quidem ſubſtantiam homo videre libere valeat? Quod vt ita eſſe intelligatis, hominem vobis in medium ducam, dei immortalis familiarem, & plurimum confidentem audentemque cum ſapientia & religione, cum iuſticia cæterisque virtutum officiis, ſanctum Daniëlem, cuius inſignem pietatem & probitatem iuuat audiuiſſe: vt cum eum oſtendam expauſcentem, languentem, deficientem, deſtitutum omnino propter præſentiam angeli, nemo cauſa peccatorum malaq; conſcientiæ hoc accidiſſe exiſtimet: ſed expoſita illius animæ humanæ fragilitas planè deprehendatur, & pateat. Hic igitur Daniël trium hebdomadarum diebus panem deſiderabilem non comedit, & vinum aut muſſum nō introiuit in os eius, neque vnguento vſus eſt. Tum viſionem meruit illam, cum iam aptior eius animus eſſet ad recipiendam eiufmodi faciem, lenior ſcilicet ieiunij beneficiſ factus, & ſpiritualior. Quid igitur inquit: Leuaui oculos meos & vidi: & ecce vir lineis veſtitus, & renes eius accincti auro obryzo, & corpus eius quaſi chryſolithus, & facies eius quaſi ſpecies fulguris, & oculi eius quaſi lampas ardens, & brachia eius & crura, quaſi ſpecies æris candentis, & vox ſermonum eius, vt vox mul-

titudinis. Vidi autem ego ſolus hanc viſionem, porro viri qui erant mecum non viderunt: ſed terror nimius irruit ſuper eos, & fugerunt in abſconditum, ego ſolus relictus vidi, & non remanſit in me fortitudo: ſed ſpecies mea immutata eſt in me, & emarcuit, nec habui in me quicquā. Quid iſtud ſit, ſpecies mea immutata eſt, & emarcuit: Fuit ille adoleſcens corpore pulchro, forma perquam venuſta & liberali. Quem florem, quam elegantiam oris, cum ſummus præſentiæ diuini angeli pauor abſumpſiſſet, pallorēq; induxiſſet, & vultus triſticiam, adeo vt perinde quaſi animam expirare videretur, hac de cauſa dixit: Species mea immutata eſt, & emarcuit. Vt enim vbi auriga perterritus habenas amiſit, equi præcipites feruntur, & curruſ diſtractus labefactatur, ac perit: Sic prorfus euenire animo ſolitum eſt, quoties magno occupatur ſtupore, grauique metu detinetur: quippe qui iſtus expauſidusque ſuo deſit officio, ac veluti quaſdam habenas ſuas actiones amittat, membraq; ereptis ſenſibus deſerat, quæ protinus amiſſo, quo continentur & reguntur, frigent, corruunt & labuntur. Quod Daniëli quoque tunc accidit. Quid angelus facit: Erigit hominem, ſicq; alloquitur: Daniël vir deſideriorum intellige verba quæ ego loquor ad te, & ſta in gradu tuo: nunc enim miſſus ad te ſum. Ille ſurrexit tremebundus. Et cum angelus item is ad eum fari inceperit: Ex die, quo poſuiſti cor tuum affligi in conſpectu dei, exaudita ſunt verba tua, & ego veni propter ſermones tuos: Ruſum frangitur, & exanimatus labitur in terram. Quod euenire his, quibus animus deſicit, ſolet. Vt enim illi cum receperint ſe, erectique reſpexerint, aliquandiu ruſum inter ſociorum amplexus, dum frigidus inſperguntur rore, deſiciunt, reſolutisque membris collabuntur: ſic nobilis ille propheta afficiebatur, laborabat, occumbebat: animus enim metu vehementi percuſſus, conſpectusque impatiens angeli, minime lucem illam ferre idoneus, ſolicitabatur, & admodum conturbatus cadebat, quaſi ſe extrudere corpore veluti vinculis feſtinaret. Audiant qui principem angelorum perpensant atque examinant. Daniël quem venerati leonum oculi ſunt beluarum ferociſſimarum, Daniël qui pluſ quā natura pateretur humana efficere potuit, præſentiam angeli ſui conſerui ferre nequiuit: ſed deſectiſſimus viribus, atque exanimatus iacuit. Sunt enim conuerſa, inquit, inteſtina mea in viſione mea, & nihil in me ſpiritus remanſit. Iſti qui tam longe ab illius iuſtiſſimi hominis virtute abſunt, & iacent, & ſordent, ipſam ſubſtantiam dei ſeſe diligentiffime noſſe profitentur: quæ ſuprema & prima eſt, quæ milia angelorum creauit, quorum vnum Daniël videre non potuit. Sed redeo ad id quod propoſui explicandum, & quā ſuperis quoque virtutibus deus quanquam condeſcendēs minime conſpiciatur, oſtendam. Cum enim Seraphin alis productis ſeſe obuclant, nulla prorfus alia ratio eſt quā lux, quam inacceſſibilem deū habitare præclare Paulus retulit: nec Seraphin ſolum re ipſa lucem eſſe inacceſſibilem prædicant, ſed etiam Cherubin qui his ſuperiores virtutes ordinantur. His enim prope conſtare datum eſt: illa ſedem deo miniſtrant, ipſæ pro folio ſubditæ: non quod deus ſedili conſideret, ſed vt nobilitatem virtutum earum intelligas & præſtantiam. Audi igitur aliū quoque prophetam de his, modo quidem diuerſo, ſed cogitatione eadem narrantem: Factum eſt verbum domini ad Ezechiëlem filium Buzi ſecus fluuium Thobar. Hic quoque ad Thobar fluuium, quo modo Da-

Ezech. 1.

niel ad Tigrim diuinā rem accipit. Quoties enim deus nonnihil explicaturus suis famulis est, extra urbem tumultumq; hominum ducit, & loco tranquillo constituit, quod nullis rebus, quæ sese aut oculis aut auribus offerant, animus impelleretur: sed liber omnino, ac ociosus vacet eorum, quæ diuinitus aperiantur, contemplationi. Sed quid se vidisse enarrat: Ecce nubes veniebat ab Aquilone, & splendor in ea, & in medio similitudines animalium quatuor, Hic aspectus eorum, similitudo hominis in his, & quatuor facies viri, & quatuor alæ vni. Erat his altitudo & aspectus horribilis, & terga eorum plena oculis, in circuitu eorum quatuor, & similitudo super caput animalium firmamenti, quasi aspectus crystalli horribilis extenti super capita eorum desuper: & alis vnumquodque duabus velabat corpus suum: & super firmamentum quasi aspectus lapidis sapphiri, similitudo throni: & super similitudinem throni, similitudo quasi aspectus hominis desuper. Et vidi quasi speciem electri à lumbis eius & desuper, & à lumbis eiusque ad dorsum vidi speciem quasi ignis splendētis, velut aspectum arcus cum fuerit in nube in die pluuia. Post hoc cum vellet exprimere, nec à propheta, nec à virtutibus illis meram ipsam substantiam recipi, illud addidit. Hæc visio similitudinis gloriæ domini. Vides tam hic, quam ibi dei condescensum? Atta men virtutes ipsæ suis etiā pennis sæpe operiuntur, utpote quæ facie detecta nequeant contueri, quanquam sapientissimæ & purissimæ. Vnde id constat: Ex ipsa nominum ratione. Nam ideo angelus dicitur, quia dei sententias hominibus ἀγγέλλει, hoc est nunciat. Et archangelus nūcupatur, quod angelis ἀρχαί, id est imperat, siue præest. Sic illæ quoque virtutes nomina sortiuntur, quæ sapientiam, puritatem, notam denique earum nobiliore consignantissime indicent. Et quemadmodum angelorum pinnæ naturæ eminentiam referunt: Gabriel quippe volitans repræsentatur, nō quod deus pinnatos angelos condidit, sed vt eum ex supremo domicilio & cœlesti collegio, ad terram & genus deuenisse humanum intelligas: sic in his quoque, de quibus agitur, nihil pinnæ significant aliud, quam vires sublimes atque excelsas naturæ. Quo igitur modo pinne superiores naturæ conditionem interpretantur, solum requie in his ipsis dei designat, oculi perspicacæ dei intelligentiam, propinquitas solij & hymnus assiduus insomnium & vigilantiam docent: Sic etiam ipsa nomina partim sapientiam, partim puritatem, sinceritatemq; declarant. Enimuero Cherubin nuncupatio plenam accumulataq; scientiam exprimit. Seraphin vero à candēte, flagrantēq; ore nomen inuenerunt. Vides quam & puritatem, & sapientiam nomina explicent. Quod si virtutes tam expletæ scientiæ compotes, ne condescensum quidem dei valeant tolerare: quantæ sit amentia facinus, queso, homines in quibus particularis quædam inest scientia, Paulo auctore: Qui ex parte cognoscimus, inquit, & per speculum & ænigma: ea sibi perspicua explorataque haberi putare, quæ ne illis quidem patere virtutibus liceat? Statueram quidem non modo Cherubin ac Seraphin, verum etiam principatibus, potestatibus, & omni virtuti creatæ deum esse incomprehensibilem explicare: sed animum fessum iam sentio vestrum, nō tam eorum quæ proposui multitudine, quam horrore. Solet enim animus pij hominis expauescere, quoties diu in suprema illa versatur contemplatione. Quamobrem age animū reuocemus de cœlo, & solita recreemus exhortatione: qua vt ho-

mines, qui eo morbo laborant, conualescant, aliquando optemus. Nam si pro ægrotis, pro laborantibus in argenti fodinis metallorum, pro seruientibus duram seruitutem, pro agitatibus spiritu malo, deū rogare præcipimur: quanto magis pro his orare debeamus: Error nanque impietatis longe grauior agitatione illa dæmonis est: furori etenim illi ignosci potest, at vicium hoc omni caret purgandi ratione, nullam veniam potest impetrare. Sed quoniam mentionem orationis pro agitatibus fecimus, nonnihil ad vos quoque fratres charissimi cœleo differendum, quod morbum perquam grauem à cōuentu nostro eiiciam. Perperam enim, ac per absurde agitur, si qui externis tam accurate medemur hominibus, membra propria pestium ire patiamur. Quod genus morbi istud sit: Ingentem, & pene inauditam hanc populi multitudinem, quæ modo affluxit, tantaq; cum attentione sermonem audit meum, sæpenumero tempore illo perhorrendo requisui, & tamē nunquam videre potui, atq; ita me vehemēs cepit suspirium, quod cum ego disputo vester conferuus, studium adhibetis & ingenium, contēditis animum, alter alterum impellit & iactat, vt ipse propius adsit, frequentes ad finem vsque dicendi patientissime perseueratis. Cum autem ipse Christus communis magister & dominus, semet in sacris mysteriis ostensurus est, vacua desertaq; ecclesia redditur. Proh fidem hominum Christianorū, quo pacto isthæc veniam consequantur? Facit profecto vstra ista siue desidia, siue negligentia, vt laudem studij auscultandi illius omnem amittatis. Quis enim non tam vos, quam me damnet ac reprobet, cum fructum omnem audiēdi delapsum cernat, & euanium? Nam si cum diligentia his quæ docuimul attenderetis, factō palam studium faceretis vestrum, non verbis tenus, corde habere monstraretis. Sed quod statim cum audiuiistis, disceditis, & fugam quasi vos hostis insectaretur arripitis: coniectari omnino licet, nihil vos recepisse & recondidisse animo utilitatis. Nā si quæ proposita sunt, recondita in animis vestris seruarentur: prorsus vos illa in templo tenerent, & ad rem horribilem maiore cum deuotione hortarentur & mouerent. Nunc vero quasi fidicinam audiretis aliquam, sic omni utilitate vacui, simul ac factus finis dicēdi est, disceditis. Sed ò frigidam excusationem excusandi, quam à cōpluribus reddi audio. Orare vel domi possumus dicunt, sed homiliam doctrinamq; audire nō nisi in ecclesia possumus. Te homo decipis, & magno in errore versaris. Nam si & domi quoq; datur orandi facultas, tamen fieri nō potest, vt domi tam bene ores, quam in ecclesia, vbi tot patres, vbi clamor felici societate excitus ad deum immortalem refertur: non pariter exoras cum solus dominū obsecras, atq; tuis cum fratribus. Est enim in hoc plus aliquid, videlicet concordia, conspiratio, copula amoris & charitatis, sacerdotum clamores: præfunt enim ob eam rem sacerdotes, vt populi orationes quæ infirmiores per se sunt, validiores illas cōplexæ simul in cœlum euehantur. Adde quod nil fructus capi ex homilia potest, nisi oratio adiungatur. Porro sermoni oratio debet anteire. Sic apostoli dicunt: Nos in oratione ac sermonis doctrina perseuerabim⁹. Sic Paulus facit cū in exordiis suarum epistolorū oret, vt perinde quasi lumē lucernæ lux ipsa orationis tegat sermonem, ac dirigat. Profecto si orare cum diligentia insuefcas, nihil est quod doctrinam tui conferui consideres, cum ipse deus sine vllō interprete mentem tuā abunde luce afficiat. Quod si omnis oratio tantā vim habeat,

Ezech. 2.

1. Corin. 13.

Acto. 1.

2.

2. Cor. 1.

Acto. 12.

Iona vi.

habeat, longe magis eam, quæ ore multorū proueniat valere cōsentaneum est. Plus enim neruorū in ea est, & multo audientia maior, quam in domestica illa & priuata. Vnde id cōstet, Paulum ipsam dicentē audi: Qui ex tantis periculis eripuit nos & eruit, etiam speramus quod adhuc eripiet: vobis quoque in oratione pro nobis subuenietibus, vt dono in vos collato, à multis personis gratiæ agatur pro nobis. Sic etiam Petrus carcerem euasit. Oratio enim pro eo ab ecclesia sedulo agebatur ad deū. Quod si Petro ecclesiæ oratio profuit, & columnam illam ac stabilimē nostræ religionis carcerem liberauit: cur eius vim tu contemnis & negligis? Quate possis purgare ratione? Deum quoque dicentē audi, quam populo cum benevolentia inuocāte placetur, & parcat. Quippe qui se excusans apud Ionam prophetam fruticis argumento cucurbita, verba ad hunc modum faciat: Tu doles super cucurbita, in qua non laborasti, neque fecisti vt cresceret. Ego nō parcam Ninive ciuitati meæ magnæ, in qua habitant plures quam centum viginti milia hominum? Nō abs re amplum populi numerum proponit, sed vt intelligas plurimū eam polere orationem, quæ cum consensu agitur, & iugi concordia pluriū hominum. Quod exemplo quoq; rei humanæ libet explanare. Nam ante hos decē annos capti sunt, nonnulli tyrannidē appetētes, cuius rei vos etiam meminisse arbitror. Fuit inter eos quidam dignitate ac principatu præditus, qui cum damnatus capite ad supplicium duceretur: populus motus misericordia, vniuersus prætozem adiit, & deprecādi communi opera efficere potuit, vt reus ille venia nulla dignus liberaretur ab ira imperatoris. Quod si cum irā terreni imperatoris velitis extinguerē, vniuersi cū liberis & vxoribus festinatis: cur quoties ad cœlestem illum imperatorē placandum, reddendumq; propiciū ire pergitis, vt eius iræ eximatis non vnum, vt tunc: nec duos, aut tres, aut centum, sed omnes orbis terrarum peccatores, omnes dæmone agitato, à flagello liberetis diaboli: foris sedetis, non vniuersi concurritis, & ecclesiam penetratis, vt deus vestram reueritus atq; exosculatus cōcordiam, & illis pœnam dimittat, & vobis peccata absoluat? Si in negociis necessariis non omni leone vehementius, disruptis omnibus vinculis, curriculo is & te cōfers ad supplicationem communem, quam spem habere possis salutis? Ne ita facias. Tēpore illo mi frater charissime, non solum homines clamorem illum horribilem reddunt, sed etiā angeli domino genu flectunt, & archangeli rogant, habent sibi tempus id idoneum, habent sacram illam oblationem in fauore. Itaque vt homines ramos olearum gerentes mouere reges consueuerunt: eoq; arboris genere misericordiam commemorant & humanitatem: sic angeli tunc pro ramis oleaginis corpus domini ipsum protendētes, rogant pro genere humano, quasi dicant: Pro his domine rogamus, quos tu adeo dilexisti, vt pro eorum salute mortem obires, animam in cruce efflāres: pro his supplicamus, pro quibus ipse tuum largitus es sanguinem: pro his oramus, pro quibus corpus hoc immolasti. Agitato quoque ob eam rem diaconus tempore illo adducit & iubet caput inclinare. Cum eos vnā cū fratribus orare non liceat, adducit eos, vt tu miseratus, & quia tam acerbè vexantur, & quia vocem reddere nequeunt, tua facultate ad eorum vtaris defensionem & auxilium. His itaque magis magisq; animaduertis fratres charissimi, omnes tēpore illo in ecclesiā properemus, vt dominū ad misericordiam inuitemus, & tempestiui adiuuētī gratiam com-

paremus. Probatis quæ dixi, magno cum tumultu & plausu admonitionē recepistis: sed velim curam quoq; adhibeatis, vt factō vstra approbatio ostendatur. Iam non longum post tempus periculum faciam obtemperandi. Oratio excipere solet admonitionem. Equidem genus id probandi & cōmendandi cupio atque postulo: plausum illum desidero, quem non dicō, sed facta conficiant. Alter igitur alterum hortetur constare, quō nunc modō manetis: & si quis se moueat, reuertite, retinete cum diligentia, vt duplicem tam proprii studij, quam curæ in fratres mercedē adepti, fidetius ac audētius supplicetis deo immortalī, benigno ac propicio, & consequi vitæ felicitatem tuam præsentis, tū futuræ possitis, gratia & humanitate domini nostri Iesu Christi, qui cū patre viuūt, & regnat in vnitatē spiritū sancti &c.

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI
de incomprehensibili dei natura, contra Anomæas,
Homilia IIII.



ATIS iam esset fratres charissimi, si postea quam nuper ostendimus deum incomprehensibilem esse hominibus, atque etiam Cherubin ipsis & Seraphin, molestia hominū hæreticorum leuati nihil vltius moneremus; sed cū animus & studium sit, vt nō solum ora aduersariorū comprimamus, sed etiā vos faciamus doctiores, eandē aggrediamur causam, & sermonem vltimus protrahēdum censemus. Faciet enim mora, quam his in rebus traxerimus longiorem, vt & vos plura percipiat, & ego palmam adipiscar splendidiore, dum si quid reliquarum restet, id penitus excidendū delēdumq; persequor. Nā herbas quoq; viciosas & noxias nō modō tōdere per summa cespitū: subito enim radix repullulat: verum etiam stirpitis ab ipso telluris gremio euellere, dispoliataq; sua humo solis ardori facilius macerādas, exiccandāq; exponere, officium boni agricolæ est. Age igitur cœlū iterum sermone cogitationeq; petamus, nō tamen vt curiosè rem inquiramus diuinam, non vt plusquā satis sit indagemus, sed vt hominum qui se ignorant, nec modum humanæ naturæ intelligere patiuntur, cōtentio-nem intempestiuā peruertamus. Hinc enim magna argumentandi copia. Nō solum dei conspectū, sed etiam angeli intolerandū sanctissimo illi viro extitisse ostendimus, totam vobis historiā recitauimus. Et sapius beatum Daniele posuimus ante oculos pallentem, contremetentem, nihilominus quam qui ex vita discedunt constantem, cum eius animus vinculum corporis arumpere festinaret, & liber supernū petere domicilium. Nam vt domestica & mansueta quædam columba per tabulata spaciens ædium, si strepitum senserit, exterrita abuolat in tectum, & sublimem sese efferēs, exitum solite petit, pauoreq; leuari enititur: sic animus beati illius à corpore efferre, forasq; omni ex parte extrudere cogebatur. Et quidem exisset, abuolasset, corpus suū deseruisset, nisi continuo angelus eum intimo liberasset metu, ad suumq; reuocasset diuerforium. Hæc ob eam rem tunc latius disterebamus, vt illi re cognita, quantum inter angelum & hominem interest, perspectaq; conferui præstantia emendarentur, atque ita cessarent sequi in dominum. Vir ille iustissimus qui tatum apud deum valebat, conspectum non tulit angeli, qui vero tam ab illius virtute longe absunt, nō angelum, sed ipsum dominum angelorum perquirūt atque examināt. Ille ferocitatem leonū edomuit, nos ne vulpeculas quidem vincere possumus. Ille draconem conuulsi, tamq; perni-

Danic. 8.

perniciosam beluam superavit sua in deum familiaritate: nos minutissima reptilia pertimescimus. Ille regem more leonis saeuientē cohibuit, iram ille Nabuchodonosoris flamma omni rapaciore in hostes ruentē statim quum accessisset, extinguere, & dispulsa caligine, lucem cunctis restituere potuit. Verū tamen qui lucem praeiuit illam, cum angelum dilucentem aspexisset, caligine graui occupatus, humi prostratus est. Quo igitur modo purgare sese habeant, qui beatam illam dei naturam perlustrare tentant, & explorare? Sed nos finem dicendi non in his ipsis tū fecimus, sed etiam ad sapientissimas illas virtutes cōsumimus pergere, quas suos auertere oculos, pinnis se obuelare, cruribus cōstare erectis, clamorem asiduum reddere late ostēdimus. Porro illas virtutes pauore metumq; rebus omnibus suum vobis aperuerunt. Quo enim sapientiores sunt, ac propius ad ineffabilem & beatam illam accedunt substantiam, eo magis quam nos deum, quam sit incomprehensibilis norunt. Auget enim admirationē & metum sapientiae magnitudo. Diximus item quid inaccessible est, quod eo plus est quam incōprehensibile: postquam inuestigatum est, incomprehensibile esse constat: inaccessible autem ne inuestigandi quidē operam, aut vllum aditum recipit: quam ad rem similitudinem quoque a mari petiuimus. Ad hanc Paulum non deum sed lucem esse inaccessibleē dixisse retulimus, vt si domicilium dei inaccessible, longe magis ipse habitans deus inaccessible esse intelligeretur. Quae tam preclarus ille autor scripsit, non vt loco circumscribat deum & spacio: sed vt amplissima argumēti copia doceret, quod deus inaccessible, minimeq; intelligibilis. Adduximus alias quoq; virtutes, id est Cherubin, super aquas firmamentum, crystallum, throni similitudinem, speciem humanam, electrum, ignem, arcum ostendimus. Quae cum propheta enumerasset omnia, adiunxit: Hęc visio similitudinis gloriae domini. Atque ex his omnibus dei cōdescensum intolerabile esse virtutibus superis explicauimus. Quae modo non vacanter censui repetenda: sed quoniam promissionis illius debitorē me esse scio, intelligere diligentius volo quantum exoluerim, quantum restet. Sic aris alieni boni ratiocinatores faciunt, afferunt tabellas in medium in quibus ratio computandi omnis notata est. Vnde cum quantum de summa suis reddiderint creditoribus consulerit, reliquū exoluunt. Quorum exemplo ego quoque memoriam vestri animi velut libellū aperiam, & sermone quasi digito quodam parte quae soluta iam est, dogmatum demonstrata, pergam ad reliqua. Sed quid restat: an vt ostēdamus non principatus, nō potestates, nō dominationes, non si qua creata virtus alia est, dei exquisitam capere comprehensionem? Sunt enim vel aliae virtutes, quarum ne nomina quidem nouimus. Animaduerte haereticorum amentiam quae so, seruatorum ipsorum nomina ignoramus, & tamen substantiā domini ipsius exquirunt, contenduntq; comprehendere. Sunt enim angeli, archangeli, throni, dominationes, principatus & potestates: sed non hi ordines solum, sed innumera caelestem regionem incolunt genera, quorum nulla dicendi facultas numerū potest exequi illorum. Vnde nam cōstet, quare, plures hūc enumeratis virtutes esse, quarum nomina ignoramus: Paulus qui hęc docuit, id etiā dixit, cum de Christo in hunc modum scriberet: Constituit eum super omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomē quod nominatur, nō solum in hoc seculo, sed etiam in futuro. Vi-

detis quam sunt aliqua facillimae cognitionis nomina: hac de causa non solum quae in hoc seculo nominantur, sed etiam in futuro, inquit. Verum quid mirum, si virtutes illae exquisita careant comprehensione diuinā substantiae: id enim demonstrare nil ardui est. Sunt porro dispensationes eiusdem illius complures, quas nesciant principatus iudē & potestates, & dominationes. Quam ad rem testem religiosissimum item Apostolum citeamus. Quippe cum verbis eiusdem planē ostendatur: esse nonnullas dispensationes, quas virtutes illae nobiscum intellexerunt, cum omnino antequam nos intelligeremus, ignoraret: nec modo nobiscum, verum per nos ipsos accepere. Quod aliis generationibus, inquit, non est agnatum: sic nunc reuelatum est sanctis apostolis eius & prophetis in spiritu, esse gētes cohæredes & corporales, & participes promissionis eius per Euangelium, cuius factus sum ego Paulus minister. Sed quoniam argumento cōstat modo virtutes superas accepisse (quae enim proposita adhuc sunt, de hominibus proculdubio differuntur) audi: Mihi omnium hominum minimo est data gratia hęc euangelizare in gentibus inuestigabiles diuitias Christi. Quid inuestigabile est: quod quæri non potest, quod non solum scrutari, sed etiam vestigare nequeas. Audiant quemadmodum percerebra aduersum sese iacula a Paulo iaciatur. Nam si diuitiae inuestigabiles sunt, qui fieri potest quin deus qui largitus diuitias est, vestigabilis sit? Et illuminare omnes quae sit dispensatio sacramenti absconditi a seculis in deo, qui creauit, vt manifestetur nunc principatus & potestates per ecclesiam multiformis sapientia dei. Audis quemadmodum nunc non ante cognouerint hoc illae virtutes, & recte quidē. Rem enim de qua apud imperatorem consultatur, miles nescit. Vt manifestetur principatus & potestates per ecclesiam multiformis sapientia dei. Vide quantum honoris in genus humanū deus immortalis contulerit, nobiscum & per nos virtutes supernae regis summi secreta cognouerunt. Sed vnde nam pateat de caelestibus illis dici: Nam & daemones principatus & potestates solet appellare, velut cū dicat: Non est nobis colluctatio aduersus sanguinem & carnē, sed aduersus principes, aduersus potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum seculi huius. Nunquid ergo hoc etiam loco illud velit intelligi, daemones rem minime tenuisse: Nequaquam, sed de illis virtutibus supernis loquitur: vbi enim principatus & potestates dixit, addit, in caelestibus: ille enim principatum & potestatem ordo caelestis est, hic sub caelo versatur. Sed ad debitum illud soluendum veniamus, hoc est ad demonstrandum nec principatus, nec potestates nouisse dei substantiam. Quis hęc dicit? Non item Paulus, aut Ezechiel, aut Esaias: sed vas illud immaculatum, & sanctum, ipse tonitruū filius charissimus ille Christo Ioannes, qui ad pectus recubuit domini, atque ab illo diuino fonte sacra sua flumina hausit. Quid hic dicit: Deum nullus vnquam vidit. Vere tonitruū filius dicitur qui vocem tam illustriorem, tam omni tuba clariorem reddidit, qui vt omnes contentiosi conturbarentur, & obmutescant, facit diligentissime. Sed scrupulum qui se obiciat, videamus. Quid ais Ioannes: deum nullus vnquam vidit? Ergo minime prophetis credemus, qui sese vidisse inquirunt. Esaias enim: Vidi dominum, inquit, sedentem super solium excelsum, & eleuatum. Daniel: Vique quo throni positi sunt, & antiquus dierum sedebat. Micheas: Vidi dominum deum Israēl sedentem super solium suum. Alius rur-

Amos. 9.

Osce. 13.

Exod. 33.

sus propheta: Vidi dominū stantem super altare & dixit mihi: Percute cardinem, &c. Denique multa huiusmodi testimonia possunt colligi, quae cum ita sint, quamobrem Ioannes negat ita esse quenquā qui deum viderit? Nullum vidisse deum Ioannes inquit, vt exquisitam illam comprehensionem, & expressam cognitionem in nullo cōrigisse intelligas. Cōstat illa cōdescensum fuisse omnia, nec vidisse quempiā illorum synceram ipsam substantiam, eo quod varie quisque viderit. Deus enim simplex omni concretione abiunctus, nulla forma aut figura effigiatus est. At vero illi omnes figuras viderunt varias: quod idem deus per alium itē prophetam insinuans ac suadens, neminem scilicet exquisite ipsam suam vidisse substantiam, inquit: Ego visiones multiplicavi, & in manibus prophetarum assimilatus sum. Tum ex his quae deus Moysi denegat: cum enim ille videre deū sensu oculorum cōcupisceret: is, Nemo videbit faciem meam & viuet, addidit. Liquidum itaque nobis hoc, & cōfessum habetur. Quamobrē non de natura humana solum sic ait: deum nullus vnquam vidit, sed etiam de virtutibus superis. Proinde vnigenitū allegat eius dogmatis præceptorem & autorem. Ne quis enim vnde id cōstet, obiceret, addidit: Vnigenitus filius qui est in sinu patris, ipse exposuit: teste prorsus locupletissimum, & magistrum egregium suae opinionis allegat. Atqui si Moses id idem vellet designare, porro hic vacanter dixisset: Vnigenitus exposuit filius. Nā vel antequam Ioannes hęc tāquam ab vnigenito accepta referret, cōstaret ita esse verbis prophetarum, qui ex deo acceperat. Verum quod plus aliquid quam olim propositū fuisset, ipse nobis esset reuelaturus, videlicet ne virtutes quidem supernas posse deum videre, idcirco vnigenitum allegare magistrū voluit. Visum autem hoc loco pro cognitione positum arbitrare: haud enim pupillae & oculi, & genae insunt in virtutibus illis supernis, sed quod visum in nobis est, idem in illis cognitio. Quapropter quoties deum nullū vnquam vidisse audis, illud intellige, nullum esse qui deum nouerit, qui deum cognouerit, qui substantiam dei exquisita ratione perceperit. Quin etiam cum de Seraphin audis oculos auertisse, pinnas visui obduxisse, item Cherubin hoc idem fecisse, noli oculos habere illos exultare, corpori enim hęc forma peculiaris est: sed his ipsis humanae, ac pinguis Mineruae vocabulis cognitionem illarū designari tibi a propheta intellige. Cū itaque dicat deum quamuis cōdescendentem minime ferre illas virtutes potuisse, nihil aliud docet, nisi eius cognitionē expressam, amplam, integram nō potuisse recipere, neque ausas esse intueri synceram illā perfectissimamq; substantiam, imò ne ad ipsum quidem eius cōdescensum satis aspirare. Hinc etiam Euangelista certior, neque humane naturae interesse rem tātam scire, neque ipsis virtutibus superis deum esse comprehensibilem, ipsum a dextris eius sedentē, ac diligentissime rem scientem allegat huius opinionis autorem. Nec filius tantummodo dixit: quāquam etiam satis si ita dixisset, ora impudentiū hominum cōprimere, atque obturare possemus. Vt enim Christi esse complures possunt, sed verus & præcipuus Christus vnus est: & multi quidē domini nominantur, vnus tamen dominus per excellentiam est, ac etiam dii plures dicuntur, at verus princepsq; deus vnus est: Sic multi quoque filij appellantur, verus tamen filius vnus est, & quidem ipsa articuli graecae linguae adiectio præcipuam & excellentem vnigeniti exprimere potest cōditionem. Attamen non cōtentus his fuerat, sed quum

dixisset, deum nullus vnquam vidit, iunxit: Vnigenitus filius qui est in sinu patris, ipse exposuit. Primum vnigenitus dixit, deinde filius: cū enim propter nominis cōmunitate gloriam eius pleriq; minuant, vnum ex hoc vulgari filiorū numero esse arbitantes: nomen etenim filij commune omnium est: hinc quod eius præcipuum est, & peculiare ac nemini è cæteris tribui potest hominibus, id est vnigenitus, anteposuit: vt ex hoc credas, vel cōmune illud non prater ea esse commune, sed peculiare eius & proprium, nec vlli è cæterorum numero perinde ac ei cōueniens. Atque vt dilucidius quod doceo fiat, exponam latius. Filij nomen & hominibus datur & Christo, sed nobis abusive, illi proprie: at verò vnigeniti nomē eius vnus est, nec vlli è cæteris vel proprie, vel abusive contingit. Vt igitur ab ea quae nemini cōgruat, nisi ipsi vni appellatione, alterā quoque illam multitudinis propriae eius esse per excellentiam arbitris, ea propter primum vnigenitus, post filius dicit. Sed si minus hęc tibi sufficiat, inquit, tertium illud addam, crassum quidē atque humanum, verum efficax satis, vt vel iacentes homines ad vnigeniti intelligendam gloriam erigat. quid hoc sit: In sinu patris. Charissimi, hoc verbum est ad explicandā cognitionem, & veram germanamq; vt ita loquar, intimitatem aptissimū: modo piē, & quemadmodū deum deceat, accipiatur. Vt enim quum sedem audis, & sedere a dextris, non fedile intelligis, non locum, non aliquid descriptionis, sed sedis vocabulo, & sedēdi societate honorem parem, & nulla ex parte diuersum cogitas: ita quum sinum audis, non amicali gremium, non loci quicquam adesse putandum, sed ipso sinus vocabulo proximitatem adparentem & familiaritatem apud eundē arbitrare. Nam cum versari in sinu dicitur, longe expressius propinquitas genitoris, quam cum sedere a dextris, significatur: nec enim pater suo in sinu tenere filium pateretur, nisi eiusdem esset substantiae, nec filius in sinu paterno degere auderet, si naturam inferiorem sortiretur. Ergo vt filius & vnigenitus in sinu degens paterno, rem omnem patris diligentissime nouit & tenet. Ob eamq; rem verbis hūc Euangelista vsus est, vt filij exquisitam suo de patre cognitionem explicaret. De hac enim ipsa cognitione agebatur. Quod nisi ita esset, cur quæso, sinus vocabulum sumeretur? Nam si neque corpore deus constat, neque cognitio & ad genitorem propinquitas aduocat: frustra id nomen inseritur, nullum ad vsū idoneum. Verum non frustra (dictum enim quicquam a spiritu sancto frustra putare nefas est) sed filij ad patrem propinquitatem deunionemq; declarat. Cum enim rem magnam asseruisset, videlicet ne superam quidem creaturam posse deum videre, id est, exquisita ratione cognoscere, huiusq; opinionis testem fide dignum vellet adhibere, hęc inseruit verba, cui vt filio & vnigenito, & vt in paterno sinu degenti, de rebus omnibus crederes, nec quicquam dubitares. Si autem quis non contendat, nec agere impudentius velit, idem hoc aternitatē interpretari dixerim. Vt enim eo quod ad Mosē dicitur: Ego sum qui sum, sempiterni rationem dicimus: idem vel ex hac dictione qui est in sinu patris, deducere sanē licet. Sed iam deum incōprehensibilem esse omnium creaturarum generi, latē ex his quae proposuimus, patet. Restat vt a filio & spiritu sancto duntaxat exquisite illum cognosci differamus. Verum hoc in aliud tēpus differri melius est, ne admodū prolixo sermone memoriā eorum quae proposuimus, obruamus atque obliteremus. Hinc itaque ad solitam veniamus

Ezech. 2.

Eph. 5.

Eph. 6.

1. Ioan. 4.

Esai. 6.

Danic. 7.

3. Reg. 22.

Veniamus admonitionem. Quam ista solita admo-
nitio est? Ut orationem seruemus ingenuam mēte so-
bria, animo vigili. Nuper enim cū hac de re disseruisse-
mus, omnes facile vidi obtemperantes: quamobrem per-
peram certe ageretur, si cum negligitis, non increpem,
cum ex officio facitis, non laudem. Laudare igitur vos
hodie volo, & gratiam vobis ob illam obedientiā red-
dere. Gratiam autem reddam, si vos docuero, quam-
obrem illa præ cæteris oratio solet fieri, & cur homi-
nes dæmone agitados, & furore accitos teterrimo, ad-
duci tempore illo & capita inclinare iubet diaconus.
Qua de causa igitur agitur ita dicā. Vincula perquam
praua, & graua agitatio dæmonum est: vincula enim
ferro validiora. Ut itaque tempore instante, quo iudex
prodire, & pro tribunali sedere solitus est: custodes car-
ceris, homines quos in vinculis tenent, omnes carcere
educunt, & pro cancello septisq; fori collocat squalen-
tes, sordentes, coma expletos nimia, pannis miserime
obductos: sic patres statuerāt, ut quum breui Christum
velut pro tribunali sedere, in ipsiq; sacramentis appa-
rere futurū esset, homines dæmone agitati illi tanquam
vinculis quibusdā retenti adducerentur, non ut rerum
quas commisitissent, examen subirent modo eorum qui in
vinculis sunt, nec ut luerent pœnas, & supplicio affice-
rētur: sed ut populo vniuersaq; ciuitate præfente com-
munes pro his fierent supplicationes, ut omnes iugi cō-
cordia dominum communem oraret pro his, & quod
misereretur, magno clamore contenderent. Cæterū ut
his tunc succellui, qui orationem huiusmodi negligē-
rent, fors q; tempore eo versaretur: sic impræsentiarum
his qui intus constant, succensendum utique reor, non
quia intus manent, sed quod cū eo quo debet, maneant
loco, nihilo melius afficiuntur, quam qui foris euagātur.
Disputant enim inter sese, & aut iocantur, aut negocia
tractant tempore illo perhorrendo. Homo quid facis,
quum tot in vinculis fratres videas tuos adstātes, tu de
rebus quæ nihil ad te pertinet, disputas: Vnus ipse aspe-
ctus non satis te pauefacere, & ad condescensum com-
miserationemq; ducere potest: Frater tuus in vinculis,
& tamen tu piger & negligēs. Quo pacto tibi ignosca-
tur, quum tam durus sis, tam inhumanus, tam crudelis?
non vereris, ne dum disputas, omittis, negligis, dæmon
quis inde profiliens, tuam animam nactus ociosam, &
scopis mūdātam, ei sese insinuet, & summa cum facili-
tate domum patentem ingrediatur? Quam cunctos tē-
pore illo luctu cōfici, quam riuos lachrymarum effun-
dere, madentesq; vbertim oculos peruideri, & flere at-
que ingemere vniuersam ecclesiā deceat? Iam post sa-
cramenti communionem, post sacri lauacri splendo-
rem, post Christi societatem lupus ille agnos de nostro
ouili rapere potuit, & retinere: tu cum tātam calamita-
tem, tantam iacturam vides, non lachrymas cōmoues?
Quam purgandi rationem habere tua ista possint fa-
cinora? Si nolis vicē fratris dolere, saltē pro te ipse ve-
rere & expurgāre. Si domū tui vicini cōsumi incen-
dio videris, etiā si infestissimus tibi sit ille vicinus, non-
ne intensissime ad extinguendum occures, ne ignis pau-
latim serpens, tua quoq; vestibula ineat. Idem in his qui
dæmone agitantur, considera: ignis quidem & exitio-
sum incendium dæmonum agitatio est. Caue igitur ne
tuam etiam animam dæmon sensim paulatimq; ince-
dens occupet. Cumq; cum præsentem videris, refuge
quāprimum ad dominū, ut perspecto animi ardore,
& studio dæmon nullū sibi aditum apud te dari in-
telligat. Nam si viderit desidiosum, oscitātem, ocio &

A pigricia marcescentē: cōpendio te utpote diuersorium
desertum ingrediatur. At si excitatum, intētum, studio-
sum, paratum, cælum ipsum petētem, ne respicere qui-
dem audebit. Quamobrem & si fratrem contemnis, ta-
men rebus tuis cōsulere, & aditum omnē in tuum ani-
mū immūdo illi spiritui occludere debes. Nihil autem
est, quod tam excursionem eius aduersus nos arcere ac
repellere valeat, quam orandi ac deprecādi intentum
studium. Haud enim illa diaconi exhortatio erecti cō-
stantisq; frustra & sine causa instituta sancitaq; est: sed
ut nostras repentes humi cogitationes erigeremus, ut
nostrum animum pressum, demissum, fatigatum rerum
humanarum cura, reiecta omni eiusmodi solitudine,
erectum, leuatum, recreatum, deo immortalī repræsen-
tarem. Animum igitur iubemur erigere. Quo verbo
Paulum quoque modo eodem vtentem licet perspice-
re. Cū enim ad homines iacentes, & oneri aduersarum
rerum succubentes, ac penē perditos scriberet, dicebat:
Languētes manus, & resoluta genua erigite. Quid igitur
de manibus & genibus corporis scribit? Minime. Non enim
cum hominibus cursum pugillatūmve exercentibus ille
disputat: sed vires cogitationum prostratas tentatione,
suscitandas his verbis monet atque hortatur. Cogita apud
quem proxime stas, quibus cum inuoces deum, scilicet
cum Cherubin, cum Seraphin, cū omnibus cæli virtutibus:
animaduerte quos habeas socios, satis hoc tibi sit ad
sobrietatem, cum recordaris te corpore cōstantem, &
carne coagmentatū admitti, cum virtutibus incorporeis
cōmendare omnī dominum. Nemo igitur animo resolutus
sacras illas & mysticas laudes inecat socius, nemo rerū
vitæ humanæ cōsilia illo tēpore volutet, sed omni terrena
forde animo pulsa, in cælum quisq; se totū trāserat,
utpote qui propinquus folio gloriæ suæ stet, & cum
Seraphin volitet, atque ita laudem sanctissimā referat
summo optimo, gloriosissimo deo. Idcirco bene cōstare
tēpore illo iubemur. Bene enim cōstare nihil aliud est,
nisi ita cōstare, ut hominē conuenit, qui coram deo
immortalī stat, cum horrore tremoreq; cū sobrio, parato
studio soq; animo. Nam id quoq; vocabulum pertinet ad
animū, Paulus idē docet, cum dicit: Sic stāte in domino
charissimi. Etenim ut sagittarius qui sua tela directurus
sit, probe ac scite priusquā mittat quemadmodū constet,
procurat: & vbi se per directū calci propositæ accurate
constituit, tum iacere incipit: Idem etiam tu agere
debes, cum sagitta pessimum illud infestumq; hostis
diaboli caput transfigere cupias, cura de statu cogitationū
tuarum accipere prius, ut ex directo, & sine villo
impedimēto fixo pede tela tua probe in illū possis
dirigere. Hactenus de oratione. Cum autē post illam
orandi desideriam genus insidiarū aliud aggressus
hostis idē diabolus molestiam quandam intulerit: nos
hac etiam sua tentandi facultate eum frustrari
faciamus. Quid itē infestus & pessimus ille
molitus est, cum vos ad hūc modum quasi ad
corporis cōpagem vnus adductos cōstitutosq;
vidisset, magna cum intentione præcepta vitæ
opinionisq; optimæ accipientes animaduertisset,
submittere quidē aliquos ē suis ministris qui
cōsilio & hortatione vos ad studio audiendi
abducerent, minime ausus est, ratus scilicet
neminem vestrū tali cōsilio obtēperaturū: sed
latrunculos quosdā, furaces homunculos
vestrę inferuit multitudini, quibus molitus
sepius est, ut à multis aurum appensum
subriperetur. Ne igitur hoc semper accidat,
& vestrum auscultandi animū iacturā
pecuniæ furto indies inualecente extinguat,
cōsulo atque

atque horror neminem huc venientem secum portare
aurum: ita enim efficitur, ut nunquam vestra
attentio præstet illis furandi occasionē, & læticia
quam ex mora huius conuersationis capitis,
nulla pecuniæ amissione peruertatur. Hanc enim
rem ille molitus est, non ea gratia ut vos
redderet pauperiores, sed ut iacturā pecuniarū
molestia reuocaret à studio audiendi. Nam &
Iob illum ditissimum hominē omni dispoliauit
pecunia, non ad eum finem ut inops egenusq;
fieret, sed ut pietate amoreq; illo suo erga
deum singulari enudaretur. Cupit enim ille,
& studet nō pecunias auferre, quippe qui
nihil esse hoc nouerit, sed per priuationē
pecuniarū præcipitare in peccatū delictūq;
animæ. Quod quidem si facere nequeat,
nihil se perfecisse arbitratur. Certior itaque
de eius animo, studioq; in te frater charissime,
quoties tibi aurū, vel per fures, vel per
quasuis artes auferat, facile patere, & gratias
age, ut debes, domino. Ita enim plus possis
lucrari quam amiseris, & vulnus duplex
hosti infligas, & quia non ægre tulisti, &
quia gratias domino egisti. Nā si te viderit
damno pecuniarum frangi, eoq; adduci ut in
dominū perturbetur: nunquam desistet,
quin idem molietur & inuehat. Sed si te
nō modo non blphemare deum qui te creauit,
verum etiā gratias illi agere in rebus
perspexerit arduis: recedet prorsus à
tætationum negotio, certus scilicet causam
gratiarum agendarum, fidelisq; & constantis
animi præberi tibi ab ipso rerū aduersarum
periculo, itaque palmam confici tibi illustriorem,
& præmia dari ampliora. Quod certē vel iure
Iob illi piissimo euenisse constat. Quum enim
sublatis opibus, & corpore morbo grauis-
sime infestato animum nihilominus sibi
constare & gratias agi perspexerit, non itē
aggredi ausus est, sed turpiter, & omni
venia procul deuictus abiit, reliquitq;
sua opera illum dei athletam clariorem.
Hoc igitur nos quoque & tenentes &
cogitantes, peccatum rem vnā metuamus,
& euitemus: cætera animo forti & constanti
feramus, siue iactura pecuniarum, siue
corporis morbus, siue temporum difficultas,
siue rerum molestia, siue hominum iniuria,
siue quid aliud malū nobis inuehatur.
Hæc enim non solum detrimentum afficere
nequeunt, sed etiā prodesse egregie possunt,
si animo grato pioq; feramus. Porro longe
plures, amplioresq; mercedes nobis hæc
cōparabunt, atque efficient. Iam enim
vides & Iob illum, quā post adeptam
patientię coronam & fortitudinis, omnia
quæ amiserat, dupliciter recepit. Tu vero
non duplicata, non triplicata, sed cētuplum
exaucta recipies omnia, si modo forti
animo tuleris & tranquillo, atque etiam
vitam possidebis æternam, quam vtinam
omnes adipiscamur, gratia & humanitate
domini nostri Iesu Christi, cui gloria in
secula seculorum, Amen.

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI
de incomprehensibili dei natura, contra Anomæos
hæreticos. Homilia V.

VI rem sibi explicandā proposuerit ampliorē,
& tam prolixū desiderātem sermonem,
ut nō vno ac altero die, sed vix pluribus
posset expediri: eum necesse habere arbitror non
vniuersam eodem dicēdi cursu rem offerre
auditorum auribus, sed in plura partiendo
lenius hinc & facilius reddere onus
orationis. Nam & lingua & aures &
singuli nostri sensus modum, normam &
limitem certum habent datum à natura.
Quemadmodū qui egredi superareq;
contendit vel ab ea ipsa data, præfenteq;
sibi

A facultate eiicitur, & quod seruare potest,
amittit, cū plura quā valeat prosequatur.
Quid luce iucundius? quid radio solis
acceptius? Attamen res hæc tā iucunda,
tā accepta & placida, vbi supra modū
sele oculis nostris obtulerit, grauis
molestaq; occurrit. Quamobrem deus
immortalis noctē diei succedere voluit,
quæ oculos fatigatos demissis genis
operiret, & pupillis quietē recōciliaret,
atque ita vim recrearet videndi, & ad
futurum officium redderet aptiorē.
Hinc etiā vigilia & somnus res inter
se cōtrariæ, pariter iucundissimæ
accedūt suæ moderatione vicissitudinis,
& quum lucē suauem nominemus,
somnum quoq; suauem dicimus, qui nos
dimouere à luce cōsuevit. Ita omnibus
in rebus graue molestūq; est, quod
immodicū est: suauē, vtile & iucundum
quod modicū est. Quam ob causam & si
dies iam quintus posteaquā agere de
incomprehensibilitate incēpimus,
tamen nōdum perficere disputationē
valuimus totam, sed adhuc partim
disserendum, partim relaxandum
censuimus. Verū vbi nam disputationem
reliquimus nuper, inde etiā repetamus
necesse est, quum vna quædam
dicendi sit series & sequela. Diximus
autem à Ioanne filio illo tonitruī
propositum esse, deum nullus vnquā
vidit, vnigenitus filius qui est in
sinu patris, ipse exposuit. Hodie quo
loco ipse vnigenitus dei filius exposuit,
cōperire atque excipere operæ precii est.
Respondit, inquit, Iudæis, & dixit:
Non quia patrem vidit quisquam,
nisi is qui est ex deo, hic vidit patrem.
Visiōnem hic rursus cognitionem
appellat. Nec vbi, nullus vidit
patrem dixisset, tacuit, ne quis de
hominibus tantum hoc dici existimaret,
sed quū ostendere vellet nec
angelos, nec archangelos, nec
virtutes omnino supernas cognoscere,
certū hoc ipsum ex his quæ adiu-
xerat, reddidit. Quum enim
præposuisset, Non quia patrem
vidit quisquā: addidit, nisi is qui
ex deo est, hic vidit patrem. Nam
si nullus tantūmodo dixisset,
cōplures credo de natura duntaxat
humana hoc dici arbitrarētur:
nunc vero quod vbi, nullus
præposuit: adiunxerit, Nisi
filius, ea ipsa vnigeniti adiectione
omnē secludit creaturam. Quid
igitur: nunquid spiritus etiam
sanctus seclusus est? Nequaquam,
pars enim creaturæ ille non est:
vocabulum id autem nullus,
semper ad distinguendam
creaturæ tantum conditionem
poni solitum est. Itaque fit,
ut nec si de patre agitur,
filius remoueat: nec si de
filio, spiritus vnquā secludatur.
Atque ut hoc ipsum cōtinuo
explanetur, videlicet verbum
hoc nullus, non ad spiritus
sancti seclusionē, sed ad
creaturæ positum, dum de
ea ipsa cogitatione filij vnus
differitur, audiamus quid
Paulus ad Corinthios scribat,
Quis enim scit quæ sunt
hominis, nisi spiritus hominis
qui in ipso est? Ita & quæ
dei sunt, nullus cognouit,
nisi spiritus dei. Quæ ad-
modum igitur eo loco, cū
nullus dicatur, nō se iungitur
filius: sic etiā hic, vbi de
Christo nullus, positum est,
non spiritus secluditur
sanctus. Patet ergo hoc ita
esse ut proposuimus. Nā si
cū diceret, nullus patrem
vidit, nisi is qui ex deo est,
secluderet spiritū: vacanter
Paulus scriberet, Ut homo
sua quisq; nouit: sic spiritus
sanctus re dei nouit
diligētissime, & tenet. Vnus
quoq; eodē hoc dicitur modo:
habet enim eandē omnino vim
atq; potestatem. Quod ita
esse ex eodem illo autore
accipies, Vnus deus pater
ex quo omnia, & vnus dominus
Iesus Christus, per quæ omnia.
Nā si quod vnus dicitur pater,
filius à deitate secluditur:
pari utiq; ratione pater quoq;
à dominatione dimouebitur
ipse, quod filius vnus
dominus dicitur. At vero nō
propterea pater secludet à
dominatione, quia Christus
vnus dicitur dominus: ergo
nec filius dimoueri à

ri à deitate debet, cum vnus deus pater proponitur. Si autē dicant, idcirco vnus deus dicitur pater, quoniam filius etſi deus eſt, tamen non talis eſt qualis pater: licet his eiſdem vti in eos quæ ipſi aduerſum nos ſumunt, & ponunt: ſcilicet vnus dominus Chriſtus dicitur, quoniam dominus quidem pater quoque eſt, ſed non talis qualis filius eſt. Quod ſi nefas dictu, nec prius illud ratione vlla dicendum eſt. Sed quemadmodū, cum vnus dominus Chriſtus dixeris, non patrem ſecludis à perfecta abſolutaq; dominatione, nec eſt cur filio vni rationem tribuas dominandi: ſic cum vnus deus pater protuleris, non à vera germanaq; deitate excludis filiū. Nec eſt quod patris vnus deitas eſſe cōfirmetur: filium quippe deum eſſe, & talem qualis pater eſt deum, dum tamen filius manet, conſtat ex eo ipſo quod additur. Nam ſi nomen hoc deus, patris tātummodo eſſet, nec poſſet vllam ſignificare perſonam, ſiue hypoſtaſim aliam, ſed illam ſolam primā atque ingentiam, vt pote proprium eius vnus & peculiare (vt ita dicam) notificum, vacanter pater adiungeretur. Satis enim eſſet dixiſſe, vnus deus. Ita enim cum diceretur, facile intelligeremus. Verum quoniam deus, nomen commune patris & filij eſt, atque ob eam cauſam, ſi vnus deus tātum dixiſſet, quem nam deum referret, minus cōſtaret: ideo pater addidit, vt de prima illa & ingenta hypoſtaſi, ſeu perſonā dici oſtenderetur, tanquā deus, nomen ſolum ſatis eam nō poſſet exprimere, cum pater id commune haberet cum filio: nomina enim diuina partim communia, partim propria habentur. Cōmunia, vt eadem atque indiſſerens ſubſtantia oſtendatur: Propria, vt perſonarum denotetur proprietates. pater nāque & filius nomen perſonæ proprium eſt: deus vero & dominus cōmune. Quamobrem vbi nomen cōmune deus, propoſuiſſet autor ille ſapientiſſimus, meritō proprium id addendum cenſuit, vt poſſes de quo diceret, intelligere, ne in execrandā illam incidereſ Sabellij opinionem. Nec enim deus, nomen maius quā dominus eſſe: nec dominus minus quā deus, patet veteri in teſtamento, in quo pater frequenter dominus dicitur: Dominus deus tuus, dominus vnus eſt, Dominum deum tuum adorabis, & ei ſoli ſeruias. Itemq; Magnus dominus noſter, & magna virtus eius, & ſapientiæ eius non eſt numerus. Atque etiam cognoſcant, quia nomen tibi dominus, tu ſolus altiſſimus in omni terra. Atqui ſi dominus, nomen minus quā deus, indignumq; illa ſubſtantia eſſet, haudquaquā filium qui minor eorum ſententia eſſet, nomine eodem quod patri conueniat, eiſq; vnus proprium ſit, appellare oportet. Sed nō ita, non ita. Nec enim filius patre inferior eſt, nec dominus nomē, quā deus abiectius. Quapropter vicifſim modo de patre, modo de filio ſine vllō diſcrimine ſcriptura ſacra his appellationibus vtitur. Itaque vt patrem dominum appellari audiuiſtis, filium quoque deum dici audite: Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomē eius Emmanuel, quod eſt interpretatum nobiſcū deus. Vides quo modo & patri dominus nomen, & filio deus nomē reddatur, vt enim ibi eſt ſcriptum: Cognoscat quia nomen tibi dominus: ita hoc loco: Vocabitur nomen eius Emmanuel: itemq; Puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & vocabitur nomen eius magni conſilij angelus, deus fortis & potens. Velim conſideres ingenium, & ſpiritualem ſapientiam prophetarum. Nam ne cum deum tantummodo dicerent, de patre diſſerere putarentur, incarnationis prius memineraut. Nō enim pater ipſe natus de virgine eſt,

Deh. 6.

Eſai. 7.

Pſal. 82.

Hierc. 13.

Eſai. 9.

nec factus eſt puer. Quādo etiā propheta alius ita ſcribit: Hic deus noſter, nō exiſtimabitur alius aduerſus eū: Bar. 3. addidit, Inuenit omnē viam ſcientiæ, & dedit eam Iacob puero ſuo, & Iſraēl electo ſuo: poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. Paulus vero ſic ait: Ex quibus Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia deus benedictus in ſecula, amen. Item: Omnis fornicator, aut auarus non habebit hæreditatem in regno Chriſti & dei. Ad hæc per illuminationē dei, & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti, Ioānes quoque ſic nominat eum, cum dicit: In principio erat verbū, & verbum erat apud deum, & deus erat verbum. Sint iſta, inquis: ſed illud oſtende, vbi ſcriptura filium patri coniungēs, dominum patrem ipſum appellat. Ego vero non iſtud ſolū, ſed etiā dominū tam patrem quā filium appellari iunctis perſonis facile oſtendam. Vbi Chriſtus cum aliquādo cum Iudæis diſſereret, quid vobis videtur de Chriſto, interrogauit, cuius filius eſt: Illi dicunt: David. Dicit eis: Quo modo igitur David in ſpiritu dominū eum vocat, dicens: Dixit dominus domino meo, ſede à dextris meis: Ecce dominus, & dominus. Viſne præterea vbi deū patrem, & deum filiū nominet, iunctis perſonis accipere: Audi cū David prophetā, tum apoſtolū Paulū: Sedes tua deus in ſeculum ſeculi, virga directionis, virga regni tui. Dilexiſti iuſticiā, & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te deus deus tuus oleo laticiæ præ confortibus tuis. Paulus hoc idē allegat, & ſuæ ſententiæ teſtimoniū adhibet, quum dicat: Et ad angelos quidem dicit: Qui facit angelos ſuos ſpiritus: ad filium autem Thronus tuus in ſeculū ſeculi. Sed quamobrem, inquis, patrem hoc loco deum appellat, filiū autem dominū? Nō temere, nec ſine cauſa id facit, ſed quod aduerſum gentiles ageret, qui deorum opinione plurium laborarent, ne illi dicerent: Cum nobis deorum, aut dominorum plurium cultum vicio des, ipſe eidem es obnoxius crimini, cum deos dicas, non deum. Idcirco indulgens imbecillitati eorum, nomine filium appellauit diuerſo, quod tamen vim eandē omnino obtineret. Quod ita eſſe latē intelliges, ſi eam epiſtolæ partem altius repetamus. De his autem quæ idolis ſacrificātur, ſcimus quoniam omnes ſcientiam habemus. Scientia inflat, charitas vero ædificat. De eſcis autem quæ idolis ſacrificantur, ſcimus quoniam nullum idolum in mundo eſt: & quoniā nullus deus, niſi vnus. Vides quo modo in eos, qui plures colerent deos diſſerit. Nam & ſi ſunt qui dicuntur dij & domini multi, ſiue in cælo ſiue in terra, eodem ita impugnat. Vt certe ſint dij multi, & domini multi, hoc eſt, qui dicantur: nobis tamen vnus deus pater, ex quo omnia: & vnus dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia. Hinc etiā, vnus, addidit, ne deos itē plures introduci illi arbitrarentur. Et quāuis patrem deum vnum appellet, tamen non à deitate ſecludit filium: vt etſi filium dominum vnum dicit, non tamen remouet patrē à dominatione, ſed imbecillitatem emēdat gentium, nec vllam vult dare occaſionem. Quod idē certe cauſa etiam fuerat quamobrem non expreſſe ac manifeſte, ſed obſcurius raroq; à prophetis filius dei Iudæis ſignificaretur. Quod enim ipſi nuper errore deorū plurium eſſent abiuncti, ſi iterum deum & deum audiuiſſent, proſuſ ad morbum animi reuerterētur. Quocirca frequens id apud prophetas vſurpatū eſt: Vnus deus eſt, præter quem nullus eſt alius, non quod ſecluderent filium, abſit: ſed vt hominum imbecillitatem emendarent, ac ſuaderent ante ſuſpicionem plurium deorum reiicere, quā filium & hunc deum prædicarent.

Quoties

Quoties igitur audis, vnus & nullus, & cætera generis eiſdem: non trinitatis opinionem diminui, ſed quantum inter eam, & creaturam intereſt, verbis his ipſis ſignari arbitrare. Quippe quum etiam alibi dicat: Quis cognouit ſenſum domini? Quod quidem, quis, nec filium, nec ſpiritu à cognitione ſecludere, oſtenſum iam his quæ ſupra diximus eſt, quum teſtimonium afferemus illud: Quis enim ſcit quæ ſint hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? Ita & quæ dei ſunt nullus cognouit, niſi ſpiritus dei. Ad hæc filius ait: Nullus cognouit filium, niſi pater: neque patrem quis cognouit, niſi filius. Igitur & hoc loco ad eandem ſententiam accipe: non quia patrem quis vidit, niſi qui eſt ex deo, hic vidit patrem: plene & exquiſite illum nouiſſe, & cauſam quamobrem nouerit dicit, quoniam ex eo eſt, Cuius item documentum, quod eum norit exquiſite. Hinc enim aperte eum nouit, quia ex eo eſt, argumentoq; eſt ex eo, quod eum plane aperteq; cognouit. Subſtantia nāque ſubſtantiam ſuperiorem nunquam perfecte intelligere poteſt, etiam ſi parum intereſt. Audi quid propheta de angelis, ac de hominum genere dicat, quā parum inter eam vtranque naturā intereſt. Cum enim propoſuiſſet: Quid eſt homo, quod memineris eius, aut filius hominis quod viſitas eum? addidit. Minuiſti eum paulominus ab angelis. Veruntamen etſi parum diſcriminis eſt, tamen quia intereſt aliquid, neſcimus exquiſite angelorum ſubſtantiam, nec ſi ſummē philoſophabimur, comperire vnquam quid ſit poterimus. Sed cur de angelis loquor? Quando ne ipſius quidem animi noſtri ſubſtantiam ſatis nouimus, imò nullatenus attingere valeamus. Sin illi noſſe contendunt, percontare quid nam ſubſtantia ſit animus, nūquid ignis, num aer, num aqua, num terra: nihil ex his eſſe dicent. Hæc enim omnia corporea ſunt, ille incorporeus eſt, Tamen qui angelos neſciunt, qui ſuos animos ignorāt, iidem dominum & conditorem omnium rerum ſcire exquiſite contendunt. Quid hac amantia poteſt fieri terrius: Sed cur de ſubſtantia loquor animi? Iam quemadmodum inſit animus in noſtro corpore ignoramus. Quicquid enim dixeris, extendit ſeſe vnā cum diſſenſione corporis, totaq; inſuſa per artus mens agit at molem, At hoc penitus ratione caret, cū id corporis proprium ſit, atq; ita euenire videamus, vt plerūque & manibus præciſis & pedibus integer ille permaneat, nihilo ipſe truncatus, corpore diminuto & manco. Sed non tota toto in corpore eſt, ſed parte ſe colligit certa & reſidet: ergo reliquas partes reddi inanimas neceſſe eſt: ſed dici ne id quidem poteſt. Verum animum eſſe quidem in noſtro corpore nouimus: ſed quemadmodum ſit, ignoramus. Et quidem etiam hæc rationem ſciendi propterea deus immortalis à nobis ſecluserat, vt larga quadā argumenti copia noſtra opprimeret, ora, & mentem ſi agilem detineret, ac deorſum moueret: conſtaretq; minime res maiores, quam vires poſſunt humane attingere, ſcrutari & curioſe exquirere. Sed ne rationibus noſtris hæc confirmemus, ſcripturam iterum repetamus ſacram, vt inde argumenta longe potiora adducamus. Non quia patrem vidit quiſquam, niſi is qui ex deo eſt, hic vidit patrem. Sed quid hoc doceat, nō dum id verbum cognitionem vlli plenam, exquiſitamq; atteſtatur. Sed creaturā quidem minus eum noſſe ſignat, cum dicat: Non quia patrem vidit quiſquam. Filium item noſſe eundem ſignificat, cum addat, niſi is qui eſt ex deo, hic vidit patrem. Verum exquiſite eum nouiſſe, & ita, vt ipſe ſe nouit, nō dum explicatum eſt. Dixeris

Rom. 11.

1. Cor. 2.

Matth. 11.

Matth. 11.

1. Cor. 12.

1. Cor. 13.

Eph. 1.

enim: Eſſe itaque poteſt, vt nec creatura, nec filius eum expreſſe ſciant: ſed quāquam expreſſus quā creatura filius nouerit, tamē plena illa & exquiſita comprehenſione filium quoq; carere, Nam quod eum videt, quicquid tandem eſt cognoſcere, ait: perfecte autem & abſolute cognoſcere, & ita vt ſeipſe, nō dum oſtendit. Vultis ne igitur huius quoque fidem à ſacris ſcripturis, atq; à voce domini ipſa petamus? Audi quid ad Iudæos ipſe dicat: Sicut cognoſcit me pater, & ego cognoſco patrem. Quid hac cognitione certius quæraſ? Interroga aduerſarium, an pater filiū exquiſite norit, omnemq; eius teneat rationem, nec eum quicquam filij lateat, ſed integram, expletam, & abſolutam quandam cognitionem percalleat. Ita eſt, inquit. Ergo cū audis ita filium patrem noſſe, vt & ipſe pater filiū nouit: nihil præterea quærare, nihil ambigere debes: cum tam pari modo inter ſeſe æquet cognitiones. Quod idem etiam alibi exprimit cum dicit: Nemo cognouit filiū, niſi pater, neque patrem quis cognouit, niſi filius, & cui velit filius reuelare. Reuelat autem nō quantum cognouit, ſed quantum nos recipere poſſumus. nā ſi Paulus ita fecit, multo magis Chriſtus idem facere debet. Ille quippe ad ſuos diſcipulos ſcribens, ſic ait: Non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus: tanquam paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi, nō eſcam, nō dum enim poteratis. Sed dicit fortasſe agendum ita fuiſſe cum Corinthiis tantum. Quid ſi pleraque alia nouiſſe ipſum oſtendam, quæ nemo acceperit, ſed vnus ipſe ſciens eſt vita abiit? Vt hoc quod ad Corinthios ſcribit, ſic dicens: Audiui ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui. Veruntamē hic etiam ipſe, qui ineffabilia audiuiſſet, & quæ nemini narrare liceret, particularem quandā cognitionem tenuit, & multo futura illa inferiorem. Qui enim hoc retulit, idem etiā illa ſcribit: Ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus. Itemq; Cū eſſem paruulus, loquebar vt paruulus, ſapiebā vt paruulus, cogitabam vt paruulus. Atque etiam nunc video per ſpeculum in ænigmate, tūc autem facie ad faciem. Ita omnis iſtorū deprehenditur fraus, omnis fallacia coarguitur: quādo enim ipſa dei ſubſtantia ignoratur, nō inquam an ſit, ſed quid ſit, furoris certe eſt ſummi vel nomen ei tribuere, nedum comprehendere opinari. Quamquam & ſi nota certa q; haberetur, non tutum propterea eſſet noſipſos iudicio noſtro modū appellandi ſtatueret ſubſtantia domini. Nā ſi Paulus nomen virtutibus ſuperis imponere minus auſus eſt, ſed quum dixiſſet: Cōſtituit Chriſtū ſuper omnem principatum, & poteſtatē, & virtutem, & omne nomen quod nominatur, nō ſolum in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro: quū docuiſſet nomina nonnulla eſſe virtutū, quæ tunc ſcire poterimus, minime ipſe cōſiſus eſt vel alia pro illis ſtatueret nomina, vel eadē illa exquirere: quū fieri poteſt, vt his omnibus aut ignoſcatur, aut purgandi detur occaſio, qui in ipſa ſubſtantia domini tam temerē audent, totq; nefaria cōmittunt: Quando autem ipſius quoq; ſapientiæ ratio ignoratur, proſecto genus id hominum non ſecus quā infanos deliroſq; deſpicere, aſpernarique debemus. Iam deum eſſe vnigenitum certum eſt, nomen tamen idipſum eſſe diuinā illius ſubſtantia à nullo vel propheta, vel apoſtolo, vel euangelista, aut expreſſe, aut per ambaginem propoſitū eſt. Et recte quidem: qui enim ipſam ignorarent ſubſtantiam, quo pacto eius nomen tradere haberēt? Sed cur de ſacris loquor ſcripturis, quando tam abſonē, tam iniquē de natura dei proponitur queſtio, vt ne quidem gentilibus, qui à vera opinione aberrarunt,

errarunt, tale quid vnquam placuerit: Nemo enim naturæ diuinæ definitionē reddere, vnōve amplecti nomine deum ausus est. Sed cur naturam, inquam, diuinam, quādo ne virtutes quidē incorporeas, quos deos appellant illi inferiores, plenē definiuerunt, sed obscura quadam expositione ac descriptione potius quā definitione docuerunt? Verum quid isti pro sua eximia sapientia ex his, quæ diximus, inferent? Ergo deum, quem colis, ignoras. Prorsus nihil ad hanc eorum obiectionem respondere debemus, cum tam latē scripturæ sacræ autoritatibus demonstratum sit, fieri non posse vt quid substantiæ sit deus sciatur. Verum quoniam non propter inimicitias agimus, sed quod eos doceamus & emendemus: age benigne id etiam ostendamus, nō eos qui nesciunt quid substantiæ deus sit: sed eos potius, qui scire contendunt, deum ignorare. Dic quæso, si inter duos orta altercatio esset de cœli magnitudine: quorū alter negaret hominis oculum rem posse percipere, alter contenderet fieri posse vt palmo suæ manus facile metiendo totam molem transmitteret: quem cœli nouisse dixeris magnitudinem? eūne, qui scire contendit, quot palmos cœli ambitus compleat, an eum qui nescire confitetur. Hunc prorsus. Quod si qui cœli amplitudini cedit, hic potius nouit eius magnitudinem: longe omnino abest, vt is mēte sit sanus, qui in dei immortalis ratione ne tantillum quidem censeat temperandū. Requiritur certe à nobis, vt esse deum sciamus, non vt quid deus sit indagemus. Quod Paulus doctor eximius docet, cum dicit: Credere enim oportet eum, qui ad deum accedit, quia est. Propheta item cum impietatis quempiam argueret, nō crimini assignat quod nescit, quid deus sit: sed quod deum esse ignorat, quippe qui ita scribat: Dixit insipiens in corde suo, non est deus. Igitur vt ille impius est, non quia deum quid substantiæ sit, ignorat: sed quia nescit deum esse, sic fatis ad pietatem est scire deum esse. Sed habent aduersarij nostri aliam quoque argumentandi meditatam euigilantemque rationem. Dicitur, inquit, deus spiritus est. Sed nunquam hoc nomen exprimens diuinæ substantiæ est. Quis enim si nuper adeo fores scripturæ sacræ adierit, non peregrinam & omnino alienā iudicet istam sententiam: iam enim eadem ipsa ratione deus ignis quoque. Nam vt scriptum est, deus spiritus est: ita scriptum habemus: Deus noster ignis consumens est. Itemque: fons aquæ viuæ. Nec spiritus, & ignis, & fons solum sit: sed etiam animus, & ventus, & mens humana, & complura alia multo his quæ modō enumeravi, absurdiora. Non enim omnia persequi debeo, nec illorū insaniam imitari. Spiritus quippe nomē plura significat. Nam & animum nostrum: velut cum Paulus dicit: Tradite hominem huiusmodi satanæ, vt spiritus saluus sit. Et ventum, vt propheta inquit: Spiritu violento conteres eos. Donum etiam spirituale spiritus dicitur: Ipse spiritus contestatur spiritui nostro. Item: Orabo spiritu, orabo etiam mente. Ad hæc ira atque excandescencia, autore Esaiæ: Non tu es, qui meditaris spiritu duro interimere eos. Præsidium quoque & auxilium dei vocari spiritum nouimus: spiritus enim ante faciem nostram Christus dominus. Erigitur deus hæc omnia illorum sententia, atque ex his ipsis rebus constabit. Sed ne tempus incassum teramus, dum confutanda refellendaque proponimus, quæ tam perspicui sunt erroris, vt nullam penitus postulet contradictionem: age finem hic faciamus dicendi aduersus eos, ad orandumque more nostro veniamus. Ergo pro his amplius rogemus, atque oremus

Heb. 11.

Psal. 13.

1. Cor. 5.

Esaiæ. 27.

vt aliquando insaniam liberentur: hoc enim gratum acceptumque deo saluatori est: Qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Minime igitur negligendum, vt preces pro his agamus, supplicemusque domino. Aptissima enim arma oratio est, thesaurus certe perpetuus, diuitiæ inexhaustæ, portus quietus, occasio tranquillitatis, denique autor, parens, fons, & radix bonorū omnium, & innumerabilium oratio est, atque etiam regia ipsa facultate potior & superior. Sæpius itaque euenit, vt cum rex ipse ægrotet, cubet, febricit, ardore laboret, & adsint medici, adsint cliētes, familiares, proceres, milites, duces: nō ars medicorum, non amicorum præsentia, non familiarium administratio, non medicamentorum copia, non apparatus magnificentia, non pecuniarum facultates, nō aliud quicquam rerum humanarum possit reddere infestantem morbum leuiorem. At si quis valens apud deum familiaritate accesserit, & corpus languens duntaxat tetigerit, & sincere pro eo orauerit, languorē omnem expellit: & quod non diuitiæ, nō numerus ministrorum magnus, non medicinalis scientia, non regius fastus efficere potuit, hæc vnus pauperis atque egeni oratio potuit. Orationem autem dico, non tenuem illam & desidiosam, sed eam quæ intenta, ex animo dolente, & corde contrito proficiatur. Hæc enim est quæ in cœlū scandere valeat. Et quemadmodum aqua dum per plana & ampla spacia fertur, non in altum exurgit, sed tenuem sese late quaque versus expandit: cum autem manu artificum subtus colligente stringenteque coacta fuerit in angustū, iam inde sollicita omni telo velocius se in excelsum iaculatur petitque regionem supernam. Sic mens humana dum ociosa & liberior, quā expediat, degit, diffunditur, lateque defluit: cum autem rerum euentu asperiori, casuque subtus coarctate aduerso sollicitetur, iam agilius se extrudit, & intetas, dilucidasque orationes mittit in excelsum. Atque vt intelligas eas potissimum orationes posse exaudiri, quæ presso afflictioque animo redantur, audi quid propheta referat: Ad dominum cum tribularer clamavi, & exaudiuit me. Igitur nostram feruefaciamus conscientiam, affligamus animam, torqueamus memoria peccatorum, vt non in angustam deducamus viam, sed vt idoneam exaudiri à deo efficiamus, vt vigilem, sobriam, & ipsum cœlum tangentem reddamus. Nihil tam pigriciam & negligentiam potest expellere, quā dolor & afflictio animi, quæ vndique cogitationes vagantes colligat, & sua in sede constituat. Qui ita afflictus mœstusque orat, hic laticia plurimum post orationem sibi potest conciliare. Et vt frequentia nubium principio cœlum obscurat: vbi vero percrebras dimiserit stillas, iam & humore seposito, serenum cœlum & dilucidū facit: sic mœror animi dum intus versatur, caligine cogitationē nostram obducit: cum autem verbis orationis & lachrymis, quæ solent comitari orationem, foras versus euaporatus, diffususque euauit, plurimum iam inde splendoris afferri in animum solitum est, fauore scilicet humanissimi & liberalissimi dei, veluti radio quodam in eius qui orat animum ingruente, ac luce afficiente letissimum. Sed quā frigidam, quā ineptam & sordidam complures sui erroris reddunt rationem. Non audeo, inquit, minime confido, me pudet, ne diducere quidem os possum, peccata me detinent. Satanica ista verecundia est, pudendi ratio pessima, obtentus negligentia ac desidia, occludere tibi aditum ad misericordem & clementissimum deum. Tuus hostis diabolus te petit, cum te tam verecundum facit,

facit, & pauidum, Diffiditne: Magna id ipsum ad confidendum facultas, magna hinc proficietur utilitas, si te arbitraris merito carere fidendi audendique facultate: vt contra summus pudor, summum dedecus, summa condemnandi ratio, si te arbitreris posse fidenter agere. Quanquam enim multa ex officio feceris, quāquam nullius tibi sis conscius mali: modō putes agere posse fidenter ac liberē, omni gradu orationis cōtinuo eiicieris ac decides. Contra, si onera conscientia innumerabilia sustines, peccatis summis grauaris: nec est quod te non premat delictum, modō illud vnum persuasum sit tibi, te omnium esse minimū, mirifice tibi animus fidendi audendique apud deum præstabitur. Quanquam id nulla humilitas est, vt cum peccator sis, peccatorem te opineris: humilitas enim est quoties quispiam rerum sibi præclararum conscius, nihil magni de se ipso existimat. Quoties quis Paulo similis dicere iure suo potest: Nullius mihi ipse sum conscius: & tamen dicit, non in hoc iustificatus sum. & Christus Iesus venit peccatores saluare, quorum primus sum ego. Hoc est humilitas, si te excelsum per virtutum officia, humilem per opinionē reddas. Deus tamen pro sua ineffabili humanitate, non solum modestos illos & humiles, sed etiam eos qui sua confitentur peccata, recipit, amplectitur, benignissime tractat. Atque vt planius intelligas, quā sit bonum nihil magnum de se opinari, finge animo bigam duplicem: quarum sub altera virtus iuncta sit cum superbia, sub altera peccatum cum humilitate. Videbis enim bigam illā peccati virtuti facile anteire, palmamque decurionis celerioris obtinere, non peccati pernicitate, sed coniugatae humilitatis facultate. Cōtra, bigam alteram virtutis retardari & vinci, nō imbecillitate virtutis, sed superbiæ mole ac pondere. Vt enim humilitas præ summa sua excellentia, peccati superat pondus, atque in cœlum peruenit: sic superbia præ nimio suo pondere ac intolerabili onere suæ molis præualeat, adeo vt etiam leuissimam illam & supernam virtutē vincat, deorsumque versus facile detrahat. Quoniam alterū quod dixi, non parum existat perniciosis altero, latius sanē exemplo pharisæi, & publicani illius perspicies. Iunxerat pharisæus iusticiam cum superbia, dixitque: Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut ceteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, nec velut hic publicanus. O insaniam hominis, vniuersa natura hominum minus explere superbiā eius & insolentiam potuit: itaque publicanum proxime stantem petulantissime inuadit, & elatus sua iusticia temerē insultat in hominem. Sed quid hic agit: non repellit probra sibi obiecta, non angitur maledictis, non repugnat aduersario, non vlciscitur inimicum, sed patitur facile petulantiam. Itaque efficit vt illud aduersarij telum medicamento sibi occurrat atque remedio: & probra conuersum in laudem sit, & maledictum in coronam & commendationem. Tam magnū humilitas bonum est, tam magnum comparatur emolumentum, dum hominum maledictis minus mordemur, dum ad illatas contumelias minus incendimur. Licet enim vel ex his ipsis fructum egregie capere modo publicani illius: cum enim patienter probra tulisset, peccata seposuit omnia: cumque dixisset, Deus propicius esto mihi peccatori, descendit iustificatus super illū, & dicta superauerunt facta, & verba vicerunt opera. Alter nanque iusticiam, & ieiunia, & decimas proposuit suas, alter verba duntaxat reddidit: atque ita effectum est, vt magnus ille numerus delictorum deleteretur, & peccata obliterarentur omnia publicani. Non enim verba deus tantummodo audiuit, ve-

1. Cor. 4.

Lucæ. 18.

Lucæ. 18.

Tomus quintus

rumetiam animum, quo ita dicerentur, inspexit: quem cum humiliatum contritumque comperiret, misertus est, & benignissime, ac humanissime egit. Hæc tamen nō ob eam rem dixi, vt licentius peccaremus: sed vt animū seruaremus humilem & modestum. Nam si homo publicanus vltimum viciorum genus non humilis, sed facili quodam & pio dūtaxat animo peccatis propositis, & rem, vt erat, confessus, tantum beneuolentiæ apud deum contraxit: quantum meritum quæso sibi homines comparare possint, qui cum præclara egerunt bona, nihil magni fecisse arbitrentur? Quas ob res vos hortor, & rogo, & oro fratres charissimi, crebrius deo immortalī confiteamini, & enumeratis vestris delictis veniam petatis, & numen propiciū. Non te in theatrum conferuorum tuorum duco, non hominibus peccata tua detegere cogo. Repete coram deo conscientia tuam, & explica, ostende deo medico præstantissimo tua vulnera, & pete ab eo medicamentum. Ostende ei qui nihil opprobret, sed humanissime curet. Cur taces, quæ optime ille nouit? Dic atque enumera, vt fructum maximū consequaris. Dic vt, absteris hic tuis maculis, abeam illuc mundus, & sine villo dedecore, vt intolerabili promulgatione illa delictorum tuorum libereris. Tres illi pueri in fornace continebantur, suamque animam exposuerunt certo suæ vitæ periculo. Veruntamen post tot tantaque virtutis officia referunt: Non possumus aperire os, confusio & opprobrium facti sumus seruis tuis, & colentibus te. Cur itaque os aperuistis? Vt hoc ipsum dicemus, nobis os minus licere aperire, atque ita dominum inuitare ad beneficiū. Vis orationis vim ignis extinxit, impetum leonum cohibuit, bella composuit, prælia remouit, tempestates sustulit, dæmonia expulit, cœli fores aperuit, vincula mortis dirupit, languores eiecit, offensas repressit, vrbes terræ motu nutantes firmavit, plagas cœlitus irruentes, insidias hominū, mala denique omnia deleuit oratio. Orationem autem, vt iterum dicam, non eam commēdo, quæ frustra in ore habeatur, sed quæ ab imis animi prodeat. Vt enim arbores, quæ radicem altius miserint, quamuis summū ventorum excipiant impetum, nō frangi, aut euelli possunt, cum planta & firmissima stirpe innitatur: sic orationes quas animus de suo imo reddiderit perquam tutè affixæ efferunt sese in excelsum, nulloque peruertuntur aggressu cogitationum. Vnde propheta insignis ait: De profundis clamaui ad te domine. Hæc ita doceo, non vt verbis probetis tantum, & laudetis: verumetiam vt factis palam animi vestri recepisse quæ laudat faciatis. Nam si apud homines suos quempiam casus dixisse, suamque calamitates narrasse assert non nihil consolationis, quasi difflatio quædam malorum per ipsam narrationē ageretur: longe magis si cum domino illo cōmuni ægritudines animi tui communicaris, consolationem atque remedium capies. Homo enim vel grauatur plerumque tadio alienæ querelæ, & luctus repellit, fugitque hominem miserum: at vero deus non ita agit nobiscum, sed inuitat, ducit, hortatur, acceptat. Et si totum diem in comunicandis cum eo tuis calamitatibus cōsumperis, ita te magis magisque diliget, & tuis precibus liberalius annuet. Et quidem hoc ipse dominus explicans, ita dicebat: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Vocat, obsequamur: inuitat, accedamus: si peccatis innumerabilibus detinemur, cursum ob eam rem maiorem in modum eō agamus. Tales enim homines ad se vocat: Non veni, inquit, iustos vocare, sed peccatores ad pœnitentiam. Homines oneratos, oppressos, fessos, K fatigatos

fatigatos pondere peccatorum. Deus enim dicitur con-
solationis, deus misericordiarum: quoniam hoc eius of-
ficium est perpetuum, ut homines dolentes, moerentes,
afflictos consoletur atque hortetur, etiam si peccata com-
miserint innumerabilia, modo nos ipsos ei dedamus,
modo accedamus nec negligamus: re ipsa experti scie-
mus eorum quae proposui veritatem omnium. Nihil pe-
nitus nos dolore afficere poterit, si orationem intetam
exquiritamque habeamus: quicquid enim acciderit, facile
per eius orationis facultatem repellemus. Nec mirum si
casus humanos tollere vires possunt orationis, quando
& ipsam peccatorum naturam extinguunt, & compen-
dio excidunt, ac delent. Ut igitur vitam cum facilitate
agamus, & quaecunque peccata cotraximus, omnia, rei-
ciamus, & fidenter ac ardentem apud Christi iudicis no-
stri tribunal constemus: hoc assidue nobis ipsi medica-
mentum praeparemus, ex lachrymis, studio, sedulitate,
pecunia copositum. Ita enim efficietur, ut perpetua va-
letudine bona fruamur, & bona illa futura obtineamus:
quae utinam omnes nos consequamur, gratia & huma-
nitate domini nostri Iesu Christi, &c.

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI
sermo, Quod neque vini, neque mortui anathe-
mate placenti sum.

NUPER ad vos de incomprehensibili cog-
nitione dei differens, tam scripturarum testimo-
niis, quam rationibus quas natura suppeditat
copiose declarabam, quod licet illam inuisibi-
les potestates, quae vitam omnino beatam & materiae ex-
pertem agunt, attingere nequeant: nos tamen, quorum
vita plane displicens & fluitans est, & qui omnibus vi-
ciis immerfi sumus, tentemus apprehendere id quod in-
uisibilibus substantiis est denegatum. Atqui dum id ar-
gumenti tractamus, & multum nostro tribuentes iudicio,
& inanem ab auditoribus captantes gloriola, fit in-
terim, ut neque naturae nostrae mensura nobis comper-
ta sit, neque diuinam scripturam, neque patres probe imi-
temur, & proinde a nostrarum imaginationum deliriis,
quasi a rapido torrente abstracti, in grande ruimus pec-
catum. Age, nunc & de anathemate, quae conuenit, in me-
dium fideliter afferamus, demonstraturi vim mali, quod
plerique neque inter mala computant, ut detegatur mor-
bus eorum qui hoc malo laborant, compescanturque ora
perpetuo frantum respuentia. Etenim in tam deplorata
valetudinem res nostrae perductae sunt, ut quasi vulga-
riter egrotantes, ignoremus nos pessime habere. Atque
adeo impletur in nobis vox prophetica: Non est, quod
adhibeatur, vel malagma, vel oleum, vel obligaculum.
Igitur de hoc malo, unde dicendi initium faciam: num
a dominicorum mandatorum dispositionibus, an a ve-
stra inficitia & stupore: Rideor ne, & insanire videor, quod
haec dico: Exhibeorne, quod tam iniucunda, lachrymisque
digna dicitur me polliceor: At quid mihi accidit? Do-
leo, mente dissecor, rumpuntur viscera: quia video tam
insensatos & malos, ut legis transgressione Iudaei, & im-
pietate gentes, superetur. En specto viros, qui nullum ex sa-
cris literis germanum sensum, imo nihil omnino sacrarum
litterarum tenent, & ut plerique transseam, nam erubescor
dicere, furibundos, nugaces, contentiosos, qui neque sciunt,
quae dicunt, neque de quibus affirmant, in hoc vno tan-
tum audaces, quod dogmata statuunt, & anathema de-
clarant ea quae maxime ignorant. Hinc est, quod exteris,
hostibusque fidei nostrae ludibrio sumus, habemurque
perinde quasi nulla sit nobis honesta vitae cura, & nun-

Esai. 1.

quam benefacere didicerimus. Heu mihi quam dura atque
dolenda sunt haec. Heu mihi, Prophetae desiderauerunt
videre quae vidimus, & non viderunt: & audire, quae au-
diuimus, & non audierunt: & nos inter haec enutriti su-
mus. Audite oro quae nunc illa, nequando pereamus. Nam
si sermo per angelos dictus, ita confirmatus est, ut om-
nis transgressio & inobedientia iustam praemij repen-
sationem acceperit: quo pacto nos adeo salutis negligentes
supplicia effugiemus? Dic quis scopus euangelij gra-
tiae: quidnam spectat: an non filij dei in carne aduentu?
Et quare: an ut mutuum mordeamus & deuoremur? Mi-
nime. Nam cum ubique perfectiora sunt praercepta quae a
Christo quam quae a lege data, etiam maior charitas a
nobis exposcitur. Lex dicit: Diliges proximum tuum si-
cut teipsum: hic autem & moriendum est pro proximo.
Audi & Christum quid dicat: Homo quidem descende-
bat a Hierusalē in Hiericho, & in latrones incidit, qui
& despoliarunt ipsum, & vulneribus inflatis abierunt
semimortuo relicto: accidit autem, quod sacerdos qui-
dam descenderit eadem via, visoque ipso, transiit: simili-
ter & Leuites, cum esset in eodem loco, viso ipso, transiit:
Samaritanus autem quidam, ut venit ad eum locum,
viditque illum, misericordia motus est, & accedens obli-
gavit vulnera eius, infundens oleum & vinum: & im-
posito eo super iumentum suum, duxit in diuersorium, cu-
ramque eius egit. Postero autem die depromptos denarios
duos stabulario dedit, ac dixit: Curam eius habe, & si
quid expenderit ultra, cum rediero reddam tibi. Quis
igitur horum trium proximus tibi fuisse videtur ei qui
in latrones incidit? Ille autem dixit: Qui fecit cum eo mi-
sericordiam. Dixit autem ei Iesus: Vade, & tu fac simili-
ter. Papae, quam mira? Non sacerdotem, non leuitam di-
xit proximum: sed illum qui iuxta Iudaeorum decreta,
eiecitus erat: qui Samaritanus erat, qui alienigena: qui in
multis blasphemabat, & illum ipsum vocat proximum:
quia apud eum inuenta est misericordia. Haec verba filij
dei sunt. Haec & opera eius sunt, quae in carne adueniens
demonstrauit. Nam mortuus est, non solum pro amicis &
suis, sed & pro inimicis, pro tyrannis, pro maleficis, pro
oloribus, pro crucifigentibus, atque pro his ipsis quos tales
fore ante conditionem mundi sciebat, eosque praescius for-
mauit, vincente praescientiam bonitate, & pro eis san-
guinem fudit, mortemque subiit. Panis, inquit, caro mea
est, quae ego dabo pro mundi vita. Paulus item per epi-
stolam sic dicit: Si enim cum inimici essemus, reconcili-
ati sumus deo per mortem filij eius. Et iterum in episto-
la ad Hebraeos dicit ipsum pro vniuersis gustasse mor-
tem. Cum igitur & haec ab ipso gesta sunt, & horum ty-
pos exprimit ecclesia, quotidie pro omnibus preces fa-
ciens, quo modo tu audes talia loqui? Quin dic, quid est
ihstuc ipsum dicere anathema: Vide quid dicis: cogno-
sce quid loqueris. Nosti verbi vim? Quamuis inuenies in
sacra scriptura, quod dicitur contra Hiericho: Et anathe-
matizabis totam ciuitatem domino deo tuo. Et inualuit
apud nos omnes consuetudo, quae in hodiernum vsque
diem durat, ut anathema dicatur quod certo loco sus-
psum. An hoc tu dicis anathema: sed hoc plerumque in
bonum sonat, & est interdum oblatum deo. Quid ergo il-
lud, quod anathema tu dicis eum qui oblatum est diabo-
lo, nec ultra regionem salutis inhabitat, sed alienus est
a Christo: Heus, quis tu tantae authoritatis, qui tanta tibi
vsurpas potentiam? Tunc enim sedebit filius dei, & sta-
tuet oues a dextris, & haedos a sinistris. Cur igitur di-
gnitatem tantam assumis: quae apostolis tantum com-
municata, & his qui illorum idonei successores, vere pleni
gratia &

Math. 22.

Luce. 10.

Ioan. 6.

Roman. 5.

Iosue. 6.

gratia & virtute. Iam apostoli diligenter id mandati ser-
uarunt. Sic enim haereticos eiciebant ex ecclesia, quasi
effodiendus esset dexter oculus. Quae tepestina membri
defectione, magnum suae compassionis & doloris indi-
cium praeseferbat. Atque idcirco Christus quoque dex-
trum oculum dicit, ut illum abiectionis compassionem
commendaret. In qua re, sicut & in aliis admodum di-
ligentes fuere: haereses quidem redarguendo & eiciens-
do, nulli autem haereticorum hanc poenam adhibedo.
Porro Apostolus in duobus duntaxat locis vocem hanc
quasi coactus affert, nec tamen certae & determinatae per-
sonae illam intentat. Nam Corinthiis scribit: Si quis non
amat dominum nostrum Iesum Christum, anathema sit. & Si quis vobis euangelizauerit aliud praeter id quod
accepistis, anathema sit. Cur igitur quod nullus eorum,
qui potestatem acceperunt, vel facere, vel declarare aus-
sus fuit, tu facere audes, plane aduersarius mortis domi-
nicae, & praecipuus iudicium regis? Vultis discere qua-
lia de hoc sanctus quidam dixerit, qui & apostolorum
temporibus martyrii meruit? Monstraturus huius ver-
bi grauitatem, tali utebatur exemplo: sicut priuatus ho-
mo, regiam sibi ipsi purpuram circumponens, vna cum
omnibus qui se iuuant, punitur ut tyrannus: ita & qui do-
minicam sententiam fert, & hominem facit anathema
ecclesiae, abducit seipsum in extremam perniciem, vsur-
pando dignitatem filij dei. Sic ille dicebat, Putatisne
hanc parui momenti rem esse, ante iudicem iudicijque
tempus aliquem eiusmodi sententia condemnare? Ana-
thema enim omnibus modis a Christo separat. Ad haec
quid respondent illi malicia potestates? Haereticus, aiunt,
ille factus est, inhabitantem habet diabolium, aduersus
deum iniustitiam loquitur, multos in profundum per-
ditionis abducit eloquentiae suae efficacis suadela & de-
ceptione. Sanne propter hoc a patribus eiecitus est, maxi-
me, quia eius magister quoque partem ecclesiae abstulit,
Paulinum vel Apollinarem designando. Sanne de singu-
lorum istorum discrimine, sermo multis bene nouitate
refutauit, errorem in perniciosissima praesumptio-
nis penetralibus inualuisse redarguens. Doce, ait, in le-
nitate, erudiens eos qui obfistunt, si quando det eis deus
poenitentiam ad agnoscendam veritatem, ut respiscant
a diaboli laqueo capti in voluntatem illius. Extende sa-
genam charitatis, ut non subuertatur claudicans, sed
potius sanetur. Ostende, quod magna affectione bonum
proprium cupias facere commune. Affer dulcem escam
compassionis in hamo, & sic scrutare profunda, atque
ex imo perditionis extrahe eum qui sensu descenderat,
ut & quod opinabatur, & quod ignorabat, bonum exi-
stimaret. Erudi sicut alienum ab apostolica traditione,
& siquidem hoc boni consulere voluerit homo, qui prius
errore infectus erat, iuxta vocem prophetae, & ille viuet vi-
ta, & tu animam tuam liberabis: si autem respuit sermonem,
utpote contentiosus, tu contestare ne reus fias, tantum
cum longanimitate & suauitate, ut ne animam eius de
manu tua iudex requirat. Ne odio habeas, ne auerferis,
ne persequaris, sed synceram & veram erga eum osten-
de charitatem. Ut interim etiam aliud nullum, certe
hoc feras lucrum, & magna est iam utilitas, egressumque
lucrum quod diligis, & simul doctrinam Christi doces.
In hoc enim, ait, cognoscent, quod mei sitis discipuli, si
charitatem habueritis inuicem. Quae absente nihil pro-
derit, vel scientia mysteriorum dei, vel fides, vel pro-
phetia, vel paupertas, vel confessio Christi: id quod &
Paulus ipse demonstrauit, dicens: Si tenuero mysteria
omnia, & omnem scientiam, & fidem, ita ut etiam mon-

1. Cor. 16.

Galat. 1.

1. Ian. 13.

1. Cor. 13.

tes dimoueam: charitatem autem non habuero, nullam
inde utilitatem capio. Et si linguis angelorum loquar,
& si impertitus fuero omnes facultates meas, & si tradam
corpus meum, ita ut comburam: charitatem autem non
habeam, nihil sum. Charitas suauis est, non inflatur, non
quirit quae sua sunt: omnia suffert, omnia credit, om-
nia sperat, omnia sustinet. Dilecti, nullus ex vobis tali-
ter erga Christum fuit affectus, qualiter ista sancta ani-
ma. Nullus hominum talia verba praeter illum loqui au-
sus fuisset. Nam anima eius amburebatur cum diceret,
Adimpleo afflictiones Christi in carne mea quae reli-
qua. & precabar ipse anathema esse a Christo pro fra-
tribus meis. & Quis infirmatur, & non infirmor ego?
cumque tanta erga Christum affectione praeditus esset,
non iniurias, non violentias, non anathemata cuiquam
inferebat: & profecto, quasi non esset is qui tot gentes,
& integras ciuitates domino obtulisset: sed quasi humi-
liaretur, verberaretur, colaphis caederetur, ridiculusque
esset omnibus, ita haec curabat blandiendo, adhortan-
do, obsecrando. Sic sane & apud Athenienses sibi pate-
fecit introitum. Nam cum inuenisset omnes idolorum
cultu insanientes, non exprobrauit eis dicens: Impij estis
vos & plane omnis religionis expertes. Non dixit: Om-
nia vos diuino honore dignamini, deum ipsum, vni-
cum & verum dominum & opificem vniuersi, negatis.
Sed quid: Obambulans, inquit, & considerans culturas
vestras, inueni etiam aram inscriptam, ignoto deo. Quae
igitur ignorantes colitis, hunc ego vobis annuncio. O
miraculum, o paterna viscera. Pie colere dicit Graecos
& idololatrās, quannus impietate colentes. Quare? quia ut
pij & vere religiosi cultum suum perficiebant, deum se
colere putates. Hoc & vobis persuadete. Huius vos imi-
tatores omnes fieri precor, atque vobiscum & meipsum.
Nam cum dominus, qui praenouit quid vnusquisque no-
strum elegit, & qualis futurus est: hoc facit, ut bonitatem
& magnificentiam suam comprobet: neque enim prop-
ter malos creationem intermisit, sed etiam illos com-
munibus bonis locupletauit: quo pacto igitur tu secus
facis, qui in ecclesia cum aliis adcurris, & hostiam filij
dei perficis? Nescitis quod calamum contractum non
contriuit, & linum fumigans non extinxit: Et quorsum
hoc dictum: audi: Iudam & eos qui sicut ille exciderant
tamdiu non abiecit, quousque seipsum quisque abdu-
ctum errori macipauit. Nonne & pro populi ignoran-
tibus preces offerimus? Nonne praerceptum habemus, ut pro
inimicis, & qui nos oderunt & persequuntur, precemur?
En quam probe implemus ministerium: en obsecro ordi-
natio non effert, non in sublime extollit, non potentiam
praestat: Omnes eundem spiritum accepimus, om-
nes in adoptionem filiorum vocati sumus: quos autem
probauit pater, eos fratribus in potestate seruire voluit.
Eia ministerium nostrum curemus: obsecramus, & con-
testamur vos, ut a tanto malo defistatis. Nam is quem tu
anathematizare decreuisti, vel viuus, & adhuc in mor-
tali vita hac superest, vel mortuus est: quod si adhuc su-
perest, impietate agis, qui eum qui a malo in bonum se ver-
tere potest, crudeliter absecas: si mortuus est, multo
magis crudelis es. Cur nam? Quia domino suo stat vel
cadi, non iam sub iure humano existes. Et de eo quod
occultatum reseruatamque seculorum iudici, pronun-
ciare tutum est solum ei, qui mensuram scientiae, & quan-
tatem fidei cognoscit. Dic mihi obsecro, qui scis, qui-
busnam verbis sese accusabit vel defendet ille in die quo-
deus venturus est, ut iudicet occulta hominum? Profe-
cto inscrutabilia sunt iudicia, & imperuestigabiles viae
eius.

Coloss. 1.

2. Cor. 11.

Act. 17.

eius. Quis enim cognouit sensum domini, vel quis eius consiliarius fuit? Dilecti, fortè nullus ex vobis baptismum se consecutum putat, nullus iudicium aliquando futurum suspicatur? Quid dico iudicium? ipsam nostram mortem & egressum e corpore non cogitamus, adeo corda nostra huius vitæ sollicitudine & curis obrutescunt & desipiunt. Obsecro, desistite ab hoc malo. Ecce dico, & cõtestor coram deo & electis angelis, hinc vobis in die iudicij magnam malum, & inextinguibilem ignem parari. Nam si in virginum ordine eos, qui cum fulgida fide & morum honestate vixerunt, dominus qui omnium opera eorũ considerabit, ob misericordiam penuriam à thalamo arcebit: quo modo nos qui in omni luxu & crudelitate erga cognatos versamur, obliui dei, salutem assequemur? Ea propter vos oro, ne vobis verba hæc mente excidant. Dogmata enim impia, & quæ ab hereticis profecta, arguere & anathematizare oportet: hominibus autem parcendum, & pro salute ipsorum orandum. Det deus omnes nos ita charitatis erga deum & proximum esse studiosos, implereq; mandata domini, vt cum misericordiam oleo, & fulgidis lâpadibus occurramus in die resurrectionis ipsi superno & celesti sporsio, offerentes ei plurimos in gloria, quos nostra cõpensione & pietate lucrificemus: prestante gratia & misericordia ipsius vnigeniti filij dei, cũ quo patri sit gloria simulq; sancto spiritui in secula, Amen.

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI
aduersus Gentiles demonstratio, quod Christus sit deus.



Voniam librorum magnitudo, fastidium parit mortalium plerisque, qui vel ignavi domi resident, vel immodicis huius vitæ curis implicantur, vel hebetudine & inscitia prepediuntur: ideo operæ precium visum, refecare multiloquijs remoramenta, & in arctum redigere varios prolixosq; parum sermones, vt ad instituti operis lectionem etiam plurimum desides allecti, magnam promptitudinem & alacritatem præ se ferant. Atque ea de causa, orationem hanc nullis verborum nominumue fucis & lenocinijs illustrabo: sed huiusmodi nominibus vtar, quæ & famulo, & ancillæ, & viduæ, & instituti, & agricolæ comprehensibilia, captiq; facilia sint: & omnino periclitabor, vt quantum fieri potest, omissa prolixitate, appetitus & studia excitent supinorũ oscitatumq; auditorum, quod & ad hæc nostra facile & absque labore ingredientur, & quæ apprehendunt fideliter memoria retineant. Primum autem cum gentibus nobis certamen ineundum. Dicit enim vtique gentilis: Vnde manifestũ: quod Christus est deus? Ante omnia igitur hoc præstruere oportet, & sponte sequentur alia omnia. At nõ à cælo petenda demonstratio, neq; ab alijs id genus. Nam si ad gentilem dixerõ, creauit cælum vel terram, vel mare: non me feret: Incredulus enim est. Si dixerõ, Mortuum excitauit, cæcos curauit, dæmones fugauit: neque hoc accipiet. Denique si dixerõ, quod regnum & ineffabilia bona promiserit, hoc non solum non credet, sed & ridebit. Vnde igitur illum, maxime si idiota est instituemus? Non aliunde quàm ab his quæ inter nos & illum confessa sunt, & quæ in dubiũ reuocare nequit. Nam quod cælum fecit, & alia quæ dicebam, non sustinebit vt sibi nunc suadeantur. Quæ igitur sunt quæ & ille fecisse Christum confitetur, & non contradicit: Quod Christianorum genus plantauit Christus. Neutiquam enim contradicit, quod omnes vndiquaque ecclesias orbis Christus fundarit. Hinc faciemus demonstrationem

virtutis Christi, & ostendemus ipsum deũ. Etenim non est puri hominis, in tantis rebus, orbem terra, marique, tam breui tempore comprehendere, & tam absurdis moribus præuentum, tantisque malis irretitum liberare humanum genus: & non Romanos tantum, sed & Persas, & omne (vt sic dicant) barbarorũ genus. Insuper quod hæc confecit, nullis vsus armis, nullos faciens sumptus, nullos mouens exercitus, nulla prælia committens, sed per vndecim viros principio, ignobiles, viles, rudes, idiotas, pauperes, nudos, persuasit tot hominum tribus: idq; non presentibus solum, sed & futuris. Quid quot subuertit leges patrias, aboleuit consuetudines inueteratas, euellit stirpes tanto tempore radicata, & pro illis suas alias implantauit? Abduxit ab his in quæ propensi erramus, & in ardua & difficilia induxit: cumque hæc faceret, infestabantur & sui ab omnibus, & crucem ipse genus mortis ignominiosissimum sustinuit. Nihil hic contradicent, quod crucifixus est & à ludæis, quod innumera ab illis passus, quod quotidie prædicatio increfcit & floret: non hic solum, sed & apud Persas, etiam dum ab illis oppugnatur. Etenim & inde multa sunt martyrum examina, & qui ibi lupis ferociore erant, accepta prædicatione, quibus mansuetiores euasere, nuncque de immortalitate & resurrectione, & ineffabilibus bonis disserunt. Neque in ciuitates solas, sed in solitudinem vsque peruasere hæc præclara facinora, & in pagos, & in regiones, & in insulas, & in portus, ac nauium stationes. Nec priuati & principes tantum, sed & ipsi reges qui diademata ferunt, insigni fide crucifixo se submittunt. Ad hæc, Non simpliciter contigerunt ista omnia, sed multo antea prædicta sunt: atque adeo vt ne sermo suspectus sit, libros habemus à ludæis, qui illum crucifixerunt, & ipsorum testimonijs, & ex libris quos illi custodiunt, nostra probamus, è quibus etiã nunc nõnulla proferemus. Primo omnium quod deus existens, homo futurus erat, dicit Hieremias: Hic deus vnigenitus non conferetur alius ad illum, inuenit omnem viam scientiæ, & dedit ipsam Iacob puero suo, & Israël dilecto suo. Post hæc in terra visus est, & cum hominibus cõuersatus est. Vides, quo modo omnia paucis verbis declarauit, nempe quod deus existens, homo factus est, & quod etiam veterem legem ipse condidit? Inuenit enim, inquit, omnem viam scientiæ, & dedit ipsam Iacob puero suo, & Israël dilecto suo. Ecce declarat his, quod & ante suum in carnem aduentum omnia ipse dispensarit, & omnia ipse fecerit, legem statuens, prouidens quoque, curans & benefaciens. Alius propheta nõ solũ quod homo futurus, sed & quod è virgine nasendus erat, dicit, quem audi. Ecce, inquit, virgo in vtero habebit, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emanuel: quod si interpretetur quis, sonat, nobiscum deus. Deinde ostendit, quod non appareret, sed verè homo sit, adiecit enim dicens: Butyrum & mel comedit. Mos enim est, vt his cibis peculiariter pascantur pueri mox vt nati fuerint. Et declaras quod non purus homo, iterum addit dicens: Propter quod priusquam sciat puer bonum vel malum, bene sciet à malo seligere bonum. Et quod non solũ homo ex virgine, sed & quod ex domo Dauid futurus, audi quo modo & hoc multo antea prædicit Esaias, figurilibus verbis & translatione vsus multa, prædicit tamen: Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & quiescet super eum spiritus dei, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis: spiritus timoris dei implebit ipsum. Nam Iesse ille pater fuit Dauid. Mani-

Math. 3.

Ibid. 2. Esai. 9.

Ioan. 14.

Psal. 71.

Esai. 42.

Math. 2.

uid. Manifestum igitur, quod à tribu illa, & non solum à tribu illa, sed & à domo illa processurus erat. Et hoc prædixit, dicens: Egredietur virga de radice Iesse, non de virga loquens, sed de Christo & regno eius. Quod non de virga dixerit, consequentia declarant. Nam cũ dixisset: Egredietur virga: adiecit, quiescet super eũ spiritus sapientiæ & intellectus. Nullus autem tam insipiens qui dicat, quod super lignum veniat spiritus gratia, sed manifestum quod super immaculatũ illud templum: & non dixit, veniet: sed, super eum quiescet: quia vt venit, mansit, & non discessit. Hoc etiam Euangelista dixit: Ego vidi spiritum descendẽtem sicut columbam, & mansit super eum. Neque siluit Iudaicam sententiam, quam ostenderunt ipso nato. Nam euangelista sic dicit: Vt Herodes audiuit, turbatus est, & omnis Hierusalẽ cum eo. At propheta, audi quo modo & hoc multo ante prædicẽs annunciarit: Puer natus est nobis, & filius datus est nobis, & vocabitur nomẽ eius magni consilij angelus, admirabilis, consiliarius, deus fortis, potens, princeps pacis, pater futuri seculi. Hoc de puro homine nemo dicit, etiam qui valde contentiosus. Nam nullus hominum vnquã etiam ab ipso seculo dictus est Deus fortis, sicut neque pater futuri seculi, neq; princeps pacis huius. Nam pacis suæ, ait, non est terminus. Et manifestat rerum euentus, quod pax in omnẽ intrauit terram, & in mare, in orbem habitabilem & inhabitabile, & in montes & colles, & valles à die illa à qua Christus incipiens dixit: Pacem meam do vobis, non sicut mundus dat pacem. Hominum enim pax statim dissoluitur, & varias habet vicissitudines. Verum quæ à Christo datur, stabilis est, imò firma, solida, immortalis, sine carẽs, licet milia bellorum vndiquaque ingruant, & quotidie milia insidiarum parentur: attamen omnipotens sermo suus etiam hanc perficit, & conseruat. Non solum autem prædixerunt futurum hominem, sed & modum aduentus eius. Nam affuturus erat, non iaciens vel fulmina vel fulgetra è supernis, nec concutiẽs terram, nec rotans cælum, nec alia id genus prodigia operans: sed absque strepitu, & ita absque tumultu & turbatione, vt nemo perferentisceret. In domo enim fabri natus est, in domo ignobili & vili. Audi, quo modo neq; illud propheta prædicendo tacuerit, dicit enim: Descendet sicut pluuia in vellus, quibus aduentus illius tranquillus & quietus signatur. Neque hoc cõtentus, declarauit etiam quàm mansuete & suauiter cum hominibus conuersaturus esset. Nam cum iniurijs afficeretur, opprobretur, conspueretur, flagellaretur, & denique cruci affigeretur, nullũ vltus est talia facientem: sed tulit omnia sapienter, & equo animo, contumelias, insidias, insaniam & furorem importunæ illius plebis. Quod etiam ipsum manifestans scriptura, sic dicit: Calamũ contritum non confringet, & linum fumigans, non extinguet, donec educat in veritatem iudicium, & in ipso gentes sperabunt. Et alius locum in quo nasendus erat, indicat, dicens: Et tu Bethlehem in terra Iuda, nequaquam es minima in principibus Iuda: ex te enim egredietur dux, qui reget populum meum Israël, & exitus eius ab initio à diebus seculi. En diuinitatem & humanitatẽ indicat. Nam dum dicit, & exitus eius ab initio, & à diebus seculi, substantiam declarat, quæ ante secula fuit. Cum autem dicit: Egredietur dux, qui reget populum meum Israël: natiuitatem seculũ carnem docet. Vide autem iterum & aliam prophetiam refulgentem. Non solum enim quod nasendus sit, sed & quod nobilis ille locus futurus, tamen vilis & paruus. Nequaquã enim, inquit,

minima eris in ducib; Iuda. Nam omnis orbis Bethleẽ confluit, vbi natus positus est: & nobilis factus est locus ille non alia de causa, quàm hac sola. Item & tempus quo affuturus erat, manifestauit, sic dicẽs: Non deficiet princeps ex Iuda, neque dux ex lumbis eius, donec veniat cui repositum est: & ipse erit expectatio gentium, ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem pullum asina suæ: lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vna pallium suum: iucundiores oculi eius vino, albiore dentes eius lacte. Vides & hoc vaticinium cõgruere? Nam tunc comparuit, cum iam deficerent principes Iudaici, & sceptris Romanorum subderentur: & impleta est propheta, quæ dicit: Non deficiet princeps à Iuda, neque dux à lumbis eius, donec veniat: Christum dicẽs. Nam simul vt natus est, & descriptio prima facta est, imperantibus videlicet Romanis Iudæorum genti, & eam sub seruitutem suam agentibus. Deinde assignatur & aliud: Et ipse erit expectatio gentium. Aduentu enim suo gentes omnes attraxit. Herodes Christum inquisiturus erat, & interempturus propter eum omnes qui ibi erant pueros: & neque hoc siluerunt prophetæ, sed multis antea temporibus prædixerunt, dicentes: Vox in Rhama audita est, luctus & fletus, & clamor multus: Rachel plorabat filios suos, & consolari noluit, eò quod non erant. Rediturus erat ex Aegypto, & hoc significauerunt vates: Ex Aegypto vocaui filium meum. Erat in locis insignibus manifestandus, vbi statim signa faceret ac doceret, & ipsum prædictũ est, propter quod Esaias dicebat: Regio Zabulon, terra Nephthalim, populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam: sedenti in tenebris & vmbra mortis, lux orta est eis. Quibus manifestat aduentum illius. Doctrinam quoque & cognitionem, quàm à miraculis illius acceperint, enarrat: & deinceps alia miracula subiugit, quo modo claudos curarit, quo modo cæcos sanos, & quo modo balbos expedite loqui fecerit. Tunc aperientur, inquit, oculi cæcorum, & aures surdorũ audient, tunc saltabit quasi feruus claudus, & clara erit vox inexpedite loquentiũ: quod scilicet nunquam factum est, quàm in aduentu illius. Signorum item aliquorum etiam speciatim meminerunt. Ingresso enim aliquando in templum, pueri adhuc ab vbere pendentes, & inexpeditam habentes linguam, cecinerunt in illũ hymnos, sic dicentes: Osiana in excelsis, benedictus qui venit in nomine domini. Hoc multo antea prædixerat propheta, sic dicẽs: ex ore infantium & lactetium perfecisti laudem, dum destruis inimicum & vltorem, hoc est Iudaicum populum: contra quem pugnabat natura, & opificem prædicabat, fungebaturque apostolico munere innocens etas, necdum loqui valens. Porro, quod nonnunquam disputando cum Iudæis, ob ingratitudinem eorum, pleraque ænigmati & parabolis adumbraturus esset, prædictum etiam istuc ipsum antea fuit: Loquar enim, inquit, propositiones à fundatione mundi, eructabo occulta ab initio. Quin & sapientiã eius in concionando propheta prædixit, inquiens: Diffusa est gratia in labijs tuis. Et alius iterum, Ecce intelliget puer meus, & exaltabitur, & glorificabitur, & valde sublimis erit. Præterea aduentus sui insignia facta cum miraculis, quasi in summa enarrat idem. Spiritus, ait, domini super me, cuius gratia vnxit me vt euangelizẽ pauperibus misit me, vt prædicẽ captiuis remissionem, & cæcis visum. At quod Iudæi tanta beneficia in se conferentem, quem nec in paruo, nec in magno arguere poterant, sine omni causa auerfaturi essent, audi Dauid dicentem: Impugnauerunt me

Gene. 49.

Hier. 31.

Osee. 11.

Esai. 9.

Math. 21.

Psal. 8.

Esai. 28.

Ibid. 61.

Psal. 119.

gratis, cum oforibus pacis eram pacificus. Erat asino aliquando ciuitate ingressus: hoc etiam ipsum olim est predictum, Zacharia sic dicente: Gaude valde filia Sion, predica filia Hierusalem: Ecce rex tuus venit mansuetus, ascendens super subiugalem & pullum nouum. Eiecit vendentes columbas & nummularios, faciens hoc zelo domus dei, & ostendens quod non sit contrarius deo, idem sentiendo quod pater: vnde & iuste vindicabat, quia facta erat domus patris, domus negotiationis. Cui rei conscius propheta mentem qua faciebat, praxidit in hunc modum: Zelus domus tue comedit me. Quid hoc euidentius dici potuit? Tradendus erat a particeps mensa sua, proditorem agente. Vide quo modo & illum reuelauerit propheta: Qui comedit, ait, panem meum, magnificauit super me calcaneum. Considera item, quam consonet euangelium: Qui intinxit, ait, mecum manum suam in catinum, ille me tradet. Erat autem illum traditurus non simpliciter, sed vendens sanguinem preciosum, & pro illo pecuniam accipiens: & neque hoc obtinuit propheta, demonstans consona, & impudentia illorum consilia, ac sermones quos inter se conferebant. Nam ille dicebat: Quid vultis mihi dare, & ego vobis illum tradam? Isti vero respondebant: Triginta argenteos. In enigmate dicit: Os peccatoris & dolosi super me apertum est. Proditor ille damnans seipsum ob peccata quae fecerat, argenteos abiecit, & ad laqueum currens vitam finiuit, fecitque uxorem suam viduam, & filios orphanos, & domum desertam. Vide ergo quo modo & hanc tragicam calamitatem propheta annunciat, dicens: Fiant filij eius orphani, & vxor eius vidua. Commoueat, vsquequo euicantur a scrutantibus domus eorum. Et post illum factus est apostolus quidam Matthias, & istuc ipsum etiam precinuit, dicens: Episcopatu eius accipiat alter. Tradito Iesu, & comprehenso voluntarie, coactum est concilium iniquitate plenum conuenientibus Iudaeis & gentibus. Vides, quo modo etiam hoc praxidit propheta, dicens: Quare fremuerunt gentes, & populi: vsquequo, Abiiciamus a nobis iugum ipsorum. Quae vox est eadem cum illa quam clamauerunt cum Pilato dicente: Regem vestrum crucifigam? responderunt: Nos regem non habemus nisi Caesarem. Ad haec quoque praxidit, & multos alios sermones & accusationes, quos interim miscebant. Silebat Iesus, & silentium quoque Esaias dixit: Sicut onis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente mutus, sic non aperuit os suum. Postea corruptam sententiam monstrans, in humilitate sua iudicium illius sublatum est, ait: hoc est, nullus illi iusta iudicauit. Postea & causam caedis dicit. Nam suorum peccatorum gratia non est passus quae passus est, immaculatus enim & innoxius erat, sed pro mundi malis traditus est. Vide quo modo duo haec aperuerit, cum dixit: Peccatum non fecit, neque inuentus est dolus in ore eius. Cuius ergo gratia occisus est: pro iniquitatibus populi ad mortem venit. Quid lucri a cruce & morte illa: Bona quibus nunc gaudemus, peccati interitus, vulnerum animae emendatio, cura & medicina mirabilis, ac rara. Quod & ipsum quo modo praxidit vide, dicit enim: Omnes sicut oues errauimus, vnusquisque in viam suam aberrauit, & disciplina pacis nostrae super eum, liuore eius nos curati sumus. Ad haec, & Iudaei poenas daturi erant pro flagitiis suis. Vide quo modo hoc manifestauit, dicens: Dabo malos pro sepultura eius, diuites pro morte eius, Quod Dauid cum dixisset: Abiiciamus a nobis iugum ipsorum, adiicit: Qui habi-

at in caelis irridebit eos: tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos. Quibus significat dispersionem eorum in omnes gentes in toto orbe. Quod & in euangelio declarans, dicebat: Eos autem qui me super se regnare nolebant, adducite huc, & occidite eos ante me. Praeterea, qui praenunciauerunt mortem, neque mortis genus siluerunt, sic dicentes: Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea. Insuper & aliam post crucifixionem iniquitatem non tacuerunt, dicentes: Partiti sunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. Consequenter sepeliendus erat, quod sic manifestatum: Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebris, & in umbra mortis. Funeris quoque pompam non transierunt silentio: nempe, quod mulieres attulerunt myrrham, guttam, & cassiam, audi quid dicat propheta: Myrrham, & guttam & cassiam a vestimentis suis, ex quibus latificauerunt te filiae regum in honore suo. Resurrecturus erat, vide quo modo & hoc praxidit: Non derelinques, ait, animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Aliis autem verbis Esaias idem hoc monstrat, dicens: Et dominus vult ipsum purificare a plaga, ostendere ei lumen, iustificare iustum, qui bene multis seruiert. Quod eius occisio fuerit multorum peccatorum humanorum solutio: Peccata, dicit, multorum ipse tulit. Quod a demonibus liberauit homines, Et diuisit, ait, spolia fortis: per mortem enim hoc fecit & ea de causa in mortem tradita est anima eius. Et quia praeficiendus erat toti orbi, addit: Et ipse haereditate possessurus multos. Insuper, descendit in infernum, omnes disturbauit & tumultu turbationeque impletam arcem destruxit. audi de hoc in inferioribus tumultuantes, & dicentes: Tollite portas principes vestras, & eleuamini portae aeternales, & intrabit rex gloriae. Quis est iste rex gloriae? Dominus virtutum ipse est rex gloriae. Et Esaias iterum: Portas aeneas confringam, & veteres ferreos conteram, & aperiam tibi thesauros obtenebratos, & inuisibiles ostendam tibi. Infernum sic vocat. Nam quauis infernus esset, animas tamen tenebat sanctas, & vasa preciosa Abraham, Isaac & Iacob. Propter quod thesauros vocat: obtenebratos autem, quia nondum sol iusticiae ibi fulserat, neque de resurrectione sermones praxidit. Iam quod non mansurus in terris post resurrectionem, sed assensus esset, hoc quoque nobis manifestauit, dicendo: Ascendit deus in iubilatione, & dominus in voce tubae. Per iubilationem & tubam, clara eius ascensio docetur. At quod assensus ipse, non staturus esset cum angelis, neque cum archangelis, neque cum aliis administratoris virtutibus: sed sessurus super sedem regiam, audi quid dicat: Dixit dominus domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Post haec missurus erat apostolos, & hoc praxidit, dicens: Quam speciosi pedes annunciantium pacem, annunciantium bona. En quantum laudat corporis partem pedes, qui illos vnde quaque ferebant. Sub haec, commemorat quo modo praualuerint apostoli, dicit enim: Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa. Non enim mouerunt arma, neque expenderunt pecunias, neque robore corporis, neque exercituum multitudine, neque aliquo tali vti sunt: sed verbo simplici, & multam habente virtutem, ac miraculorum ostensionem. Crucifixum enim praedicantes, & miracula facientes, totum orbem sibi subiecerunt: & propterea dicit: Dabit virtutem euangelizantibus virtute multa: miracula significans.

la significans. Etenim mira virtus erat, piscatorem, publicanum, pellionem, nudis praecipis mortuos suscitare, daemones expellere, mortem abigere, philosophorum linguam mutam facere, rhetorum ora confringere, apud principes ac reges versari, Barbaris, Graecis, & omni hominum generi imperare. Nam omnia haec verbo illi perfecit, & virtute multa mortuos in viuos mutauerunt, peccatores in iustos, caecos in videntes & mortuos naturae, ac maliciam animae expulerunt. Dein, quod virtus haec eis a spiritu sancto affuerit, declararunt, cum dicunt: Spiritu impleti sunt, prophetaruntque viri ac mulieres. Quod autem in linguis igneis super eos confedit, Ioel multo antea praxidit, inquiens: Effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & filiae vestrae: & adulescentes vestri visiones videbunt, priusquam veniat dies domini magnus: futurum illum praxidit: nam nec hunc siluit. Postea, declarans fide salutem constare, dicit: Et erit, omnis qui inuocauerit nomen domini, saluus erit. Nec solum habemus quod illi mittendi erant, sed etiam quod in totum orbem peruenire debeat praedicatio, ita vt nulla pars esset in qua non audiretur. In omnem terram, ait, exiit sonus eorum, & in fines orbis terra verba eorum. Ad haec, quod cum autoritate praedicarint, & regibus potentiores fuerint, docet, inquiens: Constitues eos principes in omni terra. Quod autem regibus maiores sint Petrus & Paulus, declarauit euentus. Nam regum leges, etiam ipsi viuentibus, irritauerunt: at piscatorum illorum, etiam mortuis ipsis ratae sunt, & immobiles manent: licet multis legibus, animaduersionibus, armis, suppliciis, argutiis, verborum eloquentia, cognationibus, amiciciis, demonibus, diabolo, consuetudinibus, malis moribus, voluptatibus, & infinitis aliis refringere plurimi conati sint. Et quia illi constituti principes, etiam desiderabiliores sunt subditis, non sicut multi principes, terribiles, molesti, & atroces: ideo subdit, dicens: Propterea populi conturbentur tibi in seculum: hoc est, gratias dicent tibi, gratias multas tibi offerent, quod tales principes dedisti. Et quod praedicatum vbique increfcat, audi: Postula a me, & dabo tibi gentes haereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terrae. Et iterum alicubi: Implebitur omnis terra scientia domini, sicut aqua multa, quae operit mare. Et facilitas obedientiae docetur. Non docebit, ait, vnusquisque proximum suum, & vnusquisque fratrem suum dicens: cognosce dominum: quia omnes cognoscent me a minimo illorum vsque ad maximum illorum. In discissa ecclesia manifestatur: In nouissimis diebus insignis erit mons domini preparatus in vertice montium, & exaltabitur super omnes colles, & venient ad eum omnes populi, & gentes multae. Et quod non solum firma, & solida, & immobilis, sed quod & multa orbi pace praesidebit. Et interibunt principatus multorum in ciuitatibus, & monarchiae: vnus autem quoddam regnum propagabitur, & abundantius erit pace, non sicut prius. Nam prius illa regna, & dolosi rhetores, & armati milites praerauerunt: Christo autem adueniente, omnia illa dissoluta sunt, & bella in partem seorsum concesserunt. Hoc enim docens propheta, dicebat: & confringent gladios suos in vomeres, & lanceas in falces, & non accipiet gens contra gentem gladium, & non discent bellum. Nam prius in illis omnes exercebantur, nunc & artis eius oblitae sunt, imo plures eius neque initium gustauerunt. Si autem sunt pauca quaedam bella: quid hoc ad crebra illa & continua, cum gens contra gentem insurgeret?

Deinde & vnde constituta sit ecclesia, praedicat. Nam non solum benigni & mansueti, & suaves homines, sed & feri, & inhumani inter se ipsos, & lupi, & leones, & tauri moribus colligendi erant: e quibus omnibus vna fiebat ecclesia. Audi quo modo armenti illius varietatem declarans propheta dicit: Tunc pascetur simul lupus cum agno, quo frugalem vitam regum indicat. Quod autem non de feris haec sonant, vt forte dixerit Iudaeus, quando hoc factum est dicat, nunquam lupus agno compascuus fuit. Aut si simul pascetur, quid hoc humano generi proderit? Sed hoc ad feros & agrestes homines pertinet, Scythas, Thracas, Mauros, Indos, Sauromatas, Persas: quia gentes illae omnes sub vno iugo erunt. Id quod & alius quidam propheta manifestius dicebat: Et seruiet ei sub iugo vno, & adorabit eum vnusquisque a loco suo. Non vltra Hierosolymis fuit, sed in toto orbe: neque vltra dicitur hominibus, vt Hierosolymas adeant, sed vnusquisque domi manens, cultum illum perficiet. Erant eiiciendi Iudaei, audi quo modo & hoc praxidit propheta: Ecce & in vobis concludentur ianuae, & non accenditis altare meum gratis: Et mihi quidem seruiunt, ait, ab Oriente solis vsque ad Occidentem. Nomen meum glorificabitur in gentibus, & in omni loco sacrificium mihi offertur, & hostia pura. Vides quo modo cultus nobilitatem manifestaui, quo modo excellentiam & immutationem eius, quod non in loco, sed modo: non in nidore & fumo, sed in alio cultu nostrerunt ministeria. Et quo modo illos, dicit quispiam, attraxerunt apostoli? Qui non nisi vnam linguam habebant, nempe Iudaicam: quo modo Scytham, & Indum, & Sauromatam, & Thracem docebant? Acceperant a spiritu sancto gratis multiuagarum linguarum dona. Et hoc quoque non apostoli solum suum dicunt, sed & propheta simul duo haec declarantes, scilicet, quod varietatem linguarum acceperint apostoli, & quod neque hoc attraxerit Iudaeos. In variis linguis, & in labijs alijs loquar populo huic, & neque sic audient me, dicit dominus. Quid hoc manifestius vidit aliquis? Erant Iudaei increduli futuri, & gentes ad fidem ascendendae: hoc Esaias declarans manifestat: Inuentus sum ab his qui me non quaerunt, manifestatus sum his qui me non inquirunt. Dixi: Ecce ego sum ad gentem, quae non inuocauit nomen meum, ad Israel expandi tota die manus meas, ad populum incredulum, & contradicentem. Et iterum: Annunciamus coram eo vt puer, & sicut radix in terra sitienti. Domine quis credidit auditui nostro, & brachium domini cui reuelatum est? Et non dixit, doctrinae nostrae: sed auditui nostro: vbi ostendit, quod non proprium aliquid loquuntur, sed ea ipsa administrarunt, quae audierunt a deo. Et quod nostra Iudaicis praeferenda magisque colenda sint, vide quo modo praxidit propheta: Irritabo vos in non gente, in gente insipienti irritabo vos. Prioris populi vilitatem signat in hoc, quod dicit, in non gente: non enim gens putabatur esse, ob vilitatem nimiam, ob stulticiam, ob insipientiam. Sed mutatio haec fide facta est, vt nostra gens nunc multo dignior appareat, quam ista fuit olim, Vide etiam quo modo declarauit hoc agere laturos Iudaeos, & inde irritatos futuros meliores: dicit enim, Irritabo vos in non gente: hoc est, tanta dabo ipsi bona, vt emulatione corripiamini, & mordeamini. In hoc meliores facti sunt: nam cum audirent Mosem, & prophetarum signa viderent, mare diuisum, petras scissas, aërem mutatum, aliaque prodigia, filios sacrificabant, & initiabant Beelphegor, magicaque vacabant arti. At

vbi nos ad fidem accessimus, longēque venerabiliores apparuerunt res nostrā, quā illorum: & ipsi zelotypia laborarūt, & humiliati sunt, & ita meliores facti, quā dum à prophetis erudirentur, & prodigia viderent. Nam ex emulazione nostrī rectē se gerunt: nullus enim ipsorum, vel pueros nunc immolat, vel ad idola currit, vel vitulum adorat. Virginitatis decor apud veteres neque nominabatur, in noua autē lege fulsurus erat. Vide quo modo & hoc prædixit Dauid: Afferentur regi virgines post eam, afferentur in templum regis. Et neque ipsum sacerdotum nomē obtinuit, episcoporum nomen dico. Constituam enim principes tuos in pace, dicit, & episcopos tuos in iusticia. Veniet vt iudex rationem exacturus ab hominum genere, & cum primis à Iudæis. Vide quo modo hoc prædicit & Dauid & Malachias. Malachias enim sic dicit: Et veniet sicut ventilabrum, sicut herba fullonum, & purgabit argenteum & aureum, iuxta dictum Pauli, Dies declarabit, quia in igne reuelabitur. At Dauid secundum eius aduentum prædicans, Deus manifestē veniet, dicit: Nam prior eius aduentus multæ misericordix est, secundus autem non item: sed aderit è cælis ipsis, angelorum multitudine vndique effusa, aduentūque suo ad similitudinem fulguris omnia comprehendente. Nam vt fulgur egrediens in Oriente, etiam in Occidente videtur, ita erit aduentus filij hominis. Quo declaratur eius claritas, & quod semetipsum annunciet: nullo enim præcone opus habebit, quod propheta docens dicebat: Dominus manifestē veniet. Deinde iudicium adducens futurum, sic inquit: Ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida. Dixit supplicia, dicit & fulgorem: Aduocabit cælum desursum, & terram, vt discernat populum suum. Terram hic omne hominū genus dicit, deinde cum omni hominum genere & Iudæos iungit. Nam ad ipsos pertinet: Congregate illi omnes sanctos eius, quia deus iudex est. Aduentu suo cultum victimarum reiecturus erat, vt ne amplius ille acceptus esset, sed nostrum illud sacrificium admitteretur. Accipe quo modo & hoc prædictum sit: Sacrificium & oblationem noluiisti, corpus autem perfecisti mihi. Nam per corpus, & obedientiam nostram institutus erat cultum nouum: ideoque dicit, corpus autem perfecisti mihi. quod & alibi manifestans dicebat: Populus quem non cognoui, seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi, non videns mare scissum, non petram ruptā, sed audiens meos apostolos. Et vbi corpus perfecisti mihi, tūc dixi, ecce venio. In capite libri scriptum est de me. Duo autē hæc manifestauit: & quod affuturus sit tunc, quando cessabunt sacrificia: quod & factum principatu Iudæorum ad Romanos trāseunte: & quod de aduentu suo antequam adueniret, prædictum sit. Quo modo autem scriptum de eo quod aderit, diximus quod Baruch dicit: In terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Dicit autem & Moses sic: Prophetam vobis excitabit dominus deus de fratribus nostris, sicut me, ipsum audietis: & erit, omnis anima que prophetam illum non audierit, exterminabitur de populo suo. Vides hoc in nullo impletum, quā in hoc solo. Etenim multi propheta surrexerunt, & omnes parum auditi sunt: attamē propterea Iudæi nihil sunt passi. Hunc autem quia non audierunt, vagantur erratici, fugitiui, & exules, oberrantes vbi que, exclusi à sua ciuitate, & à paternis legibus & consuetudinibus, in ignominia & vltionis pœna. Quæ sub Vespasiano & Tito sunt passī, iam dicere non vacat: ita omnem calamita-

tem excedit ea tragœdia. Et impletum est propheticum illud: Omnis qui non audierit prophetam illum, exterminabitur. Propter hæc omnia, quæ illorum fuerunt, in solitudinem redacta, quia prophetam illum non audierunt. Quod suscitabit omnes, prædictum est cum dicunt: Resurgent mortui, & euigilabūt qui in monumentis. Rosenim paradisi medicina ipsis est. Quod post crucem, post mortem res Christi clariore futura, & quod post resurrectionem prædicatio Christi inualitura esset, similiter prædictum. Nam postquam orauit in Oliueto, proditus est à discipulo, consputus est, conuicia audiuit, flagellatus est, crucifixus est, & irrisus quantum illi volebant, neque sepulturam obtinuit: vestes eius diuiserunt carnifices: in mala opinione vitam finiuit, vt blasphemus, vt tyrannus. Nam omnis qui seipsum facit regem, dicebant, non est amicus Cæsaris. Et iterū: Ecce audistis, quod blasphemus est. Erantque hæc omnia antea significanda. Ne timueris, horū gratia, quod crucifixus, quod flagellatus, quod colaphis cæsus, quod consputus, quod à latronibus cōuiciis incessitus, quod tyrānidis & blasphemix nomine occisus. Ita se habebunt res eius post mortem & resurrectionem, vt nemo contradicat, quin summo honore antecellat. Hoc certe & factum est, & prædictum, quod & propheta prædicebat iniquis: Erit radix Iesse, & qui exurgat vt regat gentes, in ipso gētes sperabunt. Et erit quies eius, honor. Hoc autem mortis genus diademate quouis gloriosius est. Nam reges positus diadematis, crucem suscipiunt, mortis symbolum. In purpuris crux, in diadematis crux, in precibus crux, in armis crux, & in mensa sacra crux, & in toto orbe crux, & super solem fulget crux. Et erit requies eius, honor: licet diuerso modo in rebus humanis cōtingere solet. Nam cum hi qui hic in magna gloria, resubque florentibus agunt, moriūtur, pereunt cum eis simul alia omnia: id quod non solum in diuite, sed & in principibus, atque adeo id & in regibus ipsis quis videt. Nam leges eorum irritantur, statua obsecrantur, memoria extinguuntur, nomen eorum in obliuionem venit, à cognatis despiciuntur. Et licet pridem mouerint arma, concitarint seditiones populorum & vrbium, reuocauerint proscriptos, occiderint dominos, simul tamen conciderunt hæc omnia, quāuis gloriosa prius fuerint. At secus in cruce euenit. Ante crucem in luctu res erant, Iudas prodidit, Petrus negauit, reliqui profugerunt, Iesus solus inter amicos comprehensus est: multi qui crediderant retrorsum abierunt. Cæterum, vbi occisus est, & mortuus, vt discas quod non sit purus homo: non solum res eius non interciderunt, sed multo clariore illustriorēque, & sublimiores sunt redditæ. Nam ante crucem præcipuus apostolorum, neque ostiariæ minas tulit, & post tantam eruditionem aiebat se nescire quis esset. At post crucem, orbis ad fidem accessit, & infiniti martyrum populi occisi, malentes mori quā dicere quod præcipuus ille apostolorū formidans vnus ostiariæ minas. In omni regione, omni ciuitate & solitudine, & parte orbis, quæ habitationi accommoda, & quæ non accommoda, prædicamus crucifixum. Et reges & principes, & milites, & præsidēs, & serui, & liberi, & idiotæ, & sapientes, & insipientes & barbari, & reliqua hominum genera, ac terræ omnes quas sol spectat, ad hoc nomen currūt, vt adorent: vt discas quid sit, Et requies eius honor. Et locus quidem quo corpus hoc positū, breuis erat, & valde angustus: angustior tamē, & venerabilior mille regum palatiis, imò etiā regibus ipsis. Et erit requies eius honor. Non in ipso tantū, sed & in discipulis suis

lis suis hoc contigit. Nam qui ducebantur & circumducebantur, qui contempti erant & vinciti, qui innumera patiebantur dum viuebant: vbi defuncti sunt, regibus ipsis erat magis venerabiles etiam Romæ, quæ vrbium est regalissimis, relictis omnibus, ad sepulchra piscatoris & pellionis currunt et reges, & præsidēs, & milites. Et in Constantinopoli reges nostri magnam gratiam putant, non si prope Apostolos, sed si vel extra eorum vestibula, corpora sua sepeliantur, fiātque piscatorum ostiarij reges. Neque hinc in morte confunduntur, sed honestantur & ipsi, & eorum nepotes, & pronepotes. Et erit requies eius honor. Quale autem symbolum huius mortis: Signum erat mortis maledictæ, mortis omnium defamatisimæ. Hoc enim solum mortis genus maledictioni obnoxium fuit. Vt exempli gratia quid dicam, qui olim peccabant, comburebantur, lapidabantur, & aliis modis vitam finiebant, vt suppliciiis tātum crucifixus autem, & in ligno suspensus, nō solum hoc ferebat, vt graue aliquod supplicium, cui adiudicatus erat, sed & vt maledictum quoddam. Nam maledictus omnis, dicit, qui pendet in ligno. Veruntamen hoc maledictum, hoc abominabile, hoc extremi supplicij symbolum, crux, diadematis, & coronis clarius factum est. Neque enim sic regia corona ornatur caput, vt cruce, quæ omni cultu dignior: & quam omnes prius abhorrebant, eius figuram tantopere quærunt: atque adeo vbi que ea inuenitur apud principes, apud subditos, apud mulieres, apud viros, apud virgines, apud nuptas, apud seruos, apud liberos: subinde omnes ea se signant, inscribendo in nobilissimum membrum nostrum. In fronte enim nostra, quasi in columna quotidie figuratur. Sic in sacra mensa, sic in sacerdotum ordinationibus, sic iterum cum corpore Christi, in mysticis cœnis fulget. Hanc vbi que celebrari videre licet, in domibus, in foro, in solitudine, in viis, in montibus, in collibus, in vallibus, in mari, in nauigijs & insulis, in lectis, in vestibus, in armis, in thalamis, in symposijs, in vasis argenteis, in aureis, in margaritis, in murorum picturis, in corporibus brutis male affectis, in corporibus à dæmonis obfessis, in bellis, in pace, in diebus, in noctibus, in delicatiorum choreis, in monachorum ordinibus, adeo certatim donum hoc mirabile rapiunt omnes. Mira est hæc gratia, nullus confunditur, nullus erubescit, cogitans quod maledictæ mortis symbolum fuerit: sed omnes ipso magis ornantur, quā diadematum coronis, vel multis gemmatis monilibus & torquibus. Et non solum nō fugitur, sed & desideratur & adamatur, & omnes de ea solliciti sunt, & vbi que fulget, & sparsa est in parietibus domorum, in culminibus, in libris, in ciuitatibus, in vicis, in locis quæ habitantur, & quæ non habitantur. Vellem audire à pagano, vnde symbolum tā maledictæ mortis ac supplicij omnibus tam desiderabile, si non magna crucifixi virtus: Quod si nihil hoc esse putas, sed adhuc impudens manes, & veritati te opponis, & ad lumen cæcutis: ex alio argumento disce, quale hoc sit, & quantæ virtutis. Sunt licetoribus multa tormentorum genera, ligna, lora, vngues, plumbum, quibus torquent corpora, & membra dilacerant, & distrahant: & quis nam vellet hæc in domum suam inferre: quis vellet manu contingere: vel quis vellet ad carnifices, dum hæc agunt, propius accedere, vt videat? An non plures ita abominantur, vt neque aspectū, neque tactum sustineant, aliqui nauseāt, & in auspiciatum censent, proculque fugiūt, & oculis auerfantur? Tale quippe vti que & crux olim erat, atque illis multo grauior,

vt supra memini. Nam non mortis tantum, sed & maledictæ mortis symbolum erat. Vnde ergo, dic mihi, omnibus tantum eius studium & cura, quod ita desiderata cūctis, & omnibus desiderabilior: Ipsum ergo hoc lignum, in quo positum sanctum corpus domini, & crucifixum: quare nani habere totus orbis ita contendit, vt qui paruū quiddam ex illo habet, hoc auro includant, tam viri quā mulieres, & ceruicibus suis aptant, hinc valde honestati, & magnifici, muniti & protecti, licet condemnationis fuerit lignum. Sed qui omnia operatur & præparat, qui orbem terrarum à peccato tāto transfert, & terram cælum facit, etiam rem hæc, licet contemptam, & omnibus mortibus turpiorem, supra cælos eleuauit. Hæc igitur omnia præuidens Propheta dicebat: Et erit requies eius, honor. Hoc enim mortis symbolum (non desisto idem sæpe commemorare) multæ benedictionis argumentum est factum, & omnigenæ securitatis murus, tēpestiua diaboli plaga, dæmonum frænum, chamus cōtrariarum virtutum. Hoc mortem sustulit, hoc inferni areas portas cōfregit, hoc ferreos vectes contriuit, diaboli arcem expugnauit, peccati neruos exeuit, totum orbem condemnationi subiectum eripuit, plagam à deo immisam aduersus naturam nostram remiuit: quæque non potuit mare cum diuideretur, & petra cum rumpentur, & aer cum mutaretur, & manna quod quadraginta annis tot milibus dabatur, & lex, & alia signa, tam in eremo, quā in Palæstina facta, ea potuit crux: non in vna gente, sed in toto orbe, & in omnibus quas sol aspectat terras. Crux maledicti symbolum, quod omnes fugiebant, quod omnes deprecabantur, quod probrosissimum dicebant omnes, tantum ac tale post crucifixi mortem rotur accepit. Disce ergo, quanta eius sit virtus, quo modo sine bello & omnia facile operetur, non solum autem hæc, sed & præter hæc & alia ostendunt eius virtutem. Orbem enim cum esset sterilis, & infœcundus in sermone virtutis, & non melius se haberet ad hoc, vt aliquid boni pariat, quā terra solitaria, vel infœcunda mulier: fecit matrem multorum filiorum, & paradysum frugiferam. Et hoc quoque antea prædictum à propheta sic dicente: Latere sterili, quæ non parit: iubila & clama, quæ non parturit: quia plures sunt filij sterili, quā habentis virum. Et quod talem eum fecerit, dederitque ei & legem, sed priore multo præstatiorem: minime obtinuerunt prophete, dicentes: Disponam testamentum nouum, non sicut disposui patribus eorum in die, quā manum eorum apprehendi, educendo ipsos è terra Aegypti: quia ipsi non manserunt in testamento meo, & ego neglexi eos, dicit dominus. Quia hoc est testamentum quod disponam eis: dabo enim leges meas in mente eorum, & in corde eorū inscribam eas. Præterea illam magnam mutationem, eruditionemque facillimam declarans prædicebat: Et non docebit vnusquisque proximum suum, dicens: cognosce dominum, quia omnes scient me à minimo ipsorum vsque ad maximum. Iam etiam hoc ipsum quod daturus esset & remissionem peccatorum, omnibus ad se venientibus, prædixit Propheta, sic dicens: Hoc erit ipsis à me testamentum, quia auferam iniquitates eorum, & iniquitatum eorum non ero memor amplius. Quid hoc manifestius: quid dilucidius? Vocatur lex noua, veterem excellit: facile credentes instituuntur, danturque in baptisate gratia & donū. Porro qui hæc fecit, idē aderit, & post hæc iudicabit: sed vide quo modo nec hoc filitio transferint. Nā eorum aliqui viderunt ipsum in habitu quo

Malach. 3.

1. Cor. 3.

Lucæ. 17.

Psal. 49.

Baruch. 3.

Deuter. 18.

Esai. 26.

Marc. 14.

Ioh. 19.

Deut. 21.

Esai. 11.

Ioh. 18.

Sap. 3.

Hier. 31.

Danic. 7.

quo venturus est: alij per verba ipsum prædixerunt. Nā Daniel quidem in medio Babylonis, & inter Barbaros, vidit ipsum in nubibus sedentem. Ecce enim, ait, quia filius hominis venit, & peruenit vsque ad antiquum dierum, & ei oblatum est omnis principatus, omnes populi, tribus & linguæ ei seruiūt. Et de tribunali eius subdit, dicens: Throni positi sunt, & libri aperti sunt, & fluuius ignis exiit ante eum, mille milia ministrabant ei, & decem milia assistebant ei. Et quod per ignem erit hoc iudicium: Ingredietur, ait Malachias, sicut ignis conflans, & sicut herba fullonum. Sed quod boni magno honore tunc perfuerunt, ac de resurrectione gaudebunt, inquit idem Daniel: Resurgent qui in puluere sedent. Vidisti diligentiam Prophetarum, quo modo ventura omnia prædixerunt? Quo modo ergo adhuc in incredulitate persistas, cum tantam virtutis eius demonstrationem acceperis? Verba ante hæc tēpora prædicta sunt, & opera verbis succedere vides consona, & omnino prætermittum nihil. At quod non sint figmenta, testantur hi qui libros & primum acceperunt, & cōseruant, inimici nostri, & a crucifixoribus progeniti. Et quo modo hoc, dicit quis, quod habentes libros non credunt? Ecce viderunt tunc operantem miracula, & non crediderunt: sed hoc non arguit id quod non creditur, sed eos magis qui in meridie cæcutiunt. Nam & hunc mundum in medium proposuit, opus bonis proportionibus vndique bene constitutum, & voces vndeque missas, quæ annuncient opificem. Et sunt homines aliqui, qui dicere audent omnia fortuita, & per se mota: alij non esse facta quæ videntur, alij opificum & conditionem, ac prouidentiam demonibus ascribunt: alij fortunæ, & natiuitati, & fato, & stellarum circumferentiæ. Neque hæc in opificem cadit reprehensio, sed in eos potius, qui inter tot remedia adhuc extremis laborant morbis. Nam ita contingit, vt anima prudens si videt aliquid quo sibi opus, non multis ad hoc egeat adiumentis: imprudens autem, & stupida, & quæ multis antea languet affectionibus, cæcutiens maneat, etiam quancumque illi contingant manu ductores. Vide vt hoc semper & vbique euenit, non in hoc arguemento dūtaxat. Nam quot sunt, qui nullis vnquam auditis legibus, honeste ac legitime vixerunt, cum interim quidam à puericia enutriti legibus, vsque ad senectam, nunquam transgredi illas cessarunt? Hæc & apud veteres contigerunt. Nam Iudæi, licet signa & miracula plurima haberent, nunquam tamen per ea meliores euasere. Niniuitæ vna tantum vote audita, vitam mutarunt, à peccatis liberati. Hoc etiam videre licet, non in nobilibus tantum viris. Nam Iudas quanta doctrina admonitus, factus est proditor: Iatro autem qua admonitione incitatus, in cruce Christum confessus est, & eius regnum prædicauit: De rebus igitur, non à perueris consilia quære, sed à rerum veritate calculum iustum affer apud recte volentes. Nō crediderunt Iudæi, & crediderunt multi ex gentibus, quod & ipsum à prophetis non est prætermittum silentio. Dicit enim: Filij alieni mentiri sunt mihi, filij alieni inueterati sunt, & claudicauerunt à semitis suis. Et Esaias: Domine quis credidit auditui nostro, & brachium domini cui reuelatum est: Et iterū: inuentus sum ab his qui me querunt, notus factus sum his qui me nō interrogant. Et in hoc Christi aduentu crediderunt Chananæi & Samaritana mulier: sacerdotes autem & principes eum impugnaverunt, & ei insidiati sunt, & alios abegerunt, & à synagogis credentes in eum eiecerunt. Non vtique rara hæc

Malach. 3.

Danic. 12.

Iona 3.

Psal. 17.

Matth. 15.

fuerint: nam & vita nostra plena huiuscemodi exemplis est, quæ & partim nostro tempore, partim superioribus seculis acciderūt. Nihilominus licet non omnes, tamen etiam ex Iudæis & nunc, & olim multi crediderunt. Quod autem non omnes, nihil nouum, nihil admirabile. In causa enim est, quod alium insipientia, alium vero incogitans, vel affectionibus pessundata mēs perdit. Cæterum, quia prophetias quæ de Christo multo ante sua tempora prædictas tractauimus, age in mediū afferamus, quæ etiam ipse in terris ambulans, cumque hominibus conuersans, de futuris dixit, vt & inde eius potentiam ac virtutem discas. Igitur cum adesset, nostræque salutis ageret negotium, variis modis id egit, & quantum ad illos qui tunc viuebant, & quantum ad posteros attinebat. Et quid facit? Miracula operatur, prædicat nonnulla longis postea temporibus euentura. Et per ea quæ tunc fiebant, veritatem eorum quæ post multum tempus ventura exponit, fidem faciens auditoribus, tam præsentibus quam sequentibus, & ex dictis suis quæ tunc implebantur, & miraculis quæ fiebant: atque hac duplici demonstratione sermones fide digniores erāt. Nam duplicia prædicere solebat, ea videlicet quæ in præsentia vita, & quæ post cōsummationem & mortem euentura: & confirmabant hæc se mutuum, omniaque vere dicta monstrabantur. Et vide quid dicam: nam sermo parum dilucidus est, vnde & dilucidiorum ipsum facere tentabo. Duodecim erant discipuli sequentes ipsum, & Ecclesiam referebant, quauis nullus tunc eam mente conciperet: siquidem nec nomen Ecclesiæ erat: sed florebat synagoga. Quid igitur dicit: Orbe ferme toto in impietate detento, prædixit: Super petram hanc ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Examina quid hoc tibi verbum vult, & videbis perspicuam eius veritatem. Nam non solum hoc mirum est, quod ædificauit eam per totum mundum, sed quia inuictam fecit, & inuictam licet tot bella insurgant. Hoc enim est quod portæ inferi non præualebunt aduersus eam: Pericula, ait, quæ mortem generant, pericula quæ ad infernū deducunt. Vidisti prædictionis veritatem? vidisti euentus certitudinem ac robur? vidisti verba in operibus relucetia, & virtutem absque armis omnia facile conficientem? Ne ideo quia paucis dicitur, ædificabo ecclesiā, transcurras obiter: sed considera & cogita tecum, quid sit in tam breui tempore omnem sub sole terram tantis Ecclesiis impleri, tantas gentes ad fidem transferri, populos persuaderi, vt patrias leges irritent, consuetudinem stabilitam & radicatam reuellant, altaria & templam, & statuas & sacrificia, & profana festa, & immundum odorem, sicut simum aliquem aboleant: & excitent altaria vbique gentium in regione Romanorum, Persarum, Scytharum, Maurorum, Indorum, & vltra orbem nostrum. Nam & Britannicæ insulæ extra hoc mare sitæ, & quæ in ipso Oceano sunt, virtutem verbi senserunt (sunt enim etiam illic fundata ecclesiæ, & erecta altaria.) Illius, inquam, verbi, quod tunc dictum, quod & in omnium animabus, inque omnium labijs plantatum. Vnde & omnis (vt dicitur) terra spinis plena, repurgata, factusque purus ager, semina pietatis suscepit. Magna res foret, & excellenter magnæ diuinæque virtutis, etiam si nemo interturbaret, essetque pax summa, & multis simul adnitentibus, & reluctante nullo, posse intra tam breue tempus totum orbem, à consuetudine sua mala, qua præoccupatus fuit, liberari, & ad aliam induci. Verum hoc multo maius, quod nō solum in aliam

Matth. 16.

in aliam inducitur, sed in multo difficiliorem: non solum enim diuersa consuetudo erat, sed & voluptate firmata. Duo violenta. Quæ enim acceperat à patribus, auis & proavis, aliisque superioribus progenitoribus, & philosophis, & rhetoribus, ea respuere docebatur, quod sanè difficillimum erat: at difficilius nouam accipere consuetudinem quæ nuper irrepererat, illamque valde laboriosam. Abduxit enim Christus à voluptate, & induxit ad ieiunium: abduxit ab amore opum, & induxit ad amorem paupertatis: abduxit à luxu, & induxit ad temperantiam: abduxit ab ira, induxit ad mansuetudinem: abduxit ab inuidia, & induxit ad benignitatem: abduxit à via lata & spaciola, & induxit in angustam & arctam, & præruptam, & induxit assuetos viam latam. Neque enim alios homines extra huius mundi consuetudinem viuentes assumpsit, sed illos ipsos qui in talibus viciis computruerant, & luto molliores erāt, iussit vt angustam & arctam viam, asperamque illam & duram ambularent. Et persuasit eis. Quot autem persuasit? Non duobus, vel decem, vel viginti, vel ceterum, sed omnibus ferme sub sole habitantibus. Et per quos persuasit? Per viros vndecim illiteratos, priuatos, ineloquentes, obscuros, pauperes, patria, facultatibus, robore corporis, præcellentia gloria, dignitate progenitorum, vehementia rhetorice, eminentia sciētiae carentes: per piscatores, per pelliones, per barbaros. Neque enim eadem illis & auditoribus vox, sed extraneum planè & peregrinum sermonem à linguis eorum, quibus prædicabant, sortiti erant. Hebraicum dico. Atque per hosce ædificauit Ecclesiam hanc, quæ à finibus vsque ad fines extensa est. Neque hoc solum mirabile, quod priuati, & pauperes illi, & parui, & ignobiles, & illiterati, & viles, & exotici sermonis, & cōtemptibiles, totius orbis correctionem attētarunt: sed & quod ad longe difficiliora opera ipsum ducere iussi, non hoc in pace fecerunt, sed infinitis bellis hinc inde excitatis. Nā in vnaquaque gente & ciuitate, & quid dico, gēte & ciuitate: in singulis domibus gerebatur bellum. Radicata enim hæc doctrina, & puerum sape à patre diuisit, & nuptā à focu, & fratrem à fratre, & seruum à domino, & subditum à principe, & virum à muliere, & patrem à pueris (neque enim simul omnes crediderunt.) Ad hæc, quotidianas inimicicias, continua bella, multasque ipsis mortes attulit. Et fecit, vt Apostolos quasi communes hostes & inimicos plerique auersarentur, abigerentque eos à se omnes, reges, principes, priuati, liberi, serui, populi, vrbes: & non solum ipsos, sed & (quod grauius nouicios in fide, & eos qui ab ipsis instruebantur. Eodem enim bello premebantur & discipuli, & magistri. Videbatur enim doctrina hæc contraria præceptis regis, & consuetudini & patriis moribus: quandoquidem adhortabantur ab idolis abstinendum esse, despectui habēda altaria, quæ patres progenitoresque ipsorum coluerant: desistendum à profanis præceptis, ridendas solennitates, respuenda sacrificia: quæ illis maxime horribilia & formidabilia videbantur, pro quibus & animas potius exposuissent, quam vt eligerent ea quæ ab illis dicebantur, & crederent in natum ex Maria, & crucifixum, & ductum ad tribunal præsidis, consputum, & infinita alia passum, & eum qui mortem maledictam sustinuit, qui sepultus, quiq; resurrexit. Et quæ ad passionem pertinebant, omnibus manifesta erant: vt pote flagella, colaphi, alapa, sputa, crux, irrisio, probra, quæ omnes in eum iactabant: & sepultura, quæ partim beneficij loco erat: at resurrectione non item: nam resurgens solis discipulis apparuit:

A veruntamen & eam dicendo persuaserunt, sicque Ecclesiam ædificauerunt. Quo pacto, & qua ratione? Virtute eius qui iussit: ille enim præuius, omnia faciebat, reddens etiam facilia quæ dura. Nisi enim diuina quadam virtus effecisset, nequaquam hæc vel principium, vel præludium accepissent. Quo enim modo ille dixit, fiat cœlum, & monstrauit opus: fundetur terra, & illius substantia producta est: fulgeat sol, & indicauit astrum, omniaque verbo operatus est: eodem modo idem & ecclesiam illas plantauit. Et verbum hoc, ædificabo Ecclesiam meam, hæc omnia operatum est. Illa verba dei cōdiderunt opera tam admirabilia, & quæ nemo expectasset. Nam sicut cum dixit: Germinet terra herbam feruicem: & omnia mox ortus erant, & omnia pratum, terraque mandatum suscipiens, infinitis ornabatur plantis: Sic & nunc vbi dixit: ædificabo Ecclesiam meam: multa acceleratione facta est, etiam contra illam tyranniam se armantibus, & militibus arma mouentibus, & populis plus valido igne insanientibus, & oblectante consuetudine, etiam oratoribus, & sophistis, & diuitibus, & principibus insurgentibus, sermo dei velut ignis validus adueniens spinas consumpsit, agros repurgauit, seminavit verbum prædicationis. Et licet hi qui crediderunt, in carceribus seruarentur, despectui essent, amitterent substantias, occiderentur, traderentur igni, submergerentur aqua, & omne tormentorum genus sustinerent cum summa ignominia, & persecutionem paterentur, vt hostes publici, plures tamen semper accerscebant: non solum nihil ex afflictionibus aliorum facti segniores, sed & multo alacriores, & ad pulchram hanc piscationem assiliebāt: sicque à piscatoribus capiebantur, non coacti, non vim passi: sed sponte accurrentes, gratiamque habentes adducuntibus. Et quauis viderent fluere torrentes sanguinis credentium, feruentiores tamen reddebant in fide, & fidentiores. Et nō discipulis solum, sed & magistris vincis, fugatis, flagellatis, aliisque mille mala passis, discipuli plures fiebant, & magis studiosi. Quare Paulus clamat, dicens: Atque adeo plures fratres freti in domino vinculis meis, vt abundantius audeat impauide sermonem loqui. Et alibi iterum: Vos imitatores facti estis ecclesiarū dei, quæ sunt in Iudæa: quia eadem passi estis quæ & nos à cognatis propriis, prohibentibus nos loqui gentibus vt falluerent. Aliis quoque scribens, sic dicit: Memores estote dierum pristinorum, in quibus illuminati graue passionum certamen tulistis, scientes meliorem habere substantiam in cœlis, & manentem. Vides virtutis excellentiam, quæ tanta operata est? Nam qui tanta patientibus, non solum non ægrè ferebant, vel deficiebant, sed & gaudebant, gestiebant, exultabant. Et de discipulis quidem dicit, quod publicationem substantiæ cum voluptate acceperint: de magistris vero, quod iuerint à conspectu concilij gaudentes, vt pote digni habitii pro nomine Iesu cōtumeliam pati. At de seipso ait: Gaudeo in afflictionibus meis, & adimpleo, quod reliquum afflictionum Christi in carne mea. Et quid miraris, quod in passionibus gauisus fuit, cum & moriturus non solum gaudebat, sed & discipulos ad communionem lætitiæ suæ vocabat, quod sanè excellenter lætantis animæ erat: sic enim ait, Gaudeo & congratulor omnibus vobis, id ipsum etiam vos gaudete & congratulamini mihi. Et quid factum est dicit, quod tanto gaudio impletur? Ego enim, ait, immolor, & tēpus meæ resolutionis instat. Sic igitur ædificabāt. Alioqui nullus ædificare potest parietē vnum, quæ lapidibus & calce extruit, si impe-

Gene. 1.

Philip. 1.

1. Tim. 4.

Heb. 10.

Acto. 5.

Coloss. 1.

Philip. 1.

2. Tim. 4.

si impediatur & fugetur: illi autem etiā Ecclesias in toto orbe ubiq; extruxerunt, licet ligarentur, persecutionem ferrent, fugarentur, prosciberentur eorum bona, flagellis caderentur, occiderentur, comburerentur, submergerentur vnā cum discipulis. Et edificabant, non lapidibus, sed animabus & institutis: quod planē multo difficilius quā lapidibus extruere. Non enim par est, construere sensibilem parietem, & animā tantis temporibus à dēmonibus irritatā persuadere, vt ab infania illa desistat, & ad tantam perueniat temperantiam. Nihilominus hoc potuerunt nudi illi, & calcis carentes, & vna veste amicti, perq; vniuersum orbem currentes. Habebant enim adiutricem & commilitantem inuictā virtutem eius, qui dixerat: Super petram hanc edificabo Ecclesiam meam, & portā inferi non praualebunt aduersus eam. Numera, quot tyranni ab illo tēpore aduersus ipsam instruxerūt acies, quot grauissimas persecutiones mouerunt, quo modo toto priore tempore, quando nouitia erat fides, & nuper plantata, teneraq; hominum mentes, gentiles regnabant, Tiberius, Caius, Nero, Vespasianus & Titus, & post illum omnes, vsque ad beati Constantini tempora, & omnes illi, alij minus, alij sauius infestabant ecclesiam, infestabant tamē omnes. Quod si qui ipsorum visi sunt mansueti, hoc ipsum quod reges manifeste in impietate erant, materia aliqua bellorum erat, cum alij eis adularētur, alij fatagerent, vt aduersus Ecclesiam bella susciperent. Veruntamen insidiā & machinationes illā omnes leuius quā araneorum telā discerpit sunt. Et ea quibus nos inuadebant, & quibus insidiabantur, citius fumo dissoluta, puluere præterierunt infirmiora. Magnum enim nobis numerum martyrum impleverunt, immortalēque illos Ecclesiā thesauros reliquerūt: & columnas, & turres, & eos qui non solum viuentes: sed & mortui posteris magnā utilitatis materia facti sunt. Vides prædictionis robur? Et portā inferi non praualebunt aduersus eam. Ab his & de futuris crede, quod nullus obsistet. Si enim cum ex paucis cōstaret, & nouā sectā opus esse videretur, nouāque haberetur doctrina, ac tot bella, tot pugnae vbique committerentur, non praualeverunt, neque obstiterūt: multo magis cum vniuersum orbem, & omnem locum, & mōtes, & colles, & valles, & terram, & mare, & gentes omnes quæ sub cœlo sunt, comprehenderit. Parum est, quicquid reliquum est impietatis, præsertim sublatis templis, altaribus, idolis, omnibusq; festis & sacrificiis, & fumo, & nidore, & profanis conuentibus. Quo pacto ergo tale atque tantum negociū, tot munitum obstaculis, finem habere potuisset, tā clarum veritati exitum testificantem, nisi diuina quædam & inuicta virtus fuisset, quæ & hæc prædixisset, & perfecisset? Nullus vtique his contradixerit, nisi quis valde insanus, & totus stupidus sit, naturāq; sensu priuatus. At non hæc tantum, sed & cætera eius prophetiæ, & alia, inuictam eius potentiam testantur. Nam futura verissime prædixit, & ad finem felicissime perduxit. Adeoq; impossibile est, vt intercidat vel vnum verborū, quod ab eo dictum, imō citius peribit cœlum & terra, quā aliquod verbum in prophetia falso dictū coargui possit. Propter quod & ipse antequam res fieret, hoc ipsum declarans, de dictis suis ita manifeste affirmavit: Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Et meritō: nam licet verba sint, sunt tamen verba dei, & per quæ res conduntur: sic cœlum fecit, sic angelorū multitudines, sic alias inuisibiles potestates: Quod manifestum faciens Propheta dicebat: Dixit, & facta

Matt. 6.

Matt. 24.

Psal. 148.

sunt: mandauit, & creata sunt. De omni simul creatura tam quæ supra, quā quæ infra nos: tam sensibili, quā intellectuāli: tam corporea, quā incorporea, ea pronuncians. Indicabat igitur, vt antea commemorauimus, prophetia de Ecclesia, magnitudinem, pondus & eminentiam veritatis, prudentiā, bonitatis & curæ eius. Agē & aliam eius prophetiā in manus accipiamus, quæ solā & radiis illius sit clarior, quæ ante omnium oculos sita, quæ in omnes subsecuturas generationes protendatur, sicut & prior. Nam id genus sunt multa eius vaticinia: non consummantur breui tempore, neque in vna generatione complentur: sed ad omnes pertinent homines, tam ad eos qui sunt, quā qui futuri sunt post illos, & iterum ad illorū posteros, & eos qui illos quoque sequentur: & ita vsque ad seculi cōsummationem, omniāque docent veritatis illius fortitudinem, quemadmodum & prius vaticinium. Nam à die, qua dictum est, constat Ecclesia solida, & stabilis, ac inuicta, florens & fulgens, & indies magis ac magis vicens, crescens, & plus roboris sumēs, & omnibus qui ab illo die vsque ad domini aduentum futuri sunt, præstans vt summos inde fructus, & ineffabilem utilitatem capere queant. Nam & qui ante nos, & qui ante illos, & qui multo superius fuere, cognouerunt eius virtutem, videntes eam vexari bellis, periculis, tumultibus, turbis, fluctibus & tempestatibus: & neque sic submergi, vinci, superari, & extingui: sed florere, crescere, & extolli. Et hoc vaticinium quod nunc dicturus sum, tale est, vt demonstrare possit eius robur ac dictorum veritatem. Et quænam propheta illa? Ingresso aliquando Iesu in templum Iudaicum, florens tunc & vndeque fulgidum auro, conspicuumque tam pulchritudine, quā magnitudine adificiorum, ac alia omnifaria magnificentia, non solum artificio, sed & materia, admirantibusque discipulis: quid inquit? Nonne videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non manebit lapis super lapidem. Eam subuersionem ibidem declarans, desolationem, interitum, ruinam, quæ nunc in Hierosolymis: Omnia enim adificia illa, quauis fulgida & præclara, corruerūt. Vides in vtroque magnam & ineffabilem eius potentiam, in eo quod se colentes augebat & edificabat, & in se impingentes humiliabat, destruebat, & radicibus euellabat. Nusquam enim huic simile templum erat, & tam venerabile, & quod tāto cultu insigne. Nam in toto orbe habitantes Iudæi, etiam in finibus terræ, illuc olim proficiscebantur, dona & hostias, & oblationes, & primitias, & multa alia ferentes, orbisq; diuitiis templum ornabant: cōfluebant enim eō omnes ex toto orbe aduenā Iudæi, ita vt celeberrimum nomē loci esset, etiam in extremitatibus terræ. Sed vnum verbū Christi omnia illa obscurauit & perdidit, & quasi puluerem ē medio eiecit. Et illuc olim neque Iudæis omnibus, neque sacerdotibus omnibus, sed vni soli summo sacerdoti intrare licebat: & hoc semel tantum in anno, & cum stola, coronis, & mitra, aliōq; amictu sacerdotali: nunc autem & meretricibus, & mollibus, & effœminatis, & mœchis ingredi licet, nec est qui prohibeat: Nam vt verbū illud aduenit, omnia euanescente fecit, & perdidit. Et tāta solum supersunt templi reliquæ, vt monstrari queat olim ibi fuisse templum. Cogita ergo quantā & hoc sit virtutis. Nam hi qui olim tam potentes erant, vt se opponerent populis & regibus, & absq; sanguine vbique hostibus præualerent, miros & inopinatos triumphos statuētes: templum vnum ab illo die vsq; in hodiernū reedificare non valuerunt: quauis tot tantique reges, &

Matt. 24.

tanta multitudo in toto orbe dispersa ipsos iuarent, essentq; sibi tāta opes. Vides quo modo quæcunq; edificauerit, nullus destruet: & quæcunq; destruxerit, nullus edificabit? Aedificauit Ecclesiam, & nullus eā destruer poterit: destruxit templum, & nullus illud edificare poterit, idq; in tam longo tempore. Nam & illam destruer conati sunt, & non potuerunt: & hoc edificare attentauere, & nec id ipsum potuerunt. Concedatur autem hoc, quod nullus dicere poterit, si attentasset, potuissent: ecce attentaret, & nihil valuerunt. Enimvero rex, qui hac nostra ætate omnes alios impietate præcellerat, & facultatē tunc dedit, & cooperatus est: & opus incipiebant, sed nec in minimo profecerūt: nam ignis à fundamentis exiliens, omnes ipsos fugauit. Quod autem voluerint, & hoc iudicium est, quia vsque nūc manent fundamenta denudata: vt videas quod attentarūt quidem effodere, non valuerunt autem extruere. Nam obsistebat eis hoc Christi verbum. Quauis autem & olim destructum templum illud, attamen vbi post septuaginta annos redierunt, statim excitatum est, fuitque priore multo præclarior. Et dicunt hoc Propheta, & prædicunt priusquam factum. Nunc autem supra quadringentesimum annum est, & nulla vel cogitatio vel expectatio est, sed neque spes quod instauretur. Et quid obstabat, si non diuina virtus oblectata est? Non certe opum penuria, quarū multa illis copia: neque patriarcha, qui omnium vndeque colligebat tributa, & immentos thesauros possidebat: non raritas populi, non pudor, non lites, non inciticia, non bella, non hi qui in Palæstina, non in Phœnice, non alia multitudo. Quo modo ergo non potuerunt vnum templum extruere, præsertim videntes cultum suum alioquin vbique residere quasi ligatum, & Iudaicos ritus aboleri, & sacrificia & oblationes, & alia legitima auferri: imō non licebat eis excitare vel templum vel altare, aut sacrificium offerre, aut immolare ouem, aut imponere thymiam, aut recitare legem, aut instituere festa, aut aliud quiddam, quod vel in vestibulis quondam agebant. Porro cum olim in Babylone essent, & cogebantur ab hostibus vt psallerent, illis tamen non parebant: & licet serui & captiui essent, dominis tamē & imperatoribus nō obediebant: sed quia patriam & libertatem amiserāt, & periclitabantur de vita, in medio laqueorum, & in manibus potentium derelicti, iusiūq; canere canticū in organis, sic dicebant: Super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus, quando rogabāt nos, qui captiuos duxerant nos. Quo modo cantabimus canticum domini in terra aliena? Neque quis dicere poterit, quod ob organorum penuriam, luctum faciebant: nam & ipsi causam posuerant, dicentes: Quo modo cantabimus canticum domini in terra aliena? Nam in salicibus in medio eorum suspēdimus organa nostra. Sed neque ieiunium ieiunare licebat: & hoc declarans Propheta, dicebat: Nō ieiunabitis ieiunium mihi septuaginta annis, dicit dominus. Et quod neque immolare, neq; sacrificare eis ius erat, audi ē tribus pueris dicentibus. Non est princeps, neq; propheta, neq; dux, neque locus primitiarum coram te, vt inueniri queat misericordia. Non dixit, nō est sacerdos: aderant enim sacerdotes. Sed vt discas, quod hoc totum illius loci erat, & omnia quæ à lege statuta, tunc erant impedita, dixerūt, non est locus. Et quid de sacrificando & litando inquam, prorsus ipsam legem legere non licebat. Quod & alius Propheta citans, ait: Et legerunt absque libris legem, & induxerunt confessionem: non Pascha, non Pentecosten, non scenope-

Psal. 136.

Esa. 58.

Ezech. 7.

Esa. 29.

giam, neque aliud quicquam illorū. Attamen nūc vident, quod solitudo eius loci ab his omnibus se excludat, & quod attentarunt quidem, sed temeritatis pœnā luentes non potuerunt locum, in quo hæc omnia licebat legitime operari, erigere & construere. Nam virtus Christi, quæ edificauit Ecclesiam, eadem & templum destruxit. Et prædixerunt prophetiæ etiam hoc, quod & aderit Christus, & hæc operabitur. Et quidam post captiuitatem sic dicebat: Propter quod & in vobis cōcluduntur ianua, & non accenditur altare meum gratis: non est mihi voluntas in vobis. Quia ab Oriētē Solis vsque ad Occidentem nomen meum glorificatum est in gētibus, & in omni loco sacrificium offertur mihi, & oblatio pura. Vides quo modo manifeste & Iudaismum eiecit, & Christianismum monstrauit effulgentem vbique in terra diffusum, rationēq; cultus significauit? Alius iterum: Et adorabit eum vnusquisque à loco suo, & seruiet ei sub ingo vno. Alius quoque ait: Virgo Israël cecidit super terram suam, non est qui erigat eam vltra. Et Daniel manifeste omnia hæc narrat, & quod omnia aufereretur, sacrificium & immolatio, & vnctio, & iudicium. Sed hæc omnia, quando cū Iudæis conferemus, manifestius & latius considerabimus. Iam autem in instituto itinere manentes, gentilium stultam contentionem redarguimus. Nō tibi dixi mortuos suscitatos, non leprosos mundatos: vt ne dicas hæc, mendacia, figmenta & fabulas: quis vidit, quis audiuit? Et quauis qui dixerunt, quod crucifixus sit à Iudæis, & cōsputus & alapis casus, & colaphis: illi etiā hæc dixerunt: quo modo dignos fide putas in illis, in his vero arguis, quasi dixerint non facta? & si ad gratiam magistrī sui hæc scripsissent, stulte & frustra iactassent, si non tacuissent, quæ multis ignominiosa & dura videntur. Nunc autem horum veritatem monstrarunt hi, qui in his maxime conuersati sunt, omniāque valde diligenter & magna copia tractarūt, neque paruum neque magnum prætermittendo, sed in signis & miraculis plura transferunt: omnia autem quæ ad passionem attinent, & quæ contumeliosa videntur, ab omnibus dicta sunt. Verum ego nihil horum tibi dixi, de signis & miraculis loquor, vt abundanter omnem impudentis linguæ furorem compefcam. Sed in medium attuli ea quæ nūc apparent, & quæ nunc ante oculos sita sunt, quæ sole clariora, quæ vbique in toto orbe dispersa, quæ in toto orbe recepta factaq; sunt: ita vt humanam naturā transcendant, sintq; dei solius. Quid dicis, non suscitauit mortuos? An & hoc potes dicere, quod Ecclesiā non sint per totum orbem, vel quod non insidias passæ, vel quod non infestata, vel quod non vicerint & obstiterint? Sed sicut dici non potest, quod non sit solita nec hæc. Quid autem templi Iudaici subuersionem dicam? Non vides ante totius orbis oculos hæc conspicua? Quare non ipse tecum expendis: Si nō deus esset Christus, quo modo colentes illum, sic aucti forent, cum diuexarentur? At hi qui crucifixerunt illum, & impegerūt in petram, & sic humiliati sunt, vt & totam rempublicam perdidissent, ipsiq; vagi, erronei & profugi obambulent, neque vllus ex eis in tāto tempore liberatus est: quauis tunc tam potentes Iudæi illi fuerint, vt aduersus Romanorum principatum bellum decreuerint, & arma mouerint, & longo tempore illis se opposuerint, etiam aliquando vicerint, & negocia fecerint non vulgaria Augustis: tanta ipsorū potentia erat. Veruntamen qui cum tantis regibus bella gessere, & in acie decertarunt, & opum tantam potentiam ac armorum & militum

Malach. 1.

Sap. 3.

Amos 5.

militem habuerunt, totque milites, ac fofores, vnum non potuerunt extruere templum: sed synagogas in omnibus ciuitatibus edificant, locum autem, a quo sua reipublice dominium cepit, & vbi omnia facere conseruerunt, & vnde iudaismus collectus est, illum solum reparare non potuerunt.

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI
contra Anomoeos, Sermo.

MVM apud vos diem differui, & inde tantum vos dilexi, quantum si ab initio vobiscum essem educatus: tantum me vobis charitatis alligant vincula, quantum si plurimo tempore fructus dulcissimae consuetudinis a vobis percepissem. Quod fit, non quia ego admodum ad amicitiam & charitatem idoneus, sed quia vos desiderabiles, omniumque maxime amabiles. Quis enim non admiraretur, & obseruaret igneum zelum, charitatem absque simulatione, benevolentiam in praecipitantes, concordiam inter vos, quibus conspicui estis. Sufficeret haec & lapideam animam vobis conciliare. Et propterea non minus vos amamus, quam Ecclesiam illam in qua nati, scripti, & eruditi sumus. Soror enim illa huius vestrae est, vosque cognationem illam opere declarastis. Quamuis autem illa tempore sit antiquior, haec tamen fide feruentior est, & illic maior conuentus est ac celebrius theatrum, sed hic maior patientia, maiorisque fortitudinis indicium. Nam video vnde quaque hic lupos obambulare, ouile autem non imminui. Quassant sanctam hanc nauim continuo tempestas & hyems, procellarumque vis: non submerguntur tamen qui in ea nauigant. Vnde cunquē inuadunt haereticarum flammam, & qui in medio sunt camino, rore spirituali perfruuntur. Est & hoc admirabile, quod videmus in hac parte ciuitatis Ecclesiam hanc plantatam, & nihilominus quasi in medio camino oleam germinantem, foliisque comantem, & fructu grauem. Igitur cum vos tam cordati, tamque multis bonis digni, age propterea studio, promissionem pridem vobis receptam reddamus. Tunc enim de armis Dauid & Goliath apud vos philosophabamur, sermone nostro ostendentes, hunc quidem omnigena grauique armatura vndique munitum, illum autem armis nudum, fide munitissimum, & hunc quidem extrinsecus fulgidum thorace & scuto, illum autem intus spiritu & gratia radiantem, atque hanc ob causam a puero certamine victum iuuenem, a nudo superatum armatum, a pastore prostratum militem, a pastorali lapidis natura, bellici aris naturam contritam & corruptam. Proinde & nos lapidem illum in manus accipiemus, angularem illum & spirituales inquam. Si enim Paulo philosophari licuit de petra in solitudine, neque nobis quis succensebit, si lapidem illum eodem modo accipiamus. Nam sicut non natura petrae visibilis apud ludaeos, sed virtus spiritualis petrae emittit illarum aquarum flumina, ita vti que apud Dauid non sensibilis, sed spiritualis lapis barbaricum illud caput deiecit. Et nos quoque pollicebamur vobis, nihil ex rationibus dicturos. Nostra enim arma, non carnalia, sed spiritualia destruentia rationes, & omnem sublimitatem qua super terram sese extollit contra scientiam dei. Praecipitamentum nobis est, ut eas demoliamur, non extruamus: imperatum nobis est, ut eas dissoluamus, non armemus. Rationes enim mortalium timidae sunt. Et quare non dicam timidae? Quemadmodum enim timidus, etiam si securo loco ambulat, non audet, sed formidat ac trepidat: ita quae propter rationes accepta sunt, etiam si vera sunt, nondum ta-

men satis certa argumenta, dignamque fidem animae asserunt. Proinde quia tanta rationum infirmitas est, age scripturis contra aduersarios pugnemus. Vnde igitur sermonis exordium sumendum? Vnde vobis placet, an ex noua, vel ex veteri? Non enim solum in Euangelis, & Apostolorum verbis, sed & in tota veteri lege fulgentem vni geniti gloriam videre licet. Vnde mea sententia etiam inde aduersus illos corripienda sunt tela. Ita enim non illos tantum qui suos sermones inde asserunt, sed & multos alios haereticos simul prosternere poterimus, videlicet Marcionem, Manichaeum, Valentium, Iudeorumque omnium ora. Nam sicut cum a Davide prostratus est Goliath, in fugam simul versus est omnis Allophylorum exercitus: & mors quidem vnius corporis, & percussio vnius capitis erat, fuga autem communis, & timor totius exercitus: Ita & si nos vnam haereticam deicerimus, communis erit enumeratorum omnium profligatio. Manichaei enim & qui factioni illorum socij, videtur accipere Christum qui praedicatur: Prophetas autem & patriarchas qui illum praedicant, contemnunt. Contra, ludaei eos qui Christum praedicant, accipere videntur: Prophetas, inquam, & legislatores suum: Christum autem qui ab illis praedicatur, contemnunt. Igitur si fauente gratia dei demonstrauerimus magnam vni geniti gloriam in veteri praedictam, omnia illa deo aduersa ora, linguasque blasphemias confundemus & coepescemus. Nam si colliquescet Christum in veteri instrumento praedicari, qua se defensione tutabuntur Manichaei, & caeteri qui cum illis scripturam continent, quae praedicat illum communem omnium deum? Quod ite effugium erit ludaeis, quam veniam merebuntur ij qui a Prophetis promissum non suscipiunt? Itaque cum abunde de eis triumphare possimus, sermonem ad libros vetustiores vertamus, & ad ipsum qui aliis omnibus vetustior est, ad Genesim, inquam, & ad caput Geneleos consequendum. Dicit enim Christus: Si credidissetis Moysi, credidissetis vtiq; & mihi, nam ille de me scripsit, id quod nunc declarare tenebimus. Posteaquam igitur perfecta est omnis creatura, caelumque vario siderum choro coronatum, & terra omnigenis floribus ornata est, multaque essent montium cacumina, multi campi & valles, & in summa, omnis terrae facies plantis, & arboribus, & herbis conspicua, lasciuirentque greges & arma: aërem autem impleret genus auium cantillantium natura & singulari musica: maria quoque marinis animalibus plena: similiter & stagna, & fontes, & fluuij, omnibus quae in eis nascuntur: nihilque esset imperfectum, sed perfecta omnia: tunc quarebat corpus caput, ciuitas principem, creatura, inquam, hominem. Formaturus igitur ipsum deus, inquit: Faciamus hominem secundum imaginem & similitudinem nostram. Ad quem dicit: Manifestum quod ad vni genitum suum. Non dixit fac, ut ne seruile aliquid suspiceris praecipitamentum iuberi: sed dicit faciamus, ut forma consultius verborum aequalis detegeretur honor. Nam deus interdum consiliarium habere, interdum non habere dicitur: & non sibi ipsi pugnat scriptura, sed per duo haec aperiuntur vobis abscondita dogmata. Quando enim significare vult, deum nullius egerere, dicit eum non habere consiliarium: quando autem docet aequalem vni geniti gloriam, consiliarium vocat Christum. Et ut discas duo haec, quod Propheta filium vocent consiliarium: non quod pater opus eius consilio habeat, sed ut vni geniti gloriam doceant, & quod non opus habeat consiliario, audi Paulum dicentem: O profunditatem diuitiarum, & sapientiae & scientiae dei, quam

quam inscrutabilia iudicia eius, & inuestigabiles viae eius. Quis enim nouit sensum domini: vel quis consiliarius eius fuit? & propterea dicit eum nullius indigere. Esaias vero iterum de vni genito dei loquens, sic inquit: Puer natus est nobis, & filius datus est nobis, & vocabitur nomen eius magni consilij angelus, admirabilis, consiliarius. Et si admirabilis, consiliarius: quo modo Paulus dicit, Quis sensum nouit domini, vel consiliarius eius fuit: nisi quod Paulus, sicut dixi, voluit patrem nullo indigere: Propheta autem aequalem filij gloriam docere voluit. Et idcirco etiam hic non dixit fac, sed faciamus. Dicere enim fac, praecipitamentum esset seruo iniungendi, quod discere inde potes. Accessit aliquando Centurio Iesum, & dicit: Domine, filius meus iacet in domo paralyticus, & grauius torquetur. Quid igitur Christus? Ego cum venero, curabo eum. Centurio autem non audebat medicum in domum trahere, quauis misericors ille sponte sua pollicebatur se illi iturum, ut causam & occasionem illi daret, quo virtutem suam nobis declararet. Praescius enim quid ille dicturus erat, pollicitus est se affuturum, ut viri pietatem discas. Dicit enim Centurio: Non sum dignus ut intres sub tectum meum. Neque morbi necessitas eum ad pietatem auertere valebat, quin excellentiam domini testaretur, etiam in tanta calamitate. Ea propter dicit: Dic tantum verbum, & sanabitur puer meus. Nam & ego homo sum, habes sub me milites, & dico huic vade, & vadit: & alteri veni, & venit: & seruo meo fac hoc, & facit. Vides quod verbum fac, est domini ad seruum loquens: At faciamus, verbum est eius cui aequalis honor. Quando enim seruo dominus loquitur, dicit, fac: quando autem pater filio, dicit, faciamus. Quid ad haec dicit haereticus? Centurio ita suspicabatur: res autem non sic se habet, neque Apostolus est Centurio, neque discipulus, ut ipsius verbis credam. Verisimile est quod errauerit. Bene, non est Apostolus. Quid ergo? Videamus quod sequitur. Num correxit ipsum Christum: num increpauit: num dixit ad ipsum, Cur hoc facis homo? Maiorem de me habes opinionem quam par est. Plura mihi tribuis quam mihi debentur. Ex autoritate putas me imperare, cum non sit mihi autoritas. Num dixit tale quid? Minime, sed stabiliiuit illius sententiam, & comitibus dixit: Amen dico vobis, neque in Israël tantam fidem inueni. Igitur dominus laudando confirmat Centurionis verba. Vnde iam non sunt Centurionis verba, sed occasio quaedam a domino ad virtutem declarandam oblata. Quod enim ipse laudat, & calculo suo tantam bene dictum approbat, pro diuino oraculo habendum est. Autoritatem enim superne a domini iudicio sumit. Vides vt nouum veteri consonet, & vtraque autoritatem Christi indicent? Quid igitur, si faciebat quidem hominem, cum hoc ut minister fecerit, inquit: sed audi verba quae sequuntur, & desiste ab intempestua contentione. Enimvero ut dixit, Faciamus hominem: non dixit secundum imaginem tuam minorem, neque secundum imaginem meam maiorem, sed secundum imaginem nostram, nempe patris & filij imaginem, quae vna est. Non enim dixit imagines, sed imaginem nostram, non quod duae sint inaequales, sed vna & eadem aequalis patris filijque imago. Vnde & a dextris iubet sedere, ut aequalem honorem & potestatem non inferiorē discas. Minister enim non sedet, sed adstat. Sedere dominicae potestatis est, adstare seruilis & subiectae conditionis, propterea & Daniel dicit: Aspicebam donec positi sunt throni, & antiquus dierum sedet, mille myriades ministrabant ei, & mille milia assistebant ei. Et iterum Esaias:

Videbam dominum sedentem super thronum excelsum, & Eleuatum, & Seraphim in circuitu eius steterunt. Micheas autem: Videbam dominum deum Israël sedentem super thronum suum, & omnis exercitus caeli stabat a dextris eius & a sinistris eius. Vides vbiq; supernas virtutes assistentes, ipsum autem sedentem: Cum igitur videris & filium a dextris habentem cathedram, non ministrantis dignitatem quandam putes, sed habentis auctoritatem dominicam. Idcirco & Paulus cum vtraque sciret, quod adstare ministrantium sit, sedere autem imperantium & praesidentium: Vide quo modo haec separat, dicens: Angelis quidem suis, inquit, Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis. Filio autem: Thronus tuus deus in seculum seculi. Itaque cum sermo non ster omnino probauit, filij dignitatem non seruilem, sed herilem esse, adoremus quoque & dominum ipsum patri honore coaequalem: sic & ipse praecipit cum dixit, ut omnes venerentur filium, sicut venerantur patrem. Coniungamus item rectitudini dogmatum diligentiam vitae & operum, ut ne dimidiatum quae ad nostram salutem spectent, curetur. Iam vitam diligentiam & puritatem nihil sic efficit & corrigit, ut continua in templis conuersatio, & alacre ad audiendum verbum dei studium. Quod enim corpori est cibis, hoc animae diuinorum eloquiorum doctrina. Non enim in solo pane viuunt homines, sed in omni verbo quod procedit per os dei. Hinc & famem inducere solet, ut huic mentis non comunicetur, & audi de hoc interminantem, & famem hanc in ordine suppliciorum, & poenarum intentantem. Dabo enim eis, inquit, non famem panis, neque sitim aquae, sed famem audiendi sermonem domini. Quo modo igitur non absurdum pro corporali fame repellenda facere & attendere omnia, animae autem famem sponte querere: quauis multo grauior sit, quanto scilicet grauius est & danum. Oro & supplico, ne tam male nobis consulamus, sed preferatur hoc studium occupationibus & curis omnibus. Quid enim tantum lucrari potes, quatum damni facis & tibi ipsi, & toti domui, si conuentum & synaxim relinquas? Quamuis & integrum thesaurum auro refertum inuenias, & propter illum domi detinearis: maius tamen detrimentum quam lucrum facies, & tanto maius quanto sensibilis spiritualia sunt meliora. Nam licet illa multa sint, & vndique affluant, non tamen hinc tecum commigrabunt ad vitam futuram, neque simul nobiscum in caelos transferentur, neque adstant apud terribile tribunal, sed saepe & ante mortem nos destituentia dilabuntur: quod si ad finem vsque manserint, necessario tamen sub ipsum finem tolluntur. Spiritualis autem thesaurus possessio est, quae auferri nequit, & vbi que comes est, sequiturque peregre euntes, multum fiduciae apud tribunal Christi nobis tribuet. Quod si ex aliis conuentibus multum lucri consequimur, certe ab his qui hic celebrantur, duplex lucrum expectare licet. Non enim hunc fructum solum capimus, quod animam diuinis eloquijs rigamus, sed & quod hostes confundimus & dispergimus, fratribus nostris magno solatio existentes. Nostra huius aciei & ordinis lucrum est laborare, vtiq; periculosam partem in exercitu tenemus. Et propterea omnes huc confluere oportebat, & hostes qui nos adoriantur, repellere. Esto, nequeas longum sermonem producere, nec habere docedi gratiam, adis solum, & totum perfecisti. Nonne qui ad haec vestibula ascendit, videns paucos, alacritatem suam remittit, abiicit, torpescit, factusque segnior, inde recedit, fitque sic omnis multitudo haec paulatim dissolutior & ignauior? Sin videris cocurrere vndique

diquaque magnòq; studio: nonne etiam si valde igna-
 nus sis, alacrior redderis? Nam si lapis sæpe ad lapidem
 cõcussus scintillas exilire facit, tamen si nihil sit frigidus
 lapide, nihilq; igne calidius: attamen cõcussio, victa na-
 tura ignem elicit. Quod cum in lapillis contingit, mul-
 to magis idem fit & in animabus quæ mutuam atterũ-
 tur, & igni spiritus concalescunt. Non audistis quod ap-
 ud maiores nostros tantum centum & viginti erat to-
 tus fidelium numerus, imò ante illos centum & vigin-
 ti, duodecim tantum erant, & neque hi mãserunt om-
 nes, sed vnus ex eis Iudas periit: & erant vñdecim om-
 nes, attamen ex vñdecim illis facti sunt centum & vi-
 ginti, & ex ceterum & viginti tria milia, & deinde quin-
 que milia, denique omnem orbem terrarũ impleuerunt
 scientia dei: non tunc conuentus tenuiores fiebant, sed
 simul in templo cõuersabantur, precibus & lectionibus
 intenti, & propterea magnũ ignem incenderunt, prop-
 terea nunquam difflexerunt, sed totum attraxerunt or-
 bem. Hos & nos quoque imitemur. Quo modo enim
 non absurdum, quod non tanta cura Ecclesiæ habetur,
 quantam vicinis suis mulieres exhibent: illæ cum vide-
 rint virginem aliquam pauperem, & omni destitutam
 præsidio, officiosè sua afferunt, & magnam quis ibi vi-
 det frequentiam, dum virgo desponsatur: & alia qui-
 dem offerunt pecunias, alia corpore præsentem sunt,
 quod etiam ipsum nõ est parum: nam hisce studiis ex-
 stimantur humana & pacifica, contegiturq; illarũ pau-
 pertas. Facite hoc & vos in hac Ecclesiã, concurramus
 omnes vñdiquaque, & eius contegamus inopiam, imò
 soluamus eius paupertatem, cõtinuo hic præsentem. Ca-
 put mulieris vir est, mulier viri adiutrix. Ne igitur ca-
 put absque corpore viam ad hæc sancta arripiat, neque
 corpus absque capite, sed integer huc ingrediatur ho-
 mo. Habete & pueros vobiscum. Nam si iucundum est
 videre arborem quæ habet nouam plãtam è radice sua
 exurgentem: multo magis iucundum est videre homi-
 nem omni olea amœniorem, à radice sua filium habe-
 re adstantem, quasi nouam plantam. Non iucũdum au-
 tem hoc solum, sed & vtile. Etenim quod dixi, si cõgre-
 gati fuerimus, maius lucrum erit. Enimvero & agrico-
 lam tunc maxime admiramus, non quando agrum col-
 lit antea bene cultum, sed si loca nõ seminata & inara-
 ta, digna cura excoluerit. Sic & Paulus faciebat studio-
 sus maiore studio euangelizans, vbi Christus non erat
 nominatus. Illum & nos ad decorem Ecclesiæ, vtilita-
 temq; nostram imitemur, quotidie ad hanc congrega-
 tionem confluentes. Nam si concupiscentia flagras, po-
 teris eam facile restinguere, tantum visa hac domo, &
 si irascaris, facile bestiam domabis, iram, inquam, & si
 alia quapiam affectione impeteris, tempestatem eam fa-
 cile sedabis, reddesque pacem & serenitatẽ animæ tuæ.
 Qua nos frui concedat dominus noster Iesus Christus,
 cui cum patre & sancto spiritu sit gloria nunc, & in se-
 cula seculorum, Amen.

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI
 aduersus hæreticos, Sermo.



ST lapis quidam quem chrysaconion vocat, quo probatur aurum adulterinum & nothũ, si illi atteratur, ostenditurque purum & immixtum, incorruptumque numisma. Hunc indicẽ ego fidelissimorum hominũ cor dixerim. Nam vt qui de fide rationes orthodoxorum & aduersariorũ accipiunt, & in gnomone cordis quasi atterunt & probat, inueniunt fidem orthodoxorum sincerã & puram, pra-

uamq; aliud sentientium opinionẽ, & fidem esse adul-
 terinam. Verum ne videar à scripturis aberrare, tali pa-
 rabola vtens, audi Apostolum nos admonentem & cõ-
 sulẽtem: Estote probi nummularij: & quia eloquia do-
 mini auro ignito & probato conferuntur, Dauid in-
 quit: Eloquia domini casta, argentum ignitum proba-
 tum terræ. Esaias quoque cũ considerasset apud Iudæos
 diuinæ legis eloquium viciatum sicut argentum, & di-
 uinam doctrinam humanæ maliciæ lenocinio adulte-
 ratam, dicit eis: Argentum vestrum reprobum, caupo-
 nes vestri miscent vinum aqua. Proinde dilecti, cũ in
 promptu habeatis & vos gnomonem & indicem cor-
 dis, cum nostras tum aduersariorum rationes accipite,
 nihil ad cuiusquam gratiã facientes, sed in veritate am-
 bulantes, & quorum rationes solidas probaueritis, eas
 in cordibus vestris fortiter seruate. Hæc autẽ dico non
 omnibus, sed his qui adhuc in fide claudicant & hæsi-
 tant. Nam qui stabiles & immutabiles in fide, anchorã
 confessionis triplici funiculo vnitam, in profundum
 mentis suæ proiecerunt, etiam absque his inconcussam
 & immotã cordis sui scapham in fide custodiunt. Nũc
 non est nobis certamen aduersus sanguinem & carnẽ,
 sed contra principatus, contra potestates, contra mun-
 di dominos, retores tenebrarum harum, contra spiri-
 tuales versutias in cõlestibus. A quibus excitati hostes
 fidei, blasphemos sermones ex gutture quasi sagittas è
 pharetra depromptos, in sublime deitatis iaculatur. Et
 vide dilecti hæreticorum alia lingua loquentium acie.
 Armatum est enim cor eorũ quasi exercitus impiorum,
 contraque deum pugnantium. Acuta est lingua eorum
 gentilium impietate quasi serpentis. Fulget eorum ser-
 mo quasi honestus & aduersarius impietati spiritus: sed
 coquinati sunt eorum mores, immanisque illorũ in-
 quitas est in deum. Habent arcum extẽtum, os inquam
 quod porta carens, non clauditur. Habet quoque sagit-
 tas, iacula verborum, inquam, contra veritatem stridẽ-
 tia quæ à mente eorum prodeunt, & simpliciorum ani-
 mas & conscientias vulnerant. Propterea patres & fra-
 tres precemur, vt dominus animæ nostræ manus cõtra
 aciem aduersariorum erudiat, & mentis nostræ digitos
 ad prælia sermonum instruat, vt & nos dicamus psal-
 mum qui dudum decantatus est: Benedictus dominus
 qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad
 bellum. Misericordia mea & refugium meũ. Igitur pri-
 mus ad bellum vocetur Arrius. Nunquam enim ille pa-
 cificus esse potest dilecti, id quod ex nomine eius con-
 iectari potest. Ares enim quo nomine exteri vtũtur, bel-
 lum interpretamur. Mittant tela sua à diabolo fabrica-
 ta. Non enim timeo talia obtusa, valdeque inualida ia-
 cula. Veniat & Macedonius, qui figura quidem ab Ar-
 rio differre videtur, re autem ipsa idem quod ille sen-
 tit. Nam cum & illum videris paris blasphemiz sermo-
 nes aduersus spiritum sanctum sagittare, discas quo mo-
 do duæ gentes diuersis linguis, figura tãtum distinctæ,
 re autem vnitæ aduersus nos certent. Eunomij memo-
 riam prætereò. Etenim si tanquam Dauid Goliathen
 principem impietatis illius subuerterimus, vniuersa ca-
 stra simul fugabuntur: at quia nobis quoque telis opus
 est, non deerũt ea. Habemus enim tela diuina à spiritu
 sancto fabricata, quibus & flagitiosa opera interimun-
 tur, & hominum animæ erudiuntur. Quales hæ sagit-
 tæ: Sagittæ potentis acutæ cũ carbonibus desolatoriis.
 A quibus eruditus clamabat: Domine ne in furore tuo
 arguas me, neq; in ira tua corripas me: quoniam sagit-
 tæ tuæ infixæ sunt mihi. Sed misis factis multis sagittis
 dilecti,

Esai. 49.

Math. 4.

Psal. 90.

Ioan. 6.

Psal. 49.

Ioan. 17.

dilecti, vnica sagitta vtetur, qua omnis hæreticorum
 & Iudæorum, & gentium phalanx prosternitur. Qua
 sagitta? Sagitta ipsa loquitur in Esaiã: Posuit me vt sa-
 gittam electam, & in pharetra sua occultauit me. Sa-
 gitta electa verbum dei est ante secula ex patre natum.
 Nam occultauit in pharetra corporis, dignitatem dei-
 tatis à dracone. Aperi Ari sepulchrum gutturis tui im-
 pletum mortuis sermonibus. Non enim habes verbum
 illud viuificum, qui tuis rationibus factũ illud & crea-
 tum fabricas. At ille statim quum accersitur, à scriptu-
 ris dicendi facit initium. Verum tu vt fidelis, ne timue-
 ris eum, quum videris ipsum ex scripturis loquentem.
 Nam & diabolus quum accederet Christum, & tenta-
 ret eum, per scripturas locutus est cum eo, dicens: Si fi-
 lius dei es, mitte te ipsum è supernis deorsum: scriptum
 est enim, Quia angelis suis mandauit de te, vt custo-
 dian te in omnibus viis tuis, & in manibus portabunt
 te. Cetera autem quæ sequuntur, obtulit. Sciebat enim
 quod aduersum se dicta erant. Qualia hæc? Super aspi-
 dem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem
 & draconem. Et attende diligenter dilecti, quia ex ea-
 dem arte profectum est quod diabolus dixit, & quod
 sui qui filium dei creaturam & facturam dicunt. Degu-
 stauit scripturam diabolus. Aperiat os & Arius, ac di-
 cat. Et inuenies etiam eum à capite exordiri, & cetera
 tacere, vt ne arguatur. Nam quid dicit? Dominus, in-
 quit, in Euangelio dicit, Descendi è cœlo, non vt fa-
 ciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit
 me patris. Vides, inquit, quod est minister patris: vides
 quo modo ei subditus sit? Ipse fatetur, & dicit: Descendi
 de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed eius qui
 misit me patris. O Ari, quid obtices? dic & sequentia.
 Imitaris diabolum præceptorem tuum, sicubi causa tue
 seruit. Quamuis autem tu taceas, ego tamen clamabo
 cum Euangelio, non furabor tecum diuina eloquia &
 verba domini, timeo enim iudicium dicentis: Nam
 tamen si videres furem, curreas cum eo, & cum adul-
 tero ponebas portionem tuam. Descendi de cœlo, non
 vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui
 misit me patris. Dic & quæ sequuntur: Hæc est autem
 voluntas patris, vt credant in eum quẽ ille misit. Quid
 ergo pugnas? Cur non subiciis ceruicem cordis tui iugo
 seruitutis: sed in composita oberrans, peruerso sul-
 co pietatis aras. Iam iterum à scripturis inquiri, non vt
 veneretur Christum, sed vt filium dei vituperet: non vt
 exaltet, sed vt minorem faciat, quamuis eloquium di-
 cat, Exaltate dominum deum nostrum, & adorare sca-
 bellum pedum eius, quia sanctus est. Et iubemur adora-
 re scabellum pedum eius. Macedonius autem spiritum
 sanctum, qui ex patre ineffabiliter procedit, adorare
 nolebat. Verum nobis nunc aduersus Arium sermo est.
 Et quo modo, inquit, si habuit eundem honorem cum
 patre filius, gloriam à patre quærit? Dicit enim ad pa-
 trem: Glorifica me pater gloria quam habui apud te
 antequam hic mundus esset. Nondum intellexisti, ô
 Ari, sacramentum quod est in Christo, nec mirum: spi-
 ritu enim cares qui te inducat in veritatem: nondum
 capis quod nõ pro semetipso hoc dicit, sed pro Adam,
 quem & acceperat. Nam sicut aduocatus à malefacto-
 re instructus, ad tribunal accedit, & personam gerit e-
 ius cui patrocinator, & omnia crimina eius qui iudica-
 tur, in se assumit, & quasi pro seipso apud iudicem cau-
 sam agit, tamen si criminũ minime reus sit: eum in mo-
 dum & dominus noster Iesus Christus venit è cœlis
 impeccabilis. Peccatũ enim nõ fecit. Induit me Adam,

assumpsit in se mea crimina. Ipse enim peccata nostra
 portat, & pro nobis dolet. Induit me Adã personam,
 & pro me intercedit. Glorifica me pater, inquit, gloria
 quam habui antequam hic mundus esset. Qui factus
 sum Adam, eram in incorruptibilitate, æqualem cum
 angelis mensam sortitus eram, in deficientem mihi ci-
 bũ paradisi quotidie producebat, spiritum sancti gra-
 tiam & gloriam in facie ferebam, hæc per meam trans-
 gressionem amisit: nunc oro, glorifica me pater gloria,
 quam habui apud te, antequam hic mundus esset. Ea-
 propter superne respondet pater, dicens: Et glorificauit
 tunc in paradiso, & iterum glorificabo. Nam in ean-
 dem paradisi gloriam, & delicias te iterum collocabo.
 Quod autem quum hæc diceret filius dei, habuerit glo-
 riam patri æqualem, testatur ipse cum dicit: Ego & pa-
 ter vnũ sumus: & Qui videt me, videt & patrem meũ.
 Et Ioannes clamat, dicens: Vidimus gloriam eius, quasi
 vñgeniti à patre, plenus gratia & veritate. Verum ite-
 rum curiose inquiri & profert tela inæqualia & imbel-
 lia. Apud fideles enim tela ista obtusa sunt & inutilia,
 sicut scriptum est: Sagittæ paruulorum factæ sunt plage
 eorum. Si ante secula, inquit, regnauit filius dei, quare
 ipse ergo in psalmis dicit, Ego autem constitutus sum
 rex ab eo: quod temporis significatiuum est. Ne confu-
 sionem facito Ari, da carni passiones, & deitati diuinas
 dignitates. Nam quod dicit, Ego autem cõstitutus sum
 rex ab eo: non secũdum deitatem dicit, sed secũdum
 formam serui, quæ in tempore genita ac in genealogia
 recensetur. Quippe diuinitatis illius genealogiam ne
 angeli quidem dicerent, humanitatis autem & euange-
 listæ narrant, dicentes: Liber generationis Iesu Christi.
 Et quod ante secula regnauerit deus verbum, audi pro-
 phetam iterum clamantem: Deus autem noster rex an-
 te secula. Arrius nondum audiens quæ sequuntur, statim
 audaci ore dicit, de patre hæc dicta sunt. At tu audi quæ
 sequuntur. Non enim de patre dicuntur, sed de filio, &
 declarat id quod sequitur. Deus autem noster rex, ante
 secula: operatus est, inquit, salutẽ in medio terræ. Quis
 ille? an non omnino ille qui trophæum crucis statuit,
 & mortem soluit, diabolum ligauit, & hominẽ ser-
 uauit? Sed profectò ait: Recentem habet thronum. Di-
 cit enim ad ipsum patrem: Sede à dextris meis, donec po-
 nam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Ecce
 quod dicit sede, temporis est indicatiui. Atqui ignorat,
 quod etiam hic similiter loquitur ei qui è virgine natus
 est. Nam quod deus sermo ante secula cum patre fuerit
 regnans, & sedem habens, indicat Psaltes, & post eum
 Paulus: Thronus tuus deus in seculum seculi: virga di-
 rectionis, virga regni tui. Dilexisti iusticiam, & odisti
 iniquitatem, propterea vnxit te deus, deus tuus oleo læ-
 ticæ præ confortibus tuis. Præ confortibus enim eius
 vnxit Iesum spiritu sancto. In ipso enim erat omnis ple-
 nitudo diuinitatis corporaliter: nos autem omnes de
 plenitudine eius accipimus, sicut dicit Ioannes, De ple-
 nitudine eius omnes nos accepimus. Ita quoque & A-
 postolus dicit: Participes eius sumus, si confessionis pri-
 mitias ad fidem vsque solidas seruauerimus. Mox au-
 tem occurrit & Macedonius. Et qualia ille contra spi-
 ritum sanctum tela iaculatur? Profectò, inquit, bene di-
 cis, orthodoxe, pater thronum habet, & sedet. Dicimus
 enim, quod habet thronum decentem & dignum deo,
 non corporalem, sed sicut scriptum est: Deus sedet su-
 per thronum sanctitatis suæ: habet etiam filius thro-
 num. Thronus tuus, inquit, deus in seculum seculi. At
 vbi spiritus habet thronum, vel consideret patri & filio:

Esai. 53.

Psal. 63.

Math. 1.

Psal. 73.

Hebr. 3.

Coloss. 2.

Ioan. 1.

Hebr. 3.

O aduersarie dei maxime, non oportebat enim te de spiritu dei ambigere, quod sedeat, & habeat thronum sicut pater & filius. Quandoquidem & de patre, & filio, & spiritu sancto dicere licet, quod sedeat, ut dicimus. Ita enim scriptum est, alioqui diuinitas loco non continetur, sed vbique est. Quo enim ibo à spiritu tuo, & à facie tua quod fugiam. thronum dei scriptura dicit regiam dignitatem. Iam si apostoli cathedras habent, ut dicit: Vos sedebitis super duodecim thronos, iudicantes duodecim tribus Israël: Spiritus sanctus ne throno caret? Sed quod spiritus sanctus thronum habeat, ut & hoc vos discatis, ostendimus quod & dominus sit, & Sabaoth dicitur. Dicat igitur Esaias, qui & te & me maior: Vidi dominum Sabaoth sedentem super thronum sublimem & eleuatū, quia plena erat domus gloria eius. Et Seraphim in circuitu adstant, sex pennæ vni, & sex pennæ alteri, & reliqua. Et dixit dominus ad me, Quem viderat dominum sedentem super thronum excelsum & eleuatū, ille dicebat ei: Quem mittam? & quis ibit ad populum istum Iudæorum, ac dicit: Auribus audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non perspicietis: Venit Paulus post multos annos, ut diceret prophetiam illam, venit, mittitur Romam à spiritu sancto, congregat Iudæorum gentem per omne sabbatum docens: & cum non audiretur ab eis, memoriam huius scripturæ fecit, sic inquit Iudæis: Bene dicit spiritus sanctus per Esaiam prophetam: Auribus audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non perspicietis. Itaque quia ostendimus regiam dignitatem & diuinitatem spiritus, nos cathedra exurgentes, vno ore, & vno corde glorificemus patrem, & filium, & spiritum sanctum, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

*DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI
contra Iudæos, gentiles & hæreticos Sermo, de
Euangelio, Nuptia facta sunt, &c.*

HIRVNDINVM pulli in nidulis sedentes, parentum suorum qui sibi alimenta afferunt, aduentum expectant: & quum ipsos venire perspexerint, leui ala mouent aërem cantillantes, & ad illorum aduentum applaudentes: similiter & eorum parentes, cum nidulo appropiant, cantillant, pullis aduentum suum nunciantes. Similiter autem & vos in nido templi huius sedetis, meum aduentum expectantes: & quia venientem videtis, leui mentis ala volatis. Neque ego dissimiliter spirituali huic nido appropiaturus, deum voce præmissa glorifico, quod mihi filios dedit tam mei amantes. Sed hirundines alimenta sua ab ore in os tradunt: nos autem nostra non sic, sed ab ore in aurē. Illa enim in corruptionem procedunt, nostra vero in incorruptibilitatem: illa corpora pascūt, nostra animas impinguant. Hæc omnia non temere à me dicta sunt, sed quia lecti Euangelij contentia ad hæc docenda nos inducit, necessarium ut vos doceam. Vocatus est, dicit, Iesus ad nuptias. Oro, compositis moribus estote, & audite quæ dicuntur. Quoniam multi nuptias prætexunt, alij filios, alij militiam, alij negociationem, alij artificium, alij seruitutem, alij diuitias, alij inopiam, & quæcunque talia sunt. Volo igitur declarare vobis, quod neque diuitiæ impediunt, neque inopia, neque militia, neque negociatio, neque nuptiæ, neque pueri, neque seruitus, neque opificium, neque aliquid tale. Vocatus est Iesus ad nuptias. Venit, vel non venit: Certum quod venit. Quod si ve-

nit, quo modo ergo nuptiæ malæ? non potes excusare. Ego autem non dico, quod tantum venerit, sed quod & dona secum attulerit. Aquam in vinum mutauit. Ne excuses te propter nuptias, dominus tuus nuptiis interfuit, & nuptias honestauit, & tu nuptias arguis, & dicis nuptias obstaculum esse ad pietatem? Nullum enim ad pietatem est obstaculum. Vis cognoscere quod nihil nocet habere vxorem & pueros? Moses nonne vxorē habuit & liberos? Helias nonne virgo erat? Nonne Moses manna è cælo deduxit? Nonne Helias ignem è cælo deduxit? Nonne Moses coturnices aduolare fecit? Nonne Helias verbo cælum clausit? Nonne Mosi deus locutus est? Nonne & cum Helia conuersatus est? Nonne Moses mare diuisit, & transduxit populum? Nonne Helias curru igneo in cælum sublatus est? An nocuit huic virginitas: an impedimento fuerūt illi vxor & liberi? Vidisti Heliam aurigam in aëre, vidisti Mosem in mari viatorem? Vide & Petrum ecclesiæ columnam, quod & ipse habuit vxorem. at nō est scriptum, inquit, quod Petrus habuit vxorem: vnde ergo liquet, quod vxorem habuit. Ego dico: Ingressus est Iesus ad socrum Petri, & erat illa infirma, & tetigit eam, & reliquit eam febris, & stetit, & ministravit. Vides quod & Petrus vxorem habuit? Vbi enim socrus, manifestū quod ibi & vxor. Vides quod & Petrus vxorem habuit? ne incuses nuptias. Hæc dico, ut ne quis prætexat vel vxorem, vel liberos, vel militiam, vel negociationē, vel opificium, vel seruitutem, vel diuitias, vel paupertatem. Hæc excusatio, hic prætextus diaboli insidiæ sunt. Militiam prætexis, & dicis, Non possum esse pius. Centurio nonne miles erat? & dicit ad Iesum, Non sum dignus ut intres sub tectū meum, sed dic verbo, & sanabitur puer meus.

C Et admiratus Iesus, ait: Amen dico vobis, neq; in Israël tantam fidem inueni. Nihilq; nocuit illi sua militia. At quid si opifex? Et Paulus operatus est manibus, qui & antea ecclesiarum deprædator, & post hoc factus prædicator & apostolus. Quid vero si diues? Et Abraham diues, & ipse vxorem habuit & pueros. Credidit enim Abraham, & reputatum est ei ad iusticiam, & amicus dei vocatus est: tam nihil obfuerūt ei diuitiæ, & mulier, & pueri. Non habes excusationem. Tria quæ prætexere potes, vnus ille habuit, & vxorem, & pueros, & diuitias. Sed quo modo si seruus? Et Onesimus seruus erat, & scribit Paulus Philemoni, dicens: Onesimus qui olim nullius frugis, nunc autem & mihi, & tibi utilis. Verū quid si rex? Erat & David rex, & quum ingressus ad eum Nathan propheta arguit ipsum de peccato quod fecerat, nunquid in illum tyrannidem rex exercuit? nunquid vel asperum aliquod verbum prophetæ dedit? an non & in regno seruum se fatebatur, dicens: Peccaui domino? Et propheta videns pœnitentiam eius, dixit: Et dominus abstulit peccatum tuum. Velox pœnitentia, velocior condonatio. Num aliquid tribuit sibi rex, & dixit: Rex sum, amictus purpura, circumdatus diademate, fero tela, sagittas, scuta, arma: mihi sunt milites & armigeri, & pauperem illum timerem? ferrēme eum, & non occiderē? Sed nihil talium, quamuis rex esset: sciebat enim quod peccarat, & ob hoc pœnituit, quia sciebat se grauiter peccasse. Et nihil ei obfuit regnum. Iam quid si iuuenis? erat & Daniel iuuenis, & leonum ora constrinxit, & dracones cōfregit, Bel subuertit, & presbyteros iudicauit, Susannam liberauit, tantæq; virtuti imperfecta ætas non obfuit. An non & talis erat fratrum amator Ioseph, qui tantam præ se tulit sapiētiam & continentiam apud Aegyptiam? Vestem suam diuisit, fidem

fidem non dirupit, impudentiam mulieris vicit, concupiscentiam non satiauit, & nihil impediuit illius virtutem adolescentia. Sed quid si vidua? Erat & Sidonia vidua, quæ Heliam hospitio excepit, & pauit pane & aqua, & autore famis non est reuerita. Quid autem si meretrix? Erat & Raab quæ exploratores occultauit, & quum filij Israël terram promissionis acceperissent, saluata est ipsa cum domo & genere suo. At quo modo si pauper? Pauper erat talis & Lazarus. Et quantam ille sapientiam ac patientiam in extremis ostendit, licet nihil illum in tāta necessitate leniret. Iam si mulieri quis deditus sit, an non & Sampson? nam licet à muliere sit proditus, tamen ipsi deus dedit ut se de alienigenis vlcisceretur. Sed quid si amas filios? amabat & Iob. Sed tētaris, tentabatur & Iob. Vides quod saluati sunt? Habes fidem, habes omnia: non habes fidem, rex licet sis, non tibi proderit regnum. Sed ne promissionis obliuiscar: Vocatus est igitur Iesus ad nuptias, & cum ipse ibi esset, vinum non habebat. Dicit ei mater sua: Vinum non habent. Dicit eis Iesus: Implete hydrias aqua. Et impleuerunt hydrias aqua, & fecit aquam vinum. Quare autem dixit, implete hydrias aqua? an non qui verbo cælum fecit, & terram fundauit, & omnia quæ in eis, cuius oculus arefacit abyssos, à quo tremunt omnis creatura tam cœlestium, quam terrestrium, qui ea quæ non sunt, facit esse: potuit etiam hydrias aqua implere? & dicit, Haurite aquam. Ad quid? Ego dico, quod si negarint, manus eorum quæ hauserunt, & humeri qui gestauerunt aquam, ipsos redarguant. Idem etiam fecit, cum Lazarū suscitauit, antequam ad locum illum veniret, dicit discipulis suis: Lazarus amicus noster dormiuit. Postquam autem venerunt sorores Lazari, & dixerunt ei, Lazarus mortuus est: dixit eis: Quod posuistis eum? Dicunt ei, Veni, & vide. O noua & inopinata opera, paulo antea dixerat discipulis, Lazarus mortuus est, & nunc dicit, Vbi posuistis eum? Mortem prædixerat discipulis suis, & locum nescit. Sciebat, sed propter Iudæos dicebat, quia rudes erant. Et ita cum dicit, Vbi posuistis eum? non ignorantia erat: sicut & quum in paradiso dicebat Adam, Adam vbi es? Ignorabatne vbi esset? non est dicendum: sed quia dicebat illis diabolus, quod in die in qua comedetis ex ligno hoc, eritis vt dii: & suspicati sunt illi quod futuri essent dii: ob hoc arguit ipsum deus, Adā vbi es? pro eo quod comedisti, & māstis homo. Sic & apud Lazarum egit. Nam vt appropiavit monumento, dixit Iudæis: Tollite lapidem de monumento, & tulerunt. Dicit ipsi soror Lazari, Iam fœtet, nunc enim quatuoriduanus est. Et vt clamauit voce magna, dixit, Lazare, veni foras. Et produit vincitus institis. An non qui transfert montes in cor maris, potuit verbo lapidem mouere: qui stimulos mortis confregit, qui portas inferni contriuit, non potuit vincula dirumpere? & dicit ipsis, Soluite ipsum. Ad quid? vt si negent, manus eorum & oculi ipsorum redarguant ipsos. Ob hoc dixit, Soluite ipsum. In primis autem soror Lazari testimonium dedit, dicens: Iam fœtet. Idem & in nuptiis fecit, dicendo eis: Implete hydrias aqua. Et impletis hydriis aqua, fecit aquam vinum. Et propterea vnde quæque certos ipsos reddebat. Semper enim increduli erant Iudæi, & impudentes. Vultis cognoscere quanta eis fecit deus, & permanserunt semper ingrati? Discite, sed oro, accommodate vos mihi, & auscultate quæ dicuntur. Demonstrabo enim vobis, quod ab initio ingrati & increduli fuerunt. Septuaginta & quinque animæ Aegyptum ingressæ sunt,

Tomus quintus.

A & facta sunt sexcenta milia. Mortuus est Ioseph, & surrexit alius rex, qui Ioseph memor non fuit, afflixit igitur filios Israël valde. Clamauerunt ad deum, dicentes: Domine tu iurasti patribus nostris, daturum te semini nostro terram fluentem lacte & melle: nunc domine memor esto testamenti quod posuisti patribus nostris, & erue nos de manu Pharaonis regis Aegypti, & ex seruitute Aegyptiorum. Audiuit igitur dominus vocem eorum, & misit ad eos Mosem. Sed attendite verba, dicit Mosi deus: Accipe agnum immaculatum, aniculum primogenitum, & immola, & sanguine eius vnusquisque obliuiat fores, vt cū venierit angelus habens gladiū extentum, & viderit quod sanguine sit linata domus, illam transeat: sin viderit nō oblitam, ingreditur & omnia perdet. Fecit igitur Moses sic, & tradidit populo, & illi accepto cruore ianuam linierūt. **B** Et venit angelus, habens extentū gladium suum & vidit sanguinem in foribus, & transtulit: vbi autem non vidit, ingressus omnia perdidit. Hæc omnia non absque ratione facta sunt: sed quia per lignū & sanguinem saluandi eramus, propterea iussit deus vnusquisque sanguine fores signare. Et quare non dixit deus, Lini muros sanguine: quia non eramus saluandi per lapides, sed per lignum. Eduxit itaque eos Moses ex terra Aegypti, & tulit in desertum, & dicunt Mosi: Eduxisti nos in desertum, vt occideres, quasi nō sint sepulchra in Aegypto? **C** Nonne nobis melius erat cum essemus in Aegypto, dum comederemus melones & pepones, allia, & cepe? Vidisti ingratitudinem, ipsi dicebāt deo, & precabantur vt educeret se ex terra Aegypti: at vbi in desertum venerunt, fuerunt ingrati. Cognoscis ingratitudinem? sed rem maiorem & singularē vide. Quadraginta annis fuerunt in deserto, capillūq; ipsorum non creuit, neque vnguis, vestimentum ipsorum non fuit sorditatum, calceamentum ipsorum non fuit contritum: non laborauerunt, non foderunt, boues non iunxerunt, aratrum non traxerunt, sulcos non fecerunt, tribulos non euellerunt, semina non sparserunt, imbres non expectauerunt, solis æstus non tulerunt, tempus messis non exceperunt, falcem non acuere, neque messuere, non colligarunt aristas, non comportarunt, non conuexerunt in aream, non extriuerunt, non repurgarunt, non pinsuerunt, non coxerunt panes, & nihil omnino illorum fecerunt: sed panem è cælo nullis manibus elaboratum comederunt: apponebatur mensa nullo preparante, impassibilitate imitabantur angelos, natura suæ imbecillitatis oblita erat: & post tot beneficia dixerunt Aaroni, Da nobis deos, qui nos præcedant: **D** Mosi enim illi, qui nos eduxit à terra Aegypti, nescimus quid acciderit: feceruntq; vim magnam Aaroni. Ille vt vidit eos duri cordis, & incircuncisos, dicit ipsis: Tollite in aures vestras, & mittite in ignē, & si quid ascendit, hoc deus sit: & ascendit bubulum caput. Hic obserua hæreticum parasitum, ingratum Iudæum, dicentem: Si deus genuit, igitur & fluxuram sustinuit, & corruptibilis est. O miser & perdit, hæc ne de filio dei suspicaris? At nos, absit, ne sit. Sed genuit pater filium, vnus vnicum, deus deum perfectum: ita sentiunt Christiani. Quia autem licet te ipsum nescias, superna curiosus putas perquirenda, dic: Putas ne te scire, quo modo in auribus in pyram coniectis, bubulum caput ascēderit? Non hoc chalcotypus operatus est, nō erat conflator, quo modo ergo egressum est bubulum caput, aures dicere? Si nescis hæc inferiora, quo modo curiosè superna inquiris? qui nescis propria, quo modo curiosè

L ij aliena

aliena inquiris: Et afferunt nobis euangelicam vocem, A quod Iesus dixerit discipulis, Ego sum vitis vos palmites, pater meus agricola est. Vides, dicit, quod fecit filium. Inutilis enim vitis, nisi ab agricola colatur. Et putauit quod magnū aliquid & egregium dicat. Sed ascultate obsecro. Dicebam de ingratis & reprobis Iudæis, sinite dicā & aduersus impudentes hæreticos. Potes mihi dicere ingratis, & impudens hæretice, agricolam non pasci à vite: Armis tuis te capiam. Sicut agricola colit vitem, ita & pater operatur suum filium. Videamus quis ab altero educetur, an vitis ab agricola, vel agricola à vite, vt dicit, Pater à filio habet esse: non est igitur agricola, qui non ex operibus suis pascitur. Quid ergo? filius pascit patrem? Non, absit. Desine insipientissima hæc loqui. Nā sicut agricola gaudet de vite, ita & pater in filio: Non enim dixit, Pater meus operatus est me: sed, pater meus agricola est, Gaudis enim pater in filio. Non audisti ipsum dicentem, Ipse est filius meus dilectus in quo mihi cōplacui, ipsum audite: Quando stetit in Iordanis fluentis, non dixit, Ille est, quem creauit, quem feci: sed dixit, in quo mihi beneplacitum. Num & vocem illam reiciis? Et iterum dicit: Descendi è caelo, non vt voluntatem meam facerem, sed eius qui misit me patris. Quibus dicebat? Omnino Iudæis, qui dicebant ipsum esse fabri filium: & quasi inimico dei contrarij erant, & propter hoc dixit, descendi. Et quia deo contrarium dicebant, respōdebat: Non veni vt faciam volūtatem meam, sed eius qui misit me patris. Nam licet videbantur colere patrem, ipsum tamen negabant, & ob hoc infirmitati eorum consuluit, sic loquendo. Alioqui quo modo is qui vbique est, vel qui omnia adimplet demittitur, vel descendit: Vides igitur quod propter Iudæos dixit, descēdi de caelo, nō propter seipsum. Nullam habes excusationem. Afferunt autem hic nobis & aliud testimoniū apostoli dicentis, Vnus deus pater, ex quo omnia: & vnus dominus Iesus Christus, per quem omnia. Dicis quod alius deus præter patrem non sit: & ego dico quod præter filium alius talis dominus non sit. Quid igitur: contendemus? Minime, absit. Scimus enim propter quos, & quibus hæc Paulus dixerit, sed audite diligenter sermonem. Quia gentiles multos deos colebant, Iudæi vero vnum principatum. Vt ergo & multitudinem deorum, & principatum vnus simul auferret, dicebat: Siue enim sint dii multi & domini multi, siue in caelo siue in terra: sed nobis vnus deus pater. Et dicendo vnus, sustulit deorum multitudinē. Vbi enim vnus, ibi non sunt multi: dicendo vero, pater: sustulit principatū vnus. Vbi enim pater, manifestum quod ibi & filius. Et propterea dixit: Vnus deus pater, ex quo omnia, & vnus dominus Iesus Christus, per quem omnia. Vides quod ad Gentiles & Iudæos sermonem verterit Paulus, ob hoc dixit, Vnus dominus noster Iesus Christus, per quem omnia. Quia omnia tam visibilia, quā inuisibilia, de quo audi loānem dicentem: In principio erat verbum, & verbū erat apud deum, & deus erat verbum, hoc erat in principio apud deū. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factū est. Vides quod ipse omnium est opifex. Non audebis, inquit, mihi ostēdere, quod filius cum patre numeretur. Increduli quousque nō cessatis contra dicere, peruertentes scripturas, vt filiū simplicē dicamus creaturam vel facturam? Vultis cognoscere quod cum de filio verbū aliquod sublime & deo dignū audiunt, insanire incipiunt, & putant in ora sua amaritudinem immitti: eius rei vobis exemplū dicam:

Cum quis morbis & febribus laborat, & paululum relinquitur ab eis, si ordinant medici, vt os eius melle obliniatur, faciuntque id serui vt præcipitur: existimat infirmus quod amarum sit mel, licet circumstantes infirmum moneāt dulcissimum esse mel, videtur tamen infirmantis ori amarum, non quod amarum sit mel (quid enim dulcius melle?) sed quod ille qui mel accipit, infirmus est. Sic & illis contingit, cū audiunt consubstantialiam, opinantur offendi sibi amaritudinem, nō quod sermo eius naturæ sit, sed quod infirmæ illorū sunt aures. Pater filium vocat, similiter apostoli: ipsi autē creaturam & facturam. Et quo modo filius creatura & factura? An idem est gignere, & creare? Si omnis qui gignit, creat, & omnis qui creat, gignit: colligemus omnes creaturas filios & genitos esse dei: quia omnia per filium facta sunt. Igitur qui creauit, idem etiam genuit. Vides quod nati sunt dei, sicut tu dicis? Quamdiu eritis increduli? Dicite mihi, quo modo colatur filius, quādoquidē filius dicitur? Nōne & tu filius: sed quid, quod deus dicitur? nōne & tu? Sed potes mihi dicere, Ille re filius, tu nomine. Ergo filius: Ecce os tuum te redarguit. Ille enim nec factura, nec creatura. Ille re filius, tu appellatione. Ille à solo patre genitus est, tu autem ex præiacente materia formatus. Hæc contra Gentiles, Iudæos, & hæreticos dicta sunt. Nos autem glorificemus patrem, & filium, & spiritum sanctum, cui gloria in secula seculorum, Amen.

REVERENDO IOANNI BELLAIO
episcopo Parisiorum Germanus Brixius.

EGO, antistes optime, quum me intelligerem iam pridem in ære tuo esse, cogitaremque, quo potissimum munusculo, ex iis opibus sumpto, quæ in censu meo in primis essent, possent tibi non dico cōtracta nomina dissoluere: quū enim id possim? sed probatum saltem, ac testatū facere, quæ tu mihi olim beneficia largiter cōtulisses, ea te homini, si minus merito, at neque ingrato, neque immemori contulisse, mihi commodum Chrysostomus meus (meum hic appello, in cuius scilicet lectione studia nunc nostra omnia sunt) de immenso eloquentiæ ac doctrinæ suæ thesauro suppediat, quod tibi maxime omnium cōueniens munus offeram. Liber est vt breuis, ita certe elegās, vt sunt autoris illius scripta omnia, in quo quidem verum monachum, eumque, qui cum pietatis Christianæ amore sacrarum literarū studia coniunxit, cum mundi huius principibus confert, ostēdens interim illius felicitate principum, diuitum, ac nobiliū quorumuis felicitatem longe inferiorem. Quem ego libellum quum è Græco in Latinum vertissem, tibi non episcopo modo, & Parisiorum episcopo, sed & variis monachorum cœnobiis præfecto nuncupare, ac propter te in hominum manus emittere placuit: vt habeant, qui verè monachi sunt (quos multos hodie esse non ambigimus, ex tot ordinis illius sodalitiis) grauiusimum, nō cuiuslibet, sed Chrysostomi, hoc est, autoris & eloquentissimi & sanctissimi testimoniū, id se vitæ genus instituisse, quod non tantum non suppudendum, suppōnitēdumque, sed magnificandum, & vel summorum quorūque regum amplitudini, ac splendori antepōnendum sit: possintque iidem quasi ad trutinam quandam, eamque iustissimam digne felicitatem suam appendere, metiri, agnoscere. Te itaque, pontifex dignissime, non modo hortor, vt libellum ipsum per intermittenium istorum negotiorum interualla legendū in manus sumas, verum etiam ad eos

ad eos omnes, qui in illis tuis cœnobiis degunt, monasticam, quam dixi, vitam professi, multis exemplaribus mittendum cures. Sic enim intelligit te, vel in maximis istis occupationibus, quibus tu diebus ac noctibus pro republica distringeris, à Francisco rege inter eos perpauca adlectus, quos ille in sanctioris secretiorisque consilij sui albū adscriptos esse voluit: sic, inquam, intelligit illi, te pastorem suum, per id etiā tempus, quo præsentia tua, per publicas istas curas, frui non possunt, sui curam, ac studium adeo nō abieciisse, vt ipsos etiam summopere cupias, sic ad virtutis ac religionis Christianæ cultum compositos esse, vt ad eam tandem aspirare felicitatē possint, quam illis diuus Ioannes Chrysostomus, non in hac solum, sed in ea quoque, quæ nos post obitum manet, vita, promissam esse elegantissimo hoc libello pronunciat. Vale, & hoc tibi veluti animi erga te mei pignus, ac monumentum habe, donec maiori tecū munere agens, benignitatis tuæ erga me prolixitatem, si non aliqua, at aliqua tamen parte remunerer. Ex Bertocuriano nostro, Calend. Ianuarii, M.D.XXXIII.

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI LIBELLUS, in quo confertur cum, qui in verissima ac Christiana philosophia vitam degit monasticam, cum summo quoque mundi huius principe, Germano Brixio Altijsiodorensi interprete.



Go quum intuear ex hominibus complures quæ bona esse videntur, ea maiori & amore, & admiratione sectari, quā quæ natura ac verissime bona sunt: necessariū esse reor, breui oratione de vtriusque hic agere & cōponere inter se tum quæ vulgo neglectū sunt, tum quæ magno mortales studio sequuntur, vt vtrorunque differentia edocti, illa quidē vt seria, ac salutaria magni faciamus, hæc autem tanquam nihili æstimanda contemnere discamus. Igitur magnopere expetūt diuitiæ, principatus, imperium, gloria, ac beatos quidem vulgus eos ducit, qui gentium principes sunt, qui splendidi vehiculis ferūtur, qui præconū clamorem, ac satellitium magnum assequuntur. Contrā, philosophantium vita, & eorum qui solitaria vitæ institutū delegerunt, despicibilis est: atque illi quidem dum foras prodeunt, ad sese cōtuen-dos populum ipsum conuertunt: hi autem sicuti apparuerint, nullius oculos, aut certe perpaucorū ad sui spectaculum trahūt, & præterea horum nullus similis esse cōcupiscat: illorum contrā, nemo nō quanquam principatum querere, gentis alicuius imperio potiri, arduū sanè ac supra vulgariū hominum vires, ac quorum animis imperij amor incessit, iis magna pecunia opus. solitaria vero vitā eligere, dei cultui vitam suam mancipare, æquè omnibus procliuè ac facile. Adde quod principatus possessio vnā cum vita hac desinit, seu verius dicam, viuos etiā sui amatores destituit: vt taceam hic multos olim extitisse, quos magnum in periculum, vel certe magnam in ignominiam coniecit. At solitudo iustos hac in vita bonis multis quū repleuerit, à vitæ exitu hilares ac ludibundos ad dei & seruatoris tribunal ducit, quo potissimum tempore eorum qui imperio functi fuerint, bonam partem magnas peccatorum in vita admittorū poenas luere videas. Age itaque contententes inter se tū philosophiæ bona, tum ea quæ hac in vita principatus ac gloriæ bona esse videntur, vtrorunque bonorum discrepantiam perdiscamus: sic enim collata apertiora fient, quin potius, si placet, ip-

sum bonorum fastigium (regnum intelligo) cum philosophia comparātes, vtriusque possessionis fructus contemmur, diligenter edocti, quibus rex, quibus rursus philosophus imperet. Rex igitur vrbium, regionū, tum multarum gentium præfecturam gerit, prætores, prætores, exercitus, populos, senatus suo vnus nutu agens: at vero qui se ipse totū deo dedit, solitariamque vitam elegit, iræ, inuidiæ, auariciæ, voluptati, cæterisque animi morbis imperat, assidue speculans, ac meditans, quēnam in modum non cōmittat, vt suum animum obscœnis affectibus nō subiiciat, neu amare tyrannidi ratio inferuiat, sed supra res humanas omnes cogitationem semper erectā habeat, dei timorem animi morbis præficiens. Huiusmodi igitur imperiū rex, huiusmodi item principatum monachus adeptus est: vt iustus quidem hunc regem voces, quā eum, qui purpura indutus, ac corona ornatus splendescit, throno in aureo sessitans. Nam is demum verè rex est, qui iram, qui inuidiam, qui voluptatem cohibens, omnia sub dei lege agit, mentem liberam seruans, neque patiens voluptatum dominationem animo suo imperitare. Talē equidem regem libens viderem & populis, & terræ, & mari, & ciuitatibus, & exercitibus iura dātem. Quisquis enim animi affectibus rationē magistrā præfecerit, is paruo admodum nogocio & hominibus vnā cum diuinis legibus præfici possit, vt eundem patris loco subditi habeant, cum omni mansuetudine ciuitatibus cōsuetudinis suæ copiam facientem. Qui vero hominibus imperare quum videatur, iræ tamen, auariciæ, voluptatibus feruit: hic primum subditis suis ridiculus videri possit, hoc ipso, quod coronā quidem gestat gemmis auroque intertextam, tēperantiæ vero corona minime insignis est: & purpureo quidem paludamēto toto corpore fulget, animum autē inornatum habet. Deinde idem hic ne administrandi quidem imperij scientiam habiturus est. Qui enim sibi ipse imperare nescit, hic quo tandem modo alios legibus regere poterit? Quin si id belli genus, quod vterque sibi peculiariter gerendum sumpsit, spectare volueris, inuenies hunc cū dæmonibus depugnantem, eundemque & superantem, & vincentem, & à Christo coronam capientem: utpote qui ad pugnam accedat diuino sustentatus auxilio, cœlestibus armis cōmunitus, vt necesse quidem sit victoriā ab ipsius partibus stare, quum interim regē illum cum Barbaris bellantem cernas: quāto autem hominibus dæmones terribiliores sunt, tanto splendidiore est, qui hos superat, eo, qui illos vincit. Quod si vtriusque belli causam perdiscere cupis, magnam profecto inæqualitatem reperies. Alter enim pro pietate: ac dei cultu cum dæmonibus bellum gerit, vel vrbes, vel vicus ab errore afferere desiderans: alter vero cum Barbaris digladiatur, pro locis, finibus, opibusve raptis, illum auaricia, atque adeo iniuristi principatus ambitione ad pugnam prouocante: vbi certe plerique plerūque reges maiora quum appetuissent, iam parta amisere. Itaque tum principatus, tum ipsa bellorum genera arguunt, eousque inter se discrepare & regem, & eum qui vitæ suæ studium dei cultui ad-dixit, sed tamen eosdem illos exacte vtriusque pernoscas, si ad vtriusque vitam, quotidianaque gesta examinanda descendēris. Reuera enim hunc inuenias cum prophetis versantem, Pauli sapientia animū exornantem, assidue à Mōse ad Esaiam, ab Esaiā ad Ioannem, à Ioanne ad alium quempiam trāseuntem. At regē assidua certationum, proprætorum, & spicalatorum consuetudine abutentem. Porro autem natura comparatū esse vi-

demus, ut cum quibus assidue quis versatur, horum mores similes habeat. Itaque qui solitarius vivit, is animum suum ad apostolorum, & prophetarum mores conformat. At rex ad mores ducum, scutorum, satellitum, hominum vino servientium, voluptatibus indulgentium, bonam dei partem in potu contententium, denique nullius rei necessitatis, aut honeste scientiam, vino impediens, callentium. Hac ergo ratione monasticam vitam convenit ea beatiorum dicere, quae principatu, quae regno, quae sceptris constat. Quod si & noctis tempus examinare voluerimus, monachum quidem videbimus dei optimi cultu, ac precibus insignem multo ante gallinaceos tempore canentem, angelis conuictoribus utentem, cum deo colloquentem, caelestibus bonis fruente. Eum vero qui multis gentibus, multis populis, atque exercitibus praestit, quiq; terra ac mari late imperat, in lecto distentum ac stertentem. Ille quidem cibus iis alitur, qui altum ab eo somnum minime exigant: hunc autem deliciae consopiant & potus, eundem in lectulo in ipsum usque diem detinentes. Iam monacho & vestis & mensa moderata, & conuictores eiusdem virtutis amuli. At regem necesse est, & lapillis, & auro, superbum esse, mensamq; extruere splendidam, tum conuictoribus uti, si quidem imprudens ille fuerit, sua stoliditate dignis: sin autem mentem habeat, temperansq; sit, probis fortasse & iustis, sed tamen virtute iis, quos ante dixi, longe inferioribus ita rex ut philosophiae deditus sit, tamen ne tantillum quidem ad monachi virtutem propius accedere queat. Etenim in itineribus faciendis, subditis grauis est, praeterea & urbem habitans, & pace fruens, & bello operam dans, tum tributa exigens, tum exercitus conficiens, tum captiuos agens, & dum victor, & dum victus est, subditos propriis malis replet: victor quidem intolerabilis est, victoria sese venditans, ac sibi placens, tum militibus praebens licentiam rapiendi, depradandi, viatores iniuria afficiendi, vrbes obidione cingendi, pauperum domos depopulandi, ab iis, a quibus excepti fuerint, ea quotidie exigendi, quae nulla lex permittit, idq; per causam praesca alicuius consuetudinis iniquae & iniustae. Quum interim illum nescio quem per huiusmodi mala rex minime laedit, sed de paupertate tantum male meretur: perinde quasi verè ille diuites vereatur. At vero non sic monachus, qui simul ut conspectus fuerit, statim tam diuitibus quam pauperibus donum aliquod afferens, vtriusque aequè munificum se praestat, vno tantum amictu ad vitam suam institutum conformi utens, tum aquam libentius bibens, quam vinum, quamuis admirabile: pro se quidem nullam neque paruum, neque magnam a diuitibus gratiam postulans: pro indigentibus autem tum multas, tum continuas, easq; vtriusque conducentes, hoc est, tam iis qui largiuntur, quam iis, qui accepturi sunt. Sic fit, ut communem ille agat medicum diuitum iuxta & inopum, illos peccatis liberans per bonam admonitionem, hos ab indigentia eximēs. At rex tributa dum minus graua esse iubet, diuitibus magis, quam pauperibus visum est. Idem dum contra facit, paucarum facultatum dominos laedit: nam diuiti tenuem admodum iacturam attulerit, tributorum acerbitas: at eadem pauperum domos tanquam torrens distrahit, fletu complens vicos: quum interim neque senectus iis miserabilis est, qui tributa exigunt, neque mulierum viduitas, neque liberorum orbitas, quinimò proteruendi sine nullum illi faciunt, communes quidam regionis hostes, quae telus nequaquam tulit, ea ab agricolis exigentes. Age vero & illud insuper examinemus, quam in parte monachus, qua

contra in parte rex subditis beneficis sit. Igitur hic quidem aurum largitur, ille vero spiritus gratiam: praeterea idem hic dum bonus est, paupertatem soluit: ille autem animas daemonum tyrannide oppressas precibus liberat. ac si quis fortè huiusmodi calamitate affligeretur, is regem tanquam statuam praeterit, ad monachorum vero habitaculum confugit, quasi qui conspecti lupi timore ad venatorem gladium manu gestantem fuga contendit: etenim quod venatori gladius, id preces sunt monacho: neque sanè sic lupos gladius, ut daemones iustorum preces terrent. Itaque non nos modo ad sanctos monachos, dum rei usus postulat, confugimus, sed vel reges ipsi ad eosdem in temporibus formidandis, haud aliter quam famis tempore mendicantes ad diuitum domos confugiunt. Nonne Achaab Iudaeorum rex per famem, & annonae caritatem, in Eliae precibus spem posuit suam? Nonne Ochozias illud idè imperium, illum eundem principatum obtinens, aeger, ac iam iam moriturus, instatè sibi mortem quum videret, ad eundem prophetam confugit, tanquam morte potentiorum, ac vitam largitorem? At qui bello erumpente, Palaestinaq; in tantum adducta periculum, ut funditus excidenda esset, Iudaeorum reges misso exercitu, missis peditibus, sagittariis, equitibus, ducibus, ceterionibus, ad Elisei preces se receperunt: existimabat enim dei seruum sibi multarum myriadam instar fore. Itidè & Ezechias rex bello Persico conflato, iamq; ciuibus ipsis pro aris ac focus in maximum pertractis periculum, usq; qui pro manibus starent iam tremantibus, metuentibus, ac perinde commotis ut commoueri homines solent, quoties vel tonitruum, vel terramotum omnia quatientè expectant, Eliae preces multis Persarum milibus opposuit, neque sua illum spes sefellit. Nam simul ut propheta manus in caelum sustulit, statim deus sagittis è caelo missis Persicum bellum confecit: reges erudiens, eo se loco ipsius ministros habere debere, ut eos communes esse terrae seruatorum existiment, ut hac quidem ratione edoceantur per iustorum exhortationes, ad omne bonum atque humanum opus inuitati, tum consilia reuereri, tum bonis admonitionibus locum relinquere. Proinde non ex iis solum, quae dixi, vtriusque discrimen cognoscere licet, sed si vsu venerit & hunc & illum deturbari: hoc est, hunc quidem à virtute destitui, illum autè regno priuari, nimirum hic paruo admodum negotio ad se redit: ac statim per preces, per lachrymas, per merorem, per pauperum curam, peccatis absteris, de integro facile ad pristinum principatum recurrit. At rex folio deiectus quum fuerit, tum demum multis sanè sociis indiget, multis item armatis militibus, equis, pecuniis, periculis: denique salutis suae spe in aliis sitam habet. Monachus vero salutem celeriter voluntati suae, studio, ac sententiae mutationi comitem habiturus est. Regnum enim caelorum, inquit ille, in nobis. Iam mors regi terribilis est, eadem philosopho minime molesta. Eum enim qui diuitias, voluptatem, delicias (quorum gratia vitam agitare multi concupiscunt) despicit, necesse est migrationem ab hoc orbe haud aegre ferre. Quod si & hunc & illum iugulari contigerit, hic quidem pro pietate pericula sibi accerset, immortalem & caelestem vitam morte sua comparans. At rex tyrannum aliquem, & cum qui imperium affectat, iugulatorem suum habiturus est, miserabile, idemque horrendum post caedem spectaculum. Adde his quod monachus bonorum suorum affectatores habiturus est amulatores ac discipulos, bona ex parte compracantes, ut ipsis similes euadant. At rex multos frustra in precibus

precibus sermones insumpserit, deum rogans, ut nemo existat, qui regnum affectet. Praeterea illum interficere nullus audeat, nisi si quis existimaturus est impium se in deum futurum, si eum sustulerit. Huic vero multi iugulatores ingruunt, tyrannidis affectatores. Quamobrem alter milites adhibet corporis sui custodes, alter vrbes precibus suis tanquam muro communit, neminem timens, quum rex perpetuo in timore, continua in caedis expectatione viuat: secum enim circumfert auariciam periculosam, pro qua monachus tutam praese fert salutem. Proinde de rebus, quae nos in praesenti vita circumsunt, abunde mihi dixisse videor. Quod si & certamen futurum examinare velimus, monachum quidem videbimus splendidum, ac conspicuum rari inter nubes, ad occursum Christi in aera exemplo ducis, & institutoris huius vitae salutaris, omniumq; virtutum. At rex, si quidem iuste & humanè imperium rexisse visus fuerit suum (hoc autem admodum rarum est) minore salutem, minorem honorem sortietur: non enim idem, non, inquam, idem fuerit, bonus rex, & monachus summam in dei cultu curam ponens. sin autem malum & importunum vixisse eum constiterit, ac multis malis orbem repleuisse: quis tandem enarrare possit calamitates eas, quas sustinere eum videbis, igni exustum, flagellatum, cruciatum, denique ea patienter, quae neque verbo exprimi, neque re ipsa tolerari possunt. Haec omnia reputates, atque edifices, oportet non diuites admirari: etenim constat horum dominium ne tantillum quidem ad monachi virtutem propius accedere. Ergo vbi conspexeris diuitem veste ornatum, auro superbum, curru vectum, incessus magnificos incedentem, ne hominem beatum dixeris. Temporaria enim diuitia & quicquid bonum esse videtur, vna cum vita hac corrumpitur. At monachum vbi videris singularem, humilem, mansuetum, quietum, pacificum, hominem amulare, fac videare imitator philosophiae ipsius, fac preceris esse iusti similis. Petite enim, inquit, & dabitur vobis. Haec enim verè sunt bona, salutaria, iusta, propter Christi benignitatem ac prudentiam: cui gloria & imperium per secula seculorum, Amen.

DOMINO AMANTISSIMO, AC MERITO VENERABILI PATRI MATTHAEO, FRATER AMBROSIVS S.

REGISTI à me iure tuo senex optime, atque suauissime, ut exercitij causa aliquid sacrarum literarum ex Graeco conuerterem. Aiebas enim fore optimi auspicii, si huiusmodi monumentis primitias studiorum meorum consecrare, facturumq; rem conuenientissimam voto, & instituto meo, si non minus studij, operae & diligentiae in transferendis nostris philosophiae magistris ostenderem, quam fecissent atate nostra, hodieq; facerent nonnulli clarissimi, atque doctissimi viri familiares nostri in conuertendis externae sapientiae autoribus: Ego itaque etsi viris illis ingenio, doctrina, studio longe inferior sim, nullaq; his ratione conferendus: nihil tamen mihi minus integrum existimaui, quam votis tuis, tuaq; adeo rationabili deesse postulationi: negotiumq; istud transferendi, fretus iussione atque autoritate tua, vtinam tam fauste & feliciter, quam promptè & obtèperanter aggressus sum. Sed cum aliquid transferre cuperem, quod proposito nostro, & vitae instituto maxime conduceret, opus egre-

gium offendi beatissimi Ioannis Constantinopolitani episcopi, cui Chrysostomi cognome oratio aurata dedit, tres in libros distinctum. Quo in opere summus ille vir philosophiam nostram contra vituperatores & derogatores omnes, ita magnifice, tantaq; vel orationis dignitate, vel argumentorum vi, vel sententiarum vbertate tuetur, ut omnibus posthac maledicis ora perpetuo silentio obstruxisse videatur. Id igitur eo libentius conuertere institui, quo nostris summe spei adolescentibus, atque omnibus vbiq; monachis summo & solatio, & vsui fore arbitratus sum: cum illi causam suam animaduertent à praestantissimo viro ante mille annos, tanta vel cura susceptam, vel elegantiam, & vbertate defensam. Praeterea plurimorum qui vitae praesentis commodis & voluptatibus addicti, monasticam vitam instituta carpere non desinunt, hoc studio, & labore nostro, vel reprimendam audaciam, vel instruendam ignorantiam putauimus. Est enim incredibile quantum negotij, quid molestiarum ab eiusmodi hominibus perpeti cogamur: quantumq; illi nobis obstreant, si quando illorum liberos, aut propinquos, aut alia aliqua ex parte necessarios, Christi se milites profiteri, atque in eius sacramenta iurare cupientes, in nostrum caetum admiserimus. Quod itè ferè monasteriis omnibus, & religionis congregationibus contingit. Quorum in manus libri isti si inciderint, non nihil de irrationabili furore, & inconsultissima indignatione remittent, & nisi fuerint penitus excordes, manus etiam fortassis dabunt, cum viderint se tot, & tam variis doctissimi viri rationibus conclusos & circumscriptos. Tu itaque mi senior optime & iucundissime, hos libros ita leges, ut ab ingenio parum exercitato traductos memineris. In quibus si quid incocinnius dictum offenderis, offendes autem plurima, imperitiae interpretis imputes velim. Neque enim tantum mihi arrogo, ut putem me eloquentissimum virum pari orationis luce transferre potuisse: imò vero non ambigo, quin illum sese longe inferiorem, in lingua nostra videri fecerim, cum in sua, hoc est in Graeca incredibili facilitate & vbertate fluat. Quibus ego in rebus illum, si ut erat optimi officium interpretis imitari non potui, tibi in primis pater optime imputare debbis, qui immemor virum nostrarum, easq; amore potius quam ratione metiens, rem doctissimorum hominum ab imperio requisisti. Ego enim cum tuam istam iussionem mihi minime spernendam, seu detrectandam arbitrarer, malui in me eloquentiam desiderari, quam fidem. Esset enim profecto parum grati, & minime officiosi animi, huiusmodi abs te iniunctum munus recusare, cum Graecas ipsas, Latinasq; literas, tuo potissimum beneficio & auxilio sim consecutus. Cordi vero est, si hoc exercitationis genus gratum tibi esse cognouero, siq; tua fuero autoritate confirmatus, gratiusq; ocio nostro consulueris: nonnulla etiam eiusdem viri monumenta, sunt autem ferè innumerabilia, simili studio, ac labore conuertere, tuoq; dicare non mihi, ut hoc vel minimo officio incredibili in me amori tuo satisfaciam: ita tamen, ut pro isto qualicumque labore meo, amplissimum semper orationum tuarum munus abs te reposci intelligas.

L iij DIVI

Tomus quintus.

ADIVI IOANNIS
CHRYSOSTOMI ARCHIE-
piscopi Constantinopolitani aduersus vitu-
ratores vite monasticae liber primus, Am-
brosio Camaldulense interprete.



CVM templum illud peruetustū & percelebre, quod Hierosoly-
 mis fuerat, multis annis euer-
 sum atque solo adactatum, lō-
 gissima captiuitate redeuntē er-
 rigere, atque instaurare Hebraei
 cuperēt: tum vero feri quidam,
 ac Barbari, immanesq; homi-
 nes, quos neque tantæ virorum cladis misericordia vl-
 la subierat, ex qua sero se tandē, vixq; receperant, neque
 diuinæ animaduersionis metus admonuerat, quæ solet
 eiusmodi audaces ac facinorosos euestigio subsequi:
 primum quidem per seipfos nitebantur, cœptæ eos edi-
 ficationis studiis arcere. Cum vero nihil proficerēt da-
 tis ad regem suum literis, in quibus ciuitatem illam de-
 fectionis, nouarumq; rerū studiosam, ac bellicis rebus
 assuetam appellabant, persuaserunt tandem, vt sibi e-
 iusce impediendi ædificij facultas omnīs permitteretur.
 Hac igitur accepta potestate, cum ingenti equitum
 manu viros adorsū interruperunt opus interim. Et elati,
 inquit, ea victoria gloriabantur: qui si quid sibi cor-
 dis fuisset, ingemiscere ac lugere debuerāt, nihilq; post-
 hac eiusmodi moliri: verū id erat profecto exordium
 quoddam, atque principiū eorum quæ se protinus ap-
 prehensura erant malorum. Opus enim illud proficie-
 bat indies, egregioq; successu, & præclaro sine claud-
 batur. Tum interim illi didicerūt, ac per illos vniuersi,
 quod non homines profecto oppugnare perrexerant,
 neque Mithridates modo tunc, aut alius quispiam, sed
 quisquis omnino eis hominibus aduersus infestusq; esse
 maluerit, qui boni aliquid agere instituunt, ipsum po-
 tissimum qui per illos honoratur, deū oppugnare con-
 tendunt. Is autem qui aduersus deum bellare instituit,
 clementiori sine desinare nūquam penitus valebit: aut
 is qui eiusmodi est, initio quidem facinoris, nihil for-
 tasse patietur mali, deo illum ad pœnitentiam vocan-
 te, atque admonente, veluti ex quadam ebrietate resip-
 piscere. Sin vero in hac amentia suæ temeritate perstiterit,
 nihilq; ex tanta clementia diuinæ patientiæ fuerit
 lucratus, certe vel aliis summa conferet emolumenta,
 pœna sua erudiens, atque admonens, nunquam prorsus
 vlla ex ratione aduersus deū pugnare instituere, quod
 impossibile sit, excelsam illam inuictamq; effugere man-
 nū: denique eiusmodi statim illos apprehēfos inuoluerunt
 clades, quæ magnitudine sua tragœdias omnes
 vincerent. Post enim ingentē illam stragem, atque in-
 numeras cædes, quas in illos eorum, qui tunc prohibe-
 bātur exercere manus, madefcebat altissime cæforum
 sanguine infecta humus, lutiq; plurimum ex eo cruore
 gignebatur. Corporibus autem equorum, atque homi-
 num simul mixtis, eorumq; vulneribus inuicem se tan-
 gentibus, atque comprimētib; tanta vermium, tamq;
 incredibilis multitudo gignebatur, vt cum terra mul-
 titudine cadauerum operiretur, hæc eadem rursus ver-
 mibus absconderentur. Diceret profecto qui tunc lo-
 cum illum vidisset, non inferius subiecta mortuorum
 corpora, verum fontes esse quāmpures, plurimis ex lo-

cis emanantes genus illud animantium: adeo omni in-
 undatione vehementius ex putredine illa exundabat
 ingens vermium vis. Atque id non per dies decem, aut
 viginti factum est, sed per plurimum tēporis. Et ea qui-
 dem quæ hic perpessi sunt, eiusmodi fuere: quæ vero il-
 los in futurum manent, longe his acerbiora sunt & di-
 riora. Neque enim mille annis, aut decem milibus, non
 bis terq; totidem, sed infinitis seculis, animata tūc cor-
 pora tormenta illa cruciatuq; sempiternos sustinebūt.
 Quæ quidem vtraque, tum Esaias beatissimus, tum ad-
 mirabilem visionum speculator Ezechiel nouit. Qui
 eiusmodi hominum inter se distribuentes cruciatum,
 alter quidem præsentis temporis, alter vero futuri sup-
 plicia profecuti sunt. Atque ego horum non frustra,
 nec sine certa ratione modo mentionē feci. Nam pro-
 fectus ad me quidam mihi admodum familiaris, nun-
 cium attulit plenum amaritudinis, anxietatis, mœroris,
 atque ingentis aduersus deum contumeliæ. Quosdam
 enim esse homines, qui hodieq; fere eadem, ac prorsus
 simillima barbaris illis facinora auderent, quin multo
 quoque immaniora. Eos enim qui ad philosophiā hor-
 tari pergunt, vndique exagitare, expellere, extermina-
 re, eisq; sub ingētibus minis interdiceret, ne quid omni-
 no tale vnquam aut loqui, aut docere aliquem præsum-
 mant. Hæc ego cum audissem, vehementer commotus
 exclamaui protinus, eumq; qui ista profectus fuerat, so-
 licite, ac iugi interrogatione compellebam, ludōne, vt
 scire sit, an serio ista loqueretur: Minime vero, inquit il-
 le. Nunquam enim ioco ista cōfingere, aut loquerer,
 quæ plurimi redemissem, votisq; omnibus exoptauis-
 sem, ne nunc quidem quando facta sunt, vel sola aure
 percipere. Tum vero summo dolore affectus, atque a-
 crius ingemiscens: ista, inquam, profecto tanto scelera-
 tiora eis sunt, quæ Mithridates illiq; omnes peccauerunt,
 quanto templum hoc nostrum illo est purius, honestius,
 sanctius. Sed quānam isti, quæso te, aut vnde
 sunt, qui talia præsumunt? Vt quid, quæue ex causa, vel
 ad quem finem respicientes, lapides in sublime iaciunt,
 telaq; in cælum iaculantur, atque aduersus deum pacis
 pugnare contendunt: Sameas enim, & Pharatei, Assy-
 riorum principes, omnesq; reliqui & barbari erant,
 quod ex ipsis nominibus manifestum est, & longe aliis
 quàm Iudæi moribus degebant: nolebantq; vicinos,
 adiunctosq; sibi homines multiplicari, quum illorum
 vires fore vt suam potentiam obscuraret atque deiicerent,
 arbitrarentur. At vero isti quānam sibi adempta
 seu imminuta libertate, quānam sublata quiete ac tran-
 quillitate, quibusve principibus nixi tale facinus ad-
 mittere ausi sunt: Illi enim Persarū reges habuere, quo-
 rum autoritate atque consilio ista gerebant: at vero
 nostri contraria his penitus, vt mihi quidem ipse per-
 suadeo, & cupiunt, & optant. Itaque vehemens me te-
 net hæsitatio, quod regibus sub pietate degentibus, hæc
 tu tam nefaria scelera mediis in ciuitatibus fieri asse-
 ris. Quid vero, inquit ille, si his quoque mirabilia di-
 diceris: Ipsi enim illi qui ista peragunt, & pios se videri
 volunt, & Christianos appellari. Plurimi autem ex his
 iam etiam initiati sunt. Audiui ego ex his quendam
 diabolico spiritu vehementer instinctum, qui lingua
 sua iniquissima atque nefaria se à fide recessurum, &
 idolis immolaturum dicere auderet: dirumpi enim se,
 ac penè suffocari iracundia, intuentem homines, libe-
 ros, nobiles, copiis omnibus locupletes, vitamq; deli-
 ciosis plenam degere valentes, ad hanc seueritatem vitæ,
 duriciamq; propositi abduci, atque nolentes pertrahi.

Tum

Tum ego his auditis, acerbiori atque diriori vulnere
 percussus sum, & ex hoc vno, mala iam omnia cōiici-
 ens, orbem simul flebam vniuersum, atq; ad deū ipsum
 conuersus dicebam: Tolle animam meam à me, & de
 necessitatib; erue me, & ex hac vita morti obnoxia li-
 bera me: atque ad illū locum transfer, vbi nec alius ali-
 quis quicquā eiusmodi loquetur, neque ipse loquētem
 audiam. Noui equidem, quod hinc excedentem exte-
 riores excipient tenebre, vbi fletus ingēs erit, ac stridor
 dentium. Verum mihi longe iucundius & gratius est,
 dentes audire stridentes, quàm ista verba resonātes. Vi-
 dens autē me ille vehementissime lugentem, ac animi
 furore confectū, non inquit, hæc modo tempus poscit:
 neq; enim his lachrymis eos qui iam perierunt, & quo-
 tidie pereunt recuperare vnquā poteris: nec enim reor
 perniciem istam finem habituram. Magis vero quod
 nostræ partis munus est, prouideamus diligenter, qua-
 tenus rogam istum extingamus, finemq; pesti tam im-
 mani statuamus. Quod si mihi morē gerere volueris,
 his fletibus omisissis, literis tuis eos omnes admonebis,
 qui eiusmodi sunt, quiq; contra suam cunctōrūq; simul
 hominum salutem seditionis turbines excitāt. At ego
 hoc assumpto libro medicaminis cuiusdam vice eius-
 modi hominibus legendum tradam. Sunt enim mihi
 ex his plerique coniuncti amicicij, qui patienter, & se-
 mel, & bis, & sapius perlegent: atque celeriter, vt certus
 sum, hac liberabuntur peste. Tu quidem, inquam, cha-
 ritate tua vires etiam metiris nostras, mihi vero nulla
 ferē vis dicendi inest: & ea quæ inesse videtur, in hac
 præsertim materia vti vehementer piget. Vereor enim
 cum cæteros, tum maxime gentiles omnes, quiq; mo-
 do sunt, & qui posthac futuri sunt: quorum ego nō se-
 gnus vitæ, morumq; negligentia, quàm doctrinæ per-
 ueritatem semper arguere & carpere solitus, timeo ne
 ipsi nostra per me modo doceantur mala. Nam si qui
 ex illis fortē persenserint, esse apud Christianos quoq;
 genus hominum adeo virtuti ac philosophiæ inimicu-
 m, vt non modo eius gratia laborare negligant, ve-
 rum ne vllum quidem verbum de his fieri sinant: nec
 isto saltem insanix furore contenti, si quis hæc consu-
 lere vel loqui perrexerit, hunc exagitent, hunc vndiq;
 exturbent. Hæc, inquam, illi si compererint: vereor ne
 tandem ne homines quidē nos esse existimēt, sed feras,
 beluas, ac portenta horrenda, humanæ formæ liniāmē-
 tis adumbrata, flamonesq; noxios, atq; naturæ cōmu-
 nis inimicos: nec de his modo qui rei sunt, verum de
 vniuersa gente nostra hanc profecto sententiam fe-
 rent. At ille ridens, ludis ipse planē, inquit, ista dicens.
 Ego enim opportunē te ista cura leuabo: quid enim ve-
 reris, ne ex verbis tuis id addiscant, quod dudum ex o-
 peribus ipsis vniuersi didicerunt? Nam velut nequissi-
 mus aliquis spiritus omnium simul animos occuparit
 atq; expleuerit, per cunctōrum ora hæc fabulæ sermo-
 nesq; vertuntur. Si enim vel in forum te contuleris, as-
 picias tum in tabernis medicorū, tum in qualibet vr-
 bis parte, vbi sedem habere solent hi, qui nihil operari
 volunt, ingentem risum ab omnibus moueri: risus autē
 huius & comœdiæ materia omnis est eorum quæ ad-
 uersus sanctos viros gesta sunt, iucunda ac festiua nar-
 ratio. Vt enim generosi quidam, atque insignes bella-
 tores, qui multas pugnas confecerint, hostēsque sapius
 fuderint, gesta sua fortia narrare gaudent: ita & isti in
 suis facinoribus gestunt, hisq; ornari se putant. Deniq;
 audies hūc dicentem: Primus ego manus in illum mo-
 nachum inieci, eumq; verberibus affeci. Alius vero re-

A fert: at ego ante alios illius cellulam inueni. Econtra a-
 lius: ego vero omnibus magis iudicem aduersus illum
 concitavi. Alius carcerem, carcerisq; supplicia profe-
 quitur, quodq; per forum sanctos dei traxerit, laudis in
 parte constituit, alius item aliud: deinde simul omnes
 cachinno sublato super his gaudent, exultant, trium-
 phant. Atque hæc quidem in confessibus Christiano-
 rum fiunt. Gentiles vero & hos irrident, & qui ab his
 irridentur: hos quidem quod inique egerint, illos au-
 tem quod male affecti sunt, cunctaq; prorsus quasi in-
 festino quodam bello cōpleta sunt: quin multo quoq;
 istud atrocius bellum, quàm illud est. Nam qui bellum
 illud bellauerint, quoties eius postmodum illis in men-
 tem venerit, eos qui id mouerunt, authoresq; fuerunt
 ciuili discordiæ, maledictis omnibus insectantur, ma-
 laq; illis imprecantur omnia, dæmoni cuidam iniquis-
 simo cuncta, quæ in illo gesta fuerint, accepta referūt.
 Et ibi quidem tanto ampliore quisq; suffunditur pudo-
 re, quanto maius, quàm cæteri facinus aliquod admi-
 serit. Isti autē suo scelere atque audacia se ornatos exi-
 stimāt. Neque idcirco tantū hoc bellū illo sceleratius,
 atq; funestius est, quod aduersus sanctos & innocentes
 viros, & qui neminem penitus iniuria lacessierint, fit:
 verum quod aduersus eos fit, qui nulli nocere, aut ma-
 le facere nouerūt, pati vero tantummodo parati sunt.
 Tum ego, cohibe, inquam, te quæso cohibe, satis iam
 eiusmodi narrationum, quibus nisi me enecare mauis,
 saltem modicū hoc virium quod superest mihi relin-
 quens, missum me facito. Equidem libenter mandatis
 tuis obsequar: tu tantum nihil nobis amplius eiusmodi
 enarres, sed abiens precare, vt disiecta atque dissipata
 mœroris nebula momenti aliquid, atque adminiculi
 accipiam ab illo qui oppugnatur deo, in eorum qui se
 oppugnant medicinā atque sanitatem. Dabit autē id
 penitus, quippe clementissimus cum sit, malitq; conuer-
 ti peccatores, ac viuere, quàm emori. Sic itaque illo à
 me dimisso, scribendi negotium hoc protinus arripui.
 Nempe enim si hoc tantum malū esset, atque in eo to-
 tius rei cardo versaretur, quod sancti illi, atque admi-
 rabiles viri traherentur, affigerentur, excruciantur,
 necaretur, abducti ad iudicia, atque cæli, ceteraq; id ge-
 nus perpessi, quæ modo enarraui: nullumq; ex his detri-
 mentum in eorū conuerteretur caput, qui eiusmodi fa-
 cinorosi sunt, in tantū abesset, vt in his dolore aliquo,
 aut mœrore commoueret, vt etiam iucundissimæ atque
 vbertim riderem. Nam & infantes pueri quoties qui-
 dem sine suo periculo ferunt matres, risum illis vel co-
 piofissimum mouent: quantoq; vehemētiore cum ira-
 cundia percusserint, tanto maiore illas voluptate affi-
 ciunt, ita vt effundantur sæpius, atque incuruentur, &
 penè dirumpantur risu: sin vero dum id iugiter infans,
 ac validius facit, vulneretur aliquando siue acu circa
 zonā tunicæ matris affixa, siue radio maternis pecto-
 ribus appenso, ferientis manum excipiente: tunc vero
 tunc omisso risu mater, maiore, quàm is qui vulneratus
 fuerat, atque acriore dolore constringitur, & interim
 quidem curat, fouet atque alligat vulnus: ex hinc vero
 maximis minis, ne quid iā tale agat, interdicit, ne rur-
 sus patiatur eadem. Itaque & nos id ipsum fecissemus, si
 puerorum hanc esse iracundiā conspiceremus, aut esse
 hanc infantium plagam, nec summam illis perniciem
 inferentē: Quoniam vero post modicum, & si ipsi mo-
 do non sentiant, furore scilicet atq; amentia præcipi-
 tes, ingemiscunt, flebunt & lamentabuntur: nec eius mo-
 di fletum flebunt, cuius infantes pueri, sed eum qui in
 exteriori

exterioribus tenebris, igniq; inextinguibili agitur: pa-
ria item matribus faciamus, hoc tantum ab eis differē-
tes, quod nos non cum interminatione aut iniuria, vel
contumelia, vt illa faciunt, verum blandissime, sum-
maq; cum lenitate ac mansuetudine pueros istos allo-
quemur. Nempe quod sancti illi viri nihil ex huiusmo-
di laedantur, nihilque omnino detrimenti patiantur,
quinimo & merces illis copiosior, & fiducia maior au-
geatur. Si quidem futura bona adduxerimus in mediū,
atque ex his trahere argumēta voluerimus, affatim for-
tasse ridebitis: quippe qui eiusmodi risum semper ex
instituto vestro ridere soleatis: his tamen, quae ante o-
culos sunt, quae tenentur, profecto creditis, etiam si mil-
lies ridiculosi esse perstiteritis: neq; enim his fidem nō
habere poteritis, ne si volueritis quidem, rebus ipsis ita
esse clamantibus. Neronē prorsus ex fama nouistis: vir
enim impudicia, sceleribusq; omnibus insignis fuit,
primusq; ac solus in tāto imperij culmine, nouos quos-
dam lasciuia, flagitij, atque turpitudinis modos exco-
gitauit, exquisiuit, inuenit. Hic itaque Paulo beatissimo
(vno enim eodēque tempore vitam istam agebant)
eiusmodi ac prorsus simillima crimina obiiciens his,
quae vos modo sanctis viris obiicitis. Pellicem enim ei-
us, quam ille deperibat, atque in deliciis habebat, cum
induxisset fidei ac religionis sacramēta suscipere, per-
suaserat vna incestū illum impurumq; congressum de-
clinare: hanc, inquam, ille crimina obiectans, corrupto-
remq; nequam, flagitiosum atque nebulonē, & his simi-
lia, quae vos modo perstreptis. Paulum vocitans, pri-
mum quidē cōniecit in vincula: cū vero vt puellē eius-
modi monita atq; consilia dare desineret, illi persua-
dere non posset, necauit tandē. Quid igitur ex hoc vel
detrimenti ei contigit, qui passus est mortem, vel emo-
lumentum ei qui intulit mortem? Imō vero quid nō emo-
lumentum fuit, tunc necato Paulo? quid non detrimenti
necanti Neroni? Nōne vt praesentia tantum interim
loquar, alter ex his vbiq; per orbē terrarū canitur, atq;
laudatur: alter vero tanquā reuera corruptoris, per-
ditissimiq; ganeonis, demonisq; cuiusdam ferocissimi
nomen carpitur, probrisq; omnibus apud omnes affi-
citur: ea vero quae in futurum contingent, etsi vos mi-
nime credatis, propter eos tamen, qui credunt, necesse
est me dicere: quanquam ex his quae coram sunt, quae vi-
dentur, illis etiam credere debueratis. Verum vos quo-
quo animo ista acceperitis, dicetur a nobis, nec occul-
tabuntur. Quanam ergo illa erunt? Infelix quidem ille
& miserrimus, squalore ac sordibus oblitus, confusio-
nisq; caligine repletus, mōrēs, tristis, demissus, anxius,
eo abducet, vbi vermis immortalis est, ignisq; inextin-
guibilis. Paulus vero beatissimus ingenti cum gloria,
atq; confidentia, ad ipsum adstabit imperatoris soliu,
clarissimo fulgore radians, tantaq; amictus, ac tam in-
signi hilaritate, vt angelis ipsis atque archangelis in nul-
lo inferior sit, tantamq; recipiet mercedem, quantam
recipere par est hominē, qui pro deo, deiq; legibus, ac
scitis, seipsum atque animā suā deuouerit, exposuerit,
dedit. Ita enim se res habet, parata quidem est his, qui
se in recte factis exercent, ingens praemiorum retribu-
tio: maior tamen ea fit atque auctior, quoties qui bona
ista operantur, etiam pericula subierint, neque fuerint
vlla ignominia, vllq; dedecore, quod minus id quod
recte instituerant, profectuatur impediti. Nam & si re-
cte quodlibet factum nihilo deterius sit in eo qui sine
labore id perfecit, honores tamen & coronae pares
profecto non erunt. Nam & in bello coronatur quidē

A qui signa contulerit, hostemq; fuderit: longe tamē illo
gloriosius, qui & vulnera pra se fert, per quae fusi hostes,
victoriaeque parta est. Quid autem hoc de viuētib;
dico, quandoquidem & hi qui hoc tantum dederint
virtutibus indicium, vt in bello praclare occumbe-
rent, nihilque commodi, vel emolumentum ciuib;
suis, aut patriae morte sua pepererūt, tanquā rectores & con-
seruatores ciuitatū pradicantur vbiq; per omnē Grā-
ciā: Quanquā vos ista quoq; ignoratis, risui & deliciis
dediti semper, & voluptatibus addicti: sin autē gētiles
homines, nihilque ferē sanum sentientes, istud conspi-
cari potuerūt, summisq; honoribus eos profecuti sunt,
qui pro se, pro patria, pro liberis suis mortē obierūt, ni-
hilq; praestiterūt amplius, praeter indicia benevolentiae,
egregiaeq; in patriam suam voluntatis: quanto magis
Christus hoc faciet, eosq; vbiq; qui propter se periclitā-
tur largissimis effusissimisq; munerū praemiis augebit.
Non enim ille persecutionum tantum, aut verberum,
carcerisve, vel necis, aut caedis mercedem statuit: verū
nudae quoque contumeliae, verbisq; iniuriōsis praemia
perfoluit ingentia. Beati enim, inquit, eritis cum vos
oderint homines, & cū separauerint vos, & exprobra-
uerint, & eiecerint nomen vestrum, tanquā malū prop-
ter filium hominis: gaudete in illa die & exultate: ecce
enim merces vestra copiosa est in caelis. Si igitur & pa-
ti & audire, male patientibus atq; audientibus praemio-
rum incrementa cumulosq; largitur: quid obstat quo
minus talia fiat, nō istis sanē, sed eis qui male & faciūt,
& dicunt, prospicit: his enim ferē etiam nocet, merce-
dis illis partem maximam abscindens, causamq; ac ma-
teriam gaudiorum, clarissimarūq; coronarum aufe-
rens. Quocirca hanc etiam ommittere satius fortasse fue-
rat, ne quid instituti caelestis aemulis detrimenti affer-
remus, ex quibus profecto incredibile est quantas, &
quam ingentes bonorum copias, quantumq; confiden-
tia consequantur. Verum, quia sumus inuicem mēbra,
& si isti etiam oblatam gratiam suscipere abnuant, mi-
nime cōuenit ita affectis, vt nos sumus, vnus membris
curam habere, alterum negligere. Nanque sanctis illis,
& si modo minus affligantur, alia prohibitatis occasio
suppetat, qua & eorum virtus eluceat, & aeternis pra-
miis afficiatur: istis vero nisi ab hac pugna destiterint,
nulla iam salutis spes relinquitur. Itaque nostris illis o-
missis, ad vos redeo, oroq; & obsecro precibus nostris
obtemperetis, nec vltra cōtra vosmetipsos, atque in ve-
stram perniciem ferrum impellatis, neu calcitretis ad-
uersus stimulos, ne dum putatis mōre homines affi-
cere, spiritum sanctum contristetis. Scio equidē, & pla-
nē persuasum habeo, quia sententiā hanc nostram, atq;
consilium, & si non modo, certē paulo post probabit
atq; laudabit. Ceterum istud nunc malo vos facere,
ne postmodum id frustra faciatis. Nam diues ille qui
quidem cum hanc vitam degeret, prophetas & leges, le-
gisq; monita fabulas esse, & deliramenta quaedā existi-
mabat: cum vero vita excessisset, adeo in admiratione,
atq; honore ea habuit, quae antea velut inania & frivola
irriserat, vt cum planē intelligeret, nihil se commo-
di ex eius laudibus consequi posse, patriarchā orauerit,
vt aliquem ab inferis mitteret, qui ea quae ibi gererētur,
in terris annunciaret: id scilicet veritus, ne & ipsi pate-
rentur eadem, atque scripturas interim sacras irriden-
tes, tunc eas admirari inciperent, cum ex ea admira-
tione & honore nihil emolumentum consequi valerent.
Et certe nihil ille tale egit, quale vos. Ipse enim & si ni-
hil ex suis cōmunicauit Lazaro: non tamen eos, qui id
agere

agere vellēt, prohibuit, aut afflixit, aut repulit, vt modo
vos facitis. Neq; hinc modo illum crudelitate, atq; im-
manitate superatis, verū aliunde quoq;. Sicut enim par
ac simile facinus non est, nihil quempiam boni facere,
& alios facere volentes prohibere: ita profecto simile
non est, cibū carni moriturū denegare, & eum qui phi-
losophiā vehementissimam patiatur esuriē, ne ab aliis
quidem pasci ac recreari permittere. Itaque duabus ex
partibus sauum illum atq; immanem diuitem crudeli-
tate vicistis, quod & alios prohibeatis famē extingue-
re: quodq; cum animam suffocari videatis, tanta osten-
ditis immanitatis indicia, vt ne aliis quidem opem fer-
re volentibus, libere id per vos fieri liceat. Eiusmodi
scelus aliquando Iudaei quoque admittere ausi sunt, cū
apostolos ne viam salutis homines docerent, vehemē-
ter perterrerere vellent: quos tamen & ipsos iniquitate
transcēditis. Illi enim cum se palam profiterentur ini-
micos, vniuersa illa gerebant: vos amicorum personā
quandam, atq; adumbratam assumētes imaginem, ini-
micis omnibus deteriora molimini. Verberibus illis,
atque contumeliis tunc sanctos illos viros afflixerunt,
infamiaq; & probris affecerunt, magos eos atque sedu-
ctores appellantes: verum illos eiusmodi cōtinuo cor-
ripuere clades, vt nulla iam penitus calamitas sit, quae
possit eorum casibus vlla ratione comparari. Itaq; pri-
mi & soli ex omni hominum memoria ea passi sunt,
quae modo memorabimus. Atq; horū certissimus pra-
nunciator ipse Christus est, sic dicens: Erit vexatio ma-
gna, qualis ab initio seculi non fuit, neq; post erit. Igi-
tur ea quidem omnia quae illi passi sunt, profecuti, non
huius est temporis: pauca tamen ex multis strictim bre-
uiterque necessario dicenda sunt. Verbis autē vtar nō
meis, sed Iosephi historiographi Iudaei hominis, qui eā
historiam conscripsit diligenter. Quid ergo ait ille:
Cum enarrasset incensum templum, cōmunesq; illos
casus enunciaisset, ita intulit: Et templum quidem hoc
in statu erat, eorum vero qui per ciuitatem fame occū-
bebant, infinita penē cadebat multitudo, atq; inenar-
rabiles continebat clades. Nam per vnamquamque do-
mum, sicubi ciborum vestigium vllum fortē appare-
ret, bellum inerat, atque aduersum se inuicem manus
conserebant, qui haec tenus erant amicissimi, ac infelix
animā viaticū eripiebant, ne morientibus quidē, quod
cibo indigerent, fides habebatur: sed eos quoq; qui ani-
mam efflabant, latrones perscrutabantur, ne quis fortē
simulata morte cibum sinibus occulisset. Alij vero fa-
me hiātes, canum instar rabie furentium, spe omni de-
stituti ferebantur, amentia praecipites, atq; ostiis impin-
gebant, vt ebrii. Prae desperatione autem, & quod ali-
quid semper inuenire se posse existimarent, in eandem
domum vna hora bis terq; irrumpebant. Cuncta vero
subigebat dentibus saeva necessitas, & ea quae ne sordi-
dissimis quidem, & brutis animantibus vsui fuissent,
legentes manducare sustinebant. Ne cingulis quidem
ipsis, atque calciamentis postremo abstinerunt, scutis-
que detracta coria mandebāt. Esca autem, inquit, erat
foeni laceri, quod reliquum inueniri poterat. Purgamē-
ta item cuiusque rei nonnulli colligentes, minimū eo-
rum pondus atticis quatuor vendebāt. Et quid me ne-
cesse est famis improbitatem in rebus inanimis perse-
qui? Opus vnum eius enarrare pergo, quod neq; apud
Gracos, neq; apud Barbaros contigisse vnquā memo-
ratur, dictu horrendum, atq; incredibile auditu. Atque
ego ne viderer portēta confingere, calamitosissimum
hunc casum libenter missum facere, nisi plurimos eius

A haberem testes. Praetereaq; patrie frivola, & planē le-
uem gratiam referrem, si quae rebus illa passa est, ea ver-
bis suppressere atq; subducere historiae conarer. Mulier
quaedam fuit ex his, qui supra Iordanē incolebant, Ma-
ria nomine, patre Eleazar, castello Bethozo, quod si-
gnificat interpretatum, domum hyssopi, genere & di-
uitiis insignis. Haec vna cum reliqua multitudine Hiero-
solymam cōfugerat, ac simul obsidebatur: cuius om-
nem substantiam tyranni diripuerant, quam secum do-
mo asportauerat, atq; in oppidum intulerat. Ceterum
reliquias reconditorum omnes, & si quid esculentum
praeparasset, ingressi quotidie satellites diripiebant. Di-
ra autem atque acerba indignatio subibat mulierem,
ac frequenter conuiciis & maledictis omnibus raptors
prosequens, cōtra seipsam magis irritabat: cum ve-
ro nullam eam, neque miserans, neq; ira concitatus oc-
cideret, cibosq; alios inuenire laboraret, essetq; iam pe-
nitus difficile quicquā reperire, famēsque praeterea per vi-
scera & medullas serperet, ac fame ipsa vehementius
ardens incitaret indignatio, iracundia simul & neces-
sitate dictante consilium, naturam ipsam violare profi-
ciscitur: filiumq; arripiens (erat autem illi paruulus, &
sugens vbera) infelix, inquit, puer, cui nam te in bello, &
fame, & seditione seruabo? Nempe enim a Romanis, &
si vixerimus, seruitus nos manet: anticipat autē seruitu-
tem famēs, instant sauiore vtrisque grassatores. Perge
igitur, mihi cibus esto, grassatoribus suriarū tēda, om-
niq; mortalium generi fabula, quod solū Iudaeorū cala-
mitatibus deest. Atque hac dicens, necat filium: indeq;
illum coquēs, ipsa dimidium comedit, partē reliquam
operiens seruabat. Adfunt continuo grassatores, nefario
nidore attracti, comminanturq; ni quod parate-
rat, in conspectum daret, eā se statim necaturos. At illa
cum partem illis bonā seruasse se diceret, nati reliquias
aperuit: tum illos protinus horror ingens ceperat, ac
mentium stupor, atq; ad aspectū ipsum dirigerant, &
velut enei defixi stabant. Tum illa, meus, inquit, est na-
tus, isq; charissimus, meumq; istud opus est. Edite, quid
cunctamini: nanque & ipsa comedi: nolite fieri neque
muliere molliores, neq; matre misericordiores. Quod
si vos reueremini, hostiamq; meā auerfamini, siue opus
execramini, ego quidē manducaui, quodq; reliquū est,
mihi manebit. Post hanc illi quidē trementes exierunt:
hac vna tantū in re timidiore, eamq; solam escā matri
concedētes. Tanti statim sceleris fama ciuitas tota re-
pleta est, eamq; cladem, adeoq; miserandū facinus sibi
quisque ante oculos ponebat, idq; non secus, ac si ipse
admississet, abhorrescebat. His autē qui fame cruciaba-
tur, mors votis omnibus expetebatur, eaq; sibi nonnulli
consciscabant: beatiq; cunctorū voce dicebatur, hi qui
priusquā eiusmodi facinus audissent, aut vidissent, vita
excesserant. Nec mora, Romanis quoque ea calamitas
annunciata est. Ex his autē partim non credebant, nō-
nulli rem miserabantur, plurimi vero in odium ipsius
gentis etiā vehementius animati sunt. Haec autē atque
his multo quoque atrociora illi passi sunt: non modo
quia Christum cruci suffixerunt, sed quia postmodum
apostolos ea loqui prohibebāt, quae ad salutem nostrā
pertinerent. Quod profecto beatus Paulus illis crimi-
ni dans, hanc eis praenunciauit euentura mala, dicens:
Peruenit enim super eos ira in finē. Et quid haec, inquit,
ad nos? neq; enim illos a fide abducimus, neque a predi-
catione. Quid enim, quae so, fides conferet emolumentum,
si vita sincera non fuerit & pura? Verum vos &
ista fortassis nescitis, quibus nostra ferē omnia & igno-
ta sunt.

Math. 24.

De bello Iu-
daico li. 7.
ca. 7. & 8.

Luc. 16.

1. Thes. 5.

ta sunt & inaudita. Itaque vobis necessario Christi sententias summam numerabo: vos autem caute & diligenter obseruate, vtrumne semper de fide ac dogmatibus disputet, proq; his tantum supplicia decernat, nisi integra seruentur: an vero vitam ipsam quoque, ac mores improbos castiget aliquando. Cum enim in monte conscendisset, videns innumeram circumfluentem, ac se circumstantem multitudinem, talia monita edebat.

Matth. 7.

Non omnis qui dicit mihi domine, domine, intrabit in regnum caelorum, sed qui facit voluntatem patris mei. Item: Multi dicent mihi in illa die: domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo daemonia eiecimus, & in tuo nomine virtutes multas fecimus: Et tunc confitebor illis: recedite a me, qui operamini iniquitatem, non noui vos. Eum vero qui audit sermones meos, & non facit, similem esse dixit homini fatuo, qui domum suam super arenam construit, eam ventis & fluminibus, & pluuiis labefactandam, ac diruendam parat. Item cum alio in loco concionaretur: sicut, inquit, piscatores cum faganam traxerint, malos pisces abiiciunt: ita erit in illa die, angelis eos omnes qui peccauerint in fornacem iactantibus. De flagitiosis quoque, & impuris hominibus cum loqueretur, aiebat: Et illuc abibunt, vbi nec vermis eorum moritur, nec ignis extinguitur. Et rursum: Rex, inquit, fecit nuptias filio suo, & cum vidisset hominem indutum vestibus sordidissimis, ait ad eum: Amice, quo modo huc intraisti, non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dicit ministris suis: Ligatis eius manibus & pedibus, eiecite illum in tenebras exteriores. Impudicus ista, vt dictum est, & flagitiosus, atque impuris comminatur. Virgines quoque, quae exclusae a sponsi thalamo fuerunt, propter crudelitatem atque immanitatem id passae sunt: aliiq; rursus eadem ex causa eunt in ignem aeternum, qui praeparatus est diabolo & angelis eius. Et hi quoque, qui frustra, & sine causa loquuntur, punientur. Ex verbis enim, inquit, tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. Ergo ne tibi videmur inaniter, ac sine ratione vitae nostrae caute, timideq; rationem habere, eiq; philosophiae parti, quae mores instruit propensius studere? Minime equidem id puto, nisi forte Christum haec superuacue dixisse velis asserere, atque his plura etiam: neque enim hic omnia inferere visum est. Quod nisi vereretur librū prolixius extendere, & ex prophetis ipsis atque ex beato Paulo, aliisque apostolis ostenderem profecto, quantum studij in hac parte emendandae vitae, morumq; componendorum nos deus ponere voluit. Sed enim haec arbitrari posse sufficere, nec ista modo omnia, sed eorum vel minimam partem. Cum enim deus aliquid dicit, & si non id amplius, quam semel dicat, ea fide ac deuotione suscipiendum est, ac si sapissime dixerit. Quid igitur, inquit, hi qui qui domi resident, reique suae curam gerunt, non ea poterunt perficere, quae neglecta tantos cruciatu pariant? Vellem equidem & ipse, neque segnius quam vos, imo vero multo etiam ardentius, & frequenter optavi ac deprecatus sum, tantum leges ac iura optima in ciuitatibus valere, vt nihil iam opus esset monasteriis, neque ad eremum confugere cuiquam necessitas instaret. Quonia vero quae supra fuerunt infra iam facta sunt, ipsaq; ciuitates in quibus & iudicia, & leges erant, omni iniquitate & scelere impletae sunt: solitudo vero philosophiae fructus vberimos germinat: profecto non illi in culpa sunt, qui hac procella & turbine se eximere atque seruare cupientes educunt, eisque ad quietis ac tranquillitatis portum duces fiunt: non, in-

Marc. 9.

Matth. 26.

quam, isti merito a vobis culpari debent, verum hi qui ciuitates singulas, adeo virtuti inuias, & iaccessas fecerunt, atque ad philosophiam penitus inutiles, vt qui salui esse cupiunt, non aliter id possint assequi, quam si solitudines & deserta persequantur. Dic enim, quaso te, si quis noctis medio assumpta face domum incendisset magnam, ac multitudine hominum refertam, eos qui intus obdormirent, insidiis appetens: vtrum esse diceremus malum, atque supplicis omnibus afficiendum, cumne qui excitaret dormientes, & illis adhibere educeret, an eum qui initio ignem illum succendisset, adeoq; duram necessitatem, & eis ipsis, & illi qui eos educeret imposuisset: Quid autem illud, si quis vel tyranno violenter oppressam ciuitatem, siue alias intestino bello, ciuilibusq; discordiis ac seditionibus languentem intuetur, hortaretur quos posset, atq; persuaderet, vt relicta ciuitate, reciperet se ad montium vertices, nec persuaderet solum, verum ad eam fugam ipse etiam, quae posset, adiumenta conferret: quem ex his insimulares, quem male de omnibus mereri diceres? eumne qui ab his turbini-bus & tempestatibus ad serenissimum ac tranquillissimum portum eos homines, qui in medio aestu iactarentur, abduceret: an eos qui naufragia ista ac pericula parassent? Non itaque velim arbitrari meliorem in statu modo res humanas esse, quam ciuitatem tyranno incubatam, verum in lege deteriori. Neque enim homo aliquis, sed daemon quidam iniquissimus, tanquam tyrannus immanis atq; atrox, cum vniuersis suis copiis ac phalange tota, vniuersum simul orbem occupans, in humanas animas grassatur. Demum inde veluti ex arce quadam, impia & scelerata quotidie edicta omnibus proponit, non modo matrimonia dirimit, siue pecunias aut mitens aut ferens aut iniquas tantum exercet caedes, verum longe his quoque grauiora atq; diriora indicia tyrannidis praeseferens. Coniunctam enim semel deo humanam animam, eius familiari contubernio subducens, atque flagitiosis immundisq; satellitibus suis illud edam tradens, impuris illorum congressibus subterni cogit: qui postquam eam semel assumpserint, adeo illi turpiter congreduuntur, tamque contumeliose, quantum credere par est nequissimos daemones, vehementer atq; immanissime perditionem nostram atq; turpitudinem desiderantes. Exutam enim omnibus virtutum indumentis, viciorumq; pannis obsitam, eisq; sordidissimis ac putridis, quibus profecto foedior apparet, quam si nuda esset, familiarisq; sibi impudicicia, & omni flagitio respicientes, ac penitus inficientes, illi foedissime omni contumelia illudere non desinunt: neque enim vllam satietatem nouerunt incesti huius sceleratque concubitus. Caeterum vt ebrij faciunt, qui cum se multo mero ingurgitauerint, tunc maxime exardescunt, ac feruntur per vicia praecipites: ita & hi quoque tunc maxime insanunt, eisque & vehementius instat, & ferocius insultant, cum illa ad omnem turpitudinem abuti coeperint, copungentes vndique atque mordetes, venenaq; nequiciae suae in illam refundentes, nec prius desinentes, quam in suum illam habitum, formamque transtulerint, vel corpore absolutam viderint. Quanam ergo violenta dominatio, quae captiuitas, quae vastitas, quae seruitus, quanam in seruitutem abductio, quod bellum, quod naufragium, quae fames aut pestis, quid horum deniq; his vlla ratione conferri possit, quin videatur esse leuissimum? Quis adeo dirus, quis tam ferus ac ferreus, quis ita brutus atq; inhumanus, adeoq; sine vlllo misericordiae ac doloris sensu, quin malit eiusmodi animam sic affectam

fectam contumeliosam, sic vndique probris lacescitam, pro virili parte flagitiosa iniuria, insanaq; contumelia, abducere, liberare, conseruare, quam sic destitutam negligere, praeterire, relinquere? Quod si id esset, vt est profecto immanis animi, atque lapidei: vbi nam, quaso, illos statuemus, qui praeter id, quod eiusmodi negligunt, aliud etiam, & quidem longe deterius scelus admittunt? Eos enim qui parati sunt mediis se periculis constanter obicere, nec renuunt in ipsum feram beluam guttur manibus demittere: quinimo & foetorem omnem, atq; pericula subire, vt absorptas iam ac deuoratas animas ex ipsis daemones faucibus educant, atque violenter extrahant, non tantum non laudant, neque amplectuntur, sed impellunt quoque atque perturbant vndique. Quid ergo, inquit aliquis, cunctine perire, qui vrbes habitant, ac vitae huius periculis iactantur, ipsisq; iam vrbibus dimissis atque desolatis, ad solitudines confugiendum erit, atque in ipsis montium verticibus sedes nouae collocanda: tuq; ista iubes, ac te legislatorem profiteris? Minime id quidem, sed contra penitus: vt enim superius dixi, & velle & vehementer optare, eo nos in statu rerum, eaq; in pace degere, adeoq; tyrannidem malorum horum omnium destrui ac dissipari, vt non modo eis, qui in ciuitatibus degunt, nulla necessitas incumberet occupandorum atq; inhabitandorum montium: verum hi quoque, qui solitudines incolunt, veluti fugitiui quidam longo postliminio securi ac tuti, pacatis rebus ad ciuitates suas remeare possent. Sed quid ago? Vereor nimium, ne dum illos patriae ac parentibus reddere studeo, nequissimorum daemones manibus tradam, dumque solitudine & fuga abducere & reuocare cupio, per me illi philosophia omni, quietisq; tranquillitate excidat. Quod si tu mihi ciuitatum multitudines in medium adducas, hisq; putes exortum iri, atq; in eam sententiam tradendum, vt putem deum parciturum multitudini, nec passurum in orbem vniuersum damnationis ferre sententiam, sumptis Christi verbis, aduersus obiectionem tuam stabo. Neque enim tam audax factum, tam nefarium facinus admittes, vt etiam aduersus eius sententiam, qui nos tunc iudicaturus est, assistas. Quid ergo ille inquit? Angusta est ianua, atq; ardua via, quae ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam. Sin vero pauci sunt qui inueniunt, profecto longe pauciores erunt, qui ad summum eius peruenire possunt. Neque enim omnes, quiq; illam initio apprehenderunt, ad finem etiam profecti sunt: sed alij quidem in ipsis statim initiis, nonnulli itinere medio, plurimi vero in ipsum iam ferere portum inuecti, naufragium fecerunt. Rursus autem multos esse aiunt, qui vocati essent, paucos qui electi. Cumque ita Christus amplio rem quidem pereuntium partem esse assereret, atque in paucis salutem praefinitam dicat: quid tu pugnas aduersum me? Proflus enim idem facis, ac si de Noe, & diluino verba nobis facientibus admiraris, & an id fieri potuerit, vt omnes perierint, duoq; tantum vel tres homines effugerint, interrogares: his tu rationibus ora nostra obstruere posse te putas, perinde ac istis persuasi, non ausuri simus aduersus multitudinem ferre sententiam: Sed enim id nunquam penitus efficias, nec persuadebis, vt multitudinem veritati in honore praeferas. Neque enim his quae tum contigisse memorantur, inferiora ista sunt, verum multo funestiora etiam atque sceleratiora: atque eo magis, quod gehennae istis intentatur ignis, & ne sic quidem vicia arcentur, neque exciduntur. Quis enim, oro te, non fatuum appellat fratrem: leue id videtur, at igni sempiterno non facit

Matth. 7.

Gen. 6. & 7.

Matth. 5.

obnoxium. Quis non intendit impudicis oculis in mulierem: hoc autem consummatum adulterium, plenissimumque flagitium deputatur. Is vero qui adulter est, quod in gehennam ignis proiciendus sit, omnibus profecto constat. Quis non deierat? Atqui istud penitus ex malo est: quod autem a malo est, id a deo aeternum parit cruciatum. Quis nunquam omnino amicis inuidit? Hoc vero publicanis ipsis, & gentilibus deteriores facit. Quod autem eiusmodi effugere supplicia aeterna non possint, ita omnibus liquet, vt non possit clarius. Quis furorem omnem, atque iracundiam ex corde depulit atque abiecit, peccataq; omnium in se delinquentium remisit? At is qui non dimiserit, quod aeternis supplicis adiiciendus sit, nemo qui Christum audierit, refragabitur. Quis non seruauit mammonem? Sed qui eiusmodi seruit, Christi seruitute penitus abiecit: qui vero Christo seruire abnuat, salutem suam prorsus abnegauit. Quis occulte nulla in aliquem maledicta coniecit: Eos sane qui sunt eiusmodi, vetus quoque lex concidi atque interfici iubet. Sed enim in tantis malis, tantisque periculis, quae nos consolatio, quod solatium sustentat ac recreat: Quod omnes, veluti ex signo quodam & condito, per viciorum ac flagitiorum omnium abrupta feruntur. Misera plane consolatio, & eius quae nunc obtinet pestis singulare documentum, argumentumque praecipuum, quandoquidem id nobis malisq; nostris solatium affert, quod ipsum maioris mœroris, & explorationis materia esse debuerat. Neque enim multitudo in peccando sociorum criminibus nos ac poenis liberabit. Sin autem aliquis ex his, quae modo diximus, adducitur, vt sibi diffidat, ac penes desperet, is paulisper expectet, dum ea dicamus, quae his multo diriora sunt, & tunc id longe patietur amplius. Nam si iurare diabolicum esse comprobatur, qui iuramenta etiam conculcant, nec perirare metuunt, qua tandem animaduersione puniendi erunt? Si fatuum appellare fratrem, gehennae flammam attrahit, quid hi patientur, qui eum probris & contumeliis innumeris, etiam innocenter, nullasq; iniurias irrogante affligere non metuunt? Si meminisse tantummodo iniurias, omni punitione dignum iudicatur: etiam vlcisci pergere, quatenus cruciatu promeretur? Verum haec suo tempore & loco reseruabimus. Vt enim alia interim omittam, hoc ipsum quod nos haec scribere impulit, nonne vel solum sufficit praesentis, iamq; obtinetis morbi pestem indicare? Si enim peccata propria negligere, quatenus sine doloris sensu quotidie peccare extremus maliciae terminus esse professo habetur: vbi tandem istos novos, nouae huius atq; iniquissimae ferendae legis authores statuemus, qui maiori constantia atq; fiducia fugant ac propulsant virtutum magistrum, quam faciunt maliciae ac viciorum alteri: eosq; multo amplius & violentius oppugnant, qui peccata emendare pergunt, quam qui ipsi peccauerunt? Immo vero cum illis non nisi iucunde ac libenter utatur, neque criminantur aliquando, istos vix vnquam latius intueri possunt, quodam modo & verbis ipsis & operibus clamantes atq; suadentes inhaerendum esse viciis acerrime, atq; ad virtutem nunquam accedendum, quandoquidem non modo qui propensius ei operam dant, verum si qui vel liberiori eam voce tueri audeant, eos omnibus incommodis afficiendos censent.

Exod. 21. Leuiti. 20. Num. 12.

AD GENTILEM ATQVE INFIDELIUM PARTEM, Liber secundus.

Satis

SATIS quidem & ista esse poterāt, quibus in-
citeretur stupor ingēns, atque horror. Quod
si qui super his prophetā illud nūc loquatur:
Obstupuit cœlum super hoc, & exhorruit ter-
ra vehementer: Itemq; , Stupor atque horrida facta sunt
in terra: oportune & hæc, & huiusmodi cuncta profe-
quetur. Verum id longe grauius atq; acerbius est, quod
non modo alieni quidam, & nullo his quibus consulti-
tur propinquitatis, nullo familiaritatis iure coniuncti,
ita indignantur & fremūt, verum ipsi quoque propin-
qui ac parentes super his irasci didicerunt. Tamen si nō
sum ignarus complures esse, qui patribus quidem ita af-
fectis facile ignoscendum putant, nec propterea valde
admirari dicunt: suffocari autem se ac penē disrumpi
iracundia, cum videant eos, qui neque patres sunt, neq;
amici, neque propinqui, neque vlla penitus alia ex par-
te necessarij, quin & frequēter ignoti, aduersus eos qui
philosophari instituunt hoc ipsum pati, atque ipsis pa-
tribus magis angī & dolere, eosq; qui illos hortati sunt,
& ad eius vitæ amorē traduxerunt oppugnare, insimula-
re, ac maledictis omnib; persequi. Mihi vero longe
alia mens est. Eos enim qui nullum paterni affectus pri-
uilegium, nullum ius amicitie ac familiaritatis habent,
alienis in bonis angī, nihil profecto nouum, aut mirū
videri debet, partim inuidiæ stimulis concitatos, par-
tim maliciæ suæ, atque vicis aliorum perditionem so-
lacio, & excusationi esse arbitantes. Misere id quidem
& infeliciter, arbitantes tamen. At vero qui genuerūt,
qui educauerunt, qui diebus singulis natos suos profi-
cere, sibiq; ipsis & ad virtutem, & ad gloriam præcalle-
re & cupiunt, & optant: qui propterea cuncta & pa-
tiuntur & faciunt, eos quadam veluti ebrietate correptos
repente mutari, angīq; ac dolere vehementius, cum
ab se liberi ad philosophiam abducuntur: hoc profecto
est, quod vnum omnium ego maxime admiror, quodq;
omnia iam corrupta sint & perditā, satis firmum &
validum argumentum esse duco. Hoc enim prioribus
temporibus vnquam contigisse, nemo qui possit dicere,
netum quidem cum late dominaretur error: ac tum
quidem semel memoratur in gentili & Græca ciuitate,
sed quam tyranni incubabant. Neque tamen tum
parentum aliquis, vt nunc, sed hi qui arcem occupauerant,
ne hi quidem omnes, sed qui horum erat flagitiosissimus:
Socratem irridens, iubebat philosophiam tueri, atque
ad eam hortari desineret: verum ille tyrannus perfidus,
sæuus, atrox, & qui ad euertendam rempublicam
cuncta moliebatur, alienisq; in malis acquiescebat
& gloriabatur, cum sciret nihil æque, atque talem
iusionem optimum reipublicæ statum posse peruertere,
id ausus est, quod ante illum nemo. At hi & fideles,
& in bene institutis ciuitatibus, ac sub optimis legibus
degentes, liberisq; suis consultum cupientes, ea de
sanctis viris loqui audent, quæ ne tyrannus quidē
de his quibus dominaretur auderet, nec erubescunt.
Itaque horum gratia magis indignandum ac ferendum
molestē erat, quàm aliorum admirandum. Idcirco &
ego illos missos faciens, istos qui in primis curam
filiorum gerunt: loquar verius, qui curam gerere
debuerant, non autem gerunt: leniter & summa
cum moderatione alloquar: hoc ab illis primum bona
venia impetratum cupiens, vt ne moleste ferant, neu
indignantur, si quid vtile sit, quidue magis expediat
illorum liberis nos melius scire dixerimus, quàm illos
ipfos. Neque enim quisque qui procrearit filium, quid
etiam illi conducat docere eum poterit, etsi eius-

ac instruendi voluntas honesta non desit, quam elicit
à natura insitus parentum singularis ad filios affectus.
Ad id enim edocendum diligenter quid vtile sit, neq;
procreando pater, neq; amando vnquam sufficeret.
Nam si istud concederetur, nemo hominum certē
patre melius nosse atq; conspiciari posset, quid nā esset
esset filio vtilius: sicuti ne in amando quidē filio nemo
est qui patrem superet, vel etiā exæquet. Quin ipsi
quoque patres ex his quæ studiose agunt, quæ ipsum se
ignorare consentunt, cū ad magistrōs ducūt, cū pæda-
gogis instruendos tradunt, cū plurimos cōsiliarios as-
sumunt, qui, quod nā vitæ propositū filio arripiendum
sit, quive delectus habendus, & amice & fideliter con-
sulant. Id autem est item mirabilius, quod dum de filiis
consultāt, dū familiari colloquio quid sentit quisq; in
mediū adducit, illi nonnunquā suā irritantes, aliorum
sententiā ratam esse, atque obtinere voluerunt. Itaq; ne
nobis quidē succenseant, neq; indignētur si quod eorū
liberis vtile futurū sit, nos illis melius nosse dixerimus:
verū nisi id certa ratione constiterit, tunc accusent, tūc
affligant, tūc probri appetant, veluti reuera perditos,
flagitiosos, ac naturę totius inimicos. Quōnā ergo modo
istud manifestū erit, aut qua ratione scire certius po-
terimus quis nā sit, qui quod vtile sit planē prospiciat,
quisve qui prospicere quidē sibi videatur, nequaquam
vero spiciat: Si vtrorūq; rationes pugnantium in mo-
rem ad examen iudicij descendere, atq; cōgredi comi-
nus cogamus, permissa omni de hisce iudicandi facultate
incorruptis, integerrimisq; iudicibus. Itaq; lex quidem
certaminis nostri Christianum exui ad pugnam iubet,
atque cum illo solummodo certare, qui sit eiusdem
religionis cultor, nihilque amplius requirit à nobis.
Quid enim ad me attinet eos etiam qui foris sunt iudicare:
ait beatus Paulus. Verum quia sepe contingit, vt plurimi
ex his qui ad cœlum pertrahuntur, filij gentilibus atque
infidelibus patribus sint, quanquam lex certaminis nos
contra huiusmodi dimicare non iubet, sponte tamen ipsi,
summāque alacritate aduersus istos primum pugnare
aggredimur, Atq; vtinam aduersus istos tantum nobis
certamen indiceretur, quanquam ipsum quidem perdifficile
est, plurimāq; habet capita. Animalis enim homo non
percipit ea quæ sunt spiritus dei, stulticia quippe illi est.
Prorsus idem facimus, ac si aliquem hortari vellemus,
vt cœleste regnū appeteret, qui antea credere an id
esset, aut quidnam esset, reuissit. Sed tamen cum tantis
angustis cōarctatus sim: sic quoque aduersus istos tantum
hoc mihi certamen iudicij vehementer optarem. Nam si
ad infidelem aliquem hic mihi sermo instituat, erunt mihi
iura complura, bonitasque causæ adiunabit plurimum,
etsi eam victoriæ meæ voluptatem obscurat, & obruit
magnitudo verecundiæ. Suffundor enim vehementer,
si aduersus illum quoque me pugnare necesse sit,
vereorque ne hoc crimen tantummodo gentilis mihi
possit obiicere: nam in reliquis illum, & quidē facile
suffragante gratia diuina capiemus, atque si voluerit
esse non ingratus, cito illum nō modo ad amorem huius
vitæ traducemus, verum ad ipsius quoq; doctrinæ, ac
religionis desiderium, à qua vita illa initium &
materiam sumpsit. Tantum vero abest, vt certamē
aduersus illum subire metum, vt cū id primum durius,
atq; difficilius mea oratione constituerō, tum demum
pugnare aggredi instituum. Fingamus nempe patrem
istiusmodi nō modo esse gentilem, sed nobilem quoque,
& vltra omnes homines locupletem, insignem, singulari

singulari potentia præditum, habeat agros plurimos, ædes
permultas, aurique innumera talēta: sit præterea clarissima
patria & regia, illustrissimo genere, neq; habeat alios
liberos, neq; habiturum speret: sed huic soli innitatur,
& ex hoc solo pendeat. Quin & ipse sit summæ
spei, eoque ingenio, natura, industria, vt ad imperia,
& ad magistratus mature ascēsurus expectetur, patremq;
ipsum & splendore, & gloria breui superaturus, omnibusq;
vitæ cōmodis lōge anteiturus. Tum vero in medio tantæ
spei & expectationis accedat aliquis ad illū, atq; de hac
ei philosophia verba faciens, persuadeat vt spreis illis
omnibus, vestem se rusticam induat, & relicta vrbe ad
montem confugiat, ibique plantet, inferat, riget, aquas
ferat, cæteraque monachorum faciat opera, quæ & vilia,
& indigna esse videantur. Incedat præterea discalceatus,
& humi iacens quiescat, efficiaturq; pallidus, gracilis,
ac macie confectus decorus ille adolescens, qui cæcis
antea in deliciis & honoribus degēbat, tantæq; spei
signa præ se ferebat, viliusque etiam quàm serui sui
vestiatur. Num satis multas accusatori occasiones
dedimus, satisve aduersarium armauimus? Præbeamus
illi alias quoque, si satis adhuc instructus non est:
præter ista enim quæ dicta sunt, omnia moueat pater,
cunctaque moliat, vt dissuadeat filio, atque ab arrepto
illum instituto reuocet: sed in cassum, vtpote cum ille
supra petram collocatus sit, & fluminibus & pluuiis,
& ventis cedere non norit. Lamentetur, & lugeat,
atque lachrymas emittat, & vt indignationē omnium
aduersum nos magis incendat, circumeat iugiter
mœrens, afflictus, sordidatus: omnesq; prensans,
contra nos huiusmodi accusationem commoueat. Filium
ego genui, & enutriui, ætatēque omnem in ærumnis
contriui, cuncta ea & gerens & patiens quæ ex hac
educatione liberorum solent accidere. Spem de illo
optimam habui, pædagogos accersui, magistrōs obsecraui,
pecunias impendi, vigilauī sapissimē, curam gerens
ingentem, vt quàm ornatissimū atque eruditissimū
euaderet, vt in nullo maioribus suis esset deterior,
vt omnibus appareret illustrior & clarior. Expectabam
hunc senectuti meæ solatio & adiumento fore, processuq;
temporis de vxore, splendidissimoq; matrimonio tractabam,
de imperio, de magistratibus, & insigni potestate cogitare
cœperam. Cum repēte tanquā fulmen, aut procella
ingens, nescio qua parte irruens preciosissimam nauē,
multisq; oneribus refertam, quæ plurima pelagi spacia
confecerat, ac secundis vētis nauigabat, cum iam ad
portum propinquaret, parum ante ipsum ostium
submersit: metumq; non modo extrema paupertatis,
verū acerbissimæ mortis, ac perditionis eius capiti,
qui ista parauerat, tempestas illa sæua circumdedit.
Sic sic profecto mihi nunc contingit. Nanque execrabiles
illi, flagitiosi, perditī nebulones (dicat enim hæc, atque
huiusmodi cætera, nihil illi succensebimus) tantæ
spei filium, senectutis meæ custodem & nutritorem,
veluti latrones quidam immanissimi mihi repente
subductum in speluncas suas abduxerunt: adeoque illum
suis carminibus excantauerunt, vt eligat magis
aduersus ferrū, ignē, bestias, aduersus omnia demiq;
fortiter, ac summa constantia persistere, q̄ ad priorem
prosperitatem prioresque copias remeare. Quodque
his durius est & grauius est, illi ipsi qui hæc periuas-
erunt, melius se quid sit vtile scire, atque intueri
profidentur, quàm nos. Desertæ iam domus, desolati
agri, ipsiq; agricolæ, ac serui luctu ac mœrore pleni
sunt. Exultant in malis meis inimici, pudorēque operiuntur

amici. Apud me autem nulla sententia obtinet, nisi vt
iniecto igne cuncta simul exuram, ædes, agros, armenta
boum, greges pecorum. Quo enim mihi iam hæc vtilia
sunt, cum ille non adsit, cuius vñibus parata erāt,
captiuus scilicet abductus, atque apud Barbaros crudelissimos
seruitutem seruiens, omni morte duriorē atque acerbiorē?
Amictu nigro seruos omnes operui, cunctamque familiam.
Aspersi cinere capita mulierum, choros institui, iussique
dirius atque amaritius plangere, quàm si mortuum vidissem.
Date veniam hæc facienti mihi, hic mihi luctus longe illo maior,
diuturnior, grauior. Iam mihi ferē lux ipsa molesta est,
ipsoq; solis radios ingrata suspicio. Quoties enim in
mentem venerit infelicis illius habitus: quoties vilissimis
illis rusticis inhonestius illum amictum video, atque
ad opera viliora conuersum: quoties inflexum eius immobilēque
propositum, vtq; nulli cedat desiderio, vrōr, disrumpor,
distrabor. Hæc atque eiusmodi dicens, prouoluatur
etiam audientium pedibus, aspergat cinere caput,
deturpeturq; puluere faciem, caniciem, vellat, omnesque
prehendens oret, se vt adiuuent, ac porrigant manum.
Satis puto diligenter accusatorem expressimus, atq;
instruimus ad commouendam auditoribus omnibus
vehementem iracundiā, & ad persuadendum, vt eos
qui horum causa sunt, per præcipitiam deiectos
exterminet: atqui nos idcirco ad has premas angustias
oratione nostra prouecti sumus, vt cum is qui ita
venerit paratus diuina gratia superatus fuerit, iam
nemo nobis obstrepat. Cum enim is, qui ista omnia
quæ prædixi, simul habet, conuictus fuerit, atque obmutuerit,
& is quoq; qui nō omnia simul habet (neq; enim facile
cuncta ea conuenire possunt) nobis iam de victoria
concedet. Hic itaq; & ista, & his plura etiam loquatur.
Ego in primis iudices orabo, ne statim misereantur
senis huius, sed hanc misericordiā differant in extremum,
cum illum ostenderit lugentem filium, in nullo
quidem violatum, nihilq; penitus perpersum mali,
verum contra etiā maximis potitum bonis, eisq; tam
insignibus, vt excellentiora non possint reperiri.
Tunc enim profecto miseratione & lachrymis dignus
iudicandus est, cum nati felicitatem, secundosq; successus,
ne conspiciari quidem possit: tantumq; abest, vt ea
intueatur, vt sic in maximis profectibus tanquam in
summis eius malis lamētetur. Quodnam ergo erit
nostra orationis exordium, aut vnde potissimū inchoabimus?
Ab ipsis planē opibus aque pecuniis. Nam & ipse
maxime omnium hoc vnum lamentis omnibus, omniq;
cōploratione profectus est, idq; sibi videtur esse acerbissimum,
si diuites filij pertrahantur ad hanc duriciam
vitæ atque propositi. Dic ergo, quæso te, vtrum omnes
beatū dicimus atq; inuidiosum, & planē felicissimum:
eumne qui siti semper æstuat, quique antequam priorem
calicē forbuerit, rursus alio indiget, atq; semper
in hoc perseverat statu: an eum qui superior ea
necessitate cōstitutus, sine siti semper durat, nec vlla
vniquam potationis necessitate cōstringitur? Nōne
alius quidem his, qui graui febrium ardore cruciantur,
simillimus videtur, atque violentissimæ necessitati
addictus, etiam si ex fontibus haurire purissimos atque
vberimos latices possit: alius vero vera profecto
libertate liber est, veraq; sanitate sanus, ipsamq; naturā
excedit humanam? Quid illud: Si quis adamaret
mulierem, eique congrederetur iugiter, verū maiore
post cōcubitum illum flagraret ardore: alius vero
persisteret hac infania liber, & ne in somniis quidem
vnquam hoc

hoc malo caperetur: vter rursus felix & beatissimus videretur: nonne iste? Vter contra infelix & miserimus, nonne is qui nouo hoc amore languet, qui nunquam possit prorsus extinguere, quinimo excogitatis quoque remediis magis magisque succenditur? Sin autem preter ista, quae dicta sunt, etiam ex ipso morbo suo se beatum dicat, nec curet ipse, nec velit ea necessitate liberari: quin eos quoque lamentetur & lugeat, qui iam ea peste liberati sunt, vt iste nunc facit: nonne hic quoque miserabilior erit, atque infelicio, non tantum quod morbo illo & peste detinetur, verum quod ne id ipsum quidem quod langueat nouit, proptereaque nec ipse liberari valet, & eos qui iam liberati sunt, lugeat? Reducamus igitur hanc orationem nostram ad pecuniarum possessionem, inspicimusque quis re vera miser, quis infelix sit. Illis nempe amoribus iste & vehementior, & insaniam propior est: non idcirco tantum quod melestiores habet facies, verum quod ad excogitata quaeque solatia inflexus perdurat, duriorque ex illis atque acerbior efficitur. Citius quippe hi qui & potum, & corpora amant, postquam his potiti fuerint, satietatem sument, quam qui diuitiarum insaniam amoribus flagrant. Quocirca illos nostra oratione effingere necesse fuit, quod non facile sit, neque in promptu illorum documentum: huius autem pestis multa possumus exempla afferre. Nam, quae so te, idcirco lamentaris, & luges filium tuum, quod hac tanta vesania, tamque desperato morbo liber euasit: quod hoc irremediabili insanoque amore caruit: quod bello hoc, & pugna mansit immunis? At id nunquam passus ille fuisset, inquit, neque plura concupisset: verum his quae haberet contentus, nihil inquisisset amplius. Rem quidem dicis impossibilem, ipsique (vt ita dixerim) naturae contrariam. Verum si istud quoque concedamus fieri potuisse, vt ea esset moderatione animi, vt his quae haberet nihil vellet adiciere, nec villo vnam eiusmodi merore caperetur: ego sic quoque illum maiori modo in quiete ac voluptate commorari docebo. Quid enim leuius aut tranquillius esse censebimus, tantis ne, tantarumque rerum curis implicari, eiusmodique custodiam, ac seruituti obnoxium, & obstrictum fieri, quotidieque solicite metuere, ne quid rei familiaris pereat: an vero his curis, atque vinculis omnino expediri? Nam etsi sarcinas alias non apperat, vt interim id concedamus: nonne multo melius, multoque praestantius est, iam impositas abiicere quam ab eis ipsis opprimi? Denique si, vt concessum est, maximum bonum elicitor, plurimis non indigere, minimisque contentum esse, necessitate omni celliorem euadere, maioris profecto felicitatis erit. Is enim qui neque sitit vnam, neque amat (nihil enim me prohibet rursus ad eadem exempla redire) multo profecto beator, multoque gloriosior esse monstratus est, non modo eis qui semper sitiunt, ac semper amant: sed eis quoque qui quantumlibet parum id passi sunt, suaque concupiscentiae satis fecerunt, cum ipse nunquam eiusmodi necessitati se subdidit. Percontabor autem te rursus, si diuitiis vltra omnes eminere, cunctisque eis malis eximi, quae solent ille parere, liceret, ergone non incredibiliter optares ea pace ac tranquillitate frui, vt non inuidiam, non calumnias, non insidias, non curas, non quicquam aliud eiusmodi ab villo prorsus hominum patereris, aut pati formidares? Quod si filium tuum hac omnia habere monstrauero, atque longe etiam esse ditiozem: desinesne tandem te lamentis ac suspiriis adeo amaris conficere, tamque diris gemitibus abstinebis? Nempe absolutum eum

curis illis, ac malis reliquis quae solent opes esse vestigio subsequi, ne tu quidem ipse negabis. Idcirco nec nos ad te de ea re verba facere necesse est. Studes autem id magis addiscere, quo nam modo ille diues sit, ac te ipso qui tam multa possides longe opulentior: hoc ego modo te docebo, ostendamque te si illi compateris, id pati, quod illum pati arbitraris, atque extrema in paupertate degere. Nec modo me caelestia bona persecuturum putes, quae nobis post huius excessum vitae reddenda sunt. Ex his quae sunt in manibus, quae tenentur, te interim docebo. Nempe enim tu eorum tantum, quae possides, dominus es: ille vero omnium quae sunt in toto orbe terrarum. Sin vero tu minus credis, age ad illum adducamus, ac persuadeamus, vt de monte descendens magis autem illic residens, alicui ex his, qui & diuites valde, & religiosi sunt, mandet, sibi mittat auri pondus quantum ipse vis: siue quia istud non pateretur, illi vel illi indigenti dare iubeat: videbis, diuitem illum sibi deuotius, alacrius, promptius obaudientem, quam faceret nutu tuo quiuis ex dispensatoribus tuis. Nam hic quidem cum aliquid iubetur impendere, mœrens, tristis, demissus id facit: contra ille cum non impenderit, tunc demum maxime trepidat, atque anxius est, ne forte in aliquo offenderit, quod sibi eiusmodi nihil imperetur. Atque ego plurimos tibi possem ostendere, non modo ex eis qui excellentiores sunt, verum ex humilioribus quoque, qui tanta hac potestate sunt praediti. Atqui tu siquidem villici tui sibi credita male absumpserint, alium non habes a quo petas, verum illorum peruersitate ex diuite continuo pauper efficeris: at filius tuus nil eiusmodi metuit, siue enim ille cui prius imperauerat, diuitiis excidat, imperabit alteri: siue is quoque aliquid tale passus fuerit, ad alterum se conuertet. Prius denique deficient fontium latices atque siccabuntur, quam qui nato tuo non obtemperet imperanti. Quod si nobiscum in religione concordares, enarrassem tibi profecto multas ac longas, nouasque & veteres eiusmodi historias. Verum quia te gentilem profiteris, gentiliūque doctrinis acquiescis, ne hinc quidem exempla deerunt, audi denique apud Platonem quid ad Socratem loquatur Crito: Tibi quidem sunt meae pecuniae, vt equidem reor, satis multae: sin vero tu quod meae curam geras, idcirco re mea tibi abstinentum cesses: at hi qui adstant, suam quisque impendere parati sunt. Intulit quippe in hoc ipsum pecuniam ingentem Simias, parat⁹ est Cebes quoque, alij item permulti: itaque vt antea dicebam, noli villo horum metu lacescere, tuamque salutem quin tuearis, negligere. Neque vero id quod paulo ante in iudicio dicebas, molestiam tibi vllam, aut curam pariat, quod scilicet profectus a nobis, non haberes quatenus te ipso vterere, quibusve vsui esse posses. Multis enim & aliis in locis, quocumque tu tandem proficiscere, amabunt te, atque obseruabunt plurimi. Sin autem volueris & in Thessaliam pergere, sunt mihi plerique illic hospites, qui & te plurimi faciet, & tutum esse ab omni iniuria praestabunt. Quid hac suppeditatione iucundius dici possit, aut gratius? Verum ista quidem, vt ad hominem seculo obnoxium sunt dicta. Quod si subtilius atque diligentius nati tui opes discutere velimus, tu quidem fortasse non assequeris intellectum quae dicimus, ea tamen ad iudices necessario dicenda sunt. Tanta enim sunt virtutis opes atque copiae, adeoque quam vestrae dulciores atque amoeniores: vt qui has habuerint, nunquam eas velle possint cum vniuersa terra commutare, ne si illa quidem aurum fiat

cum mari & fluminibus, & montibus: atque si fieri id posset, didicisses profecto ex ipso experimento, quod non iactantia, & leuitatis verba loquimur: sed maiores quoque illi, copiosioresque diuitias negligenter ac spernerent, vt eas possent adipisci, nunquam prorsus istis illas commutaret. Et quid ego dico, commutaret? Nec cum illis quidem has habere vellent. Et certe si qui vobis vna cum pecuniis virtutis conferret opes, obuias eas supinisque manibus susciperetis. Adeo ipsi quoque eas diuitias & magnas & admirabiles esse confitemini. Contra, isti ne cum suis quidem opes vestras habere dignabuntur, adeo rem esse contemptibilem ac penitus abiectam norunt: atque hoc ipsum rursus exemplis vestris perspicuum faciam. Quantum enim pecuniarum Alexandrum Diogeni daturum putas, siquidem ille voluisset accipere. Sed noluit. At ille nixibus totis contentebat, cunctaque moliebatur, vt huius virtutibus propius accederet. Visne aliunde quoque & tuam inopiam, & nati tui copias cognoscere? proficiscere ad illum, eiusque pallium quod solum habet, illi aufer. Educ item ex cellula, atque ipsum eius tugurium destrue, ne sic quidem illum indignantem, aut dolore aliquo commotum penitus videbis: verum aget tibi gratias, idque tanto magis, quanto illum ad philosophiam amplius impellis. Abs te vero si quis vel decem drachmas tulerit, ingemiscere, flere, lamentarique non desinis. Vter ergo diues existimandus est, vter beatus: is ne qui vel minimis mordetur, an qui mortalia cuncta simul despicit? Neque id tantum facias quod dixi, verum omni quoque illum prouincia deturba, videbis laetum, hilarem, atque ita ridentem, ac si ludens pugio se feriret. Te si quis vel sola patria & genitili solo exturbet, acerbissima perpeffum coquereris, neque eam calamitatem ferre poteris. Enimvero ille, quippe terrae marisque dominus, ita facile, sicque sine mœrore & gemitu migrabit ad alia, vt facis tu cum per agros tuos incedis, quin longe etiam facilius. Nam tibi & si per tua licenter incedis, tamen per aliena quoque necessario incedendum est. At vero terram ille omnem, vt propriam obambulat, eique potum vndique largissimum suppetunt stagna, fontes, amnes: cibum vero & olera, & virentes herbae, multisque ex locis panes aduecti suppeditant. Nondum enim id dico, quod terram ipsam omnem aspernatur, habens in caelo ciuitatem. Sin autem sibi moriendum fuerit, latius atque iucundius feret obitum, quam vos delicias vestras: atque ita mori magis optabit peregre, quam vos in patria & lecto. Sicque ille erit plane vagus, fugitiuus, palabudus, qui vrbem incolit, & domum habet, non qui his omnibus liber euasit. Neque enim illum vnam de patria poteris educere, nisi ex terra prius vniuersa propuleris. Ita enim interim loquamur. Nam vt verissima ratione constat, tunc eum maxime in patriam reduces cum terra penitus deduxeris: verum id nondum ad te loquemur, neque sic agemus tecum, qui nihil eis quae videntur, amplius nosti. Neque vero nudum eum poteris ostendere, donec amictus fuerit virtutis indumentis: neque fame vnaqua perimes, quando diu sit verus cibus, agnouerit. Ceterum his omnibus diuites capiuntur facile, atque perturbantur. Itaque ista quoque ratione non peccabit, qui hos quidem pauperes, ac prorsus inopes dixerit: illos vero etiam ad omnem copiam locupletes. Nam cui cibus & potus, & domus, & requies vbique suppetit, nec modo in eiusmodi non ingemiscit, aut mœret, verum etiam quam vos in vestris iucundius degit: liquet prorsus eum vo-

Tomus quintus.

bis omnibus diuitibus esse ditiozem, qui ista in adibus vestris tantum inuenire potestis. Quocirca nec inopia ille vnquam lugebit. Neque autem ista victus facilitate, & copia, & voluptate, tantum diuitia ista praestantiores sunt, verum ob hoc ipsum quoque, quod neque capi aduersis vllis possunt, neque in paupertatem aliquando decidere, neque subiecta sunt incertis vllis casibus, neque curis anguntur, neque liuore capiuntur, sed admirationem omnem & laudes ac famam praestantissimam merentur. Atqui in vobis contraria his penitus aspiciamus. Non modo enim vos non laudant diuitiarum gratia, verum hac maxime ex causa & oderunt, & execrantur, & inuident vobis atque insidiantur plurimi: hic vero quod veris diuitiis beatus sit, idcirco summam admirationi omnibus est, nec propterea inuidia, vel insidiis vllis appetitur. Porro ad sanitatem vter aptior: nonne qui virtuti studet, eiusque diuitiis beatus est, agrestium instar animantium viget, ac vegeto corpuscule est: quippe qui & purissimo fruitur aere, & saluberrimis vndis, & pratis, & floribus, & odore integerrimo atque gratissimo: hic vero veluti in caeno iacens, & mollior est & imbecillior, & morbis omnibus magis obnoxius? Sin autem in sanitate primas iste partes tenet, liquet profecto quod & in voluptate. Vtrum enim tu magis existimas in deliciis degere, eum qui super viridi accumbit atque altissima herba pone fontem limpidissimum sub umbra densarum comantiumque arborum, oculosque pascit obtutu, puriorem ipso caelo, nitidiorumque animum possidens, ab omniumque rerum perturbatione ac tumultu longissime remotus: an vero eum qui domi inclusus manet? Profecto enim nec frondeis vmbis est gratior, nec lapilli vlli vel lateres solo variis vestito floribus amoeniores: atque horum omnium vos diuites testes estis, qui si fieri posset, in ipsis tectis habere arbores cupitis, & prata, & pensiles hortos, horumque solatia profecto malletis, quam aurea tecta, parietesque mirabiles. Denique quoties ex laboribus in requiem relaxare animos cupitis, his omnibus ommissis, ad illa properatis. Verum tu fortasse pro gloria quereris ingenti illa atque singulari, quasi nusquam hic locum habere videatur. Regiam enim solitudini conferens, atque spem rei vtriusque componens, e caelo ipso flendum tuum decidisse arbitraris. Id igitur in primis ostendum & docendum, vt neque solitudo faciat ignobilem, neque regia clarum & illustrem: atque antequam ad rationes veniamus, exemplis istis hac te suspicione liberabo, exemplisque potissimum vestris. Dionysium fortassis accepisti Siciliae tyrannum, audisti & Platonem Aristonis filium. Vter igitur insignior fuit, aut clarior? vter vbique canitur, ac per cunctorum ora celebratur? Nonne philosophus tyranno amplius? atqui ille quidem insulae totius potiebatur, atque in deliciis debebat, ingentibus copiis, licetorum agminibus stipatus, reliquo quoque cum apparatu regio diutius vixit: hic autem acadamiæ in hortis morabatur, plantans, inferens, aquas irriguas ducens, oleaeque comedens, ac vilissimam apponens mensam, omnique splendore regij illius apparatus immunis. Quod cum sit profecto mirabile, id omnino mirabilius est, quod seruus effectus, atque ad tyranni sententiam venditus, intantum abfuit vt illo propterea aut abiectior appareret aut vilior, vt ipsi quoque tyranno ex hoc & famam & claritudinem tradiderit. Adeo virtus non ex his modo que gesserit, sed ex eis quoque que perpeffa fuerit, non se ipsam,

M non

non eos denique qui se affligunt permittit occultari, ac esse incelebres. Quid vero praeceptor eius Socrates? Quanto is Archelao fuit illustrior, & gloriosior? at ille in plurimis opibus, ingenti gloria & splendore debebat: hic autem morabatur in Lycio, nihilque praeter vnum pallium habebat, quo & hyberno & aestivo tempore, omnibusque horis anni utebatur, nudis semper pedibus incedens, ac sine cibo toto die perseverans, panemque tantummodo in cibum sumens, atque is erat ei & pulmentum, & esculentum: ne istam quidem mentem ex rebus suis, suaque ex domo apponebat, sed ab aliis accipiebat. Sicque cum summa paupertate vitam degens, adeo rege ipso fuit illustrior, ut cum eum ille frequenter ad se inuiteret, noluerit Lycio dimisso ad illius opes proficisci. Et ex ea quoque qua nunc obtinet existimatione quid potius, quid excellentius sit, apparet. Namque horum quidem nomina & celeberrima sunt, & plurimis nota: illorum vero obscura, & ferè omnibus ignota. Diogenes vero rursus hic alius philosopho tanto & his, & eiusmodi aliis innumeris regibus opulentior fuit, semicinctus amictus, ut cum Alexander Philippi filius exercitum in Persas duceret, omnibus dimissis ad illum pergeret visendum, rogaretque: cominus per seipsum, vllane re indigeret, & an aliquid iuberet. Cui ille nihilo se egere respondit. Num iam exemplorum satis habes, an vis alia quoque memoremus? Nempe isti non modo his, qui in regia insignes sunt, sed ipsis quoque regibus fuere clariore, quod simplicem, quod priuatam, quod quietam vitam delegere, atque nunquam ad rempublicam se conferre voluerunt. Sed enim in ipsa quoque republica administratione, si diligenter inspicias, non illi eminent aut excellunt, qui diuitiis ac deliciis, rerumque omnium copia stipati degunt: verum qui in paupertate, & vilitate vitam ab omni fastu alienam ducunt. Nam apud Athenienses Aristides ille, quem etiam mortuum sepeliuit ciuitas, Alcibiade, cum is opibus, deliciis, generis nobilitate, orationis vi & copia, corporis specie & robore, ceterisque eiusmodi vinceret, tanto fuit insignior, quanto vili aliquo pusione philosophus mirabilis. Apud Thebanos vero Epaminondas, cum in concionem vocaretur, ac propterea proficisci non valeret, quod vestem lauisset, nec aliam haberet qua operiri posset: cunctis, qui eò conuenerant, ducibus insignior ac spectatior fuit. Non ergo mihi solitudinem in medium adducas, aut regiam. Neque enim in locis claritudo, splendor & gloria, non in vestibus, non in dignitate, non in potentia, sed in virtute tantum animi & philosophiae studiis consistit. Verum quia exempla fortassis apud te non vsque adeo vim atque auctoritatem habent: age iam ex ipso filio tuo rem istam discutiamus diligenter. Inuenimus illum sanè non modo clariorem esse nunc, quam fuisset domi: verum ex illis ipsis rebus eam claritatem assecutus, quibus illum tu & vilem esse, & ignobilem existimas. Nam si vis persuadebimus illi de monte descendere, atque in forum irrumpere. Aspicias protinus totius ciuitatis in illum ora conuerti, cunctosque inuicem sibi eum demonstrantes, summa admiratione ac stupore, & gaudio repletos, velut angelus aliquis de caelo descenderit: an parum tibi gloriae videtur assecutus? Certe non eis modo qui in regia versantur, sed ipso quoque cui diadema circumligatum est, profecto erit illustrior, idque assequetur ob indumenta illa vilissima, atque confecta. Nunquam enim ita miraculo ac stupori omnibus fuisset, si vestibus operiretur auratis, si ipsam purpu-

ram denique, ipsamque gestaret capiti impositam coronam, si stratis insideret sericis, aureoque curru mulorum officio inueheretur, aurata lictorum turba comitatus: ut modo est squalore ac sordibus oblitus, crassoque amictus indumento, nullo à latere comitatus assecla, nudisque pedibus incedens. Regij namque illi apparatus & solennes sunt, & constituti legibus ac definiti, atque adeo nemo regem admiratur, quod vestem induat auratam. Nò modo enim non miramur, verum si quis id admirans dixerit, ridemus: quippe qui nihil nouum, nihil mirabile locutus sit. At si quis de filio tuo verba faciat, utque irriserit paternas opes, omnemque seculi gloriam dederit postulum, omnique mundana spe celsior euaserit, atque ad solitudines commigrans tunica vili, confecta ac putri se induerit: si hac, inquam, ille de filio tuo prosequatur, prorsus continuo concurrent omnes, applaudentque, atque laudabunt eius magnitudinem animi tantam & tam illustrem. Contra, cum reges innumeris quotidie maledictis impetantur, nihil auratae vestes quò minus id fiat, terrori sunt: tantum abest, ut illa eos venerabiles reddant. Hic autem ex ipsis quoque indumentis plurimas occasiones habet admirationis & laudis. Iste igitur amictus multo magis ipsum spectatum illustremque facit, quam faceret regius. Siquidem ex illo nemo regem admiratur, ex hoc ita indutum omnes & venerationi, & stupori habent. Dices, quid mihi emolumentum confert opinio multorum? quid tandem haec laudes omnium praestant? Nempe gloria nihil aliud est. Sed huius, inquit, amore non teneor, honores magis & potentiam cupio. At hi qui laudant, prorsus honorabunt quoque: sin vero tu & potentiam & regimen desideras, ea nihilominus, ut priora omnia apud istos reperimus esse praestantius, quam apud vos: atque cum eam rem exemplis confirmare facile possemus, ad eum probationis modum, qui te maxime solari possit, venire malumus, huiusque rationis documenta ex ipso potissimum filio tuo inquiremus. Quod enim tu summa potestatis argumentum esse asseris? Nonne ut possit quis & hostes, & omnes penitus, qui sibi infesti sunt, vlcisci, cunctosque qui se beneficii affecerint, remunerari? At qui hanc omnem, ne apud regem quidem inuenire poteris. Namque & plurimos habet infestantes inimicos, quibus vicem reddere non potest: & plurimos beneficos, quos facile non possit remunerari. Plerumque enim & hostes, qui se bello lacerarint, malis; innumeris affecerint, vlcisci cum vehementer cuperet non potuit: amicisque item qui magna in bello ostenderunt fortitudinis ac probitatis indicia, non potuit paria rependere cum vellet, quod illi praerepti fuissent, atque in bello ipso occubissent. Quid si hac potentia, qua ut aperta ratione demonstratum est, ne reges quidem ipsi frui possunt, aliam quoque longe maiorem, atque excellentiorem filium tuum habere monstrauero? Atqui nemo me bona caelestia modo dicturum putet, quibus tu non credis. Non adeo, quid receperim, oblitus sum: verum ex his, quae hac in vita sunt, documenta afferam. Si enim vlcisci posse inimicos, ea demum suprema potentia ceterum multo planè erit excellentius, eiusmodi vitae statum reperire, in quo nemo sit, qui etsi velit, nocere possit. Nam quod hoc illo maius sit, & excellentius, tunc magis constabit, si ad exemplum aliud orationem reducamus. Dic enim quaeso, vtrum esse commodius censes, vtrum praestantius? rei ne bellicae ita quempiam peritum esse, ut nemo qui se vulneret, inuulneratus effugiat: an eiusmodi esse corpore, quod quantalibet quisque machinetur

chinetur, vulnerare non possit: Omnibus profecto constat hoc illo & potius esse, & longe diuinius. Illud quoque praeterea adiiciendum, quod primo illo potentiae genere superius, & extremo inferius ac medium inter vtrumque est. Quòdnam vero istud est? Etiam medicamenta nosse, quae per vulnera deleantur omnia. Tribus ergo istis potentiae modis constitutis, primo quidem, ut possit quis iniurias vlcisci: Altero vero qui & superior & dignior est, ut vulnera propria curare norit, Tertio, ut à nullo prorsus hominum laedi possit, quod naturam penitus excedit humanam, extremum hoc filium tuum habere monstrabimus. At ne haec verba strepitus inanis esse videantur, hac ipsa summa potentia rursus aliam maiorem inter quaerendum inuenimus. Non modo enim non reperietur, qui nocere possit, sed ne qui velit quidem. Ita duabus ex partibus ille tutus erit. Quid igitur hoc vitae statu singularius, quid diuinius dici, aut fingi possit, in quo nemo nocere velit: nec si velit, possit? Cum potissimum nolle nocere non ex impotentia veniat, ut in plerisque contingit: sed ex eo quod nocendi nulla causa rationabilis existat. Nam si nocere non posse, id tandem per se solum sit, nihil erit cur ita admireremur. Poterunt enim etiam vehementius odisse hi, qui cum voluerint, nocere non possunt. Itaque non parum beatus iste quoque potentiae modus est. Ipsum ergo primum si videtur, intueamur diligenter. Quisnam eum rogo laedere, atque iniuriis afficere velit, qui nihil habet commune cum hominibus, non tabularum, aut chirographorum gratia, non praediorum, non pecuniarum, non negociorum, non alterius denique rei alicuius? Pro quibus aduersus eum villis corrixabitur, pro quibus seruis, pro qua gloria? Quòdnam metuens, quid inuidens? Aut enim inuidia, aut timore, aut ira commouemur, ut aliquem laedamus. At iste illustrissimus, & plane regius, his omnibus superior euasit. Quis enim illi inuideat, qui cuncta ea irrideat, quae alij vehementer amant, & plurimi existimant? Quis illi irascatur, à quo nulla fuerit laceratus iniuria? Quis eum metuat, quem nihil suspectum habet? Constat igitur ex his neminem esse, qui nocere velit: quod autem non possit, ne si velit quidem, & hoc similiter manifestum erit. Nullae enim sunt occasiones, aut causae, quibus eum aliquis impedire possit: sed ut aquila sublime volans, minutarum animi laqueis non capitur: ita & hic. Vnde enim, vel ex qua causa nocere ei possit aliquis? Pecunias ille non habet, ut damnium metuat: patriam non habet, ut exilium sibi aliquis intenter: gloriam non optat, ut dedecus timeat. Vnum reliquum est, mors scilicet, sed eam qui intulerit, non modo illum non laedet, aut aliquo afficiet mœrore, verum summa quoque illi conferet emolumenta. Namque eum ad aliam transmittit vitam, quam ille summis ambit desideriis, cuius gratia cuncta & agit & molitur. Itaque laborum illa sibi finis erit, non poena sudorumque absolutio, & requies. An cupis genus aliud suae potentiae, ac virtutis addiscere, longe isto excellentius, ac philosophia dignius? Siue quis enim innumeris iniuriis afficiat, siue verberibus atterat, siue in vincula coniciat, corpus quidem natura infirmum laborat: ceterum animus quod philosophiae intentus sit, inuolabilis durat: neque enim iracundia capitur, non odio peruius est, non inimicicias exercet. Quae cum sint mirabilia, id profecto mirabilius sit necesse est, quod eos qui se ita vexant, sic diligunt, sic amat, ut beneficos, & suorum profectuum magistras, bonaque illa cuncta imprecat. At qui tu quid ei vnquam tale praestare potuisses,

A etiam si millies regem ipsum, ac totius orbis terrarum dominum constituissem, & decem milibus annis imperium ei prorogassem? Quenam purpura vis, quae claritudo, quae gloria sic affecto animo comparata, non vilescat atque euanescat? Quòdnam aliquis non libenter impenderet, ut eiusmodi animum acciperet? Ego puto eos etiam qui corpori vehementer student, huius vitae desiderio non segniter moueri. Visne aliunde quoque viri huius potentiam addiscere, & mirabilem & iucundissimam, humiliori quidem ex parte petitam, sed tamen tibi summè gratam atque suauissimam? Cuncta sanè ea quae dicta sunt, nec capi illum, nec violari posse ostendunt. Verum tu fortasse quò nam ille modo alios quoque moderabitur, & reget, atque tutissimos praestabit, quaeris addiscere. Principio quidem ipsius in eo apparet magisterium, quod alios quoque imitatione sui ad idè propositum adducit, similique fortitudine praeditos facit. Sin vero illi noluerint, eamque vitam, quae & fragilior est, & terrae propior, hominibusque communior viuere maluerint, in eo quoque delectu vitae, maiore illum esse potentia qui nihil habet, quam te qui diues es, idque idcirco maxime, quia nihil habet, docebo. Quis enim maiore cum fiducia ac libertate regem alloquetur, & si necesse sit, increpabit: tunc qui tanta possides, & propterea seruis quoque illius obnoxius & obstrictus es, proque omnibus tremis ac trepidas, occasionesque illi innumeras praestas, quibus te quotidie capiat iratus: an iste, qui illius iras potentiamque non metuit? Huiusmodi enim potissimum ingenti cum libertate regibus colloquuntur, quique se mundi negociis penitus alienos reddiderunt. Cui vero facilius cedit, promptiusque obtemperabit, is qui est in potestate constitutus, atque in regia versatur: tibi ne qui diues es, quem ille pecuniarum causa crebro plurima suspicatur facere: an ei, qui vnam tantummodo habet intentionem, causamque: iusionum, humanitatem scilicet in omnes, atque clementiam? Quem, inquam, ille amplius amabit, obseruabit, admirabitur, eum de quo nihil humile, nihil abiectum suspicari potest, an te quem seruis quoque suis humiliorem arbitrat, atque viliozem? Sicut enim in re pecuniaria, quoties aliquid impendendum fuerit, illis obaudiunt magis, ita impendiis quoque praesse iubent. Sin autem ita vis, nihil ille per alios transfigat, sed per semetipsum omnia. Adducatur afflicti aliquis, igni calamitate mæstus & ad illum & ad te, quin magis non ad te, sed ad regem ipsum, tum videamus vter illi refouere & recreare magis sua prouidentia possit. Primusque & ante alios ducatur, qui acerbissima omnium perpeclus sit. Fingamus interim aliquem habere filium vnicum, quem in ipso flore aetatis amittat, hunc neque princeps vllus, neque rex, neque alius quisquam solari mœretem poterit, ne tu quidem: nihil enim eiusmodi sibi dare quale amissit, valebis. At si ad filium tuum ille educatur, statim ex aspectu ipso, atque habitu, itemque ex ipso habitaculo demissum ora eriget, ac persuadebit facile nihil extimare res humanas, cum oratione sua mœroris omnem nebulam fugabit & exterget. Tua vero ex domo luctum ille & quidem acerbiorum referet. Cum enim eam viderit immunem, exortem malorum, omnibusque secundis successibus repletam, & eum qui hereditate potiturus sit, praeseferentem, tum vero magis aduretur, atque ad luctum acrius inflammabitur. At vero inde mansuetior, & quietior redibit, philosophiaeque vicinior. Nam cum viderit filium tuum tantas opes, tantas copias spreuisse, tantamque claritudinem & gloriam, minus dolebit si-

bi filium obiisse. Qui enim morderi, aut angere poterit, nullo sibi ex liberis herede superstitite, cum huc prospexerit illa omnia ingenti magnitudine animi spreuisse? Audiet illi praeerea facilius & gratius de philosophia verba facientem, quod operibus ille fidem verbis faciat, dictisq; res ipsae adstipulentur. Tu si vel aperire os, atque hircere ausus fueris, eum mœrore incredibili replebis: quippe qui alienis in malis philosophari pergis. At ille reb' ipsis erudiens persuadere facile, nihil aliud quam soporem mortem esse: neq; enim plurimos enumerabit patres perpestos eadem, sed seipsum ostendit diebus singulis in corpore mortem meditantem, ac se ad eam obeundam semper preparantem. Atque illum resurrectionis admonens, magna persuadendi vi, ita ab se dimittet maxima parte mœroris amputata: multoque amplius valebunt huius verba reb' ipsis asserta ad lenandum animi dolorem, quam contubernalium, sodalium ac sequestrium. Et istum quidem ita forsitan sanabit. Adducatur ad illi rursus alius, qui iugi ex morbo oculos amiserit: quis illius dolori medebitur, quisve melius curare eum poterit? Nempe enim iste certa ratione monstrabit: nihil mali illum esse passum, breui cellula inclusus, atque ad lucem aliam properans, praesentemq; si illi comparetur, & breuem, & obtusam esse arbitrans: sicq; admonebit eum casum & constantem, & fortiter perferre. Sed num tu male aliquibus affectis, ut philosophari velint, persuadere poteris? Minime vero, quin etiam magis irritabis, atque perturbabis. Nanque tristitia nostra in proximorum secundis reb' melius atque diligentius consueuimus inspicere. Tuus porro filius hos quoque facilius recreabit, & resouebit. Omitto precum suffragia longe his omnibus & grauiora, & maiora. Hæc autem ideo omitto, quoniam ad te mihi nunc sermo est. Sin autem honorari cupis ex filio, nec ullis esse contemptui, par enim est his quoque te moueri, atque ea cupere: nescio quo pacto id vberius consequi possis, quam ut eum habeas filium, qui naturam excedat humanam, quiq; in toto terrarum orbe illustris & clarissimus habeatur, cumque sit tanta virtute & potestate, neminem habeat inimicum. Nam si vestra hæc potentia præditus fuisset, habuisset quidem plurimos qui vererentur, verum nec pauciores qui odissent: at hic illum omnes & iucunde, & cum voluptate honorant. Si enim nonnulli humili loco nati, agrestiumque atque operariorum filij, cum ad hanc se philosophiam contulissent, adeo cunctis fuere venerabiles, ut ne hi quidem qui in summis dignitatibus agebant, erubescerent proficisci ad illorum tuguria, & cum eis colloqui, mentaq; participes fieri: quin ita fuere affecti, tanquam bonis maximis, id quod erat verissimum, potiti fuissent: multo sanè magis id facient, cum viderint hunc illustrissimo ex genere, clarissimisque diuitiis, summa illa ex spe ad eam se virtutem contulisse. Itaque quod tu maxime quereris ex his eum ad illa transisse, id in primis est quod illum maxime omnium & probatum, & spectatum facit, omnes ut in illum tueantur inducit, non planè quasi hominem, sed iam penitus ut angelum. Neque enim quæ de aliis opinari solèt, ea de filio quoque suspicabuntur tuo, quod ille scilicet vel honoris ambitione captus, vel pecunias desiderans, vel insignis ex humili fieri cupiens, hanc elegit viam, huicq; proposito se addixit. Quæ profecto verba, etsi cum de aliis dicuntur, mendacia simul & iniqua sunt: in ipso tamè tuo nato, ne obscuræ quidem suspicioni locum dare potuerunt. Et ne tu putes ista tantum contingere regibus pietatem

colentibus, etiam si imperium transferatur, & imperatores infideles fiat, tum quoq; nati tui virtus illustrius clarifcet. Neq; enim ut apud gentiles, ita sit apud nos: neque principum edictis, & sententiis iniustis acquiescimus, neque eas sequimur: verum sua cuiq; virtus immota inuolabilisq; perdurat, tuncq; apparet maxime, cum maxime oppugnatur. Nam & is miles, qui in pace probatus fuerit, longe erit spectatior, si belli terror increpauerit. Itaque & sub regibus gentilibus erit tibi æquus honor, imò vero maior quoque atque auctior. Nam qui filium tuum in pace verentur, multo amplius id faciet cum præstantem viderint, summamq; confidentiam & constantiam videntem, & plurima probitatis insignia præferentem. Visne illa etiam quæ pertinent ad te, diligenter inquiramus? An id quoque superfluum videtur? Is enim qui ceteris ita blandus & mitis est, ut querela occasionem nulli præbeat, multo magis patrem reuerbitur, atque in summo habebit honore, longèq; amplius fouebit ac tuebitur obsequio, quam nunc. Atqui si in summo fuisset magistratu, incertum est an ipsum quoq; patrem contemptui habiturus esset: nunc vero eam elegit vitam, per quam cum rege ipso sit illustrior & clarior, cunctorum tamen vitæ humilitatem & officio superare perseueret: quippe eiusmodi apud nos obtinet philosophia, quæ ea quæ videntur contraria, celsitudinem & humilitatem in vnam animam cogat. Et tum quidem quippe pecuniarum cupidus, tuum etiam fortassis optasset occubitu: nunc vero ut quam longissima tibi vita prorogetur orat, ut ex hoc etiam coronis clarioribus donetur. Non enim exigua merces eis proposita est, qui parentes honorauerint, cum eos ex legis instituto vereri iubeantur ut dominos, verbosque simul & operibus colere, dum tamen in nullo pietas ac religio lædatur. Quid enim tale, inquit, illi reddes, quale ipse tibi? Considera denique quam sit rationi consentaneum, eum qui in ceteris ad summum virtutis verticem prouectus sit, id officium quoque summa intentione seruare. Nam etsi moriendum sibi fuerit pro tuo capite, non abnuet, non recusabit: quippe qui non tantum naturali te lege colit, obseruat, honorat: verum multo magis, ut dei iussis obtemperet, propter quem cuncta simul penitus despexit & reliquit. Cum igitur ille nunc probator sit, & opulentior, potentior & liberalior: cumque hac tanta magnitudine animi seruus tuus sit longe amplius, quam fuerit prius, cuius rei gratia quereris: quid ingemiscis? An quia quotidie non metuis, ne forte in bello moriatur, quod nunquam offensurus est regis animum quia commilitonum inuidiæ non patere? Nonne & hæc, & his plura etiam probatis filiis metuunt patres? Ut enim qui infantem puerum in sublimi aliquo loco statuerint, ne tandem is decidat, metuere coguntur: ita & hi qui filios ad excelsum aliquem dignitatis gradum prouehendos curant, illis omnia timere solent. At habet aliquam voluptatem baltheus, & paludamentum, & præconis vox. Et ista tandem quot dierum spacio tenduntur? Num triginta, aut centum, aut his etiam totidem? Quid postea? Nonne transferunt ista omnia ut fumus, ut somnium, ut umbra, ut fabula? At nunc illi usque in finem honor iste permanet, imò vero post mortem quoque, & quidem tunc multo cumulatior: atque hunc honorem, hoc imperium, nemo vnquam ab illo poterit auferre: quippe cum ista non ille ab homine acceperit, verum à virtute ipsa. Sed enim tu illum malles preciosa amictum veste procedentem, insigniq; vectum equo, clientum stipatum multitudi-

ne, para-

ne, parasitos parentisque nutrientem videre. Cuius tandem rei gratia id velles? Num ut illi voluptatem aliquam ex his omnibus parares? At qui audis illum dicentem, ne nobis fortasse minus fidem habeas, tanto se vitam istam ea quam degunt, qui in deliciis viuunt, qui formosis meretricibus vtuntur, qui se musicæ, parasitis, assentatoribus, omni que id genus lasciuia addixerunt, iucundiores ac dulciores existimare, ut malit milles emori, quam iis obtemperare, qui iubent hac illum omnia voluptate ad illam se conferre. Quid ad hæc dicetur es? Num ignoras quantum voluptatis, quid iucunditatis ea vita pariat, quæ à strepitu negotiorum remota penitus quietem agit? Fortasse nec ullus id hominum nouit, quippe qui eam vitam nunquam profecto gustauit. Cum itaque nec claritudo desit, atque hæc quæ sibi misceri vix possunt, securitas & gloria in vnum coeant: quid hac vita præstabilius dici aut fingi potest? Dices, quid tu ista mihi ingeris, qui sum à philosophia remotissimus? Cur ergo natum tuum quoque ad eam propius accedere non sinis? Satis sit isto te incommodo affectum esse. Nonne summum esse detrimetum arbitraris, quando ad extremam prouecti senectutem, ut qui in priori ætate nihil boni, nihil emolumenti fueritis lucrati, molestissime eam ætatem fertis? At ideo, inquit, eam moleste ferimus, quod magna nobis contulit iuuentus commoda. Quanam magna? Da senem, qui magna ista commoda habeat. Si enim illa habuisset, perseuerasset utique cum illo, nec modo ut his orbatus atque destitutus, ita lamentaretur: sin vero illa abuolauerunt, & marcida euanuerunt, quoniam modo fuerunt magna quæ sic cito extincta sunt? Atqui filius tuus nunquam proteris id patietur: sed si ad longissimam quoque senectutem sibi protendantur anni, non illum videbis indignantem, aut iniquo animo ferentem, ut vos facitis: verum gaudentem, gestientem, exultantem, triumphantem. Tunc enim bona sua vigent amplius, & florent. Vestra autem diuitia, etsi bona habeant innumera, in primo statim ætatis flore facient illa contractiora. Non autem ista ita faciunt, sed usque ad senectutem durant, excedentesque è vita comitantur: idcirco vos cum tantam diuitiarum copiam preparatam in senectutem habeatis, plurimamq; vobis & deliciarum & gloriæ occasiones suppetant, irascimini & indigne fertis, quod ætas non sufficit, ut eis frui valeatis: idcirco mortem quoque perhorrescitis, vobisq; tunc potissimum miserabiles omnibus esse confitemini, cum maxime floretis. Contra, ille tunc insigni requie fruatur cum senuerit, quippe qui ad portum venire properat, habetque eam iuuentutem quæ viget semper ac viret, nullumque metuit senectutis occasum. Verum enim tu filium tuum eis deliciis, eisq; hauriendis voluptatibus instare voluisses, quarum illum milles pœnituisset, cum ad senectutem peruenisset. Sed ad eiusmodi deliciis ipsos quoque inimicos nostros liberet deus. Verum ego quid senectutem memoro, quandoquidem die vno voluptas illa omnis extinguitur: imò ne die quidem integra illa perdurat: sed breuissimo temporis momento. Quid enim est voluptas? Nonne ventri se dedere, cibosq; delicatos parare, & speciosis mulieribus congregi, porcorum instar se in cœno volutantium? Sed ista post videbimus. Interim voluptatem ipsam quæ sit indagemus, atq; videamus, si non planè leuissima simul & vilissima sit, atq; illam, si placet, primò inspiciamus, quæ delicias omnes videtur sua dulcedine longe antecedere. Dic oro, illius tempus, quantumq; nos illa continere

Tomus quintus.

possit: profecto partem temporis adeo breuè, ut ne plene quidem qualis sit videri possit. Nam simul ac quisq; impletus fuerit, voluptatem etiam omnem extinxit. Atque antequam illa impleatur, fluenti vnda citius pertransiens, ad ipsas fauces deficit & euanescit, nec tantum durare potest, dum cibus ad interiora descendat: simul enim atq; linguam pertransit, vim etiam omnem amittit. Omitto mala illa, & incommoda, quæ solèt ex eiusmodi deliciis gigni, quantum illæ rixarum, quantumq; tumultum excitent. Non modo autem iucundior & lætior est, qui eas delicias spernit, quam is qui fatiuritate distenditur: verum leuior quoq; facilior, gratior. Somnus etiam sanitatis in viscere moderato, inquit. Quid me dicere necesse est morbos, mœrores, clades, inanèque sumptus? quæ controuersia, quæ lites, quæ insidia, quæ ex hisce commerciis odia, rixaq; pullulant? At habet quiddam dulcedinis ac suauitatis meretricibus mulieribus congregi. Et quæ potest esse voluptas in tanta turpitudine? Sed hæc interim indagare omittamus, nec armatorum pugnas prosequamur, nec bella inter se ritualium, nec accusationes & crimina: verum sit aliquis qui licenter, summamq; cum libertate, obscœna illa libidine fruatur, neque ritualè vllum habeat, nec à speciosa illa muliere contemnatur: pecuniarum præerea tanta illi sit copia, ut eas veluti ex manantibus fontibus hauriat, & largissime impèdat, quanquam impossibile est hæc omnia simul cōuenire. Cæterum ei qui rituali habiturus est, omne patrimonium exhauriendum erit, ut alios omnes largitate munerum superet: rursumq; qui noluerit ad extremam inopiam deduci, is demum à meretrice spernetur, abiiciatur, respuetur. Cæterum ut concedamus nihil horum fore impedimeto, quo minus sibi omnia superfluant, atque ex sententia proueniant: quam tu tandem nobis voluptatem hic potes ostendere? Num in ipso congressu tempore apparet? At quisq; simul ac impleuit coitus rem, voluptatem etiam extinxit omnem: qui autem adhuc in congressu est, non sane in voluptate agit, verum in tumultu, & perturbatione ingenti, in ardentibus aculeis, in insania, in concussione & feruore vehementi. Atqui non eiusmodi nostra voluptas est. Absit id penitus, verum & quietum semper animum ab omni perturbatione seruat, & metum nullum, aut concussionem inducit, sed purissimam quandam præstat integerrimamque læticiam, eamque gloriosissimam, & quæ sine nullo concludi possit: longèq; illa vehementior, quam vestra, & potentior est. Atq; id ostendere quatenus nostra sit quam vestra iucundior, securior, gratior, difficile non est. Vestram enim voluptatem metus comprimere ac fugare potest. Nam si rex mittat, qui minetur mortem, complures ita affectos ea voluptas deseret: eis vero qui nostra ista voluptate potiuntur, si qui milles mortem inferat, non modo non persuaderebit ut eam negligant, verum irridebitur magis: adeo nostra gratior, & dulcior, & violentior quam vestra est, prorsusque nulla est vtriusque comparatio. Ne igitur inuideas filio, cum à fluxis bonis, & quæ ne sunt quidem, ad ea quæ & sunt & in æternum perseuerant, confert: neque lugeas eum qui beatissimus meretur dici: sed eum luge, qui non eiusmodi est, quique in præsentem vitam, tanquam in concitatissimo circumfertur euripo. Atque ut iam ad summam veniamus: tu enim etsi gentilis at infidelis es, nostram tamen hanc perorationem suscipies. Audisti profecto Cocytos, & Pyriphlegethontas fluuios, & Stygis vndam, & Tartarum tanto inferiorem terra, quantum hæc ipsa distat à cœlo,

M iij plurimosq;

plurimòsque suppliciorum modos. Et si enim hæc illi explicare, prout erant, non potuerunt, quippe gentiles & cogitationibus propriis instincti, nostra quam longius odorati, futuri tamen iudicij vmbra quamdam atque imaginem expresserunt. Denique inuenies & poetas, & philosophos, & oratores, atque omne scriptorum genus de dogmatibus huiusmodi philosophantes. Audis enim & Elysium campum, & beatorum insulas, & prata virètia, & myrtos, & auram tenuem, odorè que suavissimum cuncta replentem, & choros ibi commorantes, amictos stola candida tripudiantes, atque hymnos quosdam cœcinentes, prorsusque post vitæ excessum, & malis & bonis reposita pro meritis mercedem. Quò nam ergo tu tandem in statu animi eos, siue bonos siue malos viuere existimas, qui iugiter eiusmodi secum cogitationes versant? Nonne alij quidem, etsi præsens eis vita per cuncta blandiatur, degantque aliàs sine mœrore, summamque cum voluptate, quasi quodam conscientia flagello semper impelluntur, & exagitantur, atque perterrentur, furiarum tædis ardentibus, futurorumque malorum expectatione cruciantur: boni vero etsi malis innumeris vexentur, iuxta Pindarum spem habent, qua recreentur, quæ mala præsentia se nec sentire sinit. Itaque in hoc quoque maior voluptas nostra, quam veltra est. Multo enim profecto melius, multoque præstantius est, à temporalibus & momentaneis laboribus incipere, atque in infinitam requiem desinere, quam his, quæ videtur esse iucundissima, breuiter gustatis, in summa & grauissima incommoda decidere. Cum igitur id concessum sit, hic etiam vitam illam virtuti deditam esse iucundissimam: non id quod initio dixi faciendum est, atque eos miserandum, qui in talibus tantisque bonis lachrymantur & gemunt? Non enim lamentationibus dignus est filius tuus, verum plausibus coronis; clarissimis, qui ex tantis mundanorum fluctuum motibus, ad tranquillissimam vitam, portumque serenissimum se recepit. At exprobrant tibi patres plurimi filios habentes seculo addictos, tæque digito denotant, ac sibi inuicem ostendant alij cum vident, atque irrident alij. Cur non tu eos magis & irrides, & miseraris? Neque enim id intuentum est, an irrideant & obiurgent nos, sed an recte & iuste id faciant. Quòd si digni fuerimus qui irideamur, etiam si non illi rideant, nos tamè lugere merito debemus. sin vero id iniuste & inique faciant, etiam si omnes rideant, nos tamè beatos esse sentiamus: illorum vicem doleamus, quippe qui cunctis infeliciores sunt, & nihilo infanis meliores. Insanorū enim est, & eiusmodi morbo laborantium, eum qui plurimis & coronis & laudibus sit dignus irridere. Dic enim oro, si quòd filius tuus, saltatorum insaniam, vel aurigarum se omnino addixisset, inde te laudarent atque admirarentur vniuersi, beatissimumque esse faterentur: nonne irrisionem hanc, & quidem mordacem esse existimares? Quid illud? Si quòd strenuū aliquid, ac forte, dignumque laudibus egisset, propterea te omnes irrideret, probrisque respergeret: nonne illos amentes, insanos, furiososque proclamares? Atqui hoc nunc quoque faciamus, neque opinioni multitudinis acquiescamus: verum diligentissimo rationis examini de filio tuo ferèdam sententiam permittamus: videbis profecto ridiculos istos homines vilissimorum potius mancipiorum, quam liberorum parentes esse filiorum, si filio tuo illi comparati fuerint. Verum enimvero tu nec dum ista cōspicari, aut perpèdere vales: cum vero te modicum collegeris atque requieveris, filiusque tuus plurima de se virtutis

A documenta dederit, non iam tibi verbis opus erit: & ipse enim hæc atque his plura etiam ad alios loqueris. Quæ sanè ego omnia non tibi sine certa ratione prænūcio, sed loquor quæ expertus sum. Amico enim quodam & sodali vsus sum, qui patrem habebat infidelem, diuitè, spectatum, & vndeunque clarissimum. Is primum quidem concitauit principes, & intèrauit carcerem, parauit vincula, ipsūque omnibus exutum, & necessariis etiā alimentis indigentem, in alienum dimisit solum, hac illum arte sibi acquieturum putans, atque ad seculi latiores vias rediturum: postquam vero illum in nullo sibi cedere peruidit, neque penitus moueri loco, victus tandem manus dedit, & palinodiam cecinit: nunc in honore habet filium, illumque amplius quam si pater esset, colit, obseruat, reueretur. Cūque plures alios habeat liberos, spectatos in seculo viros, eos ne dignos quidem, qui serui eius sint, arbitratur, atque ex eo ipso filio longe clarissimus est. Hæc eadem in tuo nato etiam perspicimus, atque me vera profectum ex rebus ipsis addices diligenter: idcirco ipse quoque iam loquedi finem faciam, id tantum orans atque obsecrans, vt annum vnum expectes, aut minus etiā. Neque enim ea quæ apud nos in studio est virtus, multis diebus vt perficiatur opus habet, quippe quæ diuina gratia germinat, & mature ad frugem peruenit. Inspicietque ista omnia quæ dicta sunt, rebus ipsis impleta. Nec modo facta laudabis, verum ipse quoque si te parum colligere volueris, citius ipsius amulus atque imitator eris, ducem & magistrum habens virtutis atque probitatis filium.

LIBER TERTIVS AD PATREM
fidelem.



C **A**GE, iam fidelem quoque patrem doceamus, quam illi non expediat, vtque integrum non sit eos oppugnare, qui filium suum, vt dei monita & consilia implere pergat, hortatur. Quamquam periculum est, ne iste quoque sermo superfluo à nobis instituat, cōtraque ac superiori libro dixeramus, contingat. Tunc enim diximus, per legem certaminis nostri nos aduersus gentilem dimicare non cogi, cōtraque tatum qui interius sunt iudicare Apostolum iubere, omnique aduersus eos, qui foris sunt, pugna immunos esse ac liberos sinere. Nunc autem, vt mihi quidem videtur, ne istis quidem dimicationibus sumus obnoxii. Nam si priore libro Christiano de his verba facere oportere turpe esse videbatur, multo id magis nunc. Quis enim non erubescet, is qui fidelis est, si de his admoneri opus habeat, in quibus ne infidelis quidè quietam nobis cōtradidere aut reluctari possit? Quid igitur? Tacebimusne propterea, nihilque loquemur? Minime vero. Nam si quidem esset aliquis, qui in futurum sponsor & fideiussor accederet, nobisque perspicuum, & planè manifestum faceret, fore posthac neminem qui eiusmodi facinora auderet: nos quoque ipsi quietem ageremus, eisque qui præterissent, silentio nostro vt latere possent, concederemus. Quoniam vero neminem eiusmodi tenemus idoneum fideiussorè, necessaria penitus videtur verborū admonitio. Si enim aliquos inuenerit hoc morbo laborantes, operabitur profecto quod suum est: sin vero nemo in hanc malam valetudinem incidit, actum est vt volumus, & vehementer optamus. Quippe & medici etiam posteaquā infirmis medicamenta parauerint, maxime cupiunt nihil eis opus esse lægenti: itaque & nos optamus quidè votis omnibus, neminem esse ex fratribus nostris, cui ista admonitione

nitio opus sit: sin vero, quod tamè absit, fuerint aliqui eiusmodi, vel secundum nauigationis remedium non illos effugiat. Fingamus ergo iam fidelè quoque eiusmodi esse, cuius infidelis fuerat, ei que per cuncta simillimum, præterquam in cultu dei & religione. Lamentetur & lugeat similiter, prouoluatur omnium pedibus, præcedat canos, & senectutem, & solitudinem, cunctaque illa prosequatur, quæ gentilis dixerat, & quantum vult iracundiæ iudicibus moueat: quaquam in hoc aduersus istum certamine iudicium iam hominibus permittendū non est. Audiuit enim profecto quæcunque summi apud nos viri, diuino spiritu repleti, de terribili horrendoque iudicio, quod post huius excessum vitæ sequitur, philosophati sunt. Atque ante omnia admonendus est diei illius, ac perniciosissimi fluminis in morem decurrētis ignis, eiusque flammæ quæ nunquam extinguitur, cum solis tollentur radij, lunæque splendor occultabitur, cū stellis deciditibus cœlisque cōuolutis virtutes commouebuntur, cum vndique concussa, & liquefcente humo, terribilis alter nūsusque sonitus tubarum concrepabit: cū percurrentibus orbem vniuersum angelis, assistentibusque regi milibus, & milibus milium ministrantibus, aduentibusque cum ipso iudice ad eius obsequium paratis exercitibus, ante castra ipsa cœlestis signum elucebit: cum solium parabitur, & aperientur libri maiestatisque illa reuelabitur inaccessa, atque ineffabilis: cum vox illa iudicantis audietur horribilis & metuenda, alios quidè in ignem paratū diabolo & angelis eius iræ præcipientis: alios vero post ingentem illam exercitationem, virginitatisque labores ipsis thalami ianuis arcentis, ministrorumque aliis zizania colligere, atque in fornacem immittere iubentis: aliis item alios nonnullos compeditos, vincitōsque post terga manus in exteriores tenebras abducere, atque horrifico dentium stridori addicere: cum hunc quòd impudice tatum aspexerit, illum quòd intemptiuo se risu dederit, alium quòd maledixerit duntaxat, vehementissima atque grauissima animaduersione plectet. Nam quòd istos quoque pœna acerbissima maneat, ipsum iudicem audias licet, qui & hæc, & eiusmodi supplicia intentat. Ad hunc nobis iudicem prorsus eundem est, atque diem illum metuendum in quo nuda & patefacta erunt omnia, non tantum opera & verba, verum ipsa quoque cogitationes & intentiones animi. Nam eorum quoque delictorum, quæ videntur esse leuia & nulla, terribiles tunc pœnas expendemus. Adeo iudex ipse pari, & eadem ferè diligentia & nostram, & proximorum nostrorum salutem requirit à nobis: idcirco Paulus quoque semper & vbi que monet singulos, non quæ sua sunt querere, sed quæ proximorū: ideo in Corinthios vehementer inuehitur, quòd nullam prouidentiam, nullamque curam habuerant eius qui in grauissimum crimè fornicationis inciderat, sed magis eius vulnus tumidum obduratumque contempserant. Galatis quoque eadem scribens aiebat: Fratres, & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, eiusmodi corrigite. Thessalonicensibus item eadem monita edebat, dicens: Itaque exhortamini inuicem sicut & facitis. Itè que: Corripite indisciplinatos, consolamini pusillanimes, sustinete infirmos. Ne quis enim diceret, quid mea interest, etiam aliorum curare salutem? Qui perit, pereat: & qui seruetur, seruetur: nihil horum pertinet ad me, mei tantum ipsius curam habere mihi imperatū est. Ne quis, inquam, ista diceret, immanem hæc, & prorsus inhumanam cogitationem iugulans, legibus istis illam sepsit & circū-

Gal. 6.

1. Thess. 5.

A clusit, quibus plurima iuberet nostrorum comodorum negligere, vt proximorum salutem cōsuleremus, atque omnibus in locis vitæ eandem diligentiam habendam definiuit. Romanis quoque cum scriberet ingentem illis curam huiusmodi procurationis imposuit, multumque in ea parte voluit esse sollicitos, fortes imbecillibus patrum loco esse iubens, eorumque salutem curæ illis esse admonens. Sed ista in eo loco hortantis atque consulentis voce magis quam imperantis autoritate madauit: alio vero in loco summa cum vehementia auditorum animos perterruit, eos qui fratrum salutem negligere in ipsum Christum peccare asseueras, dei que adificium diruere. Quæ quidem omnia, non vt à se inuenta asseuerat, verum à magistro didicerat. Nanque vni-genitus dei filius docere nos cupiens, quam istud debitum necessarium sit, vtque hi qui illud reddere negligunt, summis afficiantur incommodis, aiebat: Quicumque scādalizauerit vnum ex pusillis istis, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria circa collū eius, & demergatur in profundum maris. Atque is qui talentum attulerat, nō quòd aliquid ex suis cōtempserat, sed quòd proximi salutem neglexisset, & increpitus & supplicio affectus est: itaque etiam vitam omnem nostram diligentissime compositam & instructam egerimus, hac non euitata negligentia, nihil consequemur emolumentum, cum ea talis ac tanta sit, quæ sola in gehennæ profunda possit immergere. Si enim is, qui proximum in eis rebus quæ ad corpus pertinent, adiuuare noluerit, nulla ratione excusari poterit: verum etiam virginitatem ille serauerit, extra sponsi thalamum proicietur: is qui quòd multo maius est omiserit, (quippe lōge maximum est animarum gubernatio & regimen) cur non mala omnia perpeti merito dignissimus existimetur? Hominem enim non vt sibi ipsi tantum prodesse creauit deus, sed vt multis. Idcirco Paulus quoque fideles homines luminaria appellat, ex ipsa appellatione manifestas, oportere fideles ceteris quoque vsui esse. Luminare quippe quandiu seipsum tantummodo illuminat, luminare profecto nō est. Quocirca gētilibus quoque ipsis deteriores esse ait, qui proximorum salutem negligere, sic dicens: Si quis autem suorum, & maxime domesticorum prouidentiam non gerit, fidè abnegauit, & est infideli deterior. Quid enim hoc loco prouidentie nomine significari putas? An fortassis necessariorum largitionem? Equidem reor ipsum hoc nomine curam animæ significare voluisse, sin vero tu contētiōse sensum tuum asserere malueris, sic quoque sententia mea firmior ac validior manebit. Nam si de corpore hæc dixit, eumque qui vilem hunc & quotidianum cibum non præbet, tantis cruciatibus addixit, gētilibusque deteriore esse ait: quò nam tandem in loco statuemus eum, qui id, quòd lōge maius & dignius est, magisque necessarium, cōtemnit? Age itaque colligamus peccati nostri magnitudinem, ac paulatim ascendentes ostendamus, quantum peccata omnia exuperat proximorum contemptus & neglectio, vtque ad summum malignitatis verticem euadit. Est igitur primus malicie & iniquitatis gradus, amicos aspernari, quin vt ad inferiora sermonem reducimus: nescio enim quo pacto id me penè effugerat: prior illa lex Iudæis tradita, ne iumentum quidem inimicorū despici permittit: sed siue illa deciderint, simul erigere: siue oberrauerint, reducere iubet. Est itaque primus malicie & crudelitatis gradus ab infimis ascendendo iumenta & pecora inimicorum & errantia, vel lapsa negligere. Secūsus illo superior, inimicos ipsos negligentius curare. Quanto enim homo

Exo. 23.

Deut. 22.

mutis animantibus ad honorem prestat, tanto peccatū istud maius quam illud est. Tertius deinceps, fratres aspernari, si fuerint ignoti. Quartus familiares quoque despiciere. Quintus, cum non solum corpore, verū anima quoque fratrum pereunte desidemus. Sextus, si non familiaribus modo, verum ipsis quoque liberis nostris pereuntibus negligimus. Septimus, cum nec alios quibus illi curā esse possint providemus. Octavus, cum & eos, qui id a seipsis facere institunt, arcemus atq; prohibemus. Nonus, cum non tātum illos prohibemus, verum oppugnamus quoque. Itaque si primus & secundus, & tertius eiusce facinoris gradus tanto supplicio afficiendus est: quantos ille meretur ignes, qui cunctos eos gradus ascendit: Quod profecto modo vos facitis, qui non illū a primo gradum transcendistis: quinimo si quis eū non tantum nonum, verum & decimū & vndecimum dixerit, profecto non peccabit. Cur id? Quia nō natura solum id peccatum multo maius est, verū ex ipsa quoque ratione teporum durius multo & grauius sit. Quid ita? Quia eadem modo peccantibus nobis, quā vetus lex damnat, non eadem supplicia debentur: verum tanto acerbiora & diriora, quanto maiori gratia potiti, excellentiorisque doctrinæ participes effecti, maioribus item honoribus affecti sumus. Cum igitur & natura, & tempore scelus hoc adeo immane sit & vehemens, cōsidera iam quantas flammās, quantosq; cruciatus in eorum capita, qui id perpetrare non metuunt, exaggerabit: verum ne sine certa ratione computando hęc dixisse videar, ex re ipsa documenta afferā, vt sciatis, quia et si vitam nostram omnē summa cum diligentia & cura disponamus, extrema animaduersione puniemur, si liberorum salutem neglexerimus. Rem autem vobis enarrabo, non a me ipso inuentam, sed in diuinis literis traditam. Sacerdos quidā aqud ludæos fuit vir imprimis moderatus atque māfuetus, Heli nomine: huic duo cum essent liberi, viderētq; illos viciis deditos, nō corripuit, aut coërcuit: siue, vt verius loquar, corripuit illos quidem, & cohibuit, verum non omni cum studio & vehementia id fecit: horum hęc autem fuere crimina, ventris ingluuiēs, & fornicatio. Edebant enim, inquit, antequam sanctificarentur sacre carnes, priusquam offerretur deo sacrificium. Quibus compertis pater non illos pœna affecit, ceterum verbis tantum castigare, leniq; admonitione ab hac eos perueritate reuocare conatus est, atque huiuscemodi verba iugiter ad illos loquebatur: Nolite filij, nolite sic facere, non enim bona fama est, quam ego audio de vobis, vt faciatis populū non seruire domino. Si delinquēs peccauerit vir in virum, orabunt pro illo dominum: sin autē domino peccauerit vir, quis pro illo orabit? Et certe plena sunt grauitatis, reuerentiæ, ac ponderis hęc verba, & quæ recuperare, atque ad statum vitæ melioris reuocare possent eum qui penitus excors & amens non esset. Quippe sceleris immanitatem indicant, & quā sit metuendum & cauendum admonent, & quā illud pœna subsequeretur ostendunt, grauisima scilicet & intolerabilis. Verum quia non omnia quæ fuerant agenda, vt ea reserarentur vicia, molitus est, & ipse cum illis vnā periiit. Nanque & minas ille addere debuerat, & a suo eos cōspectu amouere atque abdicare etiam & verberibus afficere, multoq; illis grauius & durius instare. Quia igitur nihil horum egit, verborumq; tantum monitis cōtentus fuit, & illis & sibi ipsi deum aduersum, infestūque constituit. Cūque improbe & intempestiue filiis parceret, & suam simul & illorum salutē perdidit. Au-

di denique quid ad discipulum de magistro locutus sit deus: quippe & discipulo, & propheta alteri, & cunctis penitus eius clades reuelare & loqui, quā illi maluit, adeo illum auerfabatur atque oderat. Quid ergo inquit Samuēl? Nouerat quōd maledicerent filij eius deo, & non corripiebat eos: certe corripuerat, sed hanc deus pro correptione non suscipit adeo illū quōd vehementia & inuentione caruisset, reprehendit. Itaque et si prouidentiam habeamus filiorum, non autem quātum necesse id faciamus: profecto non ea prouidentia dicenda est, sicut nec fuit illa correctio Heli. Cum vero crimen profectus fuisset, tum demum ingenti cū iracundia cruciatum adiecit: Iuravi enim, inquit, domui Heli, si peccatum istud de domo Heli expiabitur, siue incēso, siue sacrificiis vsque in æternum. Vidisti ne ingētem indignationem, cruciatūque vehementissimum, & omnino spe veniæ exclusum? Prorsus, inquit, illum perire necesse esse, nec ipsum modo vel eius filios, verum cum illo domum quoque vniuersam, nullūq; medicamentum erit, quo vulnus istud curare possit: quanquā seni illi præter filiorum neglectiōem, nihil quod crimini daret, habuit deus. Erat enim admirandus in cæteris, eiusq; philosophiam omnem, cū ex aliis locis intueri licet, tum ex ipsa quoque calamitate casuum suorum. Primum enim cum ista omnia audisset, seq; ad supremum cruciatum peruenisse conspiceret, non acerbē, non grauitē, non indignanter tulit. Nō dixit quid nam istud est: vt fecissent plurimi: nū enim ego dominus sum aliorum voluntatis? Peccatorum meorum pœnas persolvere habeo. Filij atatem habēt, ipsiq; soli merentur cruciari. Nihil omnino horum dixit, ne cogitauit quidem: ceterum vt seruus fidelis & gratus, & qui vnum tantum sibi obseruandum nouit, vt quæque dominus suus ei intulerit, æquanimitē & facilliter ferat, quantūlibet illa tristia & acerbā sint, ita plenissima philosophiæ verba edidit: Dominus, inquit, ipse: quod gratum est in conspectu suo faciat. Nō solum autem ex loco isto, verum ex alio quoque virtus eius animaduerti potest: nam cum bello finitimorum lacefferētur Iudæi, profectusq; ad illum quidam belli clades enunciaffet, vtq; turpiter & miserabiliter illius liberi in ea dimicatione corruissent, hætenus quidem agebat quietem: verum cum illæ tantæ huic cladi arcam dei direptam ab hostibus fuisse adiecisset, tū vero præ mæroris magnitudine obtenebratus senior, cecidit de sella retro iuxta ianuam, & contritum est dorsum eius. Senex enim erat & grādæuus, & honorabilis, & ipse iudicauit Istraël viginti annis: qui sine querela genus Hebræorum rexerat, qui eis temporibus conuersatus est, quæ non magnam vitæ diligentiam requirebant, nihil excusare potuit, quo minus quia illi cura non fuerat & diligentissima, & vehemens salutis liberorum, & misere & infeliciter periret: contemptusq; illius scelus instar fluctus tetri & ingētis, virtutes eius cunctas transiuit, vniuersaque recte facta sua magnitudine operuit: qua tandem nos animaduersione puniemur, qui & eo tempore nati sumus, quo longe maior a nobis philosophiæ fructus postulatur, & senis huius virtute non parum inferiores sumus: quippe qui non tantum ipsi liberos nostros non moderamur, neque ad virtutem dirigimus: verum eos quoq; qui id facere voluerint, & insidiis appetimus, & hostium vice oppugnamus, barbarisq; omnibus immaniores erga natos nostros sumus: Illorum enim atrocitas & feritas vsque ad seruitium duntaxat, & captiuitatem, & vastitatem patriæ, corporisq; incommoda, & mala sœuit:

1. Reg. 3.

vos autem ipsum animum in seruitutem abducitis, & veluti captiuum quendā vincientes, ita demum nequissimis & ferocissimis dæmonibus traditis, eorumq; libidinibus & ludibriis exponitis: cum enim neque ipsi aliquid quod ad spiritum pertineat monitis, neque alios id facere permittitis, nihil profecto agitis: nec id mihi modo aliquis obiiciat, quōd plerique circa filiorum curam longe, quā Heli negligentiores, nihil tale perpessi sunt, quale Heli. Multi enim sapenmero multa ob id facinus acerbiora passi sunt, & duriora. Nam vnde ergo acerbæ & intempestiue mortes, vnde morbi perpetui, atque grauisissimi plerunq; nobis, liberis nostris inferuntur? Vnde damnis & incōmodis afficimur? Vnde casus varios, vnde calumnias, vnde mala innumera quotidie perpetimur? Nōne quōd filios nostros malos aspiciamus, & eos emēdare negligimus? Atque quōd ista inanis coniectura nō sit, satis quidem senis huius casus & euentus cōfirmare nos poterat: ceterum ego dictum ex nostris cuiusdam sapiētis viri de hac re loquar. Cum enim is de filiis differeret, ita ferē inquit: Ne lateris in filiis impiis, & nisi fuerit in illis dei timor, ne confidas illorum vitæ: ingemiscēs enim intempestiuo luctu, & cōfestim illorum scies consummationem. Plurimi igitur, vt dixi, eiusmodi multa perpessi sunt. Sin vero aliqui efugere fortasse visi sunt, isti non in finem penitus, sed in capitis sui malum effugerunt: acerbiores enim ac longe diriores cum excesserint è vita, pœnas luent. Cur autē, inquires, non hic potissimum omnes qui sunt eiusmodi, supplicii afficiuntur? Quia profecto deus diem statuit, in qua iudicaturus est orbem vniuersum, hęc autē dies nondum adest. Præterea si istud fieret, iam diu absumptum defecisset, ac præreptum fuisset omne mortalium genus. Cæterum vti ne istud contingat, neu plurimi ex dilatione ac tarditate iudicij pigriores fiant, assumit quosdam interim deus peccatis obnoxios, eosq; hic pœnis excrucians, per illos admonet reliquos, quānam ipsos, quantaq; supplicia maneat: vtq; addiscāt, quōd et si hac in vita nulla animaduersione plectātur, post eius tamen excessum punientur, & quidem longe grauius ac durius. Neque enim quōd prophetas nunc non mittit deus, per quos pœnam peccantibus denunciaret, idcirco desides esse & stolidi debemus. Non enim prophetarū hoc tempus est, imō vero eos nunc quoque mittere nō desinit. Vnde autem id nobis constat? Habent, inquit, Mosē & prophetas. Ea quippe quæ ad illius temporis viros dicta sunt, ad nos quoque dici similiter manifestum est: nec modo Heli, sed omnibus prorsus eadē peccantibus, per illum perq; illius clades intentans loquitur deus. Nec enim personas accipit, vt qui minora peccatē cum domo tota funditus euertit & deleuit, is eos qui longe maiora & grauiora deliquerint, impunes esse permittat. Nec id quidem dicere possumus, quōd nō illi summa sit huius rei ratio & cura: summum enim optime educandorum liberorum studium inducit, adeoque ingens eius rei desiderium naturæ præterea inferuit, vt veluti necessitatem quādam inuitabilem prouidentia & curā habendæ filiorum parentibus constituisse videatur. Leges item postmodum intulit, de cura pro liberis seruenda. Nam cum dies festos agi statueret, filiis suis eiusce celebrationis rationes & causas vt aperirent, imperauit. Denique cum de Pascha loqueretur, adiecit: Et annūciabis filio tuo in die illa dicens: Idcirco fecit deus mihi hęc, cum exire de Aegypto. Quod itidem facit in eius legibus, quas de sacrificiis tulit. Cū enim de primogenitis præcepta edidisset, rursus adie-

Luc. 16.

Erod. 13.

cit: si post hæc interrogauerit te filius tuus, dicens: Quid hoc est? dices ad eum: Quia in manu valida eduxit nos dominus de Aegypto ex iugo seruitutis. Cum vero obduraretur Pharaō, nec dimitteret nos, occidit omne primogenitum in terra Aegypti, a primogenitis hominum vsque ad primogenita iumentorum: idcirco ego immolo domino omne masculinum adaperiēs vuluā. Atque per omnia vt illos ad dei noticiā adducant, monet & iubet. Sed & ipsis quoque filiis plurima de his, qui se genuerunt officiosissime tractādis imperat, eos quidem qui parentes fouerint, atque omnibus beneuolentiæ officii profecti fuerint honorans: reliquos vero, quiq; fuerint ingrati, supplicii afficiens. Hac autem rursus ratione chariores illos ac iucundiores parentibus facit. Nam si qui cuiusquam nos constitueret dominos, honore isto summam nobis necessitatem videretur imponere, ne illum negligere: & si enim nihil aliud, certe vel id nos exorare posset, quōd illius omnia nostris in manibus constituta essent, nec ita nobis crediti salutem facile prodere sustineremus: Cum vero præterea deus vnā irascatur, ampliūque quā hi, qui iniuriis, & contumeliis fuerint affecti indignetur, grauisimōque cruciatu addat, hinc quoque vberiore parētum ad filios amorem elicit. Tertium vero deinceps a natura ipsa necessitudinis & charitatis vinculum adiunxit: sin autem ita maus, primum. nam ne illius de educandis liberis monita patres aspernarentur, naturalem addidit necessitatem. Ne autē illa ipsa naturæ necessitudo filiorum tandem iniuriis offensa imbecillior fieret, aut deflueret, aut rumperetur, inobedientes liberos & ipse per seipsum punit, & patribus coërcendos puniendosq; permittit: sicq; eos summa cura parentum ditioni subiiciens, prorsus ne ab illis negligenter, effectit. Non autem hinc solum, verum alia quoque ex ratione summa nos illis cura diligentiaq; coniunxit. Non modo enim malos, atque ingratos erga parentes liberos pœna afficit, bonosq; ac beneuolos suscipit: verum in ipsis quoque parentibus identidem facit, liberorum quidē negligentes dirisime puniēs: eos vero, qui studiosius illorum curam gerunt, collaudans, summisq; honoribus afficiens. Nanque senem istum, tametsi aliās illustrem ac virtute singulari præditum, ex huiusmodi tamen negligentia puniuit. Patriarcham vero cum ex virtutibus reliquis, tum ex hac in primis diligentia & cura laudauit atque honorauit. Cum enim dona illa plurima & maxima proferebatur, quæ se illi daturum pollicebatur, causam quoque adiecit, & dixit: Noui enim, inquit, quōd cōstituet Abraham filiis suis, & domui suæ post eum, & obseruabunt vias domini dei, vt faciant iusticiam & iudicium. Ista nunc a me ideo commemorata sunt, vt ostenderem quā nō sit æquanimitē laturus deus, si eos negligētius tractemus, qui tantæ sibi curæ sunt. Neq; enim eiusdem est, vt liberi salui fiant, tanta moliri, atq; si illi negligantur, ira non commoueri. Non itaque filios negligi impune permittit, verum vt ex rebus ipsis declaratum est, indignabitur, & vehementissimo furore cōcitatibitur. Quocirca beatus Paulus iugiter admonet, dicens: Patres, educate filios vestros in disciplina, & correctione domini. Si enim nos ipsi quoque vigilare iubemur, tanquam pro animabus illorum rationem reddaturi, id profecto multo magis pater, qui genuit, qui educavit, qui cū illo domi semper conuersatur. Vt enim in suis propriis delictis nō valet quisq; se ad excusationis remedia cōferre, ita ne in his quidem, quæ filij deliquerint. Idq; rursus beati Pauli probatur testimonio. Cum enim

Gen. 17.

Eph. 6.

enim

enim ille sanciret cuiusmodi esse deberent, qui ad aliorum magisterium & regimen assumeretur, inter cetera que illis inesse necessario debere testatus est, etiam filiorum curam & diligentiam annumerat, quasi nulla iam reliqua sit venie spes, si peruersi illi fuerint. Et nimirum id quidem conuenienter. Nam si a natura ipsa vicia homines haurirent & acciperent, posset aliquis exultationis se velamine obtegere: quoniam vero sponte atque ex proposito & probo & improbo efficiuntur, quam tandem ille probabilem excusationem poterit obtinere, qui quem omnium maxime diligit, & charum habet, peruertere & nequissimum ac perditissimum fieri permittit, dum liceat si velit optimum ac probatissimum facere, atque hoc cum ex naturali affectu iugiter ad profectum liberorum avidissimè expetendum excitetur. An vero non potest? Nihil est quod illi minus concesserim. Nam quod eum tenerum acceperit, primusque ac solus omnè eiusce instruendi facultate nactus sit, semperque domi secum continuerit: & bellissime illum, & facillime imbueri ac moderari potuit. Itaque nulla alia ex ratione peruersi ut fiant liberi contingit, nisi quod eorum patres circa vitæ presentis commoda æquo amplius incumbunt, & ferè dixerim insaniant. Cum enim illa solummodo inquirunt, nihilque illis præferendum censent, & suam pariter, & liberorum animam negligere coguntur. Hos ego patres, quod nemo tamen me commotius dicere quam verius existimet, parricidis ipsis immaniores, sceleratiorisque dixerim. Illi enim corpus ab anima dissepant, isti & animam & corpus æternis ignibus tradunt. Atque is quidem qui corpore occiditur, necessario naturali lege, etiam si necatus non fuisset, moreretur: hic vero sempiternam mortem vitare potuisset, nisi hæc illi consciuisset paterna negligentia. Præterea corporis mortem superueniens protinus resurrectionis gloria delere poterit facillime: animæ vero interitum nihil solari poterit, cum sibi nulla iam sit reliqua salutis spes, verum immortales cruciatus luere cogatur. Itaque non iniuria parentes eiusmodi deteriores parricidis esse diximus. Non enim ita crude facinus videtur, gladium acueri, & armare dexteram, atque in ipsum filij guttur immergere, ut animam perimere, atque corrumpere: nihil enim huic ad honorem & dignitatem simile habemus. Quid igitur is, qui ciuitatem habitat, qui domum habet & uxorem, saluus esse non poterit? Primum quidem non vna salutis via, nec vnus modus est, verum permulti, ac differetes. Quod quidem Christus indefinite dicit, cum multas esse apud patrem mansiones asserit. Paulus vero sub definitione quadam idem loquitur, sic scribens: Alia claritas solis, alia lunæ, & alia stellarum: stellæque item à stella differt in claritate. Quod autem dicit, eiusmodi est: Alij quidem fulgebunt sicut sol, alij vt luna, & alij vt stellæ. Nec ista differentia contentus, maiorem longe varietatem intulit, tantamque quantam in tanto stellarum numero contingere par est. Stella enim, inquit, à stella differt in claritate. Diligenter igitur perpède, per quot dignitatum, ac meritorum gradus descendes, si à solis magnitudine ad vltimam & minimam stellarum deuoluaris. Perquam igitur iniquum & indignum est, si filium tuum ad regiam & ad regem introducens, ut ipsum familiarissimum regi charissimumque constituas, omnia & facis & pateris, cunctaque moliris, nihil penitus dum id assequaris, omittens aut subterfugiens, non sumptus, non pericula, non vlla incommoda, non mortem ipsam denique: cælestis vero militiæ, cælestiumque munerum optione proposita, non doleas, neque lameteris, si extremum

Ioan. 14.

1. Cor. 5.

fortiatur locum, sitque omnium nouissimus? Verum hoc ipsum altius inspiciamus, fieri ne possit, ut qui in medijs seculi curis ac negocijs versatur, vel extremus electorum esse dignus habeatur. Paulus quidem de huiusmodi breuem sententiam tulit, eosque qui habent uxores, non aliter saluos esse posse declarauit, quam si eas ita habent, tanquam non habentes, mundoque isto non abuterentur. Nos autem si placet, id quoque paulo altius ac diligentius intueamur. Potes ne ipse gloriari, filium tuum vel te admonente didicisse, vel à seipso fuisse conspicatum, quod is qui iurat, etsi non sine ratione iuret, in deum peccare conuincitur? Quid vero? Num illud didicit abs te, quod is qui memoriam iniuriarum retinet, saluus esse non potest? Viæ enim, inquit, illorum qui non obliuiscuntur iniurias in mortem. An fortè id abs te audiuit, quod maledicum ita dehonestauit deus, ut ipsa quoque scripturæ sacræ lectione prohiberet? Quid vero? Nunquid hoc illi protestatus es, quod superbum & iniuriosum de cælis deiecit, ac gehennæ tradidit ignibus? Num illud tandem eum docuisti, quod qui impudicis tantum oculis aspicit, tanquam qui consummarit adulteriū, sit puniendus? An vero leue istud, ut videtur, propter tumque delictum iudicare proximos, grauissimis cruciatibus afficiendum vt fugeret, eum aliquando monuisti, Christi? de huiusmodi, constitutas leges illi vnquam legisti? Fortasse ne tu quidem, quenam ista sint nosti: quoniam ergo modo poterit ea filius perficere, quorum nec pater ipse, qui illum erudire debuerat, leges nouit? Atque vtinam hoc tantum culpa esset, nihil vtile parentes liberis consulere posset, id etiam sit grauissimum aliqua fortasse ratione tolerari: nunc vero illos ad ea quæ salutis suæ sunt aduersissima omni studio impellit: denique audias patres, cum liberos suos ad studia literarum hortantur, huiusmodi verba illis iugiter insuffurrare: Ille, inquit, humilis, humilique loco natus, quia dicendi facultatem consecutus est, summos magistratus, maxima imperia administravit, opes acquisiuit ingentes, uxorem accepit diuitem, construxit præclaras ædes, omnibus terrori est, summaque in gloria versatur. Alius rursus: Ille, inquit, Latina lingua eruditus, in regia clarissimus est, cunctaque intus ipse administrat. Alius item alium in medium adducens proponit ad imitandum, cunctaque penitus insignes & claros in seculo viros memorant: cælestis vero conuersationis, cælestiumque bonorum nulla omnino sit mentio. Ceterum si quis aliquid eiusmodi memorare voluerit, ut qui cuncta peruertat, ita reicitur, exagitur, affligitur. Cum ergo hac doctrina teneros illorum animos imbutis, atque hisce verbis rudes adhuc aures excantatis, profecto nihil eos aliud, quam materiam malorum omnium docetis, duos istos illis violentissimos amores inferentes, pecuniarum scilicet, & qui longe perniciosior est, leuissimæ atque inanissimæ gloriæ: horum vero cum seorsum quilibet cuncta peruertere vi sua sufficiat, quid tandem ambo facturi existimantur, si simul coeant, sicque in iuuenis animum irruat mollissimum atque tenerimum? Nonne veluti torrentes quidam coniuncti, bona simul omnia corrumpunt & perimunt, tantum spinarum, tantum harenæ numerum, tantamque materiem vim intus congerentes, ut animum illum sterilem, bonorumque omnium inferacè faciant? Qua in re ipsi quoque externæ philosophiæ authores nobis testimonio sunt. Alterum enim horum viciorum non coniunctum, sed separatim ac solum, vnus quidem arcem: alius vero caput malorum appellauit. Sin vero separatim arx malorum, & caput est: quid tandem erit, si alterum quoque sibi ac-

1. Cor. 7.

Esaia. 14.

Math. 5.

1. Tim. 6.

Marc. 6.

Num. 21.

sibi accesserit immanius longe, atque potentius: gloria scilicet insanus amor, atque cum illo violenter irruens firmissimis radicibus nitatur, iuuenisque occupet animum? Quis iam eiusmodi impetum poterit obtundere, quis eam perneciam restringere, cum præcipue parentes cuncta ea & faciant & moliantur: non quibus hæc iniquissima germina vellantur, verum quibus firmiora & solidiora fiant? Quis adeo stultus, atque amens sit, quin ita imbuti & instructi desperet salutem? Optandum in primis fuerat ei animo, qui huiusce verbis indies incitaretur, eam pestem euadere posse. Cum vero præterea vndique illiciant pecuniarum præmia, vbique scelerati homines ad imitandum proponantur: que nam iam salutis spes relinquatur? Qui enim pecuniæ amore rapiuntur, inuidi quoque, nequam, detractores, periuri, temerarij, audaces, maledici, fures, inuerecundi, impudentes, ingrati, mala denique omnia sint necesse est. Atque horum omnium testis fidelissimus est beatus Paulus, qui radicem omnium vitæ malorum pecuniæ immodicam cupiditatem esse ait. Quod idipsum Christus antea manifestauerat, cum impossibile esse assereret, eum seruire deo, qui illi vicio esset obnoxius. Cum igitur initio iuuenis ad hanc statim adducatur seruitutem, quando iam liber esse, quando vnderum moles poterit euadere, cunctis impellentibus atque mergentibus, extremoque in submersionis periculo illum statuentibus? Nam si nullo perturbante, si plurimis porrigentibus manum, exurgere ille, atque emergere potuerit, cunctamque perturbationum ac viciorum amaritudinem diluere: nonne congratulandum atque congaudendum illi erit? Si, inquam, longo tempore diuini excantatus carminibus, inolitas passiones abiicere valuerit: nonne & laudandus miles, & coronandus erit? Dura enim, dura ac penitus acuta & violenta res consuetudo est, ad vincendam capiendamque animam, cum in primis ista voluptatem adiutricem habeat: ea vero virtus, ad quam festinamus, & ad quam transferri atque applicari studemus, ingentes nobis præbeat labores. Quocirca deus ipse quoque cum Hebræis, eorum quæ in Aegypto didicerant malorum vetus consuetudo deponenda esset, seorsum illos in solitudinem adduxit, atque ita illorum formabat animos, viam omnem medicinæ, & curationis tenens asperiore atque leniorem, nihilque penitus omitens ex his que viderentur eorum salubritati profutura. Et ne sic quidem vicia illi effugerunt, sed cum manna cælesti cibo alerentur, cepas tamen & allia & cetera Aegypti mala præferabant, atque requirebant. Adeo consuetudo valet, tantumque habet roboris. Si autem Iudei cum tanta diuinæ diligentia cura fruerentur ducemque præstantissimum, & oratorem adeo egregium, cui niterentur haberent, metuque præterea & comminatione & beneficis & cruciatibus, modis denique omnibus erudirentur, tantaque & tam illustria miracula viderent, in nullo meliores euaserunt: tu filium tuum iuuenem in Aegypto media, siue magis in media dimicatione versantem, nullumque qui quod vtile esse possit, consulat audientem: cunctos vero ad ea quæ contraria salutis sunt se exhortari inspicietem, atque eos omnium maxime, qui se genuerunt & educauerunt, diaboli laqueos euadere posse arbitraris? Vnde quæso? Num ex his, quæ tu illi doces? Atqui tu ad ea quæ omnino contraria salutis sunt, hortaris, cum philosophiæ ne per somnium quidem permittis illum meminisse, cunctaque seculi istius, infra supraque voluens commoda maximis fluctibus iactari, summisque in periculis vitæ versari, tuis adhortationibus inducis. Num

fortè à semetipso? Maxime quidem iuuenis sibi ipsi non sufficere ad virtutem conquirendam atque exercendam: sed & si quid ex seipso strenuum atque illustre cõceperit, priusquam id germinet, verborum tuorum perpetuo imbribus suffocabitur. Vt enim corpus si salubribus cibis non fruatur, in salubribusque nutriatur, longo tempore subsistere & durare non potest: ita & anima quæ eiusmodi doctrinis fuerit imbuta, nihil vnquam altum, nihil magnum cogitare poterit, sed eiusmodi necesse est languidam & mollem, viciumque velut peste quadam iugiter infectam, ita demum in æternos ignes, atque immortales cruciatus proici. Sin vero tu ista non ita se habere contenderis, esseque possibile medijs in rerum perturbationibus virtutem omnè assequi, affirmare perrexeris; ne quæso pigeat nouam hanc atque inauditam nos docere disciplinam. Nolo enim sine causa, si fieri possit, tantum mihi negocij assumere, nec frustra seculi lata respicere. Sed enim hoc addiscere non possum: neque enim permittitis vos, huic sententiæ & verbis, & operibus contradicentes, atque omnia contraria docetes: veluti enim dedita opera liberos vestros omni studio perdere curetis, ita vniuersa illos facere iubetis, quæ qui faciunt; salui esse non possunt. Id si placet aliquanto altius consideremus, cælestibus euangelium vocibus intonas: Væ, inquit, videtibus: vos illis quotidie innumeras risus occasiones præbetis. Væ diuitibus: vos contra, ut illi pecuniosissimi fiant, vniuersa molimini. Væ cum vobis benedixerint homines: vos autem & quidem scæpe, ut laudes, fauoresque populares consequamini, omne patrimonium effunditis. Rursusque qui fratrem cõtumeliis affecerit, sempiternis ignibus obnoxius fit: vos autem & imbecilles esse putatis, & timidos, qui tacite sibi illatas contumelias ferunt. Imperat Christus pugna & vltione abstinere vitæ cælestis amulos: at vos in eiusmodi pestibus illos semper enutritis. Oculum ille si noceat crebro eruendum iubet: vos eis maxime amicis vtimini, quique pecunias dare amplissimas potuerint, etiam si supremum viciorum omnium doceant. Dimittere ille uxorem non permittit, præterquam in sola causa adulterij: vos autem modo pecunias accipere ampliores licet, hoc etiam præceptum vt illi aspernentur, imperatis. Iusurandum ille penitus prohibuit: vos si quem id seruare videritis, etiam ridetis. Qui amat, inquit, animam suam, perdet eam. Vos ad huiusmodi amorem semper illos hortamini. Si non remiseritis, inquit, hominibus peccata illorum, nec pater vester cælestis remittet vobis: nos quoties eos, qui nos iniurijs laceant, vlcisci noluerimus, ignauiam nobis exprobratis, utque filij vestri mature se vlcisci possint, curam omnè adhibetis. Rursus gloriæ inanis cupidus cuncta sine mercedis fructu gerere, sententia sua Christus docuit, siue illi ieiunauerint, siue orauerint, siue miserti fuerint: vos contra, ut hac frui valeatis nihil omittitis. Et quid me necesse est vniuersa persequi, cum ista quoque quæ dicta sunt, gehennas innumeras inferre idonea sint, non modo si cuncta simul coeant, verum & seorsum singula? Ceterum vos simul vniuersa congeritis, & imponentes peccatorum onus importabile, ita demum in fluium igneum immittitis. Quando itaque seruari poterunt, quæ tanta ferunt igni nutrimenta? Neque istud solum iniquum & indignum est, quod Christi præceptis contraria docetis, verum quod fauorabilibus appellationibus vicia obducitis. Quippe Circensibus ludis, & reliquis spectaculis interesse iugiter, vrbaneitatem & facietas vocatis: diuitiis affluere, liberalitatem: gloriam amare, magnanimitatem:

Luc. 6.

Ioan. 12.

Math. 6.

nimitatem: arrogantiam, confidentiam: prodigalitate, clementiam: iniusticiam, fortitudinem esse asserentes. Tum vero quasi non hac sufficiat decipula, virtutem quoque contrariis nominibus obnubitis, rusticitatem quidem pudiciam vocantes: formidinem, modestiam: imbecillitatemque, iusticiam: contemptumque fastus & gloriae feruili esse animi existimantes, malorumque tolerantiam, ignauiam & infirmitatem: tanquam profecto metuentes, ne si tandem veram & propriam harum rerum appellationem ab aliis audierint, effugiant eiusmodi perniciem filij. Neque enim parum confert ad evitacionem mali, nudas ipsas & proprias viciorum proferre appellationes, verum tantum habet momenti & roboris, ad eos qui peccant feriendos, ut plurimi nonnumquam turpissimis flagitiis insignes, cum id quod sunt, se vocari audiunt, modeste ferre non possint: sed ut qui acerbissima sint perpepsi, ita scruunt atque effeantur. Denique si quis vel mulierem adulteram, vel stupratum puerum ex actu ipso foedissimo vocauerit, ut qui maximis iniuriis affecerit, irreconciliabilis efficitur repente inimicus. Nec istos solum, sed & cupidum quemque, & ebrium & elatum, ac tumidum, omnemque penitus qui graue aliquid peccauerint, videas non tam opere ipso nefario, multitudinisque opinione morderi ac dolere, ut appellationibus propriis operum suorum. Atque ego coplures isto correptionis genere emendatos noui, facti que ipsis exprobrationibus moderatores ac meliores. Verum enim vos istud quoque solatium, ac remedium sustulistis: quodque grauius est non verbis solum, sed operibus ipsis quoque haec illis monita datis, dum aedes preclaras instruitis, dum emitis preciosissimas villas, dum apparatus alios magnificos quaeritis, prorsusque veluti atra quadam nebula illorum animos obnubitis. Vnde igitur mihi persuaderi poterit, eiusmodi posse saluos fieri, cum eos omni studio ad illa compelli conspiciam, quae qui faciunt, Christus perire omnes apertis vocibus docuit: cum videam vos illorum animas, ut vile aliquid, ac superfluum negligere: eorum autem, quae & superflua re vera & indigna sunt, veluti ea necessaria sunt & principalia curam gerere ingetem? Nempe enim ut feruus, ut equus optimus, vestitusque; preciosissima filio sit, omnia facitis: ut autem ipse bonus & probus fiat, ne cogitare quidem vnquam vultis. Ceterum ad ligna vsque & lapides hoc studium perducitis: animam vero nec minima quidem huius diligentiae parte dignam iudicatis. Cumque ut in domo statua antiquo opere admiranda consistat, & tecta aurea rutilent, cuncta moliamini: preciosissimam omnium statuarum animam, quatenus auream efficiatis, nullam curam gerere vultis. Atqui nondum supremum verticem, & culmen malorum omnium dixi, necdum summam totius calamitatis reuelavi: quam cum saepe dicere instituerem, verecundiae ac ruboris magnitudine superatus destiti. Quid vero istud est? Audedum enim iam, ac dicendum est. Nam esset profecto incredibilis ignauia & imperitia, si pestem aliquam rescare cupientes, ne mutire quidem aduersus illam auderemus, silentioque nostro morbum illum accusare, & grauiorem constituere vellemus. Non itaque silebo amplius, etiam si millies & pudendum mihi & erubescendum fuerit. Neque enim medicus cum putredinem exprimere & extergere parat ex vulnere, ferrum manibus arripere deuitat, atque in ipsum, ut ita dixerim, vulnere fundum digitos demittere. Et nos itaque, & si sit ista longe grauior & molestior putredo, non tamen de hisce loqui recusabimus. Quod ergo tandem istud malum est? Amor quidam nouus

& nequissimus nostra aetate, atque in nostrum genus irrupit, & late dominatur. Morbus irruit acerbis atque insanabilis. Pestis teterrima, atque omni pernicie immanior & grauior inuecta est. Scelus quoddam nouum & intolerabile excogitatum est. Non enim scriptae & constitutae modo, verum ipsae quoque naturae peruertuntur leges. Nihil iam ferè ad impudiciam rationem fornicatio esse existimatur. Ceterum ut in partus doloribus, cum passio incumbit violentior, prioris doloris sensum omnem sua magnitudine intercipit: sic huius quoque magnitudo flagitij facit, ut quod suapte natura tolerabile non est, non iam videatur esse intolerabile, obscena scilicet cum mulieribus libido. Optandum enim iam votis omnibus videtur, posse huiusmodi retia effugere, periclitaturque iam superfluo effectus esse sexus mulieribus, adolecentibus vices eius omnes implentibus. Quod cum per se est acerbissimum: facit id profecto, ut deterius & tetrius sit, quod tantum scelus, tam nefarium facinus incredibili audacia, summamque iam cum libertate admittitur, flagitiumque lex factum est. Nemo iam metuit, nemo perhorrescit, nullus continetur verecundia, nullus rubore suffunditur. Ceterum ista impudentia se ornari putat, & faceti videri ex scelere volunt. Insanire iam videntur, qui pudiciam student: & esse dementissimi, qui leges contra ferre audent. Qui si quidem imbecilliores fuerint, verberibus quoque conciduntur: sin vero potentiores, spernuntur, irridentur, & probris resperguntur innumeris. Nihil iam leges, nihil iudicia valent. Non paedagogi, non parentes, non magistri, non aetate obistere iam valent: alios enim pecuniis voluerunt corrumpere, eos scilicet qui solam ad mercedem spectant. Porro si qui fuerint modestiores, eorumque qui sibi crediti sunt, salutem curare perstiterint: alij quidem circumueniuntur facile, reliqui vero flagitiosorum potentia & metu perterriti succumbunt: facilius enim is qui tyrannidem sibi parare molitur, si suspectus fuerit, seruabitur, quam scelestorum illorum, nequissimorumque hominum manus possit effugere, qui illis fuerit insensus: adeo mediis in ciuitatibus veluti in solitudine ingenti masculi in masculos turpiter desruunt, horrendumque flagitium in alterutrum committunt. Si qui tamen hos laqueos effugere potuerint, opinionem saltem quod sint eiusmodi, difficile vitabunt. Primum quidem quod sint ipsi admodum pauci, siquidem facillime operiuntur improborum multitudine. Secundo, quod flagitiosi illi atque nequissimi demones, cum eos qui se spernunt, & execrantur, non possint aliter vlcisci, vel hac in parte illos violare student. Quia enim letale illis vulnus infligere non valent, ipsamque animam vel penetrare vel polluere, exteriorem saltem ornatum quo illi amicti sunt, maculare nituntur, omnemque illis honestatis gloriam eripere. Quocirca complures audiui, cum se mirari dicerent, quod nondum hodieque imber alius igneus eruperit, quod non similia Sodomis vrbs vestra passa sit: tanto sane grauiore digna cruciatu, quanto ne aliorum quidem cladibus emendata corrigitur. Verum quanquam ipsa quoque regione, iam post duo annorum milia ipsa sua facie clarius clamante quam si voce loqueretur, atque orbem vniuersum admonete, ne quid eiusmodi praesumat, non modo timidiore aut segniores ad hoc audendum facinus facti non sunt, verum longe impudentiores: tanquam profecto aduersus deum contendentes, atque operibus ipsis ostendere studentes, tanto se cumulatius his malis adiecturos, quanto maiora ille intenterit supplicia. Cur ergo nihil factum est eiusmodi, sed cum ad-

cum admittantur Sodomorum scelera, non tamen contingunt Sodomorum clades? Quia manet istos ignis alius longe isto grauior: cruciatuque finem nullum habens. Nam cum multo grauiora scelera, quam hi qui diuini aquis periere, plurimi post ea admiserint, nullus tamen imber eiusmodi postmodum factus est. Atque in hoc facto eadem rursus cotrouersa est. Cur enim hi quidem qui initio seculi fuere, cum neque iudicia essent, nec principum metus immineret, non legis comminatio terret, non prophetarum adesset chorus, qui moderaretur & regeret, non expectatio gehennae, non caelestis regni spes, non miracula ipsa, denique lapides ipsos quoque excitare valentia, cur inquam, isti qui nullo horum potiti sunt, pro his quae peccauerunt, tanta animaduersione puniti sunt: qui autem horum omnium participes fuere, atque inter metum diuinorum, humanorumque iudiciorum degunt, hodieque non eadem quae illi patiuntur, cum sint longe grauiori supplicio dignissimi? Nonne puero cuius constabit, quod acerbiori atque vehementiori poenae referuantur? Nam si nos ipsi quoque super his & irascimur & indignamur, deus cui omnium maxime totius mortalium generis cura incumbit, qui vicia vehementer & auerfatur & odit, quando ista impune admitti scelera passurus est? Sed profecto non ita se res habet, non adeo nos decipiamus. Immittere in illos penitus manum illam validissimam & plagam non ferendam, doloremque cruciatuum sempiternorum adeo grauissimum, ut si Sodomorum clades illi conferatur, ludus puerorum esse existimetur. Quam enim Barbarorum feritate isti non sua improbitate transcederunt? Quod beluarum genus congressu suo impurissimo non superauerunt? Est in quibusdam mutarum animatum a natura insitus libidinis ardor incredibilis, cupidoque intolerabilis, & nullo ab infania differens: quae tamen amorem hunc nefarium non norunt, sed intra leges a natura praestitas permanserunt: neque si millies libidine vrantur, naturae vnquam praeerlabuntur legem. At isti & rationales conditi, diuinoque magisterio potiti, quid agendum sit, vel non, aliis quoque annunciare iussi, non ita licentiose ac sine metu meretricibus ut adolescentibus congregiuntur. Et quasi homines non sint, non prouidentia vlla res humanas agat, aut moderetur, & ea quae fiunt, iudicet, ac tenebrae cuncta occupauerint, nullusque sit qui ista videat vel audiat, ita cuncta flagitia admittunt, infania ac furore incredibili. Liberos vero qui eiusce cotumelios afficiuntur, patres haec taciti ferunt, nec secum vnquam filios terra obrunt, neque tate cladi vllum remedium aut solatium inquirunt. Nam si ad externas gentes, si ad mare, si ad extremas insulas, si ad inaccessam terram, si ad eum qui citra nos est orbem, filij ut hac peste liberi euaderent, adducendi atque pertrahendi essent: nonne omnia & facere & pati debuerant, ne fierent huiusmodi flagitia? Certè si quidem insalubris esset locus aliquis, ac pestilens, nunquam eò filios adduceremus, etiam si lucra ingentia inde consecuturi videremur, etiam si sani illi viribusque essent validissimi. Nunc vero quum tam immanis pestis cuncta compleuerit, non solum ipsi liberos nostros ad haec praerupta pertrahimus: verum si qui illos eripere ac liberare voluerint, eos tanquam perditos & corruptores vndique exagimamus. Quam ista igitur ingenti iracundia, quanto furore, quantisque fulminibus digna sunt: quandoquidem ut illi linguarum acumen ac nitorem habeant per exteriorem sapientiam omni studio curamus: animam vero in ipso caeno spurciciae iacentem, atque in dies putrescentem non modo despiciamus,

verum exurgere quoque cupientem prohibemus. Et quisquam iam asserere audebit, possibile esse raris malis inuervantes, saluos fieri? Quam tadem ratione? Nempe qui impudicorum effugere insaniam potuerint, pauci omnino sunt, illique ipsi non effugient amores illos violentos, qui cuncta perdiderunt, pecuniarum scilicet & gloriae. Complures vero & his ipsis, & vnquam impudicis amoribus vehementius oppressi detinentur. Deinde difertos illos & liberalibus studiis exultos fieri cum volumus, non ea solum quae huic eruditioni impedimento esse possunt, rescamus, verum cuncta quae ad eam assequendam conferre possunt, sollicitè paramus, paedagogos ac magistros illis procuratores, sumptuosque suppeditantes, atque a rebus ceteris ocium praestantes, eisque intentius acclamantes atque studiosius quam in Olympiacis certaminibus paedotribae faciunt, inopiam quam imperitia copiasque quas parit eruditio commemorantes, cunctaque per nos ipsos & per alios agentes, ac dicentes, quibus illos ad finem destinati studij perducij posse arbitramur: Et ne sic quidem crebro voti compotes efficiuntur. Mores vero optimos & moderatos, conuersationisque praeclearae diligentiam vltro illis prouenire arbitramur, quum tot ac tanta sint quae illa impediunt & intercipiunt. Et quid hac absurditate dici deterius possit, si id quidem quod leuissimum est, maximo & honore & studio dignemur, quasi possibile non sit aliter illud adipisci: quod vero longe difficillimum & grauissimum est, id dormientibus contingere existimemus, ut vnum aliquid minimum, ac nullius estimationis ac precij? Philosophia namque animi literarum eruditione, studiisque liberalibus tanto difficilior est & operosior, quanto facere quam dicere difficilior, operaque quam verba laboriosiora sunt. Et quid, inquit, liberis nostris philosophia diligentiori opus est. Istud istud omnino est, quod vniuersos perdidit, quod rem adeo necessariam qua vita omnis nostra continetur, superfluum esse & ociosam iudicamus. Certè enim si qui corporis incommodo laborare filium viderit, nunquam dicturus est, quid illi integra & diligentiori sanitate opus est, verum cuncta molietur & geret, quibus tam insignem ille, tamque excellentem habitum acquirat, ut iam ad eum vltra morbus ille redire non possit: animam vero morbo quum illi grauissime laboret, nihil eis aiunt, curatione opus esse. Postquam ista omnia patres se vocare audent. Quid igitur? Philosophabimur ne omnes, inquit aliquis, seculique omnia peribunt? Non ita prorsus virorum optime. Non enim philosophiae dare operam, id tandem est quod vniuersa corrumpit & perdidit, verum id non agere. Quam enim, quae te, praesenti hoc in rerum statu per scelera & flagitia feruntur? Illine qui moderate & quiete viuunt, an qui nouos & iniquos excogitant deliciarum modos? Qui res omnium diripere, sibi que conscicere summo studio nituntur: an qui frugalitati studentes, suis & quidem modicis contenti sunt? Qui seruorum cuneos & assentatorum greges, exoletorumque examina circuducunt: an qui seruum vnum sibi satis esse arbitrantur? Nondum enim summa de philosophia loquor, sed de ea quae & plana est, & peruia, & plurimis accessa. Illine qui clemetes, & moderati, ac mansueti sunt: an ij qui nihil atque ac summos a contribulibus honores quaerunt, maximisque calamitatibus afficiunt, si non ille sibi assurgat, si non salutet prior, si non suppliciter inclinat, cunctaque seruorum obsequia praeseferat? Qui alieno imperio regi, aliisque obtemperare meditantur: an qui potestates & magistratus auent, cunctaque dum his potantur, & facere & tolerare sustinent? Qui quod se cunctis meliores

his meliores esse arbitretur, licere sibi & loqui, & agere omnia existimant: an qui seipsum cum ultimis & vilioribus annumerant, istamque irrationabilem potentiam virium castigant & fugiunt? Qui praecleara aedificia construunt, & magnifice instructas apponunt mensas: an qui parco cibo habitaculoque quod necessitati satis sit, contenti, nil amplius requirunt? Qui innumera soli sulcant iugera, an qui ne glebae quidem vnius possessione sibi necessaria existimant? Qui senuis foenori adiungunt, omniisque mercaturae viam iniunctam licet aperiunt & movent: an qui huiusmodi conventionum & chirographorum iniquitatem penitus oderunt, atque ex his quae possident, egentibus subveniunt? Qui mortalis conditionis imbecillitatem vilitatemque considerant, an qui ne hanc quidem considerationem admittunt, ac ferè homines se praetactantiae ac tumoris magnitudine existimare desierunt? Qui scorta nutriunt, alienisque matrimonii se inquinant, an qui uxore quoque legitima abstinent? Nonne illi quidem veluti tumores corpori, venticque saui ac furætes maris totius orbis terrarum euertere reipublicae exorti, eos quoque qui seruari possent, per suam intemperantiam & improbitatem immergere, ac prorsus extinguere conantur: isti vero tanquam lumina clarissima in tenebris micantia, eos qui in aestu medio iactantur, ad summam inuitates quietem & securitatem, ac philosophiae faces de sublimi quodam & longinquo pharo accensas praeferentes: ita demum eos qui monitis suis obtemperare non reuunt, ad quietem ac tutissimum portum perducunt? Nonne per illos quidem seditiones, bella, pugnae, euerfiones urbium, in seruitutem abductiones, seruitutes, captiuitates, caedes, malaque alia innumera quae in seculo fiunt, nec ea solum quae inferuntur ab hominibus, verum & quae de caelo omnia, puta siccitates, imbres, terrae motus, fames, pestes, aliaque omnia quae caelitus nobis immituntur? Nonne ergo isti qui & mores totius humanitatis peruertunt, qui reipublicas corrumpunt, hi aliis quoque innumerabilium calamitatum causa fiunt, qui vitae quietiori studentes, eamque degere volentes, perturbant vndique & pertrahunt, variisque suppliciis affligunt? Horum gratia profecto & iudicia, & leges, & multa, variaque tormentorum genera sunt instituta. Vt enim in ea domo in qua plurimi morbis variis laborant, paucique sanitate gaudent, videas plurima & medicamentorum genera, & medicos quamplures: ita in orbe toto nulla gens est, nulla ciuitas vbi non leges plurimae, non multi magistratus, non innumeri poenarum modi ad perterrendos improbos sunt constituti. Neque enim sufficiunt medicamenta ipsa sola languidos eripere, nisi adfint qui illa vulneribus imponant: hi profecto iudices & magistratus sunt, qui illos velint, non sint, medicinam admittere compellunt. Atque ita etiam morbus obtinuit, adeo ut ipsam ferè medicorum artem superauerit, ipsosque iudices infecerit: prorsusque idem contingit, ac si quis & febre & morbo intercutis, aliusque item aegritudinibus innumeris & grauioribus oppressus mala quidem propria curare negligeret, alios vero qui iisdem incommodis laborarent, erigere studeret: nempe enim viciorum inundatio & vis, quasi torrens quidam, vniuersis obicibus ruptis, vehementi impetu in animos mortalium effusa est. Et quid me dicere necesse est morum optimorum omnium peruerfionem? Periculū iam ingens metusque subit, ne pestis ista quae a nequam istis improbisimisque hominibus inuecta est, ea etiam quae de prouidentia a pluribus in libris disputata sunt, refellat omnia. Adeo indies procedit, augetur, insanit, om-

niaque occupare festinat, adeo quae supra fuerant, infra iam fecit, atque aduersus caelum bellare instituit, mortalium linguas non iam aduersus homines conseruos, sed planè iam aduersus omnipotentem dominum armans. Vnde enim, quae so, fati nomen multum per ora omnium vbique vertitur? Vnde syderum irrationabilibus motibus cuncta quae accidunt, plerique imputant? Vt quid fortunam, ut quid causam quidam profitentur, & praedicant? Vnde sine ratione, sine prouidentia, ac temere ferri cuncta arbitrantur? Propter eos ne qui iuste & quiete & moderate viuunt, an propter illos quos tu quidem continere & conseruare reipublicas dicebas? Ego vero communem totius humani generis pestem esse monstravi, atque istud ita manifestum est, ut nemo inde dubitare possit. Nullus enim indignatur quod ille aut ille philolophari pergat, quod mitis est, quod moderatus, quod pudicus, quod negligit humana omnia & spernit: verum quod ille delicate viuit, quod cupit, quod rapit, quod nequissimus cum sit, vicinque omnibus repletus, clarissimus est, summaque in rerum copia & prosperitate versatur. Ista queruli annunciant, haec obiciunt, haec accusant qui non credunt deo, his offenduntur plurimi, adeo illorum gratia qui iuste & moderate viuunt, non modo nihil horum verborum loquerentur, sed illa quoque reprehenderent, quibus ut dei accusarent prouidentiam fuissent inducti. Atque vtinam aut omnes, aut certe pars maior viuere ita voluisset, nunquam profecto verba ista aliquis excogitasset, nec summus malorum omnium vertex irrepsisset, ut quaereretur vnde mala essent. Cum enim illa non essent, neque apparerent, quis inquirere pergeret malorum causam? Ne innumera quidem ab ista quaestione seclata pullulassent. Manes enim & Marcio & Valens & Gentilium plurimi; hinc potissimum habuerunt principium. Sin vero omnes philosopharentur, quaestio sanè ista locum non inuenisset, sed si nullis aliis ex locis, vel ex isto certe viuendi optimo atque latissimo genere dudum vniuersi didicissent, sub deo nos rege degere, resque humanas ab illo & administrari & regi, secundum suam inestimabilem incomprehensibilemque sapientiam. Quod quidem fit nunc quoque, & si non facile perspicitur, ob ingentem illam & crassam nebulam, quam isti toto terrarum orbe effuderunt. Quae si auferretur, profecto veluti in meridiana luce, & sereno candidissimoque caelo cunctis mortalibus diuina perspiceretur prouidentia. Denique si non essent iudicia, non accusatores, non calumniatores, non tormenta, non multa, non carceres, non cruciatus, non bonorum publicationes & damna, non timores & pericula, non insidiae & inimicitiae, non iurgia, non maledicta, non odia, non pestilentiae, non denique aliud aliquid eiusmodi, si quod a nobis in hac enumeratione praetermissum est, sed omnes digna & conuenientissima cum moderatione viuerent, quis vnquam mortalium de prouidentia diuina dubitasset? Profecto nullus. Nunc vero ferè idem contingit, ac si hyeme ingenti ac procella imminente gubernator quidem faciat quod sui muneris est diligentissime, seruetque inter vndarum moles nauem, non autem appareat eiusce peritiae & artis diligentia vectoribus, quod hanc illis considerationem & perturbatio & metus & sollicitudo praesentium, iam iamque impendentium malorum eripiat. Deus enim nunc quoque gubernat omnem hanc machinam, & si non id a plurimis animaduertitur, ob rerum turbines & perturbationem vitae: quam quidem perturbationem isti maxime omnium excitant. Itaque non tantum morum reuertitudinem peruertunt, verum ipsam quoque pietatem religionis

religionis contaminant. Nec sanè peccabit qui istos naturae totius inimicos appellauerit, qui in aliorum perniciem coniurant, & doctrinis sceleratis ac impuris moribus, eos qui secum hoc in vitae saelo nauigant, demergunt. Atqui nihil horum penitus in monasteriis inuenies: verum quanquam procella tanta, tantique fluctus defauiunt, soli in tranquillo & portu & securitate summa residentes, veluti ex caelo ipso ceterorum naufragia prospiciunt. Nanque conuersionem planè caelestem elegerunt, nihilque deterius angelis affecti sunt. Vt enim illis nulla inest inaequalitas, nec alij successibus, secundisque rebus elati gloriantur, alij extremis malis & incommodis oppressi gemunt, sed omnes pariter in gaudio & quiete, summaque illa & caelesti gloria exultant: ita fieri quoque perspicias in monasteriis, nullus ibi paupertate exprobrat, nullus diuitiis honestior est. Inde id quod omnia peruertit & perturbat, Meum & Tuum penitus eliminatum est. Cuncta quippe illis communia sunt, mensa, domus, indumentum, & quod sanè mirabilius est, vnus etiam idemque animus omnibus est. Omnes eadem sunt nobilitate nobiles, omnes eadem seruitute serui, eadem libertate liberi, vna illic omnibus diuitiae, quae vere diuitiae sunt: vna gloria, quae vere gloria est. Non enim in appellationibus, sed in ipsis rebus bona eorum consistunt. Vna ibi voluptas, vna iucunditas, vna deliciae, vnum desiderium, vna spes omnibus inest. Ibi veluti quadam ex regula & libra cuncta diligentissime sunt ordinata. Nulla ibi inaequalitas, ceterum ordo summus & moderatio & conuenientia & ineffabilis concordiae seruanda diligentia, iugisque ac perpetua laetitia materia. Quocirca omnes omnia & patiuntur & faciunt, ut vna laetentur & gaudeant. Illic enim solum videas id perfectae contingere, nusquam alibi, non modo quod praesentia omnia contemnant, omnemque ab se rixae & discordiae & pugnae materiam abscederint, clarissimamque caelestium bonorum spe beati sint, sed quod ea quoque quae singulis contingunt & tristitia & laeta, conuenientia esse omnium existiment. Quippe & moeror facilius fugatur, quam pro virili sua omnes singulorum conportent onera, laetitiaque occasiones habent innumeras, non in suis modo laetis, sed in aliorum quoque, & quidem non minus quam in suis quique gestientes. Quoniam ergo modo res humanae quo minus pereant, conseruabuntur? Si istos omnes imitemur. Nunc enim ille planè propter eos perierunt & corruptae sunt, qui longe ab his moribus atque ab isto vitae instituto exercentur. Tu vero dum his contraria decernis, idem prorsus facis, ac si quis eam lyram quae diligentissime aptata esset, musica diceret inutile: eam vero quae & dissona & discissa esset, nimiamque vel intentione, vel remissione dissipata & corrupta, hanc & ad pulsus & ad voluptatem spectatorum esse diceret aptissimam: atqui nullum vel haec dicentium absurditatis argumentum certius, vel inuidia, & immanitatis ita decernentium documentum clarius inuenire possemus. Quae nam vero est modestiorum & clementiorum patrum ratio? Discant primum, inquit, literas, atque ita quum vim discendi assecuti fuerint, tum demum ad philosophiam istam adducantur. Tunc nemo qui prohibeat, nemo qui retrahat futurus. Et vnde scire certius poterimus, quod ad viros illi euasuri sint? Plerique enim abierunt, immatura praerepti morte: verum concedamus id quoque manifestum esse, fingamusque illos interim ad viriles annos prouehendos. Quis illud nobis pollicbitur, priorem omnem in medio aetatem illos bene acturos? Adeo enim nihil contendendi studio loquor, ut si

qui de his certius considerere & sperare possit optime: eos ego ne tum quidem vrbe educiturus sim, cum hanc diceri facultate consecuti fuerint: verum tunc maxime manere iubebo, quique illos fugare voluerint, non modo non laudabo, verum ut communes hostes nostrae reipublicae reiciam & execrabor, quod lucernas occultentes, & lumina clarissima ex vrbe ad solitudinem ducentes, ciuitatem nostram maximis incommodis afficiant, ingentisque gloria & honestate nudent: sin vero nemo est qui ista polliceri possit, quid tandem commodi illi consecuturi sunt, si mittantur ad magistratos, vbi vicia prius omnia, quam eloquentiam addisceret, dumque quod minimum est, accipere & assequi student, amittent id quod longe maximum est, vires animi scilicet, omnemque probitatis indolem. Quid ergo? Scholas ne omnes diruemus, inquit? Minime id quidem dico, sed ut ne virtutis destruaamus aedificium, viuentemque diruamus animam, omni studio & prouidendum & cauendum censeo. Quae si quidem pudica fuerit & sobria, nullo ex loquendi imperitia afficietur detrimento: sin vero fuerit corrupta, damna consequetur ingentia, etiam si lingua vehementer & acuta fuerit & expolita, tantoque maiora, quanto illi vis ea dicendi maior accesserit. Nequicia enim si cum dicendi facultate fuerit coniuncta, multo deteriora, quam imperitia, multoque funestiora solet operari. Quid si autem illuc abeutes, inquit, praeterquam quod linguam rudem habeant & imperitam, etiam virtute illa excidant? Respondebo tibi tuis verbis: Quid vero si domi manentes, praeterquam quod animum noxiis fomitibus corrumpant, ne ad eloquentiam quidem consequendam vnquam aspirent: siue quod non ocij quantum satis est, suppeditet, siue quod ad ea studia minus idonei nati videantur? Mihi quippe, mihi prorsus ista dicere competit, quam illa tibi. Cur id? Quia etsi vtriusque incertus euentus est, longe tamen tuus incertior. Quoniam id modo, & ut quidem Quia eloquentiam & eruditionem ut assequamur, morum etiam ornatu & modestia opus est: mores autem probi non etiam eloquentiae adiectione opus habent. Quippe sobrietatem, pudicitiam, iustitiam, virtutesque reliquas, etiam sine ista eruditione licet acquirere: eruditionem vero ac dicendi vim, sine probitate morum nemo ferè vnquam fuit qui assequeretur, cum tempus per flagitia consumeret. Quid ergo illa verebare? hic quoque necessarium est metuerendum, & quidem tanto hic amplius, quanto & crebrius qui voti non potirentur, inuerti sunt, & de maioribus rebus periculum imminet. Aequè illic quidem vnius tantum rei exercitatio necessaria est: hic autem duarum rerum compotes fieri propositum est, quod alteram sine altera consequi possibile non sit. Sin autem tu ita vis, impossibile etiam istud concedamus esse possibile: quid tandem boni, quid emolumenti nobis eiusmodi eruditio conferet, adeo letalem circa ipsa vitalia accipientibus plagam? Quid autem mali, quid incommodi paritura est locutionis imperitia, si quae sunt maxima fuerimus adepti? Atqui ista non solum apud nos qui exteriamur: sed apud ipsos philosophos quoque ita esse professo habetur. Idcirco ex illis plurimi non valde ediscendis literis operam dederunt, alij vero prorsus contempsērunt, & esse perstiterunt imperiti, omnemque aetate in ea philosophiae parte, quae mores conponit conterentes, clarissimi atque celeberrimi fuerunt. Anacharsis enim & Crates, & Diogenes huius assequendae peritiae nullum studium, nullam omnino curam habuerunt. Aiunt quidem, quod ne Socrates quidem, atque id attestari videtur, qui

in ea re longe ceteris excellit, quicquid illius omnia diligentius quam ceteri cognouit. Cum enim illum aliquando in iudicium introduxisset, rationem pro se reddendum, in ea oratione quam ad iudices habuit, ita illum fecit loquentem: Vos autem ex me audituri estis omnem veritatem, & non tamen, per deos immortales, deo viri Athenienses, orationem compositam electis verbis & nominibus ut faciunt qui horum studiosi sunt, neque aliquo ornamento fucata, sed audietis vulgaribus verbis loquentem. Credo enim iusta esse quae dico, nullusque vestrum aliter expectet. Neque enim profecto iudices huic aetati conuenire videtur, veluti adulescentulo fictis ad vos ingredi verbis. Hoc autem cum dicit, ostendit se non ob negligentiam quadam, ut fieri solet: sed quod eam rem non magnificaret, nec didicisse, nec illa unquam usum fuisse. Itaque philosophis quidem eloquentia indigna est, & viris prorsus: Iudicium vero adulescentulorum certamen & gloria, quod ipsis quoque philosophis videtur, nec philosophis quibuslibet, sed illi qui omnes facile in ea arte superauit. Denique magistrum ea re ornari non permittit, eiusmodi ornatum & turpem esse, & indignum philosopho existimans. Verum haec ad infidelem quempiam merito quis dixerit, imo vero ad fidelem quoque. Perquam enim ineptum & iniquum est, siquidem hi qui gloriam a multis aucupantur, nec alio ex loco quam externa sapientia clari & illustres esse possint, eam rem nihili existimant: nos eam ita admiremur, tantique aestimemus, ut propter illam assequendam ea contemnamus, quae necessaria in primis sunt atque utilia. Sed haec quidem ad infidelem dixisse satis sit. Ad fidelem vero praeter ista etiam ex nostris documenta afferenda sunt. Quanam vero illa erunt? Magni illi & sanctissimi viri qui initio seculi fuerunt, quum litera non erant, quique post illos fuerunt, quum erant quidem literae, dicendi vero ars nondum erat instituta: & qui post eos ipsos fuerunt, cum eloquentia iam apud omnes obtineret, maximoque in honore esset: horum profecto singuli suo quique tempore erant imperiti, non solum artis oratoriae, verum ipsarum quoque literarum. Qui tamen omnes in eis ipsis rebus in quibus dicendi vis videtur in primis esse necessaria, tanta facilitate eos qui in ea re sunt eminentissimi superauerunt, ut si illis isti comparentur, stultis pueris deteriores esse videantur. Cum enim persuadendi vis in facultate oratoria maxime consistat, philosophique; nullos hac arte tyrannos superauerint. hi vero imperiti & sine literis orbem uniuersum incredibili facilitate conuerterint: constat profecto palmam sapientiae apud istos literarum rudes & imperitos esse, quam apud illos qui & literas & oratoriam assecuti sunt diligentissime, adeo vera sapientia & vera eruditio nihil aliud est quam dei timor. Porro nemo me modo haec legem statuere existimet, ut pueri esse persistant imperiti. Nunquam enim prohibere pergerem, quin istud etiam ex abundanti fieret, si de his quae sunt necessaria, quisquam me securum faceret. Veluti enim si domus fundamenta quassa nutarent, omnique fabrica ruinam minaretur, extremae dementiae atque socordiae esset, non ad cameterios & fabros, verum ad tectorij operis peritos recurrere: ita rursus importunam simul & improbam contentionem esse parietibus inconcussis & firmiter stantibus, eum qui tectorium addere ornandi causa vellet, prohibere. Atque ut ista me ex animo loqui sciat, quae profecto si possem, rebus ipsis ostenderem, peropportune historiam quandam referre institui. Adolescens quidam admodum locuples aliquando in vrbe nostra

demoratus est, vtriusque eruditionis acquirere gratia, latinae scilicet & graecae. Hunc paedagogus sequebatur semper, cui ea vna & sola cura erat, ut ipsius formaret animum. Eum igitur ego aliquando conueniens (erat enim ex his qui montes & solitudines habitant vnus) causam addiscere studebam, cur omnia tam insigni philosophia in paedagogi ordinem seipsum deiecisset. Ille vero cum se parum continuisset, cum etiam iam rei ordinem nobis enarrauit. Puer, inquit, iste patrem habet durum, immitem, asperum, mundi; negociis vehementer intentum: matrem e contra pudicam, moderatam, piam, celestiaque solum suspirantem. Pater itaque ut qui in bellicis rebus plurima de se fortitudinis ac probitatis indicia dederit, insignemque ex militia gloriam fuerit adeptus, filium quoque in ordinem suum transferre cupit. Id vero mater omnino abhorret & vehementer execratur: optat enim illum clarissimum in monachorum conversatione perspicere, verum id quidem patri apertius dicere ausa non fuit: metuebat quippe ne si id ille vel leuiter suspicaretur, intempestiue iam seculi vinculis illum obligaret, & hoc studio abducens ad baltheum adduceret, atque ad omnem quae ex illo solet consequi vitae negligentiam, ac postmodum huius propositi & vite aditum omnem intercluderet. Igitur huiusmodi artem excogitat. Domum me accersit ex eremo, mecumque consilia sua cuncta communicans, apprehensam pueri dexteram inseruit manibus meis. Cum vero illam percontarer, quid sibi hoc vellet: vna, inquit, haec nobis reliqua est spes obtinenda filio salutis: si volueris tu, & passus fueris in paedagogi ordinem descendere, sumptoque puero a nobis proficisci. Meum erit persuadere patri, quod si militarem quoque vitam ille voluerit eligere, perutilis erit dicendi vis, & copia per studia liberalia quaesita. Haec ego, inquam, si efficere potuero, iam illum tu seorsum, atque in alieno solo tecum habes, vbi nec pater, nec propinquorum aliquis impedire ac perturbare possit, summa illum cum facilitate formare poteris, moreque illius ad id componere, ut veluti in monasterio ita tecum uiuat. Ceterum tu mihi hac in parte consenti, mecumque salubrem istam functionem simulaturum pollicere: non parua res agitur, non pro minimis deprecor, de filij mei anima certamen est atque periculum: non ergo spernas ceterorum amantissimum, mihique luce ipsa charior periclitantem: eripe illum laqueis vndique iam paratis & positus, educ ex procella & tempestate & turbine. Sin vero tu gratiam prestare nolueris, deum iam medium nostrum appello, & testem voco, me quidem nihil eorum omisisse quae ad huius pueri salutem pertinere videbantur, mundumque me esse a sanguine pueri istius. Quod si quid illi eiusmodi contigerit pati, quale ut patiatu fieri vehementer potest, quippe iuuenis, & in tantis deliciis degens, tantaque vitae negligentia: abs te & de tuis manibus requireret deus animam pueri istius. his plura etiam adiciens, miserabiliterque & vehementer illachrymas, persuasit tandem ut hoc negocium suscipere, atque cum his mandatis se dimisit. Nec sane inanis fuit ista machinatio, nec religioso matris voto diuina pietas defuit. Ita enim puerum illum breui egregius ille paedagogus exercuit, tantamque in eo flammam desiderij celestis accendit, ut cuncta simul repente abiiceret, atque ad solitudinem conuolaret: alioque rursus indigeret fratre, quod illum ab intempestiua illa & vehementi exercitatione ad moderatorem posset commodioremque conuertere. Namque metuendum valde videbatur, ne repetino hoc & immaturo studio rem ipsam totum reuelaret, matricumque & paedagogum, & omnibus vbiq;

monachis

monachis grauissimum bellum excitaret. Si enim fugam istam subitamque mutationem praesensisset pater, nunquam profecto destitisset omnia moliri & facere, ut sanctos illos fugaret atque affligeret: nec eos modo qui illum recepissent, sed alios quoque uniuersos. Hinc ergo puerum insignis ille institutor assumens: haecque & his plura illi allegans, celestis quidem philosophiae desiderium in eo durare permisit, & praeterea ut cautus fieret, curauit: urbem tamen ut habitaret, studiaque liberalia uti coeperat, persequeretur, induxit, ita eum coeui quoque maximo emolumento futurum persuadens. Quod quidem opere praecipuum esse videbatur, non modo sanctorum illorum, aut matris, aut paedagogi gratia, sed pueri ipsius quoque. Si enim initio statim in illum irruisset pater, timendum satis erat, ne philosophiae plantas commoueret, vel etiam penitus conuelleret, quippe teneras & receter positas: sin vero processu temporis optimis ille, firmisimisque radicibus niteretur, vehementer confidebat, quantalibet pater ageret, nunquam illum mouendum loco, neque vlla omnino ratione cessurum: quod & factum est, nec illum fessellit spes. Pater enim longo post tempore illum adorsus, vehementerque cum impetu irruens, non solum in nullo aedificium inclinauit, aut lesit: verum firmiter quoque validiusque monstrauit. Condiscipulorum vero plurimi tantum ex illius contubernio familiari profecerunt, ut eiusdem instituti fierent aemuli: habebat quippe ille domi qui se perpetuo moderaretur, ac veluti statua iugiter sub artificis manu constituta, ornatorum indies euadebat, ingentemque animo decorem assidue adiciebat. Et quod est profecto mirabilis, exteriori quidem cultu nihil a ceteris differre videbatur. Non enim agrestibus vel incomptis erat moribus, non comae negligentia, non amictus vilitate nobilis: sed erat communis habitu, voce, aspectu, & ceteris omnibus. Quibus ex rebus factum est, ut facilius plurimos contubernaliu inter retia sua includeret, cum haberet intrinsecus incredibilem latentem sapientiam. Denique si quis illum domi vidisset, vnum ex eis esse putauisset, qui motes & deserta incolunt. Domus enim ita illi disposita & parata erat, ut in nullo monasterij diligentia desideraret, nihilque necessarius amplius habebat. Tempus autem omne in diuinorum librorum lectione coteretur. Erat enim ingenio celeri, atque ad percipiendas disciplinas acutissimo. Itaque externa illi eruditioni breuissimam distribuens diei partem, reliquum tempus omne perpetuis orationibus, diuinisque literis instabat, ac sine cibo tota perseuerabat die. Imo vero non vnum, aut duos tantum, sed plurimos interdum dies sine cibo villo transigebat. Noctes praeterea totas in eiusmodi consumebat studiis, lachrymis, orationibus, sacrisque lectionibus vacans. Haec autem omnia paedagogus ille nobis clam annunciabat. Indignabatur enim puer ille vehementer, ferreque vix poterat, si quid eiusmodi efferri cognouisset. Dicebat ergo vestem illum sibi ex cilicio parasse, eaque noctibus vestiri solitum, eo scilicet consilio, ut celerius euigilans surgeret, aliaque prorsus omnia ad imitationem monachorum illi diligentissime parata erant, atque egregius ille institutor, deum iugiter ingenti cum leticia benedicebat, quod adeo leues huius philosophiae pennas puero largitus esset. Itaque si quis mihi nunc quoque eiusmodi animum ac paedagogum daret, aliaque similiter se polliceretur curaturum, incredibile est quod id fieri optare etiam amplius longe quam parentes ipsi. Sic enim profecto copiosiori ex lucro magis gauderemus, cum possent eiusmodi & per vitam, & per aetatem, & per iuge contubernium coeui etiam lucrari. Verum

Tomus quintus.

enim nullus est qui haec se spondeat exhibiturum. Cum vero nullus sit, incredibilis sane immanitatis esset, eum qui nec sibi ipsi auxiliari posset, & iacens vulneribus innumeris confoderetur, aliosque impeditiores faceret, in medio concidi permittere, quum deberet ex media dimicatione submoueri. Namque merito similiter in eum duces animaduertendum esset, qui alacres & pugnare valentes milites ex praelio abduceret, & qui eos qui saucij iacerent, aliosque perturbationi & impedimento essent, sic semper iacere in medio iuberet. Verum quia plurimi parentum instant vehementius, liberosque suos & eruditos & disertos singuli videre cupiunt, veluti certum & plane exploratum habeant, ad summum illos eloquentiae culmen prouehendos: aduersus istos nolo equidem contendere, nec dicam illos spe sua destitutos, idque interrim concedam, & eminentissimos illos in ea re fore, & ad summum prouehendos. Sit autem nobis duarum rerum optio proposita, ut vel ad magistros proficiscerent, eruditionem assequi contendant, vel abeuntes ad solitudines, virtutes animi, salutemque perpetuam conquirere decertent: vtro igitur in studio obtinere praestat? Nam si quidem in vtroque valeamus, & ego id volo: sin vero alterum sit eligendum, satius erit quod praestabilius eligere. Ita sane, inquit, sed hoc ipsum vnde de nobis constare poterit, quod stabit ille, perseuerabit, neque proposito decidet omnino? Multi enim exciderunt. Et ego tibi respondebo: Vnde vero tibi constat, quod non persistet, neque perseuerabit? Multi enim sunt qui perseuerauerunt, & quidem longe plures qui exciderunt. Itaque istorum gratia magis confidendum est, quam illorum metuendum. Cur autem in ipsis liberalibus studiis hoc ipsum non metuis, vbi maxime metuendum est? Namque apud monachos quidem ex ingenti multitudine vix pauci lapsi sunt: in schola vero liberalium disciplinarum ex plurimis vix pauci ad summam peritiam prouecti sunt. Nec solum istis rationibus verum aliis quoque plurimis merito id magis metuendum videatur. Quippe & pueri obtusum ingenium, & magistrorum imperitia, & paedagogi negligentia, & patris occupatio, & sumptuum mercedumque defectio, & dissimilitudo morum, contubernaliuque atque in discendo sociorum nequicia, & inuidia, & liuor, aliaque plurima, quo minus ad finem destinati studij pertingat, non nunquam impedimento sunt. Neque ista solum quae diximus, verum post ipsorum quoque studiorum finem, alia etiam quae impediunt, imminet. Quum enim illa omnia impedimenta praeteruectus, ad ipsum eruditionis culmen euaserit, nec villo eorum retardatus fuerit, alia rursus illic insidiae sunt posite. Namque & principis ignauia & inuidia eiusdem artis sociorum & confortum, & difficultates temporum, & amicorum solitudo, & ipsa sapenumero reifamiliaris inopia, ab ipso sine nonnunquam excluderunt atque abiecerunt. Atqui in monachorum institutis nihil horum videas: illic enim vna tantum re opus est, nobili scilicet atque eximia alacritate animi: haec si adsit, nihil quo minus quisque ad summam virtutem perueniat, impedire poterit. Quam igitur iniquum simul & indignum est, vbi quidem sunt ipsi optima pleraque indicia manifesta & viciniora, ibi desperare & tremere: vbi vero spes ipsa & longinquior est & tantis impedimentis intercipitur, illic non desperare, imo vero rei difficultatibus spes sibi maximas proponere? Quod sane faciunt qui in ipsis eloquentiae studiis, non ea quae sapius contingunt tristitia, sed quae per raro lecta considerant. Cumque in monachorum vita & instituto, vbi spes optima & certissima est, ad ea solum quae tristiora sunt, inclinetur, in ipsis liberalibus studiis,

N vbi

vbi maxime difficultates sunt, meliorum tantum spem in animo versant. Quamquam illic nonnunquam cum ea simul omnia conuenerint, quae debet necessario concurrere, ad ipsum iam finem immatura mors irruens, post innumeros labores illos, sudoresque frequentissimos, athletam ipsum sine coronis abripuit, quae si in medio monastici certaminis contingat: tum vero bellator ipse hinc maxime illustris & coronatus proficiscitur. Itaque si futuri vereris incertum, id in primis in studiis humanitatis faciendum est, vbi ne ad extremum perueniatur, plurima sunt impedimento. Tu vero illic eodem resides, & tempora expectas longiora, nihil eorum quae in medio sunt, cogitans, non sumptus, non arumnas, non incertum euentum, sed ad finem tantummodo respiciens. Hic vero cum nec dum vestibulum ipsum filius ingressus sit, necdum decoram istam honestissimamque philosophiam attigerit, iam metuis, iam trepidas, iam cogitando desperas: atqui ipse paulo ante dicebas: Quid enim is ne qui vrbem habitat, qui domum habet & vxorem, seruari non potest? An vero si cum vrbe & vxore & familia & domo seruari quis potest, non longe id facilius, aptius, melius poterit, si fuerit is liber? Neque enim eiusdem est, nunc quidem saluti cuiuspiam confidere, quamlibet ille seculo obstrictus fuerit, quasi sic etiam acquiri salus possit: nunc vero quantumcumque liber omnibus euaserit, vereri & metuere, quasi ne sic quidem ad virtutem & probitatem aspirare possit. Nam si is qui vrbem habitat, sic indubie seruari potest, vt tu modo dicebas: multo sane magis poterit, si se ad solitudines contulerit. Quid est ergo cur ibi salutem desperes, vbi minime debueras: ibique non metuas, vbi maxime pauere debuisti? At, inquit, eiusdem criminis non est, eum qui seculo adductus sit peccare, & eum qui semel se ac penitus deo deuouerit, religionis proposito excidere. Neque enim ambo eadem ex altitudine decidunt, ita nec eadem quidem vulnera suscipiunt. Fallis te ipsum prorsus ac decipis, si putas aliud a secularibus viris, aliud a monachis requiri. Haec enim ferè sola est in vtroque genere vitae differentia, quod illi quidem matrimonij se vinculis constringunt, hi vero his liberi perdurant. In reliquis vero communis, atque eadem ab vtriusque vitae ratione requiritur, eisdem pro culpa poena vna omnibus debetur. Nam qui fratri suo irascitur sine causa, siue ille secularis, siue monachus fuerit, deum similiter offendit. Atque is, qui mulierem respicit, & concupiscit eam, quolibet in vitae statu fuerit, eadem adulterij plectetur poena. Imò vero vt aliquid ex nobis addere, quod rationi consentaneum videatur audeamus, magis sine vlla spe veniae peccabit, qui ex seculo id scelus admiserit. Neque enim par facinus admittere videtur, qui vxoris solatio subnixus, decore mulieris irretitur, atque is qui eiusmodi auxilio, & infirmitatis remedio destitutus hac interdum peste corripitur. Rursus qui iurat, siue hoc, siue illud fuerit, pari omnino poena subiacebit. Neque enim Christus, cum de his monita ederet, legesque statueret, ita distinxit, vt diceret, si quidem is qui iurat monachus sit, a malo iusiurandum est: sin vero monachus non fuerit, non iam a malo est: sed absolute omnino dixit: Ego autem dico vobis, ne iuretis penitus. Rursusque cum diceret, Vxeridibus: non addidit, monachis, sed absolutissimam sententiam de omnibus tulit. Atque idem in ceteris mandatis suis maximis & admirandis facit. Cum enim dicit, Beati pauperes spiritu, beati qui lugent, beati mites, beati qui esuriunt & sitiunt iusticiam, beati misericordes, beati pacifici, beati qui persecutionem patiuntur propter iusticiam, beati qui & fan-

Matth. 5.
Luc. 6.

Matth. 5.

da, & infanda propter me & meum nomen ab his qui sunt foris, patiuntur: nec monachi, nec secularis nomen adiecit: ceterum ista distinctio ex hominum extimatione introducta est. Sacrae vero literae nihil horum penitus noverunt, sed omnes monachorum vita & instituto viuere volunt, etiam si vxoribus fuerint adiuncti. Audi denique quid Paulus moneat, quem cum nomino, rursus Christum praedico. Hic itaque cum scriberet vxoratis hominibus, filiisque; nutrientibus, omnem ab illis monasticam vitam diligentiam requirit. Namque delicias omnes penitus abscondes, siue quae ad cultum vestium, siue quae ad cibos pertinet, his verbis admonet: Mulieres, in habitu ornato, cum pudore & castitate femetipsas ornare, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut veste preciosa, & rursus, Quae autem in deliciis degit, viuens mortua est: & rursus, Habentes cibos & tegumenta his contenti sumus. Quid amplius posset aliquis a monachis exigere? Rursus vero cum alius lingua continere admoneret, seuerissimas leges constituit, & tales leges, quales monachis ipsis implere negotij non minimi est. Non enim turpitudine tantum, ac stultiloquiū dānat, verum ipsam quoque scurrilitatem seuerissime castigat & ingulat. Neque iracundiam solam & furorē, & amaritudinem, sed ipsum etiam clamorem ab ore fidelium arcet & refecat. Omnis enim, ait, iracundia, & furor, & conuiciū tollatur a vobis cum omni malicia. Num ista tibi parua videtur? Ergo paululum expecta, dum his longe maiora referamus, quae de tolerantia malorum omnibus praecipit. Sol, inquit, non occidat super iracundiam vestram: videte ne quis malum pro malo cuiquam reddat, sed semper quod bonum est, persequimini, & inuicem & in omnes. Rursusque: Noli vinci a malo, sed vince in bono malum. Vidisti ne philosophiae, & loganimitatis magnitudinem ad ipsum supremum culmen ascendentem? audi quid de charitate etiam loquatur, quae caput bonorum omnium, & summa est. Cum enim illam vehementer extolleret, eiusque merita insignia prosequeretur, eandem se a seculi hominibus exigere ostendit, quam a discipulis Christus. Vt enim saluator hinc tandem extremum ait esse charitatis finem, si quis animam suam pro amicis ponat: ita Paulus quoque id ipsum significauit, cum diceret: Charitas non quaerit quae sua sunt, atque eiusmodi charitatem sequi nos iubet. quid igitur hac philosophia maius, aut dignius inquirere possemus? Cum enim & furorē, & iracundiam, & clamorem, & pecuniarum cupiditate, & ventris ingluuie, & magnificentia vestium, & inani gloria, & aliis seculi rebus superiores esse nos iubeat, nihilque commune habere cum terra, cumque mortificare membra nostra praecipiat, constat profecto ipsum non minorem a nobis vitae diligentiam requirere quam requirat a discipulis Christus: usque adeo vero peccatis esse mortuos iubet, ac si iam & mortui, & sepulti simus. Idcirco enim ait: Qui autem mortuus est, iam iustificatus est a peccato. Nonnunquam vero ad ipsius quoque Christi imitationem summa vi exhortationis inducit. Cum enim nos diligere admonet, inde potissimum sumit exemplum: ita cum ad malorum quoque tolerantiam, atque ad humilitatem hortatur. Cum itaque non monachos tantum vel apostolos, sed ipsum etiam Christum imitari nos iubeat, eisque qui non imitantur, supplicia maxima intet: quatuor tandem ratione illam dicis esse maiorem altitudinem? Eandem enim omnibus ascendere propositum, & imperatum est. Sed hoc planè est quod euertit orbem vniuersum, quod summa vitae bene agenda diligentia monachis opus esse arbitramur, ceteris negligenter viuere licere. Non ita sane, non ita est, sed eadem ab omnibus

Tit. 2.

1. Tim. 5.

1. Thess. 5.

Rom. 12.

1. Corin. 13.

Rom. 6.

nibus philosophiae ratio requiritur: atque id equidem vehementer affirmauerim, imò vero non ego, sed ipse iudex omnium Christus. Sin vero tu adhuc haeres, & titubas: age rursus tibi eisdem verbis aures repleamus, vt omnis abs te & malicia, & infidelitas fugetur. Faciam autem huius rei documentum ab ipsis cruciatibus diei illius horribilis, nimiumque metuenda. Diues profecto ille, non quod monachus crudelis fuerat, idcirco vehementius cruciatur: sed si quid loqui ex nobis audeamus, quod tamen veritati contrarium non sit, ideo exurebatur maxime, quod seculo deditus cum esset, & in diuitiis ac deliciis degeret, & purpura operiretur, Lazarum suprema inopia vexatum aspernatus est. Virgines ite, quia clementia & humanitate caruerunt, ideo caelesti thalamo exclusae sunt: vt ipse aliquid adiciam quod verisimile existimo, non solum cruciatus illis additi non sunt virginitatis gratia, sed ob eandem ipsam mitiores quoque poenas exceperunt. Neque enim illis dictum est: Ite in ignem eternum, diabolo & angelis eius preparatum: sed solum; Nō noui vos. Sin vero dicat aliquis, hoc idem esse quod illud est, neque ego contendam: quod enim mihi nunc maxime incumbit, id profecto est, vt ostendam monachorum vitam grauiora non attrahere supplicia, verum iisdem quoque peccantes seculi homines, obnoxios fieri. Is etiam qui sordidis vestibus amictus fuit, quique centum numos summa improbitate requisit, non quod monachi fuerunt, ea passus sunt, quae passus referuntur: sed alter ob fornicationem, alter quod non donasset iniurias, perierunt. Sed & alios quoque qui tum puniretur, si quis inquirat diligentius, pro peccatorum tantum meritis eos cruciatur perpeti animaduertet. Neque vero in inferendis solum cruciatibus, sed etiam in sancendis legibus id Christum fecisse reperies. Etenim cum dicit: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos: tollite iugum meum super vos, & discite a me, quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris: non monachos tantum alloquitur, sed & omne prorsus hominum genus. Itemque cum iubet per angustam viam ingredi: non istos modo, sed omnes omnino homines hoc imperio conuenit. Cuique odisse animam suam in hoc mundo, atque cetera eiusmodi iuberet, nullum hominum genus exceptit. Cum vero non omnes alloquitur, neque iura & leges omnibus constituit, hoc ipse nobis insinuat aptius. Denique cum de virginitate loqueretur, adiunxit: Qui potest capere, capiat: neque omnis adiciens, neque id in praecipiti ordine statuens. Ita Paulus quoque: nam omnibus locis magistrum imitari deprehenditur: cum in hanc incidisset materiam, aiebat: De virginibus autem praecipitum domini non habeo. Itaque quod ad eandem vitam diligentiam, supremamque perfectionis fastigium per diuinas leges pariter & secularis & monachus cogantur: quodque ambo si ceciderint, aequalia sint excepturi vulnera, neminem iam quantumlibet ille sit contentiosus, & impudens, contradicendum existimo. Hoc autem apertissime ostenso, age illud quoque inquiramus: si tamē inquisitione opus est in re tam mani festa, vtrius sit promior ac facilior lapsus. Pudiciam quidem is, qui vxorem habet, facile seruare posse videtur, quippe solatio non minimo suffultus: ceterum in reliquis nulla comparatio est: verum sic quoque plures longe videas lapsos ex coniugatorum, quam ex monachorum ordine. Neque enim tam multi ex monasteriis ad matrimonia accedunt, quam ex iugali thoro se ad scorta recipiunt. Quod si in eis certaminibus quae facillima illis tolerata sunt, quippe thoro legitimo subnixis, ita se superari

Matth. 11.

Matth. 19.

1. Corin. 7.

facile permittit: quid tandem in aliis perturbationibus acturi existimantur, quibus longe amplius quam monachi pulsantur? Nam concupiscentia quidem, ardorque congressus muliebris his vehementius imminet, quippe vxorum contubernio, & solatio carentibus: relique vero perturbationes cum his vicinius propinquare vix possint, illos per vim subiiciunt, atque in suum caput impellunt. Sin vero in eis ipsis, in quibus bello vehementiore perturbantur, isti magis obtinent, victoresque sunt, quam hi quibus id inest leuissimum, & ferè nullum: constat profecto longe eos facilius ea quoque vicia superaturos, a quibus nihil ferè perturbationis patiuntur. Nam & pecuniae amor, & deliciarum ac potentiae, ceterarumque rerum desiderium facilius ab his, quam a secularibus vinci, subigi, consuevit. Vt igitur in praelio & pugna eam belli partem leuiorem esse dicimus, non ex qua alteri ac iuges mortui super inuicem cadunt, sed ex qua paucissimi & rari: ita de his quoque statuere & decernere debemus. Quippe habendi immodicam cupiditatem, is longe facilius vincet, qui in montium verticibus moratur, quam qui mediis in rerum perturbationibus versatur: nam iste quidem facillime capitur. Eum vero qui captus cupiditate ista fuerit, in eorum numero qui venerantur simulachra & colunt, numerari certum est & definitum: atque is quidem si pecunias habuerit, nunquam profecto proximos contemnet, sed ipsas omnes in illorum usus facillime impendet: hic autem non modo eos aspernabitur, verum non secus eos atque alienos tractabit, iniuriisque & incommotis omnibus afficiet. Quod profecto genus aliud est seruienti idolis, & quidem priore illo deterius & grauius. Et quid me necesse est prosequi reliqua, quae monachis quidem facillima ad superandum sunt, seculi autem homines nullo negotio, ingenti que facilitate deiiciunt? Cur ergo, non pauidus trepidas, cum ad eam vitam filium adducis, in qua viciis omnibus capi facillime possit? An parum tibi videtur seruire idolis, ipsisque infidelibus deteriorem esse, dei que seruitium operibus ipsis abnegare? Quae quidem omnia multo facilius hi, qui seculo addicti sunt, patiantur, quam monachi. Vidēsne vt callida tergiversatio metus iste sit: nam si metuendum fuisset, non vti que esset illis metuendum: qui fluctus & procellas fugerent atque omni studio ad portum festinarent: sed eis qui huiusmodi ingenti & turbine inuoluti iactarentur. In vita enim seculari & plura sunt & paratiora naufragia: quod & plura sint quae perturbent, & qui eam vitam degunt, negligentiores atque adeo inualidiores sunt, quam vt aduersus ea stare possint. In monachorum autem vita profecto & fluctus tanti non sunt, sed contra penitus serenitas summa & tranquillitas, & studium longe excellentius aduersus eam fluctuum rabiem pugnaturorum. Quocirca nos eiusmodi ad deserta pertrahimus, non vt cicilio induatur, torquesse ferreos sibi circumdent, aut cinerem substernant solum, sed vt in primis vicia effugiant eligantque virtutes. Quid igitur? Omnes ne qui matrimonij vinculis astricti sunt, peribunt? Nō equidem id dico, sed maioribus, vt seruari possint, laboribus eis opus esse confirmo, ob imminente necessitate. Nam eo qui ligatus fuerit, is qui solutus est & facilius longe & expeditius curret. Nū ergo maiore ille idcirco mercede donabitur, illustrioribusque coronis? Minime vero. Sibi enim ille hac necessitate consciuit, cum liceret effugere, si vellet. Quonia igitur vt apertis documentis declaratum est, iisdem sumus obnoxij, quibus & monachi: faciliore percurrant viam, liberosque nostros ad eam pertrahamus.

hamus, nō illos demergamus, neq; ad viciorū prurup-
 ta hostiū, immaniumq; Barbarorū vice præcipitemus.
 Hæc enim si quis alius facere tentaret, non esset adeo
 horrendum & execrandum. At vero cum parentes ipsi
 qui secularium rerum omniū periculum fecerunt, qui
 rebus ipsis quàm sit friuola & nulla vitæ mortalis vo-
 luptas didicerunt, ad eō insaniant, vt alios quoq; ad eā
 ipsam trahere nitantur, quia ipsi iam frui per etatē pro-
 hibentur: cumq; seipfos ex his quæ ante peccauerint in-
 felices & miseros agnoscere & dicere haberēt, alios in
 easdē miseras præcipitant: atq; ista cū iā mors vicina
 est & iudicium, horrendiq; illi cruciatus: quænam excu-
 satio relinquitur, quæ venia, quæ misericordia? Neque
 enim suorū tantū peccatorū pœnas dabūt, sed eorum
 quoq; quæ filij peccarūt, siue fallere illi filios potuerint,
 siue non potuerint. At fortasse filiorū filios videre cupi-
 tis. Quo modo id tandē, cū ipsi tam improbi parente-
 s sitis? Neque enim patrem facit generatio. Quod ipsi
 quoque patres testari solēt, qui filios cum viderint ad
 summum viciorum culmē peruenisse, quasi non sint
 illi sui, sic eos à se abiiciunt & abdicant: neq; generatio
 ipsa, neq; affectus naturalis, neq; aliud aliquid eiusmodi
 ipsos, quo minus id faciant, cōtinere potest. Itaq; ne
 ipsi quidē patres horū digni esse iudicentur, quibus phi-
 losophiæ ratione longe inferiores & deteriores sunt.
 Sed cū ipsos nō minus spiritu quàm carne genuerint,
 tunc etiā nepotes quærant. Nam tunc solum etiā vide-
 re eos poterunt. Sunt enim, sunt profecto illi filij, non
 ex sanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neq; ex volū-
 tate viri, sed ex deo ipso generati: atq; hi filij, nō pecu-
 niarum gratia luctū parētibus, aut mœsticiā inducūt,
 non matrimonij, nō alterius cuiusque rei, sed omni il-
 los hac cura liberos immunesq; dimittētes, maioribus
 longe illos, honestioribusq; voluptatibus afficiunt, q̄ si
 essent illi naturales patres. Neq; enim est eadē vtriusq;
 generationis ratio, neq; vt carnales filij, ita spirituales
 quoque nutriūtur: sed longe isti excellētius & dignius,
 idcirco parētēs quoque copiosiore laticia afficiunt. Il-
 lud præterea adiciendū, quod hi qui resurrectiois fi-
 dem non suscipiunt, mirū nō est, si in eiusmodi lugeāt
 & lamentētur: quippe quibus sola hæc posteritatis spes
 & consolatio reliqua esse videatur. Nos vero qui cœ-
 litus edocti, mortem soporē esse existimamus, quibus
 præcipitur præsentia omnia despiciere: qua tandem ve-
 nia digni erimus, si in eiusmodi lugeamus, filiosq; vi-
 dere cupiamus, atque hîc relinquere, vnde ipsi transire
 festinamus, & vbi cū sumus ingemiscimus: Verū ista ad
 eos qui capaciores rationis sunt dixerimus. Si qui vero
 fuerint studiosi corporis, atque huic seculo penitus af-
 fixi, illud imprimis dicem⁹, quod incertū est, an ex ma-
 trimonio liberi sint secuturi: sed etsi nati illi fuerint,
 maioris inde mœroris occasio sequetur. Neque enim
 tantū ex ista liberorū procreatione laticia, quantū ex
 assidua cura & anxietate mœroris acquirimus, dū illis
 omnia quotidie timere cogimur. Et cui, inquit, villas,
 ædes, mœcipia, aurumq; relinquemus. Nam & ista illos
 conquerētes audjo. Et profecto, qui hæc antea hæredi-
 tario iure possessus erat, nuncq; tanto magis, quanto
 heres ipse & securior & tutior est. Hac enim in vita plu-
 rima sunt, quæ illa corrūpant & demoliantur: nam &
 tinea, & longitudo tēporis, & latrones, & calumniatores,
 & inuidi, & futuri incertū, humanarumq; rerum
 varietas, & mors tandē ipsa, & pecuniis, & prædiis, &
 villis filium profecto tuum spoliassent. Nūc vero edi-
 tiori atque tutiori in loco diuitias reposuit, locum in-

violabilem reperies, ad quē nulli ex his quæ dicta sunt
 aspirare fas est. Is vero locus cœlum est, nullū impetum
 metuens, nullisq; insidiis peruiū, omniq; soli fecundi-
 tate feracius, atque ingenti cū scœnore depositorū fru-
 ctus latissimos his, qui ea deposuerint decerpēdos præ-
 bens. Nō igitur nunc ea verba dicēda sunt, sed si seculo
 se dedere mallet filius tuus, tunc ingemiscendum &
 lamentandum esset, atque talia dicendum: Cui modo
 villas relinquemus, cui aurum, cui pecunias reliquas:
 Nunc enim tanta proprietatis & dominationis est co-
 pia, vt ne tum quidem cum vita excefferint, eo domi-
 nio frustrandi sint, sed tūc maxime rerū suarum lucris
 potituri. Quod si tu hac etiā in vita cupis illum domi-
 num videre, demulcetq; te blanda dominationis ap-
 pellatio: id quoque monacho, q̄ seculari videas excel-
 lentius contingere. Quis enim oro te, dominus dicen-
 dus est? Illēne, qui summa cū facilitate pecunias impen-
 dit & erogat, an is qui præ paritate & auaricia eas cō-
 tingere non audet, sed suffodit atq; humo abdit, suisq;
 ita abstinet tanq̄ profecto illa nō sint sua: Qui inaniter
 & absque ratione impendit rem suā, an qui summa cū
 moderatione id facit? Qui in terra seminat, an qui in
 cœlo: Qui nō sua omnia quibus voluerit erogare per-
 mittitur, an qui omnibus eiusmodi tributa exigētibus
 liber euasit? Et quippe qui prædia sulcat plurima, quiq;
 mundi se negociis addicit, cōplures plurimis ex locis
 imminebunt, veltigalia persoluere cogētes, suasq; par-
 tes quiq; repetentes: ei vero qui clementer in pauperes
 erogat, nemo prorsus erit, qui obstrepat, nemo qui mi-
 nas villas intendet. Et hoc igitur ex loco insigniori iste
 potioriq; dominatione beatus est. An vero tu illū do-
 minum dices rerum suarum, qui meretricibus & gula
 illecebris & assentatoribus & parasitis patrimoniū ef-
 fundit, & gloriæ suæ maculā acquirat, salutēq; suā pro-
 dit, atque ab omnibus ridetur: qui autē ad conquiren-
 dam verā, sempiternamq; gloriā, atque ad immorta-
 lia consequenda cōmoda, vtq; diuinis monitis obtē-
 peret, illud sapientissime dispensat, cum non iam esse
 rei suæ dominum quereris: Nōne ergo idē facis, ac si
 perspiciēs quempiam in subterraneos aliquos meatus
 vel cuniculos rem suam proicientem diceres eum ve-
 rē rei familiaris suæ dominum: sin vero necessariis vsi-
 bus dispensantem intuereris, vt qui rerum suarum nō
 haberet potestatem, ita illum lamentare? Imō vero nō
 eis qui rationabiliter patrimonia consumunt, sed eis
 qui in perniciem sui capitis id faciunt, isti conferendi
 sunt. Denique præclarū hoc impendēdi genus & illu-
 striorem eum & ditiolem & potentiolem faciet: illud
 vero per lasciuū & luxuriosum, non modo odiosum &
 execrabilem, sed extremæ quoque damnationi obno-
 xium & obstricū reddet. Quid ergo? Post matrimo-
 nium, inquit, & liberos non licebit hanc philosophiā
 apprehendere, cum ad senectutem filius peruenerit? Et
 quis tandem ille erit, qui polliceatur ad extremam nos
 prouehēdos esse senectutem, quodq; cum ad illam per-
 uenerimus, hac in voluntate & sententia perseverabi-
 mus? Neque enim sumus domini præstituti ac definiti
 vitæ nostræ tēporis, atq; hoc Paulus nos docuit cū di-
 ceret, Dies domini sicut fur in nocte ita veniet. Neque
 rursus in eadem semper alacritate propositi cogitatio-
 nes nostræ perseverant. Quocirca sapiens quidam ad-
 monet dicens: Ne moreris cōuerti ad dominū, neque
 differas de die in diem, ne forte cum tu moram trahis,
 conteraris, atque in tempore vltionis pereas. Nempe si
 nihil horū quoque incertum esset, ne sic quidē liberos
 nostros

Thes. 5.
Eccle. 5.

nostros differre deberemus, ne tāta detrimenta, quāta
 mox aperiemus ex dilatione ista paterētur. Esset enim
 profecto incredibilis amentia & fatuitatis, imō vero
 summa immanitatis, si cū iuueni opus esset adiutorio,
 aduersariisq; vehementer immineret, tūc illum iube-
 remus quietum agere, mūdanicq; immiseri negociis,
 ne capi facilius posset: cum vero vulneribus innumeris
 confossus iaceret, nullaq; ex parte esset integer, tūc illū
 vt se erigeret, atque armaret hortaremur, iacētē iam
 & saucium, atq; omnino debile? Ita sanē inquit. Tunc
 enim & luctus leuior, & dimicatio facilior futura est, iā
 extinctis voluptatibus. Quānā tunc dimicatio, quæ pu-
 gna erit, cū nullus sit compar qui nos prouocet, nullus
 qui prælio lacessat? Ita profecto, ne coronis quidē illu-
 strioribus donabimur. Beatus enim, inquit, qui tulit iu-
 gum graue ab adolescētia sua: sedebit solitarius, & ta-
 cebit. Hic planē, hic miraculis innumeris est dignus, hic
 & laudari, & beatissimus meretur dici, qui rebelles in-
 sanosq; naturales mot⁹ ratione frenare perrexit, atq;
 in ipso impetu tēpestatis & turbinis illęsam seruarit na-
 uem: verū nihil inde quoq; contēdamus. Sit etiā ista di-
 micatio si placet. Nepe si esset in potestate nostra cer-
 taminis tēpus, recte forsitan senectutē expectare posse-
 mus. Sin vero per omnē vitā nobis dimicandū est, atq;
 à prima statim atate inchoandū, cū decē annorū esse
 cœperimus, ex ea quippe atate eorū omniū, quæ pecca-
 uimus rationē reddituri, pœnasq; daturi sumus: quod
 insinuant pueri illi, qui quod Helisēū irridere ausi sunt,
 vris deorandi permisi memorātur: & nunc ex eadē
 etate iam in acie est standū, quādo bellū aduersum nos
 acerbius & grauius imminet, qua tu ratione tēpus illud
 certaminib⁹ statuis? Si enim ipsi diabolo potestatis iu-
 re imperare posses, vt atrocius imminere & pugnare
 desineret, videretur esse non irrationabilis hæc tua ad-
 monitio. Nunc vero dum tu illū, & pugnare, & ictibus
 me grauioribus pulsare permittas, si mihi contrā quies-
 cendum statuas, imō sponte succumbendū: quid hac
 iniquitate & absurditate possit esse deterius? Quis, oro,
 nisi inimicus belli rabie diuini instāte, pugnantem ar-
 mis exiit, atq; ita hostiū manibus tradit? Iuuenis est &
 imbecillus. Nōne idcirco maiore & cautione, & secu-
 ritate illi opus est? Quā quidē vt possit consequi, sum-
 ma cura & diligentia illi opus erit, atq; is qui eiusmodi
 est, in tranquillitate semper & quiete summa degere,
 nō mundanis negociis incubere, neq; mediis fluctibus
 mersari debet, vbi tumult⁹ ingens & perturbatio est.
 Tu vero contra penitus quibus bellū acrius imminet,
 & per atate, & per imbecillitatē, & per imperitiā, rei-
 nouitatē, eos quasi iam perfecti bellatores sint rei-
 mitaris peritissimi, firmissimiq; viribus subnixi, in me-
 diū certaminis pertrahis, nec permittis, vt prius ad so-
 litudinem profecti vires sibi per exercitationē compa-
 rent: veluti si quis fortissimum virū, & qui millies ho-
 stem fundere possit, iubeat quietē agere, bellicisq; reb⁹
 per meditationē assuescere: eū vero qui & rudis sit &
 imperitus, nec pugnā vnquā aspiciere potuerit, ob hoc
 ipsum in media pugna versari debere statuat, difficil-
 limeq; rei maiora impedimēta proponat. Ad hæc sciē-
 dum illud quoq;, non licere post nuptias cuiquā suip-
 sius esse dominū, sed ē duobus alterū necessario cōtin-
 gere, aut vxori semper, si ita voluerit, cōiūgi: vel si cō-
 tinenter viuere voluerit, ea dimissa, adulterij flagitio
 capi. Quid me prosequi necesse est educandorū libe-
 rorum summas necessitates, curasq; reliquas rei fami-
 liaris: quæ profecto tantæ sunt, vt omnem alacritatem

A propositi obtūdere, summamq; segnicie ac stuporē ani-
 mis offundere sufficiant. Quocirca satius omnino, ac
 melius cenleo eum, dū adhuc liber ac sui dominus est,
 ab ipso statim atatis initio armare, nō eorum tantum
 gratia quæ dicta sunt, verū eius quoq; in primis quod
 dicendum est. Qui enim ad vitæ philosophiæ huic da-
 re operam aggreditur, in hoc tempus omne conterit,
 vt possit ea, quæ in priori atate admisit, peccata dilue-
 re, cunctumq; illi studium in hac duntaxat parte con-
 sumitur: & ne sic quidē sæpenumero illi quantum satis
 est temporis suppetit, sed ex hac vita proficiscitur, vul-
 nerum reliquias secū ferēs. At vero qui à prima statim
 atate se exercuit, viresq; sibi ad certandū cōparare stu-
 duit, non in hoc tēpus consumit, nec sedet curans vul-
 nera, sed ab ipsis iam tyrocinijs sui rudimentis meretur,
 atq; accipit palmas. Et illi quidem satis optandū vide-
 tur, eas pugnas omnes, in quibus victus fuerat repetita
 dimicatione superare: hic vero ab ipso ferē dixerim
 puericie aditu & limine tanquā ē carcerib⁹ emissus, at-
 que ad calcē cursu perpetuo properās fundit hostē, vi-
 ctoriasq; victoriis iungit, & velut Olympici certami-
 nis victor, à primæ etatis flore per buccinationes ad se-
 nectutē proficiscitur, innumeris coronis insignitus cap-
 ut. Quorū igitur in ordine cōstitueret maus filii tuū?
 Eorū ne qui ob ingentē fiduciam, summæq; virtutis con-
 scientiā, in ipsos etiā archangelos desigere obtutus va-
 lent: an eorū qui cū omnibus stant, extremūq; ordinē
 obseruant? Extremū enim sortientur penitus, eumq; ip-
 sum tum demū, cum potuerint cuncta ea impedimēta
 percurrere, quæ modo memorauim⁹: cū scilicet neq; mors
 immatura præripuerit, neq; postea fuerint vxore impe-
 diti, neq; tanta negocia subierint vt nō possit ad curā
 priorum vulnerū sufficere senectutis tēpus, eamq; sen-
 tentiā firmā semper, immobilēq; seruauerint. Cū enim
 simul hæc omnia cōuenerint, tunc quoq; vix inter
 extremā fortē statuētur. Horū igitur ex numero vis esse
 filium tuū, an eorū qui in phalāgis frōte eximia virtute
 emicant? Et quis, inquit, adeo miser & infelix est, quin
 hæc magis optet filijs suis? Verū consuetudinē, inquit,
 requirimus, nobiscūmq; eos esse cupimus. Hoc ipsum
 ego quoq; & cupio & opto, nec minus sanē, quàm vos
 ipsi, vt illi ad paternā domum redeāt, educationisq; &
 alimentorū vices parentibus referant: quibus profecto
 illi dulciores reperire non possent, verū hoc non mo-
 do ab illis exigimus. Quam enim iniquū est, si vt asse-
 quantur studia liberalia, longo illos tēpore patria ar-
 cemus, vtq; artem aliquā vulgarē ac mechanicā addi-
 scant, domū quoq; ne accedant interdiciamus, in magi-
 stri domo & prandere illos, & dormire iubentes: Cum
 vero nō ad humanā disciplinā, sed ad philosophiam
 cœlestē proficisci parāt, antequā id fiat, quod optam⁹,
 cōfestim trahere illos instituimus: atq; is quidē qui per
 extensum funē currere docetur, vt eius rei peritus fiat,
 non paruo tēpore, & domo, & patria se abdicabit: nos
 autē eos, qui ad cœlū auolare discunt, domi cum parē-
 tibus claudem⁹? Et quid hac absurditate possit esse de-
 terius? Nōne agricolas abditis, vt etiā cū satis prope-
 rant laborū fructus carpere, acerbos tamē eos nunquā
 metere sustineant? Ergo ne nos quidē intempestiue li-
 beros nostros ab deserti cōmoratione reuocemus, ve-
 rum studij cœlestis disciplinā in eis solidari permitta-
 mus, altisq; radicibus arbuta firmari: & siue decē an-
 nos, siue etiam viginti nutriedi illi sint in monasterio,
 non perturbemur, non mœrore vlllo afficiamur. Quā-
 to enim amplius fuerint in schola virtutis exercitati,

tanto ampliores vires adipiscuntur. Sin autē tu mauius A atque ita videretur, tēpus nullum certū statuamus, sed ille terminus sit solus, qui ad maturam frugem perducatur. Satis in illis boni operis fructus, tuncq; solū ex deserto redeant. Prius autē nullo modo. Nihil enim ex hac celeritate nostra cōsequi aliud poterimus, nisi vt illi nūquam ad maturitatem pertingant. Qui enim ante tempus radicis nutrimento destitutus fuerit, is profecto nec tempore adueniente iam utilis vlla ratione erit. Quod vt ne fiat, toleremus interim bono animo separationem: nec solum illos non vrgeamus ad reditum, verum prohibeamus quoq; si voluerint ante tempus atq; immature remeare. Nam si ad summā virtutē profecerit filius tuus, cōmune lucrum erit & patri, & matri, & familiā & ciuitati, & gētibus omnino omnibus: sin vero minus perfectus fuerit, ridiculus erit, contēptus, abiectus, sibiq; ipsi & aliis noxius. Nō igitur tanti illis incommodi, tantiq; detrimēti causa sumus. Nam quoties peregrē a nobis liberos dimittimus, tunc demum illos videre volumus, cū ea consecuti fuerint, quorum gratia peregrinati sunt. Quod si antea redierint, non tantū ex peregrinatione ipsa voluptatis capimus, quā tum quod frustra & intēptiue aduenierint, mēroris. An non extrema dementiā & iniquitatis est, non tantum studij ac sollicitudinis in rebus spiritualibus ponere, quantum circa temporalia & fluxa mōstramus? Cū enim illic adeo philosophice feramus separationem a nobis filiorum, vt eam extēdi cupiamus, & prolixiorē fieri, dum aliqua ex ea gigni commoda constanter teneamus: hīc in tantū animi mollicie frangimur, vt ex hac pusillanimitate nostra, summa corrumpamus bona. Atq; id cum plurima habeamus solatia, non tantū quod illi se ad maiora ac digniora contulerint, & optato sine potituri sint, nihilq; sit penitus, quod eā spem infirmet aut frangat, verum quod ipse quoque separationis modus, & periucundus sit, & facile possit tolerari. Nam cū illi longinquius peregrinati fuerint, non eis cōgredi facile possumus, idq; cū semper contingit, tum in primis quādo senuerimus. Hīc vero assidue ad illos proficisci possumus, atque ex eorum congressione fructus vberimos cōsequi. Ita ergo faciamus, cūq; illi nondum ad nos proficisci possunt, ipsi illos adeamus, illis congregiamur, cū eis familiariter loquamur. Maximum enim emolumentū ex hoc eorū contubernio, summamq; voluptatem consequemur. Non enim ex aspectu solum amantissimorū filiorū exultabimus, verum insigni profectu meliores facti, ita domū remeabimus. Nonnunquā vero cum illis etiā vnā permanebimus, eiusdē philosophiā amore capti. Tunc ergo solum ipsos ad nos vocemus, cum vires summas fuerint adepti, atq; aliis etiā prodesse potuerint, tunc eos reuocemus tantū, & non aliter, vt clarissima lux illa omnibus cōmunis fiat, vt lucerna super candelabrū constituitur. Tum demum, tunc apertius inspicietis, quorum liberorū vos parentes estis, quorū vbi ij, quos modo maxime beatos dicitis. Tunc philosophiā lucra cognoscetis, cum illi eos homines curarint, qui morbis grauissimis laborant, cum veluti benefici cōmunes & conseruatores & rectores prædicati fuerint, cum veluti cœlestes angeli cum hominibus in terra conuersati fuerint, cum illos intuebūtur omnes, cum in illos atq; in illorum nomen se cunctorum ora conuertent. Imō vero quęcunq; dixerimus, nihil tale profecto dicturi sumus, quale in ipso experimento, & in rebus ipsis cognoscetis. Ista nobis vt dei leges facienda erant, si offi-

ciis humanitatis satisfacere vel aliqua ex parte curaremus. Non tum liberis nostris timores intentandi erāt, cum ad viriles annos peruenissent, sed cū puericiā etatem agerent, moderandi illi & instituēdi, formandiq; fuerant, nec posthac vnquā opus habuissent minis & terroribus. Nūc vero idē facimus, ac si medicus aliquis languenti agrotō nihil dicat, nihilq; per quod curari possit ab agritudine ostēdat: cū vero corruptus fuerit & perditus, atq; insanabili morbo cōprehensus, tunc iā innumeras remediorū leges cōstituat. Nam reliqui sanē legislatores tunc nos instituunt & monent, cū fuerimus peruersi: sed non ita Paulus facit, verū ab initio statim, atq; a prima etate, virtutis magistras statuit leges, viciis omnē penitus aditū adimens. Hęc est enim optimi atq; rectissimi magisterij norma, nō prius vicia dominari sinere, postq; vt illa effugentur inquirere: verum cūcta facere, & vniuersa moliri, vt natura nostra viciis inuiolabilis fiat, atque inaccessa. Quocirca horror & moneo, non modo alios qui hoc volunt facere nō prohibeamus, sed ipsi quoq; adiutores accedamus, atque vnā seruantes inter vndarū moles nauē, nihil omitteremus, vt felici illa cursu, auris secundis impulsā nauiget. Nempe enim si hanc sententiā omnes amplecteremur, aliisq; omnib; posthabitis natos nostros ad virtutē perducere institueremus, atq; hoc solū operæ precium, reliqua omnia & superflua & ociosa esse arbitramur, tanta nobis inde bona, tāta prouenirent cōmoda, quanta si dicere voluero, vereor ne iuueniliter gloriari videar. Porro si quis id certius addiscere voluerit, ex rebus ipsis celerius agnosceret, ingētesq; nobis gratias habebit, deoq; longe vberiores, cū viderit cœlestem in terris conuersationē germine lato pullulantem, atque inde in primis bonorum futurorum spem & resurrectionis fidem iam apud ipsos infideles quoq; obtinentem. Enimvero quod ista iactantiā verba nō sint, hinc perspicuum est. Quoties illis eorum qui ad solitudines se receperunt, vitam exponere incipimus, nihil habent quod refragari possint, aut contrā obicere. Cæterum huic tantū rationi niti videntur, atq; inde contentionis occasionem sumere, quod pauci ad culmen perfectionis euadunt. Si vero in ciuitatibus virtutū fructus fereremus, legemq; aliquam & initium disciplina cœlestis acciperet, liberosq; nostros ante omnia admoneamus, deo amicos & familiarissimos fieri, spiritualesq; disciplinas aliarū vice, atq; alias ante omnes illos doceremus, iam dudū tristitia cūcta desisset, innumerisq; malis vita nostra caruisset: idque quod de beatitudine futura vite dicitur, quod inde aufugit dolor omnis & tristitia & gemitus, hic quoq; omnes consecuti fuisset. Nam si nec pecuniarum amor, nec inanis gloriæ cupido vlla inceserit, non mortē timeremus, non paupertatem, non iniuriis affici, læsionē vllam aut damnū arbitraremur, sed maximū lucrū, si non hostiliter persequi, non odisse nouissemus, nunquā profecto perturbationibus propriis, nunquā alienis iniuriis victi celsissemus, sed angelis ipsis proximum ac simillimum esset hominum genus. Et quis, inquit, mortalium ista impleuit? Minime vero mirum est, si tu non credis: quippe qui ciuitatem inhabitas, diniorūq; librorum consuetudinem & familiaritatem nullam habes. Quod si eos qui solitudines habitant, quiq; diuinis literis olim assueti sunt, nosse, agnosceres profecto quod & monachi, & ante hos apostoli, atq; ante illos ipsos veteres iusti diligentissime philosophiā huius documēta dederunt. Verum vt contentione interim omni abstineamus,

mus, concedamus sanē secundū aut tertium a summis illis viris fore filium tuum. Num ideo paruis, aut negligēdis bonis potietur? Nō ad Petri vel Pauli merita cōfendit. Num igitur idcirco illum proximo etiā honore priuabimus? Idē enim facis, ac si ita loquereris: quando quidem ipse preciosus lapis fieri non potest, ferrum esse perseueret, neque argentum fiat, neq; aurum. Cur ergo in reliquis rebus nō eandem habes rationem, sed penitus contrariam? Nam cum filium tuum ad eloquentiē assequendam disciplinam abs te dimittis, non summis illum oratoribus excellentem te visurum speras: nec tamen idcirco eiusmodi illum studiis deducis: satis eum tibi existimans facturum, si quintum etiam vel decimū ab his, qui in oratoria principes fuerūt, fieri cōtingat. Quodq; ad regiā militiam filios vestros adscribendos curatis, non ad ipsa penitus præfectorū tribunalia conscensuros expectatis, nec tamen ideo baltheum illos soluere iubetis, aut ne initio quidē regiam conscendere: sed omnia molimini, vt ne illi vnquam regiā commorationi decidant, sufficere existimantes, si vel inter mediocres illos numerari perspexeritis. Cuius ergo rei gratia, illic quidē etsi maiora consequi nō liceat, ne sic quidem desistis: verum vt minora cōsequamini elaboratis, ærumnāsque subitis, atque ista facitis cū tamē spes nulla certa sit: hic autē desidetis, atq; torpore lassescitis. Cur: nisi quod illa quidē vehemētē cupitis, horū vero ne breui quidē desiderio tangimini. Cumq; istud cōfiteri erubescatis, figmenta & occasiones excogitatis. Itaq; siquidē planē ac penitus velletis, nihil vobis ad hęc assequenda impedimento esse potuisset. Ita enim se res habet, si quis aliquid ardentē amet, etsi non illo aut primus fruatur, aut solus: vel medio in loco stare patietur, atq; etiā aliquāto inferiore, C dū eo quod amat frui tandē vlla ratione possit. Quippe & is qui vino potationiq; addictus fuerit, & si vinū suauissimū accipere nō possit, ne id quidem quod deterius fuerit, vnquam contemnet. Rursus qui pecuniā vesano amore flagrauerit, non solum si quis ei preciosos lapides vel aurum dederit: verum si argentū quoq; maximas illi gratias habebit. Tanti nempe est concupiscentia, violentissima quidem res, & quæ eum quem semel ceperit, omnia sustinere & perpeti qualibet ex re, vi sua possit adigere. Itaq; nisi esset hęc verborū callida tergiversatio, cooperandum illis fuerat & collaborandum. Neq; enim eius est, qui aliquid fieri desideret, id vt ne fiat impedimento esse, sed vt fiat omnia moliri. Nam & hi qui ad Olympiaca certamina descēderint, cum probe norint, vnū ex tanta multitudine victorem fore, laborant tamen atq; fatigātur & in sudoribus, & in ærumnis agunt. Et si nihil ferē hic atq; illic simile esse videatur, non solum ob certaminum dissimillimum finem, sed quod cū sit necesse ibi vnum solummodo corona donari: hic non ea præmiorum est ratio, vt alius sine coronis, alius coronat; abscedat, sed quod cū alius maiore gloria clarioreq; laudatione potitur, alius minore, omnes tamē beati & illustres sunt. Prorsus vero si vellemus in ipsis statim initiis effingere ac formare liberos nostros, atq; eis erudiēdos tradere, qui illos regere & moderari scirent, fieri satis posset, vt in primo castrorum statēt ordine. Nunquā enim profecto sperneret deus tantam deuotionem & alacritatē animi, tantumq; studium: sed ad hanc formandā perficiendamq; statuam, manū quoq; suam adiecisset, qua operante, possibile non esset quicquā ex his quæ fierēt, cadere: imō contrā, esset impossibile illam nō ad sum-

ma splendore & gloriæ culmen peruenire, si modo quod nostrā partis munus est, nō negligere. Nam si mulieres impetrare a deo valuerunt, vt ad curam liberorum adiutor sibi & fautor accederet: longe id magis nos, si voluerimus, cōsequi poterimus. Et alias quidem consulto omitto: sunt autē permulte, ne liber qui iam claudendus est, prolixior fiat, vnā tantū memorabo. Anna quædam fuit Hebræa mulier, hęc vnū filiū cum partu edidisset, nec aliū iam se speraret pariturā: hunc enim vix tandē post multas lachrymas acceperat, erat enim sterilis, videretq; propterea æmulam suā sibi crebrō insultatē, ne sic quidē quicquā tale passa est, quale vos: verum cum filium illū genuisset, id solū tempus eū apud se morari permisit, quo lacte nutriri opus habuit. Cū vero non iam eiusmodi indigeret alimēto, sumptum statim obtulit deo, nec iam vt paternam domum reuiferet, orauit, sed semper in dei tēplo ille morabatur, eumq; si quando illa videre cupiuisset, quippe mater, non ad se conuocabat filium, sed ad illum vnā cum patre ascendebat, illo tanquā reuera donario deo iam consecrato abstinens. Adeo vero magnus & strenuus adolescens ipse factus est, vt deum quum illā Hebræorum gentem ob effusam latē maliciam execraretur, nec iam illis vteretur, nec visionē vllam eis reuelaret, rursus eximia virtutis meritis attraxerit, persuaseritq; ea omnia quæ antea solebat exhibere, prophetiam quoq; quæ diu aboualarat, restituere. Nec ista tūc modo valuit, cū ad maturā etatem peruenisset, sed etiā quum puer adhuc esset. Non enim erat, inquit, visio comprimens, & verbū preciosum nō erat. Cumq; ista talia ac tanta essent, illū deus iugiter alloquio familiari dignabatur, ac per illum frequens oracula edebat: tantū confert emolumentum deo semper quæ possederimus cōcedere, cunctisq; vt illi placeamus, nos extraneos facere, non tantū pecuniis & possessionibus, sed ipsis quoq; liberis nostris. Nam si hoc in nostra anima facere iubemur, multo magis in omnibus cæteris. Hoc enim & patriarcha fecit Abrahā: imō vero multo maius aliquid, idcirco longe etiā maiore cum gloria filium recepit. Tunc enim maxime & verissime filios habemus nostros, quum deo nostro illos tradiderimus. Longe quippe ille eos melius & excellentius quā nos moderabitur & reget, maioremq; illorū curam geret. Nōne id vides in diuitū quoq; domibus fieri? Nēpe enim ibi eos qui domi cū parentibus morantur, nō vsque adeo illustres, insigniq; potentia præditos videas: quos autem a parentibus principes abduxerint, suoq; seruitio ac ministerio accommodauerint, ærariiq; custodiā præfererint, eos videas & summa dominorum beneuolētia, & longe maxima fiducia potiri, tantūq; conseruis esse clariore, quantū seruis domini excellunt. Sin autē homines ministeriis & officiis suis deditos tanta beneuolētia & benignitate prosequuntur, lōge id profecto dignius & excellentius infinita illa bonitas, quæ deus est, faciet. Permittamus ergo illos ministerio cœlesti famulari, non in templū eos introducentes, vt Anna Samuēlem, sed in ipsum cœlum cum angelis diuino ministerio dicandos. Quod enim cum angelis illi ministraturi sint, qui hanc philosophiā apprehenderint, omnibus profecto liquet. Tunc sanē illi nō tantū suā, sed nostrā quoq; maiore cum fiducia gloriæ felicitatēque prospicient. Nam si quidā parentum gratia nonnulla consolatione potiti sunt, multo id magis filiorū causa parentes consequentur. Illic enim naturæ tantū prerogatiua erat, hic ius etiā educationis accedit, quod natura

tura longe maius & potentius est. Atque ego vobis vtrūque scripturæ diuinæ exemplis affirmabo: Ezechia certe insigni virtute & pietate virum, minus tamen ex virtutum suarum conscientia fiducia habentem, quam ut posset aduersus imminens periculum consistere, paternæ virtutis gratia se deus seruare testatus est. Protegā enim, inquit, ciuitatem istam, ut seruem eam propter me, & propter Dauid puerū meum. Paulus item quum ad Timotheum de parentibus scriberet, aiebat: Quoniam salui fient per filiorum generationē, si permanserint in fide & dilectione & sanctificatione cū castitate. Iob quoque sanctissimū virum, quū ex virtutibus reliquis scriptura collaudet, quod fuerit iustus, quod verax, quod religiosus, quod pius, tum ex eo maxime quod filiorum optime nutriendorum habuerit summam diligentiam. Non enim ea cura vrebatur, ut aurum illis copiosissimum acquireret, nō vt humana gloria verēdos & illustres cerneret: sed quid ille tandē requirebat? audi quid scriptura dicat: Quum consummati, inquit, essent dies conuiuii, mittebat Iob, & purificabat eos, con surgēsque diluculo offerebat pro eis sacrificia ad numerum ipsorum, vitulumque vnū pro peccatis, pro animabus eorū. Dicebat enim Iob in corde suo: Ne fortē filij mei in mente sua mala cogitauerint aduersus deū. Vlane iam nobis erit excusatio, eiusmodi scelus admitte re audentibus, quando is qui ante gratiam, ante legem fuit, qui nullo sacrarū literarum magisterio instructus erat, tantam filiorū ostendit gestitque prouidentiam, vt de incertis quoque eorū & occultis tremere paueretque delictis: Quænam nos iam excusabit ratio, qui cum simus sub gratia, cum tantis & tam insignibus magistris potiamur, quum eiusmodi exemplis abundemus, totque monitis erudiamur, non modo pro occultis incertisque filiorum peccatis non metuimus, verum aperta quoque & manifesta contempnimus: Nec ista saltē perniciē contenti, si qui eos emendare voluerint, eos vndique reiicimus, exagitamus, affligimus. Abraham quoque simul, vt dictum est, cum cætera recte facta commendant, tum istud quoque clarissimum facit. Igitur cū tanta summorum virorum tenemus exempla, paremus deo ministris idoneos & probatissimos famulos. Nam si is qui vel athletas ciuitatibus nutrit, vel exercet ad regis obsequium milites, maximis honoribus fruitur: quæta nos munera, quot coronas accepturi sumus, qui tam magnos & eximios viros, dicam verius angelos, deo educamus: Omnia ergo faciamus, cunctaque moliamur, vt eis insignes pietatis opes relinquamus, quæ solæ permanent nobiscum, excedentesque: è vita comitantur, neque hac in vita solū, sed in illa etiam maximo nobis vsui erunt, summaque conferent emolumēta. Nam seculi quidem diuitiæ, neque excedentes è vita comitantur, & hic nonnunquā nos deserūt, possessoresque suos crebro perdidērunt. Istæ autem diuitiæ & in vita & post mortem firmæ stabilesque perdurant, eosque qui se possederunt tutos inuolatosque seruabunt. Ita enim se res habet, vt is quidem qui terrena spiritualibus præfert, & illis decedat & istis: qui autē cœlestiū desiderio tenetur, terrenis etiam omnino potiatur. Nec ista mea ratio est, sed eius qui cuncta præbiturus est domini. Querite enim, inquit, regnum cœlorum, & hæc omnia apponentur vobis. Quid huic honori par vlla ratione esse possit: Curam, inquit, gere spiritualium rerum, mihi vero tua omnia permitte. Ac si pater aliquis indulgentissimus & domus curam & familiæ regimen, aliarumque rerum omnium administrationē ipse sibi assumeret, filiumque suū, vt phi-

losophiæ solum operā daret, admoneret. Ita profectō deus quoque. Pareamus illi igitur, inquiramusque: cœlorū regnū: sicque & filios nostros probatissimos videbimus, & ipsi vnā ex illorum præclaris actibus illustriores erimus, bonisque etiam præsentibus fruamur, si futura tantū cœlestia diligamus. Ista vobis siquidē obtemperare volueritis, maxima præmia conferet, summamque mercedē: sin autem reluctari, atque eis minime parere persisteritis, grauiores cruciat. Neque enim vllus iam excusationi locus erit, vt tergiversari & colligere figmēta valeatis, aut dicere neminē fuisse à quo ista disceretis. Certē enim ante nostram quoque admonitionem hæc omnis excusatio sublata erat, quum habeat natura ipsa diligentissimum bonorum malorumque iudiciū, istaque philosophia vbique proposita sit omnibus: tantaque sint præterea vitæ præsentis incommoda & mala, vt eos quoque qui illam vehementer amant, ab ea ad solitudines fugare sufficiant. Igitur, vt dixi, etiā si ipsi taceremus, omnis excusatio sublata esset: nunc vero multo id magis continget post istos adeo prolixos libros, tamque longā admonitionem, quam ex rebus ipsis, & quæ etiam illustrior est, quam ex diuinis literis fecimus. Nempe enim etsi domi remorantes, possibile esset non penitus corrumpi & perire, sed vel inter extremam electorum sortem numerari, nec sic quidē supplicia euadere possemus: cum & his qui ad diligentioris delectū vitæ properant, impedimento fuisset, & eos mūdānis rebus obligatos teneamus, qui ad cœlū euolare cupiunt, atque in auras veræ libertatis emergere. Cum vero istud possibile non sit, sed omnino pereundū constet, & de extremis periculum imminet: quam tandem veniā, quæ excusationem habituri sumus, qui non modo nostrorum peccatorum, sed eorum etiam quæ postea filij peccauerint, pœnas in nosmetipsos acerbissimas attrahimus? Neque enim eos ita punitum iri existimo pro his quæ deliquerint ad mūdānos fluctus violēter attracti, vt vos qui hanc inuitis illis & renitentibus necessitatē imposuistis. Nam si ei qui vnum scandalizat, cum mola in mare præcipitari expedit: quæ tandem pœna, qui cruciatus illis satis erunt, qui scruiciā tantam & immanitatē in liberos proprios ostēdūt? Quocirca moneo, atque obtestor, velitis esse philosophorum filiorū patres. Neque enim dicere debetis, quod audio plurimos tergiversantes dicere. Quid nam vero istud est? Quum videremus, inquit, eos ad finem peruenire non posse, istud prohibuimus. Etiāsi hoc apertissime nouisses, nec esset ista fallax cōiectura: plurimi quippe ex his qui lapsuri putabātur, firmiter steterunt: si tu tamen id omnino præsciuis, ne sic quidē illū ab instituto retrahere debueras. Neque enim si quæ cadere incipientem, anticipantes lapsum, ipsi præcipitarem, id nobis ad excusationē satis esset, sed ipsum hoc nos in primis condemnaret: vt quid enim tu non permisisti illius magis negligentia ruinā illā contingere, sed præueniēs alterius peccatū rapuisti, cunctaque in tuū caput cōuertisti? Quinimō ne permittere quidem vt ea ruina cōtingeret, debebas. Cur enim non omnia fecisti, vt nō rueret filius tuus? Itaque idcirco maxime extrema animaduersione dignus es, quod sciebas illum ruiturum. Qui enim ruinam præsciebas, non illū deicere, sed manū porrigere debueras, studiūque maximum ostendere, vt is qui ruiturus videbatur, fortiter persisteret, siue ille postea stare firmiter duraret, siue non. Nos enim cuncta partium nostrarum munera exequi atque implere conuenit, etiāsi illi nihil ex nostra diligentia & studio fuerint

Matth. 25.

rint lucrati. Cuius rei gratia? & vt quid? Vt nō iam aduersum nos deus sententiam ferat, sed aduersus illos. Quod & ipse eum qui talento accepto nihil operatus fuerat, criminās dicebat: oportebat enim, inquit, te pecuniam meam deponere ad numularios, & ego venis cum fenore exegisses illam. Obtemperemus igitur ista monita edenti, vt cruciatus quoque quos ille comminatus est, effugere possimus. Neque enim sanē deū cum hominibus ludere poterimus, qui cordiū scrutatur arcana, & omnia in lucem adducit: qui vbique etiam salutis filiorum reos parentes cōstituit. Nam si is qui pecuniam deponere neglexit, tanta seueritate punitus est: quid ille patietur, qui deponere volentibus impedimento fuit? Non solum enim si ad mundi strepitum filij vestro consilio deuoluti fuerint, sed etsi fortiter impetum tulerint, montesque occuparint, eadem vobis supplicia sunt constituta. Sicut enim qui ad philosophiam hortari pergit, siue ille persuadeat, siue non, perfectam cōsequitur integerrimamque mercedem: omne enim quod erat sui muneris impleuit: ita & qui aliquē perdere voluerit, siue illum laeserit, siue nō laeserit, eadem animaduersione punietur: & hic enim cuncta quæ potuit, fecit. Itaque etsi nihil valueritis ad deiiciēdos ac peruertēdos fortes filiorum animos, huius tamē iniquissimi conatus tantas pœnas dabit, quætas si id quod cupiebatis, ex proposito illo deieceritis. Hæc igitur vniuersa cogitantes, cunctisque cauillationibus omisissis, curemus effici nobilium fortiumque filiorū patres, templorumque, Christiferorum fabri, pugilumque cœlestium curatores, vngentes, erigētes, & vndique commodis illorum cōsules, vt coronarum quoque participes esse mereamur. Sin autem vos contenderitis, filij quidem si fuerint egregia virtute præditi, etiamsi nolueritis, ad hanc peruenient philosophiam, sempiternisque gaudiis fruuntur, vos autem infinitos vobis ipsis cruciatus congregatis, tuncque ea quæ a nobis dicta sunt, laudabitis, quum ex eiusce laudibus nihil commodi consequi poteritis.

EIVSDEM HOMILIA IN EVTROPIVM eunuchum patricium ac cōsulem præfectumque cubiculi Arcadij Aug. cum offenso principe delitesceret sub altari ecclesie, cui ipse antea ius asyli abrogare conatus fuerat, Sigismundo Gelenio interprete.

SI VNQVAM antea, nunc maxime licet dicere, Vanitas vanitatum, omnia vanitas. Vbi nunc inclytus ille consulatus splendor? vbi illustres illæ faces? vbi applausus illi ac choreæ, epulæque & festi conuentus? vbi coronæ & aulæ? vbi strepitus vrbis, & illæ circensium spectatorum faustæ acclamations atque adulationes? Omnia illa perierunt: procella vehemens folia deiecit, arborem spoliatam reddidit, iam radicitus vacillantem: tantaque vis venti impacta est, vt cum nervos eius vniuersos concusserit, tum ipsam funditus prosternere minetur. vbi nunc fucati illi amici: vbi comotationes & cœnæ? vbi parasitorum examē, & merum per totam diem exhaustum, variæque coquorum artes, & potentatus cultores illi, ad gratiam omnia dicere ac facere assueti? omnia illa nihil nisi nocturnum sonanum fuerunt, appetente die evanescens: flores fuerunt verni, ver exacto emarcuerunt omnia. vmbra erant, & præterierunt: fumus erant, & soluta sunt: bullæ erant, & dirupta sunt: aranæ erant, & lacerata sunt. quapropter spirituale hoc dictum occinimus, indefinenter dicentes, Vanitas vanitatum, omnia vanitas. hoc enim dictum in parietibus,

A in vestibus, in foro, in ædibus, in viis, in fenestris, in ianuis, sed potissimum in ipsa cuiusque conscientia: continenter inscriptum esse oportet, omni tempore cogitationi obuersari: quandoquidem negocia fraudulenta & perfonata ac inimica veritatis opinionem: apud plerisque sibi parauerunt. hoc dicto, in prandio, in cœna, in cœtu hominum, quemque proximum suum compellere oportebat, idemque ab illo vicissim audire, nempe quod vanitas vanitatum, omnia vanitas. an non assidue tibi dicebam fugitias esse diuitias? tu vero nos non ferebas. an non dicebam fugitiui serui naturam eas habere? tu vero credere nolebas. ecce experientia docuit, quod non solum fugitiuæ & ingratae, sed homicidæ etiam sunt, vt quæ in metum nunc te coniecerint. nōne dicebam tibi, quum me indefinenter obiurgares vera monentem, quod ego tibi potius amicus essem quàm adultores, ego redargutor maiorem tui curam gererem quàm hi qui tibi per omnia obsequerentur: nōne & hoc addebam, fide digniora esse vulnera ab amicis, quàm vltro ingerentia se oscula inimicorum? Si mea vulnera tulisses, haudquaquam tibi illorum oscula hoc exitium attulissent. mea enim vulnera sanitatem adferunt: illorum oscula morbum immedicabilem tibi conciliauerunt. vbi nunc pocillatores tui? vbi qui in foro populum de via decedere cogebant, tuasque laudes passim apud omnes deprædicabant: transfugerunt, deseruerunt tuam amicitiam, suam securitatem tuis periculis quarunt. at non tales nos, sed & tunc quamuis ægre ferentem non destituimus, & nunc collapsum protegimus ac curamus. Ecclesia à te hostiliter habita expanso sinu te suscepit: theatra autem magnis obsequiis à te culta, quorum causa sæpius nobis insensus fuisti, & prodiderunt te & perdiderunt. at tamen nunquam destitimus his te verbis alloqui: Cur ista facis? in ecclesiam debaccharis, & te ipsum in exitium præcipitem agis. & tu hæc omnia monita neglectim prætercurabas. Et circensis quidē multitudo exhaustis in se tuis facultatibus gladium in te acuit: ecclesia vero tuo furore exagitata vltro citroque curitat, si quo pacto te ex his calibus implicitū extricare queat. Et hæc nunc dico non quo prostrato insultem, sed quod eos qui adhuc stant, tutiores reddere cupiam: nec vt plagas vulnerati refricem, sed vt nondum vulneratos in sanitate conseruem: non vt iactatum fluctibus demergam, sed vt eos qui secundis auris nauigant erudiam, ne fortē cum ipso nauigio in profundum deferantur. Quo autem modo caueri possit? Nimirum si rerum humanarum mutabilitates consideremus. Si enim iste mutationem timuisset, nunc eam non pateretur. Sed quoniam iste nec domesticis nec alienis consiliis corrigi potuit, vos saltem qui diuitiis extollimini, huius calamitatem in vestrum profectum conuertite. nihil enim est humanis rebus infirmius. quapropter quocunque nomine earum vilitatem significaueris, minus quàm pro rei veritate dixeris: vel si fumum eas, vel fœnum, vel somnium, vel flores vernos, vel quidlibet aliud nominaueris: vsque adeo sunt fragiles, & magis nihili quàm nihil ipsum. Quod autem non solum nihili sunt, sed & in præcipiti stent, vel hinc apparet. Quis hoc homine fuit excelsior? nōne in toto orbe diuitiis præcellerat? nōne ad ipsa fastigia honorum conscendit? nōne omnes eum formidabant ac verebantur? Sed ecce factus est & vincētis miserior, & seruis miserabilior, & mendicis fame tabescentibus indigentior, per singulos dies gladios præ oculis habens

1. Timo. 2.

Iob 1.

Matth. 6.

habens in se excutos, & præcipitia & carnifices, & **A** **viam** quæ ad supplicium ducit: ac neque memoria præteritarum voluptatum fruitur, imò ne luce quidem cõmuni, sed meridie quoque tanquam in densissima nocte angustius parietum inclusus oculorum vsu priuatur. Et quorsum hæc cõmemorare attinet, cum quantumuis adnitar, nullis verbis exprimere valeam, quis illi animus sit, per singulas horas capitis supplicium expectant: aut quid nostris verbis opus est, quum ipsius calamitatis imago ob oculos nostros versetur? Nuper nãque misis ad eum à rege qui vel per vim hominẽ pertraherent, quum ad sacraria cõfugisset, buxo pallidior factus, nunc quoque nihil meliorẽ quàm mortui colorem obtinet. accedit huc dentium arietatio, tremor totius corporis, vox singultiens & lingua titubans, in summa talis habitus, qualẽ oportebat habere animam quæ iam metu diriguisset. Hæc dico non exprobrandi **B** causa, neque insultans eius infortunio, sed vt vestrum animum molliam, & ad commiserationẽ pertraham, eoq; inducam vt præsentis hominis pœna sit contentus. quoniam enim multi sunt è nostris ad eò inhumani, vt nos etiam incusent, qui eum susceperimus, illorum duriciem nostris sermonibus mollire volens, miserias istius traduco. Quid enim est, quãso dilectẽ, quod indigne fers? dices: quia in ecclesiam confugit, qui eam indefinenter impugnabat. Atqui hoc potissimum nomine glorificãdus erat deus, quòd permisit eum in tanta constitui necessitate, vt & potentiam ecclesiæ & clementiam disceret: potentiam, eo quòd tantam incidere mutationem ob simultatem quam cum illa habebat: clementiam vero, quòd infestatorem suum obiecto nunc scuto protegat, & alarum obtentu tueatur, præteritarumq; iniuriarum oblita sinus ei amantissime **C** pandat. hoc enim quouis trophæo splendidius, quauis victoria illustrius. hoc Ethnicos, hoc Iudæos pudescit. hoc placiditatem vultus eius ostentat, quòd hosti captiuo parcat, & ab omnibus desertum ac contemptum vt amantissima mater suis velamentis occultet, regis simul iræ & intolerabili populi furori ac odio se opponens. hoc ipsum est eximium altaris ornamentum. Dices: hoc cõmune ornamentum, hominem scelestum, auarum, rapacem, altaria contingere? caue talia dixeris: quandoquidem & meretrix pedes ipsius Christi cõtigit, incesta illa & impurata: nec tamen hoc in crimen domino lesu celsit, sed in laudem magnam & admirationem. neque enim purum impura offendit, sed scelestam meretricem purus & inculpabilis suo contactu purificauit. Caue iniuriarum memineris ð homo. **D** Crucifixi illius serui sumus dicentis: remitte illis, non enim sciunt quid faciunt. Dices: at præclusit huius loci refugium, legibus scriptis quibus hoc irritum facere conatus est. At nunc re ipsa didicit, quale sit quod fecit: & suomet facto legem suam primus abrogauit, factus orbis totius spectaculum: & sileat licet, omnes tamen admonet: nolite hæc facere, ne qualia ego patiamini. Sua calamitate alios docet: & altare hoc ipso illustrem ex se splendorem emittit, ac venerationem sibi comparat, quòd leonem vinctum contineat. quandoquidem & regis effigiei non tantũ ornatus ex eo contingat, si solio rex sublimis sedeat purpuratus & diademate redimitus, quantum si sub pedibus quoq; regis barbari manibus post terga reuinctis proni iaceant. Et quòd hæc non verba modo sint ad persuadendum parata, vosmet festinatione vestra ac cõcursu attestamini. etenim præclarum hoc vobis spectaculũ & hilaris conuentus con-

tigit: nec minorem nunc video populi frequentiam, quàm in proxima sacrata paschæ celebritate. adeò exciti estis istius silentio, quod impræsentiarum quauis tuba clariorem sonum emittit. Et virgines penetralibus, & mulieres gynæciis, & viri foro vacuo relicto, vniuersi huc concurrissetis, vt humanam naturam traduci videretis, & secularium negotiorum momentaneam mutabilitatem detegi, illamq; in republica versantium speciem, heri ac nudius tertius præclarissime splendentem. talis enim est ex alienis iniuriis fœlicitas, quauis a nicula rugosa deformior demonstrata, mutatione reipublicæ, ac si spongia, eius tectoria fucosq; abolente. tãta nempe est huius infortunij vis, quæ virum felicem ac conspicuum, nunc omnium abiectissimum reddidit. Introeat diues aliquis, & magnam vtilitatem percipiet. videns enim à tam celso fastigio delapsus eũ qui totum orbem nutu concutiebat, ac formidine contractum, quauisq; rana aut lepore timidiorẽ, & absque vinculis columnæ huic hæretẽ, & vice catenæ timore affixum tremementq;, deprimet fastum suum: & cõsideratis quæ in humanis casibus consideranda sunt, discedet re ipsa doctus, quæ verbis scripturæ nos docent. Quale est illud: Omnis caro fœnũ, & omnis gloria hominis vt flos fœni: aruit fœnum, & flos eius decidit. item illud: Sicut fœnum cito arefcet, & sicut olera virentia cito decident, quoniam sicut fumus dies eorum sunt. & reliqua similia. Contrã pauper introgressus, & hoc spectaculum animaduertens, non displicet sibi ipse, neque sortem suam deplorat: sed gratias insuper paupertati habet, quæ sibi & asyli vice sit tutissimi, & portus tràquillissimi, & arcis munitissimæ: & his visis, si detur optio, mallet præsentis cõditione cõtētus esse, quàm omnium facultatibus paulisper occupatis, mox in proprii sanguinis periculum venire. Vides quod non parua vtilitas diuitibus & pauperibus, celsis & humilibus, seruis & ingenuis, ex hoc istius refugio enata est? Vides vt cũ remedio quisque hinc abijt, huius rei spectaculo affectus suos curaturus? Nũ igitur molliui vestros animos, aut indignationem expuli? num inhumanitatem extinxisti: num ad commiserationem adduxi? equidem adduxisse me opinor: idq; ex vultibus vestris ac lachrymis colligo. Quandoquidem igitur terra cordis vestri in pinguem & fertilem agrum versa est, age iam fructum quoque misericordiæ proferentes, flauentesq; commiserationis spicas præ se ferentes, procumbamus regi ad genua: vel potius deprecemur benignissimum deũ, vt molliat irã regis, & cor illi tenerũ dare dignetur, quo hanc gratiam integram ab ipso auferre possimus. iam enim ex illo die quo huc confugit iste, nõ parua est facta mutatio. postquã enim cognouit rex eũ ad asylum hoc se recepisse, affluente milite & cõcitato ob eius crimina, deposcenteq; hominẽ ad supplicium, lõgam habuit orationem qua militarem indignationem compefceret, postulãt vt non culparũ modo, sed etiam recte factorum rationẽ haberent: vt qui pro illis gratiã haberet, & siquid humanum secus accidisset, ignoscendum duceret. quum autem illi de integro vrgerent ad vindictã læsi regis, clamantes, exilientes, ad mortẽ deposcentes, hastas vibrantes: tũ vero ne à lachrymis quidem clementissimis suis oculis temperans, & sacrosanctæ mensæ ad quam perfererat, religionem illis incutiens, agre tandem iram eorum sedauit. Admoueamus igitur nos quoque quæ à nobis adhiberi par est. Quæ enim ipsi venia digni essetis, si rege propriam iniuriam cõdonãte & obliuio, vos nihil tale passis in ira obstinate pergatis?

pergatis? aut quo modo hoc cõtu soluto sacramenta **A** contrectabitis, & precationem illam dicetis, qua rogare iubemur: Remitte nobis quemadmodum etiam nos remittimus debitoribus nostris: si à debitore vestro pœnas exigatis? Iniuriis vos fortẽ magnis affecit ac cõtumeliis: ne nos quidem istud inficias ibimus. Sed nõ tribunalis est præfens tempus, sed misericordiæ potius: nõ repetundarum, sed clementiæ: non examinationis, sed condonationis: non suffragiorum ac calculorum, sed miserationis ac gratiæ. Ne igitur quis vestrum accedatur, nève agre ferat, sed potius mitissimum deum deprecemur, vt reo vitam proroget, eumq; ex impendente cæde eripiat, vt ipse errata sua corrigat: & communi opera interpellemus clemētissimum regem pro ecclesia & altari, vnum hominem sacrosanctæ mensæ donari obsecrantes. Quod si fecerimus, & regi gratum faciemus, & deus vel magis quàm rex factum nostrum **B** approbabit, magnamq; nobis huius humanitatis mercedem retribuet. Sicut enim crudelem & inhumanum auersatur & odit: ita misericordem & humanum amplectitur & amat: eiq; siue iustus sit, splendidiores plebit coronas: siue peccator, peccata eius dissimulat, cõmiserationis erga conseruum talionem illi retribuens. Misericordiam volo, inquit, & non sacrificium. Et per vniuersam scripturam vides eum semper hoc requirere, atque hæc peccatorum medelam adhibere. Proinde nos quoque ad hunc modum illum propiciemus: sic enim peccata nostra redimemus, sic ecclesiã ornabimus, sic & regem clementissimum, vt dixi, demerebimur: ita fiet vt vniuersus populus nobis applaudat, & vsque ad fines orbis terræ humanitatis & clementiæ nostræ rumor celebretur, mercedemq; sumus vbique terrarum laudem nostri facti recepturi. Vt igitur talibus bonis **C** frui contingat, accidamus ad genua, obtestemur, deprecemur: eripiamus è periculis captiuum, profugum, supplicem, vt & ipsi futura bona consequamur, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cũ quo patri gloria, simul & spiritui sancto, in secula seculorũ, Amẽ.

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI

Sermo, quòd regulares fœmina viris cohæbitent.

EV me ð anima. Ita & ego nunc cum Propheta tempestiue dico, & semel & iterum, ac sapius. Heu me ð anima, quale negotium, & quanta refertum sermocinatione. Virgo iniuria est affecta, velum quod eam à nuptiis coercebat, sublatum est, & ab impudentissimis porcis dilaceratum. Sancta sanctorum conculcata sunt, honesta & reuerentiã plena prophanata, & omnibus peruia. Quæ honestior nuptiis ad eò deducta est & humiliata, vt nuptias magis dicere beatas liceat. Semper quidem virginitas cum coniugio comparata, primas partes tenuit, & omnem dignitatem. Nunc autem neque in secundo ordine manere potuit, sed valde procul, & planẽ in vltimum cõcessit ordinem: & quod multo grauius, non hostes, neque inimici, sed ipsa potissimum quæ illas curare deberent, eam sic affecerunt, & propter quas aduersus infideles hætenus libere loquebamur, illa ipsa ora nostra maxime obturãt, & multa ignominia confundunt. Inter Græcos sanẽ quidam licet pauci ita philosophati fuerunt, vt opum essent contemptores, & iram vicerunt: virginitatis autem flos nullo modo apud illos floruit, in qua semper concesserunt nobis primam dignitatem, ingenue fatentes, rem supra naturam esse, & non humanam, & eapropter omnibus gentibus

admirationi fuimus: sed nunc non item, quin potius derident, & sales in nos iactant, & propterea diabolus contra hanc turmam spirauit, quoniam vidit in hac potissimum phalange fulgidum Christi exercitum: sicq; attentauit ipsam confundere, vt posthac melius sit ne virgines quidem esse, quæ ita præuaricari attentent. Causa malorum omnium, quòd perseverant adhuc nomen & appellatio rei, & negotium totum in corpore sublatum est, quod scilicet nomen extrema virginitatis pars est: quæ autem plus necessaria, & ipsam magis demonstrant, neglecta sunt, & nulla ratio habetur vestium quæ virginitatem decent, vel sermonis, vel silentij, vel compunctionis, vel alicuius id generis. Quin temere nugantur omnia, & rident intempestiue, & deridentur, & in deliciis magis viuunt, quàm mulieres quæ in fornice vndeque peccatores suis **B** technis capiunt & cogunt, vt ipsa in obscenitatem mulierum quæ stuprantur, impellantur, quasi aduersus seipsas certantes, & contendentes, vt prior dignitas in fœditatis gloriam transeat. Vnde enim dic mihi, poterimus postea talem virginem ordine illarũ & societate eximere, quando & ipsa idem facit, quod illa: quando scilicet, vt adolescentum corda auolent, superba incedit, & intemperã eadem pharmaca terit, quando eosdem letales succos miscet, eundemq; parat puluerẽ. Sed non dicit. Heus adesto, amore implicemur: nec dicit, aspersi accubitus meum myrrha, aloẽ & cinnamomo. Vtinam accubitus & lectum, vestes & corpus. Illa enim domi escam occultant, tu vbique laqueum circumfers, & expãdis voluptatis alas obambulãs in foro. Sed non dixisti, neq; contulisti verba illa meretricia, Heus amore inuoluamur. Non loquuta es lingua, sed loquuta es **C** gressu: nõ loquuta es voce, sed loquuta es oculis clarius quàm voce. An ideo excusatum te putas, quòd non vocaueris, nõ obtuleris te ipsam? Neque sic à peccato liberaris. Est enim & hæc quardã fornicationis species. Pura mansisti ab iniuria corporis quidem, sed nõ animæ: & completum à te peccatũ, etiam si non per coitum, sed per aspectũ, Cuius enim gratia vocas prætereuntes? cur accendis ignem? Quo modo putas te puram à peccato, cum totum ipsum opus operata sis? Etenim cũ adulterum feceris perfectum eum quem tuo isto habitu cepisti, quo modo non potes esse adultera, cum opere tuo adulterium committitur? Illius insania tuum opus est. Profectò te quæ adulteros præparasti, adulterij supplicium minime posse effugere, nulli nõ manifestum. Tu gladiũ acuisi, tu dextram armasti, tu armatã dextram in miseram animã impulisti: quo modo igitur poteris **D** ab homicidij supplicio liberari? Dic enim, quos nos habemus odio, & auersamur? Quos autẽ puniunt legiflatores & iudices? num eos qui bibunt mortifera venena, an miscentes calicem, & præparantes ea, arteq; sua perdentes alios? Non bibetes quidem, quorum, vt potẽ iniuria affectorum, miseremur. Veneficos autẽ omnibus calculis cõdemnamus: nec sufficit eis ad excusationem, quòd nõ seipsos offenderunt, sed alios perdidērunt: sed propter hoc tanto grauiorem luent pœnam. Tu autem misera & calamitosa, miscuisti calicem hunc perniciosum, & præbuisi & dedisti pharmacũ: & postquam bibit & perditus est, defensam te putas, quia nõ ipsa biberis, sed alteri præbueris venenosa? Quamuis & vos tanto grauiorem luctis pœnam, quàm pharmacopolæ illi, quanto & mors grauior. Non enim corpus solũ, sed & animam interimitis. Et illi quidem sæpe vel furore, vel ira hoc faciunt, vel inopia: vos autem ad nullum talem

lem confugere prætextum potestis. Neque hoc facitis inimicis, vel eis qui nocuerint, vel ob inopiam: sed ob solam vanam gloriam in alienis luditis animabus, & ex alienis animabus voluptatem propriam cõstituitis. Sed nescio vnde, vt hæc dicerem, huc appulsus, propter quod redeũdum ad id vnde digressus sum. Nam quasi non sufficerent hæc quæ dicta in totius fœminei generis confusionem, & aliud quiddam maius excogitauerunt. Sed nemo hæc de omnibus dicta putet. Nõ enim tam miser sum & imprudens, vt simul omnia commisceam & confundam. Nam de his quæ culpæ obnoxia & hæc dicta sunt, & quæ postea dicentur. Quasi igitur non satis damnosa essent hæc, viros sibi minime conuenientes semper includunt, & omni tempore cõtubernales faciunt, quasi demonstraturæ & per hæc, & propter ea quæ dicentur, quod inuitæ ad virginitatem raptæ sint, & extremam vim sustinuerint, & hac ratione consolantur vim & necessitatem. Et quæ hæc non dicerem, quum vos longe deteriora his vbi hæc contingunt, dicitis apud omnes amicos & familiares? Permittendæ ne sunt illæ viuæ & respirantes, & non potius dissecadæ mediæ, vel viuæ cum illis ipsis tumulandæ? Etenim & hæc & his multo plura omnes dicunt. Cæterum & frequens, & quotidianus est cursus obstetricum ad virginum domus, quasi ad parientes, non quod obstetricentur parienti, quamuis contigit in aliquibus etiam hoc, sed quod probentur & iudicentur sicut emptæ ancillæ, quænam corruptæ, vel quæ intactæ: & illa quidem facile obediit probationi: hæc vero contradixit, & hoc ipso confusa abiit, etiam si nõ corrupta sit: & hæc quidem vim passâ, illa vero non vim passâ: & hæc etiam non minus illa confunditur, quum non possit digna fide hoc more comprobari, sed opus habet externo testimonio. Quantis lachrymis hæc non sunt digna? quantis non digna mortibus? quis autem sic lapideus, & sine compassione, vt non accendatur zelo sicut Phinees? Et ille quidem, si per hoc tẽpus hanc turpitudinem videret fieri, non ipsi placeret, sed faceret idem quod in Madianitide olim fecit. Nos autem quum nobis non sit permissum arripere gladium, neque confodere pugione eos qui ita negligentes sunt: affecti igitur sumus sicut sanctus ille, non faciamus autem eadem, sed dolori aliter succurramus, plorantibus scilicet ac lamentis. Venite ergo, dolorũ ac gemituum sociæ estote, quotquot ab hac obscõnitate estis alienæ: nam calamitosæ & miseræ illæ fortè in tanta sunt miseria, vt mali dolorem vllum nõ sentiant. Sed vos quæ hanc suscepistis vitam, dignæ factæ thalamo & spõso, lampades claras gestatis, & honesto virginitatis sero magis ornata quam corona regia, lachrymas fundite nobiscum, & amarè simul eiulate: nam hoc nõ paruum est remedium ad curandos, & eos qui incurabiliter ægrotant, & ad consolationem lugentium. Hoc ipsum aliquando & sponsus noster fecit. Nam quum videret Hierusalem in extremam perditionem inductam, ita vt non posset iam ab infirmitate reduci, lachrymas fudit, & in Bethsaida symbolis quidem nõ est vñs, item neque signis, miserans autem ciuitates solum: Væ subinde in clamauit, sicut & nos facinus in his qui animã efflant. Item beatus Paulus exemplo magistri sui non cessauit per omnem vitã suam eos qui exciderant, & qui in ruina sua mæserant, & resurgere postea noluerant, deplorare tam amare, vt hac valida determinatione significaret, & scriberet Romanis dicens: Tristitia mihi est magna, & continuus dolor cordi meo pro

A fratribus meis, qui mihi cognati secũdum carnem. Vides quantam habent verba emphasim, quantam anxietatem cordis proferant? Insuper fideles ægrotantes, & tempestatibus depressos sic deplorat, quasi ipse eadem mala experiretur. Quis enim, ait, infirmatur, & ego nõ infirmor? quis scãdalizatur, & ego non vrõr? Et nõ dixit, tristis: sed vrõr, intolerabilem & incredibilem dolorem per incendium enunciare volens. Imitemur igitur etiam nos & dominum nostrũ & conseruum. Nam nobis horum vlulatum & lamentorum nõ parua erit merces: Sicut neque vulgariter reprehenduntur a deo, qui absque compassione suorum membrorũ mala prætercurrunt & cõtēnunt. Quæ tam apud fortissimum Ezechielem, quàm apud beatum Micheam videre licet. Ille enim dicit, cum ludæi in extremum malorum venissent, & sponte idolorum cultu se coinquinassent, imperasse deum dari signum super facies virorum gementium, & dolentium super his quæ faciebant. Neque enim simpliciter dolere oportet, quãuis nihil vnquam dixerint vel fecerint illi ad correctionem eorum quæ fiebant: sed quoniam sua intulerant solum, tantum adepti sunt honorem a misericorde deo, vt & gloriam, & securitatem multam assequerentur. Amos autem cum aliis reprehensionibus, comestationis & ebrietatis, & inunctionis vnguentorum, etiam adiicit reprehensibilem contemptum compassionis, sic dicens: Neque compatiebantur super contritione Ioseph, & eos qui habitabant ciuitatem Aenam propter hoc reprehendit, sicut iterum dicit, quod non exiuit vt ploraret domum contiguam. Si autem ibi deus irascitur, & reprehendit eum qui nõ compatitur ei qui punitur iuste: qua venia dignus erit, qui non condolet cum eo, qui in peccatum prolapsus? Neque mireris, si oporteat nos simul dolere cum iis qui puniuntur, quãuis deus puniat. Neque enim deus ipse qui puniuit, vult hoc facere. Non enim volo mortem peccatorum, dicit. Si igitur qui vindictam sumit, non vult vindictam sumere, multo magis nos veniam concedere oportet his qui puniuntur: fortè hac via illos eripiemus, fortè reparabimus. Nam licet perierint, tamen curam quæ reliqua est geramus, admoneamus & lachrymemur, & ploremus, nõ circumstantibus lametatricum mulierũ choris, sed vnusquisque priuatim apud semetipsum præsentibus illis. Si autem vultis, ipse incipiã luctuosum hoc canticum: neque enim cõfundar cũ Hieremia hoc facere, & Esaia, & Paulo, & in primis cum domino nostro. Incipiamus igitur sicut Christus incepit primũ, & dicamus: Væ tibi anima: ad quã vocata es dignitatẽ per benignitatem & misericordiã dei: qualem reliquisti: qualem accipies regionẽ propter ignauiam tuam? Væ tibi, quia ipse te ad thalamos traxit spirituales, tu autem te ipsam ab hac gloria abruptisti, & inducta es in diaboli ignem, & ad incurabilia supplicia, vbi planctus & stridor dentium, vbi nullus qui consolaturus est, quive manum porrecturus: sed tenebræ omnia, & perplexitas, & turbatio, & mala neque cõsolationem, neque finem habentia: hæc sibi omnia mundi fecit amicitia, quia prætulisti cœlo terram, & noluisti audire vocem sponsi continuo admonentis. Nihil enim vobis & presentis seculi rebus commune. Quis te miseram & calamitosam miserari potest postea? Nã etsi ipsum videas Noë, qui in communi totius orbis diluuiio totam domum saluauit, & in hac ira patrocinantẽ, etsi Iob, etsi Danielẽ, cumque illis Mosẽ & Samuelem, etsi patriarcham Abraham, nullus tibi manum postea porriget. Etiam si genere illum attingas, etiam si filia sis, etiam si

etiam si soror, etiam si supplices multum, sicut diues ille, omnia frustra & inuanum facies. Quo modo excidisti e cœlo, quæ non sicut Lucifer, neque sicut mane oriens, sed ipsis solis fulgoribus plus radiare potuisses? Quo modo sedes deserta? Atque adeo haud quis aberrarit, si in captiuam hanc animam & plura lameta, quam quæ in ciuitate illã dista sunt transferat. Sed forte lamentorum satis, satis, in quã, quasi in libello & angustè scripto, alioquin ad condignam deplorationem neque omne tẽpus nobis sufficeret. Quid enim quis deploraret primum? an quod venerabile & sanctum, & mansuetum nomen dei per vos blasphematur in gentibus, & gloria sua prophanatur? an quod itã venerabilis & magna res ita abiecta est? an quod tam multæ animæ per vos tot scandalis perduntur? An quod sana pars chori nostræ gloriæ, macula obsolescit: an quod inextinguibilis & vobis, & cohabitantibus vobis accenditur ignis? Et quo modo necessariũ est, vt hæc fiant, inquit, cum possumus ostendere corpus nostrum nõ corruptum, neque viciatum? Verum hæc demonstratio, non nunc, sed in die illo erit manifesta & certa. Obstetricis enim ars & sapientia hoc solum potest videre, an congressum viri corpus tulerit: an liberum, & adulterium ex osculis & corruptionum amplexibus effugerit, dies illa tunc declarabit, quando verus dei sermo, qui occulta hominis in medium adducit, & præfens nũc his quæ clam sunt, omnia nuda & exuta ante omnium oculos ponet: tunc sciemus bene an ab his sit purũ, & vnde quaque incorruptum corpus. Atqui de his nõ tam exacte loquemur, neque cõtendemus, sed ponatur (super ductis omnibus rebus) esse corpus vnde quaque purũ, ab omniq; damno liberum, & maneat virgo quæ virgo. Quid hoc ad ea quæ dicta sunt a nobis? Etenim graue hoc omnium grauisimum est, & plurimis dignum lachrymis, quod tantum vnde quaque sustinuerit laborẽ, diligenter obseruarit corpus, & omnẽ laborẽ insumpserit, & sudorẽ effuderit, & nihilominus facta est blasphema in Christum. Cumque pepererit carni, nõ peperit gloriæ Christi, sed vt intactum ipsi maneret corpus, omnia fecit: vt autem ille non afficeretur contumelia, nec blasphemaretur apud multos, ne vllã quidẽ curã habuit. Vtinam non omnia fecisset, & omnibus operã dedisset, per quæ gloria dei infamaretur. Et quo modo hoc, ait: quia viris tecũ in domo inclusis semper tu assides. Nam si habere cohabitatores concupiscis, nõ oportebat virginitatem eligere, sed ad nuptias transeundum erat: multo enim melius sic nupsisse, quàm illo modo virginẽ profiteri fuisset. Nã illas nuptias, neque deus condẽnat, neque homines reprehendũt. Honestã enim res est neminem offendẽs, neminẽ lædens. Virginitas autẽ illa cum viris plus ab omnibus arguitur, quàm stuprũ ipsum. Nã quæ suum perdit ordinẽ, in profundius quàm sit stupri barathrũ eiecta est. Nõ enim aliquis feret cũ virginibus numerari eam, quæ nõ curat quæ sunt domini, & multos reddit adulteros: neque cum nuptis. Illa enim curã habet, quo modo placeat viro vni: tu autẽ vt plurimis, & his qui nõ lege cõiugij noti, sed alio quodam modo ab omnibus condemnato & reiecto: vnde vereor ne cum inhonestis mulierib; videaris ordinata. Etenim ab appellatione ipsa, si quis rem diiudicare velit, cõtradicerẽ nihil possemus. Nã si quãdo in foro de his incidit mẽtio, vel aliàs sermo domi de ipsis sit apud eos, qui disputant de absurdo coniugio, significare volentes quandã huius, vocant non matrem, neque enim illum peperit: neque sororem, non enim ex eodem vtero prognatus

A est: neque coniugem, nõ enim lege coniugij cohabitãt: neque aliud quoddam cognationis nomen, quod cõcessum, vel lege permissum, sed fœdũ & ridiculum. Nõ enim ego quidem tulerim ipsum nominare, sic exosam habeo & auerfor hanc appellationẽ, & præponitur mihi etiã contubernij cognomen. Sed nõ peperisti, nulli dolores. Et quid hac defensione fœdius? quid itẽ miserius, quàm quod ab his vult apparere virgo, ad quæ & multæ fornicatrices mulieres cõfugere possunt: Sed illæ aliunde manifestariã publicè libidinatur. Vnde aliunde dic mihi? a vestitu, a visu, a gressu? ab amatoribus quos capiunt? Bene quidẽ nobis depinxisti scorti characterem. Sed vide ne his coniecturis & argumẽtis, antequam illas, te ipsam capias. Etenim & tu tibi ipsi tales sæpe præparas amatores, atque per eadem retia. Quod si non vocas in domicilium prætereuntes, at habes intra cõclusos semper. Quod multo grauius ob nihil quidem aliud, quàm vt absurdam voluptatem impleas, & illius & tuam, non congressum inquam. Sed quid hoc commemoras? quando quidẽ oculis pascendo mutuis aspectibus istuc ipsum cõtigit, alioqui neque adulterium hoc genus esset. Sed dic, quare ipsum habes domi? Quæ causam iustam & rationabilem nobis dices? Nuptia enim nuptias dicit: scortum libidinẽ: tu autem virgo qualem nobis causam narrabis dignã quæ proferatur, & iustã? At cur curiose inquiris, dicit, cum nõ simul dormiant, neque nobis cohabitẽt, vt illis mulieribus illi? imò hoc potissimum pleriq; affirmant. Verũ quid hoc: dicit cõtra suum caput, & planè cõtra suũ solius caput. Dicitur hoc postea inquiremus, & iã quidẽ manifestè disternimus, cum de viris diceremus, quod non solum qui maledicunt, sed & qui occasiones temerè præbent, in causa quæ agitur, rei sunt supplicij. Veruntamen hoc ipsum denuo demonstrabimus: iam autem si te rogauero causam huius contubernij, prætextum aliquẽ dicere potes? Infirma sum mulier, neque sola valeo meo vsui sufficere. Enimuero cum hæc cohabitatoribus vestris obiciamus, ab eis cõtraria audimus, nepe quod propter vestrum ministerium vos teneant. Quo modo igitur quæ ex substantia vestra etiam viris suppeditare potestis, vobis ipsis mulieribus subsidio esse nõ potestis, sed aliis indigetis? Nã sicut vir viro, ita mulier mulieri cõmodius & reẽtius vtique cohabitabit. Quando autẽ & viris ad ministerium cõmodiores estis, multo magis vobis ipsis. Ad quid enim, dic mihi, necessaria & vtilis viri societas: aut quale ille mulieri exhibebit ministeriũ, quod nõ potest mulieri mulier? nõ tegmen tecum texere vel nere, ille magis poterit quàm mulier? An non cõtra se res habet? Ille enim etiam si vellet, nihil horũ attentare potest, nisi forte nunc id ipsos docueritis: quippe mulieris solius hoc opus est. Sed vestem lauare, ignem accendere, & legumina coquere, etiam hæc non minus, sed melius quàm vir mulier efficere potest. Quo modo igitur vtilis vir, dic mihi? An quãdo exponere quiddã oportet, vel omnino comparare: sed neque hic mulier valet minus quàm vir, & testabitur vtique forum, & omnes quotquot vestimeta emere volunt, a mulieribus plura quàm ab his emunt. Quod si turpe virginibus in foro stare in cõmerciis, sicut & turpe est: at maxime cohabitare viro, turpe est: veruntamen & hoc minus quàm illud effugere potest. Nam hæc vel puellæ quæ ministrat, vel vetulæ quæ ad hæc idonea reẽtius cõmiserim: vnde manifestum, quod prætextus illi & effugia sunt, & tegumenta infirmitatis. Qualis infirmitatis velamenta? Nam si cõcupiscunt virum & nuptias, & id genus conuersationis

uerfationis appetentes sunt, quis prohibebat, & adimebat libertatē ne hoc facerent? quo neque offensus deus, neque ipse ab hominibus redarguta fuissent. Etenim & ego hoc dico, & nō tam tua quam mea sunt verba. Vel necesse dicere, vbi tibi viri vltus tantopere necessarius? vel cum mōstrare non potes, eiiciatur male cohabitās. Nam ab hoc crimine absolui aliter non potes. Nā hęc quę dicebas, nō tua magis sunt, quā eorum qui tuam turpitudinem dolent. Oportebat quidem, tametsi plurimum vtile esset, viri ministerium cum tanto cōuicio non admittere. Nam quando dei gloria conuiciis cōtemnitur, nullus tā necessarius sit prętextus, vt persuadatur contemni tantum malum. Quin etiam si infinitis die vno moriēdum, ne hoc fiat, decretū sit: & cum multa voluptate hoc sustinere oportebat, ne scilicet quietis vel mundani vsus gratia, tantum prętereat malum. Audi igitur quo modo idipsum timuit Paulus, & tremuit, & quā vehementer. Bonū enim mihi est mori, ait, quā gloriā meam vt quis euacuet. Deinde, vt ne euacuaret suam gloriā, mori elegit. Nos autem vt scandala tollamus neque paruam voluptatem cōtemnimus: & quo modo poterimus vnquam saluari, cum non sit par, neque alludat propē, sed multum dissonet, laude priuari & incidere in ignominiam? Ille enim etsi hoc fecisset, non offendiſset dominum: ipse enim ei cōstituerat ex euāgelio viuere, attamē maluit mori, quā tam bonū opus relinquere. Nos autem turbātes ea quę vbiq; sunt ordinata, licet sciamus quōd maximā propterea luituri sumus pœnam, neque cōsuetudinem frigidam & intempestiuam despici patimur, & quę tandem nobis venia: Oportebat igitur, si & virum vnum multi vsus requirerent, & quōd scilicet dicebam, tanta inde nasceretur contumelia, eligere mortē potius quā hoc quod fit contemnere. Cum autem & per mulierem cōmodius & facilius hęc omnia perfici possint, quę nobis erit venia sic delicate agentibus, & contra salutem nostram nos fœdantibus: Dic item mihi, quando tibi hęc ille exhibet, exhibebis ne etiam ipsa illi vicissim aliquod ministerium? Nulli non manifestum. Et quanto melius nō retribuere talia, neque vicissim accipere, sed tempus laborum, quod in illius quietem impendis, hoc in tuam salutem infumere, quā grauius laborantem tuam opinionem & gloriā confundere? Sed nullum ipsi exhibes ministeriū. Ergo ipsum sibi ipsi omnia ministrare necessarium, & sternere lectos, & coquere, & ignem accēdere, & alia id genus facere. Hęc neque famulus ferret ita ministrans, & nihil cōmodi à domino accipiens. Sed hic fert omnia, ait, propter timorem domini, & repositā huic ministerio mercedem, & gratiam feret qui imperat, cū nihil illi vtilitatis ex nobis. Vnde igitur postea impudētium obturabimus ora? Etenim tantam ipsa eius testaris pietatem, & sic tremet & veretur dei mādata, vt seipsum ac vilissimū mancipiū despiciat, omnia quę tibi exhibeat, nullum inde capiēs fructum. Ante omnia oportebat ipsum rationem habere glorię, & bonę famę in deo: nunc autem non est eiusdem animę simul, & per idem tempus tantam abominationem simul & despectum ostendere circa mādata dei, & nunc quidem ipsa tremere, nunc vero nullam rationem habere eius qui leges dedit, quem contumelia afficit. Etenim si ita se purum seruat à voluptate, nihil humani agit, vt seipsum humiliet, affligat, & erūnis subiiciat, suisq; laboribus aliis quietem paret, verē valde sapiētis animę est & sublimis, sed nō item, si quis gloriā dei contumelia afficiat, & neque hęc faciat,

1. Cor. 9.

A propter quā blasphematur à multis, & quā non valde magni plures bene & cū laude faciunt. Quo modo igitur tibi credemus, quōd hoc propter deum facias, quod magnam & generosam animam requirit, quādo illud quod scilicet maius est, & vulgare despicias? Non fers vt abſistas ab his, à quibus deo facta est iniuria, & corpus & omnia exponis pro ipso? Et cui hęc persuaderi poterunt? Sed nescio quo modo à virginibus ad earum cohabitatores simul transiuerim, propterea vtique ad eas nobis redeundū. Vnde igitur illos qui ita eas accusant, vt coniecturas habeant, docere possumus? Non persuadeantur, ait. Et vbi hęc pia fuerit anima? Tūc enim maledici despiciendi sunt, cum nos illis ansas nō prębuerimus: imō neque tunc. Quando autem ipsorum obturare ora possumus, totum ex nobis est, & in nostrum vertitur caput totus ignis. Sic enim, ait, peccātes in fratres, & infirmam ipsorum conscientiam percutiētes, in Christi peccatis. Sciebat enim, sciebat manifeste, quōd non sufficeret ad defensionem nostram, eorum qui offenduntur infirmitas, sed hoc ipsum potissimum esset, quod condemnat nos. Quanto enim puriores sumus, à causa quę intentatur, tanto magis iusti sumus, parcendo infirmitati eorum. Et nondum dico quōd hic à tenui coniectura offendantur, sed ponatur, quōd imprudenter hoc patiantur. Nam nec sic despiciendi erant. Quę Romanis per epistolam scribens Paulus, erudiuit nos sic dicens: Ne per cibū destruat opus dei: quamuis illi improvide erant offensi, attamen non eum qui offenditur, sed offendentem increpat. Nam quod iam videlicet dicebam, & nunc dico. Quando magnum aliquod lucrum, & damno, & plaga maius, contemnendi sunt qui scandalum patiuntur: quando autē nullum fuerit amplius, quā quōd infirmi abiiciuntur, etiam si infinitis ex imprudentia hoc patiantur illi, parcēdum eis erit: quoniam & deus eos, qui impellūt, & deiiciunt in sententiam supplicij, puniet. Nam dum nullum lucraris, & alium offendis, extremā maliciā est. Nos autem quando videmus aliquem pallidum & deformem ob diurnam valetudinem, eos qui illum exacerbent, domo abigimus, neque multū disputamus, an iuste vel iniuste illi hoc faciant, sed negata illis omni defensione, & nulla data ob infirmitatem venia, & quamuis iniuste exacerbetur veniam damus. Quōd si nos hac cura circa famulos & pueros vtimur, & sæpe filium ita peccantem flagellamus, multo magis bonus deus, & iustus, & equus hoc faciet. & quid dicis? Infirmus est qui offenditur, igitur dignus est cui parcatur, non vt lædatur: vulnera habet, ne igitur atteramus, sed curemus. Suspiciantur male & imprudenter, igitur auferamus suspiciōnem, non inferamus. In Christū enim peccat, qui de his contendit. An non audis cōtinuo in veteri Mose dicentem: Deus zelotes est: & iterum: Zelauit Hierusalem? in noua vero Paulum clamantem, Zelo enim vos dei zelo? Hoc, si nihil aliud, sufficere debebat, ne subuerteretur anima, etiam non valde infirma, sed morbo libera. Tam terribile enim est animam perire, zelus dulce quiddam magis est, quā terribile. Nūquam enim zelus est, non pręeunte charitate aliqua calida & tam feruente, vt valde accendatur dei amor. Argumentumq; hoc est: Non enim affectio est zelus in deo, sed volens indicibilem eius amorem in nos interpretari, hoc sæpe vsus est nomine. Attamen nos qui valde insensati ad humanas decidimus affectiones, & eum qui nos valde amat, contumelia afficimus: eos autem, qui nihil nobis prodesse possunt, omnibus modis curamus. Quid enim

1. Corin. 9.

Rom. 14.

Exod. 20.

2. Cor. 11.

Hier. 13.

enim tibi ō misera, tantum prodesse potest frigida hęc cohabitatio, cum tantum thesaurū eicias? Vide quāso, deducit te è cœlis, excludit te spiritali thalamo, seūgit te à cœlesti sponso, parat tibi immortalia supplicia, & tormenta finem non habentia. Pro his si talenta infinita haberet cōtubernio, si promptior esset mancipiis venalitiis, si te in maiori honore & dignitate cōstitueret, quā sit regina: an non vt damnosum & inimicum, & plura auferentem, quā dātem sic auerfari, & odio habere oportebat? Paruāne tibi cura de bonis cœlestibus, de regno futuro, de vita immortalis, de ineffabili gloria? Tūc parua terrena commemoras? Et hunc ad illa vtilem vltimū curas, quasi dominum, & non te occultas, neque oras terrā vt te absorbeat, vt sic inde migres. Sed infirmitatem muliebri naturā mihi prætexas, & humanorum vsuum dispensationem, & quietē domesticam, fingens & componens prætexus, qui non sunt. Sed neque sic eos, qui cor habent fallis. Non est enim, non est quies, quę ad tātam turpitudinem cogit. Mulier enim si voluerit, non sibi ipsi solū, sed & aliis sufficet ad ministerium: quoniam & ab initio à viro ciuilibus negociis suscepta, mulier sortita est domesticā administrationē & curam. Igitur cuius quietis indigē intus rapitis viros? Sed quid, dicit mihi, stupri gratia & libidinis? ego quidem non sic dixerim, absit, sed nō desino obiurgare eos, qui sic dicunt. Vtinā possibile esset persuadere. Quis ergo prætexus, quę causa probas nos faciet? Dicit quis, Inanis glorię amor. Et quemadmodum viris voluptas friuola & misera, sic illis honoris cōcupiscentia hoc contubernium cōciliat. Nam vanē gloriosum omne hominū genus est, vt ita dicam, maxime autem muliebri. Nam cum neque opus habeant quiete, sicut declaratum est, neque cum ipsis rem habeāt, manifestum quōd hoc solum reliquū est suspicari. Quoniam igitur hanc mali radicē inuenimus, age cetera non reprehendamus: admodum autem & persuadeamus, quōd sicut viri, qui cohabitantes videntur quidem voluptate frui, maiori autē tormento subduntur: etenim sola pura & solida voluptas, quę per sequestrationē: sic vtique & causa mulierū habet, videtur quidem, vt ipsa opinātur, gloria aliqua hinc & claritas nasci. Si autem diligenter quis exquisierit, plena & referta est risu, confusione, opprobriis, & extrema ignominia. Et de his dicta sunt in principio pauca, dicetur autem & nunc. Sit igitur qui cohabitatur, si vult, non aliquis vilis neque abiectus, sed qui multam in ecclesia dignitatē habeat, & generis claritudinem, & admirabilis sit omnibus ob eloquentiam & pietatem, sitq; vndequeq; clarus. Neque vel sic poterit illam facere claram ac probatā. Gloriā enim habiturus ex amicitia erga aliquē, illius gloriā prius custodire debet, qui prębet vt glorificetur: nam si hęc offenditur, multo magis sua periclitatur: Nam sicut fonte corrupto, & quę inde manant fluēta cœno comunicāt: & radice corrupta, multo magis fructus corrumpentur: sic & nunc. Facturus claram virginē sit ridiculus ob cohabitationem, ipsa quoque ante illum, & cum illo ridebitur: & si mulieri antea contigerit gloria bona apud multos, ea tamē statim ingressa illius domo decedit, tantum abest, vt aliam secum afferat, etiā ipse habeat talem opinionem. Non vtique gloriā nobis bonam adducit hęc consuetudo, sed necesse sequatur eam ignominia, quę & eam quę nō meruit fœdat, imō vtriq; grauis est. Et quod de Iudæis propheta dicit, opportunum est etiā nūc dicere: Si mutabit Aethiops pellem suā, & pardus maculas suas, etiā quę talibus coha-

bitant, maculam deponēt aliquando hęc: sic quemadmodum corpora inurens cauterio, amborū opinionibus inuritur, & bona ipsorum omnia obfuscat. Sed forte gloriā putāt hoc ipsum placere viris: at hoc est mire ridiculum, & quod quærunt interim etiā gloriantes meretrices. Mulierū vtique liberarum & castarum hoc non fuerit, in talibus rebus deliciari. Quoniā & hinc iterum aliud ignominia argumentū, & quanto magis imperant viris, & grauiora iniungūt, tanto magis seipsas confundūt cum ipsis. Nō enim quę seruire facit viros mulier, sed quę reueretur, omnibus est reuerenda: & gloriosa. Si autē non sustinuerūt hęc nostra verba, dei lex occludere ora earum potest, sic dicēs: Ad virū tuum conuersio tua, & ipse tui dominabitur. Caput omnino mulieris vir. Et aliūde è multis locis: quis hoc inueniet sic legibus cautum, & hunc supernē datū esse ordinem: atque magna fœditas, si superiora fiant inferiora, & caput deorsum & corpus sursum. In nuptiis autē hoc turpe, multo autē magis in coniugiis, vbi non solum hoc graue est, quōd sit trāsgressio diuinę legis, sed pessimā & mulieri & illi affert famā. Nam si cohabitare est turpe, multo magis cohabitādo in seruitutem redigi. Non enim vndequeque imperare laudē habet, sed probatur non nunquam nō imperare, & turpe est imperare. Itaq; si vis in admiratione esse apud viros, nihil tibi cōmune sit cum ipsis. Procul à cōgressu & aspectu & cohabitatione illorum esto, tunc te & mulieres obstupescant, & viri omnes simul admirabuntur, vt pote virginē sponso indiuisse assidentem, tunc nō domestici solum, sed & Iudæi & Gentiles, & omne hominū probabit genus: atque ad eōd si gloriā amas, hanc vade viā non aliam, tunc te non iam illius vocabunt, sed Christi. Huius autem ornatus alius par à nullo tibi erit. Vel pauca hęc, dic mihi, quę toto die canuntur & in foro, & in domibus, & in aliis ciuitatibus. Puella quādam formosa valde & adolescēs, si voluisset, multos præsides ad se attrahere potuisset, sed noluit, imō voluit quęcunq; sustinere & pati quā Christi amorem relinquere, & castitatis florem obscurare, beata & bis & ter & sapius, & digna tantis frui bonis: qualem accipiet coronam, quantam mercedem accipiet, cum quibus immortalibus certabit virtutibus? Hęc & talia de hac omnes dicunt, & ad æmulationem sui filiabus proponunt: & si quis admone-re honeste viuētē, & si quis corruptam ad modestiam reducere voluerit, hęc illi iterum omnes encomia in medium ferent: non hic autem solum, sed & quoties de virginitate sit sermo: & sic omnes laudabunt, non solum qui caste viuūt, sed & illi qui studuere, & omnia fecerunt, vt ipsam procando obtineant: deinde vbi contempti & despecti fuerunt, ipsa quidem tanta, & multo maiore quā dicta est, fruatur gloria. Quę autē cohabitantes habet, omnia secus reperit: & primo quidem, quando ab aliquibus pollutis accusatur virginitas. De vtriusque enim habetur memoria in talibus conuentibus, sed illa quidem aperit ora defensantiū, ista autem accusantium. Postea quando corrigi aliquam & compositam reddi decet, hęc quidem vt phariseon vtile, & quod putredinem repellere potest in medium affert, & pręceptoris os ornat: illa autem cum confusa steterit, tametsi non alsit erubescēs & confusa. Necesse enim vt peccans in singulis accusetur, & iterum confundatur: & vbi de re hac sermo fit, sicut illa beata, ita illa misera & calamitosa, & omnia talia audiuntur. Et sicut illam non qui vident solum, sed & qui ignorant, & nullo beneficio affecti, celebrant, & hymnis laudant: ita &

Gen. 3.

ita & hanc quotquot sciunt vel ignorant, & qui nihil mali ab ea passi, affligunt & criminantur. Nam hi quidem recte viuentes, non à notis solum, sed & ignotis, sed & ab ipsis inimicis laudantur, & admirationi sunt: qui autem corrupti & improbi, & ab amicis affliguntur. Et hoc diuinæ prouidentia opus est, quod tantam nobis virtutis familiaritatem & cognationem, & tantam virtutum abominationem indidit. Ita illa quidem (de virtute loquor) omnium calculo probatur, etiam absentium. Hæc vero, malicia scilicet, condénatur, etiam ab his, qui virtutem non curant, & auersantur ac persequuntur. Vnde clarum, quod ignauas illas non solum qui viderunt, sed & qui nescierunt, auersantur: & maxime omnium ij qui cohabitant. Nam etsi valde dicant, quod vos diligant, & admirentur, etsi gratiam habeant pro hac voluptate, proque his, quæ donatis: attamen odio iterum eritis conscientis eorum, vbi parum respuerint, & intellexerint quo laqueo fuerint capti. Tantum malum est hoc peccatum, vt hi quos maxime omnium curatis, vos potissimum condemnaturi sint, quoniam & maxime omnium vestra sciunt in penitissimam admissi, & secreta vestra infanda probauerunt. & quod oderunt, manifestum inde: sapius voluerunt ab hac scabie & hoc morbo graui liberari, & oderunt omnes qui sciunt: sciunt autem non minus qui sunt domi suæ, quam qui non. Nam licet quis valde miser & calamitosus sit, non est tamen ita desperatus, & valde suam confundi cupiens gloriam, vt velit in turpitudine viuere, & esse in ore omnium, accusari, rideri, & opprobriari, & spectaculum esse foro commune, & omnium digitis monstrari per ignominiam. Enimuero non parua his insuauitas ab huiusmodi suspitione nascitur, & insidens conscientia continuo turbatur, & omni vermiculo solidius inherendo mentem intus depascitur. Si autem hæc ab hominibus sequitur confusio, & nihil manifeste dicentibus, & domi quoque seipsum reprehendentibus talis est dolor: quando ad ipsum abituri sumus sponsum iniuria affectum, quando & quæ incerta in medium ducentur, quando & corda reuelabuntur, & sermo, & figura, & visus, & cogitatio, transeo quæ his turpiora: quando igitur omnia simpliciter in orbe toto nuda apparebunt, & exuta, quantam sustinebimus ignominiam, & supplicium, & vindictam? Tunc enim si non patrocinabitur fulgens virtutibus anima, vt congruum est illi sponso, si non omni labe, macula, & ruga sit pura, peribit, & extrema feret. Etenim non magna macula sufficit ad eiciendam eam. Quod si vna macula eicere sufficit, quando multa sordes est, & tatus fœtor, & plurima vbiq; vlcera, quis eam eruet & supplicio & illa pœna? Nam si hic ita improba & insuauis eius vita, & omnes eam auersantur, & amici & inimici, quo modo poterit ad regia transcendere vestibula tanta luti varietate oblita? Non vides, quod neque in domo viri priuati & vilis ferret quis, porcum luto volutatum intus ostendi, sed iussu eius abigunt & insequuntur omnes, & ianuas recludunt, & fugant procul. Si autem brutum animal, præsertim in luto educatum, non ferunt homines intus excipi cum macula, quo modo in cœlestia tabernacula vbi tanta claritas, vbi omnia fulgida, vbi lux inaccessa, vbi fulgure omni fulgidiores occurrent fulgentes virgines, poterit quis sic coinquinatus ingredi? Quæ non habent oleum, à thalamo exclusæ sunt, & quo modo vos adyta illa vt ingrediamini expectatis? Etenim multo hoc difficilius peccatum. Non enim est par corporea voluptate coinquinari, & multas perdere animas. Illæ quidem pauperes nulla in

re affecerunt iniuria, sed quia sua illis non impartita sunt, neque eorum inopiam leuauerunt, hæc passæ sunt: tu autem iniuria affecisti, & expulisti, & non solum non profuisti, sed & maxime nocuisti. Quod si quæ nihil profuerunt, tantam dederunt pœnam, præsertim virginitate sincera manente: quæ autem non solum inuites aliis, sed & plurimum seipsas nocuerunt, & cohabitantes, & scandalizatos, & præ omnibus nomen sponsi contumelia affecerunt, qualem sustinebunt cruciatum? An nescitis qualem rem aggressæ: in quem agonem instructæ estis? quam prælij partem sortitæ? cuius ordinis in exercitu hæredes & occupatrices estis? Apud ipsum belli ducem, imò apud ipsum habitatis regem, & militatis. Sicut igitur in bellis non vnum locum exercitus omnis occupat, sed alij cornua agminis, alij medium, alij postrema, alij frontem phalangis ornant, alij autem vbiubi rex comparet, ibi cum ipso apparent: sic quoque & virginum chorus nullum alium, nisi hunc ordinem sortitus est. Non sic ij qui aureas togas induti, & equis auro ornatis vecti, & aurea feretes sceptras, & gemmata monilia, præsertim regi videri debent, vt virgo Christo. Nam illi quidem apud ipsum currum regium versantur: virgo autem regius quoque currus sit, sicut Cherubin, si vult, & adstat ipsi sicut Seraphin. Igitur cum in publicum se recipit, oportet & omnis philosophiæ specimen præ se ferat, & omnes in stuporem conuertat, sicut angelus si nunc è cœlo descenderet, & sicut Cherubin aliquis si in terris appareret, omnes homines in stuporem conuerteret: sic & virginem, omnes qui eam vident, adducere in admirationem & stuporem suæ sanctimonie oportet. Nam dum vadit, quasi per desertum eat: quædo autem sedet in ecclesia, profundissimo silicio oculus nulli videat prætereuntium, non mulierum, non virorum, sed solum sponsum, & præsentem & conspicuum. Concedens autem iterum in domum, ei in precibus loquatur, & eius solius vocem per scripturas audiat, & in domo eum quæ desiderat & amat, solū cogitet, vt peregrina & aduena omnia faciat, quasi res præsertim nihil ad eam pertineant: & non solum masculorum fugiat aspectus, sed & cœuentum secularium mulierum: tantaque corpori suppeditet, quæta necesse, & vniuersa in animæ salutem impendat: quis non admiretur, quis non obstupescat, in muliebri natura vitæ talem angelicam intuens? Quis autem homo existens, accedere, quis tangere audeat tam flagrantem animam? Eapropter omnes quidem ab ea abstinent, & sponte & inuiti. Omnes item in stupore vertuntur, vt pote aurum fulgens & ignitum viderent. Nam & auri natura habet per se multum fulgoris, cum autem & ignem in se tenet, maiori miraculo est & terribior. Quod si hoc in corpore: quædo idem in anima contingit aurea, non tunc hominibus solum, sed & angelis desiderabile erit hoc spectaculum. Quare ergo vestibus te ipsam ornas, quæ à flamma tantum habes ornatum? Etenim vestes non sunt datae, vt eis ornemur, sed vt nuditatis fœditatem occultemus, non vt talibus induamur, quæ nos maiori turpitudini, quam ipsa nuditas, exponant. Idcirco & Adâ induit deus vestes pelliceas, similiter & eius mulierem, quamuis si voluisset, delicatis eum potuisset induere vestibus: sed nobis denuo & per illas ostendit, quod non sit præsertim tempus deliciarum, sed gemedi & plangedi. Quod si ignominia est & condénationis, & ex peccato venit hoc amictum indigere, quid reprehensionis materiam auges? An non satis casum nostrum indicat, quod vestium sumus indigi? Cur crimen exaggeras: cur visu ampliore accusationem auges? Oportebat enim

1. Cor. 9.

enim eiulare & gemere, & corpus ipsum castigare, iuxta Paulum: nos autem sedemus, & velamenta artificiose contextentes, sicut si quis tegmenta circa oculos dolentes habens, cogatur ea considerare, & adhuc ornet velamenta hæc. Propterea Helias, propterea Ioannes simplicem habentes amictum, & pelliceas tunicas, & vestibus è pilis induti anhelabant & concupiscebant indumenta incorruptionis accipere. Tu autem mulieres in fornice præcellis vestium curiositate, quibus insidias adulescentibus elegantioribus pares. Non sic te indui & ornari vult sponsus, sed in anima tua omnem reponere gloriam iussit: tu autem illam negligis, & lutum ac cinerem variè decoras, & amatores incontinentes illicis, & adulteros facis omnes, vt ita dicam, qui te vident. Et cum frequenter ignem hinc conflas, puto neque te inficias ire, quod inde ignominia & probra sequantur, id quod & ab amatoribus tuis declarabo. Nam quæ animam ornant, deum suæ pulchritudinis habent amatorem: tu vero homines, imò neque homines, sed porcos & canes, & illis brutiores. Quis sic insipiens, vt te ornatiorem illis putet, quarum desiderio deus fertur ob internam formositatem? Atque adeo, quanto curiositati plus vacas, tanto abominabilior facta es: & deum quidem à te auertis, hos autem illicis: tantoque magis fœda ac turpis appares. Nam quo modo non turpis, si deum allicere non potes? Quod si quæ se ornat, adeo ingrata: quæ cohabitantem habet, cogita quantum conciliet sibi odium. Sed si videtur, non cohabitationem dicamus solum, sed ipsam aperiamus palam, vt magis fœda videatur. Nam quoniam non timent oculum soporis nescium, sed oculi hominum timor eorum, age & ipsas hac consolatione priuemus, quæ occulta & tecta in parietibus in medium afferentes, aperiamus ianuam his qui videre ea volunt, à lecto ipsas primum excitantes: imò si videtur, primum exquiramus quæ per domum contingunt, & ponamus parietibus ipsas cohiberi, & cubiculis variis sedere. Non enim puto aliquem, & si valde fœditati sit obnoxio, ita seipsum traduci velle, vt in vno cohabitaret cubiculo. Sint igitur dissociati parietibus, & quid hoc fuerit? Non enim sufficit, vt à suspitione liberentur. Verum nunc de suspitione nihil. Nam licet ancillæ plurimæ ei cohabitent. Aliam autem turpitudinem iam exquiremus. Euenit enim cum per idem tempus surgit, non ob matutinas horas (nihil enim vnquam pius ab his animabus fieri solet) vt transeant ad se inuicem iacentes, & compellent nocte, quo quid sit turpius? Quod si contingat repente & cohabitantem ægrotare, neque parietum hic postea aliqua vtilitas, sed exurgens præ aliis ad virginem iacentem ingreditur, infirmitatem prætexens, & ancillis sæpe tardius paratis, & absidet, & alia curat, quæ mulierem quandoque solam vix ministrare fas est, & neque ob illa pudefit, sed gloriam putat, neque ipse erubescit, sed magis gaudet, & tanto magis, quanto fœdiorem seruitutem subit, & apostolicum illud verbum quod dicit, Gloria in confusione ipsorum, re ipsa monstratur. Vbi autem & ancillæ surrexerint, maior turpitudine: nam & intesto capite, & vna tunica, & nudis manibus vt pote turbata, & in nocte surgentes discurrunt illo præsertim, imò in medio versante & simul currente, omnia coguntur implere: quo quid fieret fœdus? Quod si & obstetrix adsit, neque sic pudefit, sed & aliis virginibus ingredientibus officium suum facit. Ad vnum enim solum spectat, quo modo monstrat ægrotanti suum ministerium, ignorans, quod quo magis suam diligentiam monstrat, tanto magis & seipsum & illam

Philip. 3.

Tomus quintus

A confundat. Et quid mirum, si præsertim non erubescat: sæpe enim mediis noctibus vilium ancillarum opus facturus, ad ipsam currere non grauat. Quando autem adeft, nunc quidem ipsum eiciunt & inuitum, licet valde impudens: nunc autem admonent, vt iterum ingrediatur, & absidet: quamuis cur quis etiam plurima studiose colligat, vt illum confusibilem reddat, & talem qualem ipse se, dum multa talia parat sibi, efficit? Vbi autem dies illuxerit, & vtroque lecto fugere oportet, custodia & obseruationes sunt, ne quis ad exteriorum domunculam progrediatur, ne ipsa terreatur. Sæpe autem progressa & forte nudo corpore ad virum accedit, & ille hoc ipsum videns parum curat, nunc quidem misso nuncio ingreditur, nunc autem sine obseruatione, & multum excitat risum. Nihil enim dicere volo. Hæc autem quamuis parua, tamen magnæ libidinis carbones accedere consueuerunt. Et hoc quidem domi, & maiora his: quando autem in publicum ierit rediturus, iterum maior confusio. In domum suam ingressus, & dum non cogitur prænuocere inuentis mulieribus absidentibus apud illam pudefacit, & ipsa sæpe ita afficitur, turpeque censet si mulier mulierem excipiat, & vir virum: mutuam autem suam consuetudinem non abhorrent, nec vitant: cauent autem ne cognatos hospitio excipiant. Quo quid deterius fit? Accidit interdum, vt ipsum mulieres inueniant absidentem extentæ & sulum habenti. Quis diceret iurgia, quotidianas lites, etiam si multa amicitia & pax sit: sed & hæc contingere verisimile. Audiuimus autem & de aliquibus, quod zelotypi sunt. Nam vbi non est dilectio spiritualis, & hoc necesse est fieri, ibi & varij casus, ibi virgines reduntur impudentes & serules, etsi corpore non corumpantur, moribus tamen. Quando enim dicit libere loqui viro, cõsidere, in eum obtueri, & ridere, & multa alia fœda agere, neque hoc graue aliquid esse putat: sustollit virginitatis velum, & conculcat florem: ibi nihil grauantur, neque deprecantur, sed & internuntia nuptiarum fiunt, & institoriam scortorum obeunt, multaque volentes esse viduas prohibent. Et putantes se suorum malorum defensionem inuenisse, ibi omnibus despicabiles sunt, ibi & nuptæ ipsarum nomine erubescunt, vt pote in omnibus melius agentes. Multo enim melius & vno & altero coniugio coniungi, quam hæc fœda agere, & internuntiorum, & paranymphorum suspitione fugillari ab omnibus, quod à suauitate nuptiarum se abstrahant, & oneribus nuptiarum se subdat. Quid enim onerosius quam virum habere, & sollicitum esse de his quæ illius? Exoneravit te ab hac molestia deus. Ad virum tuum conuersio tua, & ipse tui dominabitur. Soluta es per virginitatem, quid iterum te seruituti subiicis? Liberam te fecit deus, tu autem tibi ipsi plectis negocia. Nullus sollicitam te fecit, tu autem negocia plectis. Sed quoniam sollicitudinis mentio incidit, tempestiue hæc dicenti aduenit apostolicum illud. Nam si cohabitare viris mulieres, & mulieribus viros curas tollerent, ad continentiam adhortando Paulus non dixisset: Volo autem vos sine sollicitudine esse, vt & hac nos admoneat. Quid enim vultis, ait, quietem & libertatem? Deinde non videtis contrarium euenire seruitutem & labores & miseras multas, dum viris cohabitatur? Multæ igitur sæpe relictis viris ob hoc non iterum nubunt, ne sub iugo seruitutis sint. Prorsus autem si in paupertate viuis & omni tutore cares, virtutem vite ostendas, & cum viro nihil habeas commune. Cõiunge te mulieribus quæ honeste vixerunt, & neque tuam coronam

Gen. 4.

1. Cor. 7.

coronam disperdes, & omni perfrueris fatietate. Quod si hoc insufficiens esse putas, quare diligenter, & omnino inuenies, immo non necessarium est quærere. Nam sicut ad lucem occurrimus omnes, si resurgunt radij vitæ tuæ, omnes accurrent diligentes, vnaquæque tibi ordinem iniunget, ministræ, & te domus tuæ securitatem putabit esse & ornatam vitæ & coronam, secundum sermonem Christi. Quærite enim, ait, regnum cælorum, & omnia hæc adiicientur vobis. Nunc autem & nos auctores sumus, vt ex hac seculari felicitate excidamus, & cælestia quoque negligamus. Nos autem quando dico, non viros solum dico, sed & vos, & vos magis quam viros. Quoniam ab initio ob hoc grauiorem pœnam accepit mulier, & deceptionem magis attulit: propter hoc & decipientem magis quam deceptum puniuit deus: quod & nunc erit, si nõ volueritis corrigi, & ad propriam redire nobilitatem: propter hoc enim & mulier tunc reprehensa, quod viro dedit de fructu, non audebat dicere, quod oportebat, cum vir nõ deberet persuaderi neque decipi: sed hanc quidem vtpote frigidam defensionem tacuit, ad aliam autem vtpote infirmam quidem & ipsam, attamen plus hac habetem rationis. Vnde manifestum quod qui prætexunt deceptores, relictus in se deceptos quam in deceptores culpam ingerere possunt. Scortum accersit contumelia afficientem suum corpus, & postquam cum illo dormierit, iterum dimittit: tu autem vbi vocaris eum qui iniuria afficit tuam animam, & corrumpit, semper ipsum includis, & non permittis exire, vinculaque grauiam iniicis, adulatione, cura & aliis operibus, & putas te glorificari cum te ipsam ita confundis? Non cogitas tu, dic mihi, præsentem vitam quam breuis, vt somniis assimiletur, & flosculis marcescentibus, & umbræ prætereuntibus? Cur vis deliciarum nunc in somnio, & puniri tunc in veritate? Quauis neque delicias hæc res habet. Quo modo enim, vbi condemnatio, & reprehensiones, & conuicia, & scædala: Verum si & deliciae sint, quid est parua aquæ gutta ad immensum mare? Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum, & domum patris tui, & concupiscet rex decorem tuum, ad orbem terræ aliquando male affectum dicebat Dauid. Hoc igitur nos tibi occinemus, breue verbum prophetae subinmutantes, & dicemus cum propheta: Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere malæ consuetudinis & eorum qui tibi male cohabitant, & concupiscet rex pulchritudinem tuam. Quid tibi hoc maius? Quid item par poterimus dicere, quam vt cæli & terræ, & angelorum, & archangelorum, & supernarum virtutum dominum amatorem sortita, libereris à vilibus conferuis, tuam nobilitatem confundentibus? Propter quod vtique & hic finire sermonem, bonum. Nihil enim dicere poterimus, quod huic honori sit par. Nam si quæ sponsam in terra acceperit regem, omnibus se putat esse beatiorem: Tu habes autem non terrenum, nec cœlestium, sed eum qui in cælis, eum qui super omnem principatum & potestatem, & virtutem, & omne nomen quod nominatur: cum qui super Cherubin sedet, concutientem terram, extendentem cœlum, terribilem & reuerendum Cherubin, inaccessum Seraphin, non sponsam solum, sed amatorem, & amatorem omnium hominum ardentissimum: quo modo non omnia relinquis, quæ hic sunt, etiam si animam ipsam relinquere oportet: Quoniam igitur sufficit, hoc verbum solum, & plumbo omni grauius ad corrigendum & promouendum ad supernam conuersationem, & nos hic defini-

Mat. 6

Gen. 3.

Psal. 44.

mus, & te admonemus, & quasi diuinum aliquod canticum accinimus, vt & in domo, & in foro, & in die, & in nocte, & in via, & in thalamo, & voce, & mente continue loquaris animæ, dicens: Audi anima & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere malæ consuetudinis, & concupiscet rex pulchritudinem tuam. Et si hoc continue verbum dixeris, auro omni puriore facies animam. Dictum enim hoc igne vehementius, & efficacius efflare tuas cogitationes, & omnes tuæ mentis maculas expurgare valebit, Amen.

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI.
aduersus eos, qui apud se fouent sorores adoptiuas, quas graues & subintroductas vocant, & contra concubinos, Sermo.

MAioribus nostris dux tantum cognita fuerunt causæ propter quas mulieribus viri cohabitent. Et vna quidem vetus est ac iusta rationique cõsentanea: nempe matrimonium, quod deo legislatore institutum. Propter hoc enim, inquit, relinquet vir patrem suum & matrem suam, & adheret uxori suæ, eruntque duo in carne vnam. Altera vero posterior & ex confesso iniusta, & legi aduersa, nempe stuprum quod à malignis introductum est demonibus. Atque nostra hæc etate tertius quidam nouus & insolitus nos produit, cuius causam haud facile inuestigaueris. Sunt enim nonnulli, qui puellas nuptiarum inexpertas domum ducant, & vsque in extremam senectam inclusas tenent, ac fouent, non procreandorum puerorum gratia, negant enim se cum illis rem habere: neque libidinis causa: aiunt enim quod illas & integras & incorruptas seruent. Et si quis ab eis causam rogauerit, dicunt sibi multas esse: sed fingunt. Ego enim nullam eos habere crediderim, quæ vel honesta vel idonea sit. Verum de his nunc non dicemus. Afferemus autem in medium, quam nos potissimum causam suspicemur. Et quænam illa? Omnino, si à scopis aberraueris, fas vobis esto vt me redarguatis. Et quænam causa: quis ille prætextus? Videtur mihi mulieris conuictus, etiam absque nuptiis ac congressu, voluptatis habere non nihil. Quod si non recte sentio, non est quod dicam. Mea vobis sententiam narro, mox autem nõ meam solum, sed & illorum dicam: nã & illis sic videtur. Quod inde colliquescit. Tantam enim gloriam, & tanta scandala nequitiam despicerent, nisi ingens quædam & vehemens cohabitandi voluptas esset. Precor vt nobis venia detur, desitque indignatio. Neque enim temere, & simpliciter inimicos vellem. Nõ sum tam miser ac ærumnosus, qui temere omnes offendere velim: sed valde doleo ac crucior, & gloriam dei blasphemari, & multorum salutem propter voluptatem hanc paulatim perire. Et habet voluptas hæc maiorem cohabitandi anorem, quam legitima nuptiæ. Quod nõ forte vobis mirum videtur: sed vbi quod auditis declarabo, eritis & vos mihi testes. Etenim cum legitima muliere congredi, cum non sit vetitum, concupiscentiæ vehementiam demulcet, & sæpe numero fatietatē affert, immodicum restinguens ardorem. Præterea partus & partuum dolores, puerorumque procreationes ac educationes, necnon & frequentes qui ex his sequuntur morbi, corpus affligunt, florem ætatis marcidum reddunt, inuaidumque voluptatis calcar faciunt. In virgine autem cohabitatrice nihil horum reperies. Abest enim coitus, qui naturæ impetum deprimat, ac calcar obtundat: neque dolores partus, neque puerorum educationes carnem languescere faciunt:

Gen. 1.

faciunt: sed iuuenilem vigorem diu conseruat, vtpote intacta manens. Vnde post partus & educationes puerorum, corpora vxorum infirmiora fiunt: illa autem vsque in quadragesimum annum in sua permanet forma, & cum virginibus iam elocandis certat: hinc est quod cohabitantes duplici igne accenduntur: nam & ardor eorum non restinguitur coitu eis interdicto, & ardoris fomes redditur validior. Quam ergo huius contubernij causam suspicer: Sed ne valde succenseamus eis, neque difficiles simus & importuni. Nam qui ægrum vult restituere, non hoc agit ira & verberibus, sed aptat magis pharmaca magna cura, & blanda adhortatione. Nobis, quauis illos punire & eis indignari liceret, vtpote in iudicium adscitis ordinem: non tamen hoc facimus, sed medicorum magis, & eorum qui curare solent, morem sequi lubet: vnde obsecramus & adhortamur, & eorum si opus est genua attingimus, si fortè quod agendum suscepimus, perficiamus. Igitur quemadmodum medici, qui ægros à cibo vel potu nociuo abarcere cupiunt, licet illa mixtam habeant voluptatem, ante omnia tamen persuadent, inesse illis præter nocumenta etiam multum insuauitatis: sic & nos faciemus, commostrando illis quod cohabitatio illa, quauis suavis & iucunda videatur, perniciofa sit, & nihilo melior, quam mortiferæ potiones. Et videtur quidem multam habere læticiam, latet tamen multum in ea amaritudinis, quæ animæ quæ voluptatibus oblectatur, infundit. Nam qui persuasus discedit, facile discedit. Sanè qui metu & necessitate à dilecta seiungitur, fortior amator fit, & fortassis iterum ad illam accedet: at si vt rem damnosam & amaram fugit, haudquaquam iterum reuertitur ob calculum sententiæ suæ, quæ quauis necessitate violentius illi persuadet. Quocirca quo modo persuadendum illis, quod hoc non solum noceat, sed & amaram sit: & quo modo aliter, quam ex ipsa rerum natura? Interrogamus ergo eos, si quis mæsa sumptuosa apposita, variis dulcissimisque plena eduliis, denūciat summis minis, ne quid propolitorum contingatur: num velint ad talem mentem considerare, & seipfos cruciare? Ego vtique non opinor: neque enim ex aspectu voluptate fruuntur, quantum tristitiam ex interdicto concipient. Quid autem si quis sitienti & ardenti præ siti fontem limpidum & purum demonstratum, non solum non degustare, sed ne extremis quidem digitis contingere permitteret, an quid eo cruciatu acerbius? Neque hic mihi contradixerit vllus. Tantum enim hoc malum est, vt etiam exteri, qui plurimum valent in naturæ voluptate, & tristitia expendenda, volentes effingere quosdam, qui valde cruciantur, talem quandam fabulam in medio proferant. Introducitur in fabula extremo supplicio afficiendus, cui ostenditur omnium ciborum copia, & præterfluens aqua: nec conceditur, vt aliquo istorum fruatur: & cum extendit ille manum, omnia quæ videntur, à tactu fugiunt, sitque hoc semper. Et hæc est externorum fabula. Et philosophorum quidam, cum vidisset sodalium quendam osculum formoso puero dare, admirandus dixit: Cur tantum intra se carminum accendere, & in ignem se aulit cum periculo iniicere? Ego autem non idem dixerim de his qui cohabitantes amant & contrectant: At si qui sunt qui hæc calumnietur, demonstrare tentabo, quod & hi illo vsque perueniant, & durius sibi quam sit dictum supplicium accersant. Nam si aspectus solus tantum infert dolorem: quanto maiorem & contactus accendit ex quo vt est voluptas multo crasior, quam ex aspectu: ita maiorem struit flammam, & acerbiorem efficit do-

Tantalus.

lorem, qui magis quam fera exasperatur. Quanto enim magis concupiscentias augemus, & plura eis fomenta suppeditamus, tanto & dolores nostri magis intenduntur. Et quemadmodum qui mensæ & fonti assident, nõ sic videndo dolent, vt cui permissum est attingere, & tamen ne degustet prohibetur: sic vtique qui ad contrectanda virginum corpora admittuntur, grauius puniuntur, quam qui ex solius spectaculi refocillatione hauriunt cruciatum. Et quid opus est philosophari in his afferendis res externas? Dei enim sententia his omnibus potetior, ipsa nobis ostendit rem ita sese habere. Nam cum vellet punire Adam, non procul à paradiso ipsum habitare fecit, sed prope paradisum, vt continuam pœnam haberet è spectaculo loci quem desiderabat, & eo quauis semper illum ante se videret, frui nõ permitteretur. Iam forte aliquis dixerit, & quo modo si hoc natura tam amarum, plerique tanto studio sectantur? Ad quod ego dixerim, quod istuc ipsum extremæ ægritudinis maximum est argumentum. Nam hic mos est ægrotantium, vt quærant frigidam quandam, breuisque temporis voluptatem, vnde prolixior sibi conciliant pœnam. Hoc & in febrientibus videre quis potest, qui cum paulisper abstinere nolunt à refocillatione momentanea vitæ vel esculetorum, vel poculetorum, longum quandam & difficillimum inuehant sibi morbum. Oportet autem vt hi qui bene valent, nõ eorum qui male habent sententiam & mores sequantur. Nam si illos sequemur, & à medica arte, & à philosophia condénabimur. Non autem hoc solum in febri cõtingit, vel mulierum amore, sed & in diuitiis & omnibus aliis qui ita ægrotant. Etenim qui in pecuniis infansiunt, licet sciant quod hi qui parua hæc indigis impartiuntur, infinita bona inde capiant: detinent tamen ea & defodiunt, & bonis omnibus excidere malunt, ob frigidam breuemque hanc voluptatulam, quam æterna pœna liberari, & immortalis vitam adipisci, illas ad breue tempus despiciendo. Hoc vtique & illis contingit ob paruam oculorum concupiscentiam: nam dum non ferunt vt seipfos aliquantisper contineant, intolerabilem intra se ignem cogunt: & quanto scilicet se magis oblectari putant, tanto magis malo implicantur, diabolo suis artibus hoc curante ad incrementum & perseverantiam incendij, vt ardetes & delectentur & doleant, absurdum quoddam temperamentum in animabus suis plantantes. Iam, quid si quis nos intemperantiæ ob hæc verba condemnet? Sanè strenuos illos viros, & cum mulieribus habitantes, qui nihil graue patiuntur, beatos quidem dico, qui tales sunt, & vellem etiã ipse hoc robore donari: & ipse quidem fortè adducor vt credam, quod possibile sit esse aliquos tales. Vellem tamen eos qui nos reprehendunt, posse hoc nobis persuadere, quod adolescens feruens, puellamque virgini cohabitans, & ad latera eius assidens, & simul cœnans, & per diem totum confabulans, vt nihil aliud apponam, intempestiuos risus & effusos cachinnos, & mollia verba, atque alia quæ dictu inhonesta audies, & eadem habitans domo, eademque communicans mensa, vbi vltro citroque est libertas verborum, nulla humanarum affectionum capiatur, sed purus à mala voluptate & concupiscentia permaneat. Vellem hæc ab his qui nos arguunt me doceri posse: sed neque ipsi volunt doceri, & reclamant nobis, quasi impudentibus & eodem morbo decumbentibus, suoque vicio correptis si nos defendamus. Et quid hæc ad nos, inquit? Neque nos sumus obnoxij insipientiæ alienæ, neque si quis stulte scandalizetur, dignus ego sum, qui pœnas dem ob illius insipientiam.

Gen. 3.

neque nuptias habuit, neque presentem mundum dilexit, sed pro omnibus Christum rapuit. Sinemus illam iacere ante eos, qui eam facultatibus suis privant: Et quanto satius erat nuptui esse traditam: vsq; cohabitatore cui incumberet harum rerum administratio, quam cum innupta manet, foederatq; cum deo conculcat, & iniuriam facit rei tam honestae ac reuerendae, & alios quoque ad suffragia suorum malorum trahit: Quo pacto autem hanc pro omnibus Christum delegisse dices, cum Christus dicat: Non potestis simul seruire deo & mammonae: Quo pacto item mundum & presentia odio habere poterit, quae concupiscentias huius mundi non aspernandas suadet: Quo modo autem eam, quae virum habet hortari potes, vt contemnat mundana, cum tu virgini diuitias conquiris, hanc ipsam olim relicturus, vt continuo seruiat domino, & indiuisse omnem vitam & omne studium in id negocij expendat: Quo modo poterit virgo philosophari, cum te virum videat, & habitum in opinione aliqua, suis in opibus ita negociosum: Quo modo discet damnatum contemptui habere, cum te videat omnia & patientem & patientem, vt illius opes accumulans: Nō sic nos deus a negociis liberari vult, sed contemere facultates, & omnibus quae ad hanc vitam pertinent renunciare: at non finitis vos, neque conceditis legem dei valere. Quid ergo, si aliorum opus habeat praefectura & patrocinio, dicit, interim multa ferens indigna: An non indigna sunt haec virgine? Imo nihil tam indignum virgine, vt ditari & negociorum turba adobruui. Quid autē si & alia cum his habeat, qualia sunt foenerari aureos: deinde nobis vocatis ad compositiones, nihil persuadeamus: & cum persuasa nō fuerit, nocuerit aliis: arguemur ne nos vt auctores: Quid autem, si negociationes illas illiberales & seruales instruat: Deinde cū nos cooperari noluerimus, aliis quibusdam opus habeat: digni ne erimus qui redarguamur? Nullo modo, quin potius digni qui laudemur. Ita que si secus agitur, & accusationē meremur, quod earum cooperari similia facimus. Vis non auferri bona illius: admone eam vt deponat, vbi neque viro opus habeat ad custodiam, & perpetuo inconsumpta maneat: si autem voluerit opes habere, cuius gratia ludit in non ludicris: Nam si virgo haec agat ludit ludum nō iucundum, sed mortiferum. Quandoquidem debitorum horum certaminum se constituit, omnino indigna sua pollicitatione facit. Maior poena, grauior vindicta. Num audisti qualē ipsi legem posuit Paulus, imō Christus qui per illū locutus est, quod diuina est mulier, & virgo: Et quae ianupta est, cogitat quae sunt domini, vt sit sancta & corpore, & spiritu: Sed vos nō finitis, ad omnia earum desideria auscultantes magis quam emptitia mancipia. Etiam dicit quis: Quid igitur, si extrema inopia laboret? Nam de abundantibus bene a te dicta sunt. Quae autem in medicitate & inopia multa neglecta iacent, reprehendis nos, si iuuentur? Vtinam non deiecissetis & depulissetis eas in alia perditionis barathra, & bonum esset. Enimvero si hac satis abductus persuasione, qui ius sit praesse pauperibus: habes multos fratres ibi, persuade & monstra, vt subeatur honestum illud opus ab eo, de quo nulla suboritur suspicio & scandalum, eō quod hoc loco eleemosyna omni inhumanitate & crudelitate sit deterior. Quae enim vtilitas, dum tu quidē corpus bene alis, animam autem expolias: quando vestem das, suspicione autem hac & nudis turpiore facis: quando prodes in his quae sunt corporis, omnia autem spiritualia disperdis: quando ei multa praeparas super terrā,

eiicis autem e caelis: Qualis autē haec eleemosyna, quando gloria domini contemptui est, quando palam sunt opprobria & confusio, & conuicia, & scommata, & eius cui misericordia fit, & aliorum multorum qui scandalizantur? Non a misericordiae, sed inhumana anima haec proficiscuntur. Nam si ex misericordia & humanitate essent, haec circa viros quoque declarare oportebat: At mulieres, inquis, maiore opus habent cura: viri autem natura, multa habet adiumenta. Quin & in viris multi sunt mulieribus deterius habentes, & ob gradem senectam, & ob valetudinem, & ob cecitatem corporis, & ob morbos graues, aliasq; id genus causas. Veruntamen quia maxime vobis cura est mulierum genus, vtpote infirmius, & ad eas valde misericordes & patientes estis, neque hic hoc praetextu destituamini: sed ostendemus haec argumenta in his quibus nihil suspicionis, & mercedis plurimum. Sunt enim & mulieres quaedam quae praesentio confecta, vel abscitis manibus, vel capte oculis, variisq; aliis morbis inualida, & difficiliore morbis paupertate. Siquidem inopia, cum profus nihil habetur, corporis morbos affert. Haec autē paupertas a morbis quoque grauior fit, & intolerabilior: has si inuenieris, collige, imō in colligendis nullo opus erit labore, ita ante omnes iacent, parata omnibus qui porrigant manum. Si opes habes, his expede: si validus es, has corporis ministerio adiuua, multa & hic opera videbis quae indigent corporali ministerio, & sumptu opum & circumcurritatione. Nam opus habent vt illis assignentur domicilia, preparantur potiones, & lauentur ipsae & vestes, & curentur cibi boni, aliaque multa, etiam si solum decem essent, quae ita agrotant: nunc autem ciuitas nostra his tota impleta est, inueniesque mille aut duo milia quibus cura opus foret. Ista desolata sunt, ista humili iacent. Haec est eleemosyna, haec est humanitas, hoc in gloriam transit dei, & in vtilitatem eorum qui vident, & qui accipiunt, & qui faciunt. Etenim iustius adiuuantur infirmiores, quam fortiores: & vetula, quam iuniores: & haec quibus neque necessaria sunt, quam illa quae mediocria possident: & illa quae apud multos abominabiles, quam quas multi aditant: & illa quae contemta diu fuerunt ob intolerabiles dolores, quam quae fauorem aliis conciliare possunt. Ostende igitur quod propter deum hoc facias, & illis opitulare. Quod si has neque per somnum videre vis, sed formosas & adulescentes obambulando venaris, & illiberalis huius venationis causam quidem aliam habes non ferendam: praetexis autem aliam quae in specie honesta & accepta est, nempe causam tutelae: licet homines decipias, sed non item tribunal dei, quod muneribus corrumpi nequit. Nam ob aliam quidem causam haec facis, & aliam praetexis: nam dicitis, quod propter deum faciatis omnia, facitis autem opera quae sunt inimicorum dei. Ego autem & addo aliquid amplius. Ponamus enim quod vera dicat, qui sic dicit, & ab omni concupiscentia purus sit, neque ex vllō alio, quam ex sola pietate hanc praefecturam suscipiat: attamen neque sic ipsum a poenis fore liberum inueniemus. Nam si deessent occasiones alia, in quibus etiam pietatem declarare faceretque, nullis animabus in eo impingentibus posset: nec sic tamē hoc agere oporteret, vbi minus lucro damnus. Quo modo ferres vt ob corporalia negocia vnus aut duarum virginum infinita multitudo animarū iacturam faciat? Veruntamen nec sic grauisima est accusatio: cum autem innumeras inuenias vias, & alienas ab accusatione, & liberas a scandalis, & quae maiorem habent abundantiam:

cuius

Marc. 9.

cuius gratia tibi ipsi necis negocia frustra & incassum, & lucrum subtrahis, & periculose extruis, & ignominiose: Et liceret sine damno & cum gloria. An nescis fulgidam Christiani vitam vsquequaque lucere debere, & eum qui suam gloriam foederet, vbiq; postea inutilem, & nihil magnum lucrari posse, etiam si fortunatus sit? Nam si sal infatuatus fuerit, dicit, ad quid valebit vltra? Sal enim nos esse vult, & lumen & fermentum deus, vt & alij a nobis vtilitatem accipiant. Quod si homines irreprehensibiliter viuentes, vix conuertere valent negligentes: quo modo si illis damno sumus, non vndeque rei erimus? Nam sicut qui qui peruersam agit vitam, nunquam saluatur: ita neque qui seipsum ignominia aspergit, poenam effugere poterit. Quod si etiam admirabile quiddam dicendum, etiam si grauius quis peccet, atque clam hoc faciat, & neminem scandalizet, minorem dabit poenam, quam qui leuiter peccauit, idq; impudenter, & cum multorum scādalo. Et ne dictum admireris, neque plus iusto dictū putes, ipsam tibi haec e caelo sententia afferemus, & haec legem inde prolata probabimus: nam beatum Moysen omnium qui super terram hominum mitissimum, dei amicum, prophetarum maximum, quandoquidem deus aliis per aenigmata loquutus est, huic autem sicut amicus amico. Hunc talem qui multas miserias in deserto tulit, tot annis, qui in extremis saepe periculis fuit apud Aegyptios propter ludaeos & apud ludaeos, pro ipsis ingratis: tamen hunc talem & tantum nihil aliud prohibuit post tot arumnas & labores multaque preclare gesta promissione potiri, quam quod scādalizati sunt ij, qui cum ipso erant apud aquā. Et hoc est, quod insinuabat deus dicēdo. Quia nō credidistis mihi vt sanctificaretis me corā filiis Israël, propter hoc non inducētis congregationē hanc in terram, quam dedi eis. Quāuis autem ante hoc in nonnullis minus obediisset, contradixit enim deo semel ac iterum cum mitteretur in Aegyptum, & postea in deserto incredulus dicebat: Sexcenta milia sunt peditum, & tu dixisti, carnem dabo ipsis, & comedent mensē dierū: num oues & boues inest abunt, vel omnia edulia maris congregabuntur & sufficient ipsis? Et postea iterum difficilem se reddidit, & populi praefecturam detractabat, attamen nihil aliud potuit ipsum propositis praemiis priuare, quam solum illud quod apud aquā contigit: quod natura quidem minus aliis erat, sed quia cum damno aliorum fiebat, multo maius iudicatum. Illa enim priuatum & occulte accidebant, hoc autē manifeste, & apud populum omnem committebat. Propterea & reprehendens deus hoc, insinuabat dicēs. Quia nō sanctificastis me coram filiis Israël, peccati eorū naturam detegēs, & vnde factum quod veniam non mereatur declarās. Si autem talem virum hoc fecit impingere, nos vermiculos & nullius peni, quo modo non destruet & perdet? Nihil enim ita exacerbat deum, vt quando nomen eius blasphematur. Vnde sursum ac deorsum apud ludaeos hoc iactat, eos reprehendens, quod nomen meum prophanaestis: & iterum, Vos prophanaestis ipsum: & propter vos nomen meum blasphematur in gentibus: & tanta ipsi cura ne eueniret quod euenit, vt & indignos saepe saluarit, vt ne hoc fieret. Feci enim, ait, ne nomen meū prophanetur, & nō propter vos ego facio domus Israël, sed vt nomen meum non prophanetur. Iam Paulus anathema esse optabat pro gloria dei: & ipse Moyses quoque e libro vitae deferri orabat pro gloria nominis dei: vos autem non solum nihil eligitis pati, atque adeo in ipsam inciditis blasphemiam, & omnia facitis per quae

Esai. 52.

Tomus quintus

illam augeatis, & quotidie intendatis. Quis igitur vos excusaret: quis item ignosceret? Nullus est, & planē nullus. Tantam autem curam & deus facit, vt non blasphemetur nomen suum: similiter & sancti, non quod deus opus habeat, vt a nobis glorificetur: Nullus enim indiget & perfectus est, sed ex ea re multum damni hominibus. Quando enim apud nos male audit nomen dei, & gloria eius nobis nihil vltra prodest. Quod si deus quum accusatur, nihil prodest: multo minus vos. Omnia igitur faciamus, vt nulla sit occasio scandalij, etiam si iniuste reprehendant: persuasionibus diluamus crimina, & imitemur sanctos, quibus tantum fuit studium & gloria dei, & suae propter deum. Ne abiectis omnibus & conculcatis, sufficere arbitremur ad defensionem si dixerimus: Vestem emimus virginis, & calceos, & alia quae ad corporalem curam virginis attinent, bene disposuimus. Quis, ait, administraret ea quae domi nostrae? quis possessionibus intenderet? quis praesentem domui nobis absentibus? & cum intus non sit mulier: quandoquidem & haec prioribus contraria, & turpiora. Et nullius ipsi curam habent, neque erubescunt, sicuti ebrii omne quod in buccam venit loquentes: qua propter neque nos defatigabimur, etiam si talia sunt quae ab iis dicuntur, vt nullum responsum mereantur. Non grauiamur, inquam, & respondere, & mansuete cum eis agere donec ab hac ebrietate illos liberemus, quantum scilicet ad nos attinet. confundor quidem & erubescō cum haec euertere attempto, quibus contradicere illi non erubescunt, ferenda tamen omnino erubescencia propter eos qui erubescere nesciunt. Etenim absurdum fuerit, redarguentem eos qui fratres quos scandalizant contemnunt, seque ipsos confundunt, propter pudorem illorum curam abiicere. Dic enim: quae sunt illa, quae domi agunt, propter quae tantopere necessarius vsus virginis? Barbararum puellarū tibi examina sunt, & nuper emptae, quae oportet erudire & ad lanificium & ad alia ministeria. Ad haec dicitis, promptuarium mihi est opum multarum, & oportet custodem intus semper sedere, & familiarium malicia obseruare oculos virginis, coenam quoque & conuiuia continue apparare, & oportet domum ornari & coquos & mensarum ministros cura regi virginis. Sunt item multi varij sumptus, sunt & continui, & oportet aliquem semper praesidem esse, & superintendentem, vt custodiantur cum diligentia, vt ne illa a domo sine vtilitate elabantur. Nihil horum ait, sed quo pacto ipsam hanc arcam & vestem, & aliam aspiciat facultatulam: bene verrat mensam, bene sternat lectulum, & incendat ignem, & abluat pedes, & aliam quem omnem praebet. Deinde pro parua & frigida refocillatione hac tantam feremus accusationem? tantam sustinebimus opprobria? Et quanto melius frater & facilius administraret? Natura enim fortior est muliere vir. Vsu autem nobis magis familiaris, & nō tam sumptuosus. Mulier quippe vtpote tenerior, & molliore indiget lectulo, & tenuiore vestitu, & fortassis puella altera, quae ei ministret: & non tantum nobis ministerium praebet, quanto ipsi opus erit apud nos: frater autem hic non tantis eget. Quod si aliquo eget, eodem & nos indigemus, quod non parua comoditatis, si contubernales non variis, sed iisdem vtantur: id quod certe in virgine non est. Primum sanē siue lauari velit, siue nudare corpus, neque frater ipsi ad haec ministrabit, tametsi valde impudens sit, neque ipsa sibi sufficiens est. Si autem fratres sunt qui cohabitant, vicissim ministrare poterunt. Item quando dormire opus fuerit, virgine qui-

O iij dem

dem intus sedēte, & lectos seiuictos duos esse oportet, & strata duo, & lodices duos: si autem castius agant, & domicilia duo. At si fratres sint, iterum re familiari tanta non est opus. Etenim domus vna, ceruical vnum, & lectus vnus, & eadem tegmina vtrisque sufficiunt: & in summa, si quis omnium pertractet ministeriū, hic multam inueniet facilitatem, alibi autem difficultatem. Et transeo domus turpitudinem. Quale enim est, si in domum viri solitarij itur, videre calceos muliebres suspēfos, & cingula, & mitras, calathifcos & circulos, & petines, & fusa, & alia quæ particulatim omnia numerare non datur? Sin autem vterius de his quaesieris, plurimus est risus. Primum quidem in puellarum tanta turba solus pascitur, quasi chorales in orchestra, qui in choro mulierum saltantium concinit: quod quid turpius & inhonestius: Deinde disrumpitur tota die familiaribus succensens ob res quæ ad mulieres spectant. Nam ei necessarium omnino silere, & omnia negligere, & ab illa increpari vel dicentem & increpantem confundi, & vide quid contingat. Nam qui iussus est, ne prope quidem ad temporalia negocia accedere, non solum temporalia, sed muliebria ipsissima tractat. Etenim vasa muliebria afferre non detrahet argentariis, subinde rogās num speculum dominae præparatum sit, num cadum, num lechyum, reddiderint: nam in eam corruptionem venerunt omnia, vt pluribus vasis vtantur, quàm seculares virgines. Hinc iterum ad vnguentaria officinam currit disputans de aromatibus dominae, sæpe etiam plus quàm mediocri studio. Nec detrahet si & pauper criminandus sit. Vtuntur autem & virgines vnguentis, non modo variis, sed & sumptuosis. Deinde ab vnguentaria ad vendentem lintea: & ab illo iterum, ad pellionem. Non enim verentur imperare hæc parua, quia vident eos valde obediētes, & gratiam habentes imperantibus maiorem, quàm alij ministrantibus. Hinc iterum si quando aliquid apparandum quod ad circungestabile tabernaculum hoc pertinet, vsque ad vesperam impransū perseuerant officinis affixi. Et de loco non est miraculum, sed quod & miseris famulis sunt molesti, & frequēti iniuria, & inclamatione & clamore hos vrgent. Cogita quantæ hinc accusationes: minister enim iniuria affectus & pro talibus rebus, quia eū qui iniuria affectus non alio modo vlcisci potest, lingua hoc facit, & occulta obtrectatione: nec parit alicui eorum, quin furori suo satisfaciat, sed tam immodice vlciscitur quantum verisimile est seruum ita exprobratū, & cui sola hæc est consolatio, e malis suis aduersus eum qui contristauit. Atqui pauperi, inquit, cohabitatur, nec eū argentariis negocia habet: non enim paupertas sinit assidere officinis vnguentariis, & cū tutoribus, & textoribus, & variegatoribus & tintoribus multū cōuersari: & quid opus catalogo omnium fordium, vt quādo in domum inducunt cerussæ & croci venditores, & deinde in foro talia iterum requirunt: Et hæc quidem in domo & foro contingunt, sed ferunt his multo magis ridicula. In ecclesia dici non potest quanta sit confusio. Nam sicut nemo ignorat ipsorum locū contemptum, illiberalem seruitutem: sic & in loco hoc sancto, & terribili, omnibus suam intemperantiam prædicat: & quod vti que molestius & maioris ignominia, quod & se fucant & ornant, de quo erubescere oportebat. Ante fores ipsas excipiunt, eunuchorum loco pompā habent, & præambulantes fastum spirant videntibus omnibus, & non humiliter descendunt, sed cum exultatione assultant, idque in sancto & reuerendo sacramentorum tempore,

& ministrando multas vt illis placeant occasiones, his qui eas vident, præbentes. Illæ autem miseræ & calamitosa eos ab hac gratia prohibent, idque miris deliciis & fastu. Quauis si quis vel his, vel illis maledicere vellet: quid maledicto hoc inueniret atrocius, quàm vt tam innumeris testibus intemperantia eorum arguatur, & in oculis omnium fœde agant? Quid opus est dicere quot in ecclesiis ob illarum gratiam subuertantur, quot diuina opera à multis negligantur, vt ne has irritent? Et quid dico ne irritent, si quis tantum insuauiter & tristius eas videat, omnia malunt ferre, quàm dissimulare illam hoc passam, & non vlcisci. Hactenus & nos fœde agimus, illorum omnia enarrant. Non vti que hoc proposuimus: nam si omnia tractare velimus, multa & longa nobis oratione opus esset: imò si maxime prolixior esse vellem, non possent omnia dici: quandoquidem ex multis pauca colligimus, etiā sic prolixi sumus: sed non ad hoc venimus, verum inuiti ad illorum memoriam rapti sumus, vt cordati auditores parūper admonerentur: reliquum operæ precium obsecratione & precatione. Oro igitur & supplico, & ante genua vestra me prouoluo, & omnibus precas affero, persuadeamini, & ab hac ebrietate redeamus, simus nostri ipsorum cōpotes, & agnoscamus honorē, quem dedit nobis deus. Et Paulum clamantem audiamus: Ne sitis serui hominum: & desinamus, vt seruiamus mulieribus ad comunem omnium nostrorum perniciem. Milites nos esse Christus vult, & strenuos & athletas. Non propter hoc nos armavit armis spiritualibus, vt puellarum tribularium ministeria suscipiamus, vt circa lanas & stamina, & alia ministeria versetur, vt assideam⁹ ad mulierculas nentes & textentes, vt totum diem consumamus, verbæque & mores muliebres in animas demurgamus: sed vt configamus inuisibiles virtutes, quæ nobis aduersantur: vt diabolum percutiamus, qui contra nos militat, vt abigamus feroces demonum phalanges, vt subuertamus eorum præsidia, vt potestates & mundi dominos, rectores harum tenebrarum ligatos in seruitutem ducamus, vt spiritualia malicia in exilium effugemus, vt ignem spiremus, vt ad quotidianas mortes parati sim⁹. Propter hoc induit nos thorace iusticiae, propter hoc cinxit nos zona veritatis, propter hoc imposuit galeam salutis, propter hoc calceauit præparatione euangelij pacis, & tradidit gladium spiritus, propter hoc ignem accendit nostris animabus. Si igitur militem alij quem postquam induxerit galeam, furalia, thoracem, postquam acceperit scutum, gladium, lanceam, telam, fagittas, pharetram, tuba iam clarum sonante, & omnes euocante, hostibus magno impetu sauientibus, & ciuitatem à fundamentis euertere molientibus, videres nõ in agmen foras currere, sed in domum ingredi, & mulieri assidere cum armis: an non si modo liceret, gladio medium transfoderes, ne sermone quidem eum dignatus? At si tu tanta ira impletus es, quo modo putas deum in multo turpioribus erga nos affici? Tanto enim turpiora & absurdiora sunt hæc quàm illa, quanto & grauius bellum, & hostes truculentiores, & præmia pro quibus bellatur maiora, & in summa, omnia tantum transcendunt, quantum vmbra veritas. Itaque ne effœminemus robur nostrum, ne succidamus nervos nostros istis cohabitationibus. Etenim indicibilem & infinitam animabus nostris instillat maliciam. Quid enim, etiam si non sentiamus amore ebrii? Istuc enim ipsum omnium est longe grauisimum, quod nescimus quo modo emeruemur, ceræque omni molliores reddamur. Nam sicut si quis

si quis leonem superbum & torue videntem arripiat, & iubas abradat, dentes excutiat, vngues amputet, turpemque faciat & ridiculū, & terribilem illum & intolerabilem, & rugitu solo omnia concutientem, facile iam à puero vincibile: Ita & hos omnes quos capiunt, facile posse capi faciunt à diabolo, molliores, cōcitatiores, impudentes, inconsiderantes, iracundos, audaces, intempestiuos, humiles abiectos, seruales, illiberales, sordidos, nugaces, & in summa, omnino corruptos mulierum mores in animam illorum immittunt & inferunt. Etenim fieri non potest mulieri cohabitante cum tanta compassione, & illarum conuersationibus emollitum non esse sordidum quendam, & forense mancipiū: & si quid loquitur, de staminibus & lanis loquitur, lingua eius qualitate muliebrium verborum infecta. Et si quid facit, hoc magna seruitute operatur, & seipsum procul à Christiana libertate seiungit, ad nihil eximiū, & quod præclare sit, vtilis. Nam cum ad seculares & ciuiles res hominum inutilis sit & nullius frugis, multo magis ad magnitudinem rerum spiritualiū, quæ tanto generosiores vires requirunt, vt ne attingi quidem possint, nisi ab his qui ad eas transituri angeli ex hominibus fiant: non ipsi autem solum tanto malo afficiuntur, sed & illis morum pessimorum authores fiunt. Nam quem admodum illi qui istis impendio placere volunt, officij sui rationem negligunt, ita ipsæ propter illos à sua verecundia excidunt, malam & perniciosam iniucem exhibentes retributionem. Etenim se ornant curiosius, delicatiorum vestium & incessus multam curam habent, & quæ non licet quotidie nugantur: quandoquidem videt multos in compositis moribus & verbis oblectari, omnia instruunt per quæ ipsos in seruitute continent. Iam si vouerimus paulisper respicere, & nostri ipsorum esse, & illos lucrabimur, & nos ipsos & alios omnes: & sicut nunc perditionis multorum rei facti sumus: sic & à multorum salute mercedem accipiemus: & quibus nunc potimur turpiter, illis fruemur magno cum honore. Cur enim vis honorari à mulieribus, dic mihi? Maxime indignum hoc est viro spirituali, amare talem honorem. Veruntamen & sic aderit, quando non querimus ipsum. Solet enim homo despiciere eos, qui sibi ministrant, & in admiratione habere eos qui non adulantur: cui rei muliebris natura magis obnoxia est. Nam si illis quis aduletur, intolerabilis est. Admiratur autem multo maxime eos, qui cedere nesciunt, nec succumbunt intempestiuis suis concupiscentiis: & huius vos mihi testes eritis. Nam nunc non solum externa, sed & ipsa quoque vos irridet: etsi non manifeste, certe tamen in conscientia, glorianturque hac dura tyrannide, tunc autem omnino vos admirabuntur, & vestram obstupescant libertatem. Quod si nostris sermonibus non creditis, illas ipsas interrogate, vtros magis laudent & approbent, an eos qui seruiunt, & qui dominantur: an subiectos, & qui omnia faciunt & patiuntur ob ipsarum gratiam, vel qui nihil horum ferunt, & duris suis præceptis eas erubescere faciunt? Et si volent dicere verum, omnino illos dicent: imò neque responso opus, rebus istuc ipsum clamantibus. At voluptatis gratia qui cohabitatur, opibus inhiat, oculos pascens virginum aspectibus, maxime quidem si & hoc sic poterit. Verum propter hoc ipsum fugere oportebat: nunc autem nobis satis demonstratū est, quod suaue hoc non sit, sed plane contrarium, si quis hæc contemplatione non fruatur: & tu illis aduicito, etiam e bona conscientia leticiam illis auferri. Nihil enim nos sic exhilarare solet, vt conscientia

pura & bona spes. Sed quietis gratia hoc inquiris? Iam demonstratum est, quod hoc facilius esset, si frater cohabitaret, at nunc penè nihil à seruo differs & quærens requiem, seruitutē inuenisti multo grauisimam: extra hoc ministerium stabas, etasque inter eos qui imperabant, non quibus imperabatur. Igitur hic pro voluptate morror, & pro gloria confusio, & pro libertate seruitus, & pro requie labor. Accedunt ad hæc, quod & deus blasphematur, & tanta perditio ac scandala, & immortalis pœna, & plurimorum bonorum amissio. Ibi autem contraria omnia, gloria, honor, voluptas, libertas & vitæ & sermionis, salus animarum, regni hæreditas, pœnæ effugium. Cuius ergo gratia non hæc illis commutamus, ego certe nescio. Veruntamen si quis seipsum perdere desiderat, nulla nobis posthac defensione opus erit, nec venia. Si enim nihil horū esset, omnia tamē pro gloria dei ferre oportebat: cū & præsentia percipere, & futura assequi bona liceat. Nūquid cura de hoc quod dei gloria cōtemnitur & blasphematur, & nos ipsos perdimus? quis eripiet & liberabit à supplicio propter hoc imminente? Nullus, nullus. Omnia igitur hæc nobiscum perpendentes, reparemus vel tarde animarum salutem. Quod si quid difficultatis habet diuelli consuetudine longa, virtute rationis post dei gratiam hoc tantum subuertamus: & illud nobis persuadeamus, vel si principium solum imponamus operi, non vltra visuros nos difficultatem: sic aduersus consuetudinem præualebis. Nam si decem dies te abstraxeris, facile feres viginti: & iterū bis tantos, deindeque via progrediens neque senties difficultatem, quam habuisti initio, videbisque facillimum factu, quod tot agonēs prius exposcebat, & in aliam te mutabis consuetudinem, inueniens haud ita grauem translationem: neque id per consuetudinem solum, sed & per bonam spem contingit. Sic te ille magis admirabuntur, & deus præ aliis acceptum habebit, & homines coronabunt, viuēsque libere & iucunde. Quid enim fuerit suauius, quàm à mala conscientia liberari, & perpetuum concupiscentiæ bellum dirimere, & multa facilitate bonam continentia coronam plectere, & liberis oculis in cælum respicere, puraque voce & corde dominum vniuersorum inuocare? Nullus catenis, pondere & aliis carcerum incommodis exemptus, imò nullus qui cæcus erat apertis oculis, & visa hac dulci luce sic exultat, gestit & tripudiat, vt cum ab hac seruitute liberari contigit. Longe enim dulcior hac luce est liberatio ab hac tyrannide, & omni caligine grauior seruitutis huius & incōlarū miseria. Verum quid opus est hæc prolixius referre? & vitæ illius indignitatem, tristitiam, damnum & corruptionem: & huius libertatem, voluptatem, vtilitatem & multifarias virtutes nullus sermo satis commendare potest, sed sola rerum experientia. Et tunc scietis bene, à quibus malis liberati sitis, quam affectu fueritis vitam, cum re ipsa parere voueritis. Parete igitur, vt opere ipsa quæ dicta sunt discatis. Quod si adhuc respicitis, & nostris sermonibus non creditis: dicite aliquem qui hanc seruitutem tulerit aliquando, & deinde liberatus ad libertatem bonam reuerterit, & scietis admonitionis huius lucrū. Etenim & Solomon cum secularium rerum concupiscentia teneretur, magnas eas & admirandas putabat, multumque in eis laboris & solitudinis insumebat, magnificas ædificando domos, copiosum coaceruando aurum, congregando cantorum choros, varia genera ministrorum mensæ & popinæ, quærendo animæ suæ voluptatem ab ortorum & corporum formosorum gratia: & omnem, vt

ita dicam, oblectationis & refrigerij viam sectando. A
Ar vbi inde ad se reuersus, & quali ex umbrosa quadam
abyffo ad lumen veræ sapientiæ respicere valuit, tunc
sublimem illam, & cœlis dignam emisit vocem: Vanitas
vanitatum, dicens, & omnia vanitas. Hanc & vos
& hac sublimiorem, si volueritis efferetis sententiam de
intempestiua hac voluptate, si aliquantisper à mala cõ-
suetudine vos sequestraueritis. Quauis autem à Solo-
mone seculis superioribus non tam multa sapietiæ exi-
gebatur diligentia: neque enim delicias lex vetus pro-
hibebat, neque aliis frui superuacuis dicebat vanum: ta-
men & sic se habentibus rebus, in ipsis contueri lice-
bit, quàm viles & vanitati obnoxie res sint. Nos vero
ad maiorem vocati vitam, & ad excellentius fastigium
ascendimus, & in maioribus exercemur palæstris. Et
quid aliud, quàm quòd sicut supernæ virtutes, intelle-
ctuales & incorporeæ illæ vitam instituire iubemur? B
Igitur, quo pacto non est turpe, extremòque supplicio
dignum, illis multo minores apparere: & non solum cõ-
cessis non fieri sublimiores, vt illæ, sed & vetita aggre-
di, quauis intolerabilem pœnam afferant? Nam in ani-
ma malum amorem pascere, ex concupiscentia spe-
ctare mulierem, speculari alienam formositatem, con-
fundere seipsum, nocere infirmioribus, Iudæis & Gen-
tilibus anfas nostram fidem blasphemandi præbere, do-
mesticos & alienos supplantare, seruili ministerio man-
cipatos esse, ad secularium negociorum turbam nosip-
sos intrudere, donatam nobis libertatem diabolo offer-
re, & immaniſſima tyrannide commutare: ridiculum
quidem amicis, opprobriosum vero inimicis esse, ma-
lam omni ecclesiæ opinionem inuehere, confundere ho-
nestam virginitatis dignitatem, & luxuriantibus mul-
tas præbere occasiones, aliâque his plura facere graua:
Neque enim omnia scire licet, quæ pro his rebus ferât,
quæ tamen valde prohibita sunt, & cruciatum intole-
rabilem secum afferunt: atque adeò si parua etiam vo-
luptas sit, & opponantur ei rifus, confusio, multorum

suspiciones, reprehensiones, conuicia, opprobriationes,
vermis perpetuus, tenebræ exteriores, ignis extingui-
bilis, tribulatio, angustia, stridor dentium, vincula inso-
lubilia: Hæc sicut in tabula proponamus ante oculos,
resiliamusque vel sero à pernicioso grauisimòque hoc
morbo, vt cum fulgentibus coronis hinc migremus, &
possimus libero ore ad Christum dicere: Propter te &
gloriam tuam, & familiaritates contèplimus, & volup-
tati imperauimus, & animam nostram affliximus, & ele-
ctis amicis & suspectis, te amoremq; tui rebus omnibus
præposuimus. Sic enim lucratur nosipfos, lucratur
miseras illas, lucratur eos qui scandalizantur: & cum
martyribus collocabimur, primòque in ordine erimus
eorum qui hoc maximo certamine vicerunt, & fortiter
cruciatu tulerunt. Non enim minorem pono homi-
nem, concupiscentia veteri detentum, & in suauissima
& antiqua consuetudine comprehensum: & deinde per
timorem dei disrumpentem vincula, & ad id quod deo
probatur, recurrerem. Est enim & hoc multo difficilli-
mum, compassione & affectionem inueteratâ eiicere, &
multiplices occasiones auellere, & assumptis alis ad cœ-
lestes apfides recurrere. Et sicut martyrum velox labor, ita
& horum prolixior dolor. Quapropter & pares coronæ,
quoniam & certamina inter se respondent & similia.
Et si qui educit & separat preciosum à profano, sicut
os dei erit: qui & seipsum liberauerit, & multos alios à
calumniis exemerit: cogita quantam accipiet merce-
dem, & præmiorum spe leuis & alacris, contemnet ma-
lam consuetudinem, vt iuxta dei voluntatem transita
vita hac, pura deum conscientia alibi videat sanctissi-
mæque conuersatione fruatur. Nam vt corporales affe-
ctiones solutæ fuerint, & extingatur tyrannica concu-
piscencia: nullum erit obstaculum simul ibi esse mulie-
rem & virum, è medio sublatis omnibus suspicionibus
malis, & agere & seruare vitam, quam agunt angeli, &
intellectuales illæ virtutes, & omnes qui in regnum cœ-
lorum introducuntur, Amen.

MISSA

MISSA SANCTI IOANNIS CHRYSOSTOMI
misupra complures annos ab Erasmo
Roterodamo, in gratiam epi-
scopi Roffensis, versa.

Oratio quam dicit sacerdos, priusquam ingrediatur
templum vbi sacrificat.



Domine deus noster emitte ma-
num tuam de sancto habita-
culo tuo, & corrobora me ad
propositum ministerium tuum,
vt citra condemnationem as-
sistam metuendo altari, & im-
maculatum sacrificium per-
agam, & nunc & semper, & in
secula seculorum, Amen.

Oratio quam dicit sacerdos, cum ingreditur.

Introibo in domum tuam, adorabo ad templum san-
ctum tuum in timore tuo domine, nunc & semper, &
in secula seculorum, Amen.

Hæc vbi dixit, osculatur mensam quater in figuram crui-
cis, & accipit sticharion, id est, lineam vestis, dextera ma-
nu, & osculatur, ac benedicit eam.

Excurret anima mea in domino: induit enim me vesti-
mentum salutis & tunicam laticie, circumposuit mi-
hi mitram, & tanquam sponsum, adornauit me deco-
re nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

In cervicali.

Dominus regnauit, decorè indutus est: indutus est do-
minus virtutem, & circumcinctus est nunc & semper,
& in secula seculorum, Amen.

In cingulum.

Accingere gladio tuo super femoribus tuis potes: spe-
cie & pulchritudine tua, & intende, & prosperare, &
regna propter veritatem & mansuetudinem & iusti-
ciam, & deducet te mirabiliter dextera tua.

Oratio pallij.

Sacerdotes tui domine induentur iusticia, & sancti tui
exultationem exultabunt nunc & semper, & in secula
seculorum, Amen.

Ad primam sublationem.

Tâquam ouis ad mactationem ductus es Christe rex,
& tanquam agnus coram eo qui totondit se mutus, sic
non aperuit os suum. In humilitate illius iudicium eius
sublatum est. Generationem autem eius quis enarrabit?
Sacrificia domine agnum: quoniam tollitur de terra
vita illius.

Immolatur agnus dei, qui tollit peccatum mundi.

Ad secundam sublationem.

Precibus domine eius quæ genuit te deiparæ, & semper
virginis Mariæ, sanctarum omnium potestatum spiri-
tualium, preciosi prophætæ præcurſoris ac Baptistæ Io-
annis, sanctorum gloriosorum Apostolorum, & sancti
Nicolai cuius & memoriam celebramus, miserere, &
serua nos.

Benedictio tertiæ sublationis.

Memento domine augustissimorum & dei-obseruan-
tium regum nostrorum: Memento domine spiritualis
nostri patris, & totius in Christo fraternitatis nostræ,
& omnium qui præmigrarunt è vita, patrum & fratrum
nostrorum.

Ad infusionem vini.

Et vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuo
exiuit sanguis.

Et addens aquam dicit:

Et aqua, & qui vidit testimonium perhibuit, & verum
est testimonium eius.

Diaconus.

Dominum obsecremus.

Oratio mystica.

Domine deus noster qui obtulisti teipsum agnum irre-
prehensibilem, pro mundi vita, respice ad nos, & ad pa-
trem hunc, & ad poculum hoc, & fac illum immacula-
tum & preciosum tuum sanguinem in transumptione
animarum & corporum: quoniam sanctificatum est, &
glorificatum preciosissimum & augustum nomē tuum
patris, & filij, & spiritus sancti.

Oratio thymiamatis.

Thymiamata offerimus in conspectu tuo domine deus
noster in odorem beneuolentiæ spiritualis, quam acce-
pe domine in sanctum & supercœleste & intellectuale
sacrarium, ac vicissim mitte nobis diuites misericor-
dias tuas bonas seruis tuis, qui inuocant nomen tuum
sanctum: quoniam glorificatum & sanctificatum est
preciosissimum & augustum nomen tuum patris, & fi-
lij, & sancti spiritus.

Ad discum.

Operuit cœlos virtus eius, & laudis eius plena est ter-
ra.

Cum tetigit calicem.

Dominus regnauit, decorem indutus est: indutus est
dominus fortitudinem, & præcinxit se.

Cum misit nebulam.

Et nebula lucida obumbravit eos: Verbo domini cœli
stabiliti sunt, & spiritu oris eis omnis virtus eorum, nunc
& semper, & in secula seculorum, Amen.

Oratio ad oblationem cum ponuntur sacra, priusquam
inferantur ad altare: qui locus est in sinistra altaris.

Deus deus noster, qui cœlestem panem alimoniam to-
tius mundi dominum nostrum Iesum Christum, &
deum emisisti seruatorem, & redemptorem, & benefi-
cum benedicientem, ac sanctificantem nos, ipse bene-
dic oblationem hanc, & accipe eam in supercœleste
tuum sacrarium. Memento, quippe bonus, & huma-
nus, eorum qui intulerunt, & per quos intulerunt, Nos-
que sine condemnatione serua in celebratione diui-
norum tuorum mysteriorum: quoniam benedictum
est, & sanctificatum est, & glorificatum est preciosis-
simum & augustum nomen tuum patris & filij, & san-
cti spiritus, nunc & semper, & in secula seculorum,
Amen.

Deinde venit Diaconus, & accipit benedictionem à sa-
cerdote, & sacerdos dicit:

Angelus domini dirigit viam tuam, & vnâ nobiscum
sacra peraget.

Primum benedicit sacerdos populum.

Gratia sanctissimi, & boni, & viuificatis spiritus sit vo-
biscum.

Sacerdos autem cum diacono faciunt ascensiones tres in
sanctum sacrarium, & accipit benedictionem sacerdotis
diaconus, & sacerdos benedicit caput illius dicens:

Angelus domini dirigit viam tuam, & vnâ nobiscum
sacra peraget.

Diaconus autem egressus sacrarium, dicit:

Benedic domine.

Et sacerdos.

Benedictum regnum patris, & filij, & sancti spiritus nunc
& semper,

† Exclama

Et phonsis. † tio: sine pro-

nunciatio.

& semper,

Ecll. 1.

& semper, & in secula seculorum, Amen.

Tunc diaconus exclamat:

In pace dominum obsecremus.

Populus.

Domine miserere.

Diaconus.

Pro superna pace, & salute animarum nostrarum, dominum rogemus.

Populus.

Domine miserere.

Diaconus.

Pro pace totius mundi, prosperitate sanctarum dei ecclesiarum, & omnium vnione, dominum rogemus.

Populus.

Domine miserere.

Diaconus.

Pro sancta hac domo, & cum fide, reuerentia, timore dei ingredientibus in eam, dominum rogemus.

Populus.

Domine miserere.

Diaconus.

Pro vniuerso episcopatu orthodoxorum, honorabili presbyteratu, toto in Christo diaconatu, clero, & populo, dominum rogemus.

Populus.

Domine miserere.

Diaconus.

Pro augustissimis & deo deditis regibus nostris, toto palatio, & exercitu illorum, dominum rogemus.

Populus.

Domine miserere.

Diaconus.

Vt illos in bello adiuuet, & subiciat pedibus illorum omnem hostem & inimicum, dominum rogemus.

Populus.

Domine miserere.

Diaconus.

Pro sancta hac sola ciuitate tota, & regione, & fide habitantium in eis, dominum rogemus.

Populus.

Domine miserere.

Diaconus.

Pro temperie aeris, fertilitate, & temporibus pacificis, dominum rogemus.

Populus.

Domine miserere.

Diaconus.

Pro nauigantibus, viatoribus, ægrotantibus, laborantibus, captiuis, & pro salute illorum, dominum rogemus.

Populus.

Domine miserere.

Diaconus.

Vt liberet nos ab omni tribulatione, ira, & necessitatibus, dominum rogemus.

Populus.

Domine miserere.

Dum diaconus pronuntiat rogationes, sacerdos dicit hanc orationem secretè:

Domine deus noster, cuius robur inæstimabile, & gloria incomprehensibilis, cuius misericordia immensurabilis, & humanitas ineffabilis, ipse domine secundum clementiam tuam respice in nos, & ad sanctam domum hanc: & fac nobiscum, cumque his qui nobiscum vota faciunt, diuites misericordias tuas & miserationes tuas.

Populus.

Domine miserere.

Diaconus.

Defende, serua, miserere, custodi nos deus tua gratia. Sanctissimæ, incontaminatæ, super omnes benedictæ, gloriosæ dominæ nostræ, deiparæ, & semper virginis Mariæ, cum omnibus sanctis memoriam agentes, nos ipsos, & inuicem, & omnem vitam nostram Christo deo nostro commendemus.

Populus.

Domine miserere.

Exclamatio sacerdotis.

A Quoniam decet te omnis gloria, honor, & adoratio, patrem & filium & sanctum spiritum, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Antiphonum primum.

Chorus vnus canit:

Bonum confiteri domino, & psallere nomini tuo altissime.

Hoc idem in altera chori parte canitur:

Precibus sanctissimæ deiparæ, seruator, serua nos. Ad annunciandum mane misericordiam tuam & veritatem tuam omnibus diebus nostris, precibus deiparæ, seruator, serua nos.

Quoniam rectus dominus deus noster, & nunc est in iusticia vultus illius. Precibus deiparæ, seruator, serua nos.

Oratio.

B Domine deus serua populum tuum, & benedic hereditati tuæ, plenitudinem ecclesiæ tuæ serua: sanctifica diligentes decorem domus tuæ. Tu eos vicissim glorifica diuina tua virtute, & ne deferas nos sperantes in te.

Diaconus.

Defende, serua, miserere, & custodi nos deus tua gratia.

Populus.

Domine miserere.

Diaconus.

Sanctissimæ, intemeratæ, super omnes benedictæ, gloriosæ dominæ nostræ, deiparæ, & semper virginis Mariæ, cum omnibus sanctis memoriam agentes, nos ipsos, & inuicem, & omnem vitam nostram Christo deo nostro commendemus.

Populus.

Domine miserere.

Exclamatio sacerdotis.

C Quoniam tua est potentia, & tuum est regnum patris, & filii, & sancti spiritus, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Antiphonum secundum,

Ex vna parte chori canitur:

Dominus regnavit, decorem indutus est: indutus est dominus fortitudinem, & præcinxit se.

Hoc idem in altera parte chori canitur:

Etenim firmavit orbem terræ, qui non commouebitur:

Testimonia tua domine credibilia facta sunt nimis.

Precibus sanctorum serua nos.

Gloria patri, & filio, & spiritui sancto: Sicut erat in principio, & nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Oratio.

Vnigenitus filius, & verbum dei, qui est immortalis, qui que vt nos saluos faceret, carnem assumpsit, ex sancta deipara, sempërque virgine Maria, intrepidè assumpto homine, & crucifixus deus morte morte cõculcans, æqualis in trinitate, conglorificatus, cum patre, & spiritu sancto, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Diaconus.

Etiã atque etiã, in pace dominum rogemus.

Oratio.

Qui communes has & concordēs preces largitus es, qui que quando duo aut tres concordant in nomine tuo, petitiones præstaturum, te promisisti: ipse nunc quoq; domine seruorum tuorum postulationes ad eorum vtilitatem imple, concedens nobis in præsentī seculo, cognitionem veritatis, & in futuro vitam æternam largiaris.

Diaconus.

Etiã atque etiã, dominum rogemus.

Defende, serua, miserere, & custodi nos deus tua gratia.

Populus.

Domine miserere.

Sanctissimæ, incontaminatæ, super omnes benedictæ, dominæ nostræ, deiparæ, & semper virginis Mariæ, cū omnibus sanctis memoriam agentes, nos ipsos, & inuicem, & omnem vitam nostram Christo deo nostro cõmendemus.

Exclamatio sacerdotis:

Quoniam bonus, & humanus deus es, & tibi gloriam referimus, patri, filio, & sancto spiritui, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Antiphonum. I I I.

Ex vna parte chori canitur:

Psalm. 94. Venite exultemus domino, iubilemus deo seruatori nostro.

Hoc idem in altera parte chori canitur:

Serua nos fili dei vnigenite, qui in sanctis es mirabilis, canentes tibi, alleluia.

Præoccupemus faciem eius in confessione, & in psalmis iubilemus ei.

Serua nos fili dei vnigenite, &c.

Quoniam deus magnus dominus, & rex magnus super omnem terram.

Serua nos, vt supra.

Quoniam in manu illius fines terræ, & altitudines montium ipse conspicit.

Serua nos, vt supra.

Quoniam ipse est mare, & ipse fecit illud, & aridam fundauerunt manus eius.

Serua nos, vt supra.

Gloria patri & filio, & spiritui sancto: Sicut erat in principio, & nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Canuntur hæc ab vtroque choro alternatim. Sacerdos autem egreditur è paruo ostio, portans Euangelium, præcedente ministro cum lucerna. Et conuersus ad Christi imaginem inter duo ostia inflexo capite, cum exclamatione dicit hanc orationem primum secretè:

Here domine deus noster, qui constituisti in cœlis ordines, & exercitus angelorum & archangelorū in ministerium tuæ gloriæ, fac vt cum nostro ingressu, fiat ingressus sanctorum angelorum nobiscum sacra celebrantium, & pariter glorificantium tuam bonitatem.

Tunc addit sacerdos:

Benedictus sit ingressus sanctorum tuorum, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Et tollens in altum Euangelium in imaginem crucis, magna voce dicit:

Sapientia recta.

Chorus.

Venite adoremus, & prouoluamur Christo.

Serua nos fili dei, &c.

Quoniam sanctus tu deus noster, & tibi ter sanctum hymnū referimus, patri, & filio, & sancto spiritui, Amen.

Cantor vero canit hæc:

Sanctus deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nobis.

Gloria patri, & filio, & sancto spiritui, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Cantor vero canit hæc magna voce:

Sanctus deus, sanctus immortalis, miserere nobis.

Dum hæc canuntur, sacerdos dicit tacitè hanc orationem:

A Deus sancte, qui in sanctis requiescis: qui ter sancta voce à Seraphim laudaris, & à Cherubim glorificaris, & ab omni supercœlesti potestate adoraris: qui à non ente ad esse producis vniuersa: qui hominem condidisti iuxta imaginem tuam & similitudinem, eumque omni tua gratia coornasti, dans postulanti sapientiam & intellectum, non despiciens errantem, sed ponens ad salutem pœnitentiam: qui dignatus es nos humiles, & indignos seruos tuos, etiam in hoc tempore constituere in conspectu gloriæ sancti sacrarij tui, vt prouoluantur tuis miserationibus, & debitam tibi adorationem, & glorificationem offerant: ipse domine suscipe ex ore nostro peccatorum ter sanctum hymnū, & respice nos in bonitate tua. Condone nobis omne delictum, & voluntarium, & inuoluntarium, & sanctifica nostras animas, & corpora. Et da nobis in pietate seruire tibi omnibus diebus vitæ nostræ, precibus sanctæ deiparæ, & omnium sanctorum, qui à seculo tibi placuerunt.

Sacerdos.

Attendamus.

Pax omnibus.

Sapientia recta.

Cantor.

Psalmus David.

Diaconus.

Attendamus.

Cantor.

Quod proponitur.

Et post hoc quod proponitur, sacerdos dicit:

Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos ignis flammam.

Versus.

Benedic anima mea domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius.

Tunc dicit epistolam ad Hebræos.

Epistola Pauli. Lectio.

Fratres, Si enim per angelos dictus sermo fuit firmus, &c.

Post epistolam sacerdos dicit:

Pax omnibus.

Cantor.

Sapientia recta.

Psalmus David, & Alleluia.

Tunc venit diaconus ad sacerdotem flexo capite, sacerdos autem orat super eum.

Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa, per preces dominæ nostræ, deiparæ, & semper virginis Mariæ, sancti & gloriosi Apostoli & euangelistæ huius.

Et sacerdos.

Sapientia recta.

Audiamus sanctum euangelium.

Diaconus.

Ex Lucæ euangelio.

Et populus:

Gloria tibi domine.

Et sacerdos:

Attendamus.

Diaconus.

Dixit dominus discipulis suis: Qui vos audit, me audit, & qui spernit vos, me spernit, &c.

Post euangelium, Diaconus.

Dicamus omnes ex tota anima, & ex tota mente dicamus.

Sacerdotis exclamatione.

Domine omnipotens deus patrum nostrorum, diues in misericordia, & bonus in miserationibus, qui non vis mortem peccatoris, sed expectas conuersionem & pœnitentiam, vt conuertatur & viuat.

Diaconus.

Pro sancta domo hac, & iis qui cum fide, pietate, & timore dei ingrediuntur eam, rogemus.

Populus.

Domine miserere.

Diaconus.

Vt liberet

Vt liberet nos ab omni tribulatione, iræ, & necessitate, dominum rogemus.

Oratio secreta.

Domine deus noster prolixam hanc supplicationem accipe à tuis seruis, & miserere nostri secundum multitudinem misericordiæ tuæ, & miserationes tuas demitte super nos, & super omnem populum tuum expectantem abs te diuitem misericordiam.

Diaconus.

Vt propicius, beneuolus, & placabilis fiat, dominum rogemus.

Populus.

Domine miserere.

Vt exaudiat dominus deus vocem deprecationis nostræ peccatorum, dominum rogemus.

Populus.

Domine miserere.

Pro spirituali nostro patre, sacræ legis administratore, & omni in Christo ministerio, dominum rogemus.

Populus.

Domine miserere.

Pro omnibus qui ante nos laborarunt, & sacris initiarunt, dominum rogemus.

Populus.

Domine miserere.

Pro circumstante populo, & expectante abs te diuitem misericordiam, dominum rogemus.

Populus.

Domine miserere.

Exclamatio sacerdotis.

Quoniam misericors, & amans hominum est deus, & tibi gloriam referimus, patri, & filio, & sancto spiritui, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Diaconus.

Precamini catechumeni dominum.

Fideles, pro catechumenis rogemus, vt dominus eorum misereatur.

Populus.

Domine miserere.

Catechifabit eos verbo veritatis.

Populus.

Domine miserere.

Aperiet illis Euangelium iusticiæ.

Populus.

Domine miserere.

Aduniet eos sanctæ suæ catholicæ, & apostolicæ Ecclesiæ.

Populus.

Domine miserere.

Sacerdos.

Serua, miserere, & custodi eos deus tua gratia.

Diaconus.

Catechumeni capita vestra domino flectite.

Oratio sacerdotis super catechumenes.

Domine deus noster qui in altis habitas, & humilia respicis, qui salutem hominum generi emisisti vnigenitum tuum filium, & deum & dominum nostrum Iesum Christum, respice super seruos tuos catechumenes, quique tibi suas ceruices inclinarunt, ac dignos eos facito in tempore opportuno, lotionem renascentiæ, remissionem peccatorum, & indumento incorruptionis. Aduni eos sanctæ tuæ catholicæ, & apostolicæ ecclesiæ, & annuera eos electo tuo ouili.

Exclamatio sacerdotis.

Vt & ipsi nobiscum glorificent preciosissimum, & augustum nomen tuum, patris, & filij, & sancti spiritus, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Diaconus.

Quotquot estis catechumeni accedite. Catechumeni accedite. Quotquot estis catechumeni accedite. Ne quis catechumenorum: quotquot estis fideles, etiam atque etiam in pace dominum rogemus.

Oratio fidelium prima.

Gratias agimus tibi domine deus virtutum, qui digna-

tus es nos, vt assistamus, & nunc tuo sancto sacramento, & vt prouoluamur tuis miserationibus, pro nostris peccatis, & populi ignorantiis, suscipe deus deprecationem nostram: fac nos dignos, vt offeramus tibi deprecationes: & supplicationes, & sacrificia immaculata pro populo tuo: & idoneos nos redde, quos posuisti in ministerio tuo hoc, in virtute spiritus tui sancti, sine condemnatione, & offensa in puro testimonio conscientiæ nostræ, vt inuocemus te in omni tempore, & loco, vt exaudiens nos propicius nobis sis in multitudine bonitatis tuæ.

Diaconus.

Defende, serua, miserere, custodi nos deus tua gratia.

Populus.

Domine miserere, & custodi nos deus. † Sapientia.

Quoniam te decet omnis gloria, honor, & adoratio, patrem, & filium, & sanctum spiritum, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Diaconus.

Etiam atque etiam dominum rogemus.

Diaconus autem dicit litanias.

Oratio fidelium secunda.

Iterum & sapius tibi prouoluimur, & te rogamus bone, & humane, vt respicias ad deprecationem nostram. Purifica nostras animas, & corpora ab omni inquinamento, carnisque & spiritus: & da nobis, vt innoxij, & sine condemnatione assistamus sancto tuo sacramento: da vero deus etiam his, qui nobiscum rogant profectum vitæ, & fidei, & intelligentiæ spiritualis. Da ipsis semper cum timore & dilectione seruientibus tibi, citra noxam, & absque condemnatione participes esse sanctorum tuorum mysteriorum, & supercælesti tuo regno digni habeantur.

Diaconus.

Defende, serua, miserere nostri deus tua gratia.

Populus.

Domine miserere.

Sapientia.

Exclamatio sacerdotis.

Vt à tua virtute semper seruati tibi gloriam referamus, patri, & filio, & sancto spiritui, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Oratio cherubici, à sacerdote prolata.

Nullus dignus est implicitus carnalibus desideriis & voluptatibus, accedere, aut appropinquare, aut ministrare tibi rex gloriæ. Si quidem ministrare tibi magnū, ac formidandum etiam supercælestibus virtutibus. Attamen propter ineffabilem & immensam tuam humanitatem intrepidè & irreuocabiliter factus es homo, & summus pontifex noster. Sacrificiorum ritum instituisti, ac solennis huius & immaculati sacrificij celebrationem nobis tradidisti, tanquam dominus omnium. Tu enim solus domine deus noster dominaris supercælestibus, & terrestribus, qui super thronum Cherubicum veheris, qui Seraphim dominus rex Israel, qui solus sanctus es, & in sanctis requiescis. Te igitur exoro solum bonum & placabilem, respice ad me peccatorem, & antiquum † seruum tuum, ac purga animam meam, & cor à conscientia mala, & idoneum me redde, virtute tui sancti spiritus indutum, tui sacerdotij gratia: vt assistam sanctæ tuæ huic mensæ, consecrem sanctum & immaculatum tuum corpus, & preciosum sanguinem. Ad te enim accedo inflexa mea ceruice, & precor te, ne auertas faciem tuam à me, neque reprobes me à pueris tuis: sed patiaris, vt offerantur tibi à

† In exēpla
ri quodam
Græco de
sunt, & cu-
stodi nos
de. Et post
Sapientia
ponitur ex-
phorus: S
Tā iēpīas.

† Legisse vi-
detur inter-
pres ag-
griou pro
αχρῆσι. i.
innuilem.

tibi à me peccatore, & indigno seruo tuo dona hæc. A Tu enim es, qui offers, & offeris, & accipiens, & dans Christe deus noster. Ac tibi gloriam referimus, cum patre tuo initio carente, & sanctissimo, ac bono, ac viuificante tuo spiritu, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Et cum sacerdos dicit hanc orationem, cantores canunt hæc:

Qui Cherubim mysticè representamus, & viuificantit trinitati ter sanctum hymnum canimus, & omnem vitæ deponimus solitudinem, tãquam regem omnium suscipientes, & angelicis inuisibiliter stipati agminibus, Alleluia.

Sacerdos vero post orationem sequitur diaconum, & vadit ad oblationem. Et inclinatus capitibus ter in terram, sumunt, diaconus quidem corpus, sacerdos vero sanguinem: & exeunt ex paruo ostio, dicente sacerdote paululum egresso:

Meminerit tui dominus deus in regno suo, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Et si quis est episcopus, dicit:

Sancte sacerdos, memento mei.

Sacerdos autem dicit:

Meminerit tui dominus deus noster in regno suo.

Et iterum, ac tertio, dicit:

Memento mei, dum veneris in regnum tuum.

Post hæc ingressi alterum ostium, ponunt sacra dona in magno altari. Et dicit sacerdos hæc:

Decorus ille Ioseph à ligno deponens immaculatū corpus tuum, si donec pura inuoluit, & aromatibus, impouit monumentum nouo.

Diaconus egrediens dicit:

Impleamus deprecationem nostram domino.

Populus.

Domine miserere.

Diaconus.

Pro appositis & sanctificatis preciosis donis, dominum rogemus.

Populus.

Domine miserere.

Diaconus.

Pro sancta domo hac, & cum fide, pietate, ac timore dei ingredientibus in eam, dominum rogemus.

Populus.

Domine miserere.

Diaconus.

Vt liberet nos ab omni tribulatione, iræ, & necessitate, dominum rogemus.

Populus.

Domine miserere.

Oratio post depositionem sanctorum donorum à sacerdote.

Domine deus noster, qui omnipotens es, qui solus sanctus, qui accipis sacrificium laudis ab iis, qui inuocant te in toto corde, accipe & nostram peccatorum deprecationem, & adducito in sanctum tuum sacrarium. Et idoneos nos redde ad inferenda tibi dona & sacrificia spiritualia pro nostris peccatis, & populi ignorantis, & dignos nos fac: vt inueniamus gratiam in conspectu tuo, vt acceptabile fiat sacrificium nostrum, & vt obumbret spiritus gratiæ tuæ bonus super nos, & super proposita dona hæc, & omnem populum tuum.

Populus.

Præsta domine.

Subueni, serua, miserere, & custodi nos deus tua gratia.

Populus.

Præsta domine.

Diem omnem perfectum, sanctum, pacificum, peccati expertem à domino postulemus.

Præsta domine. Veniam & remissionem peccatorum, & delictorum nostrorum à domino postulemus.

Populus.

Præsta domine.

Honestæ & conducibilia animabus nostris, & pacem mundo à domino postulemus.

Populus.

Præsta domine.

Reliquum tempus vitæ nostræ in pacè & penitentia nostra, à domino postulemus.

Populus.

Præsta domine.

Christianum finem vitæ nostræ, doloris, ac turpitudinis expertem, pacatam, & honestam defensionem, à domino postulemus.

Populus.

Præsta domine.

Sanctissimæ, immaculatæ, super omnes benedictæ, dominæ nostræ deiparæ, & semper virginis Mariæ, cum omnibus sanctis memoriam facientes, nos ipsos, & inuicem, & omnem vitam nostram Christo deo nostro commendemus.

Exclamatio.

Propter miserationes vnigeniti tui filij, cum quo benedictus es, cum sanctissimo, & bono, & viuificante tuo spiritu, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Sacerdos.

Pax omnibus.

Populus.

Et cum spiritu tuo.

Diaconus.

Diligamus inuicem, vt in concordia confiteamur.

Populus.

Patrem, & filium, & sanctum spiritum, trinitatè vnus essentia, & inseparabilem.

Tunc osculatur sacerdos operculum quæter, & dicit:

Hostia hostia, in sapientia attendamus.

Leitor autem dicit:

Credo in vnum deum, patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ, visibiliūque omnium & inuisibiliū, & in vnum dominum, & reliqua.

Post symbolum autem dicit sacerdos:

Stemus honestè. Stemus cum timore dei. Attendamus sacram sublationem in pace offerre.

Chorus.

Misericordiam pacis. Laudis hymnum.

Exclamatio sacerdotis.

Gratia domini nostri Iesu Christi, & dilectio dei patris, & communio sancti spiritus cum omnibus vobis.

Populus.

Amen.

Diaconus.

Sursum habeamus corda.

Populus.

Habemus ad dominum.

Diaconus.

Gratias agamus domino.

Populus.

Dignum & iustum.

Sacerdos secreta:

Dignum & iustum te canere, te benedicere, te laudare, tibi gratias agere, te adorare in omni loco dominationis. Tu enim es deus ineffabilis, incogitabilis, inuisibilis, incomprehensibilis, semper existens, eodem modo existens, tu & vnigenitus tuus filius & spiritus tuus sanctus. Tu à nihilo ad esse nos produxisti, prolapsos restituisti rursum, neque destitisti omnia facere, donec nos in cælum subduceres, & regnum largireris futurum. Gratias agimus tibi, & vnigenito tuo filio, & spiritui tuo sancto, pro omnibus quæ scimus & quæ non scimus, manifestis & occultis beneficiis tuis in nos collatis. Gratias agimus tibi & pro hoc ministerio, quod è manibus nostris accipere dignatus es. Et quidem tibi assunt milia archangelorum, & multa milia angelorum,

Iorum, Cherubin ac Seraphin, senis alis, pluribus oculis, sublimia pennata.

Exclamatio sacerdotis.

Victoriam hymnum canentia, vociferantia, clamantia, & dicentia:

Populus.

Sanctus, sanctus, sanctus, dominus sabaoth. Pleni sunt caeli & terra gloria tua: ofanna in excelsis. Benedictus qui venit in nomine domini.

Sacerdos autem inclinatio capite, dicit:

Cum his & nos beatis potestatis domine hominum amator clamamus, & dicimus: Sanctus es, & totus sanctus: tu & vnigenitus filius tuus ac spiritus sanctus, sanctus es, & totus sanctus, & magnifica gloria tua, qui mundum tuum sic dilexisti, vt filium tuum vnigenitum dares, vt omnis credens in illum non pereat, sed habeat vitam aeternam: qui veniens & omnem pro nobis dispensationem adimplens, nocte qua traditus est, magis autem seipsum tradidit pro mundi vita, accipiens panem in sanctis suis, & immaculatis, & incontaminatis manibus, gratias agens, benedicens, sanctificans, frangens dedit sanctis suis discipulis & Apostolis, dicens: Accipite, comedite, Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum, Amen.

Ioa. 3. b

Mat. 25. & Mar. 14. c & Lu. 22. b

Similiter postquam conatum est, accipiens calicem, & benedicens, dicit: Bibite ex eo omnes. Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro vobis & multis effunditur in remissionem peccatorum.

Secreta oratio.

Memoriam igitur agentes salutaris huius mandati, & omnium pro nobis factorum, crucis, sepulchri, triduae resurrectionis, in caelos ascensionis, ad dexteram confessus, secundi & gloriosi rursus aduentus.

Exclamatio sacerdotis.

Tua ex tuis tibi offerentes, & omnia, & per omnia.

Chorus.

Te laudamus, tibi benedicimus, tibi gratias agimus.

Rursum inclinatio capite dicit sacerdos:

Propter hoc tibi offerimus rationalem hunc, & immaculatum cultum, & inuocamus, & rogamus, & supplicamus. Emitte spiritum tuum sanctum super nos, & super proposita dona haec, Amen.

Et surgens, obsequat sacra dona, & dicit:

Et fac panem quidem hunc preciosum corpus Christi tui, Amen.

Et in calice dicit:

In calice vero hoc preciosum sanguinem Christi tui, transmutans spiritu tuo sancto.

Sacerdos orat.

Vt fiat assumentibus in lotionem animarum, in remissionem peccatorum, in communionem sancti spiritus, in regni caelorum impletionem, in fiduciam apud te, non in iudicium, non in condemnationem. Praeterea offerimus tibi rationalem hunc cultum, pro in fide requiescentibus maioribus, patribus, patriarchis, prophetis, & Apostolis, praecoribus, & euangelistis, martyribus, confessoribus, continentibus, & omni spiritu in fide initiato: Praecipue pro sanctissima, immaculata, super omnes benedicta, domina nostra deipara, & semper virgine Maria. Vt vere dignum & iustum est, glorificare te deiparam, & semper beatissimam, & penitus incontaminatam matrem dei nostri, honoratiorem Cherubim, & gloriosorem incomparabiliter Seraphim, quae citra corruptionem deum peperit: vere deiparam

te magnificamus.

Hac carente choro sacerdos dicit:

Aue gratia plena Maria dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui: quoniam saluatorem animarum peperisti nostrarum.

Oratio.

Honorabilium, incorporalium, supercaelestium, sancti Ioannis prophetae praecursoris & Baptista, sanctorum gloriosorum & omnino celebrium apostolorum, sancti huius cuius & memoriam agimus, & omnium sanctorum tuorum, quorum supplicationibus respice nos deus, & memento omnium qui dormierunt in spe resurrectionis & vitae aeternae, & requiescere eos facito, vbi videtur lumen vultus tui.

Adhuc te inuocamus. In primis memento domine omnis episcopatus orthodoxorum recte interpretantium verbum tuae veritatis, totius sacerdotij, in Christo diaconatus & omnis sacerdotalis ordinis. Etiam offerimus tibi rationale hoc obsequium pro orbe terrarum, pro sancta catholica & apostolica ecclesia, pro iis quoque qui in pura & casta vita degunt. Pro fidelissimis & Christum amantibus nostris regibus, omni palatio & exercitu illorum. Da illis domine pacificum robur, vt & nos in tranquillitate illorum pacatam & quietam vitam agamus in omni pietate & religione.

Exclamatio.

In primis memento domine omnis episcopatus orthodoxorum & recte interpretantium verbum tuae veritatis.

Chorus.

Et quos quisque in animo cogitat.

Diaconus.

Et da nobis vno ore & vno corde glorificare & celebrare preciosum & augustum nomen tuum patris, & filij, & sancti spiritus, nunc & semper, & in secula seculorum.

Et sint misericordiae magni dei & saluatoris nostri Iesu Christi cum omnibus nobis.

Populus.

Amen.

Omnium sanctorum memoriam agentes, etiam atque etiam in pace dominum rogemus.

Super adductis, & sanctificatis preciosis donis, dominum rogemus.

Populus.

Domine miserere.

Quoniam humanus deus noster, qui suscepit haec in sanctum & supercaeleste & intellectuale sacrarium suum.

Populus.

Domine miserere.

Vt vicissim dimittat & nobis diuinam gratiam & communionem sancti spiritus, dominum rogemus.

Populus.

Domine miserere.

Vt liberet nos ab omni tribulatione, ire, & necessitatis, dominum rogemus.

Populus.

Domine miserere.

Oratio.

Memento domine gregis nostri huius in quo habitamus, & totius ciuitatis & regionis, & in fide habitantium in ipsis. Memento domine nauigantium, viatorum, aegrotantium, laborantium, captiuorum, & salutaris ipsorum. Memento domine fructificantium & laborantium in sanctis tuis Ecclesiis, & qui pauperum meminerunt, & super omnes nos misericordias tuas emitte.

Sacerdos inclinans orat:

Tibi

Tibi commendamus vitam nostram omnem & spem A domine amator hominum, & inuocamus te, & rogamus, & supplicamus. Dignos nos facito, vt participes simus supercaelestium tuorum & tremendorum mysteriorum huius sacrae, & spiritualis mensae cum pura conscientia in remissionem peccatorum, in condonationem delictorum, in spiritus sancti communionem, in regni caelestis hereditatem, in fiduciam erga te, non in iudicium aut condemnationem.

Diaconus.

Defende, serua, miserere, & custodi nos deus tua gratia.

Diem omnem perfectum, sanctum, pacificum, & sine peccatis a domino postulemus.

Populus.

Praesta domine.

Nuncium pacis, fidelem ducem, custodem animarum & corporum nostrorum, a domino postulemus.

Populus.

Praesta domine.

Veniam & remissionem peccatorum & delictorum nostrorum a domino postulemus.

Populus.

Praesta domine.

Honesta & conducibilia animabus nostris, & pacem mundo, a domino postulemus.

Populus.

Praesta domine.

Vt reliquum tempus vitae nostrae in pace finiamus, & poenitentia nostra, a domino postulemus.

Populus.

Praesta domine.

Christianum finem vitae nostrae, doloris & turpitudinis expertem, pacatum, & honestam purgationem, a domino postulemus.

Exclamatio sacerdotis:

Et dignos fac nos domine, vt cum fiducia & sine condemnatione audeamus inuocare te supercaelestem deum, & dicere:

Populus.

Pater noster qui es in caelis, sanctificetur nomen tuum: & reliqua.

Exclamatio.

Quoniam tuum est regnum, & potestas, & gloria, pateris, & filij, & sancti spiritus, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Sacerdos.

Pax omnibus.

Diaconus.

Capita vestra deo inclinate.

Sacerdos dicit orationem hanc:

Gratias agimus tibi rex inuisibilis, qui immensa tua virtute omnia condidisti, & multitudine misericordiae tuae a nihilo ad esse vniuersa produxisti, ipse domine caelitus respice ad seruos tuos inclinantes tibi sua capita. Non enim inclinarunt carni & sanguini, sed tibi metuendo & humano deo. Tu igitur domine proposita dona omnibus nobis in bonum exaques iuxta propria cuiusque indigentiam, cum nauigantibus nauiga, cum viatoribus viam ambula, aegrotos sana, medicus animarum & corporum. Gratia & miserationibus, & humanitate vnigeniti tui filij, cum quo benedictus es, cum sanctissimo, & bono, & viuificante tuo spiritu, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Sacerdos orat:

Attende domine Iesu Christe deus noster, de sancto habitaculo tuo, & de throno gloriae regni tui, & veni ad sanctificandum nos, qui in excelsis vna cum patre sedes, & hic nobiscum inuisibiliter ades, & dignos nos redde potente manu tua, vt participes simus immaculati tui corporis, & preciosi tui sanguinis, & per nos omnis populus.

Sacerdos autem spargit sumum incensum sacris.

Exclamatio.

Attendamus.

Sacerdos eleuans sanctum panem, dicit:

Sancta sanctis.

Chorus dicit:

Vnus sanctus, vnus dominus Iesus Christus in gloria dei patris.

Sacerdos autem eleuat panem, dicens:

Super caelos deus, & super omnem terram gloria eius effusa est.

Disiurus sacerdos panem, dicit:

Diuiditur agnus dei, qui tollit peccatum mundi.

Et accipiens sacerdos ex pane particulam mittit in calicem, dicens:

Plenitudo spiritus sancti, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Et tunc sacerdos assumit, & populus canit, & sacerdos potius particula diuini corporis, dicit:

Conuiuij tui mystici hodie filii dei communionem assumpsisti, non tamen hostibus tuis dixi mysterium. Neque osculum tibi dabo quemadmodum Iudas, sed veluti latro ille confitebor tibi, Memento mei domine, cum veneris in regnum tuum.

Luca 23. 0

Hanc orationem dicit duo priusquam assumat diuina.

Deus remitte, dimitte, ignosce mihi peccatori peccata mea & voluntaria & inuoluntaria, siue in cognitione, siue in ignorantia, siue in verbo, siue in opere, siue in concupiscentia feci, omnia ignosce: quoniam bonus, & humanus, longanimis, & multa misericordiae. Et intercessione immaculatae, dominae nostrae deiparae, & semper virginis Mariae dignum me fac, vt sine condemnatione accipiam immaculatum tuum donum in remissionem peccatorum in vitam aeternam, in purgationem malarum mearum cogitationum, in illustrationem mandatorum tuorum: quoniam te decet gloria, honor, & adoratio, patrem, & filium, & sanctum spiritum, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Oratio.

Fiat mihi domine Iesu Christe corpus tuum sanctum in remissionem peccatorum meorum, & sanguis tuus preciosus in vitam aeternam. Et in secundo tuo aduentu annuera me iustis tuis, & electis ouibus.

Oratio.

Gratias agimus tibi domine humane benefactor animarum nostrarum, quoniam & hodierno die dignatus es nos supercaelestibus tuis & immortalibus mysterijs: dirige nostram viam, & confirma nos in timore tuo omnes, custodi vitam nostram, stabili nostros gressus, precibus & supplicationibus sanctae deiparae, & semper virginis Mariae, & omnium sanctorum.

Tunc aperitur magnum ostium suspensis lucernis.

Et sacerdos ostendit calicem populo, dicens:

Cum timore dei, & fide, & dilectione accedite.

Chorus dicit:

Benedictus, qui venit in nomine domini.

Sacerdos dicit:

Benedictus deus noster, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Diaconus egressus de sancto altari, dicit post depositionem sanctorum donorum:

Recti qui participes fuimus diuinorum, immaculatum, immortalium, supercaelestium, viuificantium, tremendorum mysteriorum dignè in omnibus gratias agamus domino.

Diaconus addit:

Defende

Defende, serua, miserere, custodi nos deus tua gratia. A
Omnem diem perfectum, sanctum, pacatum, & pecca-
ti expertem postulant, nos ipsos, & inuicem, &c.

Exclamatio.

Quoniam tu sanctificatio nostra, & tibi gloriam refe-
rimus, patri, & filio, & spiritui sancto.

Diaconus.

In pace accedite.

Populus.

In nomine domini.

Diaconus.

Dominum rogemus.

Populus.

Domine miserere.

Oratio post ambonem.

Κυριαν, locus edit, ascensus.

Qui benedixit benedicientibus tibi domine, & sanctifi-
cas in te confidentes, salua populum tuum, & benedic
hereditati tuae. Plenitudinem ecclesiae tuae custodi, san-
ctifica diligentes decorem domus tuae. Tu ipsos vicif-
sim glorifica diuina tua virtute, & ne deseras nos spe-
rantes in te. pacem mundo tuo da, ecclesiis tuis, sacer-
dotibus, regibus nostris, exercitui, & omni populo tuo:

quoniam omne donum bonum, & omne datum per-
fectum desursum est descendens ex te patre luminum.
Et tibi gloriam, & gratiarum actionem, & adoratio-
nem offerimus, patri, & filio, & sancto spiritui, nunc &
semper, & in secula seculorum, Amen.

Tunc populus dicit:

Sit nomen domini benedictum, ex hoc nunc & vsque *Psal. 71. d*
in seculum.

Benedicam dominum in omni tempore, semper laus *Ibid. 33. a*
cuius in ore meo: & reliqua.

Sacerdos autem benedicit sancta, & exiit.

Qui ipse es impletio legis & prophetarum Christe deus
nostrer, qui implesti omnem paternam dispensationem;
imple gaudio & exultatione corda nostra, nunc & sem-
per, & in secula seculorum, Amen.

Deo gratia.

Tomi quinti finis.

SERIES CHARTARVM.

a b c d e f g h i k l m n o p q r s t v x y z A B C D E F G H I K
L M N O. Omnes quaterniones, praeter O quaternionem.

